2 Mt


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
33 M
8

M

Digitized by Google

36. F. 13.

Digitized by Google

IOAN. ANTONII VELAZQVEZ SOCIETATIS IESV, IN PSALMVM DAVIDIS CENTESIMVM

Commentarij, Litterales & Morales;

SIVE,

DE OPTIMO PRINCIPE, ET OPTIMO PRINCIPIS ADMINISTRO, LIBRI QVINQVE.

CVM INDICE QVADRVPLICI, PRÆCIPVEQVE ad Conciones per totum annum copiosissimo.



ANTVERPIÆ
Apud IOANNEM MEVRSIVM.
ANNO M. DC. XL.

Digitized by Google

FACVLTAS PATRIS PROVINCIALIS Castellanæ Prouinciæ.

EGo Ildefonsus del Caño, Prouincialis Societatis IESV, in Castellana Prouincia, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Mutio Vitelleschi Præposito nostro Generali, facultatem facio, vt Commentarij, & Adnotationes in Psalmum centesimum Dauidis, à Patre Ioanne Antonio Velazquez Societatis nostræ in Regio Salmanticensi Collegio sacræ Scripturæ quondam professore, compositæ, & eiusdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbati, typis mandari possint. In quorum fidem, has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostri officij munitas dedimus. Pompeïopoli, pridie, Nonas Iulias, anno Domini 1635.

ILDEPHONSVS DEL CAÑO.

Censura operis ex mandato Ordinarij Sapientissimi Licentiati D. Francisci de la Torre, in Alma Ecclesia Segouiensi Canonici Pœnitentiarij.

PVLCHRORVM *quoque autumnus pulcher*, est in veteri parœmia. Hoc censui dum ex mandato D. Petri Gomezij de Bustillo, maximi Sanctæ Crucis Collegij Vallisoletani Collegæ, & huius Segouiensis Diœcesis Vicarij Generalis, librum hunc censeo. Post felicissima volumina Patris Ioannis Antonij Velazquez, in epistolam Pauli ad Philippenses, pulcherrimum *de Optimo Principe, & de Optimo Principis Administro* librum orbis luci immissum, quid aliud quàm opulentum eruditionis autumnum iudicem? Opus dignissimum quod auteum in Olympia miremur: siue ingenij acumen, siue inaffectatam iucunditatem, quam nulla possit affectatio consequi, vel vtiles circa præcepta sententias, altamque verborum lenitatem intueamur. De quo planè dixerim cum Fabio Pindarum laudante: *Nouem vero Lyricorum longè Pindarus Princeps, spiritu, magnificentiâ, sententiis, figuris, beatissimus rerum, verborumque copia.* Qui vnus diligenter euolutus ad cuncta, quæ Principibus præscribuntur effingenda sufficiat, nec mirum cùm vniuersis operis auctoribus, vel nomen auferat, vel fulgore claritatis tenebras obducat. Vnde *non mirum* (vt de Zatam dixit Paschasius) *si post sequens primatum teneat.* Quem dum eloquentiã Latij eloqui laudat, laudat quidé Velleius, *Vniuersa sub Principe operis sui erupit Tullio, & delectari ante eum paucissimis, mirari neminem possis, nisi aut ab illo visum, aut qui illũ viderit.* Aulæ verò sua hæc illata ab Aula lucé, laudemque accipiat: *Ducantur ergo ad penetralia libertatis laudati, merito suo ornati, iudicio nostro habituri sine dubio gratissimum senatum, quorum ars est, facere de irato beneuolum, de suspecto placatum, de austero mitem, de aduersante propitium.* Gratissimum Aulæ Christianæ librum auguror, gratissimum literatis, neque ingratis sanè: nam *hic eloquentiæ flumina* (vt Sidonius ait) *non tam fonte, quàm fronte subdantur*: Sic censui, & clarissimi operis immortalitati æternum Sophiæ plausum, gloriam adprecor. Segouiæ decimoquinto Kalend. Martij, anno 1635.

Quintil. lib. 1. — *Paschas.* — *Velleius.* — *Cassiod. lib. 3. epist. 33.* — *Sidon. lib. 8. epist. 3.*

Licent. FRANCISCVS DE LA TORRE.

Approbatio Reuerendissimi, ac Sapientissimi Patris Magistri Laurentij de Aponte, Clericorum Regularium Minorum, sacræ Theologiæ quondam professoris, & in supremo Fidei Senatu Censoris.

COMMENTARIOS elaboratissimos in Psalmum centesimum R.P.M. Ioannis Antonij Velazquez, de Societate IESV, ex mandato Regij Senatus vidi, perlegi, ponderaui. Cognoueram sanè iamdiu ab vngue leonem, cùm ex eiusdem ad Philippenses elucidationibus quid ponderis, quid veritatis, quid elegantiæ, quid eruditionis, quid tandem deuotionis tanti Patris scripta tenerent, iam videram, iam laudaueram, iam supra reliquos (sit sine inuidia dictum) extuleram: at nunc in istis, & supra ipsummet. Equidem in illis alios vincit, in istis seipsum, eò vel maximè cùm in his de illa arte tractet quæ iuxta Nazianz. *Ars est artium, scientia scientiarum, vtpote quæ hominem regit animal omnium maximè varium, & multiplex*: hinc planè sic difficilis, vt eidem sanctissimo Patri videatur, quod *& si sit aliquis non modò vitiorum contagione purus, verùm ad summum etiam virtutis fastigium euectus, non apparet, quanam scientia instructus, aut quibus viribus fretus, præfecturam Christianam intrepidè suscipere queat.* Opportunè id tunc Nazianzenus, at nos itidem post hunc in lucem de Optimo Principe editum librum, qui sic Principem dirigit, vt non modò illum ad Politicum ducat felicem scopum, sed etiam ad diuinum: nam sic Principi *Misericordiam* suadet, vt *iudicium* misceat: sic ad alios dirigendos ducit, vt sui primùm Rectorem faciat: sic simplicitatem suadet, vt contra *praeuaricantes* odium instruat; sic cor rectum instituit, vt nulla malignitate supereat; sic contra detractores superbos, atque auidos armat, vt ad immaculatos totum inclinet: tandem sic sollicitum contra peccatores eum reddit, vt penitus ad vnum *disperdant de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Expendi singula, & verè ad Principem instituendum nihil addendum dixi: nihil detrahendum iudicaui; hinc omnino edoctus, quàm sciè dixerit Gregorius: *Quanto mundus ad extremitatem deducitur: tanto nobis æterna sapientiæ aditus patebit*: nam in his commentariis *poma omnia noua, & vetera*, sic dilucidè intertexta videas: vt totum nouum, totum vetus dixeris, totum opus Sanctorum Patrum dictis inspersum inuenias, ita tamen, vt nouum robur, nouam vitam, formam, ac venustatem illis tribuens, non vetera, sed noua dicas: non antiquorum, sed sua. Monita etsi ex se præclara, vnde prodire sine baculo possent, semper tamen veterum Doctorum dictis illustrat, ac firmat: quippe qui optimè calleat illud Ennodij: *Exponit censura sententiam suam: quisquis quod elegit, non tuetur.* Quid de concinnitate dicam? hæc vt scriptori Ecclesiastico, non probano, *sic vt animo scribat, non auribus.* Hinc res eius non effugiunt, sed animo hærent: nam verè Clem. Alexandrinus,

Nazianz. in Apologet. — *Greg. homil. 16. in Ezech.* — *Cant. 7. 13.* — *Ennod. lib. 3 epist. 26.* — *Senec. epist. 100.*

drinus, *Eos qui hærent dictionibus, & in eis sunt occupati, res ipsa effugiunt*, & quia ex affectu scribit, sine phaleris dictat sine istu (aiebat Ennodius) *omne quod dictat affectus*: nam vt benè idem *ad vnguem fabricantur illa quæ volumus non tam speciem habere, quàm similitudinem*: nam fructum in ficulnea, non folia tantùm quærunt. *Absit enim* (vt cum Cellensi dicam) *vt vmbram solùm, & non escam pariant arbores tanti cultura Patris*. Breuitati studet, *ut sic, vt nullum damnum fiat intelligentia*: & verè illi curæ potiùs *implere caussam, quàm paginam*. Quid inde? Sanè illum ex eorum numero esse, *qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt*. Qualis hinc fructus? *Vt tanto tempore post mortem suam apud Deum extendatur lucrum operum suorum, quantum durare potuerit vita librorum suorum*. Hinc dignissimi vt typis mandentur, vt talia poma cum ipsa arbore, cum eius fructibus, frondibus ac floribus æternitati dentur, æternumque Deo famulentur. Sic censui: Compluti, die 15. Aprilis, anno 1635.

Clemen. 2. Strom. P. Cellens. Hier lib. 11. in Isa. Sidon. lib. 4 epist 3. Augustin. epist. 7. Beda lib. 1. epist. 20.

LAVRENTIVS DA APONTE
Clericorum Regul. Minor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratia Hispaniarum & Indiarum, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo Regio sanxit, ne quis citra IOANNIS MEVRSII, Typographi Antuerpiensis, voluntatem, *Commentarios & Adnotationes in Psalmum Centesimum Dauidis; siue de Optimo Principe, & Optimi Principis Administro, Auctore P. Ioanne Antonio Velazquez Societatis Iesu Theologo*, intra nouennium proximum vllo modo imprimat & excudat, tam integros quàm contractos, aut alibi locorum impressos in hanc prouinciam importet, venalesue exponat. Qui secùs faxit, confiscatione dictorum librorum, & aliis grauibus pœnis multabitur: sicuti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, anno Domini 1637. die 19. Feb.

Signat.

I. COOLS.

Et in Concilio Priuato,

FINIS.

INDEX

INDEX LECTIONVM, ET ADNOTATIONVM MORALIVM,

Quæ in his Commentariis continentur.

PSALMVS IPSI DAVID, C.

Deciui numero, & numeri significatione, p. 1.

Psalmi Titulus ipsi Dauid. p. 4.

ARGVMENTVM. p. 5.

COMMENTARIVS. p. 5.

Lectiones Morales circa litteram.

Ad verf. 1. *Misericordiam, & Iudicium cantabo tibi Domine.*

a 3 5 Eò

LIBER I.

De optimo Principe.

PROOEMIVM. 86.

De virtute Principi multiplici ratione necessaria.

LIBER II.

De optimo Principe.

PROOEMIVM. 140.

De peculiaribus virtutibus, quæ ad Principis personam spectant.

LIBER III.

De optimo Principe.

PROOEMIVM 211.

De scopo, quem sibi Princeps in gubernatione debet proponere.

LIBER IV.

De Optimo Principe.

PROOEMIVM. 275.

De Principis virtutibus, quæ ad iudicium, & iustitiam peculiariter pertinent.

LIBER V.

De Optimi Principis Optimo Administro.

PROOEMIVM. 340.

IN PSALMVM CENTESIMVM COMMENTARII.

De Psalmi numero, & numeri significatione.

1. PVLCHERRIMVS Psalmus, & omnibus numeris ad mortalium institutionem adeò absolutus, vt ipsemet numerus, quo signatur, omnimodam perfectionē adumbret. Nam etsi apud Hebræos, & (& errore forsan typographi, aut *Athanas.* amanuensis) apud Athanasium in epistola ad Marcellinum *De interpretatione Psalmorum*, centesimus primus numeretur; à nostra Vulgata, & ab omnibus PP. atque interpretibus, centesimi numero præscr hibitur; qui vt bene *Origen.* Origenes hom. 2. in Gen. & ab eo Sanctes Pagninus in Isagoge cap. 10. *Plenus in omnibus, & perfectus ostenditur, & totius rationalis creaturæ continens sacramentum*: & (vt non semel adnotauit Augustinus) vniuersitatem significat dicente Domino de *Matth. 19. 29.* eo, qui secularibus rebus renuntiat: *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Matth. 19. *eius numeri perfectione* (inquit ille primū epist. 89. ad Hilarium) *significantur omnia: fideli quippe homini totus mundus diuitiarum est, fitutq; hoc modo quasi nihil habentes, & omnia* *August.* *possidentes.* & lib. 20. de Ciuitate Dei c. 7. *Centum ipsa pro vniuersitate aliquando ponuntur, quale est illud, quod Domiuus omnia sua dimittenti, & eum sequenti promisit dicens: Accipiet in hoc sæculo centuplum. quod exponens quodammodò Apostolus ait: Quasi nihil habentes & omnia pos-* *Hieron.* *sidentes.* Hæc Augustinus. Ad cuius gustum Hieron. in cap. 63. Isaiæ cùm de centenario numero præmisisset: *De cuius numeri laudibus non accesse est plurima memorare, ne superflua sit disputatio,* subiicit: *Hoc tantùm dicimus, quòd decem decadis æqualia habeat latera, & quadraformo possideat firmitatem. In repromissionibus quoque pro iis, quæ contempsimus, multiplicata nobis centuplum Dominus pollicetur, & in bonam terram sementis cadens primum habet vberrima frugis numerum centenarium. Denique, & Isaac vnam sementem iacens fidei hoc numero laboris sui opera multiplicata suscepit.* Sic Hieronymus.

2. *Cassiodor.* Ergo *hic Psalmus* (inquit Cassiodorus) *continet formam perfectæ sanctitatis, vt centesimus numerus perfectus est.* Et verò, vt omnes Psalmi ad spiritum & sanctitatem pertineant, hic tamen signatè centesimo numero prænotatur, quòd nihil omnino contineat, quod spiritum & sanctitatem non spiret: imò verò quidquid sanctum, iustum, rectum, & laudabile est; siue Dei cultum & religionem, siue excellentiores virtutes, siue Ethicam, Oeconomicam, atque Politicam spectes non contineat, atque comprehendat. Vnde *Chrysost.* Chrysostomus Psalmi huius commentationem sic exorditur: *Rursum nos ad spiritnali modo canendum beatus Propheta Dauid hortatur. Rursum spiritualem, ac cælestem cantilenam proferens spirituales nos per cantionem reddit. Siquidem Spiritus sancti afflatu atque instincta canens, ac velut animata, & ratione vtens cithara à Spiritu sancto pulsatus, nos quoque spiritualē in modum omnino canere docet. Canit autem non hoc animo, vt aures nostras oblectet, & deliniat, sed vt animis nostris voluptatem atque vtilitatem adferat. Neque enim in auribus dumtaxat cantus suos defigit, verùm sermones suos ad animum vsque transmittit. Etenim auribus quidem ad eruditionem, & veritatis cognitionem eos tradit, animo autem eosdem ad salutis securitatem, & confirmationem inserit. Canit enim carmen non nudu dumtaxat verbu illud proferens, verùm vtilibus ac fructuosis, atque hinc canentium vitam corrigens. Neque enim ad vitam, aut ad mundum pertinet hoc carmen, verùm diuinum ac spirituale est, omniq; modestia refertum.* Hactenus de huius Psalmi dignitate ac præstantia Chrysostomus.

Non pigebit autem nonnulla prætereà attexere 3.
tam ex Scriptura, quàm ex Patribus, quæ centenarium numerum spiritualia bona, & perfectæ sanctitatis formam designare, mirum in modum confirmant, atque illustrant: & primum quidem satis est ex PP. & prophanis auctoribus tritum, eum apud veteres vsitatum supputandi, & rationes conficiendi modum fuisse, vt læua manus ab vnitatibus simplicibus vsque ad numerum nonagesimum nonum, dextera verò à cētesimo vsque ad millenarium supputando peruenirent, ita quidem vt cùm omnia puncta ab vnitate vsque nouem, & nonaginta læua indicasset, si centum exprimere opus esset, ab illa in dextram supputatio transferretur: quo acumine Satyricus, vt senem centum annorum faceret, dixit Satyra 10. *Iuuenal.*

Atque suos iam dextrâ computat annos.

Similiter si de centenario numero, vel simplex vnitas demeretur, rationes è dextra redibant ad sinistram: vti eruditè Chrysologus serm. 168. centesimæ ouis deperditæ parabolam hac ratione premit, *Chrysolog.* atque illustrat, cùm enim ita interrogasset: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit ex eis vnam, &c. Quare non quinquaginta, quare non ducentas? sed centum? Quare non quatuor, non quinque, sed vnam?* Respondet: *Vt ostenderet non ex damno fuisse, sed ex numero plus dolorem. Namq; amissio vnius totum dissipauerat centenarium numerum, & totum de dextera redegerat ad sinistram, vt dispendio vnius, & sinistra clauderet omnes, & dextera nihil haberet. Nonagesimus enim nonus numerus in sinistra latet clausus, tenetur oppressus, qui tamen vbi vnum perceperit, & senserit augmentum, mox dextera transit ad palmam, mox centenarij numeri peruenit ad coronam.* Iam dexteram ad virtutem, ac virtutis opera referri, nemo est qui nesciat, dicente Domino: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua,* Matth. 6. 3. vbi Paschasius: *Matth. 6. 3.* *Habet enim interior noster homo suam dextram, habet & sinistram. Per dextram quippe virtutum opera designantur, per sinistram verò vitia.* Ad quem modum Ambrof. in *Ambrof.* Psalm. 72. ad finem: *Quæ est* (inquit) *dextra nisi actuosa anima virtus?* Quæ sic optimè diffundit Cassianus *Cassian.* collat. 6. cap. 10. *Habet vir sanctus dextram, successus videlicet spirituales, in qua tunc consistit, quando feruens spiritu desideriis, & concupiscentiis omnibus dominatur, quando ab omni diabolica impugnatione securus absque vllo labore, & difficultate vitia carnis, vel respuit, vel abscindit, cùm sublimatus à terra vniuersa præsentia, atque terrena velut inanem fumum, vmbramq; vacuam contemplatur, & vt mex transi-*

tura contemnit, cùm futura per excessum mentis non solùm ardentissimè concupiscit, verùm etiam clariùs intuetur. Hæc ille & alia in hanc rem. Ex quibus manifestè efficitur, tum centenarium numerum vt dextrum, atque felicem spirituales diuitias præsignare, & virtutis typum esse: tum etiam nihil in veris bonis esse, nisi virtutem; ceteraq́ue omnia aurum, delitias, gloriam, quibus cæca hominum libido pretium fecit, inania & sinistra esse, nec in bonorum numero computanda, quando ad centenarij palmam non perueniunt.

Origenes. 4. Hinc opportunè obseruauit Origenes homil.16. in Leuiticum: *Sub centenario Abraham numero Deo credidisse, & iustificatum describi*: quasi anteà extra spiritus, & veræ frugis e[illegible]tionem esset: nec minùs appositè à S. Gaudentio B[illegible]iensi serm. 18. *de villico iniquitatis*, tomo 2. Biblioth. veterum PP. adnotatum est, eas callidissimi illius veteratoris, qui diabolum figurabat, artes fraudesq́ue fuisse, vt centenarij numeri bona, quæ quia in dextrâ censentur, spiritualia bona designant, ad inferiores centenario numerus, quibus terrena bona adumbrantur, reduceret: sic namq́ue debitores allocutus dicitur: *Quantum debes Domino meo? Centum cados olei. Accipe cautionem tuam, & scribe quinquaginta. Tu verò quantum debes? Centum coros tritici. Accipe litteras tuas, & scribe quinquaginta.* Vt nimirum spiritualia, & æterna bona cum temporalibus & caducis commutaret. Audi Gaudentium: *Nam conatur fidem nostram, & opera nostra à centenario numero, perfecto scilicet, & in dextrâ constituto ad sinistra partis dolosa compendia deprauare Apostolicam fidem sinistro hæreticæ persuasionis sensu peruertens: & merita bonorum operum dextrorumq́; factorum ad sinistros mores plerumque deducens. Quantos enim diabolus à dextra partis vigore, sinistris monitis in vitia voluptatum carnalium relaxauit? Quantos debita spiritualia religiosis operibus persoluere gestientes à mercede cælesti illectos gloriâ humana cupiditatis priuauit, vt dexteræ partis præmia promissa non capiant, dum in ipsis bonis operibus non Deo, sed hominibus placere festinant?* Vides, quantum inter centesimum numerum, & reliquos, qui ad ipsum non perueniunt, mysticè interfit.

Luc. 16. 5. *S. Gaudēt.*

5. Et verò centenarium numerum non qualemcumque sanctitatem, sed perfectæ sanctitatis formam designare, inde facilè apparet, quòd vberrimus Dominicæ messis fructus, centesimus fuisse dicatur: sic namque Matthæi 13.8. *Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum; alium centesimum, alium sexagesimum, alium tricesimum.* Ad quæ verba PP. quidquid in sanctitate eximium atque excelsum est, ad centenarium referunt. Hieronymus videlicet lib. 1. contra Iouinianum, & in apologia ad Pammachium, Athanasius in epistola ad Ammonium, Paulinus epist. 28. August. lib. de sancta Virginit. cap. 44. *ad virginitatis coronam*: idem verò Augustinus lib. 1. qq. Euangelicarum quæst. 9. & Auctor operis Imperfecti homil. 31. ad Martyrij palmam; siue vt Eucherius, & præfato lib. de sancta virginitate, idem Augustin. cap. 45. volunt, ad virginitatem martyrio coronatam: ait enim Augustinus: *Siue virginitati accedente martyrio centenum numerum impleat.* Gregorius verò Nazianzenus orat. in Maximum ad perfectionis fastigium, pulchrè siquidem obseruat, Matthæum quidem hos fructuum gradus à centesimo in tricesimum recensuisse: Marcum verò inuerso ordine à tricesimo in centesimum numerasse, vt perfecti viri vitam per suos gradus ad culmen proficientem significaret: sic enim ille suos alloquens, & de spirituali profectu rationem exigens: *Quis centesimum fructum edit? Quis sexagesimum? Quis postremò tricesimum, aut conuerso ordine, quis à tricesimo ad sexagesimum progressus (hunc quoque in Euangelius ordinem habemus) in centesimum desiit, vt nouos subinde progressus faciens, velut Isaac magnus tandem fiat, de virtute ad virtutem ambulans, & cantica graduum canens, atque ascensiones in corde suo ponens?* Cui Nazianzeni obseruationi mirè subscribit Philo lib. de mutatione nominum in initio, dum denarium ad progressum, centenarium ad perfectionem sic refert: *Etenim denarius quidem progressus, Centenarius verò perfectionis nota est.* Firmat hæc omnino Cassiodorus in conclusione (vt ipse appellat) Psalmi pulchrè ex modo supputandi per manus dextræ digitos obseruans centenarium numero digitis in modum coronæ inflexis designari. Ait ergo: *Vt meritò hunc numerum obtinuisse videatur, qui speciem desiderabilis coronæ digitorum dexteræ manus inflexione designet. Hoc donum Martyrum, hoc est Virginum munus, & quidquid est eximium in Ecclesia, tali fructu peruenire demonstratur ad præmium sicut dicit Apostolus.* De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex. Pergit eleganter hanc coronæ figuram, atque significationem exornans: *Orbis ipse terrarum hoc schemate fertur ambiri, cælum innumeris auctoribus legimus esse conuexum: stellas vidimus sphericâ rotunditate fulgentes: Solem ipsum circuli pulchritudine radiare. Lunam quoque certum est, in hanc venire formam, quando noscitur esse perfecta.* Hactenus Cassiodorus.

Matth. 13. 8. *Hieron.* *Athanas.* *Paulin.* *August.* *Auct. oper.* *Eucher.* *August.* *Nazianz.* *Philo.* *Cassiodor.* *2. ad Tim. 4.*

6. Accinit Hieronymus in Ezechiel. componens ea verba Vatis cap. 40. *Et mensus est latitudinem à facie portæ inferioris vsque ad frontem atrij interioris extrinsecus centum cubitos ad Orientem, & Aquilonem*: cum præfatis Domini apud Matth. 13. *Dabant fructum centesimum*, vt vtrobique perfecta sapientia, consummata scilicet perfectio, virtutumq́ue corona significetur. Sic namq́ue ille: *Ex quibus intelligimus illud Euangelicum, quod à Saluatore narratur missa in agrum sementis in terram bonam, quæ multiplices fruges pro varietate virtutum in tricenarium, & in sexagenarium, & centenarium numerum huius loci vaticinio conuenire. Et hic enim tricesimus, & sexagesimus, & centesimus numerus ponitur, vt his quasi gradibus ad perfectam scientiam peruenire valeamus.* Sic ille. A quo non longiùs fuerit Dominicum conuiuium in deserto iis, qui constantiùs vitæ Magistrum secuti fuerant exhibitum, præsertim si discumbendi ordinem attenderis apud Marcum c. 6. v. 40. *Et discubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos.* Siue vt habet lect. Syriaca: *Discubuerunt per ordines centeni, & quinquageni.* Quæ verba elucidans Origenes in cap. 14. Matthæi opportunè inquit: *Oportebat enim eos, qui requieturi erant in Iesu cibariis, aut esse in ordine centum, qui numerus sacer est, ac Deo propter vnionem consecratus, aut in ordine quinquaginta, qui numerus continet remissionem iuxta mysterium iubilei, qui solet in quinquagesimo quoque anno innouari.* Sanè quòd Dominica mensa ad perfectos potissimùm spectet, quamuis, quæ inuitantis benignitas est, nec illos à sui corporis mysteriis arceat, qui vt perfecti non sint: at verè pœnitentes, peccatorum remissionem accipere meruerunt.

Ezech. 40. *Hieron.* *Marci 6. 40.* *Lect. Syr.* *Origenes.*

7. Sed & inde centesimum numerum perfectissimum facit Hesychius Hierosolymitanus in Leuiticum, quod duplicato quinquagenario, qui spiritui consecratur, constet, ait enim: *Perfectissimum centesimum ideò concipimus, quia quinquagesimus, quæ spiritus sunt amplectitur, vnde Pentecoste spiritus sacra. Bonorum verò operum fructus, qui messem omnem excellit, in Euangelica lectione ad centesimum vsque cumulatur.* Planè quasi centesimus numerus non simplicem, sed duplicatum

Hesychius.

tum spiritum designet, qualem à Magistro suo Helia Helisæus animosè postulauit: *Obsecro,*(inquit)*vt fiat in me duplex spiritus tuus*, 4.Reg.2.9. *4 Reg.2.9.* Quòd de sanctitatis spiritu sic accepit. *Ambros.* Ambros.serm.79. *Helias cùm simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Helisæo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Helias gratiæ dimisit in terra, quàm ipse portauit in cælo.* Enimuerò si rectè sapis, & rem attentiùs perscrutaris, ad Christianæ Ecclesiæ sanctitatē, quæ duplo maior quàm Synagogæ sanctitas fuit, hæc referenda sunt. Quis enim dubitet Heliæ spiritum Synagogam, Helisæi verò Christum, & Ecclesiam adumbrare? Apostolorum verò ac discipulorum Christi præ Helia, & Prophetis excellentiam atque præstantiam sic optimè persequitur S. Cyrillus Hierosolymitanus *Cyrill. Hierosol.* catechesi 14. *Si enim Helias quidem ad primum vsque peruenerat cælum, Paulus vsque ad tertium, excellentiorem sanè assecutus est dignitatem. Non pudeat te Apostolorum: non sunt Moyse deteriores, neq; Prophetis inferiores, sed boni cum bonis, & bonis meliores.* *Matth.16.19.* *Helias enim assumptus est in cælum, sed Petrus habet claues regni cælorum, cùm audiret:* Et quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælo. *Helias in cælum tantùm: Paulus autem & in paradisum raptus erat. Decebat enim Christi discipulos ampliorem gratiam capere.* Opportunissimè.

8. Huic cogitationi egregia fides Centurionis omnino concinit Matth.8.10. *Matth.8.10.* eam siquidem Dominus non sine admirationis signis Israëli disertissimè prætulit, dicente Matthæo: *Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël.* Planè quòd Ecclesia gentium quasi centeno milite stipata tam fidei, quàm virtutum, spiritualiumque fructuum perfectione sublimis sit, nihil à Deo terrenum, veluti Synagoga, sed sola salutis æternæ gaudia sibi suisque requirens; cum centenarius numerus de læuâ, vt vidimus, transiens ad dexteram ad cælestis vitæ significationem pertineat. *Chrysolog.* Hæc sic obseruante Chrysologo serm.15. *Cohortis Romanæ Centurio, dux factus est militiæ Christianæ, & meritò, quia antè cœpit docere, quàm credere. Verè Centurio, qui stipendia terrena centenarium cæli mutauit in fructum, & seruitutem militiæ sæcularis in diuinam sustulit dignitatem.* Hæc ibi: & serm.102. *Centurio hic Romanus erat, sed plus erat hic ipso fructu centesimo Christianus. Et Deo magis militabat iste, quàm sæculo. Et in humano bello fortis, fortior in diuinæ pacis custodiâ permanebat.* Pende singula, sed signatè illa, *antè cœpit docere, quàm credere*: vt videris è Synagoga ad Ecclesiam doctrinæ magisterium fuisse translatum: vnde hoc sensu *Chrysost.* Chrysost. homil.17. ad hæc Matth. verba inquit: *Nam Euangelista non tantùm refert, quòd laudarit eius dicta, verùm etiam laudis incrementum declarans, quòd etiam admiratus sit, atque ita admiratus, vt tanta hominum turba præsente atque audiente imitandum ipsum cæteris proposuerit.*

9. Iam verò illud ad centesimi numeri ornamentum & perfectionem, quo nihil maiùs ac illustriùs excogitari valet, ex Bernardo accedat, quòd in illo Augustissimum panis Angelorum, & Dominici corporis Sacramentum significetur: sub hoc namque sensu ille Sermon.1. *de miraculo in nuptiis Canæ facto*, *Bernard.* ea Domini verba apud Matthæum 19.29. *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*, hunc in modum accipere videtur: *Timent enim, qui nouerunt spiritualem cibum, ne quando fortè fraudentur eo, cibo siquidem forti egent, qui manum miserunt ad fortia. Viuant de paleis Aegypti, qui deseruiunt in operibus luti, & lateris: nobis fortior cibus est necessarius, quoniam* grandis nobis restat via, *vt ambulemus in fortitudine cibi illius: ipse est panis Angelorum, panis viuus, panis quotidianus. Hic est de quo nobis promissum est, quia* centuplum accipiemus In hoc sæculo: *Sicut enim mercenariis, & quotidianus cibus datur in opere, & merces seruatur in fine; sic Dominus* & vitam æternam *in fine reddet, & interim* centuplum *repromittit, & exhibet.* Hæc Bernardus, vt videlicet, diuino huic centuplo centesimus ille perfectionis fructus ad iustam mensuram, pondusque respondeat, dicente de illo vate: *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Zachar.9.17. *Zachar.9.17.*

Velosq. in Psalm. centesimum.

10. Verùm enimverò, vt in sacro Eucharistiæ conuiuio futuræ gloriæ nobis pignus datur, ita in centenario numero ipsamet æternæ vitæ corona ex *Luc.15.5.* digitis primo & vltimo inflexis figurata, omnino designatur, & repromittitur, & exhibetur, vt vel in centesima oue olim deperdita postmodùm ad caulas Dominicas reuocata, & diuini pastoris humeris imposita, atque ad cælestes sedes euecta manifestè apparet: is namque est diuini Regis principatus, *Factus super humerum eius*, Isaiæ 9.6. *Isaiæ 9.6.* hæc illa captiuitas vsque ad solium Deitatis ab assertore captiua ducta atque euecta: ad Ephesios 4.8. *Ephes.4.8.* id hunc ad modum contemplante venerab. Drogone *Drogo.* serm. de Dominicæ Passionis Sacramento: *O maxime Imperator, sed quomodò? aut quò portas imperium tuum? super humerum tuum: humerus tuus altus est, humerus tuus fortis, humerus tuus pertingit vsque ad Patris consessum, super omnem principatum, & potestatem, & virtutem: illuc perducis ouem centesimam, illuc perducis ouem Ioseph. Ad dexteram Patris deducitur ouis Ioseph, vade iam secura ouis Ioseph, Christus te portat super humerum suum, fortis est humerus eius, noli timere, altus est, noli ad ima respicere.* Hæc Drogo.

11. Iam non omnino abs re dixeris, centenarium hunc numerum Regis personam, & munus, quod huius Psalmi argumentum est, appositè implere, siue Principi signatè conuenire, quòd ipse centesima illa ouis fuerit tanti à suo pastore facta; vt de ipsa dixerit Tertullianus *Tertull.* lib. de pœnitentia cap.8. *Errat & vna pastoris ouicula, sed grex vnâ charior non erat, vna illa requiritur, pro omnibus desideratur, & tandem inuenitur, & humeris ipsius pastoris refertur.* Planè quasi Princeps pro toto populo, & merito, & dignitate sit; vti nostro Dauidi in aciem prodire, & sese in belli discrimina coniicere volenti, eius milites repugnando dicebant: *Non exibis, quia tu vnus pro decem millibus computaris*, 2.Reg.18.3. *2.Reg.18.3.* pro toto videlicet exercitu, qui quantus quantus esset, eo decem millium numero arcanâ locutione forsan denotabatur; etenim Cant.5.10. *Cant.5.10* vbi de Salomone nos habemus: *Dilectus meus electus ex millibus:* Pagninus *Pagnin.* ex Hebræo transtulit, *Insignis præ decem millibus:* Lectio *Lect.Tigu.* verò Tigurina reposuit, *Sub signis habens exercitum decem millium:* siue *vexillatus in decem millibus.* Quâ sanè de causa tum Hebræa lingua Princeps *Aluph* dicitur, quæ vox inter alia millenarium designat numerum, qui Gregorio Magno obseruatore *Greg.M.* lib. 8. Moral.cap.1. & alibi vniuersitatem significat; tum etiam stabilimentum, & bona populi constitutio à Salomone in Sapientiæ libro sic appellatur: *Sap.6.26* *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum, & Rex sapiens stabilimentum populi est.* Vbi cum Græcè pro *stabilimentum*, omnino sit bona constitutio, & plus vni Principi quàm multis sapientibus tribuisset, & ab eo totum constare populum affirmâsse videtur Salomon: vt ei sursum, quæ de centesima oue dicebat *Chrysolog.* Chrysologus: *Quare non quinquaginta? Quare non ducentas? Sed centum: quare non quatuor, quare non quinque, sed vnam? vt ostenderet non ex damno fuisse, sed ex numero plus doloris. Namque amissio vnius totum dissipauerat centenarium numerum, & totum de dextera redegerat ad sinistram, vt dispendio vnius, & sinistra clauderet*

deret omnes, & dextra nihil haberet. Opportunè aptaueris.

Matth. 8. 10. 12. At enimuerò his, quæ hucuſque pro centenarij numeri honore ſiue fructu attulimus, ea etiam, quæ de Centurione à Domino Iſraëliticæ plebi antehabito, à probatiſſimis auctoribus dicuntur, ab Hiſpano ſcriptore Hiſpaniarum Principi librum ſuum conſecrante, hîc non ſubiici, penè piaculum foret. Nimirum, illum ſicut etiam eum, qui Chriſtum animam agentem, Dei Filium eſſe cognouit; illuſtre illud eius diuinitati teſtimonium reddens: Matth. 27. 54. *Verè Filius Dei erat iſte,* Matth. 27. 54. necnon Cornelium, *Religioſum & timentem Deum cum omni domo ſua, facientem eleemoſynas multas plebi, & deprecantem Deum ſemper,* Actuum 10. 2. Quem primum ex gentibus baptiſmum ſuſcepiſſe, omnes PP. & auctores affirmãt. Hiſpanos ab Hiſpanis fuiſſe, vt ex optimæ fidei ſcriptore F. Dext. Flauio Dextro Hiſpanicarum rerum peritiſſimo omnino conſtat, ex F. (inquam) Dextro cùm in aliis tum maximè hac in re dexterè, & feliciter B propugnato à D. Thoma Tamaio de Vargas miræ D. Thom. de Vargas eruditionis, & limati iudicij viro, necnon à P. F. P. Biuar. Franciſco de Biuar Ciſtercienſi eiuſdem notæ auctore, qui huic veritati aſſerendæ egregiam operam nauarunt. Vt videris, quàm bene hæc fidei, & veræ fortitudinis culmina quæ modò in Hiſpania miraris, ſuis fundamentis hæreant. Hiſpanus quippe Centurio ob fidei præſtantiam à Domino ceteria imitandus proponitur, vt dicebat Chryſoſt. Hiſpanus Centurio primus crucifixum Chriſtum, publicè Dei Filium profitetur, Hiſpanus Centurio primus apud Petrum Chriſto in baptiſmo nomen dat; vt egregiis fidei ab ipſis in poſteros exemplis tranſmiſſis Hiſpanus nunc miles *Dux factus ſit militia Chriſtiana. Verè Centurio, qui ſtipendia terrena cæli mutat in fructum, & fructu eſt ipſe centeſimo Chriſtianus: qui in humano bello fortis, fortior in diuina pacis cuſtodia permanet, qui Deo magis militat quàm ſæculo* Illa maximè quærens C præmia, quæ præcipuè Religionem illuſtrent, vt per Hiſpanas victorias ouante fide Catholicâ Numen vbique triumphum agat: & verò vt illum vides centeſimo fructu Chriſtianum: ſic illum ſuſpicis centeſimo prouentu fortunatum. Nec enim omnino abs re, neque infeliciter cecinit non nemo:

Protulit imperium terris Romana iuuentus
Aequauitq; polo: protulit Heſperia.
Oceano leges iuſſit, iuſſitq; Tyrannis
Romula gens, leges iuſſit & Heſperia.
Vna tonans latè bellorum incendia terris
Italia eiecit, iecit & Heſperia.
Vna feros docuit ſubmittere colla Dynaſtas
Imperiumq; poſt fecit & Heſperia.
Italia imperio virtutis fingere vultum
Fortuna norat, norat & Heſperia.
Eſſe ſimul nequiit robur commune duarum,
At nunc Heſperia eſt, quod fuit Italia.

PSALMI TITVLVS.

Ipſi Dauid.

Tertull. 1. EST etiam hic Pſalmus ex ipſo titulo illuſtris. Pulchrè ſiquidem Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, hæreticum illum reprehendebat, quòd Lucæ Euangelio, quod vnum ille recipiebat titulum non affigeret: ſic planè inquiens: *Marcion Euangelio ſcilicet ſuo nullum adſcribit auctorem. Quaſi non licuerit quidem illi, titulum quoque affingere, cui neſas non fuit, ipſum corpus euertere. Et poſſem hîc iam gradum figere, non agnoſcendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam conſtantiam præferat, nullam fi-* A *dem repromittat de plenitudine tituli, & profeſſione debita auctoris.* Erigit ergo frontem noſter Pſalmus, & quidem regiam, plenam repromittens fidem de tituli plenitudine, & profeſſione auctoris: dum & apponit *Ipſi Dauid.*

Caſſiodor. 2. Et quidem eam vim faciunt Caſſiodor. & plures in eo pronomine *ipſi*, vt non tam Dauid Vatem, & Regem, quàm Chriſtum Dominum, qui Dauidis nomine à Prophetis compellatur Ierem. 30. 9. Ezech. 34. 24. & cap. 37. 24. & Oſee 3. 5. omnino deſignet, vt perinde fuerit dicere *ipſi Dauid*, ac ſi diceretur vero, & germano Dauid. Vnde ad Chriſtum totum Pſalmũ in ſenſu litterali referunt. Ier. 30. 9. Ezech. 34. 24. & cap. 37. 24. Oſee 3. 5. Sed enim quamuis ad Chriſtum foret hic Pſalmus primariò referendus, quod litteræ minùs congruere exiſtimamus, vt ſtatim in argumento dicemus; mirum ſanè fuerit, inde huic cogitationi argumentationem conficere, vnde contrarium colligere omnino deberent, cùm non alia ratione à Dauide pro- B nomen illud *ipſi* de induſtria additum videatur, niſi vt non de alio quàm de ſeipſo ſermonem facere, ſibique ipſi Pſalmum dirigere manifeſtè oſtenderet: ac ſi apertè dixerit, ille ego qui aliàs mea carmina variis perſonis, rebus, inſtitutis, ſiue propriè, ſiue figuratè, ſiue allegoricè, ſiue hiſtoricè aptaui, modò quidem mihi ipſi canere, monita, ac leges præſcribere, ſiue vitæ meæ rationem & modum, quo domum meam, & regnum gubernem, omnibus palam proponere ſtatuo.

3. Vnde ij longiùs à ſcopo iuiſſe videntur, qui Regi Ioſiæ hunc Pſalmum aptandum, quaſi in eum ex primaria Vatis intentione dirigatur, cenſuerunt: in quibus ſunt Theodoretus, Baſilius, Nicephorus, & Euthymius, & duo quidem priores ſic vno ore loquuntur: Theodor. Baſilius. Nicephor. Euthym. *Ioſias Rex omnes idolorum aras funditus euellit, horum verò ſacerdotes confixit, & in priſtinam pietatem populum deduxit, non autem de ſola dogmatum ſanitate ra-* C *tionem habuit, verùm etiam de officiis virtutis, rectè iudicans, honorans iuſtitiam, iniuria affectis opem ferens, & iniuriâ afficientes plectens, omnium vtilitatis curam gerens; cùm hæc à longè beatus Dauid perſpexerit, hunc conſcripſit Pſalmum, & illius virtutem percurrens, & omnibus hominibus veluti quemdam perfectionis characterem proponens*: ſic vterque. Quâ verò ratione, cui fundamento ſubnixi, hæc docuerit, adhuc ambigo, cùm ipſe titulus adeò in contrarium iuerit, vt tantùm non dixerit; non de Ioſia, aut de alio Rege, ſed de ipſomet Dauide ſermo eſt. Porrò quòd Ioſias optimi Regis munia expleuerit, quòd Dei religionem magno animi ardore coluerit; quòd in via immaculata indefeſſo curſu ambulauerit, atque ea omnia, quæ in Pſalmo continentur monita, & virtutis actiones fuerit operatus; ſatis quidem non fuerit, vt Pſalmus hic primariò ipſi dicatus cenſeatur: cùm eadem omnino ratione Regi Ezechiæ aut Ioſaphat, aut alii ex iuſtis ac probis principibus poſſet aptari.

D 4. Bene quidem verum eſt, illud in laudibus Regis Ioſiæ fuiſſe à Deo notantiſſimè poſitum, quòd in viis Dauidis ambulauerit, nec ab illius veſtigiis vmquam deflexerit: ſic enim 4. Reg. 22. 2. *Fecitq; quod placitum erat coram Domino, & ambulauit per omnes vias Dauid patris ſui: non declinauit ad dexteram, neque ad ſiniſtram*: quæ totidem verbis habentur 2. Paralip. 34. 2. 4. Reg. 22. 2. 2. Paralip. 34. 2. Vnde ſi aliquatenus Ioſiæ hic Pſalmus attribuendus eſſet, ſic ea cogitatio inſtituenda foret, vt Dauid hac vitæ ſuæ ratione, quam ſeruare affirmat, aut pollicetur, ſeſe Ioſiæ in exemplum vndequaque imitandum atque exprimendum proponat, quippe ſcitè dixit Philo lib. de Abraham: *Eaſdem vitas Patrũ, & leges poſterorum*: & de Paulino à priſciis illis Deciis ſanguinem trahente Athalaticus Rex apud Caſſiodorum

Caſſiodor. dorum lib.9.epiſt.22.*Semen generis, morum fructibus reddidiſti*. Sed id longè petitum videtur.

ARGVMENTVM.

1. DAVID conſtituto iam regno, tam optimam vitæ ſuæ inſtitutionem, quàm rectam gubernandi rationem Deo proponit, ſingillatim canens, quâ ratione Dei ope adiutus regium munus obeat; quomodò familiam ſuam inſtituat, adminiſtros adleget; bonis præmia, malis ſupplicia inferat, vt diligentiſſimè perpendens momenta officiorũ omnium Ethicum, Oeconomicum, & Politicum informet, & ſuo exemplo Principes omnes quid in moderandis, ac regendis ſubditis præſtare debeant, accuratè moneat, bonumque Principem ſuis coloribus depingat.

2. Sic de Pſalmi huius argumento cenſent Hebræi DD. & ab illis Nicolaus de Lyra, Caietanus, Incognitus, Agellius, Genebrardus, & alij recentiores: & quidem Lyræ verba non modò argumentum, ſed Pſalmi etiam tempus indicant, ait enim: *Dauid videtur feciſſe hunc Pſalmum, quando cognouit ſe ſtabilitum in regno Iſraël à Deo ſecundùm quod habetur* 2. Reg.5.3, & cognouit Dauid, quoniam confirmaſſet eum Deus Regem ſuper Iſraël: *Et ideò tunc firmiter propoſuit bene vti regia poteſtate ad ſui meritum, & aliorum exemplum.* Illud verò huic cognitioni nonnihil obſtrepere videtur, quòd ferè omnia Pſalmi verba, quę vel ad iuſtitiæ actiones ſectandas, vel ad peccata declinanda ſpectant, non in futuro ſint, tamquam ab eo dicantur, qui rectam viuendi, & gubernandi rationem inſtituere proponit; ſed in præterito aut præſenti, quaſi eum virtutis tenorem, modumque iam de more exercitum indicent: *Vt perambulabam, non proponebam, odiui, non adhæſit, non cognoſcebam, perſequebar, &c.* Sed facilè ex Hebræa lectione occurret Lyra, quæ hæc omnia verba ſignatè in futuro habet. Et verò, quod aliàs monui, Hebræis familiare eſt præſentibus pro futuris, & futuris pro pręſentibus vti, & nullo negotio, hæc pro illis immutare.

Lyra. Caietan. Incognit. Agell. Genebrar. 2.Reg.5.3.

3. Hæc expeditiſſima ſunt, quæque Pſalmum omnibus inter ſe concinnentibus partibus faciunt, quin aliquid in eo difficile explicatu, aut contortum maneat. Attamen ſi neceſſariâ pietate non aliter acquieſcas, quàm cum Caſſiodoro, & aliis ad Chriſtum omnino retuleris, ſic hæc cogitatio inſtituenda, ſiue tua condienda pietas fuerit, vt Dauid, qui egregiam hanc vitæ, & gubernandi rationem à Dei ſapientia didiciſſe profitetur, eamdẽ ipſi Chriſto Domino multò quidem meliùs, atque accuratiùs exprimendam proponat: cui cogitationi mirè aſſonat Ieremiæ vaticinium cap.23.5.& cap.33.15. *Ecce dies veniunt, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra.* Vbi duo certo certiora ſunt: alterum de Chriſto, hæc ad litteram fore capienda: alterum vocem *Dauid*, eſſe in datiuo, vt ſenſus fuerit: etſi hactenus improbi Reges, & Dauidis moribus degeneres extiterint: opportuno tamen tempore germen excitabo, quod Dauidicæ ſtirpi omnino reſpondeat, & iudicium ac iuſtitiam in terris egregiè exerceat: ſanè vt dum his verbis Chriſtus Dominus, Dauidi germen iuſtè, & omnino reſpondens, hoc eſt, eius exempla ac veſtigia in miſericordia, & iuſtitia reddenda premens inducitur: non omnino abs re ipſum ſibi canentem faciat: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*: hoc eſt; Miſericordiæ ac iuſtitiæ normam, quam à te omnium bonorum fonte accepi; tibi ipſi ſequendam propono: vt germen radici, & radix germini reſpondeat. Nimirum Dominus apud Ioannem Apocal.22.16. notanter dixit: *Ego ſum radix, & genus Dauid*, in *radice* eius creatorem; in *genere*, ipſius filium ſe compellans, vti ad hunc modum Ambroſius, & alij exponunt: *Chriſtus igitur & radix, & filius eſt Dauid. Radix eſt Dauid, quia ab ipſo Dauid eſt creatus, ſicut & ceteri homines; filius eſt Dauid, quia ex eius progenie proceſſit ſecundùm carnem.*

Ierem. 23. 5. Apoc.22. 16. Ambroſ.

VERSVS PRIMVS.

Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.

COMMENTARIVS.

1. PVLCHERRIMVM omnino carmen, quod à MISERICORDIA auſpicatur; quid enim miſeris mortalibus ſuauiùs ac modulatiùs ſonet? Quid gratiùs ac iucundiùs audiatur, quàm miſericordia? Pulchrè Seneca lib.1. de Clementia cap.1. *Cetera bona pro portione fortunæ ſua quiſque ſentit, aut expectat, maiora minoraq́; : ex clementia omnes idem ſperant. Nec eſt quiſquam, cui tam valdè innocentia ſua placeat, vt non ſtare in conſpectu clementiam paratam humanis erroribus gaudeat.* Et ſtatim: *Sicut medicinæ apud ægros vſus, etiam apud ſanos honor eſt, ita clementiam, quamuis pœnâ digni inuocent, etiam innocentes colunt.* Sed nec aliud in Deo ſplendidiùs emicat; cùm *Miſericordia eius ſuper omnia opera eius*, Pſalm.144.v.9. Certè Moyſi enixè à Deo efflagitanti vt faciem ei ſuam oſtenderet: ſic ipſe annuit, vt *omne bonum* illi oſtenſurum promitteret, Exodi 33. 19. nec aliter fidem ſuam liberauit, quàm innatam ſibi miſericordiam atque clementiam ipſi quaſi de facie agnoſcendam: ſiue potiùs quàm ſeipſum ex clementia & miſericordia præſentem daret: etenim ad eius conſpectum ſic Moyſes exclamauit: *Dominator Domine Deus, miſericors & clemens, patiens, ac multæ miſerationis*, Exodi 34.6. Ad quæ verba opportunè Oleaſter hæc inquit: *Petierat Moyſes eius videre gloriam, ipſe verò pollicetur, omne bonum ſuum illi oſtenſurum. Vbi ſimul cogita, quæ ſunt omnia bona Dei, nempe eſſe miſericordem, clementem, tardum ad iram, & multum miſericordiâ, & veritate, vt noſtri miſereri ſit omne bonum eius. Non dicit bona ſua, eſſe ſapientem, potentem, & id genus alia, ſed miſericordem, &c.* Elicit quidem id Gregorius Nazianzenus ex his verbis, obſeruans; miſericordiam iudicio ſignatè præponi, ac proinde chariorem Deo eſſe: ſic namque ille oratione 16. *Quandoquidem nec aliud quidquam eſt, quod Deo magis conueniat, vtpote, quem miſericordia & veritas præcedant, & cui miſericordia ante iudicium offerenda ſit.*

Seneca. Pſ.144.9. Exod.33. 19. Exod.34. 6. Oleaſter. Nazianz.

2. Sed quiſnam huius verſus ſenſus? Quis vatis in eo ſcopus fuerit? Plures quidem è Patribus de Dei miſericordia & iudicio, quæ Dauid celebrare polliceatur, accipiunt: ita Chryſoſtomus, Auguſtinus, Proſper, Caſſiodorus, & Euthymius hîc: Gregorius hom.22.in Ezech. Ambroſius lib.de Iſaac, & vita beata, Zeno Veronenſ. M. ſerm. de hoc Pſalm, tom.2. Biblioth. Veter. Patrum, Fauſtus Rhegienſis lib.2.de gratia & libero arbitrio cap.4. Fulgentius lib.1. ad Monimum cap.7. Bernardus ſerm.6. in

Chryſoſt. Auguſt. Proſper. Caſſiodor. Euthym. Greg.M. Ambroſ. Zeno M. Fauſt. Fulgent. Bernard.

Hieron. in Caot. & serm. de Annuntlat. Hieron. in c. 2. Osee,
Glossa. & in eam explicandi rationem tam eruditũ, quàm
Incognit. rude interpretum vulgus cursu vadit; vtraque Glos-
Genebrar. sa, Incognitus, Genebrardus, Lorinus, Agellius, &
Lorin. alij. Quamuis non eodem modo omnes capiant:
Agell. aliis generalit. r ad Dei misericordiam & iudicium,
cùm siue in hac, siue in futura vita præmia, ac sup-
plicia hominibus infert; aliis peculiariter ad Da-
uidem misericorditer à Deo in Regem promotum;
& Saulem iusto iudicio è solio deiectum (quod aliis
etiam typus Ecclesiæ à Dei misericordia electæ, &
Synagogæ ab eius iustitia reprobatæ esse videtur)
referentibus. Et vero huic sensui plures Vatis &
Scripturæ locutiones omnino adsimiles concinunt,
quibus Dei misericordia, & iudicium celebratur, vt
Psal. 32. 5. Psalm. 32. 5. *Diligit misericordiam & iudicium.* Et Psal.
Ps. 102. 6. 102. 6. *Faciens misericordias Dominus, & iudicium iniu-*
Psal. 88. 5. *riam patientibus.* Psal. 88. 5. *Misericordia & veritas præce-*
dent faciem tuam,.

3. Est quidem ea expositio apta, probabilis, & ob
Basilius. tam egregium PP. agmen in eam conspirantium
Theodoret. veneratione digna: sed enim si ad acuta veniamus,
Euthym. aptior fuerit & opportunior quam Basilius, Theo-
Bruno. doretus, Euthymius (in priori non omnino qoie-
Bellarm. scens) Bruno, Cardin. Bellarm. & Genebrardus his
Genebrar. verbis reddunt; vt Dauid siue de sua, siue (quod
huic expositioni io idem recidit) de Iosiæ miseri-
cordia & iudicio loquatur; ac si dixerit, vt ex aliis
inquit Genebardus: *Tibi cantabo meam misericordiam,*
quâ sum paratus ad subditos iuuandos: iudicium meum, quo
omnia rectè & iustè in meo regno administro, vt tibi gratias
agam, qui mihi has virtutes, & cetera bona es largitus. Quæ
Basilius & Theodoretus sub persona Iosiæ, de qua
ipsi vatem in hoc Psalmo continenti filo loquentem
faciunt, sic expressêre: *Quoniam enim & iniuriâ affectos*
miserabatur, & iniuria afficientes admirabilis Iosias conde-
mnabat, illorum narrationē, laudem misericordia, & iudicij
nuncupauit. Ad quem modum Euthymius; cùm sub
vatis persona dixisset: *In cantum,* inquit, *tibi offeram*
misericordiam & iudicium tuum: canens nimirum quemad-
modùm in præsenti vita misereris, & iudicas in futura. Vel
canens quòd misericordia tua iudicio non caret, nec iudicium
tuum misericordia: subiicit opportunè: *Imitabor præterea*
ea quæ cantu meo laudauero; aliorum scilicet miserendo, &
rectè alios iudicando. Hæc ille. Quibus sic subscribit
Bellarm. Cardin. Bellarmin. in elucidatione huius Psalmi,
quam vitæ Dauidis intexuit in libello de officio
Principis: *Ad laudem tuam Deus, & ad instructionem*
Principum, quos tu elegeris, cantabo misericordiam & iusti-
tiam, ad quas reuocari possunt omnes virtutes, quæ sunt Prin-
cipibus omnibus ad bene regendos populos necessariæ.

4. Sunt ergo Dauidis instituto hæc aptiora, & quæ
verbis & contextui meliùs hæreant; etenim qui Dei
misericordiam & iudicium sæpiùs pro re oata cele-
brauit; modò de eo, quod ipse ex Dei imitatione, &
miserendo, & rectè iudicando præstiturus esset,
tantùm agit; aliàs cùm omnia egregij Principis
munia atque virtutes exsequi proponat, misericor-
diæ & beneficentiæ erga subditos videretur obli-
tus. Adhæc: si rectè æstimas; aliud est Dei miseri-
cordiam canere: & quidem cùm vates de Dei mi-
sericordia agere instituit, disertissimè dixit: *Miseri-*
Psal. 88. 1. *cordias Domini in æternum cantabo,* Psal. 88. 1. vnde cùm
Deo misericordiam cantaturum, inquit: idem om-
nino fuerit; atque se ex Dei imitatione, in Dei obse-
quium, vt Deo gratum faciat, miseris misericor-
diam exhibiturum, & opem subditis omni modo
laturum promittere: sic quidem totus Psalmus opti-
mè hæret, atque subsistit: & cùm omnia optimi
Principis officia io hoc versu, & Psalmi capite se-
mel proposuerit, ea io sequentibus singillatim enu-
cleatissimè exponit, atque diffundit. Iam verò vt
nonnullæ Scripturæ locutiones priori expositioni
assonant: ita etiam aliæ pro hac sunt; vt Prou. 20. *Prou. 20.*
28. *Misericordia & veritas custodiunt Regem.* & eodem *28. & v. 3.*
capite vers. 3 *Facere misericordiam & iudicium magis pla-* *& c. 21. 21.*
cet Domino, quàm victimæ. & cap. 21. v. 21. *Qui sequitur*
iustitiam & misericordiam inueniet vitam.

Misericordiam.

Misericordia virtus aduersus Stoicos adstruitur. LACT. I.

AGellius, qui hunc versum ad Dauidem, & de 1.
manu Saulis ereptum, & regni honore à Deo
affectum refert; sic misericordiam à iudicio distin-
guit, vt misericordia ad beneficia collata: iudicium
verò ad ius, quod ipsi ex iudicis munere Deus red-
didit, pertineat. Itaque iudicium idem esse ait, quòd
officium ac munus, quod pro persona, quam susti-
net, quispiam efficere debet: misericordiam verò iu-
dicium & munus superare, vt latinè dici possit of-
ficium & gratia. Vnde concludit: *Ex suo officio fecit*
Deus, cùm illum de manu Saul innocentem eripuit; supra ius,
cùm illum Regem fecit; ius reddidit, cùm iusti viri insectato-
res pœnis coërcuit: misericordiam & gratiam præstitit, cùm
innocentem non modò absoluit, & eripuit, sed etiam summis
honoribus cumulauit. Hæc Agellius non omnino in- *Agellius.*
commodè pro sua explicandi ratione; quâ hæc de
Dei misericordia accipit: at vereor, eum hac mise-
ricordiæ acceptione, suum illi ius non reddidisse;
quippe hæc maiorem omnino vim habet; & plus-
quàm gratia & officium, misericordia significat.
Certè illam nostro instituto accommodatissimè dif-
finite visus est Gregorius Nyssenus lib. de beatitu- *Nyssen.*
dinibus aiens: *Misericordiam esse erga afflictos cum dile-*
ctione coniunctam affectionem, Vt sicut inhumanitas aut
durities ab odio, ita misericordia à charitate origi-
nem habeat. Quò omnino spectat pulchra Pauli lo-
cutio quâ misericordiam cum visceribus sic con-
iunxit ad Coloss. 3. 12. *Induite vos ergo sicut electi Dei;* *Coloss. 3. 12.*
sancti, & dilecti viscera misericordiæ: innuens Apostolus
misericordiam à visceribus; à tenero videlicet affe-
ctu, siue ab humanitatis sensu ad opem afflictis fe-
rendam excitato oriri. Etenim, ni reapse subueniat
cùm possit; misericordia non fuerit: bene siquidem
dixit S. Valerian. Episcop. Hom. 7. *Crudelis est profectò* *Valerian.*
pietas, quæ scit condolere miseris, & nescit subuenire perituris.
Vnde quidem Christianum sic planè diffiniebat Au- *August.*
gust. in Enchirid. cap. 5. *Ille verò Christianus est, qui om-*
nibus misericordiam facit, qui nullâ omnino mouetur iniu-
riâ, qui alienum dolorem tamquàm proprium sentit; cuius
mensam nullus pauper ignorat; qui opprimi pauperem se præ-
sente, non patitur; qui miseris subuenit, qui ad fletum fletibus
prouocatur alienis. Hæc August.

Reiiciendus ergo Stoicorum sensus, simol ac lo- 2.
quendi modus; misericordiam, & re ipsa & ex no-
mine auersantium. Ad sonum quippe vocis potiùs
quàm ad sensum rei sese ipsi exercentes misericor-
diam non in laude, sed in vitio & leuitate tamquàm
ægri & miseri, siue pusilli, & deiecti cordis pro-
priam ponebant: sic enim Seneca Stoicus quidem *Seneca.*
ipse, & eius disciplinæ seuerus custos, rigidusque sa-
telles lib. 2. de Clementia cap 4. & 5. *Ad rem pertinet,*
quærere hoc loco, quid sit misericordia? Plerique enim vt vir-
tutem eam laudant, & bonum hominem vocant misericor-
dem; hæc autem vitium animi est. & paulò pòst: *Ergo*
quemadmodum religio Deos colit, superstitio violat, ita cle-
mentiam mansuetudinemq; omnes boni præstabunt, miseri-
cordiam autem vitabunt. Est enim vitium pusilli animi ad
speciem alienorum malorum succidentis. Itaque pessimo cuique
fami-

familiarissima est. Anus & muliercula sunt, quæ lachrymis nocentissimorum mouentur, quæ si liceret, carcerem effringerent. Sic ipse modò, sese postmodùm plus explicaturus, & accuratiorem doctrinæ suæ rationem ira redditurus, vt verbi potiùs, quàm rei hæc pugna esse videatur; & Senecæ quidem è nostris etiam accessit *Nemes.* Nemesius Stoicæ disciplinæ sæpius addictus lib. de Anima cap. 19. inter animi ægritudines sic misericordiam recensentis: *Aegritudinis species sunt quatuor: stupor, molestia, inuidia, misericordia. Inuidia ægritudo, quæ ob alterius res secundas suscipitur; misericordia, quæ ob res aduersas.* Ita Nemesius.

3. *Clem. Alexand.; Osee 6. 6.* Iam huic siue sentiendi, siue loquendi modo quotquot pleno pectore sapiunt, vehementer repugnāt: & Clemens quidem Alexandrinus lib. 4 Stromatum sic loquitur: *Misericordia non est, vt quidam Philosophi censuerunt, ægritudo ex alienis malis, sed magis diuinum quiddam, sicut Prophetæ loquuntur. Misericordiam enim, inquit, volo, non sacrificium.* Sic ille: obserua quanto interuallo ab Stoicis Clemens distet; dum quòd ipsi ægritudinem censent: *diuinum quiddam* ipse appellat; & rectè quidē, cùm & nihil diuiniùs, siue quod diuinam imaginem suis adeò coloribus depictam exprimat, quàm misericordia fuerit, vt lect. 3. videbimus & hæc, ille omnino humanitatis sensu sit; quo vt homines simus, & inter homines censeamur, necessariò constamus; quem pulchrè exprimebat ille in theatro à doctis & indoctis mirè celebratus *August.* apud Augustinum epistola 52. tom. 2. cùm ei, qui obiiciat:

Tantúmne ab re tua est otij tibi.
Aliena vt cures, ea quæ nihil ad te attinent.

Sic obuiam ibat:

Homo sum, humanum nihil à me alienum puto.

Seneca. Cuisensui ipsemet rigidus Seneca sic subscribit epistol. 95. vt eum versum & in pectore, & in ore semper *August.* esse velit. Vnde quidem iure censuit Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ cap. 27. Stoicos à misericordia, tamquam ab ægritudine, falsò discedentes; in verum stuporis morbum omnino incidisse, ait enim: *Stoici verò cùm misericordiam quasi vitium deuitant, quia officio satis moueri nequeunt, si nec perturbatione commonentur, congelascunt potiùs rigore inhumanitatis quàm rationis tranquillitate serenantur.* Nec aliò quidem ire dixeris *Rom. 1. 31.* eam Pauli increpationem Philosophos perstringentis ad Rom. 1. 31. *Insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia*: vbi si premas vocem *Græca lectio.* Græcam pro qua noster posuit *incompositos*, omnino legeris *agrestis, stupidos, inurbanos, rusticos*: vt omnino videris, hominem immisericordem, quem humanæ calamitatis miseratio non tangit, à sanorum hominum numero abire; & agrestem ac stupidum omni-*Seneca.* no esse. Porrò hac de causa Stoicorum sectam malè audire, & nimis duram hominibus visam fuisse, sic ipsemet Seneca fatetur præfato loco: *Scio malè audire sectam Stoicorum tamquam nimis duram.* Et quidem meritò, cùm ab humanitatis sensu ipsa abhorreat: quip-*Iuuenal.* pe Gentili Satyrographo monitore Satyra 15.

——— *Mollissima corda*
Humano generi dare se natura fatetur
Quæ lachrymas dedit, hoc nostri pars intima sensus
Plorare ergo iubet causam lugentis amici
Squaloremq́; rei, pupillum ad iura vocantem
Circumscriptorem cuius manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, cùm funus adultæ
Virginis occurrit, vel terrâ clauditur infans
Et minor igne rogi.

Reddit rationem, quam vrgemus

——— *Quis enim bonus aut face dignus*
Arcana qualem Cereris vult esse Sacerdos
Vlla aliena credat mala?

4. Sed nec illud vllo modo ferendum, quòd misericordium pusilli animi vitium ad speciem alienorum malorum succidentis esse velint Stoici. Qui enim pusillus is animus fuerit, qui non modò Dei vestigia premat; sed ad eius similitudinem pertingere contendat? Audi ea de re Salomonem Prou. 20. *Prou. 20. 6.* 6. *Multi homines misericordes vocantur.* Sed obserua LXX. *LXX.* & Ambros. serm. 10. in Psalm. 118. sic hæc legère: *Ambros.* *Magnus homo, & pretiosus vir misericors.* Similiter *Chrysost.* Chrysost. Hom. 4. in epistol. ad Philipp. nonnihil emphasis addentem reponere: *Magnum quiddam, & præclarum homo misericors.* Vt ea, quam Stoici paruitatem animi dicunt; vera magnitudo atque excelsitas sit, cùm ex ea verus homo, & verè humanus, ac proinde Deo adsimilis, & quodammodò Deus sit; ita omnino citati PP. Quorum prior Ambrosius: *Et verè* (inquit) *magnus est, qui diuini operis interpres est, & imitator Dei.* Pergit Chrysostomus: *Hoc enim est hominem esse, vel potiùs hoc est, Deum esse.* Planè quod à misericordia, homini humanitas siue humanum esse omnino adueniat, hoc est, hominem, non feram esse; atque hinc diuinæ bonitatis participem, & Deo similem, ipsiusque diuinitatem quodammodò exprimentem euadere, quo nihil excelsiùs, & maius dici, excogitarique valet.

5. Iam verò iis omnibus occurrit Seneca sic pro Stoicis fideiubens, vt non minùs humanos, & beneficos in alios, quàm ceteros homines faciat, imò verò potissimùm benignitate & charitate inter omnes eminere, sic affirmet præfato loco: *Hæc si per se ponantur, inuisa sunt; videntur enim nullam spem relinquere humanis erroribus, sed omnia delicta ad pœnam deducere. Quod si est; quid hac sectâ durius, quæ dediscere humani-*Seneca* *tatem iubet, portumq́; aduersum fortunam certissimum mutuo auxilio claudit? Sed nulla secta benignior, leniorq́; est; nulla amantior hominum, & communibus bonis attentior, vt propositum sit, vsui esse, aut auxilio, nec sibi tantùm, sed vniuersis singulisq́; consulere.* Vnde post pauca, omnia pietatis officia, siue quæ nos misericordiæ opera vocamus, à sapiente Stoico misericordiam abnegante præstanda esse, sic singillatim affirmat: *Succurret alienis lachrymis, non accedet: dabit manum naufrago; exsuli hospitium: egenis stipem, non hac contumeliosam, quâ pars maior horum qui se misericordes videri volunt, abiicit, & fastidit quos adiuuat: contingiq́; ab illis timet; sed vt homo homini ex communi dabit. Donabit lachrymis maternis filium, & catenas solui iubebit, & ludo eximet, & cadauer etiam noxium sepeliet.* Quod si his auditis dixeris: iam sumus ergo pares; nec latum vnguem Stoici à Christianis in misericordiæ sensu iuerint. Repugnat statim Seneca, negans suum sapientem misereri, etiam si omnia faciat, quæ qui miserentur, faciunt, atque hoc quidem (vt astruat prædictam superiùs rationem quòd misericordia, ægritudo, & paruitas animi sit) sic vrget: *Misericordia est ægritudo animi ob alienarum miseriarum speciem, aut tristitia ex alienis malis concepta, quæ accidere immerentibus credit. Aegritudo autem in sapientem virum non cadit; serena eius mens est; nec quidquam incidere potest, quod illam obducat. Nihil æquè hominem quàm magnus animus decet, non potest autem magnus esse idem, si metus & mœror confundit, si mentem obducit, & contrahit.* Vnde post pauca sic concludit: *Ergo non miseretur, quia & sine miseria animi non fit, ceterùm omnia, quæ qui miserentur, dolentes facerent, hic libens & alacri animo faciet. At faciet ista tranquilla mente, vultu suo. Ergo non miserebitur sapiens, sed succurret, sed proderit, in commune auxilium natus, ac publicum bonum, ex quo dabit cuique partem etiam ad calamitosos, proportione improbandos & emendandos bonitatem suam permittet. Afflictis verò & fortunis laborantibus multò libentiùs subueniet. Quoties poterit fortunæ* inter-

Digitized by Google

intercedet : vbi enim opibus potiùs vtetur, aut viribus, quàm ad restituenda, quæ casus impulit? Vultum quidem non deiiciet, nec animum ad æruscantis ciuis, aut pannosi aridam faciem, & obnixam baculo senectutem, ceterùm omnibus dignis proderit, & Deorum more calamitosos propitiùs respiciet. Firmat hæc statim & densat non omnino importunis imaginibus, quas etiam libet appingere, quòd peculiari etiam examine discutiendæ sint. Ait ergo: *Misericordia vicina est miseriæ: habet enim aliquid, trahitq; ex ea. Imbecilles oculos esse sciat, qui ad alienam lippitudinem, & ipsi suffunduntur: tam mehercule, quàm morbum esse, non hilaritatem, semper arridere ridentibus, & ad omnium oscitationem ipsum quoque os diducere. Misericordia vitium est animorum nimis miseriæ fauentium, quam si quis à sapiente exigit, prope est, vt lamentationem exigat, & in alienis funeribus gemitus.* Hactenus ex Seneca.

6. Hæc adeò speciosè arguteque dicuntur; vt alicui forsan non tam de re, quàm de nomine quæstio & lis esse videatur; imò verò hæc omnia non B longissimè abire velit à diuino præcepto Principibus, atque iudicibus dato Exodi 23.3. (*Exod. 23.3.*) *Pauperis quoque non misereberis in iudicio:* siue vt in Hebræo est; (*Lect. Hebr.*) *non decorabis, aut, non ornabis pauperem in lite sua:* id est, vt expendit inibi Oleaster, (*Oleaster.*) dicēs: *Pauper est, & miserabilis, & cui ob miseriam succurrendum est.* Verùm enimverò non tantùm circa voces & nomina, sed in ipsas etiam virtutes peccare, & nugari, tam Augustino, quàm aliis Patribus videntur Stoici. Et primùm quidem siue de voce, siue de re pugna fuerit; opportunè dixit Sextus Pythagoreus (*Sextus.*) sententia 328. *Sententiam, quæ misericordiam vetat, non solùm tenere, sed vel audire refuge.* Cui enim bono fuerit pulcherrimum & gratissimum misericordiæ vocabulum de medio tollere; & misericordiam ipsam in dubium reuocare? Sapienter hinc Augustinus (*August.*) lib. 9. de Ciuitate Dei c. 5. *Misericordiam, Stoicorum est solemne culpare. Longè meliùs, & humaniùs, & piorum sensibus accommodatiùs Cicero in Cæsaris laude locutus est; vbi ait: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordiâ est.* C Vbi Augustinus non solùm pro misericordiæ affectu, sed pro ipso etiam nomine ex Ciceronis (*Cicero.*) sententia causam dicit; simul sugillans Stoicos, quòd id vocabulum auersarentur.

7. Sed enim in ipso misericordiæ sensu, siue in re misericordiæ sic eos Philosophos errasse, vt eius vim atque virtutem minimè videantur assecuti; non minùs dilucidè apparebit, & duplici quidem ex capite: nam primùm ex August. misericordia non necessariò innititur ei animi miseriæ, siue ægritudini, quâ quis de aliorum malis animo priùs commouetur, ac perturbatur, vt opem subinde illi ferat: esto enim ille non commoueatur; si tamen manum porrigat, & opem ferat: misericors quidem est, & misericordiam habet. Audi illum (*August.*) præfato libro de Moribus Ecclesiæ cap. 27. D *Quis ignoret ex eo appellatam esse misericordiam, quòd miserum cor faciat condolentis alieno malo? & quis non concedat ab omni miseria liberum esse debere sapientem, cùm subuenit inopi, cùm esurienti cibum præstat, potumq; sitienti; cùm vestit nudum, cùm peregrinum tecto recipit; cùm oppressum liberat, cùm denique humanitatem suam vsque ad sepulturam porrigit mortuorum? etiamsi id faciat mente tranquilla nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus officio bonitatis; misericors tamen vocandus est.* Sic August. & quidem verissimè. Quis enim ita misericors (*Psal. 114.5.*) vt Deus noster, de quo vates: *Misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur,* Psalm. 114.5. & tamen nullis tristitiæ, aut doloris aculeis punctus opem indigentibus præbet, & fessis rebus subuenit. Quare optimè inibi concludit Augustinus: (*August.*) *Itaque multò prudentiùs Deus etiam misericors dicitur, qui quemadmodùm dicatur, restat intelligere iis, qui sese idoneos religio-*

A *ne, studioq; præstiterint, ne cùm verbis doctorum ineptè vtimur, indoctorum animas priùs durescere, vitando misericordiam, quàm benignitatem appetendo mitescere faciamus.* Hæc August.

8. Verùm illud in Stoicorum sententia maiori castigationi, siue etiā odio obnoxium videtur, quòd indita nobis à natura misericordiæ viscera, & humanitatis sensum, tenerum scilicet illum mollemque affectum, quo de alienis malis sic condolemus, commiseramur, atque contristamur, vt non aliena, sed propria nobis existimemus, eruere, & extrahere velint. Qui enim hæc ab hominibus tollit, humanitatem, quæ in sensu alienæ calamitatis censetur, omnino tollit: & hominem non modò immitem, & feris adsimilem, sed feris feriorem facit: quippe hæ similium ferarum cæde & sanguine commouentur; & quæ possunt doloris, & sensus signa edunt; sic pulchrè hæc expendente Sancto Asterio Amaseæ (*S. Asterius*) Episcopo Hom. de diuite & Lazaro: *Is quem alterius inopia, atque ægritudo commiseratione non tangit, fera sanè est rationis expers, perperam humanam indutus formam, ipsamq; naturam praua voluntate fallens, ac denique feris ipsis, ac belluis immanior: siquidem sues iugulatâ sue sensu quodam doloris afficiuntur, & circa fusum recens sanguinem triste murmur edunt. Circumstant tauri cædem boues, miserabili dolorem mugitu designantes. Quin gruunt quoque greges, cùm vna fortè gregalium in casses incidit, captam circumuolitant, & lamentabili quodam aërem clangore complent, comitem suam, & gregalem requirentes. Et hominem ratione præditum animal, mansuetum, & ad Dei similitudinem, virtutis ac bonitatis capax, proximorum acerbi casus, grauesq; calamitates tam parùm afficient, ac mouebunt?* Hæc ille: vbi, si attendis de humanitatis sensu, & molli affectu, quo hominis viscera tanguntur, & commouentur, vt de proximi malis condoleat, simulque cum eo patiatur potissimùm agit Asterius: eò enim & omnes, quas appinxit imagines omnino eunt; & ea verba, quibus de industria vtitur, *commiseratione non tangit, tam parum afficient,* manifestè indicant.

Quò quidem signatè faciunt eæ Pauli locutiones fideles ad misericordiam vrgentis: *induimini viscera misericordiæ,* Coloss. 3.12. (*Coloss. 3.12*) & ad Rom. 12.15. *flete cum flentibus.* (*Rom. 12.15*) In priori enim, non modò ipsammet miseriæ subleuationem, sed eam internam condolentiam & commiserationem, quâ viscera nostra tanguntur; signatè præscribit: Cùm verò nos *flere cum fletibus* vult, omnino humanitatis admonet; eiusque sympathiæ ob quam aliorum mala æquè nos ac illos feriunt, & lachrymas à natura nobis ad hunc tenerum affectum exprimendum datas excutiunt, sicuti adductus Iuuenalis scitè & verè dicebat: (*Iuuenal.*)

——— Mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur,
Quæ lachrymas dedit: hæc nostri pars intima sensus.

Vnde cùm Seneca de suo sapiente dixit: (*Seneca.*) *Succurret alienis lachrymis, non accedet. Donabit lachrymis maternis filium, at faciet ista tranquilla mente, vultu suo,* & statim *imbecilles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem & ipsi suffunduntur:* nec non: *misericordiam qui à sapiente exigit, propè est vt lamentationem exigat, & in alienis funeribus gemitus.* Lippientibus quidem oculis humanam naturam considerasse videtur. Certè Dei sapientia, Deique fortitudo sic alienis lachrymis, (si tamen alienæ, quæ suorum erant) succurrere solebat, vt illis accederet; & suas iungeret, sic donabat lachrymis maternis filium, vt misericordiâ ad id commoueretur. Et vt hinc incipiam, sic Lucas Dominum misericordiâ motum, (*Luca 7.12.*) viduæ filium è mortuis suscitatum matri donantem facit cap. 7. *Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ, & hæc vidua erat. Quam cùm vi-*

disset

disset Dominus, misericordiâ motus super eam dixit, noli flere; & ait: Adolescens tibi dico, Surge, & resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illū matri suæ: vbi primùm Ambr. lib. 5. in Lucam: *Et hic locus* (inquit) *ad vtramque redundat gratiam, & vt citò flecti diuinam misericordiam matris viduæ lamentatione credamus, tum præcipuè, quæ vnici filij vel labore, vel morte frangatur.* Opportunè illud: *Citò flecti diuinam misericordiam*: ne scilicet Domini animus rigidus, siue Stoicus esset, qui nullo humanitatis sensu permotus; nec vllo compassionis signo dato donaret lachrymis maternis filium; sed potiùs, qui interioris animi commiseratione inflecteretur. Vnde sapienter Cardin. Tolet. ad ea verba *misericordiâ motus*; hæc habet: *Dicitur autem motus misericordiâ, quia in misericordia duo sunt, nempe & voluntas subueniendi calamitati alterius, quæ ad partem animæ superiorem spectat, & dolor, quo de ea afficimur, qui residet in parte sensitiua, quiq; nos inducit & impellit, vt subuenire velimus. Hunc Christus, sicut & reliquos affectus pro sua voluntate assumebat, &c. Dicitur igitur misericordiâ commotus, quia non solùm voluit subuenire, sed etiam dolorem ac compassionem in se excitauit de viduæ passione ac miseria.* Hæc Cardin. Tolet.

10. Sed enim Dominum sic lachrymis alienis succurrentem, vt illis accederet, hunc in modum scribit Ioannes cap. 11. 35. cùm eum ad suscitandum Lazarum accedentem describit: *Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & lachrymatus est Iesus*: vbi ferè premitur causalis siue illatiua vox *ergo* ab eodem Card. Toleto ad id loci hunc in modum: *Notanda est particula, ergo, indicans idcircò Dominum esse indignatum & commotum, quia vidit Mariam, & circumstantes etiam commotos, & lachrymantes.* Planè quasi non alia ratione, quàm compassionis & commiseratio- C nis, quòd adstantes plorantes vidisset; ipse etiam commoueretur, & ad naturæ leges compositus lachrymas effuderit, vt ostenderet se alienis lachrymis accedere, qui, homo cùm esset, humanum à se alienum nihil putabat: ita id etiam expendentibus Hilario, atque Bernardo. Sic enim ille l. b. 10. de Trinitate: *Vt assumpti hominis veritatem ipse quoque affectu humanæ consuetudinis susceptus protestaretur.* Ad quem modum Bernard. serm. 26. in Cantica: *Fuerunt lachrymæ illæ testes profectò naturæ*; quæ *Plorare ergo iubet casum lugentis amici.*

11. Sunt verò hîc duo aduersus Stoicos omnino adnotanda. Alterum hanc commiserationem, & *in alienis funeribus gemitus*; non modò naturæ, sed optimæ etiam rationi consentaneam esse. Etenim Dominus, cùm hos affectus exprimebat, & si nobiscum in eo conueniret, quòd non priùs commoueretur, quàm obiectum aliquod conciperet, quod eum ad tristitiæ ac doloris affectum excitandum vrgeret, at à nobis longissimè ibat; tū quòd eos affectus suopte D nutu assumebat: & obiectione etiam mœroris propositi liberos habebat, quod nobis minimè euenit, qui ipsis vel inuiti etiam subiicimur; tum vel maximè, quòd in ipso nec rationem illi anteibant, nec subuertebant, sed ei semper subdebantur, & ab ipsa vocati sequebantur, atque parebāt: nec aliquando tristabatur, aut flebat, quin priùs tristandum sibi, aut flendum ex ratione censeret. Vnde Isidorus Pelusiota in catena Græca ad hunc Ioannis locum Christum tunc lachrymantem optimæ Philosophiæ normam extitisse, sapienter affirmanit inquiens: *Christus, qui nobis, quasi norma quadam Philosophia extitit, super Lazaro lachrymatus est, &c. Qui itaque id videbant, dicebant, Ecce quomodo amabat eum*: sic ille. Mali ergo homines: mali quidem Philosophi, & à naturæ, & à rationis legibus aberrantes, qui viscera misericordiæ, & in alienis funeribus gemitus tollunt. Quò

Ambros.

Toletus.

Ioan. 11. 35

Toletus.

Hilarius.

Bernard.

Isid. Pelus.

pulchrè reuocauit Chrysologus tibias, siue symphoniam ad funus puellæ adhibitas apud Matthæum 9. 23. quasi ibi nullus humanitaris sensus; nullum veræ pietatis esset vestigium, vbi & conductæ lamentationes; & musica in luctu esset. Ita enim Matthæus: *Et cùm venisset Iesus in domum Principis, & vidisset tibicines*: siue vt legit Chrysologus *symphoniam*. Quæ sic ille expendit serm. 19. ad finem: *Nunquid tales piaculum de pietate non faciunt, qui ad luctum musicam, ad funera suorum extranea lamenta conducunt? vbi verus planctus non est; ibi est empta & mercenaria cantilena. Mortuum non artifex fistula, sed simplex plangit affectio.* Ita ille.

Matth. 9. 23.

Chrysolog.

12. Alterum: vt à natura & ratione; ita etiam à maxima, & penè diuina fortitudine ter cum hunc compassionis & commiserationis affectum, qui in B lachrymas etiam erumpit, minimè diffidere. Nam vt vides, tunc maximè Dominus hæc viscera misericordiæ gemitus, & lachrymas ostendit, cùm maius fortitudinis suæ specimen dedit; quatriduanum Lazarum mortis & inferni confractis viribus ab inferis excitans; vt ea verba, *& lachrymatus est Iesus*, Græcus Appollinaris ibi in catena Græca hunc in modum expendit: *Non enim recusat hominum similitudinem: & vbi signa homine maiora edit, per eum humaniter autem lugentibus condolet: & idcircò Dei Verbum in corpus hoc descendit, vt homines defunctos deploraret, & incorpoream diuinitatem ad homines viuificando permoueret. Habemus enim Pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris.* Sic ille: sed hæc satis iam fuerint, vt ab Stoicorum seueritate misericordiæ sensum extorserimus; ad vatis modò scopum regrediamur, vbi etiam aduersus illos de misericordia erga fontes nonnihil dicemus.

Appollin.

Misericordiam.

Propria Principis virtus; Misericordia. LECT. II.

1. Additurus statim *iudicium* vates opportunè præmisit *Misericordiam*, vt non aliundè quàm ab ipsa regni administratio inciperet; tuncque rectò ordine censura prodiret iudicij, cùm in Principe misericordiæ benignitas præcessisset. Ita id adnotantibus ad hæc verba Ambrosio, & Gregorio Nazianzeno; sic enim prior lib. de Noë & arca cap. 3. *Principale est enim virtutis inchoare à beneficiis, & præseminare gratiam.* vnde & Dauid ait: *Misericordiam & iudicium cantabo. Præcedit beneficij gratia, sequitur censura disciplinæ.* Ad quem modum Nazianz. orat. 16. inquiens: *Neque enim vllus omnino cultus Deo perinde gratus est, vt misericordia, quandoquidem nec aliud quidquam est, quod Deo magis conueniat, vtpote quem misericordia & veritas præcedunt: & cui misericordia ante iudicium offerenda fit.* Quæ verba ipsius Scholastes Nicetas sic euoluit: *Ait quippe ad eum Dauid.* Misericordia & veritas præcedent faciem tuam, Psalm. 88. & rursum: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*: Misericordiam videlicet iudicio præponens. Sanè quòd hæc sit prima Principis virtus, hæc, illum Regem constituat, hæc, quæ vt regium splendorem explicat, atque diffundit: ita huminum animos conciliet, & in sui admirationem rapiat. Et verò vt de iis singillatim in adnotationibus differendum fuerit, modò non differam egregia Polybij hac de re verba lib. 4. *Tantùm mansuetudo atque benignitas Principis potest, vt non solùm cùm sunt præsentes, verùm etiam maximo interuallo dissuncti quoque, quasi fomites amoris & beneuolentiæ erga se in pectoribus hominum relinquat.*

Ambros. Nazianz.

Nicetas.

Polybius.

2. Sanè vt carmen misericordiâ, simul ac in iudicio constans modulatissimum sit, & pulcherrimus ex vtraque virtute concentus resultet, vt ad

verbum *cantabo*, statim dicemus: at enim sua etiam, A ac peculiaris harmonia misericordiæ ac benignitati regiæ subest, vti Diogenes Pythagorieus apud *Stobæus.* Stobæum sermone *de regno*, sie opportunè & eleganter dicebat: *Non minùs quàm tibia, & concentu bonus Regis intuitus animos ad se conuertit. Eadem quippe ratio est rithmi ad motum, & harmonia ad vocem, & clementia ad communionem.* Sapienter innuens Regis clementiam rem esse concinnè numerosam, & velut tibiam ad artis leges suauiter, & modulatè personantem, quæ hominum animos permulceat, atque conciliet: Sanè quasi regia, & (vt sic dixerim) diuina Principis humanitas, cum fragili & imbecilla hominum natura, & humanitate mirè concinat; & velut tibia ad motum, & harmonia ad vocem fuerit. Consonat iis Chrysostomus Hom. 4. in epist. ad Philipp. scitè obseruans ea de causa ex Dei præcepto Reges oleo inungi cùm ad regnum vehebantur; vt de misericordia signatissimè admonerentur. *Oleum* (inquit) *pro symbolo misericordiæ Dei habebant. Præterea discebant* B *in Principe plus misericordiæ requiri.* Et post pauca: *Et si quis Principem laudet, nihil, quòd aquè ipsam deceat, afferet ac misericordiam. Principatum enim proprium est misereri.* *Chrysost.* Hæc Chrysostomus. Quibus iam dudum subscripserat Seneca lib. 1. de Clementia cap. 3. vbi cùm dixisset: *Nullam verò ex omnibus virtutibus magis homini conuenire, cùm sit nulla humanior, constet, necesse est, non solùm inter nos, qui hominem, sociale animal communi bono genitum videri volumus, sed etiam inter illos, qui hominem voluptati donant, &c.* Subiicit: *Nullum tamen clementia ex omnibus magis, quàm Regem aut Principem decet. Ita enim virtutes magna viris decori, gloriæq́; sunt, si illis salutaris potentia est: nam pestifera vis est, valere ad nocendū.* Optimè.

3. At inquis; & vbi leges? vbi iura? vbi iustitiæ splendor? vbi iudiciorum seueritas, quæ & homines in officio continet, & Rempublicam incolumem, sanam atque florentem reddit? Sed de hoc, quod longiorem exigit dissertationem; multis posteà & C in commentario, & in adnotationibus agendum. Certè cùm virtutes à seipsis minimè dissentiant: nec misericordiam à iustitia, nec iustitiam à misericordia diffidere, cùm suos vnaquæque fines habeat, quos nequeat prætergredi, extra controuersiam est. Quod quidem cùm in vniuersum verum sit; in Principe signatè locum habet. In eo siquidem misericordia non tam facilè, sicut in priuatis Iudicibus à iustitiæ tramite declinat, quòd laxioribus apud illum terminis circumscribatur: *Alia est enim conditio* *Symmach.* *Magistratuum* (inquit sapienter Symmachus Iuris quidem ciuilis apprimè peritus lib. 10. epist. 62.) *quorum corrupta videntur esse sententia, si sint legibus mitiores; alia Dominorum Principū potestas, quam decet acrimoniam seueri iuris inflectere.* Preme verbum *decet*; quod indicat Principum potestatem non iniustè aut importunè, sed decenter, & salua iustitia pro ratione dignitatis D seuerum ius inflectere, & eius acrimoniam macerare: non modò quod deceat Regem exorabilem esse; *Seneca.* bene enim Seneca præfato lib. 1. de *clem.* cap. 5. *Non decet Regem sæua & inexorabilis ira:* Sed etiam quod ignoscere, & veniam relaxare, pars sit iudiciariæ Regis potestatis: nam & qui absoluit, etiam iudicat, dum pro illis personæ & dignitatis circumstantiis, siue rationibus; veniam supplicio opportuniorem decernit. Quò videtur respexisse Iulianus *Ammian.* Imperator apud Ammianum Marcellin. lib. 16, qui cùm in quemdam sontem mitiùs, quàm leges farrent vindicasset; eaque de causa accusatores conquererentur, respondit: *Hactenus incaseat iura clementiam, sed Imperatorem mitissimi animi, legibus præstare cæte-* *Marcian.* *rà decet.* Enimverò Marcianus Iurisconsultorum rigidissimus, qui Iudici, ne clementiæ gloriam affectet; sed perpenso iudicio prout quæque res expostulat, omnino statuat, signatè præscribit his verbis in lege *perspiciendum* 11. D. de pœnis: *Perspiciendum est iudicanti, ne quid aut duriùs, aut remissiùs constituatur, quàm causa deposcit: neque enim aut seueritatis, aut clementiæ gloria affectanda est; sed perpenso iudicio prout quæque res expostulat, statuendum est:* Statim ipsammet iustitiæ legem explicans, siue euoluens non nisi in benignitatem desinere debere, siue in leuibus, siue in grauioribus causis; ita pronuntiat: *Planè in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent; in grauioribus pœnis seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi:* quasi Gentilis consultus calicem, *in manu Domini vini meri plenum misto* sine *temperamento* (vt est in Originibus) Psalm. 74. 9. omnino vidisset, de quo *Psal. 74. 9.* nos in adnotationibus. Quàò ergo fortiori ratione Princeps cùm seueri iuris acrimoniam inflectit, & ad lenitatem pronus est, pro muneris sui ordine, & dignitate agere dicitur? cùm *Principatus sit proprium misereri:* vti dicebat Chrysost.

4. Planè & hæc ipsamet naturæ lex Principem ducit Ambrosio monitore lib. 5. Hexamer. cap. 21. *Ambros.* vbi cùm de apum Rege ex communi Philosophorum sententia dixisset: *Nam & si habet aculeum, tamen eo non vtitur ad vindicandam.* Subiicit opportunè, *sunt enim leges naturæ non scripta litteris, sed impressa moribus, vt leniores sint ad puniendum, qui maximâ potestate potiuntur:* & eius potissimùm munus à Deo hac de causa in terris videtur constitutum, vt tamquàm viua & animata lex humanitatis sensu prædita seuerum, & rigidum ius aliquando inflecterent, & legitimè mitigarent: ita quidem August. lib. 5. de *Ciuitate Dei* fe- *August.* lices illos, ac regio nomine maiestate, & Principatu dignos censet Reges, *qui tardius vindicant, facilè ignoscunt, qui quod est asperum, coguntur misericordiæ lenitate decernere:* Gentilis verò Themistius orat. 5. disertè ait, *Themist.* Principem animatā esse legem à Deo signatè præscriptam, *vt haberet homo quò confugeret ad legem animatam à lege rigidâ.* Quò sanè duo maximè faciunt: alterum hac omnino de causa queri solitos Romanos adolescentes; Reges Româ pulsos, & pro illis leges fuisse substitutas; quod vt hæ surdæ & inexorabiles, ita illi quà homines, humani & flexibiles veniamque daturi essent: sic enim illi apud Titum Liuium *Tit. Liu.* lib. 2. mussitabant: *Hominem esse, à quo impetres: vbi ius, vbi iniuria: esse gratiæ locum, esse beneficio: & irasci, & ignoscere posse, inter amicum, & inimicū discrimen esse: legem rem surdam, inexorabilem esse; salubriorem, melioremq́; inopi, quàm potenti: nihil laxamenti aut veniæ habere, si modum excesseris:* alterum, villicum illum, siue œconomum aut domus præfectum, id est Principem, de quo Lu- *Luc. 16. 5.* cæ 16. cætera iniquum, signatè tamen fuisse à Domino laudatū, quod à debitoribus minùs quidem, quàm quod illi debebant exegerit; quippe aiebat: *Quantum debes domino meo? centum cados olei; Accipe cautionem tuam, & scribe quinquaginta. Tu verò quantum debes, centum coros tritici: Accipe litteras tuas, & scribe octoginta:* seueritatem videlicet legum inflectens; nec omnem pœnæ debitum summo iure exigens; sic scitè considerante S. Theophilo Antiocheno lib. 4. in Euang. *S. Theoph.* *Ideò autem laudauit Dominus Iesus fraudatorem domini sui, vt eius sequentes exemplum non omnia debita exigamus.* Porrò hinc apud sapientes malè audiuit Valentin. Cæsar, à Germanis Imperatoribus dissidens, quòd illi cùm præfectorum sententiis aduersus reos latis damnatione subscriberent, vini meri calicem benignitatis mixtione temperantes, pœnam minuere, & supplicij partem adimere solebant; ille contrà semper rigidus seueritati hærebat: id sic notante Am- *Ammian.* miano Marcellino lib. 30. *Et ita erat effusior ad nocendum, vt nullum aliquando damnatorū capitis eriperet morte*

subscri-

A *subscriptionis elogio leni; cùm id etiam interdum Principes fecerint sæuissimi.* Enimverò id à Principis natura & consuetudine abite sic statim firmat: *At qui potuit exempla multa contueri maiorum, & imitari peregrina, atque interna humanitatis, & pietatis quas sapientes consanguineas virtutes esse diffiniunt.* Et quidem meritò sapienter admonente Hieronymo in cap. 7. Eccles. *In humana iustitia est fragilitati hominum non ignoscere.* Quibus omnino adstipulatur Galenus medicorum dissertissimus; dum septimi diei naturam cum optimo Rege componens inquit lib. 1. de diebus decretoriis cap. 2. *Mihi equidem frequenter venit in mentem septimi diei naturam consideranti, Regi assimilare, sextum verò tyranno: ille siquidem clementior, veluti benignus aliquis Princeps ei, quem iudicandum suscipit, vel partem supplicij adimit, vel victoriâ illustrat, hic è contra pernicie gaudet, & salute dolet, &c.*

Hieron. — Galenus.

Misericordiam.

Misericors Princeps Dei imago.

B LECT. III.

1. BEne quidem Stoicis repugnans dicebat Clemens Alexandrinus lect. 1. adductus: *Misericordia non est, vt quidam Philosophi censuerunt ægritudo ex alieno malo, sed magn diuinum quiddam.* Quippe in ipsa pulcherrima Dei imago suis veluti coloribus depicta censetur. Etenim cùm Dominus hominem ad sui imaginem & similitudinem se fore facturum priùs promisisset: Genes. 1. 26. subinde verò nonnisi ad imaginem suam reapse efformarit Genes. 1. 27. vt videlicet suis ipse egregiis actionibus diuinam adsisceret similitudinem, vti contemplatur Origenes lib. 3. *Periarcon* (inquiens) *imaginis dignitatem in prima conditione percepit; similitudinis verò sibi possibilis perfectionem ipse sibi cum propria industriæ studiis ex Dei imitatione conscisit.* Diuinam hanc quidem pulchritudinem è misericordia signatè petendam; quasi ipsa Dei similitudinem impleat, ita vitæ assertor admonuit: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est*, Lucæ 6. 36. vtrumque inter se locum sic componente atque expendente Theodoreto quæst. 20. in Genesim: *Iustus & sanctus est Dominus condolens & misericors. Igitur qui amat iustitiam & sanctitatem, & peragit atque obseruat præceptum istud Saluatoris* Estote misericordes, quemadmodum Pater vester misericors est. *Fit imago Dei per omnia.* Ita Theodor. Quòd quidem Principibus diuinam ex munere suo imaginem gestantibus singillatim conuenire quis non viderit? *Quandoquidem nec aliud quidquam est* (vt dicebat lectione præcedente Nazianz.) *quod Deo magis conueniat.* Cui cogitationi sic opportunè subscribit gentilis Themistius orat. 5. quæ est de Imperatoris Theodosij humanitate: *Olim quidem vobis, Imperator, diuinitatis appellationem Reipubl. consensus attribuit: non quod immensa auri copia vestrâ in potestate sit, non quod abundè coronæ vobis, ac purpureæ vestes suppetant: non quod diuitem ex paupere subitò faciendi magna vobis facultas sit, hæc enim longè cælo, caliq; imagine sunt inferiora, sed quòd in vnius Dei, Principisq; potestate sit vitam alteri concedere.* Reddit pulchram rationem: *Siquidem nemo cùm Deum inuocet, Victorem, aut Triumphatorem, aut Germanicum, atque Scythicum, sed amantem hominum, pium atque seruatorem appellat.* Hæc Themistius.

Gen. 1. 26. & 27. — Origenes. — Luc. 6. 36. — Nazianz. — Themist.

C

D

2. Quò sanè meritò retuleris humerorum mentionem in Rege à Deo primum electo toties factam: quippe & inde iterum atque iterum à sacro Scriptore tamquàm regno idoneus commendatur Saül; quòd *ab humero, & sursum super omnem populum emineret*, 1. Reg. 9. 2. & cap. 10. 23. tantùm non dicente quod ille ad significandam augustam Principis formam, quæ maior mortali esset, humerorum sic meminit:

1. Reg. 9. 2.

A *Os humerosq; Deo similis.*

Et in Regis signum, siue testimonium à Samuële ad mensam inuitatus, armum victimæ, id est humerum à Samuële de industria seruatum accepit. Sic namque lib. 1. Reg. c. 9. 23. *Leuauit autem cocus armum, & posuit ante Saül. Dixit autem Samuël: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede, quia de industria seruatum est tibi:* siue vt habent LXX. *in testimonium seruatum est tibi.* Etenim vt primarius huius loci sensus iuerit ad monendum Saülem: *Quid à se Regium nomen, & titulus exigeret* (vt bene ibi ait P. Gaspar Sanchez) *pondus videlicet esse graue, quod giganteos humeros requirat; imò quòd giganteos frangat humeros, viresq; debilitet*; simul etiam humerorum imagine innui crediderim eam optimæ gubernationis normam esse, cùm Princeps Dei more subditos in humeros ferentis, sese ad illos lenitate & humanitate potiùs demittere, & in humeros tollere, quàm rigida seueritate per ignes & gladios

LXX. — P. Sanch.

B ire, quin aliquid de suppliciis remittat, pergit nimirum de Regum Rege Paulus ad Hebr. 1. 3. inquit: *Portans omnia verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens*: vbi cùm græcè pro verbo *portare* sit *moderari*; non obscurè innuitur; eam perfectæ atque diuinæ gubernationis rationem, normamque esse, cùm Princeps boni pastoris more errantem ouiculam in humeros potiùs tollit, portatque quàm fustè, & stimulis exagitat, sic dixit Chrysol. serm. 30. *Inclinauit pastor bonus humeros suos, vt ouem perditam salutares reuocaret ad causas*: sed opportuniùs Ruricius Episcopus lib. 2 epist. 22. *Ipse est*, inquit, *bonus Pater, qui ouem perditam ad caulas dominicas mauult propriis humeris reportare sollicitus, quàm stimulis vrgentibus reuocare districtus.* Et verò vt id spirituales Prælatos signatè tangat, qui ea ratione amiculum ex lana non ex lino confectum in humeris gestant; vt Christum ouem aberrantem in humeris suis ferentem exprimant, vt obseruauit

Hebr. 1. 3. — Lect. Græc. — Chrysol.

C S. Isidorus Græcus lib. 1. epist. 136. subdens: *Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit se boni illius ac magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit*: alios etiam Principes pietatis & misericordiæ omnino admonent ij ipsis à Deo altiores donati humeri: vti Iustinianum Imperatorem sic disertissimè admonebat Agaperus Diaconus præcept. 21. tom. 2. Biblioth. Veter. PP. *Regem ideò altiorem, quia ad Dei imitationem irasci non debet, sed peccantibus ignoscere.*

Isid. Pel.

3. Vnde quidem rursum notauit ssimè Paulus ad Hebr. 5. 2. bonum Principem ac Prælatum formans dicebat: *Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.* Sed quid est *condolere*? num, pati re quidem, sed cum dolore? vt posteà ex bonis Principibus, qui cùm triste aliquid decernunt, fiunt tristes & ipsi, longiùs monemus? Non opinor; sed humeros potiùs inclinare, quàm stimulis vrgentibus agere: sic quidem lectio Syriaca, quæ habet: *Qui potest se dimittere, & compati ignorantibus.* humeros videlicet inclinare; & facilè ignoscere. *Quoniam & ipse circumdatus est infirmitate*; sese videlicet erratis, & lapsibus obnoxium, & æquè, vt eum qui cecidit in terra collisum considerans. Sub quo sensu Paulus ad Galat. 4. 11. cùm dixisset: *Timeo ne fortè sine causa laborauerim in vobis*: subiicit blandè & indulgenter: *Estote sicut ego, & ego sicut vos*: vt nimirum sese ille tantùm demitteret per misericordiam ad lapsos erigendos, quantùm ipsi prolapsi fuerunt: sic hæc verba accipiente S. Eulogio Alex. Archiepiscopo lib. 2. contra Nouarianos ad hunc modum: *O summa Apostoli commiserationem! qua tantum se demittit, quantum peccatores ceciderant, vt demissione lapsos ad proprium statum reduceret.* Ita Eulogius. Hæc mirè elucidat, atque diffundit Seneca lib. 1. de Clementia

Hebr. 5. 2. — Lect. Syr. — Gal. 4. 11. — S. Eulog. — Seneca.

D

tia

tia c.16. *Hæc clementia Principem decet, vt quocumque venerit, mansuetiora omnia faciat. Nemo Regi tam vilis sit, vt illum perire non sentiat; qualiscumque pars imperij est.* Vrget rem pulchrè: *Quibus tamen ignoscitur? nunquidnam æquum est, grauiùs homini, & duriùs imperari, quàm imperatur animalibus mutis? atqui equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magister. Fiet enim formidolosus, & contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris. Idem facit venator, qui instituit catulos vestigia sequi, quiq; iam exercitatis vtitur ad excitandas vel persequendas feras. Nec crebrò illis minatur; contunditur enim animus, & quidquid est indolis comminuitur trepidatione degeneri. Adijcias his licet tardiora agentes iumenta, quæ cùm ad contumelias, & miserias nata sint, nimiâ sæuitiâ coguntur iugum detrectare.* Concludit: *Nullum animal morosius est; nullum maiore arte tractandum, quàm homo, nulli magis parcendum.* Hæc Seneca: multa, sed bona & opportuna.

Misericordiam.

LECT. IV. *A misericordia Angelum homine, & hominem homine præstantiorem esse.*

1. Libet hærere misericordiæ ac benignitati, atque in ipsa vt iudicio prælatæ plus plus immorari, vt illius excellentia atque præstantia omnino appareat: Et verò vt id eumcam validam opinor, & opportunam ab Angelica natura in trutina cum humanâ suspensâ, eique antehabitâ, conficiemus argumẽtationem. Enimuerò, qui è cælestibus spiritibus minores, siue inferiores esse censentur, præstantioribus hominibus multò potiores, nobiliores, atque excellentiores esse, nemo non nouit, nostro vate de hominum Principe dicente: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*, *Psalm. 8.6.* Psalm. 8.6. & quod caput est, Christo Domino ad cumulatissimas Ioannis laudes subijciente: *Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo*, *Matth. 11. v. 11.* Matthæi 11.11. quæ de Angelorum supra homines excellentia frequẽs veterum PP. expositio capit apud *Did. Alex.* Didymum Alexandrinum in posteriorem Petri epist. hæc dicentem: *Sic vtique interpretati sunt sapientes viri dicentes: Quia cùm sit perfectus inter homines, nullo mortalium minor est: quando qui inferior est omnium supernorum rationalium maior est eo.* At enimuerò, quæ sit huius maioris perfectionis & præstantiæ ratio, vt meritò inter PP. ambigitur, ita illam assignare, non adeò facile fuerit, Quid enim? maiórne ideò Angelus, quòd ad Dei imaginem efformatus *signaculum* *Ezech. 28. 12.* *similitudinis* diuinæ appelletur? Ezech. 28 12. ideoque de eo dixerit Dionysius Areopag. lib. de diuin. nom. *Dion. Areopag.* c. 4. *Imago Dei est Angelus; manifestatio inuisibilis lucis?* Non opinor: cùm & homo ad Dei etiam imaginem, & similitudinem diuinis manibus factus dicatur Genes. 1.26. *Gen. 1.26.* atque in ipso tamquam in mundissimo speculo ipsamet diuinitas splendeat siue reluceat. *Puritas enim* *Nyssen.* (inquit Gregorius Nyssenus orat. 6. de beatitudinibus, de mundis corde hominibus verba faciens) *& vitiorum, affectuumq; vacuitas, & ab omni malo alienatio deitas est.* Vnde Paulus *2. Cor. 3. 18.* 2. Cor. 3.18. confidenter aiebat: *Nos autem reuelata facie gloriam Dei speculantes* *Lect. Græc.* (id est, vt ex Græca lectione liquet: *speculi vicem gerentes*) *in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem.*

2. An verò ideò potiores homine Angelos facis? quòd Dei filij in scripturis nominentur; & tamquàm filij in cælis, velut in paternâ domo, & aulâ regiâ degant; siue etiam quòd summa ipsis pennarum leuitas subsit, id est, *quòd terreni corporis sarcinâ liberi, toti absque vllâ admixtione, vel pondere ad excelsa ferantur*; *Dio. Areo.* vt pennas explicat Dionysius Areopag. lib. A de cælesti hierarch. c.15. At, quo inferior homo fuerit? cùm, & hominibus Deus *dederit potestatem filios Dei fieri*: *Ioan. 1. 12. & epist. 1. c. 3. 1.* vt Ioan. 1.12. & epist. 1. c. 3.1. disertissimè admonet: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus:* Et, si bene æstimas, haud omnino à paterna domo, & cælesti habitatione exsules sumus; qui illius municipes, & domiciliarij censemur, *2. Cor. 5. 8.* Paulo 2. Cor. 5.8. dicente: *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum*: notantissimè verò ad *Philipp. 3. 20.* Philipp. 3.20. *Nostra autem conuersatio* (siue vt ibi ex Tertulliano monuimus, *municipatus*) *in cælis est.* Ad quæ verba *Ambros.* Ambros. serm. 83. pulchrè ait: *Conuersatio nescit, quos separat elementum, neque interest, vtrùm in cælis maneant, an in terris: Angelici siue habitus, an humani: quibus vita communis est, incipiunt etiam illis videndi elementa esse communia.*

3. Quòd si vlteriùs pergens in humanæ carnis B luto offendis; & *corpus quod corrumpitur, & aggrauat animam, deprimitq; sensum multa cogitantem* *Sapient. 9.* cum Angelicis pennis, quibus toti sine vlla admixtione (vt dicebat Dionysius) ad excelsa feruntur componens, potiores ideò partes Angelo tribueris, quòd carnis sit vndequaque expers; non facilè assentiar; cùm caro non naturâ suâ, sed tuâ ignauiâ, & vitio reprehensioni, atque conuitio sit obnoxia; atque ex illa homo Angelus etiam quodammodò possit euadere; imò & re ipsa Angelus nominetur sicuti & dæmon ex spiritu bellua factus est, sic id sapienter commonente *Chrysost.* Chrysost Hom. 31. in Acta: *Materia quidem est homo, fieri autem potest & Angelus, & bestia. Nam de quibusdam hominibus dictum est*, Angelus Domini est, *Malach. 2. & iterum:* Mittam Angelum meum ante faciem tuam: *de quibusdam autem*, serpentes, progenies *viperarum*: ex quibus sic statim infert: *Nullus igitur doleat, nullus indignetur de natura quasi impediat, sed de sua electione ac voluntate: leo ille factus est ex incorporeo* (de dæ- C mone loquitur,) *nos Angeli à corporibus. Quemadmodùm si quis inuentâ pretiosâ materiâ, cùm non sit artifex, contemptâ illa magnum damnum accipiat, &c. sic & nos, si ignorauerimus nostram naturam, ipsam valdè contemnemus: si autem sciuerimus, multum adhibebimus studium, & maxima lucra faciemus. Ex hac regium fit indumentum: ex hac domus fit regia: ex hac membra fiunt regia; omnia regia.* Quid? quod homo verè Christianus non mediocrem à carne splendorem, sed egregium, ac penè diuinum ornamentum accipit; quippe ipsa (vt scitè excogitauit *Tertull.* Tertull. lib. de Resurrect. carnis c.9.) *Christi soror est*; & hac ratione ipsismet Angelis veneranda. Vnde *Iobius Monachus.* quidem Iobius Monachus peruetustus Auctor lib. 3. de Verbo incarnato c.15. cum eo, qui Angelicam eminentiam supra humanam naturam extollit, ita loquitur: *At, heus tu Angelicæ cognitionis amator, maiore etiam munere dignus es habitus. Nam cognati iam Christi per* D *carnem effecti sumus.* Certè ab hac cognatione hominem Angelicis spiritibus in honore iam esse, omnino videris, si attendis, ipsos ante Domini aduentum minimè renuisse ab hominibus adorari; post illum verò, cùm inter homines, & Christum carnis cognatio contracta est, huic adorationi firmiter obstitisse, & sese conseruorum appellatione condecorasse: ita id referente Ioanne Apocalypsis 22.9. & *Apoc. 22. 9.* expendente Gregorio Magno Hom. 8. in Euangel. sic enim ille: *Et postquàm audissem, & vidissem cecidi, vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat, & dixit mihi; Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum.* *Greg. M.* Gregorius verò: *Hinc est enim quod Loth & Iosue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur. Ioannes verò in Apocalypsi sua adorare Angelum voluit; sed tamen idem hunc Angelus, ne se adoraret, compescuit. Quid est, quod ante Redemptoris aduentum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent; postmodùm*

verò

verò adorari refugiunt, nisi quòd naturam nostram, quam prius despexerant, postquàm hanc supra se assumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt, nec iam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam supra se videlicet in cæli Rege venerantur, nec habere dedignantur hominem socium, qui supra se adorant hominem Deum? Hæc ille.

4. Iam verò si humanæ carni tenaciùs hærens, Angelorum excellentiam eò referas, quòd illi sine carnis luctâ, sine laborum difficultate, sine sudore, & sanguine cælestis regni hæredes existant, homines verò, nonnisi post ingentes, catenatosque labores, & dolores, post assiduam, diuturnamque concertationem; sæpiùs verò post acerbissimos cruciatus Dei causâ perpessos, eius regnum emereantur. Quantum enim interest (inquis) inter Petrum in carcere inclusum, & in vincula coniectum, & Angelum sydereo inibi splendore coruscantem, eumque è carcere liberum abire facientem?
Act. 12. 7. Actuum 12. 7. Verùm enimuerò, adeò nos ea ratio minimè stringit, vt si ipsi innitendum sit, omnino dixerim Angelos hominibus cedere; eosque tantâ reuerentiâ colere, vt ipsorum baiulos esse glorientur: de quo vide quæ diximus in epist. ad Philipp. cap. 1. vers. 7. adnot. 2. n. 13. & verò si de Petro in vincula coniecto, & Angelo illum liberante Chrysostomum adis; indubitanter ipse pro Petri supra Angelum excellentiâ iudicium fert hunc in modum Homil. 8. in cap. 4. ad Ephesios: *Hîc si mihi quisquam dixisset: elige vtrùm velis: vis esse Angelus Petrum stimulans, ac soluens, an Petrus seruatus? Petrus vtique maluissem, propter quem Angelus descendit: vinculis istis potiri libuisset.* Ita Chrysost.

Chrysost. 5. Sed nec mihi vt præstantiores Angelos facias, siue perfectissimam virtutem, quâ præditi sunt; siue purissimam castitatem, cuiusuis maculæ expertem, siue tandem maximam ipsorum fortitudinem, quâ eorum quiuis centum octoginta quinque hominum millia in ictu oculi ad minus interimere valet:
4. Reg. 19. 35. 4. Reg. 19. 35. ad manum siquidem habemus, quid bonum singulis opportunè, & efficaciter opponamus: & vt ab ea fortitudine incipiam: planè si Angelis eâ omnino ratione primas tribuis partes, quòd vna in nocte totas Ægyptiorum domos cæde & luctu, similiter & Assyriorum castra cadaueribus implesse facile fuit; dicito etiam execrabilem pestem, quæ omnia deuastat, aut terræ hiatum, qui homines, & pecora absorbet, præstantiora, & excellentiora homine, cui tanta ad inferendam mortem vis, siue fortitudo non subest, omnino esse: vti id Gentilis
Themist. Themistius orat. 16. de vera Regis magnitudine disserens pulchrè pensitabat: adstruens Regem non ea ratione magnum: *si montem Athon terra abrumpat; aut cadaueribus Capi æquor cõsternat, ex terra motu enim vno, aut peste, huiusmodi, hisq; longè maiora, & stupẽda magis existũt.*

6. Ob virtutem verò Angelos hominibus potiores non esse; optima hâc, & necessariâ argumenta-
Chrysost. tione conuincit Chrysostomus, quòd virtus æquè sit Angelis, ac hominibus communis; ac proinde nec Angelus homine, nec homo Angelo ob virtutem superior: sed is omnino excellentior, siue is Angelus, siue homo fuerit, cui maior insit, ac perfectior virtus. Audi illum Hom. 32. in Acta: *At hoc certè maius* (inquit) *quia vt fiat, & Deus & Angelus, & Dei filius, potestatem ipse accepit.* Et post pauca: *Attamen si virtus Angelos facit, vtique Angelos possumus facere; & si non naturâ, certè proposito, & electione. Nam hoc quidem absente nulla vtilitas est, Angelis esse naturam, id quod diabolus indicat, qui anteà Angelus erat. Hoc autem præsente nullum damnum est, esse hominem naturâ, vt in Ioanne & Heliâ perspicuum est, qui in cælum ascendit, & omnes habitaturi sunt illuc. Nam hi quidem, licet corporei, non prohibiti sunt inhabitare cælum; illi autem cùm incorporei essent, non potuerunt manere in cælo.*

Vasq. in Psalm. centesimum.

A Quod equidem in castitate, & puritate non modò etiam locum habet; sed si animum intendis, & rem bene æstimas, pulchriorem quidem, & laudabiliorem hominis, quàm Angeli castitatem dixeris plaudentibus, & fideiubentibus PP. sic enim in primis Bernard. epist. 42. *Differunt quidem inter se homo pudicus,* Bernard. *& Angelus, sed felicitate, non virtute; & si illius castitas felicior; huius tamen fortior esse cognoscitur.* Bene omnino: sed vide quàm appositè hæc illustret Seneca epist. Seneca. 52. vbi cùm diuersa hominum ingenia sic descripsisset: *Quædam facilia, & expedita quadam manu (quod aiunt) facienda sunt;* subiicit: *Ego illum feliciorem dixerim, qui nihil negotij secum habuit: hunc quidem de se meliùs meruisse, qui malignitatem naturæ suæ vicit, & ad sapientiam se non perduxit, sed extraxit.* Cui subnixus rationi humanam castitatem sic prætulit Angelicæ Chrysol. serm. 143. Chrysolog. *In carne præter carnem vincere, non terrena vita est, sed cælestis, & si vultis scire, Angelicam gloriam acquirere, maius est*
B *quàm habere. Esse Angelum, felicitatis est: Virginem esse; virtutis.* Verùm hæc opportunè diffundit Basilius in lib. Basil. *de vera Virginitate*, inquiens: *Hi profectò, qui virginitatem seruant, Angeli sunt, non obscuri aliqui, sed sanè illustres, atque nobilissimi: illi enim carnis nexibus liberi integritatem suam in cælis seruant & loco, & naturâ inuiolabiles, & apud suum Regem, & Deum constituti, at verò isti in terra carnis illecebris, & voluptatibus diu reluctantes, ac diaboli tentamenta perpetuâ exercitatione vincentes incorruptionem Angelicæ puritati parem virtute præcipuâ ante Creatoris oculos custodierunt.* Hæc Basilius. Quæ rursus, ac si interfuisset disertationi, sic firmat Gentilis Seneca epist. 53. *Ecce* Seneca. *res magna habere imbecillitatem hominis securitatem Dei.*

7. Sed iam ne longissimi simus; quo tandem maior est, & excellentior homine Angelus? Vis nosse? Planè quòd hic suauissimo pacis otio perfruatur, & in togâ candidâ humanis auxiliis minimè indigens, placidè & tranquillè degat: homo verò clypeum,
C galeam, atque ensem nunquàm deponat, nam *militia est vita hominis super terram*, Iob 7. v. 1. At Angelos Iob 7. 1. etiam (inquis) militare non dubium, dicente Luca Luc. 2. 13. cap. 2. 13. *Subitò facta est cum Angelo multitudo cælestis exercitus.* Verùm aliud quidem illis, ac nobis militiæ genus, siue alia militandi ratio: nimirum homo sibi ipsi; Angelus verò homini militat: *nobis enim* (inquit Chrysologus sermone 69.) *nobis Principatus cælo-* Chrysolog. *rum, nobis supernæ dominationes, nobis Angelorum officia excubiis militant indefessis:* Ecce maiorem homine Angelum; quippe homo Angelo misereri, opem ferre, & auxiliari non valet: Angelus autem homini misericordiam præstat, eique auxilium, & suppetias fert: homo Angelo iuuare, & benefacere nequit: Angelus in hominem nunquàm non beneficus est; eum perpetuò adiuuans, atque custodiens: Hinc ergo Angelus, quia erga hominem misericors, illo maior, potior, superior, atque excellentior: hanc
D omnino rationem disertissimè reddente Didymo Didym. Alexandrino in posteriorem Petri epistolam hunc in modum: *Angeli manentes in sanctitate quam habent à Deo, sunt potiores hominibus, licet excellenter beati sint homines, Angeli siquidem custodiunt sanctos viros, & eis auxiliantur: dum homines nequaquam valeant Angelis præbere solatia.* Pende illa, *potiores sunt hominibus licet excellenter beati sint homines:* vt dixerit Didymus, licet hominum aliquis virtute, castitate, & laborum pro Christo tolerantiâ Angelo suppar sit, adhuc tamen dum in terris agit, cum auxilio, atque custodiâ Angelorum indigeat, illis certè naturâ & dignitate minor est: is enim alio maior, qui ei misereri, & opem ferre potest; ac proinde Deo similior euadit: Quod idem rursum confirmat libro de *Spiritu sancto*, inquiens: *Angeli quippe hominibus, & non homines Angelis auxilium tribuunt, ministrantes ei salutem, &*

annuntiantes eis largiora Dei beneficia. Ex quibus liquidò oſtenditur, honorabiliores & multò meliores eſſe Angelos hominibus per germaniorem, & pleniorem Trinitatis aſſumptionem: Optimè ex perfectiori Dei imitatione maiorem claritatem & magnitudinem eliciens: eamque in miſericordia & benignitate reponens. Qui quidem videtur eſſe ſenſus præfatæ ſententiæ Domini, Matth. 11. v. 11. *Matth. 11. 11.* *Amen dico vobis: Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta; qui autem minor eſt in regno cælorum maior eſt illo:* vt dixerit, Ioannem licet ſanctitate, caſtitate, laborum tolerantiâ pluribus ex Angelis excellentiorem; at, cùm illis auxilium non ferret, nec poſſet præbere ſolatia; ipſi verò ei auxilium tribuerent, & excubiis indefeſſis militarent, ideò illis naturâ & dignitate minorem eſſe.

8. Enimuerò huic cogitationi videtur ſubſcribere Apoſtolorum Princeps, cùm ait: *Spiritu ſancto* B *miſſo de cælo, in quem deſiderant Angeli proſpicere,* *1. Petri 12.* 1. Petri 1. 12. ad quæ verba Beda, & alij ambigunt: *Cur cernere deſiderant, cuius faciem nunquàm cernere ceſſant?* ita non minùs opportunè dubites; cur accuratâ, & ſtudioſâ cernendi ſollicitudine (nam id omnino *Lect. Græc.* Græcum verbum ſignificat) Spiritum ſanctum de cælo miſſum ſignatè intueri dicantur? cùm in cælo manentem, & ſeſe ipſorum obtutibus ingerentem ſemper habeant? Cui dubitationi omnino ſatisfacies ex P. Lorino *Lorin.* ibi ſic pulchrè hæc verba elucidante: *Quid? ſi deſiderare dicamus, Angelos proſpicere in Spiritum ſanctum, qui Eccleſiam gubernat, & nos ſanctificat, domúſq; ſuis munit, & ornat vtendo Angelorum miniſterio. quia prompti, parati, expediti, inhiantes quoque ſunt, & percupidi ad procuranda, & deferenda hominibus diuina auxilia & munera?* Planè quaſi Angeli dum diuina auxilia, & munera hominibus deferunt; iiſque opem, & manum porrigunt; ſuam ſupra homines C excellentiam & dignitatem impleant; ideoque ſtudioſè & ſollicitè in hæc proſpiciunt ne muneri ſuo deſint. *Nazar.* Cui rei peropportuna ſunt Nazarij verba in Panegyrico ad Conſtãtinum (dextrè tamen & commodè capienda) etenim dum Angelos Conſtantino pugnante in auxilium veniſſe ſic oratoriè deſcripſiſſet: *Flagrabant verendum neſcio quod vmbone coruſci, & cæleſtium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant, vt tui crederentur. Hac ipſorum ſermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Conſtantino imus auxilio.* Subijcit: *Habent profectò & diuina iactantiam, & cæleſtia quoque tangit ambitio. Illi cælo lapſi: illi diuinitùs miſſi gloriabantur, quod tibi militabant.* Hæc ille. Quæ ſic cape, quaſi Angeli non quidem cum iactantiâ, non cum ambitione humanæ adſimili, ſed cum honore, atque decore glorientur, quòd hominibus militent, eiſque auxilia impertiantur; quòd hinc ipſorum magnitudo, atque excellentia ſignatè penſitetur. Vides quàm D præcelatum, quàm regium, quàm magnum, atque diuinum quid miſericordia ſit? quantumque iudicio excellentior? cùm nos qui *Angelos iudicabimus,* *1 Cor. 6. 3.* 1. Corinth. 6. 3. Angelis minores ob illorum in nos miſericordiam ſimus. Sed de hoc plura in adnotationibus cùm de Principis beneficentia ſermo inciderit.

Et iudicium.

Accurata iudicij acceptio.

LECT. V.

1. PEnè omnes PP. qui hæc verba de Deo capiunt, quaſi de ipſius miſericordia atque iudicio vates agat, *iudicium* ad vindictam, ſiue pœnam de peccatoribus ſumptam referunt. Sic namque *Fulgent.* Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 7. *Deo autem miſericordiam & iudicium cantat Eccleſia, cuius hoc opus eſt in homine, vt occulto voluntatis ſuæ, non tamen iniuſto conſi-* A *lio, aut gratuitam miſericordiam proroget miſero, aut debitam iuſtitiam rependat iniuſto. Imò, aut miſericorditer debitori donet, quod ſi vellet iuſtè poſſet exigere, aut iuſtè cum vſuris, quod ſuum eſt, exigat, & iniquo debitori, quod debetur iniquitatibus reddat. Ac ſic aut iſtum prorſus indignum miſericordia præueniat, aut illum ira dignum inueniat.* Similiter Proſper *Proſper.* in commentario inquiens: Miſericordiam & iudicium Domino, *pia confeſſione cantemus. Ad reſoluendas enim vniuerſas quæſtiones, quas contra prouidentiam Dei exercere audet mundi huius ſtulta ſapientia, inuictiſſima eſt ratio; per quam intelligitur inter præſentis vitæ inæqualitates, nec à iuſtitia Dei miſericordiam, nec à miſericordiâ abeſſe iuſtitiam, donec peractis temporalibus iuſto iudicio fiant vtraque perpetua; cùm pro qualitate geſtorum dexeros gloria, ſiniſtros pœna ſuſceperit.* Ad quem omnino modum Caſſiodorus: *Caſſiodor.* *Nam, & in illo aduentus ſui* B *tempore glorioſo, primo loco miſericordiam facit, quando dicit:* Venite benedicti Patris mei, &c. *Sed non ſine æquitate, quia fidelibus ſua promiſſa reſtituit. Poſteà verò iudicium ſequitur, cùm dixerit impijs:* Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, &c. Sic hi, & alij PP. Quibus viam ſtrauit Appollinaris, *Apollinar.* dum pro *iudicium,* omnino repoſuit *pœnam.* Contra verò Chryſoſtomus *Chryſoſt.* in commentario ad decretum reconciliationis Dei cum humana natura ſic retulit: *Quippe per miſericordiam beneplacitum illud, quod ad mortales ex Dei gratia factum eſt, ſignificat, &c. At iudicij vox ſalutem antiquitùs præfinitam.* Quos enim prædeſtinauit, hos & vocauit. Quos autem vocauit, hos & iuſtificauit. *Decreuerat enim Deus pro ſua benignitate & miſericordia, iis quibus rebus peccatum exitium attulerat, ſalutem afferre.*

2. Verùm enimuerò alia eſt omnino iudicij ſignificatio & ſenſus: vt aliud fuerit iudicare, ſiue iudicium ferre: aliud ipſamet præmia, ſiue ſupplicia, quibus homines pro meritis digni cenſentur in- C ferre, quippe iudicium eſt iuris exacta cognitio, quæ ad cuique quod ſuum eſt reddendum omnem non lapidem mouet: ſic dicebat Caſſiodor. lib. 11. *Caſſiodor.* epiſt. 9. *Iudicium, quaſi iuridicium cognoſcite vocitatum:* *M. Tull.* & M. Tullius pro Cæcina: *Iudicia, aut diſtrahendarum controuerſiarum, aut puniendorum maleficiorum cauſâ reperta ſunt.* Ideò pro iure tam in fauorem alicuius, quàm in damnationem reddito accipiendum eſt. Ita quidem Agellius, *Agellius.* quamuis non omninò exactè, iudicium deſcripſit inquiens: *Iudicium idem eſt, quod officium ac munus, quod pro perſona quam ſuſtinet, quiſpiam efficere debet.* Opportuniùs quidem & pleniùs ſeſe explicat ipſemet Dauid Pſalmo 118. v. 121. dum ait: *Pſal. 118. 121.* *Feci iudicium & iuſtitiam;* notanter iuſtitiæ præmittens iudicium, vt originem & cauſam, à qua ipſa procedit, vt videlicet idem ſit ac iuſtitia accuratè, & ad iuris leges cum cauſæ cognitione, & præ me- D ritis facta ſic id obſeruante ad ea verba Hilar. *Hilarius.* *Sed quid fecit, vt non tradi ſe nocentibus deprecetur? iudicium & iuſtitiam ſcilicet? Nihil inconſultum, nihil iniuſtum agens, ſed primum faciens iudicium. Omnia namque ratione, modo & veritate pertractans; vt id quod in alterum agat, perpenſum anteà, atque perſpectum iam de conſilij ſententia exſequatur. Non permittit autem conſilio tantùm ſuo iudicij ſententiam, ſed facit cum iudicio iuſtitiam: iudicantis autem cum conſilio hoc opus maximum eſt, vt quod iudicat iuſtum ſit:* Hæc Hilarius luculentiſſimè ad iudicij ſignificationem, & vim dignoſcendam. Quod verò de ſe ait Dauid: totidem verbis de illomet refert Scriptura 2. Reg. 8. 15. *2. Reg. 8. 15.* *Faciebat Dauid iudicium & iuſtitiam omni populo:* id eſt lites & cauſas ritè & rectè tractabat, cauſæ iugulum & veritatem omni modo inueſtigans: ſecus quidem ac iniquus Præſes Pilatus, qui Dominum læſæ Maieſtatis accuſatum indiſcuſsâ causâ, nec accuſationis momentis perpenſis damnauit: vnde illum ſic monebat, ſiue arguebat Magnus

S. Leo PP. Magnus Leo serm. 10. de Passione: *Sed formidabile fuerit nomen Regium, vt pro Imperio Cæsaris opprimi debuerit noua molitio potestatis, si dominandi consilium tyrannicum tibi prodidit apparatum: si prouisio armorum, si congregatio diuitiarum, si præsidia detecta sunt militum. Quid enim granari sines de affectatâ potentiâ, cuius specialis fuit de humilitate doctrina?* vt dixerit Leo: hæc omnia inspicere, & discutere debebas; vt rectam posses ferre iudicium. Vnde statim sic subiicit: *discute diligentiùs Præses, quid de Domini Iesu operibus notum sit, quid de potestate compertum. Cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis donauit eloquium: febres abegit, dolores resoluit: dæmonia eiecit: mortuos viuificauit, mari & ventis vt quiescerent, imperauit. Magnum Regem prorsus ista demonstrant, qui non humana excellit potentia, sed virtute diuina. Hanc ergo Iudæi obsistiant potestatem, commutent actionem suam, & hoc præferant ore, quod tenent corde. Quare de terrenis calumniantur, qui cælestia persequuntur?* S. Leo PP. Hæc omnia Leo Pontifex Pilatum, non modò vt iniustum, sed etiam vt inertem, B & negligentem Iudicem arguens. Nec minùs opportunum ad rem fuerit, hoc est ad exactam iudicij rationem à Deo perpetuò seruatam, quam omnes Principes & Iudices ob oculos habere operæ pretium esset; quod Isidor. Pelusiota lib. 2. epist. 86. Isidor. Pel. Eudæmoni quærenti; *Quidnam sit, quamobrem multi persæpè iisdem flagitiis admissis non iisdem pœnis affecti fuerint?* hunc in modum respondet: *Id hinc fieri, quod magna sit, iudicis integritas & sinceritas. Etenim in peccatis non ipsa tantùm peccati species quæritur, verùm etiam eius qui peccauit animi sententia, & dignitas, & tempus, & locus, & sexus & post admissum scelus; an ex scelere voluptatem ceperit, an omnis doloris sensu caruerit; an in scelere perstiterit; an pœnitentiâ ductus sit, an casu aliquo peccarit; an ex amore, an de industria. Ac multa item alia sunt per quæ hoc examen grassatur. Nam & temporis discrimen expenditur, & vitæ degendæ status. Non enim is qui ante legem, & qui post legem, & post gratiam idem peccatum admisit, eadem pœnâ mulctabitur:* C *verùm ille mitiore, alter grauiore, postremus acerbissima.* Sic Isidorus.

3. Quò planè iuerint frequentes Principibus à Deo factæ admonitiones; vt iudicium & iustitiam Isaia 1.17. fecerint, vt Isaiæ 1.17. *Quærite iudicium:* & cap. 16. 6. Isaia 16.6. *Iudicans. & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est.* Isa 28.17. Et cap. 28. 17. *Ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura.* Ierem. 7.5. Iere. 7. 5. *Si bene direxeritis vias vestras, si feceritis iudicium inter virum & proximum eius.* Amos 5.15. Amos 5. 15. *Odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta iudicium:* Michea 6. 8. signatè verò Michea 6. 8. *Indicabo tibi homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium.* Quæ omnia vt & alia plura cò eunt, vt ab iis, quorum munus est iudicare; notanter postulet Deus, vt cuique quod suum est, plenè & exactè reddant: & eorum, qui inter se iure legitimo decertant, causam integrè & incorruptè iudicent. Vnde querib undæ illæ Domini voces Ierem. 5. 1. Ierem. 5.1. *Quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium:* D & Isaiæ Isaia 5.7. 5. 7. *Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; & iustitiam, & ecce clamor.* Quæ eadem sunt cum illis Amos 5.7. Amos 5. 7. *Qui conuertitis in absynthium iudicium.* Quæ Hieron. Hieronymus de his, qui cum causis disceptandis publicè præsint, & legum vindices sint, suæ potiùs commoditati, aut vtilitati, quàm legum integritati seruientes, iura peruertunt; & pro iure iniuriam reddunt; sic accipit: *Qui iniquo iudicio Deum ad iracundiam prouocauerunt, & conuerterunt dulcedinem iudicij in absynthij amaritudinem, assumentes iniquitatem, & iustitiam relinquentes.* Ad hæc verò Isaiæ & Amos verba quodammodò adspexisse dixeris Ammian. Marcellinum lib. 30. Ammian. Marcell. cùm ait: *Cùm rectè procedunt iudicia; delubra sunt æquitatis, cùm deprauata, foueæ fallaces & cacæ, in quas si captus ceciderit quispiam, non nisi per multa exsiliet*

Velasq. in Psalm. centesimum.

A *lustra, ad vsque ipsas medullas exsuctus.* Sed enim, vt quam integritatem exigat iudicium, omnino noueris; quid Michæas post illa verba, *vtique facere iudicium,* Michea 6. 10. subiecerit; audi: *Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis, & mensura minor, ira plena.* Preme extrema hæc *mensura minor*, quæ non ad priuatorum iniustitiam, sed ad Principum & Iudicum non exactum, nec integrum iudicium adspiciunt: id enim mensuræ imago omnino portendit; quæ iustitiæ publicæ designandæ inseruit. Iam vide, quo in cardine Dei querimonia vertatur: nec enim tam significat iustitiam vndequaque prodi; siue iudicium omnino corrumpi; quàm priuatis rationibus intercedentibus; iudicia non integrè & exactè exerceri: & aliquam mensuræ partem, quam iustitia implere debebat; vacuam relinqui. Enimuerò, cùm vacuum in natura dari nequeat, vt Philosophi inclamant, quod contra naturam sit; periculosissimè, id iudicij va- B cuum à diuina iustitia in magnum iudicantis malum compleri, subiicit vates, dum ait, *ira plena:* sapienter hæc verba elucidante egregio Scholiaste Gasp. Sanchez hunc in modum: Gasp. Sanchez. *Mensura minor iræ dicitur plena; quia tantùm additur diuini furoris, quantùm iustæ quantitatis mensura detrahitur. Fac tantùm è mensura iusta vacuum esse quantùm minus à iusto habet, quæ infidelis est, & iniusta, Deus qui custos est & vindex iustitiæ, vt nihil patitur in natura vacuum, sic etiam neque in moribus, quod tu vacuum relinquis, ipse magno tuo malo compensat, & complet: Partem relinquis vacuam à mensura legitima, illam Deus complet irâ suâ.* Hæc ille.

4. En exactum de iudicij significatione & vi, vt opinor, iudicium: vt integrè ius suum cuique in hanc, vel in illam partem, siue absoluendo, siue damnando reddat: & verò Agellius eò refert, tam- Agell. quàm in fauorem Dauidis redditum accipi debeat; ait enim: *Non modò gratiam tuam cantabo, per quam* C *mihi nihil eiusmodi commerito maxima beneficia contulisti, sed etiam iudicium, cum iure mihi quod æquum videbatur; & quod tuo summi Iudicis munere dignum erat, reddidisti.* Et post pauca: *Ex suo officio fecit Deus, iùm illum de manu Saul innocentem eripuit. &c. ius reddidit, cùm iusti viri insectatores pœnis coërcuit.* Sic ille: pro qua iudicij acceptione plures etiam vatis, & scripturæ locutiones sunt: hoc enim sensu ipse Psalmo 16. 2. Deum Psal. 16. 2. sic orabat: *De vultu tuo iudicium meum prodeat; oculi tui videant æquitates.* Et Psalmo 118. 154. Psal. 118. 154. *Iudica iudicium meum, & redime me.* Et Psalmo 9. 5. Psal. 9. 5. *Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam.* Notanter verò apud Ioan. 12. 31. Ioannem cap. 12. 31. dicente Domino: *Nunc iudicium est mundi;* id est, vt ex Augustino (cui tu possis adiungere ibi Bedam & Sanctum Thomam) explicat Cardinal. Toletus: Toletus. *Adest iam tempus, quando morte & Passione mea ferenda est sententia pro mundo contra dæmonem.* Contrà vero Augustinus iudicium ad damna- August. tionem, siue vindictam de peccatoribus omnino D vrget ad hunc modum: *Si ergo per tempora distinguamus hæc duo, fortè inueniemus, modò esse tempus misericordiæ: futurum autem tempus iudicij.* Et post pauca: *Audi Apostolum dicentem vtrumque tempus, & distingue & tu.* Existimas autem, *inquit*, ô homo, qui iudicas eos, qui faciunt ea, & eadem agis, quoniam tu effugies iudicium Dei ad Roman. 2. v. 3. Rom. 2. 3. In quam sententiam plura adiungit Augustinus. Quò iuerit in præfatis Domini verbis: *Nunc iudicium est mundi.* Chry- Chrysost. sostomi explicatio, quæ iudicium ibi pro dæmonis punitione & vltione mundi sumit: imò verò hîc post interpretationem superiùs allatam rursus iudicium ad pœnam siue damnationem Synagogæ, à Deo contemptæ, & Ecclesiæ Christianæ postpositæ refert hunc ad modum: *Quid aliud etiam significat? Perspiciens enim iustum Dei iudicium, quod aduersus perfidum*

Iudæorum populum extitit, qui eum, quem lex ac Prophetæ prædicabant minimè excepit, iustè quidem ob perfidiam supplicio affici: iustè item eâ quoq; pollicitatione, quæ lege continebatur spoliari; ac rursum Gentilem populum per misericordiam propter promptitudinem ad Domino obediendum & fidem, salutem consequi perspiciens, vaticinatur, &c.

5. Sed enim nihil est, quod nos cogat iudicium hîc in alterutram partem inflectere, sed sub eademmet generali, siue indifferenti ad vtrumuis significatione accipere, qua Sacer Scriptor iam citatus
2 Reg.8.15. 2.Reg.8.15. dicebat; *Faciebat Dauid iudicium & iustitiam omni populo.* Id est, litibus videlicet & causis accuratè cognitis & examinatis, de iure respondebat: siue in huius, siue in illius fauorem; hunc absoluens, illum damnans prout causę merita attentiùs cognita, & disquisita postulabant: necnon vt ipsemet Rex
Psal.71.1. Agell. aiebat Psalmo 71.1. *Deus iudicium tuum Regi da & iustitiam tuam filio Regis:* Vbi bene Agellius, dum ait (nam alia quæ vel à se, vel ab aliorum sensu adducit, ab scopo aberrant) *Iudicium tuum, ne astu aut fraude falli vllo modo possit, verumq; non agnoscere: iustitiam, vt cuique quod meretur tribuat.* Quod omnino ab ipso Salomone, cui id Dauid exoptabat, postulatum à Deo vi-
3.Reg.3.9. deris: cùm 3.Reg.3.9. Deus illi per quietem oblatus optionem dedit, vt peteret quod ei magis esset in votis: sic namque ipse, aliorum immemor, cor docile, & sapientiam, siue iudicium ad ferendum iudicium, & creditum sibi populum iustè ac rectè gubernandum à Domino petiit: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum, quis enim poterit iudicare populum istum, populū tuum hunc multum?* Quæ sanè petitio sic à Domino accepta & explicata fuit, vt Salomon sapientiam ad discernendum iudicium: hoc est illam cognitionem, quæ causæ iugulum premit, & iustum ab iniusto distinguit, exoptarit: ita enim ei Dominus respondisse fertur: *Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, nec animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discer-*
LXX. *nendum iudicium:* vbi LXX. *petiisti tibi intelligere ad exaudiendum iudicium.* Cuius quidem diuinitùs concessæ sapientiæ illustre statim documentum ille dedit: cùm duabus meretricibus de infantuli possessione iudicio contendentibus, quin vlli testes, aut coniecturæ ad manum essent: quibus erui aut inuestigari veritas posset; eam Salomon rationem adinuenit, quæ & veram proderet matrem, & fictam mendacij ream conuinceret. Vide ibi à versu 24. Vnde
3.Reg.3. quidem subiicit Sacer Scriptor versu 28. *Audiuit itaque omnis Israël iudicium, quod iudicasse: Rex, & timuerunt Regem videntes sapientiam Dei esse in eo, ad faciendum iudicium.*

6. Ex his probabiliùs apparet; non opponi hîc à Dauide iudicium misericordiæ tamquam pœnam præmio; aut punitio veniæ, siue damnatio absolutionis; eo sensu, quo dicimus Principem clementiâ & seueritate vti debere (Hispanè prouerbiali locutione *del pā, y del palo,*) sed tamquàm ius ad leges iustitiæ redactum misericordiæ, quæ non ex iure dimanat, aut vllis iustitiæ vinculis coërcetur, sed à gratia oritur, & per benignitatis campos liberè exspatiatur; vti Basilius Homil.13. in exhortatione ad baptismum misericordiam iudicio sic opponit: *Vbi misericordia, non exigitur ratio: vbi misericordia, iudicium vacat: salus permissa, denique salutaria omnia.* Nec ideò credendum est; decorem locutionis & antithesis, quæ commodior videbatur, inter misericordiam & seueritatem omnino expirare; cùm eodem omnino recidat, iudicij, quo suum cuique siue in litibus, siue in pœnis & suppliciis redditur, significatio, & cum misericordia quæ meram benignitatem & gratiam dicit, compositio, nam qui dicit se iudicium facere omni populo (vti de Dauide dicebatur) simul indicat supplicia etiam malis, æquè ac præmia bonis se reddere: imò verò quò generaliorem sensum habet; eò rem Principe digniorem significat. Et pro hac quidem explicatione Dauidicæ mentis omnino fideiubet eius filius Salomon Prouerb.20.28. inquiens: *Misericordia & veritas custodiunt Regem; & roboratur clementiâ thronus eius:* Vbi vt valdè contortum fuerit accipere veritatem pro seueritate, siue iniustitia punitiua; quis enim eam huic voci significationem aliquando reddidit? ita verbis & sensui valdè accommodatè, tam ad eam disquisitionem, quæ in iudicio veritatem inuestigat; quàm ad ipsammet veritatem in fauorem, siue odium alterius è litigantibus inuentam: quod idem est ac iudicium, siue ius suum partibus redditum, refertur; pulchreque à Salomone adstruitur verum Principis ornamentum: siue etiam tutissimum munimentum ac satellitium, non tam in magna prætorianorum militum pompâ, quàm in hisce virtutibus inesse: vti hunc locum apertè sub hoc sensu cœpit magnus Athanasius in Apologia ad Athanas.
Imperatorem Constantium his verbis: *Ita rem examina, quasi veritas tibi in consilio adsit, quæ Regum, & in primis Christianorum tutela est, cùm ea vos regna administrare tutissimum sit, cùm dicat Sacra Scriptura.* Misericordia & veritas Regi custodia est, & circumdabit iustitia thronum eius. *Hanc enim cùm Zorobabel ille sapiens ceteris anteferret, victoriam retulit, & acclamatum est ab vniuersis populis.* Magna res est veritas & præualet omnibus. Hæc Athanasius & multò plura, quibus ex hoc loco Salomonis Constantium ad indagandam causæ veritatem vrget. Nec aliud quidem prætulisse videtur illustris illa, quamuis modestissima pompa, quâ Dominus Passioni suæ iam vicinus Hierusalem ingressus dicitur, Matth.21. v.8. Matth.21.8.
Marci 11.8. & Ioannis 12.13. Etenim dum alij ex discipulis, *cædebant ramos de arboribus*, quæ oliuarum esse creduntur, cùm inibi esset Oliueti mons: alij gestassent in manibus palmarum ramos: tantùm non rebus ipsis exprimebant hanc tutelam siue satellitium, quod Regi ex misericordia & veritate Salomon assignat. Nam vt oliua misericordiam, ita palma veritatem in iudicij contentione adinuenta, & de mendacio victoriam referentem, quæ quamuis premitur, non opprimitur, pulchrè denotat: vti apparet ex iis Deuteron.25.1. verbis: *Si fuerit causa inter aliquos, & interpellauerint iudices, quem iustum esse perspexerint: illi iustitiæ palmam dabunt: quem impium condemnabunt impietatis.* Marci 11.8. Ioan.12.13.

7. Similis omnino locutio & antithesis subest illis nostri Regis verbis Psalm.32.5. *Diligit misericordiam & iudicium.* Cùm Deus punitionem & vindictam nunquàm diligere dicatur; sed ad illam inuitum, & reluctantem accedere quòd *alienum & peregrinum opus ab eo* sit Isaiæ 28.21: vnde ibi iudicium est, quod ritè & rectè, siue ex iure & ordine peragitur, vt bene expendit ad hunc modum Agellius: *Tamquàm summus omnium Iudex & arbiter*, misericordiam diligit, & iudicium: *nam hæ duæ virtutes summoperè illi placent: has & aliis exhibet, cùm ad æquitatem sponte propensus sit, quod est misericordiæ: ac ritè ac iustè omnia faciat, quod est iudicij: & aliis has adesse vult, & ij quibus adsunt, illi placent, & cordi sunt.* Cum quibus Dauidis verbis illa etiam eiusdem compone Psalm.83.11. *Misericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.* Sed obserua in Hebræo pro misericordia & veritate esse, *Sol & scutum*: quæ eum, quem persequimur, sensum bellè exprimunt; quippe Sol misericordiæ & benignitatis; scutum verò protectionis, & tutelæ, Psal.32.5. Isa.28.21. Agellius. Ps.83.11.

tutelæ, quam erga ſuos Principes habere debet, quin patiatur aliquem aduerſus ius & iuſtitiam opprimi appoſitus typus eſt. Nec ab hoc ea quę ſequũtur, *gratiam & gloriam* dabit Dominus, inerint: etenim gloriam dare idem eſt ac iuſtitiæ coronam iure debitam in iudicio reddere: vti dicebat Paulus 2. ad Timoth. 4. 8. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis, qui diligunt aduentum eius.* Ad quem planè modum plura poſſemus in hanc rem expendere teſtimonia: ſed non eſt cur ampliùs in his immoremur. *2. Tim. 4. 8.*

Cantabo.

LECT. VI. *Nec iuſtitiam ſine miſericordia, nec miſerationem ſine iuſtitia eſſe.*

1. Opportuniſſimè noſter Rex (iuxta frequentiorem PP. & interpretum expoſitionem, B iudicium de iuſtitia vindicatiua, ſiue de ipſamet pœna, ac ſupplicio accipientium) qui & benignitate, & ſeueritate ſe vſurum, & prœmia, & ſupplicia illaturum pollicetur: non alia locutione, ſiue dicendi modo, quàm hoc cantandi verbo ſuam mentem aperit, vt quem ignoſcendi, & puniendi tenorem eſſet ſeruaturus, apprimè explicaret: ergo non ait, dicam, faciam, annuntiabo, ſed ſignatè *Cantabo*: vt non ſecùs ac in muſica vox ad artis numeros, & leges temperatur, qui neam plus attollere, plus deprimere, plus in eodem tenore perſiſtere, quàm numeri exigant, licet: ita prorſus à Principe iuſtitia, & miſericordia temperanda, & altera alteri admiſcenda, vt nec miſericordia omnino à ratione iuſtitiæ, nec iuſtitia à miſericordia deflectat: eſt hæc ad hunc dicendi modum obſeruatio Ruperti lib. 6. in Geneſim cap. 5. premens ſub hoc ſenſu degradationem illam numerorum, quâ Abraham Dominum pro infami Sodoma deprecans vſus eſt: *Delebis propter quadraginta quinque vniuerſam vrbem?* Et ſtatim: *Si autem quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies?* Et mox: *Quid ſi inuenti fuerint triginta?* Et, *Quid ſi inuenti ibi fuerint viginti?* Et tandem: *Quid ſi inuenti fuerint ibi decem?* Gen. 18. à verſ. 28. dum ad muſices conſonantiam hos omnes numeros reuocans, ſiue emungens, muſicis proportionibus ita contextos obſeruat, vt omnes muſicæ concordiæ ſymphonias complectantur: cùm verò hæc ad ſatietatem vſque fuit perſecutus: ſic opportunè infert: *Quid igitur hi numeri, niſi tanti interceſſoris veram indicant dignitatem, videlicet quòd ita dumtaxat Dominum Deum ſuum peccatoribus parcere cupit, vt proficiat ad nominis ſui laudem & honorem? Cantabilem illam miſericordiam decet illum facere, talem ſcilicet, quæ non diſcrepet à iudicij veritate; teſtante Pſalmiſta cùm dicit*: Miſericordiam & iuſtitiam cantabo tibi Domine. Sic Rupertus. Bene illud: *Cantabilem miſericordiam decet facere*, quæ videlicet quòd debitos numeros ſeruet, annuntiari & laudari poſſit, ac debeat, nam vt ſuo loco D videbimus; nihil eſt importunius intempeſtiuâ miſericordiâ, inde ſubdit Rupertus: *Proinde, quia iam dictis in numeris omnis conſonantia vix concluſa eſt.* Abiit Dominus (*inquit Scriptura*) poſtquàm ceſſauit loqui ad Abraham, & ille reuerſus eſt in locum ſuum: *Quia videlicet, quod extra laudem iuſti iudicij Dei homo ſapiens à Deo ſuo petere nec vult, nec debet.* Vbi ad manum habes, quid pro Abrahamo nonnullis reſpondeas, qui cum tantiſper incuſant, quòd Domino ad miſerandum adeò procliui, vt omnes deprecationes Abrahæ libens ſuſceperit, ipſe vlteriùs progreſſus pro octo aut quinque non petierit, nimirum cùm ea miſericordia minùs fuiſſet opportuna, & à iudicio diſſonaret, homo ſapiens extra laudem iuſti iudicij Dei ab *Ruperť.* *Gen. 18. 28.*

Vaſq. in Pſalm. centeſimum.

A illo nec voluit, nec debuit id petere.

2. Ergo vt ea in muſica ſuauis harmoniæ lex eſt, vt & vnaquæque vox certis numeris, & modulationibus ſiue intendatur, ſiue remittatur: & nec ex grauibus ſolùm vocibus, nec ex acutis, ſed ex vtriſque ſimul admixtis, & ſeſe inuicem attẽperantibus, imò ad perfectiorem ſonum edendum ſeſe adiuuantibus concentus reſultet, vti apud Caſſiodorum lib. 2. epiſt. 40. ipſemet Rex Theodoricus obſeruauit hunc in modum: *His rebus aliquid maius adiiciens humana ſolertia, tertiò quamdam harmoniam doctiſſimâ inquiſitione collegit, quæ* Diapaſon *nominatur ex omnibus ſcilicet modis congregata, vt virtutes quas in vniuerſum melos habere potuiſſet, hac adunatio mirabilis contineret.* Ita miſericordiæ & iudicij concentus, ex vtraque virtute alteri aſſociata, & admixta reſultat: vt miſericordia aliquem iudicij tenorem ſeruet, & iuſtitia abſque miſericordiæ ſapore & condimento non ſit: ita alibi à nobis adductus Chryſoſtomus ſcitè Deum cum perito cytharœdo componebat, nam vt hic: *Neque neruum intendit, vt non abrumpat, neque remittit vltra modum, ne harmonia concentum lædat.* Sic ille nec remiſſiùs nobiſcum agit, ne ſegniores fiamus, nec durius, ne omnino concidamus ac deſperemus. Ita quidem noſter Vates Pſalm. 56. 4. Deum hac modulatione ſibi accurrentem inducit: *Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam, & eripuit animam meam, &c.* Quæ Gregor. Nyſſen. tract. 2. in Pſalmo ſic expendit: *Miſericordia & veritas pulchra coniunctio, neque enim ſine iudicio miſericordia eſt, neque veritas ſine miſericordia: harumq; ſubſidio liberabor.* Sed & huc etiam pulchrè retulit Arnoldus Abbas tractatu *De ſeptem verbis Domini*, eam doctrinæ & veritatis ſcripturam, quam pectori ſummus Sacerdos geſtabat inſculptam: eamque cum noſtri Pſalmi verbis, in quibus ſumus, ſic omnino compoſuit: *Oportet quippe, vt omnia, quæ agit, moderatrix ratio ſic diſponat, & ſic ſuis locis aptet*, miſericordiam & C iudicium, *vt cùm iudicat, ſeueritas non excludat clementiam, & cùm miſeretur, iuſtitiam pietas non relinquat.* Optimè. *Caſſiodor.* *Chryſoſt.* *Pſal. 56. 4.* *Nyſſen.* *Arnoldus.*

3. Nec omittendum, quod inibi Chryſoſtomus ſic ſtatim ſubiicit: *Nec ſemper hyems, neque ſemper ver, nec ſemper procella, nec ſemper tranquillitas, non ſemper nox, nec ſemper dies.* Quæ non tam capio, quaſi altera alteri ſuccedat, quin perpetua hyems aut nox, perpetua dies & tranquillitas ſit, quàm quod vna alteri admixta, & concatenata fuerit ad eum modum, quo dicebat Vates Pſalm. 73. 17. *Tuus eſt dies, & tua eſt nox:* & ſtatim, *æſtatem & ver tu plaſmaſti ea.* Vbi Hieronymus legit, *æſtatem & hyemem tu plaſmaſti*; etenim plaſmandi verbum eam vim habet, cùm aliud cum alio componi & commiſceri, vt inde aliquid ex vtroque reſultet, ſignificatur: vti cùm de hominis formatione ex animo & corpore, ſiue ex contrariis elementis & qualitatibus conſtantis agitur, ſingillatim Dei manibus plaſmatus, & veluti coagmentatus dicitur Iob 10. 8. & Pſalm. 118. 73. & alibi. Vt ſenſus fuerit, Deum pœnas cum ſolatiis, & triſtitiam cum gaudio, & dolorẽ cum ſuauitate ſolere miſcere: ne cùm neruum intendit, abrumpat, vel ſi remittat, concentum lædat. Quòd Principibus ſic omnino aptauit egregius ipſe Princeps, Gregorius Magnus lib. 20. Moral. cap. 6. *Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeueritate, faciendumq; quoddam ex vtroque temperamentum, vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cum tabulis virga ſimul ac manna eſt, quia cùm Scriptura ſacra ſcientia eſt in boni Rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis.* Pulchrè. Ad quem modum initio capitis dixerat: *Diſciplina enim, vel miſericordia multùm deſtituitur, ſi vna ſine altera teneatur.* *Chryſoſt.* *Pſ. 73. 17.* *Iob 10. 8.* *Pſ. 118. 73.* *Greg. M.*

sed circa subditos suos iusse Rectoribus debet, & iustè consolans misericordia, & piè sauiens disciplina. A *Hinc est quod seminiui illius vulneribus, qui à Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur & oleum; vt per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueantur; quatenus vnusquisque qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo molli tem pietatis: per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foueantur.* Hæc ibi, & multò plura Gregorius. Vides misericordiæ, & iudicij harmoniam, atque concentum? Audi ipsummet rursus eamdem doctrinam densantē, atque condientem; sic namque lib. 9. epist. 8. Prælatum quemdam instituens: *Ipsa in te dulcedo cauta, non remissa sit, correctio verò diligens sit, non seuera; sed sic alterum condiatur ex altero, vt boni habeant amando, quod caueant, & praui metuendo, quod diligant.* Opportunissimè equidem.

4. Enimverò, vt de vnius cuiusque virtutis concentu nonnihil dicamus. Vide vt iustitiæ diuinæ *Psal. 114. 5.* adiuncta sit misericordia, dicente nostro Vate Psal. B 114. 5. *Misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur:* vbi prætcrquàm quod iustitiæ misericordiam, & quidem duplicatam adiunxit, vt alibi expendo: notanter illam inter duplicem misericordiam con- *Ambros.* strinxit, vti sic expendit Ambrosius in oratione de obitu Theodosij Imperat. *In medio iustitia est gemino septo inclusa misericordia.* Quid? ideóne gemino est inclusa septo, ne vmquam exeat, sed carcere inclusa, & vinculis constricta teneatur? Minimè quidem, nam etsi Princeps clementiam in procinctu, seueritatem & iustitiam in abdito, & velut ensem vaginâ contectum & inclusum habere debeat: at non dubium, quin gladium aliquando vaginâ educere, & sontes punire operæ pretium fuerit: sed eâ signatè ratione in medio iustitia est gemino septo inclusa misericordiæ, vt quacumque illa exeat, cùm per misericordiam transire necesse sit, aliquid illius secum deferat, quod ei velit nolit, vt sic dixerim, adhæreat, vt cùm quis per medium ignem transit, calorem ei C adhærere, ipsumque calefieri necesse est. Vnde subiicit Ambrosius: *Superabundant enim peccata, superabundet ergo misericordia. Apud Dominum omnium virtutum abundantia est quia Dominus virtutum est. Neque tamen iustitia sine misericordia est, atque sine miseratione iustitia, quia scriptum est:* Noli esse nimium iustus. *Non impedit tamen iustitia misericordiam, quia misericordia ipsa iustitia est.* Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Hæc Ambros. Quæ non tam piè, quàm accuratè, & iustè dicta esse, illud confirmat, *Marcian.* quod ex Gētili Iuriscōsulto Marciano in lege *Perspiciendum D, de pœnis,* superiùs diximus. *Planè in leuioribus causis proniores, ad lenitatem iudices esse debent: in grauioribus pœna seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi.* Vides iustitiā ad opus suum exeuntem, à misericordia per quam transit, temperari, vt aliquid benignitatis secum deferat? Reddit ratio- D *Chrysolog.* nem Chrysologus serm. inquiens: *Virtutes si separatæ fuerint dilabuntur. Aequitas sine benignitate sæuitia est, & iustitia sine pietate crudelitas.* Bene ergo gemino septo misericordiæ iustitia includitur, ne iustitia dilabatur.

5. Nec alio quidem sensu de Domino dixerit *Habac 3. 2.* Habacuc 3. 2. *Cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis:* *LXX.* siue vt habent LXX. *in ira misericordiæ recordaberis.* Etenim, cum iure quis ambigat, quid commune cum misericordia habeat ira? quæ vt furor breuis est, ita ad vindictam tantùm prona & intenta fertur: quid enim illa fuerit, *quàm pœnæ exigendæ cupiditas?* vt ait *Seneca.* Seneca lib. 1. de ira cap. 3. vnde quidem homini iram accedere, feritatem aduenire fuerit. *Nullum est enim animal tam horrendum* (ait indidem cap. 1. Seneca) *tamque perniciosum natura, vt non appareat in illo, si ira inuasit,* A *noua feritatis accessio.* A feritate verò quomodò oriatur misericordia? Facilè quidem respondebimus: aliam Dei, siue Principis, siue iustitiæ iram, ab ira hominis priuati: hæc enim ad vltionem sumendam solùm fertur, & de ea tantùm cogitat. Vnde Seneca vt illam homine indignam esse adstruat subiicit c. 5. *Homo in adiutorium mutuum generatus est, ira in exitium. Ille congregari vult, illa discedere, hic prodesse, illa nocere: hic etiam ignotis succurrere, illa etiam charissimos perdere: hic aliorum incommodis, vel impendere se paratus est, ira in periculum, dummodò secum deducat alium parata descendere.* At Dei siue etiam Principis, vel iustitiæ ira, cùm non ad lædendum, sed ad medendum eat: cumque non propriam offensam, sed ius, rationemque respiciat, ideoque humanitatem non exuat: non potest non humanè & benignè etiam agere, cùm irasci videtur: imò verò quia irascitur ignoscit, & quia iustitiam exercet, misericordia vtitur, quæ iustitiæ B adnexa & agglutinata est. Dixit id primum indidem Seneca quasi factæ à nobis argumentationi responderet: *Quid ergo? Non aliquando castigatio necessaria est? Quidni? Sed hæc sincera cum ratione. Non enim nocet, sed medetur specie nocendi.* Dixit idem ad præfata Habacuc verba P. Gaspar Sanchez hunc in modum: *P. Sanch.* *Optimè verò misericordiam cum indignatione coniungit, quia in Deo nunquam misericordia ab indignatione separatur. Quod experientia doctus cecinit David* Psalmo 76. 7. Nunquid in æternum proiiciet Deus, aut non apponet, vt complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem? Aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? *Deus ita de pœna cogitat, vt tamen de salute curam non abiiciat. Facit quod in afflicto corpore chirurgus, qui ita vrit, & secat, vt tamen dolenti condoleat.* Dixit hoc tandem Ambros. præfata oratione de obitu Theodosij: etenim ac si de ipso dixerit: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis,* in- C quit, *tunc propior erat venia, cùm fuisset commotio maior iracundia. Prærogatiua ignoscendi erat indignatum fuisse, & optabatur in eo, quod in aliis timebatur, vt irasceretur. Sæpè trementes vidimus, quos obiurgabat, & conuictos sceleris, cùm desperassent, solutos crimine.* Hæc & alia ibi Ambrosius: vt firmet, quod adstruxerat, iustitiam gemino inclusam septo misericordiæ non aliter exire, quin in misericordiam desinat.

6. Atenim illud maximè è hac re fuerit, quod *Psal. 79. 6.* Psalmo 79. 6. de Deo piè in suos sæuiente sic inquit Vates: *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis in lachrymis in mensura:* & verò, vt hæc mensura vti ab *Ambros.* Ambrosio lib. 1. de pœnitentia cap. 12. & aliis frequenter vsurpatur: huic cogitationi non leuiter adstipuletur, dum de moderatione & temperamento iustitiæ adhibito sic accipitur: *Denique Paulus docet, non deserendos eos, qui peccatum ad mortem fecerint, sed potiùs lachrymarum panibus, & potu coërcendos flebili, ita ta-* D *men vt ipsa moderata esset tristitia. Hoc enim significat:* Et *Lect. Hebr.* potum dabis eis in lachrymis in mensura, *vt ipsa tristitia mensuram habeat, ne fortè abundantiore tristitia absorbeatur, qui agit pœnitentiam:* maiorem tamen in hanc rem emphasim habet si penitiorem ex originibus lectionem haurias. Equidem quod aliis adnotatum video; pro *potum dabis in lachrymis in mensura,* omnino legeris, *potum dabis lachrymas in vola manus.* Sed enim non tam perinde accipiendum id fuerit, quasi mensura lachrymarum adeò sit exigua, vt cauam manum vix impleat, quamuis is simul sensus ei imagini subsit; quàm iis nos lachrymis potandos fore, quibus multum dulcedinis & suauitatis sit admixtum; dum eæ non in alio vase, quàm in ipsamet Dei manu à qua illis non potest non plurimum suauitatis adhærere, à nobis ebibuntur: enimuerò,

vt

Digitized by Google

vt durum sit supplicium subire, & lachrymas bibere, at has ex ipsamet palma diuinæ manus lambere, prædulce quidem misericordiæ opus esse dixeris. A qua cogitatione nec hilum dissidet illa eiusdem *Psal.55.9.* Vatis ad Deum allocutio, Psalm.55.9. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo* : *Hieron.* vbi Hieronymus, & plures notanter reponunt, *in vtero tuo*: vt ex more, quo Hebræi vtebantur vinum vtribus includere, quorum odorem, & saporem illud retinebat, non incongruè dixeris, Deum quas suis ebibendas daturus est lachrymas, priùs includere in vtre suo, in illo videlicet de quo Dauid : *Torrente voluptatis tua potabis eos*, *Psal. 53.9.* Psal.35.9. vt quæ ex se salsæ & amaræ sunt, ab vtris saltem odore & sapore, condiantur, aliquidque mellitæ dulcedinis illis accedat : sed iam vide vt *Psal.118.22.* hæc omnia firmet Ambrosius ad id Psalm.118.22. *Ambros.* *Aufer à me opprobrium quòd suspicatus sum, quia iudicia tua iucunda:* nimirum pro *iucunda* ipse in primis legit *dulcia*: deinde verò hæc sic exponit: *Quid vereor opprobrij mei facere mentionem apud eum, cuius iudicia dulcia sunt? Quod seuerum in alijs, in Christo suaue est; quia ipse suauis est. Denique gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Vt dicere videatur, non possunt non eius iudicia dulcia esse, qui cùm maximè dulcis & suauis ipse sit, lachrymas siue pœnas, quas irrogaturus est, in vtre suo priùs asseruat, & subinde in ipsamet palmâ manus bibendas offert, aliter quidem, ac seueri iudices, siue carnifices, qui pœnas plus plus exacerbant.

7. Dixeris planè non dulcia tantùm aut iucunda, sed opportuna & præclara hæc iudicia, siue hunc iudicandi, & puniendi modum esse. Certè noster Vates dum Regum Regem populos gubernaturum, & regia in illos potestate vsurum annuntiat; ab hac suauitate iustitiæ admixta gubernationi, & *Psal.44.3.* iudicio illius opportunitatē sic assignat. Psal.44.3. *Speciosus formâ præ filiis hominum diffusa est gratia in labiis tuis, &c.* Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna : vbi primùm obserua, gladium gemino septo gratiæ, & pulchritudinis inclusum, vt quacumque irrumpat secum ferat aliquid gratiæ & speciei : sed deinde vide, quomodo *Tertull.* hæc, & legat, & explicet Tertullianus lib. aduersus *Lect.Græc.* Iudæos cap.9. Etenim pro *speciosus forma*, ipse è Græcis vocibus apprimè reponit: *Tempestiuus decore super filios hominum* : deinde cùm hæc non de hostibus ferro debellandis accipienda esse sic præmisisset: *Valdè enim absurdum est, si quem ad bellum ense cingebat, ei de tempestiuitate decoris, & labiorum gratia blandiebatur, de quo subiungens dicebat.* Extende, & prosperare: propterea, & regna, *& adiecit*, propter lenitatem & iustitiam tuam. *Quis ensem accingitur, & non contraria lenitati & iustitia exercet? Id est dolum, & asperitatem, & iniustitiam, propria scilicet negotia præliorum* : ad iudiciariam statim potestatem, quâ cuique quod suum est reddit Dominus; sic omnino refert: *Videamus ergo an alius sit ensis ille, cuius est alius actus, id est Dei sermo diuinus bis acutus duobus testamentis legis antiquæ, & legis nouæ; acutus sapientia sua æquitate reddens vnicuique secundùm actū suum.* Ergo tempestiuus, & opportunus decore ad iudicandum, & vnicuique secundùm actum suum reddendum signatè Dominus asseritur, quòd actus sapientiæ suæ æquitate prædulcia, decora, atque iucunda iudicia exerceat, & gladium melle intinctū, cùm videlicet *in labiis*, è quibus verbum, qui est gladius procedit, *diffusa gratia* sit. Opportunè ergo Dauid optimo Principi, quem gladio accinctum videbat, *de tempestiuitate decoris, & labiorum gratia blandiebatur*: *Cassiodor.* eo prorsus sensu, quo bonus iudex Cassiodorus lib.11. variar. cap.40. dicebat : *Qui iustitia inexorabili excubat, necesse est, vt eum pietas benigna distingat* : pulchrè, *discingat* : ne rigidæ gladio seueritatis accinctus, sed admixtam lenitatem, & suauitatem habeat: quippe *æquitas sine bonitate sæuitia est, & iustitia sine pietate crudelitas.*

8. Sed vide iam oculis dulcia Domini iudicia, & indissolubili nexu coniunctam cum misericordia iustitiam. Statuit ipse aliquando iustitiâ id omnino exigente omnia Ægypti pecora, & cuncta, quæ reperirentur in agris perdere. Quid homo, qui id in animum induxisset, tunc faceret? Equidem subitò & inopinatò, cùm ij ad quos illud intererat minùs ea de re timerent, cogitata perficeret. Quid verò Deus? Sanè Pharaonem, vt ea sub tecto colligeret, sic omnino admonuit: *En pluam cras hac ipsâ horâ grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, à die, quâ fundata est vsque ad præsens tempus. Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim, & iumenta, & vniuersa, quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, ceciderintq́ super ea grando, morientur*, Exodi 9.18. Vbi meritò ambigas: an punire? *Exod.9.18.* An verò misereri id fuerit? Quid, supplicio intentus es Domine? & supplicium declinari studes? Respondet Theodoretus quæst.21 in Exodum: *Dominus cùm* *Theodor.* *sit humanissimus, misericordiâ temperat supplicia.* Acriùs verò Augustinus dum talia dubitantem penè irridet: enimuerò cùm quæst.33. in Exodum præmisisset : *Quid est, quod mandauit Deus Pharaoni cùm se facturum magnam grandinem minaretur, vt festinet congregare pecora sua, & quæcumque essent in campo, ne grandine interirent? Hoc enim non tam indignãter, quàm misericorditer videtur admonere*; sic subijcit: *Sed hoc non facit quæstionem, quod Deus etiam irascens temperat pœnam.* Quod perinde fuit, ac si diceret : otiosa quidem ea interrogatio fuerit, nec digna, vt in quæstionem vocetur: cùm ea sit Dei natura, & ingenium, vt non aliter puniat, quam iustitiam misericordiâ temperando: vnde vt superflua, & inutilis interrogatio fuerit, cur pulchrum oculis placet? aut quare ignis calefacit? ita ad quæstionem non pertinet ambigere, cur Deus irascens temperet pœnam? cùm id non secùs fuerit, ac de primis principiis disputare velle.

9. Iam verò suum etiam misericordiæ modum, certamque legem, licet laxiorem quidem (vt postmodùm dabimus) imponendam, suosque certos numeros adsignandos fore, satis ostendit noster Vates cùm Psalm.118.29. ait: *Viam iniquitatis amoue à me, & lege tuâ miserere mei.* *Ps.118.29.* Sic enim omnino legendum est; quin addatur propositio *de* : vt ex correctissimis exemplaribus, & Ambrosio constat: vbi manifestè vides, misericordiam non esse sine lege; sed potiùs lege, siue ad legem factam: quippe vulgaris, & abscissa clementia, quæ sine ratione, sine iudicio, & delectu ignoscit, in vitio est. Nec enim promiscuam habere, ac vulgarem clementiam, *oportet* (monet Se- *Seneca.* neca lib.1. de clementia cap.2.) *nec abscissam, nam tam omnibus ignoscere, crudelitas est, quàm nulli.* Nec minus habet locum in misericordiæ modo ex iudicio adhibendo, quod dicebat Chrysologus; *Virtutes si separata fuerint, dilabuntur*: *Chrysolog.* ideò præmiserat: *neque pietas sine iustitia est, neque sine pietate iustitia*: planè vt quod dicebat Gregorius: *Dulcedo cauta, non remissa sit.* *Greg.M.* & Græcus quidam Poëta in Antologia lib.4. *Misce cum lenitate nonnihil timorem. Nam & ipsa apis bombilans armatur aculeo acuto. Neque regitur sine flagello equus generosus.* Hæc omnia pleniùs ac elegantiùs, admonente Ambrosio, ad præfata Dauidis verba serm.4. hunc *Ambros.* in modum: *Ideò bonus medicus huiusmodi ægrum legitimè dicit esse curandum, vt possit medicina proficere. Lege ergo miseretur, qui cum iustitiâ sapientiaq́ miseretur, vt ea dimittat, quæ scit iure posse dimitti, ne cùm alterius miseretur, seipsum legi faciat obnoxium. Ag(?) postquàm miseratione donatus est,*

Digitized by Google

fecit peccare Saül. Peccauit enim in ipsa misericordia, & ideò peccauit post misericordiam. Hæc & alia ibi Ambros. Nec minùs opportuna sunt, quæ habet serm. 8. in eumdem Psalm. 118. Sic enim primum: *Est ergo iusta misericordia, est etiam iniusta misericordia. Denique in lege scriptum est de quodam:* Non misereberis illius. *Et in libris regnorum legis, quia Saül propterea contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium Regem, quem prohibuerat sententia diuina seruari. Vt si quis latronem filiis deprecantibus motus, & lachrymis coniugis eius inflexus absoluendum putet, cui adhuc latrocinandi aspiret affectus.* Et post nonnulla: *Hoc ideò dictum est, vt sciamus secundùm verbum Dei, secundùm rationem dispensandam esse miserationem debitoribus.* Apponit opportunam imaginem: *Medicus ipse si serpentis interiùs inueniat vulneris cicatricem, cùm debeat resecare vlceris vitium, ne latiùs serpat, tamen à secandi vrendiq; proposito lachrymis inflexus ægroti medicamentis tegat, quod ferro aperiendum fuit: nónne ista inutilis misericordia est, si propter breuem incisionis, vel exustionis dolorem corpus omne tabescat, vita vsus intereat?* Bene omnino vtilem, iustamque misericordiam rationi subnixam ab inutili, & iniustâ discriminauit Ambrosius, si medicus medicinæ lege non medeatur, sed *medicamentis tegat, quod ferro aperiendum fuit:* turpiter nimirum Princeps, siue Iudex in misericordia, vt Saül peccans, & grauem in se contrahens offensam: non secùs ac Clodij Iudices à pœna illum absoluentes, de quibus scitè Seneca: *Minus crimine, quàm absolutione peccatum est.*

Tibi Domine.

Vnicus Dauidi scopus Dei gloria.

LECT. VII.

1. NOtanter quidem *tibi*: nec minùs opportunè subiecit *Domine*. Atque vt hinc incipiam: ideò Dominum is signatè appellat, qui omnia misericordiæ, & iustitiæ munia in eius laudem, & gloriam se præstiturum fore pollicetur: quippe, vt vnus hic diuinæ gloriæ scopus humanis omnibus actionibus est præfigendus: hic vnus nostris conatibus proponendus est finis, ita hinc præcelsum illud atque diuinum assequitur homo, vt Dei seruus fiat, & egregiâ hac & gloriosâ appellatione condecoretur: ita id eleganter pensitante, atque diffundente Gregorio Nysseno lib. de vita Moysis prope finem: *Nyssen.* dum sub hoc sensu capit ea Deuteronomij verba cap. vlt. v. 5. *Mortuusq; est ibi Moyses seruus Domini iubente Domino*: siue vt ipse ex LXX. legit: *Per verbum Domini*: *Deut. vlt. v. 5.* ad hunc modum: *Hinc enim discere licet, quot quantisq; virtutibus hoc sacro nomine dignus homo efficitur, vt Dei seruus appelletur. Dei enim seruus verè ille est, qui cetera omnia sapirauit. Nam Deo seruire quispiam non potest, nisi omnia, quæ in hoc mundo sunt propter Deum spreuerit.* Vnde post pauca egregia Moysis facta præstringens sic subiicit: *Quid igitur historia nos hinc admonet? Ad vnum esse finem nobis in hac vita respiciendum, vt serui Dei nomen assequamur. Nam cùm omnes inimicos deuiceris, Aegyptium, Amalecitam, Idumæum, Madianitam, cùm aquas transieris, cùm nube illuminatus fueris, cùm ligni virtute dulciores biberis aquas, cùm lapidis fluenta potaueris, cùm cælestem panem comederis, cùm munditie atque castimoniâ iter tibi ad montem confeceris* (præcido plura) *tum demum accedes ad finem. Finem autem dico, cuius gratia cetera fiunt. Nam vt agriculturæ finis est. frugum perceptio, ædificationis aditum est habitatio, & negotiationis diuitiæ, certaminis corona, sic virtuosæ vitæ finis est, vt seruus Dei sis & voceris.* Hactenus Nyssenus.

2. Ergo Dauid qui Dei seruum esse, & vocitari volebat: huic fini siue scopo intentus, eum etiam suis actionibus & affectibus præfigebat scopum, vt vnam Dei gloriam & laudem respiceret: ideò misericordiam & iudicium cantaturus, regias videlicet virtutes executurus, & regium munus probè & laudabiliter administraturus signatè expressit *tibi*: hoc est, vt obseruat Cardin. Bellarm. *ad laudem tuam*: *Bellarm.* vt dixerit, siue misericordiæ, siue iustitiæ munia exhibiturus non ad meam gloriam, non ad hominum plausus, non ad proprias commoditates, regiúmve splendorem, sed in tuam laudem intentus aspiciam; vt vnus tu, Domine, omnium quæ egero causa sis: ita opportunè Bernard. serm. de *obedientia & patientia*, *Bernard.* dicebat: *Deo quodammodò insulsa nostra obedientia, seu patientia est, nisi omnium, quæ agimus, & patimur, ipse sit causa.* Quo sanè sensu datiuum hoc *tibi* frequens, est ac familiare Dauidi cum Deo colloquenti: sic enim Psalm. 56. vers. 8. *Tibi dixit cor meum*, & Psalm. 5. *Psal. 26. 8.* vers. 4. *Manè astabo tibi*: & Psalm. 29. vers. 13. *In* *Psal. 5. 4.* *Psal. 29. 13* *æternum confitebor tibi*: & statim: *Vt cantet tibi gloria mea*: & alibi, vt omnino significet se vni Deo viuere, regnare, & in ipsum tamquam in scopum omnes actiones, consilia, & desideria sua referre; tantùm *Coloss. 3. 17* non exprimens illud Pauli ad Coloss. 3. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine* *1. Cor. 10. 31.* *Domini Iesu Christi.* Et 1. ad Corinth. 10. 31. *Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: *Theodoret.* vbi Theodoretus: *Omnia*, inquit, *comprehendit, & sedere, & ambulare, & disserere, & misereri, & docere: vt vnus sit scopus, Dei gloria.* Quare alibi notantissimè Deum orabat, vt oculos suos à vanitate auerteret, ne videlicet in aliud quocumque tandem se illi verterent, quàm in Dei honorem & gloriam *Ps. 118. 37.* intenderent. *Auerte* (inquit Psal. 118. 37.) *oculos meos,* *August.* *ne videant vanitatem.* Vbi Augustinus componens hæc *Matth. 6. 22.* verba cum illis Assertoris nostri apud Matthæum 6. 22. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Sic luculenter loquitur: *Proinde magni interest, cùm aliquid boni fecimus, cuius rei contemplatione faciamus: officium quippe nostrum non initio, sed fine pensandum est, vt scilicet, non tantùm, si bonum est, quod facimus, sed præcipuè si bonum est propter quod facimus, cogitemus.* Et statim: *Hos oculos quibus contemplamur, quare faciamus, quod facimus, auerti poscit,* ne videant vanitatem: *id est, ne hanc attendat, propter quam faciat, cùm boni aliquid facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multa magna fecerunt, qui magni in hoc sæculo nominati sunt, multumq; laudati in ciuitatibus gentium quærentes non apud Deum, sed apud homines gloriam, & propter hanc velut prudentes fortiter, temperanter, iusteq; viuentes; ad quam peruenitutes perceperunt mercedem suam, vani vanam.* Hæc & multò plura ibi in hanc rem Augustinus.

3. A quo sanè non inurit mystica illa zona, quâ Dominus ad sui exemplū fideles lumbos suos præcingere voluit. Nimirum de ipso Ioannes Apocal. 1. *Apoc. 1. 13.* v. 13. aiebat, *Præcinctum esse ad mamillas zonâ aureâ.* Vt videlicet dum ipse omnes actus, omnia studia in officio egregiè contineret, omni ratione, omni modo virtutem, & probitatem spirare dicitur: notanter in aurea zona innuatur, nullum ipsi alium, quàm diuinæ gloriæ scopum fuisse præfixum, sic id adnotante Gregorio Magno: *Vt cunctos mutabilium cogitationum motus per solius amoris vincula restringat.* *Greg. M.* Quod videtur expressisse sponsa Canticorū 1. 12. inquiens: *Cant. 1. 12.* *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur.* Iis enim tantùm non dicit se Deum in medio cordis locatum habere, vt omnia ipse sibi eius studia, & actiones vendicet, omnia quæ ab sponsa proficiscuntur bona in eum tendant, & ab eo odorem accipiant, & ei cursum floreant, odoremq; suum spirent, quin aliâ sæculi cupiditate corrumpantur, vt sapienter hæc ad id loci obseruauit Gregorius Nyssen. hom. 5. in Cant. vbi cùm dixisset: *Localis cor-* *Nyssen.* *dis positura ab iis, qui tam sunt speculati, dicitur esse in medio*

vbe-

vberum: illic autem dicit sponsa se habere fasciculum, vbi bonum tamquam thesaurus reconditur: sed & cor dicunt esse quemdam fontem nobis innati caloris, à quo per arterias in vniuersum corpus calor distribuitur, per quem fiunt calida, & vitalia membra corporis, vt quæ foueantur ab igne cordis. Inde ad præsentem rem ita infert: *Quæ ergo principatum tenente animæ facultate suscepit bonum Christi odorem, & cor ipsum fecit fasciculum huius suffitus, se ita comparat, vt omnia sigillatim vitæ studia tamquàm aliquam corporis membra ferueant spiritu, qui ex corde permeat, nulla iniquitate, nullo membro corporis refrigerante dilectionem in Deum.* Hæc Nyssenus.

4. Sed & illud in Dauide peculiari obseruatione dignum, adeò videlicet ipsum omnia facta, atque virtutes in Deum referre, eique cantare, adstare, confiteri, psallere: hoc est & regnare, & militare, & loqui, & manducare, & bibere solitum, in ipsius laudem, & honorem, atque etiam (vt sic dixerim, ex vi datiui casus, qui commodum aut damnum significat) vtilitatem omnia referendo, vt & loquendi B assuetudine, siue scribendi calore ductum Domino *Psal. 50.5.* peccasse quæsita locutione dixerit Psalm. 50.5. *Tibi* *Psal. 40.5.* *soli peccaui.* Et Psalm. 40.5. *Peccaui tibi.* Quid? intulitne *Iob 35.6.* Deo damnum? Non opinor, monente Iob cap. 35.6. *Seneca.* *Si peccaueris, quid nocebis ei?* Et concinente Seneca lib. 7. de benef. *Iniuriam Deo sacrilegus non potest facere, quem extra ictum diuinitas posuit.* Quid ergo vtilitatem aut lucrum ex turpissimo facto is, cuius ideò mundi sunt oculi, vt ad iniquitatem aspicere non valeat, percipere potuit? Minimè quidem. Quomodò ergo Deo Dauid peccasse dicit? Respondet quidem pri- *Basilius.* mùm Basilius, & ab eo Theodoretus ex intimo in *Theodor.* Deum affectu, ita fuisse locutum, vt dixerit; illud sibi in peccato signatissimè malum esse, quodque & vehementiùs displiceret: quòd Deum suum, quem summè diligere, & in oculis ferre, & habere debebat, ingratus offenderit: cetera mala dedecus, infamiam, temporaliaq; supplicia, nihil sibi esse; sic enim C illi: *Cùm multis at magnis donis tuis sim potitus, contraria tamen rependi. Non enim hoc dico, quòd in Vriam non deliquerit: deliquit quidem, & in illum, & in vxorem eius, verùm maxima hæc præuaricatio aduersus Deum præcipuè fuerat commissa, qui ipsum elegerat, & Regem constituerat.* Benè quidem: sed enim non minùs opportunè responderis, notanter dixisse Dauidem peccasse Domino, quòd agnitum, deploratumque peccatum ad Dei gloriã omnino retulerit, siue quòd tamquàm æger Medico se curandum subiecerit, siue quòd salutem, & veniam ab ipso accipiens; eius magnitudinem extulerit; egregiisque laudibus cumulauerit, vti adno- *Stephan.* tauit Venerab. Stephan. Cantuariens. in c. 32. Deuteron in allegoriis Gotfredi Tilmanni, inquiẽs: *Peccat quis Deo, id est, ad honorem Dei, consecutiuè scilicet per gloriam ignoscendi, quia ex peccato sequitur sæpè contritio, ex contritione remissio, quæ est gloria Dei; vnde:* tibi soli D peccaui: *Vel peccat quis Deo per curam, quia qui peccat, curæ Dei se subiicit, quia à Deo salutem sperat.*

5. Nec omiserim, quòd è hac etiam re est, vatem dolenter dixisse, se Domino peccasse, quòd optimè nosset subditos à tanto crimine scandalum suscepisse, ac proinde externam Dei apud homines gloriam fuisse obscuratam, atque imminutam: vti & Nathan ei obiecit: *Blasphemare fecisti inimicos Domini* *2. Reg. 12. 14.* *propter verbum hoc*, 2. Reg. 12. 14. & Gregor. Magnus *Greg. M.* in re simili, id est, in prauo Prælatorum, siue Sacerdotum exemplo sic monuit homil. 17. in Euangelia: *Nullum autẽ, puto fratres, ab aliis maius præiudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus; nulla animarum lucra quærimus, ad nostra studia quotidie vacamus: ter-* A *rena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus.* Sic ille. En quàm fuerit Dei gloriæ addictus Dauid, quamque solicitus, vt ad eius laudem cuncta referret.

Tibi Domine.

Vnicus Principi scopus, Dei gloria.

1. APerit verò hac locutione & sensu Dauid, non *Lect. VIII.* politicis rationibus; status potiùs rebus, quàm veræ in Deum pietati accommodatis; sed germanâ gubernandi ratione, quæ Reges Dei vicarios faciens in eius obsequium cuncta molitur, regni munia se administrare, quasi omnino his verbis præscripserit, quòd posteà eius filius testatum reliquit, *iusta iustè* perficienda esse: sic enim Salomon Sap. 6. *Sap. 6. 10.* v. 10. *Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis. Qui enim custodierint iusta iustè,* B *iustificabuntur:* siue vt habet Lectio Tigurina: *Qui sanctitatem sanctè coluerint, sancti censebuntur.* *Lect. Tigu.* Vt his verbis iam tunc impiis Principibus politicis à turpissimo Machiauello edoctis iustitiam, religionem, pietatem, ceterasque virtutes non iustè aut sanctè colentes, sed status rationi accommodantibus omnino repugnet. Quare vide vt opportunè ea Cypria- *Cyprian.* nus elucidet in lib. de singular. Clericor. dum ait: *Non bene succedit quidquid agitur passim, & sanctum non est, quod geritur sanctum, nisi sanctè quod sanctum est peragatur, sicut Salomon asserit dicens:* Qui enim custodierint iustè iusta, iustificabuntur: *Sinceriter ergo sinceritas ipsa seruanda est, & omne quod iustum est, etiam in actu signandum est, ne aliud vota commendent, & aliud actus insinuent.* Sed & Philo adductis iisdem verbis ipsâ ex mone- *Philo.* tæ imagine hunc in modum pendit lib. legis allegoriar. *Hoc lex iubet, virtutem propter ipsam colere, itaque studiosos virtutis tamquàm nummos examinat recta ratio,* C *verùm vitium habeant animæ bona referendo ad res exteras, an proba moneta sint, conseruando ea in solâ animâ.* Sic Philo: & quidem optimè virtutis actiones cum nummis componit. Etenim vt in his ad metalli pretium, Principis etiam imaginem adiungi necesse est, ita & studiosis actionibus satis non est ex genere suo, vt aiunt, bonas esse, nisi & diuina illis imago insculpatur, vt iusta iustè, & sancta sanctè peragantur, diuinæ scilicet gloriæ, non humanæ cupiditatis scopo illis affixo.

2. Sanè huc facere videtur diuina lex Leuit. 26. 1. *Leuit. 26. 1.* quâ signatè cauebatur, ne alius à Deo scopus ipsius cultoribus animo, aut oculis præfigeretur: sic enim ibi: *Ego Dominus Deus vester. Non facietis vobis idolum, nec sculptile, nec insignem lapidem erigetis in terrâ vestrâ, vt adoretis eum.* Sed obserua primùm apud Pagninum, & *Pagnin.* Vatabl. pro *lapidem insignem*, haberi *lapidem depictum*, *Vatabl.* D *siue cælatum*, quod inibi Hysichius de opibus, & *Hysichius.* opum supellectile, de gemmis videlicet, & rebus, quibus insana hominum libido pretium fecit, sic capit: *Cumulum auri, aut argenti, aut pretiosorum lapidum, in quibus seducuntur auari, sicut gentiles in idolis.* Deinde, Tertullianum in Scorpiaco cap. 2. ex Græco fonte *Tertull.* legere *Lapideum scopum*: quippe translatio LXX. habet *L X X.* *Lapidem signum*, & in origine est vox *Scopon*, à quo nos dicimus *Scopum*, ex quâ lectionum inter se concinentium diuersitate eum formaueris sensum, inter Religionis partes, id à Domino signatè præscribi, vt in ipsum tamquam in scopum humanæ actiones dirigantur: simulque innui ad idololatriam eum quodammodò præludere, qui Dei cultum & Reipub. administrationem non diuinæ gloriæ, sed ambitionis aut diuitiarum scopo sibi præfixo capesseret, ad eum modum, quo pessimi Politici Principem

suum

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

A suam cum gnauo, & perito nauclero componentes, Religionis, aut iustitiæ vela pro ventorum diuersitate, pro status videlicet ratione; pro regnorum fortuna & incrementis; pro humana gloria, pro terrenis commoditatibus instituenda, commutandaque fore, docent. Quibus sanè ducem se præbuit infelix ille Rex Saül, vt ex Scriptura nouimus religionis speciem ad suos vsus non semel obtendens: etenim cùm ex Dei præscripto Amalecitas, ita acerbè atque vniuersè mulctare deberet, vt ex illorum rebus ac genere nihil reliquum esset, ipse pretiosarum, pulchrarumque rerum amore, & auaritiâ captus: *Pepercit optimis gregibus ouium, & armentorum, & vestibus, & arietibus, & vniuersis quæ pulchra erant: quidquid* 1.Reg.15.9 *verò vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt.* 1.Reg. 15.9. Religionem, & diuini cultus studium suis cupiditatibus sic obtegens, cùm pro se Samueli eius facti rationem reddidit: *Audiui vocem Domini, & ambulaui in via, per quam misit me Dominus, & adduxi Agag Regem Amalec, & Amalec interfeci. Tulit autem de præda populus oues & boues, primitias eorum, quæ cæsa sunt, vt immolet Domino Deo suo.* Vides, vt is, qui diuitiarum, & humanæ laudis scopum sibi proposuerat Religionis speciem, quâ cupiditatibus suis fucum faciat, modò obtendat?

3. Quid verò ad hæc Samuel? *Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini. Melior est enim obedientia, quàm victima, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum.* Et statim: *Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Vbi, si bene æstimas, ariolus, & idololatra appellatur Saul, non quidem quòd vtcumque Domino non obedierit, eâ enim ratione quilibet peccator diceretur idololatra; sed C quod optima spolia Amalec, & vanam ad gustum populi clementiæ ostentationem lapidem scopum sibi proponens, huc Religionis vela conuerterit: Deum Deique cultum ad suas cupiditates, reluctantem trahens. Nimirū propositus illi scopus in quem animus & affectio dirigebatur, ipsi pro Deo, siue idolo erat, externa verò ementitæ pietatis, siue Religionis opera, quæ Deum scopum non habebant huic figmentū, siue mendacio sic inseruiebant, siue lenocinabantur, vt ipse Dominus iure tunc exclamare dolenter posset: *Seruire me fecisti iniquitatibus tuis*, Isai. [Isa.43.24.] 43.24. ita ibi adnutante P. Sanctio num. 48. vbi cùm [Sanctius.] dixisset: *Quod sanè ostendit, quàm sint ingrata simulata obsequia, quæ externā tantùm obiiciunt pietatis speciem, cùm tamen absit ab illis quàm longissimè pietas, & quæ appellari Religio posset, quæ si vera est, animum quoque cum muneribus donat, à quo habent sacrificia & munera, vt grata sint. Talia fuerint hæc, quæ à Rege victore producta sunt, quæ cùm ad altare cultro subiiceret, voluntatem tamen sibi retinuit, cùm plura sibi reseruauit ex præda.* Scitè huc adducit ea Isaiæ D [Isai.64.6. Chald.] verba 64.6. *Quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ.* Pro quibus reponit Chaldæus: *Sicut frusta panni, quæ ponuntur super plagam:* vt dixerit Vates externa sanctitatis signa, à quibus religiosus animus abest, ad instar panni esse, quo saniosa teguntur vlcera: quippe quæ internam celent malitiam, eique turpi fuco lenocinentur.

4. Sed & huic rei fuerit peropportunum, edita tunc à Saüle pœnitentiæ verba cum præfatis Dauidis pœnitentis verbis componere: ergo cùm Saül se peccasse agnosceret, statim clamauit: *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini*, 1.Reg.15.24. Quæ [1.Reg.15.24.] verba eadem esse videntur cum verbis Dauidis de peccato suo dolentis: *Peccaui Domino*, 2.Reg.12.13. [2.Reg.12.13.] Quid enim his illa minùs habent? & verò valdè dissimile vnaquæque commeruere responsum: Dauidi namque è vestigio suggessit Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum à te: non morieris.* Saüli verò petenti à Samuële: *Reuertere mecum, vt adorem Dominum*, ipse conuerso ad Regem dorso recedens dixit: *Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus, ne sis Rex.* Quod si inquiras: cur vtroque Rege eadem locutione suum peccatum agnoscente, Dauid à Deo veniam obtinuerit, atque in regno suo denuò firmatus fuerit, Saül verò & Dei gratia, & regno exciderit? Respondet Gregorius [Greg. M.] Magnus ad hunc locum, eam Saülis vocem *peccaui*, non tam à verâ pœnitentiâ & amore in Deum, quàm ab studio remouendi à se malum, quod ei fuerat Propheta comminatus, amissionem scilicet regni elicitam, siue extortam fuisse: nec enim ipse priùs dixit *peccaui*: quàm audiuit, regnum aliò esse translatum. Audi: *Saul obedire Deo refugiens perdere re-* B *gnum timens, quid aliud nobis quàm superborum mores insinuat? Qui cùm præualent, videri parui, aut peccatores vitant, cùm coguntur, humilitatis virtutem simulant.* Ergo vt Dauid peccauit Domino, nihil temporale timens, dolénsve; sed vehementer quidem & vnicè sibi displicens, quòd Deum, quem in oculis semper habere debuisset, ingratus offenderit, ita Saul nō tam Deo, quàm sibi peccasse dolebat, qui videlicet peccato suo à regno exturbatum iri audiebat.

5. Retinuit quidem improbum hunc morem Saül, & subinde regni administrationem, misericordiamque ac iudicium non Deo, instar Dauidis, sed sibi suisque rebus canere consueuit: etenim cùm illum 1.Reg.28.9. edicto cauisse audis, ne vllus in suo [1.Reg.28.9.] regno permitteretur viuere, qui magicis artibus, & fallacibus dæmonum responsis populum deluderet; sic enim ibi: *Et Saul abstulit magos & hariolos de terrâ,* C quo nihil iustiùs & salubriùs videri poterat, scito non iustitiæ amore, sed regnandi cupiditate, vt Deum, qui eum à regno exturbârat, eo sibi facto concilians inflecteret. Quod quidem ei adeò non placuit, vt vel hac ratione illum mortis suæ sententiam ex Pythonissâ audire permiserit, vt egregiè obseruauit S. Iustinus Martyr q. 52. ad gentes his [Iustin. M.] verbis: *Diuinatrices abstulit Saul, eo facto se Deum conciliaturum sperans, vt suam ille sententiam, quâ eum vt regno indignum repudiauerat, mutaret. Non hariolorum odio habens impietatem, sed regnis adamans administrationem, & quia consilium eius Deus non probauit, propterea eum ita reliquit, vt illos ii requireret, quorum non bono instituto parauerat cædem.* Hæc Iustinus.

VERSVS II.

Psallam, & intelligam in viâ immaculatâ, quando venies ad me?

COMMENTARIVS.

Nihil moror, an verbum *Psallam* ad hunc, an ad præcedentem versum pertineat, de quo frustrà nonnulli decertant, cùm sensus siue idem sit, siue eòdem recidat: nec vmquam fuerit opportunum, aut à Vulgatæ dispunctione recedere, aut verba, & res ab antiquis sedibus sine causa conuellere.

Psallam.

Non solùm voce (ita Cardin. Bellarm. & Agellius) [Bellarm. Agellius.] *cantabo misericordiam & iudicium, verùm etiam adhibito ad vocem psalterio tuas laudes personabo.* Quod videtur retulisse Chrysost. ad hilaritatem, quâ Dei laudes [Chrysost.] canebat, cùm ait: *Hilari porrò nutu in hoc canit cantico,*

suas

Incognit. *ſuas enarrans actiones*, & ab eo ſic Incognitus expreſsè, Pſallam, *id eſt cum hilaritate bene operabor*. At enim potiùs eſt, vt altiori ſenſu, vel ipſo manuum, & vocis concentu, verba operibus conſonantibus, vt Caſſiodorus ait, vel ipſammet miſericordiæ & iudicij accuratam œconomiam, ſiue perfectionem ſignificet. Caſsiodor. Vnde ſtatim Chryſoſt. hoc cum ſequenti verbo adnectens inquit: *Et quidem intelligenter pſallebat, corde nimirum irreprehenſibili*. Theodor. Luculentiùs verò Theodoretus Baſilius. & Baſilius ad hunc modum ex Symmacho: *Symmachus verò ſic* Canam: *Conſiderabo viam immaculatam quam per Spiritus ſancti gratiam videbam eſſe puram, Deoq; gratam, huic igitur per dulcem ſymphoniam adhærebo*. Sed de hoc vocis, manuumque concentu ſingillatim illicò diſſeremus.

Intelligam in viâ immaculatâ.

LECT. I. *A viâ immaculatâ intellectus & ſcientia.*

1. NOn vnus horum verborum opportunus ſenſus eſt, quòd intelligendi phraſis varios vſus, & explicatus habeat, & tam ad effectus, & operationes externas, quàm ad interioris mentis actus exprimendos vſurpetur, vti apud noſtrum Vatem (vt alia omittam) facilè videre eſt: quippe vt ſæpiùs verbum intelligere poſuit pro intelligendi actione, ſiue cognitione, & ſcientiâ quâ quis denuò Pſal.81.5. ſapit: vt Pſalm.81.5. *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant*: quaſi ij de quibus loquitur, non modò ignoratione, ſed etiam inconſiderantiâ & inad-Pſal.118. uertentiâ laborarent: & Pſalm.118.104. *A mandatis* 104. *tuis intellexi*: hoc eſt, cum illis percipiendis ſiue obſeruandis incumberem: intellexi, & aduerti, & pru-Pſal.40.1. dens factus ſum, & alibi: ita etiam Pſal.40.1. prouidentiam & ſollicitudinē, quâ quis pauperi opem fert, eumque omni ratione iuuat, intelligendi locutione ſic expreſſit: *Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem*: nam vt ibi intelligere pro intelligentia, vt Auguſt. ſonat, capiatur ab Auguſt. & Caſſidoro: dum ille de Caſsiodor. Chriſto Domino ſub pauperis perſona ſermonem eſſe exiſtimans ſic premit verbum *intelligit: Intellige in eo occultas diuitias, quem pauperem vides. In eo ſunt enim omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*. Hîc verò ita accipiat, vt qui eleemoſynam erogat, non expectet, vt pauper multo rubore ſuffuſus illam ab eo petat, ſed eius indigentiam intellectu odoretur: *Nam qui petenti tribuit* (inquit Caſſiodor.) *bonum opus efficit, qui verò tacentem intelligit, beatitudinem ſine aliqua dubitatione conquirit*. Multò tamen ſimpliciùs, & litteræ congruentiùs ab interpretibus explicatur, vt idem ſit ac prouidere, & curam ac ſollicitudinem pauperis gerere, vt ibi ex Hebræo & Græco fonte bene oſten-Agell. dit Agellius & Ambroſ. ibi ſic monet: *Beatus quidem*, Ambroſ. *qui compatitur pauperi, qui haurit eius neceſſitates: ſcit, quid mali inopia afferat indigenti*.

2. Ergo primùm ait Vates, ſe ab innocentiæ itinere minimè deflexurum, ſed omni ſtudio virtutem, Chryſoſt. & rectitudinem tenaciter amplexaturum: ita Chryſoſtomus inquiens: *Vides vt per omnem iuſtitiæ viam ambulans, nullam viis ſuis inſſerit vituperij notam aut labem, omnem rectitudinem, ac iuſtam intellexerit conuerſationem, inſuper tenuerit iuxta præſcriptam legis formulam teſtimonio operum comprobatam*. Quem explicandi modum, vt opportuniorem frequentiùs retinent alij PP. & interpretes. Sed in illo, duo obſeruare eſt operæ pretium: alterum, quoad locutionis modum: dum ablatiuus cum præpoſitione *in* ponitur pro accuſatiuo, vt intelligere in via immaculata, perinde ſit, ac intelligere viam immaculam Hebraiſmo in ſacris lit-Galat.6.8. teris vſitatiſſimo: vt apud Paulum ad Galat.6.8. *Se-*

A *minare in carne*, pro ſeminare carnem: & apud Habacuc 1.5. *Aſpicite in gentibus*, de quo alibi: alterum, Abac.1.5. non fruſtrà, ſed notātiſſimè Vatem, ſuam erga viam immaculatam, ſiue virtutem ſtudium per verbum intelligendi ſignificaſſe, vt innueret, ſe non oſcitanter, & remiſsè; ſed totis neruis, & omni induſtria, ac diligentia adhibita virtutem ſuſcepturum, quaſi is qui in rem aliquā totus intendit, & mentis aciem adhibet: quod nos eodem dicendi modo ſic omnino exprimimus: *Entiende en eſto, vel no entiende en otra coſa*: vt ſignificemus peculiare ſtudium, quo omni modo in rem aliquam quis incumbit, cogitatione, conſilio, mente, & totis vt dicitur, ſenſibus intētus. Quam dicendi emphaſim bene explicarunt Genebrardus Genebrar. & Agellius, hic ab oculorum acie in innocentiam, Agellius. & viam immaculatam ſemper defixa, ille ab animi conatu in eam ſemper intento; ſic namque Agellius: *Nunquàm animi oculos ab innocentiæ itinere deflectam: ad viam immaculatam ſemper aſpiciam*. Genebrardus verò

B *Intendā innocentiæ, animum adiiciam ad innocentiam & integritatem*. Qui quidem ſenſus Dauidi valdè familiaris eſt paſſim profitenti, vnicè & toto corde ſe Deum exquirere, atque diligere, & in eius mandata, feruidà voluntate ferri.

3. Iam verò intelligendi phraſis preſsè & ſimpliciſſimè ſumpta eum ſenſum efficit: vt ſperet Vates ab ipſa via immaculata, intellecturum, ſiue maiores in ſcientia & cognitione Dei progreſſus facturum, eo ſenſu, quo alibi ipſe dixit: *Præceptum Dei lucidum, illuminans oculos*, Pſal.18.9. & Pſalm.118.104. Pſal.18.9 *A mandatis tuis intellexi*, quòd (vt inquit ad ea verba Pſal.118. Bernard. ſerm.28. in Cantica) *Intellectum reddat obſer-* 104. *uatio mandatorum, quem tulit tranſgreſſio*. Sub quo ſenſu Bernard. cepit hunc locum Caſſianus collat. 14. cap.9. & Caſsian. cum iis verbis Pſalmi 118. compoſuit. Nimirum cùm initio capitis dixiſſet: *Quapropter ſi vobis cura eſt, ad ſpiritualis ſcientiæ lumen non inanis iactantiæ vitio, ſed*

C *emundationis gratia peruenire, illius primùm beatitudinis cupiditate flammamini, de qua dictum eſt*: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt: poſtmodùm ſubiicit: *Tenentes itaq; illam, quā habere vos ſentio diligentiam lectionis, omni ſtudio feſtinate actualem, id eſt ethicam, quam primum ad integrum comprehendere diſciplinam. Abſque hac namque, illa quam diximus theorica puritas non poteſt apprehendi, quam hi tantùm, qui non aliorum docentium verbis, ſed propriorum actuum virtute perfecti ſunt, poſt multa operum ac laborum ſtipendia iam quaſi in præmio conſequuntur. Non enim à meditatione legis intelligentiam, ſed de fructu operis acquirentes cum Pſalmographo canunt*: A mandatis tuis intellexi: *& excoctis paſſionibus vniuerſis fiducialiter dicunt*: Pſallam, & intelligam in via immaculata. *Ille enim pſallens intelligit, quæ canuntur, qui in via immaculata greſſu puri cordis innititur*. Sic Caſſian. A

D quo non abit expoſitio Auguſtini hunc in modum Auguſt. hæc efferentis: *Niſi in via immaculata non potes pſallere, nec intelligere*. & ſtatim: *Si vis intelligere in via immaculata, pſalle, id eſt, operare in hilaritate Deo tuo*. Hæc Auguſt.

4. Appoſitus quidem ſenſus, & veriſſima doctrina, quam PP. ſæpiùs tradunt atque inculcant, & nos multis elucidauimus ad cap.3. epiſt. ad Philippenſ. verſ.10. adnot.1. pete ibi dicta. Ad ſe verò Ambro- Ambroſ. ſium iis Caſſiani verbis, *excoctis paſſionibus vniuerſis fiducialiter dicunt*, Pſallam, &c. adſtipulantem lib. de *Iſaac & anima*, cap. vlt. dum de alis charitatis ſic diſſerit: *Sumamus has alas, quæ ſicut flamma ad ſuperiora dirigunt: exuat vnuſquiſque animam ſuam inuolucris ſordidioribus, & quaſi aurum igne approbet deterſam luto. Sic enim purgatur anima velut aurum optimum. Pulchritudo autem animæ ſincera virtus & decor: verior cognitio ſupernorum, vt videat illud bonum, ex quo pendent omnia, ipſum autem ex nullo*. Sic ille veriorem ſupernorum cognitionem

tionem morum probitati, & affectuum purgationi A adscribens; & quidem rectè. *Greg. M.* Nimirum Gregorio Magno auctore in præfat. lib. 2. in Ezechiel. *Quantò circa terrena plus satagit* (mens) *tantò in his, quæ sunt cælestia, minùs videt, pro eo quod curis suis extra se ducitur, & valdè intus minor est, quia scriptum est:* Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. *Greg. Tha.* Ad quem modum alter Gregorius Neocæsariensis in cap. 2. Ecclesiastes dicebat: *Qui se vitio implicuit, omnigenisq; erroribus haud absimilem esse homini in profunda caligine oberranti, quippe qui cæcus sit, atque à negotiorum tenebris excæcatus.* *Ambros.* Luculenter verò rursum Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 4. *Dum in quadam* (inquit) *fumus delinquendi libidine, nebulis quibusdam insipientiæ mens obducitur, & fumo quodam iniquitatis oculi eius caligantur.* Pro quo *Virgil.* satis fideiubet ille qui apud Virgilium in Bucolicis ecloga 10. dicebat:

——— *Quid tum si fuscus Amynthas?*
Et nigra violæ sunt.

B

Quando venies ad me.

Deus Dauidis Doctor.

LECT. II.

1. Difficilis omnino particula, quod non constet inter interpretes, an à præcedentibus pendeat, an ab illis abrupta legenda sit? deinde, vtrum interrogantis, an verò optantis fuerit? *Chrysost.* Et verò Chrysost. interrogationis notam sensumque appingens cum superioribus, & sequentibus ita coniungit: *Et quidem intelligenter psallebat: corde nimirum irreprehensibili sua enumerans opera, cùm iuxta Scripturam parasset vias Domini, & rectas fecisset semitas Dei. Domini enim aduentum præstolabatur mutans ac dicens:* Quando venies ad me: *Ac si propemodum respondens diceret: Mea mentis domicilium adornaui, exæquaui cordis mei duritiam, offendiculum omne abieci, nihil quod aduentum tuum præpediret, reliqui. Rectam feci animæ meæ vitam, sensum cordis mei domicilium expurgaui, cogitationes omnes meas puras in me C reddidi. Paratus sum ad tui aduentus susceptionem.* Quando venies ad me? *Submota cùm sint impedimenta, aduenimi Domine. Viam malitiæ nullam in me deprehendes.* Ambulabam *enim* in innocentia cordis mei in medio domus meæ, &c. Hæc Chrysost. A quo non abit commentarius *Basilius. Theodoret.* Basilij & Theodoreti: sic enim habet: *Talem enim hic admirabilis vir puritatem habuit, vt cum fiducia ad Deum clamaret:* Quando venies ad me? *Videlicet regales aulas instructas tibi praparaui, tuum aduentum Domine expecto, tuamq; præsentiam desidero, sed concede quod efflagitatur.* Nec aliter, siue quoad interrogationis notam, *Greg. M. Genebrar.* siue quoad sensum Gregor. Mag. hom. vlt. in Ezech. & Genebrardus interrogatiuè legens: bene quidem *Lorin.* obseruans (vti & Lorinus) Hebræam particulam מָתַי *Mathai*, interrogationem inuoluere. Verùm enimuerò cùm hæc interrogationis nota apud Vulgatum, quem nihil latuit, non habeatur, nosque iam diu vel minimos illius apices defendere, ac reuereri didicerimus, potiùs esse credimus, absolutè hæc D fore accipienda, vt verba ad hunc sensum componantur, quando ad me venies, tunc psallam, & intelligam. At obiicit Genebrardus, parum Hebraicè hæc dici, cùm ex proprietate præfatæ particulæ *Mathai* efficienda hæc fuerint optatiuè, vt suspirium sit pij animi ex abrupto. Sed quidquid sit de particula Hebræa, cuius acumen non difficile esset tantisper obtundere, Genebrardo respondebo malle nos parum Hebraicè accipere, dum omnino Latinè, ad mentem inquam Vulgati, à quo nunquàm aberrare tutissimum semper fuit, acceperimus. Quid, quòd si verum fateor, valdè mihi importunum, & incongruens id suspirium ex abrupto videtur, quòd seriem sermonis sine causa, sine sale abrumpit: & sententiarum cohærentiam, nexumque dissoluit: non quòd me fugiat eum esse Prophetarum morem, qui ab spiritu ducti nullis humanæ Rhetoricæ habenis cohibeantur; sed quòd nescius non sim, non facilè, nec nisi ipsomet textu aliquà ratione suadente id in ipsis fore affirmandum: de quo alibi.

2. Est etiam valdè accommodatus exponendi modus, quem affert Agellius, quamuis ab ipso subobscurè positus, vel saltem ad litteræ sonum non adeò tinniens, siue molliter cadens: nam qui hæc sicut nos sine interrogatione legit, adoptantis affectum refert hunc in modum: *Ad viam immaculatam semper aspiciam optans, & maximo desiderio æstuans, vt tandem ad me venias, neque enim ad fraudulentos, & insidiosos homines venis, cum simplicibus enim tua est sermocinatio, tuum colloquium, atque conuersatio.* Quæ necessariâ ratione sic capienda sunt, vt mentē Agellij efficiant, *Agell.* ac si dixerit Vates: ideò omni studio psallam & intelligam in via immaculata, vt hoc modo assequar tuum in meum animum aduentum: vnde subiicit ille: *Hunc enim finem sibi propositum habebat vir sanctus, & omnium actionum, factorumq; suorum scopus huc spectabat, vt simul cum Deo versari liceret, & eum aduenientem exciperet, ad cuius aduentum, & animi, & corporis motus omnes composuerat, vt nihil aduenienti offenderet, quod displiceret.* Hæc ille, quæ à præcedenti Chrysost. & aliorum PP. expositione, sono potiùs quàm sensu discrepant, cùm sententia, & sensus eodem ire videantur. Et verò qui hæc litteræ aptare norit, optimum omnino sensum efficiet: at quo modo non incommodè id hæreat his verbis simpliciter prolatis, *quando venies ad me*: non satis intelligo. Quid enim commune habeat aduerbium temporis *quando* cum particula vt? nisi Hispano modo sic sumpseris: *para quando vinieres à mi.* Tu videris.

3. Sed iam quis rogo huius aduentus Dei sensus est? aut quid sibi vult Dauid cùm Deum ad se venire, siue optat, siue studet, siue etiam simpliciter meminit? Mira sanè interpretum hac in re varietas est, & in suum vnusquisque abit. Capiunt nonnulli id de ascensu ad regnum, quasi Dauid polliceatur, se interim ac vsque dum Dominus præfecturus eum regno veniat, quemadmodùm ipsi promiserat, viæ immaculatæ, & vitæ integritati operam daturum: siue etiam interrogatiuè non sine suspirio animi petere maturam regni possessionem: quia exul, & profugus sub Saüle agebat. Aulicorum mihi quidem hominum nihil nisi terrena optantium, nihil non ambitiosè excogitantium, & in votis habentium, ac proinde à Dauidis mente alienissima, hæc expositio esse videtur. Cui enim bono Dauidem tam ardentem regni amatorem fecerimus, vt ad illud obtinendum non modò totas spes, & cogitationes suas; sed omnia etiã merita, probasq; actiones dirigeret, quasi illud iis foret empturus? aut quis non videat, quàm malè cum moderato, & modesto animo se gerat id votum, siue etiam quàm turpiter à verecundo ore exeat hæc vox: O Domine quando ero Rex! Vt vt verò id fuerit tam etiam cum toto Psalmi argumēto, quàm cum tempore, quo Psalmus ipse à Dauide fuit compositus, apertè id interpretamentum pugnat. Nam, vt in Psalmi argumento ex Lyra & aliis vidimus, tunc illum Vates cecinit: *Quando cognouit, se stabilitum in regno Israël à Deo secundùm quod habetur*, 2. Reg. 5. 3. & quidem verba ipsa manifestè illum iam regnantem, & iura dantem ostendunt: *2. Reg. 5. 3.* etenim vt alia omittam, quibus aliquod possit excogitari, pararive effugium, qui illa homini non Regi, sed profugo, & exuli conuenirant: *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat:* necnon quæ præcesserant: *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum:* potissimum

Digitized by Google

mùm verò hæc quibus Psalmum absoluit: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Ei quippe, qui priuatam vitam agens, hæc diceret, meritò quidem obiiceretur: *Prius inueni vbi sedeas, & postea te minare iudicaturum.*

4. Illa etiam interpretatio frequens est, quæ hunc Domini aduentum ad prophetiæ spiritum fert. Quem Dauid mirè exoptaret, & ad eum excipiendum ne sibi obesset, innocentiæ & integritatis ornamentis animum instrueret. In qua explicandi ratione longiùs excurrit Incognitus persequens tum *Incognit.* discrimen, quod inter Prophetas iustos, & iniustos intercedit, tum etiam tempora pro quorum varietate etiam à bonis Prophetiæ spiritus abest. Ergo ad rem ait: *Notandum, quod quamuis dona gratuita Dei etiam malis dentur, inter quæ est donum prophetiæ, quia mali etiam aliquando prophetizant, sicut fecit Caiphas prænuntians vtilitatem mortis Christi, dicens:* Expedit, vt vnus homo moriatur pro populo: *Tamen in hoc est differentia inter bonos, & malos spiritum prophetiæ habentes, quia boni intelligunt, quod prædicunt, mali autem non intelligunt, quod prophetizant, sicut Caiphas non intellexit, quæ Spiritus sanctus per eum loquebatur, sed boni intelligunt intellectum spiritus in iis, quæ proferunt, & hoc est quod ait:* Psallam & intelligam quando venies ad me: *Scilicet per spiritum propheticum reuelando secreta tua.* Pergit multis.

5. Sed enim illud mihi simplicius videtur quod & cum stomacho reiecit Genebrardus: *Dum veneris ad me quasi doctor ad discipulum:* & ambabus vlnis amplexatus est Cardinal. Bellarm. sic hæc efferens: *Bellarm.* *Canam non solâ voce, sed etiam per instrumentum musicum quando veneris ad me, Spiritu sancto tuo inspirante mihi viam immaculatam, quæ consistit in misericordia & iustitia.* In quem planè sensum ipsa etiam expositio Genebrardi, *Genebrar.* quantumuis per interrogationem, siue per suspirium, & votum expressa, omnino recidit: nam cùm dixisset: *Ecquando, ô quando me spiritu tuo collustrabis, vt innocentiam tuam intelligenter, & sapienter insistam, teque dignè canam?* Subiicit: *Significat se nihil profecturum in suis votis, & institutis, nisi conatus suos ipse iuuerit.* Et quidem *Nazianz.* rectè, cùm Gregorio Nazianzeno monitore absque Dei ope nihil aliud quàm viua cadauera simus, qui ad virtutis opera pedem è terra efferre non valemus. Sic namque ille: *Nam sine ipsius ope omnes nos inania ludibria sumus, & viua, vt ita dicam, cadauera, sceleribusque fœtida, vt enim nec auis sine aëre volat, nec delphinus sine aqua natat, ita nec homo sine Christi adminiculo pedem terrâ efferre potest.* Hæc ille.

* Quando venies ad me.

LECT. III.

A viâ immaculatâ mortis contemptum aduenire.

1. AT enim, nec à vero, nec à Dauidis instituto, & multò minùs ab eius ingenio alij PP. & interpretes aberrantes hæc verba de Domini aduentu, siue in iudicij, siue in mortis die hæc accipiunt: quasi is, qui *Misericordiam & iudicium* cantauit, & *In via immaculata* intellexit, securus ac lætus mortalitatem suam cogitet, & præ oculis habeat, imò verò Dei aduentum impauidus, ac lætus exoptet. Sic in primis Gregorius Magnus hom. vlt. in Eze- *Greg. M.* chiel. vbi cùm dixisset: *Sed quis ita iustus est, vt eius sibi æternum iudicium ante mentis oculos reuocet, & non contremiscat? An potiùs venire ad illud examen tanti iudicij præsumat, festinet, ac gaudeat? Quisquis ille est, magnus est, qui iam misericordiam Dei, & iudicium cantat.* Postmodùm subiicit; tum h[illegible] verba in quibus sumus eadem omni-

no esse eum illis Psalm. 41.2. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* *Psal. 41.2.* Tum etiam communem sensum habere cum iis sancti illius senis missionem iam petentis, siue à corporeis nexibus dissolutionem apud Lu- *Luc. 2.29.* cam 2.29. *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace.* Sic de his verbis censet Gregorius. Ad quem etiam modum ea interpretatur Arno- *Arnob.* bius, obseruans, eum pergere securum ad iudicium, qui viuens in quolibet homine indigente intellexerit Christum ipsum: & Cardin. Turrecremata in *Turrecre.* expositione in Psalmos nondum, opinor, typis excusâ. Nec ab hoc ire videtur illud Basilij, & Theo- *Basilius.* *Theodoret.* doreti: *Tuum aduentum Domine expecto, tuamque præsentiam desidero:* maximè cùm vterque præmittat, hæc ex magnâ puritate cordis, & fiduciâ ad Deum dici. Et verò si per interrogationem hæc efferantur, mollius illis is hærebit sensus, vt Dei aduentum itidem, ac Paulus (quod etiam indidem admonet Gregorius) exoptet Dauid: dum 2. ad Timoth. 4.2. *2. ad Tim. 4.2.* ille inquit: *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex, non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt aduentum eius.*

2. Vt vt verò sit: digna quidem hæc Principe intelligente mens, quæ & suam illi mortalitatem præsentem facit, & Deum iustum factorum iudicem, memorem fandi, atque nefandi ob oculos ponit: *Decet enim Regem* (verba sunt Ottonis Frisin- *Otto Episc.* gensis Episcopi ad Imperatorem Fredericum Oenobarbum in epist. præfixa Chronic. suppl. lib. 3.) *non solùm animi magnanimitate nobilitatum, sed & ad cognoscendum Creatorem suum diuinâ gratiâ illuminatum, Regem Regum, Dominum dominantium Deum præ mente habere, & ne in manus eius incidat, quantum potest modis omnibus præcauere: Cùm enim iuxta Apostolum, omni mortali horrendum sit incidere in manus Dei viuentis:* *Heb. 10.31* *Regibus tamen, qui nullum præter ipsum supra se habent, quem metuant, eò erit horribilius, quò ipsi ceteris possunt peccare liberiùs.* Quid enim intelligat Princeps, qui non intelligit id quod nec gentilem latuit:

Regum timendorum in proprios greges *Horat. l. 3. Ode 1.*
Reges in ipsos imperium est Iouis
Clari Giganteo triumpho
Cuncta supercilio mouentis.

3. At enim hæc Dauidis mens, quâ Deo Iudici psallens occurrit, non modò ipsum intelligentem, sed etiam in via immaculata incedentem ostendit. Quanta enim cùm primis animi fortitudine? quanta morum temperantia, atque moderatione? quàm acri, atque seuera affectuum, atque voluptatum castigatione opus est? vt non trepidus, non mœrens, non fugitans, vel quiuis è plebe homo mortis imaginem suscipiat? Nimirum, vt multi passim mortem adeò non metuendam, vt etiam optandam esse adstruant: & ille Mezentius apud Virgilium di- *Virgil.* xerit:

Nec mortem horremus.

Et sapienter Seneca Pater Suasoria 2. sic monuerit: *Senec. Pat.* *Hæc non vtique perituris refero: sed etsi cadendum est, erratis, si metuendam credatis mortem. Nulli natura in æternum spiritum dedit, statutaque nascentibus in finem vitæ dies est. Imbecilla enim nos materia Deus orsus est, quippe minimis succidunt corpora: in denuntiata sorte rapimur: sub eodem pueritia fato est, eadem iuuentus causâ cadit: optamus quoque plerique mortem, adeò in securam quietem recessus est. At gloriæ nullus finis.* At enimuerò sapienter, & verè Ambrosio asser- *Ambros.* tum est, nonnisi per segregationem à corporis voluptatibus vsum mortis addisci, tristissimamque eius imaginem sine viuentis pœna ob oculos versari: ita

enim ille lib. de fide Resurrectionis: *Sit quotidianus vsus in nobis affectusq; moriendi, vt per segregationem à corporis voluptatibus anima nostra se discat extrahere, & tamquàm in sublimi collocata suspiciat mortis imaginē, ne pœnam mortis incurrat.* Sic Ambrosius. Cui sic concinit Seneca epist. 30. *Mortem venientem nemo hilaris accipit, nisi qui se ad illam diu composuerit.* Vides, nonnisi ab animâ à corpore quodammodò extractâ, & separatâ mortis imaginem sine mortis pœna suscipi? Quòd si id in quibusuis in vniuersum hominibus locum habet, quid dixeris de Principibus, tot deliciarum, diuitiarum, pomparum, populorum, atque regnorum fortunâ subnixis? Respondet quidem sapiens: *O mors quàm amara est memoria tua! homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, & cuius viæ directa sunt in omnibus.*

Seneca.

A

4. Ergò nonnisi magnis animis, & sese supra humanam naturam efferentibus, hæc securitas, mortisque contemptus: ita quidem quæsitissimum illud Saluatoris nostri in Passione suâ, silentium ipsummet iudicem suum in vehementissimam admirationem rapuit: dicente Matthæo c. 27. 14. *Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer.* Quæ sic extulit Lectio Syriaca: *Neque reddidit ei rationem ne verbum quidem vllum: & hâc de re admirationi fuit valdè.* Sed quare ob silentium potiùs quàm ob insignem modestiam? ob miraculorum famam? aliámve rationem miratus est Præses vehementer? Planè quòd ab illius in causâ mortis silentio, mortis ei inesse contemptum, & à mortis contemptu virtutem humanâ maiorem cognouit: ita id obseruante ad ea verba Paschasio lib. 12. in Matthæum vbi cùm dixisset: *Fortior namq; in eo erat virtus, quàm humana natura in se habeat. Et ideò poterat non solùm admirari Pilatus, verùm etiam vehementer, quoniam ei dignum videbatur pro magno miraculo, & admirari valdè, vt exhibitus homo ad criminale iudicium, & adiudicatus morti imperturbabilis maneret, & imperterritus:* subiicit: *vt staret ante mortem, quæ omnibus terribilis est, sine vllo pauore mortis.* Ita ille.

B

Matth. 27. v. 14.

Lect. Syr.

Paschas.

C

5. Pro qua sanè cogitatione egregiè fideiubet Centurio, inde omnino Christum Dei filium agnoscens, quòd clamans expirasset: sic enim Marcus c. 15. 39. *Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat.* Notanter: *Quia sic clamans expirasset:* vt eodem ille Christi clamorem, vocemque intrepidam coram morte, ac Pilatus exactissimum silentium retulerit: videlicet, *vt staret ante mortem, quæ omnibus terribilis est, sine vllo pauore mortis.* Nimirum, vt coram potente, aut domino serui non elatâ voce, sed submissè ac mussitantes loquuntur, ita ante mortis faciem homines nec mutire audent. Vnde qui in illius facie magnam vocem emisit, potentiorem se ipsâ morte, & fortiorem quàm natura se habeat, virtutem omnino ostendit: vti indidem hunc in modum adnotauit Theophylactus: *Videns autem Centurio, quòd tam potenter, & tamquàm Dominus mortis expirasset.* Ergo inde, & tacens, & loquens coram morte Dominus, Dei filium sese ostendit, qui quomodocumque ante illam staret sine vllo pauore mortis. Non ergo quiuis Princeps dixerit: *Quando venies ad me?* nisi is qui intelligat, *in viâ immaculatâ*, cuius anima per segregationem à corporis voluptatibus didicerit se extrahere: ita quidem de magno Imperatore Theodosio huc intētus dicebat Ambrosius; ante mortem mundo, & pompis mortuum; quidquid in imperio habebat splendidum, filiis suis tradidisse: sic enim ille oratione in obitu Theodosij: *Nihil glorifius exitus tanti Principis habuit, qui omnia iam filiis tradidisset, regnum, potestatem, nomen Augusti.* Ita ille.

Marci 15. 39.

D

Theophyl.

Psallam.

Verbis opera associanda.

LECT. IV.

1. Nimis rigidus, & acerbus interpres, siue cortici ac sono litteræ superstitiosè addictus fuerit, qui in hac psallendi actione eum spiritualem concentum non agnouerit, quo indicet Vates, se non oretenus, sed manibus etiam, rectis videlicet operibus, & probæ vitæ exemplo canturum, quippe Augustino interprete psallere, operari est: sic enim ipse: *Psalle, id est operare:* hanc cogitationem sic primùm innuente Chrysostomo: *Psallebat porrò, cùm nulla criminis labe ipsius conscientiam lancinante facta sua enumeraret.* Subinde verò ad hunc modum diffundente Cassiodoro: *Domino psallit, qui bonis factis suis eum placare contendit, ipse est enim suauissima virtus harmoniæ, quando vox cognoscitur operibus consonare. Nam si hæ duæ res discrepabili sibi varietate dissentiant, nequaquàm possunt psalmodia temperatam efficere cantilenam.* Hæc ille, & quidem rectè. Quî enim, eius verbis fides habeatur, qui dissimilia opera efficere cognoscitur? Certè hac ratione caput, & manus Sponsi eiusdem materiæ, & coloris esse, aurea scilicet, adnotaui in c. 1. epist. ad Philippens. v. 1. adnotat. 6. n. 8. ex Cant. 5. v. 11. *Caput eius aurum optimum:* & v. 14. *Manus eius tornatiles aureæ.* Quippe hac imagine exprimituri id, quod nō secus, ac si in hæc loca incidisset, adnotassetque, monebat Seneca epist. 20. *Hoc enim exigit Philosophia, vt ad legem suam quisque viuat, nec orationi vita dissentiat, vt ipsa inter se vita vnius sine actionis dissentione coloris sit.* Modò verò obserua, Prophetam Isaiam de industria tacuisse, donec ignito calculo polluta labia ab Angelo emundarentur, vt orationi vita consentiret, & eiusdem vtraque coloris esset: vti ad hunc modum adnotauit Philippus Abbas libro de silentio Clericorum cap. 76. *Os eius siue labia tangit ignito calculo, & emundat, vt deinceps loquentem quæ bona sunt, & vita dissimilis non confundat, nec retundat contumeliosa auditorum obiectio.* Hæc ille.

August.

Chrysost.

Cant. 5. 11. & 14.

Senec.

Phil. Abb.

2. Ita quidem tam ab Isaia cap. 52. 7. quàm ab Apostolo ad Romanos 10. 15. Apostolorum pedes speciosi ad euangelizandum, & Christianam disciplinam tradendam esse dicuntur: *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Sed quid rogo Euangelio prædicando, & pedum decori, atque speciei commune fuerit? Pedibúsne, an ore, & labiis omnino disseminatur Euangelium? Enimuerò, si verè æstimas, luci Euangelij inferendæ, pedum splendor, gressuum scilicet, & vitæ puritas omnino deseruit: nimirum, quia Sapiente auctore: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Ecclesiastici 15. 9. *Speciosi* signatè pedes euangelizantium esse dicuntur, ne loquentem, quæ bona sunt, vita dissimilis confundat; sed orationi vita consentiat. Huc planè illa tam accuratâ lotione, lotio, quâ discipulorum pedes Dominus mundauit, Ioannis c. 13. 5. omnino eunte: Quippe qui *eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum septuplum*, Psalm. 11. 7. erant annuntiaturi, opus erat, vt ipsi omnimoda puritate conspicui essent, & qui lotionem recusaret, à prædicandi munere amoueretur. Sic hæc omnia coniungente, & elucidante Hieronymo epist. 142. quæ est ad Damasum vbi cùm dixisset: *Ecce Dominus in Euangelio cingitur linteo, peluim ad lauandum discipulorum pedes præparat, serui fungitur ministerio. Esto doceat humilitatem, vt nobis inuicem ministremus, non abnuo, non recuso. Quid est quod Petro recusanti dicit?* Nisi lauero pedes tuos, non habebis partem mecum: *& ille respondit:* Domine non tantùm pedes, sed & manus, & caput: subiicit opportunè:

Isa. 52. 7.

Rom. 10. 15

Eccl. 15. 9.

Ioan. 13. 5.

Psal. 11. 7.

Hieron.

tunc: *Ascensurus ergo Dominus ad cælum, quia Apostoli, vt hominas terra insistentes adhuc habebant peccatorum sordibus pedes pollutos, vult eos à delictis penitus liberare, vt eis posset propheticus sermo congruere.* Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem! Sic Hieronymus. Vides ideò lotos, & speciosos Euangelizantium pedes: quia *non est speciosa laus in ore peccatoris?* Iam vlterius obserua quàm peculiari emphasi legerit hæc verba Tertullianus lib. 5. contra Marcion. cap. 2. *Quàm tempestiui pedes!* & eodem lib. c. 5. *Quàm maturi!* pulchrè omnino, vt innuatur suam opportunitatem, & maturitatem prædicationi à vitæ puritate aduenire: mireque doctrinæ consonare probitatem: nam si illa virtute destituatur, importuna, immatura, & cruda futura est. Cui opportunitati adstruendæ opportunissimè locutus est Gentilis Maximus Tyrius dissertat. 15. cui titulus (etiam opportunus) *solos sermones, qui operibus respondent, esse optimos:* sic enim ibi inter cætera ait: *Sicut autem in concentu musico, si vel minimam prætermittis, tota soluitur cantus ratio, sic in hoc vitæ concentu (nisi planè inconcinnum esse velis, & inutilem) necesse est, verba actiones ipsas respondere.*

Tertull.

Maxim. Tyrius.

3. Sed enim dum Apostolorum pedes, vt ad euangelizandum speciosè pacem eximia puritate niterent, à Domino lotos & mundatos obseruas: non immeritò de Paulo, qui huic lotioni pedum non interfuit, ambigas, quonam modo speciosos etiam ipse pedes habuerit? At verò ipse pro se respondet: nam siue in triduo illo ante baptismum, vt aliqui volunt, aut quod videtur probabilius, eodem ipso anno, quo vnà cum Barnaba in Apostolorum Collegium diuino Spiritus sancti impulsu cooptatus est, ad tertium vsque cælum taptum fuisse sic affirmat 2. ad Corinth. 12. 2. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore nescio, siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum.* Planè vt qui cæleslia dogmata, & verba locuturus, cælestiaque hominibus annuntiaturus erat bona, illa priùs altè ebiberet, iisque imbueretur, nec de cælesti via verba faceret, quam pedibus non fuisset dimensus: ideoque speciosis pedibus, non secus, ac reliqui Apostoli annuntiaret pacem, quod cælestibus assuetus, à verbis gressus minimè discordarent. Quæ videtur attigisse sanctus Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 13. sic inquiens: *Audiuit sanè ineffabilia verba, quæ non licet hominibus loqui. Descendit autem Paulus rursus, non quòd dignus non esset conuersatione tertij cæli, sed vt gustatis supercælestibus, & honoratus descendens Christum prædicaret.* En Principem, Magistrum, & Doctorem honoratum, siue honoratè imperantem, præscribentem, atque monentem, cùm ea gustauit, atque perfecit, quæ aliis præscribit, atque imperat: rectè monente illo:

2. Cor. 12. 2.

Cyrill.

Primus iussa subis, tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat cùm viderit ipsum
Auctorem parere sibi.

Claudian. de 4. consulat Honorij.

Opportunius verò Gregorius Magn. secunda parte Pastoral. cap. 3. ad hunc modum: *Sit rector operatione præcipuus, vt vita viam subditis viuendo denuntiet, & grex, qui pastoris vocem, moresq; sequitur, per exempla melius quàm per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare: illa vox namque libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat: quia dum quid loquendo imperat: ostendendo adiuuat vt fiat.* Vbi obserua illa: *Qui exigitur summa dicere, exigitur summa monstrare:* vt verborum mensuræ, mensura operum omnino respondeat. Vnde obserua quàm apud eumdem Cyrillum Hierosolymitanum præfato loco, Heliam ad primum tantùm peruenisse cælum, Paulum ad tertium vsque fuisse sublatum: *Si enim (inquit) Helias quidem Velasq; in Psalm. centesimum.* *ad primum vsque peruenerat cælum, Paulus vsque ad tertium, excellentiorem sanè assecutus est dignitatem.* Sanè quòd Paulus maiora mysteria, & excellentiora documenta erat dicturus, maiora ideò opera monstrare debebat: vnde statim illum Helia meliorem sic facit Cyrillus: *Non pudeat te Apostolorum. Non sunt Moyse deteriores, neque Prophetis inferiores, sed boni cum bonis meliores. Helias enim assumptus est in cælum, sed Petrus habet claues regni cælorum. Helias in cælum tantùm, Paulus autem & in paradisum raptus est. Decebat enim Christi discipulos ampliorem gratiam capere.*

Greg. M.

Cyrillus.

4. Penitauit hæc omnia accuratis imaginibus, & dicendi modis Dominus, cùm apud Matth. 5. v. 13. & 14. Apostolos & Magistros cum sale, & luce componebat, inquiens: *Vos estis sal terræ: vos estis lux mundi.* Salem ad vitæ sanctitatem, lucem ad doctrinam & sapientiam referens: ideò & de sanctitate priùs monuit, & hac non subsistente Doctorem inanem, & nihili futurum, quod de luce non dixit, omnino affirmauit. Quod plus plus statim explicans ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona:* notantissimè serie locutionis immutatâ: forsan enim dixisset eum, qui salem pro virtute, & lucem pro doctrina vsurpabat: cùm de vnaquaque seorsim loquebatur, in singulis hærere, nec ab vna ad aliam transire debuisse. Sed aliter Domino visum; dum de luce sigillatim admonuit, non aliter ab hominibus videndam, quàm bonis operibus admixtam, siue imbibitam, vt periode fuerit dixisse: sic luceat lux vestra, vt videant opera vestra: ac si diceret: is modus lucendi, siue monendi à vobis omnino seruari debet: vt homines, quos monueritis non priùs aures ad audiendum arrigant, quàm bona opera vestra, quæ eos acrius pungant, viderint: sic hæc omnia obseruante ad id loci Chrysostomo, siue Auctore operis Imperfecti in Matthæum hom. 10. id est: *Sic illuminate, docete, non vt verba vestra tantummodò audiant homines, sed vt opera vestra bona videant, vt quos illuminaueritis per verbum quasi lux, condiatis per exempla operum vestrorum quasi sales, quoniam qui docet, & facit quod docet, verè ille docet, qui autem non facit quod docet, non alium docet, sed seipsum condemnat.* Et statim: *Et melius est facere, & nõ docere, quàm docere, & non facere. Quoniam qui facit, etsi tacuerit, aliquos corrigit suo exemplo, qui autem dicit, & non facit, non solùm neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat.* Pergit multis, quæ vide.

Matth. 5. 13 & 14.

Auctor oper. Imperfecti.

Et intelligam.

LECT. V.

Dei Verbum, atque sapientiam vitia extinguere.

1. Opportunè qui se cantaturum & psalliturum pollicetur: mentem etiam & intellectum diuinorum cognitioni se fore applicaturum dicit; hæc quippe ad vtrumque viam mirè sternit. Etenim veritatis cognitio in quam tamquàm in sui obiectum intellectus fertur; vt mentem illustrat, ac erudit, & os ad canendum, siue docendum soluit; ita mores purgat, affectiones moderatur, & vitia extinguit. Sic quidem Matthæo & Marco Ioannem Baptistam ex aspero cultu, victuque Prophetam, eximiumque Christi præconem designantibus, atque commendantibus (*Ipse autem Ioannes*, inquit Matthæus cap. 3. 4. & totidem verbis Marc. 1. 6. *habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locustæ, & mel syluestre*) Lucas his silentio pressis à Verbo Domini super ipsum facto eum signatè ostendit, inquiens: *Anno autem quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, &c. sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha, factũ est Verbum Domini super Ioannem,* Lucæ 3. v. 1.

Matth. 3. 4. Marci 1. 6.

Luc 3. 1.

A v.1.& 2. Quòd si ambigas cur potiùs in recensendis iniquis Principibus, & potestatibus, quàm in describendis Ioannis virtutibus, vt alij fecère Scriptores sacri, hæserit. *Ambros.* Respondebit Ambrosius lib.2. in Lucam nihil omninò à Luca de Ioanne prætermissum ex iis quæ Matthæus Marcusque scripserunt: dum Verbo Domini eruditum fuisse affirmauit: ab ipso siquidem vt verba & voces; ita etiam virtutes & actiones tanto Propheta dignæ subsistere dicuntur. Audi Ambrosium sic primùm ex Verbo Dei Ioanni voces tribuentem: *Factum est*, inquit, *Verbum: vox secuta est. Verbum enim priùs intus operatur: sequitur vocis officium. Vnde & Dauid dicit:* Credidi: propter quod locutus sum. *Priùs credidit, vt loqui posset. Factum est autem Verbum, vt Sanctus Baptista Ioannes pœnitentiam prædicaret.* Vides vt loquatur, & cantet, qui intelligit, & eruditur à Domino? Hinc certè alibi noster vates *Psal.38.3.* Psalm.38.3. notanter dicebat: *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.* B Sed obserua pro verbo, *obmutui*, *August.* Augustinum ibi, & *Nyssen.* Gregor. Nyssenum tractatu secundo in Psalmos, & *Cyrill. Alexand.* Cyrill. Alexand. lib.12. in Ioan. cap.12. reposuisse, *Obsurdui*. Et quidem opportunè: vt causam effectricem silentij explicaret vates, tantùm non dicens: *Obmutui, & silui à bonis*, quia priùs *obsurdui* siue Dei vocibus, & cælestium rerum cognitioni surdum me præstiti. Quomodò enim præcedant voces, quibus non præcedit Dei Verbum, & eruditio?

2. Sed & æquè à Dei verbo Ioannem omni virtutum genere instructum, atque præcinctum sic facit statim Ambrosius: *Bene igitur Sanctus Lucas compendio vsus est, vt Ioannem declararet Prophetam dicens factum esse supra eum Verbum Domini, alia non adderet. Nullus enim eget iudicio sui, qui Verbo Domini abundat. Vnum itaque dixit, & omnia declarauit. At verò sanctus Matthæus, & Marcus vestitu, & cinctu, & cibo prophetam declarare voluerunt, eò quòd vestitum de pilis camelorum habuit, & zonam pelliceam super lumbos suos, locustas autem & mel syluestre edebat.* C Optime illud: *Compendio vsus est. Vnum dixit, & omnia declarauit.* Quippe Dei eruditio, siue cælestium cognitio ea omnia præstat, & quem imbuit, omnium etiam virtutum ornamentis instituit: *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum.* Vt inquit Apostolus *Heb.4.12.* ad Hebræos 4.12. Ita quidem de ipsomet Dei verbo super Ioannem primum, deinde ab ipso Ioanne ad populum facto (vt plerique non ignobiles expositores cum Hieronymo volunt) dixit notanter Ha- *Habac.3.5.* bac.c.3.5. *Ante faciem eius ibit mors.* Vbi LXX. Theodotion, & S.Cyrill. Alexand. pro *morte* signatè legerunt *verbum*, siue *sermo*. Planè quasi Dei Verbum, animæ quidem vita, & salus: corporalium verò affectionum & terrenorum motuum mors sit; vt subinde tamquàm in agro opportunè culto virtutum semina exoriantur, & ad maturitatem perueniant: sic D *Hieron.* id elucidante ibi Hieronymo: *Si autem iuxta LXX. legerimus:* Ante faciem eius ibit Verbum, & egredietur in campum post pedes eius. *Hoc significat, quòd sermo Dei, ante visitationem eius, quæ nunc allegoricè facies dicitur præcedat, & preparet corda credentium, vt praua in recta, & inæqualia flernat in planum, & auditoris anima quasi consertus ager sementem possit recipere spiritualem.* Ita ille.

3. Et verò pro præfata Ambrosij cogitatione *Ephes.6.14.* plenissimè fideiubet Paulus ad Ephes.6.14. inquiens: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate.* Siue vt Le- *Lect. Syr.* ctio Syriaca dempta propositione in habet *succincti lumbos veritate.* Planè vt ipsamet veritas lumborum cingulus fuerit: Sed quomodò, inquis, veritas, siue Verbum, carnis lumbos præcingat, siue adstringat? Equidem respondebo primùm ex Petro, mentis A etiam lumbos assignante cum epist. 1. cap.1.13. ait: *1.Pet.1.13.* *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrij perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis gratiam.* Quòd suos etiam mens, & intellectus lumbos habeat; dum cristas inaniter erigimus, & nos plusquàm sumus attollimus: quid enim nobis de nostris viribus, & magnitudine non promittimus? quid non iactamus; cùm tamen absolutè moneat Paulus ad Galat.6.3. *Galat.6.3.* *Si quis existimat, se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Vnde meritò hos lumbos veritas succingat, & inanem fastum deprimat. At enim corporei etiam lumbi, carnalesque affectiones à veritate tamquàm zona præcinguntur: nihil enim ipsas adeò mortificat, atque extinguit, ac veritatis cognitio, & cælestium rerum meditatio: Sic id fusiùs monente Hieron. in c.2. Nahum ea verba v.1. *Nahum 2.* *Contemplare viam: conforta lumbos:* (vbi LXX. quibus adhæret Hieron. *tene lumbum*,) *Hieron.* *robora virtutem valdè* sic elucidante: B *Longum est nunc dicere quòd virtus diaboli vel maximè sit in lumbis, &c. Et quòd Ioannes zonâ pelliceâ cingitur, & quòd à Saluatore discipulis imperatur.* Sint lumbi vestri præcincti. *Luc.12.v.35.* *Luc.12.35.* *& Apostolus ad Ephesios:* State ergo accincti lumbos vestros in veritate: *Licet enim ascesis*, id est exercitatio: *plurimum præstet vitæ continentia super mortificatione lumborum, tamen nihil eos ita mortificat, vt cognitio veritatis Vnde dicitur:* Accingite lumbos vestros in veritate. Hæc Hieron. Cui egregiè adstipulatur Clem. *Clem. Alex.* Alex. pluribus in locis sic enim primùm lib.3. Stromatum, inquiens: *Omnino enim fieri non potest, vt quis simul sit, & scientiâ præditus, & blandiri corpori non erubescat:* & lib.4. *Si re vera verum consideremus, cognitio est principalis animæ partis purgatio.* Ad quem modum lib.7. allatis Pauli verbis 1.Corinth.6.9. *Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei possidebunt: & hæc quidem fuistis, sed abluti estis.* Subiicit: *Non absolutè, vt reliqui, sed cùm per cognitionem abiecistis animæ affectiones.* C Vnde tamdem eodem libro sic concludit: *Iam vt mors est separatio animæ à corpore, ita cognitio est mors rationalis adducens, & separans animum à motibus & perturbationibus, & deducens ad vitam beneficentiæ, & bonarum operationum, vt tunc Deo dicat liberè, viuo, sicut vis.* Hactenus ex Clemente.

4. Nec minùs appositè dixeris pro Ambrosij sensu non iam verbis, sed reapse, & egregiis factis fideiubere inclytum illum Franciscum de Borgia, è magno Gandiæ Duce, Cathaloniæ Vice-Rege, & intimo Maximi Imperatoris Caroli familiari, minimum minimæ Societatis Iesu factum; dum à veritatis cognitione, quæ ei ab splendissimis Regij cadaueris tenebris illuxit, tam mentis, quàm corporis lumbos sic præcinxit, vt nihil ipso continentius, nihil humilius fuerit. Præclaris quidem ille vacabat operibus; copiosas in pauperes faciebat eleemosynas; aspero cilicio corpus præcingebat, atque do- D mabat; nec tamen lumbos dixeris perfectè habuisse succinctos: quippe Augustino auctore lib.2. qq. in *August.* Euang.cap.25. lumbi præcincti dicuntur: *Propter continentiam ab amore rerum secularium.* Siue, vt plus explicat Tertullianus lib.4. contra Marc.cap.29. *Tertull.* *Cùm expediti sumus ab impedimentis lanciniosæ vitæ, & implicitæ.* Ipse verò adhuc secularis pompæ amore tenebatur, & lanciniosæ. Aulæ vitæ erat implicitus: at enim cùm veritatis cognitio animum eius semel imbuit, mentemque vndequaque illustrauit; cùm breuissimum vitæ humanæ curriculum, cùm spes falsas, & fallaces, cùm inanes hominum contentiones, quæ in medio spatio semper franguntur, cùm lubricum, & infidũ Aulæ velut de facie cognouit; statim tanto animi ardore se præcinxit, vt quemadmodùm: *Mors est separatio animæ à corpore* (vt dicebat Clemens) ita ab illa cognitione velut rationali morte, eius anima ab

omni-

omnibus motibus, & perturbationibus, & à cunctis impedimentis lanciniosæ vitæ, & implicitæ fuerit abducta, & ad vitam beneficentiæ, & bonarū operationum, qua liberè diceret Deo, viuo, sicut vis, omnino translata. Ergo qui splendidum cadaueris spolium, regiumque cranium velut lucernam ardentem in manibus illi apposuit, lumbos illum omni ex parte præcinctos habere simul dixit: *Et compendio vsu omnia declarauit.*

5. Subesse quidem is omnino sensus videtur illi nostri Regis precationi Psalm. 118. 120. *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Etenim LXX. & Aquila Hebræo verbo adhærentes (vt bene adnotauit Genebrardus) transtulerunt: *Clauis transfige carnes meas*: quod sic explicat Genebrar. *Ne ad sua desideria ferantur, & in animam consurgant, sed mortua peccato facta eius dilatam sequantur.* At quid hæc carnium transfixio portendat? qui hi claui fuerint? Audi Ecclesiasten c. 12. 11. *Verba sapientum quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi.* Siue, vt plures Codices habent; *claui ardentes*, siue *igniti*: quod Gregor. Thaumaturgus sic paraphrasticè legit: *Comperi animos sapientium admonitionibus non minùs excitari, quàm si aculei, claui, corporibus infigantur.* Planè quod Dei verba, atque veritatis cognitio carnem vndequaque configat, ne ad sua desideria feratur: sed velut homo clauis suffixus nec manum, nec pedem mouere potest; ita qui veritatis cognitione est præditus, à diuinæ legis præscripto non recedat: siue si anteà velut lasciuiens bos recesserat, aut velut tardum iumentum præceptorū onus ferre detrectabat, siue pigrè & lentè ferebat, his Verbi diuini stimulis compunctus, vel eodem vnde recesserat rursus redigatur; vel ad sarcinam alacriter portandam inflammetur: id enim omnino stimuli similitudo adumbrat. Quam maximè ex parte hunc modum, & illustrauit Olympiod. & composuit Agellius, cum præfatis Dauidis verbis: sic namque ille: *Sicut stimuli boues pungunt, vrgentque, aratro fultum proscindere, ita & Theologorum verba excitant nos, qui spe bona aramm, proscindere sulcum spiritualem, vt cùm purgatus fuerit ager cordis nostri, pulchros ea eo virtutu fultulos conseramus.* Agellius verò ad Psalmi verba: *Fortasse (inquit) claui isti quibus configuntur carnes, stimuli intelligendi sunt, quibus lasciuientes vitali, & à salto diuertentes eodem renouantur, vt timor Dei stimulorum vicem teneat, quo timore dum à vero, & recto praceptorum eius itinere deflectimus, eodem rursus redigimur, de quibus stimulis dixit Ecclesiastes*: Verba sapientum sicut stimuli. Sic ille. Planè quod *omnino fieri non possit* (vt dicebat Clemens) *vt quis simul sit & scientia praditus, & blandiri corpori non erubescat.* Quid verò fuerit mirandum? cælestium rerum cognitionem, atque ignita Dei eloquia, & tam aculeata siue à præmiis, siue à suppliciis, æternùm durantibus veritates Christianorum hominum carnes transfigere, ne ad sua desideria ferantur; cùm de Ethnica Philosophia animum semel imbuente dixerit Cynicus ille Diogenes apud Dionem Chrysostomum orat. 4. de Regno, adeò in illo perdurare, vt: *& si hominem quis combusserit, vt Herculem aiunt semetipsum combussisse, dogmata tamen eius in anima maneant, quemadmodum, optimè, exustorum hominum dentes aiunt permanere, reliquo corpore igne consumpto.*

Firmat hæc rursum Salomon Sapientiæ 16. 11. dum animæ salutem dilectis Dei filiis ab illius sermonibus aduenisse adstruit. Nimirū cùm præmisisset, quàm alia ipsorum ab Ægyptiorum causa fuisset; inquiens: *Illos enim locustarum, & muscarum occiderunt morsus, & non est inuenta sanitas anima illorum. Filios autem tuos nec draconū venenatorū vicerunt dentes*: cur à venenati draconis, id est, peccati dentibus incolumes euaserint; eam subiicit rationem, quòd aliis

Vasq. in Psalm. centesimam.

[Margin: Psal. 118. 120. / LXX. / Aquila. / Eccles. 12. 11. / Greg. Tha. / Olympiod. / Agell. / Dio. Chrys. / Sap. 16. 11.]

longè salubrioribus diuinorum sermonum stimulis prius agerentur: sic enim ait: *In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, & velociter sanabantur.* Sed vt sententiæ sensum, & antithesis saporem statim percipias: obserua Græcum verbum, quod pro *examinabantur*, habetur, omnino significare, vel *stimulari*, vt illo vsus dixit Nazianz. orat. 16. de pauperum amore: *Hoc te stimulet ad humanitatem*: quod videor mihi voluisse exprimere nostrum vulgatum per verbum *examino* cum allusione ad examen apum suis aculeis compungentium, & stimulātium: vel etiam *inseri*, siue *insitionem pati*, vti de illo monuit Eustachius, esse *immittere in plantam ramum aliena planta.* Iam iuxta priorem significationem, vide quàm eleganter noxiis peccati morsibus, siue stimulis, salutares, siue vitales diuinorum sermonum stimulos, siue aculeos opponat: simulque astruat; ideò à venenatis peccati dentibus victos, siue percussos non fuisse, quòd infixos memoriæ diuinos sermones haberent: siue illis ipsi adeò essent transfixi, vt ad sua desideria ferri minimè possent. Nec minùs opportunè insitionis imaginem huic cogitationi aptaueris Iacobo applaudente cap. 1. 21. cùm ait: *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Enimuerò, cùm ea sit insitionis ars, siue natura, vt ramus alienæ plantæ in alteram insitus, illius naturam transmutet, & ad se trahat: sicut prudens Poëta dicebat lib. 2. Georgicorum:

Et sæpè alterius ramis impunè videmus
Vertere in alterius, mutatamque, insita mala.
Ferre pyrum, & pruna lapidosa rubescere corna.

Nec multò post hæc diffundens, & duplicem insitionis modum docens:

Nec modus inserere, atque oculos imponere simplex
Nam qua se medio tradunt de cortice gemma
Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, vdoque, doceat inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur & altè
Finditur in solidum cuneis via deinde feraces
Planta immittantur, nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cælum ramis felicibus arbos
Miraturque, nouas frondes, & non sua poma.

Rectè, & appositè Dei verbum humanis animis insitum à Iacobo, & à Salomone dicitur, quod illos feliciter immutet, & ad se rapiat atque conuertat: è rusticis, & agrestibus imò, & acerbis vrbanos, comes, spirituales, cælestes atque diuinos reddens, vt qui anteà ex se, & à suâ naturâ fructus mortis ferebant; post diuinorum sermonum insitionem, non sua germina, sed vitales, atque diuinos virtutum fructus pariant; vt omnino dixeris:

Exiit ad cælum ramis felicibus arbos.
Miraturque nouas frondes, & non sua poma.

Sic namque postmodùm idem Iacobus cùm dixisset, ostendedam bonam conuersationem in mansuetudine sapientiæ, huius sapientiæ fructus sic assignat: *Plena misericordia, & fructibus bonis*, c. 3. 17. Paulus verò ad Ephes. 5. diuinæ lucis: hoc est veritatis cognitioni hos tribuit fructus: *Fructus autem lucis est in omni bonitate, & iustitiâ, & veritate*: planè vt (quod ipsemet Apostolus fusè disserit ad Rom. 7. vers. 5.) qui ante insitum verbum *fructificabamus morti*, iam non gentilia poma ferentes *fructificemus Deo*; vix enim credi potest, quantum mutati, siue quàm alij ab iis, qui anteà erant post veritatis cognitionem, cælestium rerum meditationem, & sacrorum librorum lectionem Dei operante gratia homines euadant.

7. Certè Paulum à se ad faciem discordantem; hinc eimet opportunè conciliet: etenim in epistola ad Phi-

[Margin: Lect. Grec. / Nazianz. / Eustach. / Iacob. 1. 21 / Virgil. / Iacob. 3. 17 / Ephes. 5. 9. / Rom. 7. 5.]

Philip.3.3. Philippenses cap.3.vers.3.absolutè ait: *Gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes*: Bene omnino, & digna Paulo sententia, qui alibi dixerat: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*: 1.Corinth. 15.50.& eodem ductu de seipso: *Ambulantes in carne, non secundùm carnem militamus*, 2.Corinth.10.v.3. At enim statim præfato ad Philippenses loco subiicit vers.4. *Quamquam ego habeam confidentiam & in carne, si quis alius videtur confidere in carne, & ego magis*: Sed quid inquis, ô Paule! iam confidis in carne, qui vix dixeras in carne te minimè confidere. Tam citò dereliquisti viam, quam monstrasti nobis? Verùm omnino, sibi constat Paulus, cùm fiduciam se habere in carne, & affirmat, & negat: Enimverò qui absolutè in carne se non habere fiduciam verè dicit: in carne clauis transfixa, & cui Dei verbum insitum sit; quæ

1.Cor.15. 50.

2.Cor.10. 3.

Philip 3.6.

Exiit ad cælum ramis felicibus arbos
Miraturq́, nouas frondes, & non sua poma.

In ea carne videlicet, cuius lumbi præcincti sunt; sive potiùs super quam factum est Verbum Domini omnino confidit; quod hæc adeò non est impedimento spiritui: vt potiùs subsidio, & adiumento sit, scitè hæc omnia persentiente Ambrosio ad præfata Lucæ verba, nam cùm adstruxisset, perinde fuisse, dicere Lucam factum fuisse Verbum Domini super Ioannem, ac Matthæum & Marcum, zonâ pelliceâ illum fuisse succinctum; subiicit: *Quid autem sibi vult cinctus zona pellicea, nisi quod caro ista, qua mentem priùs grauare consueuerat, ea post aduentum Domini non impedimento cœpit esse, sed cingulo?* Eo quòd & iuxta Dauid in salicibus organa nostra suspendimus: *Et iuxta Apostolum confidentiam non habemus in carne, & confidentiam habemus in carne, non habemus in voluptatibus, habemus in passionibus quæ spiritus feruens vigeat affectus, & ad omne accingamur obsequium cælestium præceptorū deuotione mentis intentis, atque apparatu corporis expedito.* Pulchrè: quid enim faciat Dei Verbum quàm inito cum hoc corporis apparatu certamine euacuare illum, atque extinguere; & ad omne obsequium cælestium præceptorum animum acuere, & inflammare?

Ambros.

2.Cor.12.

Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.

NOn vacat otio abuti, vti de apicibus digladiemur, discutientes, an hæc verba versum integrum efficiant, qui tertius in ordine sit, an secundi pars, & hemistichium. Interpretes frequentiùs versûs integritatem illis donant, sed Vulgata aliter numerat; & tamquàm præcedentis versus partem, & appendicem ponit. Ergo hac feriuntur.

Perambulabam.

LECT. VI. *Dauid profectus sui, & subditorum studiosus.*

1. ET phrasim, & tempus singillatim examinanda: & vt ab hoc incipiam, iam hinc ab Hebræis Doctoribus, quibus hæsit in translatione Hieronymos, diuellimur, qui tam hoc verbum, quàm sequentia, quæ ad regias Dauidis virtutes exprimendas pertinent, ad futurum tempus reiiciunt; quasi illis Vates non quid reipsa ageret, sed quid in animo, ac votis haberet, & se facturum promitteret, aperiat: proponens regiæ virtutis iustique imperij effigiem: nimirum se non modò rectè victurum, sed etiam probos, ac virtutis studiosos amaturum, malos, & impios odio habiturum, & suis sedibus expulsurum. Itaque vt hic legunt, *perambulabo*: ita versu sequenti *proponam*: & ad eum modum in reliquis, *non adhærebit, non cognoscam. Persequar: non edam: ministrabit: non diriget: interficiam.* Sed LXX. quidem Interpretes, non modò Græcos omnes, sed Latinos etiam PP. & expositores, asseclas habent in præteriti imperfecti significatione hæc accipientes; sed tantò quidem maiorem Dauidis laudem, quantò plus est, admiranda, ac difficillimè virtutum opera te ipsa exsequi, quàm animo proponere, & verbis facienda iactare: maximè cùm in re virtutis, æquè ac in bello locum habeat; quod lib.1.histor. dicebat Cornelius Tacitus: *Ignauissimum quisque. & (vt res docuit) in periculo non ausurum, nimij verbis, linguâ feroces.* Ergo omnino ad Dauidis dignitatem, & Psalmi splendorem nostra translatio facit. Quid? quod ab Hebræo fonte minimè dissidet: nam vt Genebrar. & Lorin. & quotquot Hebraicè norunt; & Elias inter Hebræos doctissimus adnotarunt; imperfecta Latinorum, & Græcorum vno modo apud suos repræsentantur per futura, cum quibus præterita miscentur: addit etiamqúe Elias in scriptis poëticis, quale Psalmorum opus est, futura plerumque loco præteritorum poni. Ne verò longiùs ad exempla captanda curramus; sequenti versu, vt apud nos habetur *edisi*, ita Hebraicè signatè est verbum in præterito: vt hinc prudenter LXX. opportunè reliqua verba per præteritum imperfectum reddenda putarint.

LXX.

Corn. Tac.

Genebrar. Lorin.

2. Sed quid est perambulare in innocentia? aut quid innocentiæ, & deambulationi? Acutè Haymo Episcopus, & Cassiodor. occurrunt. Prior inquiens: *Perambulabam, id est, pertransibi voluntate hæc mundana, quæ in natura sui semper sunt transitoria, hoc est, non reputaui me, hic habere manentem ciuitatem, sed semper appete cælestem.* Similiter Cassiod. *Ostendit vitam mundi istius non se studiosissimè perquisisse, sed tamquàm transitorium fuisse decursam.* Sed vereor ne id à littera aberret, cùm deambulandi actio non super vitam mundi, aut secularia bona, sed vel supra innocentiam cordis cadat, vt in Psalm. 83.12. *Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia*, vel super id *in medio domus*, vt mox. Sed enim vt hi PP. se supra litteræ sensum extulêre, ita August. ad illius sonum omnino se depressisse videtur, animæ, siue innocentiæ deambulationem, sic capiens: *Vbi deambulabat?* Deambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ: *Domus enim nostra interior tot nostrum est. Hanc domum quisquis habet malam pellitur ab illa foris. Quisquis enim in corde premitur mala conscientia, quomodò quisquis ab stillicidio exit de dome sua, aut à fumo non ibi se patitur habitare, sic qui non habet quietum cor habitare in corde suo libenter non poterit.* Sic Augustinus.

Haymo. Cassiodor.

August.

3. Opportuniùs verò Agellius perambulandi Verbum primum conseruationem, & assiduitatem quamdam significare ait; ac si diceret Vates: *Cum innocentia cordis assiduus eram.* Deinde ea aliorum sententia ad studium animi, & defixam magnopere in Dei cognitionem curam refert; quod qui in aliqua re totum animum intentum habent, hîc illîc meditabundi perambulare soleant: vt sensus fuerit, semper intentus atque sollicitus in Dei obsequium, & vitæ integritatem incumbebam. Cui expositioni ea omnino concinit, quæ ex viæ, & ambulandi locutionibus, subsistit, vt hic de continuo in virtutis studio profectu agat Dauid, affirmans sic se erga vitæ innocentiam fuisse affectum, vt studium suum numquàm intermittens nouos semper progressus cogitaret: quippe viæ, & deambulationis imago ad proficiendi studium in Scriptura refertur, Tertulliano, & Chrysol. obseruantibus: ille enim lib. *de oratione* c.10. Christianam disciplinam, de qua signatè dixit Nazianz. orat.1. aduers. Iulian. *Qui non in virtute proficere, nec ex veteribus subinde noues effici, sed eodem statu hæret*

Agellius.

Nazianz.

Act. 9. 2. *Tertull.* *hærere in vitio ponimus.* Viam appellari à Luca Actuum 9. a. dicente: *Si quos inueniſſet huius viæ viros.* Sic affirmat: *Alias enim via cognominatur diſciplina noſtra.* Quia videlicet cum eodem ſtatu hęrere in vitio ponimus, indeſinenter incedere, hoc eſt, proficere nobis ex inſtituto neceſſarium ſit: vnde Bernard. ſerm. 49. in *Ioan. 12. 35* *Bernard.* Cant. ad ea Domini verba Ioan. 12. 35. *Ambulate, dum lucem habetis,* ſcitè ait: *Ambulare proficere eſt.* Ad quem *Luc. 1. 6.* *Chryſolog.* omnino modum Chryſol. id Lucæ 1. 6. de parentibus Baptiſtæ: *Erant iuſti ambo incedentes in omnibus iuſtificationibus Domini:* ſic expendit ſerm. 91. *Incedentes dixit, vt eos oſtenderet excurriſſe virtutibus, non ſtetiſſe, & ambulaſſe in via iuſtitiæ, non ſediſſe, nec remanſiſſe in itinere mandatorum, ſed ad mandatorum plenitudinem perueniſſe.* Ita ille.

4. Hæc probabiliter dici, quis neget? ſed qui attentiùs tum verba ipſa ſiue dicendi modum, tum Vatis ſcopum expenderit, aliò eius mentem ire, omnino videat: nec ipſum tum facere vim in deambulatione in innocentia cordis, quàm in deambulatione *in medio domus ſuæ*; Nimirum iam ipſe in præcedentibus verbis: *Intelligam in via immaculata,* ſe rectè victuram, & in via virtutis quotidianos progreſſus facturum iam promiſerat, nec immediatè eamdem ſententiam commodè repetiiſſet. Vnde eò inde tranſit, vt dicat in ea cordis innocentia, ſiue via immaculata, cui ſtudebat, daturum operam, vt domum ſuam, hoc eſt familiam regnumque inſtituat, atque gubernet; oculis, animo, affectu, & pedibus ipſis, cùm occaſio poſtulet cuncta perluſtrans, vt omnes optimi Principis partes impleat; & regia munia exſequatur. Quam explicandi rationem ſic indidem *Agellius.* ſuppreſſo Auctoris nomine appoſuit Agellius: *Nonnulli malunt, hæc verba ad domus, & familiæ gubernationem, atque inſtitutionem referri: cùm enim dixiſſet, quid ipſe faceret, ac quomodo vitam ſuam, ac mores regeret; iam exponere putant, qua ratione domeſticam familiam gubernaret. Non modò, inquit, ipſe innocentiã ſeruabam, ſed ad illius normam domeſticos quoque meos reuocabam:* ita ibi. Dilucidè verò *Genebrar.* Genebrard. dum domum pro regno accipiens (quod nos ſuo loco firmauimus) ſubiicit: *Illud perluſtrabam ſollicitè quaſi rationem redditurus de iis, quæ in illo fiunt: Roman. 12. ad Hebr. 13. quaſi dicat: Non hærebam in domus angulo, vel cubiculo otioſus, ſed cum ſollicitudine, & diligentia conſiderabam eam totam.* Hæc Genebrard.

In innocentia cordis mei.

LECT. VII.

Princeps ſubditis exemplar, itidem illorum amans eſt.

1. OPportuniſſimè qui regnum ſuum ſe luſtraturum, vt ſubditorum mores inſtitueret, dixit: non aliter id quàm *in innocentia cordis,* præſtiturum adiecit; primùm vt ſeipſum in exemplar, ad quod illi componerẽtur obiiceret: ad eum modum, quo ipſemet Dei filius, vt cæleſti doctrinâ perditos homines imbueret, & admoneret. ſeſe illis viſibilem, eadem quæ docebat, reipſa perficientem dedit, vt *Greg. M.* benè expendit Greg. Magn. ad ea verba Iob 33 *Si fuerit pro eo Angelus,* hunc in modum: *Vitioſus homo corrigi non poterat niſi per Deum. Videri autem debuit qui corrigebat, vt præbendo imitatibus formam, anteacta malitia mutaret vitam.* Vnde quidem, ſi benè æſtimas, ſimulque meminiſti præpoſitionem *in* in Scriptura ad ſignificandum inſtrumentum, quo res conficitur aſſumi: *Iſai. 43. 7.* *Pſal. 73. 6.* vt *non enim in arcu meo ſperabo,* Pſalm. 43. 7. & *in ſecuri, & aſcia,* Pſalm. 73. 6. tantùm non dicit his verbis Dauid, vix alio ſibi inſtrumento, aliiſve artibus ad rectam regni gubernationem, & ſubditorum inſtitutionem opus ſibi eſſe, quàm propria cordis innocentia, quando ad eam ſubditi, quæ illorum natura,

A & conditio eſt, ſeſe omnino efformant, & fingunt. Vt nimirum innocentiæ tamquàm baculo, aut inſtrumento innitatur, perindeque ſit, ac ſi dixerit: Dum, Deo auſpice, cordis mei innocentiam ſeruauero, facilè familiæ meæ mores inſtituero, & regni mei res optimè adminiſtrabo. Quæ videtur eſſe mens Incogniti ad hæc verba ſic inquientis: *Incognit.* *Hic oſtendit Pſalmiſta, qualiter mundè ſe habuit ad ſeipſum. Cùm enim vita Regis ſit quoddam ſpeculum, & quædam regula ſubditorum, quæ imitanda proponitur. ſi vita Regis fuerit munda, faciliter ad munditiam trahit ſubditos: ſimiliter ſi maculata, faciliter eius exemplo maculantur, & ſubditi. Et hinc eſt quod Reges, & Prælati peccantes non ſolùm pro peccatis propriis merentur puniri, ſed etiam pro peccatis ſubditorum, quæ illis imputantur.* Quod ſtatim his Gregorij Magni verbis confirmat: *Scire etenim Prælati debent, quod ſi peruerſa* B *vmquam perpetrant, tot mortibus ſunt digni, quot ad ſubditos perditionis exempla tranſmittunt.* Hæc ibi, & multò plura. A qua cogitatione non fuit Cardin. Bellarm. *Bellarm.* dum ait: *Hic iam incipit Dauid explicare laudabiles mores ſuos, vt ceteri imitentur, tum ſucceſſores, tum ſubditi. Ad hoc enim Principes in ſublimi loco ſedent, vt tamquàm lucerna in candelabro poſita omnibus luceant.* Sic Cardinalis.

2. Sed quid eſt, *cordis innocentia?* Reſpondet S. Haymo *Haymo.* exhauriens vim vocabuli, perinde eſſe ac nemini nocere, ſiue iniuriam facere: ait enim: *Non tantùm abſtinuit manus, ne nocerent proximo, ſed etiam voluntatem.* Hæſit huic primùm ſignificationi eleganter Auguſt. nam cùm interrogaſſet: *Quid eſt eſſe innocentem?* Hæc ſubiicit: *Duobus modis nocet homo, quantum in ipſo eſt, aut faciendo miſerum, aut deſerendo miſerum, quia & tu non vis ab alio fieri miſer, & non vis deſeri ab alio, ſi miſer fueris. Quis eſt ille qui facit miſeros? Qui infert violentias,* C *vel inſidias, rapit res alienas, opprimit pauperes, furatur, coniugia aliena ſollicitat, contumelioſus eſt, & calumnioſus eſt: vult inferre damnum, vnde doleant ſtudio maleuolentiæ.* Et ſtatim: *Quis eſt qui deſerit miſeros? Qui videt inopem aliquando auxilio egentem, & cùm habeat quomodò præſtet, contemnit, deſpicit, alienat cor ſuum.* Sic Auguſt. Et verò hæc innocentiæ acceptio à Dauidis mente minimè videtur aliena, cùm Regiæ dignitatis omnino ſit propria. Quid enim adeò regium, quàm omnibus benefacere? Vti Alexandrum Demoſth. (quòd alibi *Demoſth.* penſiculatiùs meminimus) demulcebat: *Nihil in tuâ fortunâ mains habes, quàm vt poſſis; nihil meliùs, quàm vt velis benefacere.* Vt Veſpaſianum Plin. *Plinius.* *Deus eſt mortali iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hâc proceres iêre Romani: hanc nunc cæleſti paſſu vadit omnis ſæculi Rector Veſpaſianus Auguſtus feſſis rebus ſubueniens.* Similiter etiam, quid à Regiâ dignitate adeò fuerit alienum, quàm vim, ſiue iniuriam alicui inferre? Certè cùm egregius ille populi Rector Samuël, ſeſe principatus inſignibus abdicaſſet & Dei nomine Saülem D in principem elegiſſet; ſic populum affatus dicitur 1. Reg. 12. 3. *1. Reg. 12. 3* *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrùm bouem cuiuſquam tulerim aut aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum: ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſquam munus accepi, & contemnam illud hodie, reſtituamq́; vobis.* Vbi dum ambigitur, quo conſilio Samuël ſuam omnibus innocentiam, integritatemque probarit; rectè reſpondet Chryſoſt. Hom. in dictum *Chryſoſt.* Apoſtoli, *Vtinam toleraſſetis paululùm:* tom. 3. ea de cauſa ſanctiſſimum virum eiuſmodi laudes ſuas prædicare voluiſſe, vt Regi adſtanti, cæſque audienti documento eſſent, atque inde ediſceret quantâ moderatione cum ſubditis agere deberet, quin vllam ipſis vim, aut iniuriam aliquâ omnino ratione inferret: ſic enim ille: *Nam cùm ignauum ſciret, odioſumq́; Regem adhortari, qui omnia coram erat auditurus, atque illi cen formam præſcribere Reipub. quàm ſcilicet manſuetus eſſe debeat, quàm moderatus, quàm procul à munerum corruptione,*

A *vt nemini vim inferat, vt nemini sit iniustus, neque diuitiis congerendis studeat, &c. Illum docuit cuiusmodi gubernatorem esse conueniat, simulq́ue vitauit odium doctrinæ. Siquidem videtur circa res suas occupatus, instruit tamen, & præscribit, quanto studio, qua're vià subditorum commodis aduigilare par sit.* Hæc Chrysost.

August.

3. At enim statim August. innocentiæ significationem laxiorem reddit: vt eadem sit cum animi puritate; quâ non modò alios, sed neque seipsum peccando quis lædit; quando nemo læditur nisi à seipso. Audi illum hæc copiosè diffundentem: *Sed quis est innocens? Qui cùm alij non nocet, nec sibi nocet. Qui enim & sibi nocet, non est innocens. Ait aliquis: Ecce non tuli alicui, nec pressi aliquem, de re mea, de iusto labore meo bene mihi faciam, conuiuium, apparatum habere volo, erogare volo quantùm me delectat, bibere cum quibus volo, quantùm me delectat. Cui aliquid tuli? Quem pressi? Quis de me questus est?* B *Innocens videtur. Sed si seipsum corrumpit: si templum Dei in se euertit, quid spectas, vt in alio faciat misericordiam, & pascat miseris? Qui in seipsum crudelis est, esse in alios misericors potest?* Vnde sic concluditur: *Tota ergo iustitia ad vnum verbum innocentia redigitur.* Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Hæc & alia August. ex Psalm. 10. 6. Cui innocentiæ acceptioni Basilius, Theodor. Euseb. Nicephoros, & alij PP. atque Interpretes frequentiùs subscribunt: sed eorum sanè verba commodiùs in sequenti theoria afferemus: modò ex omnium ore Cardinalem Bellarminum loquentem audi: *Perambulabam in innocentiâ cordis mei, conseruans imprimis cordis innocentiam nihil cogitans, & nihil appetens contra legis diuina mandata, ne fortè cor meum vitiosis cogitationibus, vel desiderijs inquinarem.* Ita ille.

Basilius. Theodor. Euseb. Nicephor. Bellarm.

Enimuerò hic floridè, & sapiĕter exspatiatur Chrysost. vtrumque ferè dicendi modum sic complexus, vt innocentiam, & pro omnimoda virtute, siue animi puritate accipiat, C & ad innoxias illas manus, quæ nec faciunt miserum, nec deserunt miserum, videatur etiam referre. Accipe eius verba, plura quidem, sed optima, & quæ præcidere nefas esset: *Ante omnia virtus magnoperè appetenda, & laudabilis innocentia est, non ob id solum quia suum possessorĕ constabilit, ac firmat, sed quod ad proximos se liberaliter effundit, quemadmodùm ait Sapientia:* Fili si bonus fueris, tibiipsi sapiens eris, & proximis tuis, si verò malus mortuus fueris, solus hauries mala. *Innocentia igitur virtus apprimè clara, & laudabilis, est imitatrix Domini, Dei assimilatio:* Innocĕs enim, & sanctus est Dominus. Hæc Chrysost. priori Augustini expositioni omnino consentanea: pergit verò, & in posteriorem sic statim inclinat: *Innocentia antidotum est præseruatorium animæ medicamentum, mentis expurgatiuum, mores moderatur, & in officio continet, silentium inducit cogitationibus: vultum alacrem reddit, ac placidum, moderatur oculos, pradux amicitia est: charitatis* D *mater, contubernalis fidei, iustitia consummatio, vtq́; semel omnia complectar, Radix omnis virtutis ac totius fundamentum bonitatis est innocentia. Non nouit sedimentum inimicitia, agrestem iræ ferociam nescit, non agnoscit operosam malitiæ actionem. Sed ceu Regina quæpiam vndique stipatur commilitio virtutum omnium, tuetaq́; est. Innocentia igitur virtus præclara est, quippe quæ nobis tot tantaq́; bona conciliat. Hinc euenit vt diceret:* Perambulabam in innocentia cordis mei. Hucusque Chrysost. vt videris quàm perfectam, & accuratam vitæ rationem profiteretur Dauid, ad eum sanè modum, quod dicebat Seneca epist. 79. *Nec enim bonitas est, pessimis esse meliorem. Qui oculis glorietur, qui suspicentur diem? quibus sol per caliginem splendet? licet contentus interim sit effugisse tenebras, adhuc non fruitur bono. Tunc animus noster habebit quod gratuletur sibi, cùm emissus his tenebris in quibus volutatur, non tenui visu clara prospexerit, sed totum diem admiserit.* Sic ille.

Seneca.

3. Ergo hæc Vatis verba quibus perambulasse A *ait: In innocentia cordis* sui *in medio domus.* Eadem prorsus, & sono, & sensu (si bene æstimas) esse dixeris cum illis Lucæ 1. 6. de parentibus Baptistæ: *Erant autem ambo iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Nam vt in his incessus deambulationi Dauidis respondet, ita iostitia ante Deum, & conuersatio inter homines sine querela, ab illâ cordis innocentiâ, nec hilom differt. Nam præter Chrysol. serm. 81. verbum *incedere* sic prementem: *Incedit, qui non stat in viis peccatorum, qui peregrinum se hoc sentit in seculo, qui asperas virtutum intrat intrepidus mansiones, qui montes iustificationum, mandatorum colles indefessus viator ascendit.* August. lib. 2. de *peccatorum meritis, & remissione* cap. 13. iustitiam ante Deum eamdem cum cordis innocentia sic facit: *Quia quidquid in eis erat iustitia, non erat ad homines simulatum,* B *ideò dictum est ante Deum, hoc est coram Deo, seu teste Deo, qui omnia nouit.* Ita August. Ad quem modum Ambr. in ea Lucæ verba sic ait: *Bene iustos ante Deum: non enim omnis qui iustus est ante homines, iustus est ante Deum. Aliter vident homines, aliter videt Deus: homines in facie, Deus in corde. Et ideò fieri potest, vt aliquis affectatâ bonitate populari iustus videatur mihi: iustus autem ante Deum non sit, si iustitia non ex mentis simplicitate formetur, sed adulatione simuletur.* Sic Ambros. plura in hanc sententiam attexens, quæ huic loco peropportuna sunt. Tu vide.

Luc. 1. 6.

Chrysolog.

August.

August.

Ambros.

In innocentia cordis mei.

LECT. VIII.

Vera, ac simplex, & non fucata Dauidis innocentia.

1. ERgo aliter sanctissimus, ac prudentissimus Rex, & seipsum, & successores suos, omnesque fideles Reges instituebat, ac illa optimæ pru- C dentiæ, & germanæ gubernationis pestis impius Nicolaus Machiauellus Politicorum Antesignanus, & eius perditissimi asseclæ, qui non illâ sapientiâ imbuti, quæ de sursum descendit, sed eâ quæ Iacobo Apostolo Auctore: *terrena, animalis, & diabolica* (siue vt lectio Syriaca expressit *à dæmoniis*) est, Regis animum vero virtutis splendore, *innocentiâ* videlicet *cordis* omnino spoliantes, externis tantùm virtutis signis pro re nata, & temporis opportunitate ea siue explicantem, siue implicantem contentum esse monet. Vt scenicus scilicet virtutis histrio prout se obtulerit occasionis facies, faciem ipse, & personam mutet. Adeò quidem vacuum nomen virtutem esse censent, vt terrenis quisquiliis, rebus inquam status, vt ipsi aiunt, seruiliter morem gerere, & ancillari velint.

Iacob. 3. 15.

O curuas animas, & cælestium inanes!

D Contrà omnino Dauid non alia ratione quàm in innocentia cordis familiam suam, & regnum se gubernaturum affirmans: ac si dicat, inquit Eusebius Græcus Auctor apud Agellium: *Plerique composito habitu, ac sumptâ grauitatis personâ in publico modesti videntur, ac probi, at verò domi mores suos detegunt, & se improbos produnt. Ego verò* in innocentia cordis mei in medio domus meæ *ambulaui, cogitationesq́; malas ex intimo corde prodeuntes, non habui.* Similiter Theodoretus: *Cum integritate vixi, non vsus sum fraude, neque alius eram intus, quàm foris videbar, sed occulta apparentibus respondebant.* Neque aliter Chrysost. qui cùm plura de cordis innocentiâ disseruisset, sic tandem concludit: *Perambulabam* in innocentia cordis mei. *Hoc est, circumspectabam, vndique excutiebam, quæ mea erant vocationis, vt ne qua radix amaritudinis germinans obturbaret & contaminaret sensibile organum cordis mei, sed vt innocentia in me salua omnium mihi foret conciliatrix virtutum.* Ita Chrysost. Machiauello, & eius artibus omnino repugnans,

Euseb.

Theodor.

Chrysost.

gnans, cùm ad regni munia egregiè obeunda exactissimam innocentiam singillatim exigat, ne aliqua peccati nebula mentem obturbet. Quibus PP. omnino concinit Cassiodori obseruatio ad hæc verba; ideò Dei filium Agnum nuncupari, & diuinum Spiritum in columbæ specie apparere voluisse, vt simplicissimã innocentiam cõmendarent; ait enim: *Nam quantum valeat innocentia, hinc datur intelligi, vt propter gratissimam simplicitatem in columba specie Spiritus sanctus appareret, & propter mansuetudinem beatam, Agnum se vocari, Dei Filium elegisset, designans, quoniam illa cælestis, & vera sapientia in peccatoribus placidis, & humilibus conquiescat.*

Sap.7.24. 2. Certè de diuina Sapientia cælestia, & terrena ordinatissimè moderante hoc intentus dixit Salomon Sap.7.24. *Attingit autem vbique propter suam munditiam.* Quæ dixeris vidisse Aristot. l. de Mundo cùm dixit: *Omnia per omnia pertingens vna virtus deposuit, & gubernauit dispositè, & ordinatè.* Vbi optima gubernantis dispositio quà omnia pertingat, comprehendat, penetret (id enim ibi græcè est *pertingit*) omnibusque, quæ ad rerum administrationem spectant, commodè occurrat, signatè munditiæ & puritati tribuitur: Quare notanter subiicit: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quadam est claritatis Omnipotentis Dei sincera, & ideò nihil inquinatum in eam incurrit.* Obserua epitheton illud *sincera*, proquo, vt Origen. lib. 2. Periarchon cap. 2. legeris *purissima*: malo græcam vocem εἰλικρινής, modò premere (vt alibi feci) iuxta propriã significationem quæ est, *non fucata*: vt appareat, à legitima, germana, & diuina gubernandi ratione fucatam virtutem omnino remoueri: & ad illam non aliam, quàm veram & exactam prærequiri. Nimirum non sincerè, sed simulationis fuco virtuti studere, cùm primis adeò est à regio animo alienum; vt seruilis potiùs ingenij fuerit: sic namque sapienter dixit in Apologetico Nazianz. *Aut enim seruilem in modum peccatum suffuramur, non secus ac malignum quemdam, & subputridum morbum intimis animæ recessibus occultantes, perinde ac magnum quoque Dei visû, illius vltricis oculum fugituri, si homines fefellerimus.* Deinde verò ceu futilis, & inanis res, siue potiùs vacuum nomen nullam ad permouenda subditorum studia vim habet. Quod bene quidem intelligebat Apostolus, dum suæ gubernandi rationem exponens 2. ad Cor. 8. 21. cùm præmisisset: *Deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis*; siue vt habet Lectio Syriaca: *in hac dignitate, quæ administratur à nobis*; subdidit: *Prouidemus enim bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Quæ sic inibi pendit Caiet. *Non dicit: Prouidemus vana, aut fucata, sed bona; quæ scilicet suaptè natura sunt bona.* Pulchrè. Quia videlicet fucata virtus Principis, manca, & inefficax est ad subditos permouendos.

3. Porrendit id quidem ea pars visionis mirabilis illius currus Ezechielis, quã cap. 10. 16. dicitur: *Cumq; ambularent Cherubim ibant pariter, & rota iuxta ea: & cùm eleuarent Cherubim alas suas, vt exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed & ipsa iuxta erant*: ac si diceretur, vt inquit vetus Scholiastes ibi: *Cùm incedebant Cherubim simul cum eis rota ferebantur, cùm tollebantur sublimes, ipsæ quoque tollebantur.* Eodem scilicet motu Cherubinis seipsos, & rotas impellentibus; hæ nimirum vix in puncto terram tangentes pernicissimo circumactu sese voluentes consequebantur quadrigas volantes: ideò subiicit Vates: *Stantibus illis stabant, & cum eleuatis eleuabantur; spiritus enim vitæ erat in rotis.* Planè quòd Principes, & Prælatos Dei spiritu se mouentes, & in innocentia cordis sui perambulantes: rotæ siue subditi promptè, & alacriter sequantur; spiritus, & virtutis illorum particpes & imitatores facti, dum ab illo animantur, & excitantur ad virtutis studium percurrendum. Quod quidem, cùm Principis ac Prælati virtus, fucata, & ad speciem solùm composita est, minimè euenit, quippe inualida hæc, & inefficax, vt pote spiritu vacua ad rrahendos subditos inuenitur: scitè hæc obseruante ad id loci Hieronymo Prado vbi cùm dixisset: *Obserua quàm suaui motu aguntur rotæ, cùm præeunt Cherubim, & quàm facilè imitatur populus Prælatorum, & Magnatum mores*: hunc locum cum iis Principis Apostolorum verbis epist. 1. c. 5. vers. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei prouidentes, non coactè, sed spontaneè, neque vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo*: omnino componit: obseruans, notanter adiectum esse à Petro, vt non qualecumque virtutis exemplar, sed id quod verus, & ex animo exercitas virtutes repræsentet: sese exhibeant: *quia non satis est* (inquit ille) *præire Principem aut Episcopum si secundum faciem tantùm præit, ne non præcedere videatur: sed ex animo obeat pietatis opera necesse est, quo populus sponte aemuletur nihil minùs curantem.* Ita ille.

Cassiodor. Sap.7.24. Aristot. Origenes. Nazianz. 2. Cor. 8. 21. Lect. Syr. Caietan. Ezech. 10. 16. Scholiast. 1. Petr. 5. 2. P. Prado.

In innocentia cordis mei.

Fucatam Principis virtutem, siue virtutis fucum citò euanescere, & pro honore contumeliam parere. LECT. IX.

1. VNde quidem plus plus se prodit vesanus impiorum Politicorum error, Principem scenicã solùm, & personatã virtute siue fuco, & specie virtutis adornantium. Nam præterquàm quod subditos (quæ vnica illorum cura esse deberet) bonos, & veræ virtutis studiosos non faciet; illa sanè virtutis fictio ad breue, exiguumque tempus duratura est: quippe & Seneca iudice & nostris oculis testibus: *Tenue est mendacium perlucet; si diligenter inspexeris.* Vnde quidem pro bono nomine, & dignitate ad populos sibi conciliandos, qualem ipsum habere isti volunt, dedecus, & ignominiam sibi lucrulerint, & subditis suis contemptui & ludibrio erunt. Nimirum, si bene æstimas, est hæc ipsissima Pharisæorum virtus, & gubernandi ratio, interiori cordis innocentiæ vndequaque opposita. Ea verò illam sic simul arguebat, & traducebat Dominus apud Matth. 23. 25. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis: intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat quod deforis est mundum*: Vbi præter alia obserua, Pharisæos & hypocritas Principes à Domino cum vitreo & perlucido vase componi, quod infusum sibi liquorem flauescentem, v. g. vinum, non potest abscõdere, sed necessaria ratione exterius refert, ac prodit: vt documẽto fuerit tenue esse fictæ fucatæque virtutis mendacium, quod perlucear, & sese ipsum prodat: ita id annotante Ambrosio lib. 7. in Lucam, *& facile ea, quæ mens voluit interna, per sensum & gesta corporis prodit, sicut illa quæ calix intus continet, foris luceat.* Verùm enimuerò, quomodo hæc à Philone diffundantur, audire operæ pretium fuerit. Sanè cùm ille libro altero de Nominum mutatione, scenicos hos Principes laruam virtutis præferentes hunc in modum depinxisset: *Tragicè efferre, & fastuosè ostentare mala, geminus error est, sed plerique ferme id committere solent. Etenim virginem iustitiam* (non agit Philo de iustitia, quæ specialis est virtus, sed de ea, quæ omnem complectitur virtutem) *blandè, & amicè affantur. Nullam verò prætermittunt occasionem, quò si possint, eam iniuriã & contumeliã afficiant. Enimuerò, qua cunctas referta est iis, qui virtutem semper virginem celebrant, & adstantium aures obtundunt, cùm ista prædicant.* Prudentia necessaria est, iustitia perniciosa. Optabilis tempe-

Seneca. Matth. 23. 25. Philo.

temperantia; incontinentia aduersa, & inimica est. A Fortitudo cum patientia perferēda; ignauia vitāda. Iustitia cōducibilis est, iniustitia inutilis. Quod fas, sanctumque est, præclarum est, quod nefas est, turpe quoque est. Pietas laudabilis, impietas vituperanda est. Hominum naturæ maximè proprium est, rectè velle, & facere, & dicere; alienum est ab eisdem, malè vnumquodque horum præstare. *Cùm hæc, & similia semper in ore habeant, omnia prætoria, consistoria, theatra, concilia, cœtusq; hominum decipiunt, vt qui laruas, & personas pulchras vultibus fœdissimis adhibent, ne videlicet à spectantibus arguantur.* Sic statim opportunè subiicit: *Hæc verò fictio nulli vsui est. Accedent enim quidam magno robore animi præditi, & ardenti virtutis amore flagrantes, qui cùm velamina & ornamenta illa orationis artificio contexta detexerint, ac denudatam apertamq; animam illustrarint, perspicient arcana in ipsis naturæ penetralibus abdita, deinde turpitudinē foras producentes, omniaq; ipsius probra, & dedecora Soli puro exposita omnibus indicabunt, & patefacient, quàm per se turpis, & deridenda esset, & qualem sibi formositatem, quamq; illegitimam, & spuriam adiuncto sibi falso ornatu affinxisset.* En Principem, qualem sibi volunt Politici, en fucatæ virtutis fructum, en scenæ exitum quin opus quidem sit, vt animi magno robore præditi (vt inquit Philo) ad laruam detrahendā accedant, cùm tenue ac perlucens mendacium vix aliquos, quamuis imbecilles, oculos effugiat: vt videris quàm à veræ gubernationis scopo aberrent, qui à Deo, & à vera virtute aberrant.

2. Enimuerò, si attendis, cùm de diuina Sapientia omnimodâ puritate cuncta gubernante accuratâ locutione dixit Salomon, esse sinceram, purissimam, siue non fucatam claritatis Dei emanationem; notanter adiecit, *& ideò nihil inquinatum in eam incurrit.* C Similiterque Paulus, dum se vera & solida bona non fucata, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus prouidere affirmauit: eam rationem signatè præmisit: *Deuitantes ne quis nos vituperet*, &c. Planè quod vituperia, calumniæ, & criminationes non in fucata virtute, sed *in innocentia sordis*, à Principe deuitentur. Nimirum *super lapidem vnum septem oculi sunt.* Zachar.3.9. id est in Principem; qui optimâ ratione lapis siue basis ædificij dicitur (de quo alibi) omnium subditorum sunt oculi coniecti: eius dicta, facta, & minutissimas actiones curiosiùs inuestigantes: imò cogitationes ipsius penetrare, & introspicere studentes, vti ad Heliodorum in epitaphio Nepotiani, sic dicebat Hieron. *In te omnium oculi diriguntur, domus tua, & conuersatio tua quasi in specula constituta.* Et si verè æstimas, illius actiones nisi solaribus radiis clariores, & puriores sint, in peiorem partem accipere, & interpretari solent. Vnde quidem mille omnino Principis oculi, mille eius virtutes esse debent, ne suorum criminationibus, atque D calumniis non sit obnoxius, vt totidem videlicet virtutum oculis, & curiosæ animaduersioni occurrat, vt in mysticis illis Ezechielis rotis, sine etiam in sacris Apocal. animalibus videre est: sic namque de rotis Ezech.1.18. *Totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum.* De animalibus verò Apocal.4.7. *& in circuitu sedis animalia plena oculis antè & retro.* & vers.8. *& intus plena sunt oculis.* Quæ dilucidè ad hanc rem explicat Gregor. Magnus ad ea verba lib.1. Reg.16,13. *Vnxit eum in medio fratrum suorum*; hunc in modum: *Vnde, & sancta animalia in circuitu habere oculos describuntur, quia electus Doctor dum ardorem charitatis, dum virtutem misericordiæ, dum zelum rectitudinis, ex sancti Spiritus ardore recipit quasi globum habitat luminis, qui eum ex omni parte circumstantibus fulgentem reddit.* Aliàs cùm tenue sit mendacium, quod diligenter inspicientibus perluceat, ficta & simulata virtus à curiosis subditorum oculis citò deprehenditur. Quod omnino tetigisse videtur Socrates de quo Cicero lib.2. officiorum ait: *Præclarè Socrates hanc viam ad gloriam proximam, & compendiariam dicebat, si quis ageret, vt qualis haberi vellet, talis esset. Quòd si qui simulatione, & inani ostentatione, & ficto non modò sermone, sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant.* Subiicit rationem: *Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur, ficta omnia celeriter, tamquàm flosculi decidunt, nec simulatum quidquam potest esse diuturnum.* Hæc ibi. Quæ vidisse Ambrosium lib.2. officiorum c.32. & iis Principibus virtutis personam gestantibus, omnino accommodasse sic videris: *Plerique enim remissiores malunt esse, vt videantur boni. Sed nihil simulatum, & fictum veræ virtutis esse, certum est, quin etiam diuturnum esse non solet. In principio vernat, in processu, tamquàm flosculus dissipatur, & soluitur, quod autem verum, ac sincerum alta radice* B *fundatur.* Sic Ambros.

Zach.3.9. — *Hieron.* — *Ezech.1.18.* — *Apoc.4.7.* — *Greg.M.* — *Ambros.*

3. Sed iam hæc ad historiam translata, vt politicum Principem prout à Machiauello exoptatur, à sacro Scriptore suis coloribus depictum, qui in principio quidem vernet, in processu verò tamquàm flosculus dissipetur, & soluatur, vide; vide, inquam, Absalonem, ac si Machiauellum à consiliis haberet, populum non modò blanditiis & promissis: sed etiam simulatis virtutibus, & fucato iustitiæ zelo adeò captantem, vt nostrum Regem ipsius parentem in innocentia cordis sui perambulantē quasi ignauum, & regij muneris oblitum in inuidiam traheret. Audi: *Manè consurgens Absalom stabat iuxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium, vt veniret ad Regis iudicium, vocabat Absalom ad se, & dicebat: De quâ ciuitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex vna tribu Israel ego sum seruus tuus. Respondebatq; ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni, & iusti. Sed non est, qui te audiat constitutus à Rege: dicebatq; Absalom: Quis me constituat iudicem super terram? vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iustè iudicem*, 2.Reg.15.2. Audis? formarétne magis ad suam doctrinam & mores Principem aliquem Machiauellus? Non opinor: quippe hic *2.Reg.15.2.*

Tertius è cælo cecidit Cato.

Iam illum suis artibus fruentem, florentem, & regnantem vide: sic enim statim: *Sollicitabat corda virorum Israël*: & vers.12. *Facta est coniuratio valida, populusq; concurrens augebatur cum Absalom. Venit igitur nuntius ad Dauid dicens: Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalom.* Quid tum Dauid? *Egressus est ergo Rex, & vniuersa domus eius pedibus suis*, &c. O quàm tunc rideret Machiauellus Dauidis simplicitatem, & innocentiam cordis! Quomodò illi tamquàm regnandi artis nescio insultaret! Sed quæ ei mens in tantu discrimine? Audi illum sic ducibus suis præcipientem: *Seruate mihi puerum Absalom*, 2.Reg.18.5. Dixerit poli- *2.Reg.18.5.* D ticus, bonum Regem desipere, delirare, ac dementem esse, qui cùm benè nouerit, atque aliàs iactauerit varium esse euentum belli, rebus modò omnino turbatis, & in summo discrimine positis, ac si omnia iam in sua manu haberet, de Absalone tamquàm deuicto, & captiuo decerneret, cùm penè oraculum fuerit: *Non vendendam vrsi pellem, quem nondum telo transfixeris.* At enimuerò Dauid firmioribus innixus rationibus, siue radicibus, vt nihil simulatum & fictum, veræ virtutis esse nouerat, ita nec diuturnum esse posse, optimo sibi iure persuasum habebat: & qui in principio vernantem viderat, in processu tamquàm flosculum dissipatum, & solutum intuebatur. Hæc omnia sic eurius obseruante indidem Ambrosio: *Deliniebat singulos sermonibus, & cùm accederent, vt adorarent eum, extendens manus suas apprehendebat, & osculabatur eos, sic conuertit in se corda omnium, dum blanditiæ huiusmodi interiorum tangunt viscerum sensum,* *Ambros.*

sed

sed delicati isti, & ambitiosi elegerunt honorabiliora, & grata ad tempus, & iucunda: ubi autem parua processit dilatio, quam prudens omnium Propheta paulisper cedendo interponendam putauit, non potuerunt tolerare, ac sustinere. Denique non dubitauit de victoria Dauid commendabat filium dimicaturis, vt ei parcerent. Ideo nec prælio interesse maluit, ne vel inferre arma parricidæ licet, videretur, sed tamen filio. Ita ille. Vnde concludit: *Liquet igitur, ea perpetua esse, & solida quæ vera sunt, & quæ syncera potiùs, quàm quæ dolo congregantur. Ea verò quæ simulatione animo, ac ostentatione parata sunt, diu non posse perseuerare.* Hæc Ambrosius opportunissimè.

In innocentia cordis mei.

LECT. X. *Dauid non sua, sed subditorum, vtilitatis studiosus.*

1. NEc omittenda fuerit ea horum verborum expositio, quæ ex Agellio ad similla Vatis de ipso verba sumi potest, quòd cùm ibi aptè fuerit, non minorem opportunitatem, & venustatem hîc Ps. 77. 75. habeat. Ergo Psalm. 77. 75. describens populum gubernante, ait noster Rex: *Et pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Ad Agellius. quem locum Agellius cùm præmisisset: *Commemorat, qua ratione Dauid oues, populumq; Dei pauerit, in quo leges pascendi simul proponit:* Subiicit, *Atque in innocentia cordis pascit, qui non alió refert pastionem pecoris, quàm ad ouium ipsarum vtilitatem, non sua magis quàm gregis commoda quærit, non se magis quàm gregem pascit:* & postmo- Zach. 11. dùm: *Vnde vasa pastoris stulti, Apud Zachariam legimus, qui nescit pascere gregem, derelicta non visitat, dispersa non quærit.* Cape ergo sub hoc sensu *innocentiam cordis* in qua perambulasse affirmat Dauid, vt qui dixerat misericordiam & iudicium cantaturum, simulque animum ad intelligendum, qua ratione Respubl. optimè gubernanda foret, adiecturum, ac si id iam fuisset assecutus; affirmet se totum gubernandi rationem in bonum & vtilitatem commissi sibi populi referre; non secus ac pastor gregis commoda indesinenter quærit, & pro eius vtilitate hàc illàc perambulat, ac sollicitus est. In quo nimirum cardine optimæ gubernationis ratio vertitur; vti Græcus Stobæus. Sopater, apud Stobæum serm. 44. Principem sic admonet: *Ne respexeris ad falsæ vulgi opiniones, sed veritatis rationem omnibus praferto. Nec apparentem gloriam cum subditorum damno vsurpes, nec infamiam apparentem, qua coniuncta sit subditorum vtilitati declines: nisi vulgarem phantasiam potiùs, quàm optimam vitam sequi placeat.* Sic gentilis, non aliò imperium, & gubernationem, *iuxta veritatis rationem*, quàm ad subditorum vtilitatem referens. Sed obserua illud, *vulgarem phantasiam si qui placeat:* quasi hinc germanus, & legitimus Princeps, qui munere suo satisfaciat, & optimi Regis partes impleat, à phantastico & fucato: qui nominis communione nominis Princeps sit, omnino discriminetur. Sed de hoc in adnotationibus copiosè agendum.

2. Illud verò minimè differendum ex totâ hac sententiâ: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ*, omnino inferri; Principatum, si verè vt res ipsa est, æstimetur, speciosam quidem seruitutem potiùs, quàm dominationem esse; ad eum modum quo Dominus non in ænigmate, sed apertissimè dixit: *Ego autem in medio vestrùm sum tamquam qui mi-* Luc. 22. 27 *nistrat*, Lucæ 22. 27. Quid enim aliud fuerit in medio domus ad ipsius vtilitatem omnia referendo perambulare? Quod planè nec gentilem Tiberium quamuis imperandi auidissimum sine magnum imperij sui zelotem, non latuit, qui apud Suetonium, Sueton. qui eum in Senatu sic loquentem facit, dixit, *& nunc, & sæpè aliàs, P. C. bonum & salutarem Principem, quem vos tantâ & tam liberâ potestate instruxistis, Senatui seruire debere, & vniuersis ciuibus sæpè, & plerumque etiam singulis, neque id dixisse me pœnitet, & bonos, & æquos, & fauentes vos habui dominos, & adhuc habeo.* Enimuerò hinc boni Principis à Deo electi, Deoque dilecti notam & characterem fore desumêdum quàm apertissimè à Samuële Dei consilio Saülem in Regem constituente admonitum est: quippe illum Vates Regem renuntiaturus, vt eum pro dignitate tractaret, conuiualem inuitauit ad mensam, & inter conuiuas primam attribuit sedem; eamque victimæ partem edendam ipsi dedit, qualis decebat eum, qui Rex esset futurus; sic enim dicitur, 1. Reg. 9. 22. *Assu-* 1. Reg. 9. 22. *mensq; Samuël Saülem, vt puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant inuitati, &c. Dixitq; Samuël coco: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, vt reponeres seorsum apud te. Leuauit autem cocus armum, & posuit ante Saul, &c. Dixitq; Samuël: Ecce quod remansit pone ante te, & comede, quia de industria seruatum est tibi quando populum vocaui.* Sed victimæ partem Regi conuenientem obserua: *Leauit* (inquit) *cocus armum:* Eam videlicet corporis partem, quæ supponi solet oneri. Vt primùm nouerit Princeps, quid à se regium nomen, & titulus exigat, ab opere videlicet, & labore numquàm cessare, neque à molestia, & defatigatione, & curis vnquam leuari, & subditorum oneribus perferendis humeros subiiciere ad instar Regis Regum, cùm *factus est principatus super humerum eius*, Isaiæ 9. sic id premente Tertulliano lib. Tertull. 3. con. Mar. c. 19. *Qui omnium Regum insigne potestatis sua humero præfert, & non aut capite diadema, aut manu sceptrum, aut aliquam propria vestis notam? sed solus nouus Rex nouorum æuorum Christus Iesus noua gloria, & potestatem, & sublimitatem suam humero extulit, crucem scilicet.* Sic ille. Quod suo loco commodiùs vrgemus: Modò adnotare fuerit operæ pretium pro voce *armum* LXX. LXX. legere *pernam*. Symmachum, & ab eo Theodoretum Symmach. & alios, *crus*, siue *tibiam*: vt dum Rex sese regni columen, culmen, ac Reipublicæ cor, & caput esse glo- Theodor. riatur: hoc hieroglyphico symbolo cognoscat, pedes se potiùs Reipublicæ esse; qui in medium illius sit, tamquam qui ministrat, hàc illàc pro eius vtilitate perambulans, & suo robore illius onera sustinens: vti inibi monuit Theodoretus his verbis: *Sicut hæ cùm sint breuiora aliis membris animalis, portant totam molem compacti corporis, & firmiter fulsfulciunt; ita etiam regium tolent etiamsi ad virum vnum contrahatur, sustinet totum corpus Reip. & non sinit cadere.* Ita ille. Breuiùs verò, & enucleatiùs S. Hildeb. Cænomanensis Episcop. Hildeb. epist. 25. *Bonus Princeps sibi dominatur, populo seruit.* Quo opportunè facit allegorica perambulationis expositio, quam his verbis adhibet Hugo Cardin. dum Hugo. Christum Dominum nostræ salutis causâ deambulantem in *Passione sua fecit de flagellis ad illusiones, de allusionibus ad sputa, de sputis ad colaphos, de colaphis ad Crucem, de Cruce ad mortem.* O bonum Principem populo suo seruientem, *vsque ad mortem, mortem autem Crucis.*

In medio domus meæ.

Dauid bonus paterfamilias. LECT. XI.

1. CApiunt hæc de interiori cordis domo Au- August. gustinus, inquiens: *Domus enim nostra interior cor nostrum est, vt hoc exposuerit quod superius dixit in innocentia cor dis mei.* Chrysost. & Cardin. Bellarm. Sed id Chrysost. minimè ad rem esse, vel inde liquet, quòd perperam Bellarm. domus pro corde explicationis gratia proponeretur: quis enim nota res, simpléxve vocabulum per mysticum & arcanum hieroglyphicum explicari dicatur? Certè, si è côtra dixisset, se in medio domus suæ

suæ perambulasse, opportunè id explicaret, subdens *in innocentia cordis mei*, domus imagine cor suum denotari aperiens: domum verò ad explicandum cor afferre, è re non est. Quare meliùs præmiserat idem August. à quo Haymo, Cassiod. & alij, domum hîc pro Ecclesia aut regno ipso desumi, sicuti in præcedentibus supposuimus. Ait ergo August. *Medium domus sua aut ipsam Ecclesiam dicit: Christus enim in ea deambulat.* Cassiodorus: *Quid possit innocentia paucu verbu absoluitur, vt in medio domus Dei habitare mereretur, quatenus, & reliquis bonum exemplum præbeat, & ipsa honorabili conuersatione reluceat.* Similiter Haymo: *In medio domus, id est, congregationis fidelium inter quos vnum erant:* pergit: *cùm dicit in medio, notat quod omnibus semetipsum proponebat exemplum bene operandi.* Ab hac tamen exponendi ratione, quæ omnium simplicior, & germanior est, tantisper ire videtur Chaldæus Paraphrastes id sic efferens: *In medio domus doctrinæ meæ*, planè quasi Aulam suam, siue etiam vitæ suæ rationem gymnasium aut scholam appellet, in quâ tam præceptis, quàm exemplis optima viuendi ratio tradatur, & subditorum mores ad amussim efformentur, & poliantur, ipsoque in primis Rege sincerè, atque fideliter Doctoris munere fungente.

2. Sed Rabbinorum quidem doctissimus David Kimki ab ea minimè abiuit, Dauidem Regem strenuum patremfamilias considerans, qui hue atque illuc omnes domus partes solicitè obeat ad instar Elisei, qui puerum suscitaturus non modò seipsum ad membra illius applicuit: sed etiam in domo hac, atque illac deambulasse dicitur. Nimirum domus Regi, non domus, in qua degit corpore, & materialiter, vt aiunt, est, sed regnum cui solicitè & humanè præest: nec enim aliud ex sapientum omnium sententia est, bonum Principem gerere, quàm bonum patremfamilias esse, eo videlicet illum animo in ciues suos, atque hunc in domesticos, siue cùm prouidet, siue cùm indulget, siue etiam cùm punit affici. Quid enim aliud regnum, quàm magna familia? Quid Rex nisi plurimorum pater? Sic planè, & Deum quà cæli, terræque Rex, tam diuina institutione quàm perpetuis Pauli vocibus Patrem appellare, & dicere monemur, & cùm omnis ab eo hominiin homines auctoritas, atque potestas aduenire dicitur, non alio quàm paternitatis id vocabulo effertur: sic enim mihi sonat illud Pauli ad Ephes. 3. 15. *Ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur*, ex Dionysio Areopagita lib. de diuinis nominibus c. 2. dicente: *Sed hactenus omnis nostri spiritualis operatio progreditur, quòd diuina omnis Patris, & Filij notio ex transcendente omnia Patris, ac Filij Principatu, & bonis, & cælestibus est indulta virtutibus, ex quo, & dij, & deorum filij, deorumque patres spiritus diuinâ effigie insignes & fiunt, & dicuntur.* Quod ipsimet Ethnici odorati videntur, cùm Iouem, cui totius mundi, & deorum (vt ipsi aiunt) omnium tribuunt Imperium subinde his notant verbis: *Pater hominum Deumque*: Imò, & ipse illis Iupiter, idem ac *iuuans pater* est: de quo nos alibi. Nunc audi Senecam bonum Principem ea patris nomine, & affectu sic pensitantem lib. 1. de Clementia c. 14. *Principem appellauimus Patrem patriæ non adulatione vanâ adducti: cetera enim cognomina honori data sunt. Magnos, & felices, & Augustos diximus, & ambitiosæ maiestati quidquid potuimus titulorum congessimus, illis hoc tribuentes: Patrem quidem patriæ appellamus, vt sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos reponens.* Ita ibi: & eodem lib. cap. 10. *Bene Augusto conuenisse parentis nomen fatemur, ob nullam aliam causam, quàm quòd contumelias quoque suas, quæ Principibus acerbiores esse solent, quàm iniuria, nulla crudelitate exequebatur, quòd probrosis in se dictis arrisit, quod dare illum pœnas apparebat cùm exigeret.* Hæc Seneca. Quæ Traiano sic aptauit Plin. in Panegyrico: *Cum ciuibus tuis quasi cum liberis parens viuis. Reuersus Imperator, qui priuatus exieras, agnoscis, agnosceris: eosdem nos, eumdem te putas par omnibus.* Sic Plinius. Ad quem modum plures etiam Philosophi loquuntur: imò & Callistratus Iureconsultus de iure respondit lib. 19 D. de interdictis, & relegatis: *Princeps pater patriæ est.* Et Rex Theodoricus lib. 6. epist. 8. apud Cassiodor. Comiti priuatorum in sui locum suffecto dicebat: *Primùm tibi contra nefarias libidines, & humani generis improbos appetitus quasi parenti publicè decreta custodia est.*

3. Cui quidem cogitationi, siue exponendi rationi non leuiter suffragatur ea phrasis, siue locutio, *in medio*, quippe hæc frequentiùs in Scriptura adhibetur ad æqualitatem & similitudinem significandam, vt communis eum reliquis conditio & sors exprimatur: ita Isaiæ 6. 5. *In medio populi polluta labia habentis ego habito*: tamquàm vnus videlicet è popularibus: & Deut. 18. 15. vbi nos habemus: *Prophetam de fratribus tuis suscitabit Dominus.* In Hebræo, vt legit Pagnin. & in Chaldæo est: *Prophetam è medio tui*; & Num. 27. 3. *Pater noster non fuit in seditione, quæ concinnata est contra Dominum.* Pro quibus tam Hebræa, & Chaldæa quàm LXX. reponunt: *Non fuit in medio congregationis, qui conuenerunt aduersus Dominum.* Vt perinde sit, ac si diceatur, non fuit vnus ex seditiosis: similiter Prouerb. 1. 14. *Sortem mitte nobiscum.* Quod Hispanicè omnino exprimeres *vamos a vna*: Hebraicè est: *Sortem mitte in medio nostri.* Et sæpius: etenim quamuis Ioannes de Pineda egregius quidem sacrorum librorum Interpres, & limati ingenij vir l. 3. de Rebus Salom. cap. 5. num. 4. contendat id solummodò habere locum, cùm de priuatis personis sermo est, quod cùm de Rege agitur, pressè & strictè accipi debeat, vt *in medio populi* esse, omnino significet eum, in quem omnium oculi coniecti sunt, qui pro suo munere & communi ad omnes charitate, & prouidentia in medio est, sicut centrum in medio circuli, ex quo in quamcumque partem circumferentiæ rectus sit prospectus, neque maior vni parti proximitas quàm alteri: eam tamen obseruationem penitus euertunt Christi Domini præfato Luc. 22. 27. loco verba disertissimè sub priori sensu dictis: *Ego autem in medio vestri sum tamquàm qui ministrat*: vt omnino exprimat illud sapientis monitum: *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis*, Eeclesiast. 32. 1. vrì de Traiano dicebat Plinius: *Vnum ille se ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quòd vnum ex nobis putat*: & ibidem: *Eosdem nos, eumdem te putas, par omnibus*: & statim: *Liberum est, ingrediente per publicum Principe, subsistere, occurre, comitari, præterire. Ambulas inter nos, non quasi contingas, & copiam tui, non vt imputes, facis. Hæret lateri tuo quisquis accessit, finemque sermoni suus cuique pudor, non tua superbia facit.* Quæ omnia dicta à Plinio videntur vt explicaret, firmaretque quod dixerat: *Cum ciuibus tuis, quasi cum liberis parens viuis.* Ergo ait his verbis Dauid: excellere se quidem subditis, sed tamquàm parentem filiis, hominemque hominibus, liberum liberis imperare, non belluis, aut seruis: de quo multa in Politicis Aristoteles.

In medio domus meæ.

Dauid quà Rex omnium oculis expositus. LECT. XII.

1. Nec tamen ideò pertinaciùs negauerim opportunè etiam Dauidem *in innocentia cordis* in medio domus suæ perambulantem sub duplici illo sensu à Pineda inibi indicato accipi posse: vt primum indicet omnium in se oculos esse coniectos, quin

Margin notes: August. Haymo. Cassiodor. — Chald. — R. David. — Ephes. 3. 15. — Dionys. — Seneca. — Plinius. — Cassiodor. — Isaia 6. 5. — Deut. 18. 15. — Lect. Hebr. — Num. 27. 3 — L X X. — Prou. 1. 14. — Lect. Hebr. — Pineda. — Eccl. 32. 1.

quin vllo modo illos effugere, aut sese in angulo abdere posset, sed tamquàm in *medio* omnium iudiciis esse expositum ad eum modum, quo optimus imperator Theodosius apud Claudianum io 4. Hoorij Consulatu Honorium filium, & imperij hæredem *in medio* terræ viuere, agereque admonebat, vt nosset nullum regiis vitiis secretum esse posse: sic namque ille:

Claudian. *Hoc te prætereà crebro sermone monebo*
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoscas: cunctis tua gentibus esse
Facta palam, nec posse dari regalibus vsquam
Secretum vitiis: nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit.

Plinius. Cui sententiæ eleganter subscripsere Plinius iunior & Cassiodorus: dum ille in Panegyrico ad Traianũ ait: *Habet hoc primùm magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur. Principum verò non modò domus, sed cubicula ipsa, intimosq́; recessus recludit, omniaq́; arcana noscenda famæ proponit, atque explicat.* Cassiodorus verò Cassiodor. B Præfectum prætorio agens Ioannem Cancellarium ex muneris nuncupatione sic con meniebat lib. 11. variar. epist. 6. *Respice, quo nomine nuncuperis. Latere non poterit quod inter cancellos egeris. Tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestratas ianuas. Et quamuis studiosè claudas, necesse est, vt te cuncti aspiciant. Namsi foris steteris meis emendaris obtutibus: si intus ingrediaris obseruantium non potes declinare conspectus. Vide quo te Antiquitas voluerit collocari, vndique conspiceris, qui in illa claritate versaris.* At enim en de re omnium pulcherrimè Neronem

Seneca. bonum tunc Principem iis verbis alloquebatur Seneca lib. 1. de clementia c. 8. quibus illum ad instar Dauidis *medio domus suæ* affixum, quin pedem referre, aut à medio dimouere posset, sic facere videtur: *Aberrare à fortuna tua non potes, obsidet te, & quocúque descendis magno apparatu sequitur. Fastigio tuo affixus es. Nostros motus pauci sentiunt. Prodire nobis ac recedere, & mutare habitum sine sensu publico licet, tibi non magis quàm soli latere* C *contingit. Multa contra te lux est: omnium in istam conuersi oculi sunt. Prodire te putas, oriris: loqui non potes, nisi vt vocem tuam quæ vbique sunt gentes, excipiant.*

Isocrat. 2. Vt hinc quidem bonos viros Isocratem Philosophum, & Cyrum Regem fermè pueriliter lapsos dixeris, dum Isocrates perfectam Principis institutionem adornans in libello *de institutione Principis*, oec oblitus humanæ infirmitatis ad illicita propendentis, inter fortia virtutis documenta, quæ Nicocli Regi prudenter & viriliter suggerebat, sic illum indulgens admonuit: *Si quare parum honestâ te contingat delectari: fac, clam id facias.* Vbi non malè omnino dixerit, si contingat: hoc est, si quod absit, si mala & infelici forte vt fuerit sensus. Minimè quidem id velim, at quod Numen auertat, si tristi casu ab ardenti alicuius cupiditatis æstu aliquando abripiare, secretissimè illi indulgere studeneie in subditos ad Regium exemplum hianter sese effingentes malum diffundas: sed errare omnino visus est, qui Regem clam D aliquid facere posse, quod subditos lateat existimauit. Sicuti & Rex Cyrus apud Xenophontem lib. 8. de Cyripædia, tam sese, quàm Principes suos successores Medicâ, & oblongâ stolâ totum circumquaque corpus vsque ad talos obtegente de industria

Xenoph. indui voluit: *Hac enim* (ait Xenophon) *visa est ei occultare, si quis defectum aliquem haberet in corpore*: scilicet, vel minutissimus Principis næuus occultus esse poterit: audiat vterque:

Iuuenal. *Quis enim secretum diuitis vllum*
Esse putet? serui vt taceant, iumenta loquentur
Et canis, & postes, & marmora.

Xenoph. Vnde idemmet Xenophon à seipso discordans sic eodem libro Principes omnes admonebat: *Neque*

A *enim vos dij in tenebris operiunt, sed opera vestra necesse est semper in propatulo esse apud omnes*: vt dixerit quod Cassiodor. lib. 12. epist. 2. omnibus prouinciarum Iudicibus ingerebat: *Fasces accipimus, vt graues esse debeamus. Tribunalia conscendimus vt morum gradibus eucbamur. Nihil vile, nihil cupidum Iudices decet. Claras enim maculas suas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliqua reprehensione sordescunt,* & statim: *Alioqui expedit non videri quàm cunctorum irrisione signari.* Ita Cassiodor. Cassiodor.

3. Enimuerò Dauidi *in innocentia cordis* in medio domus perambulanti, in quem omnium subditorum essent oculi coniecti, opportunè componas Iobum de se aliquando dicentem: *Cùm splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris. Quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei,* Iob 29. 3. & 5. Quæ de Iobi famulis, quibus vndequaque stiparus esset & circumseptus, plures è PP. accipiunt. Alij ad liberos, *qui in illum tamquàm in centrum, oculorum animiq́; aciem* (sic Nicetas) *intentam haberent*, referre malunt: sed satius videtur de subditis suis capere, cum quibus ipse tamquàm sollicitus paterfamilias ageret, illi verò eum circumquaque intuerentur, & in eius actiones aciem oculorum animique intenderent, vti superiùs ex illis Zachariæ verbis c. 3. 9. *Super lapidem vnum septem oculi sunt*, iam adstruximus; quasi oculorum vallo atque custodia illum vndique circumseptum haberent, quin eorum aciem atque iudicia posset subterfugere: vt vix ea locutio ab ea Dauidis Psalm. 21. 17. iuerit: *Circumdederunt me canes multi.* Ea quippe subditorum natura, atque conditio esse solet, vt maiores suos mordeant, & dentibus lacerent. Vis videre? Audi Michæam Principes appellantem hominum morsus: nimirum c. 5. v. 5. vbi nos habemus, *septem pastores, & octo primates homines*; & Hebraicè, *octo Principes homines*; LXX. repofuerunt *octo morsus hominum*: quasi idem fuerit Principem esse, atque à subditis circumdantibus, & circumspicientibus morderi, atque lacerari, quod quemadmodum omnium oculis, ita etiam multorum odiis expositi solet, vt non malè apud Tragicum in Thebaide ad finem Polynices aiens inducitur:

Iob 29. 5. Nicetas. Zach. 3. 9. Ps. 21. 17. Michea 5. 5. LXX. Sen. Trag.

Simul ista mundi Conditor posuit Deus
Odium, atque regnum.

Ita quidem alter Seneca in consolatione ad Heluiam c. 17. tamquàm grande miraculum de Vatrasio Pollione Ægypti Præfecto refert, prouincialium morsus expertum non fuisse: sic enim ibi: *Itaque loquax, & ingeniosa in contumelias Præfectorum prouincia, in qua etiam qui vitauerunt culpam, non effugerunt infamiam, velut vnicum sanctitatis exemplum suspexit, & quod illi difficillimum est, cui etiam periculosi sales placent, omnem verborum licentiam continuit.* Seneca.

4. Vt denuò videris quàm fuerit necessaria Dauidi, qui in medio domus suæ deambulabat, tum suæ familiæ, & sui regni oculis expositus: tum tamquàm Doctor, & filios, & subditos ad virtutem instituens, *via immaculata, & innocentia cordis* necessaria: rectissimè monente præfato loco Cassiodoro: *Sit in nobis frons libera, vt aliorum possimus emendare peccata. Aequat crimen omnes quos inquinat, & ideò dissimilis ab accusato debet esse qui iudicat.* Ita ille, & apud eundem Theodoricus l. 1. ep. 4. *Quis enim vereatur scelus, cuius in suggestu gremio complicem videt.* Vnde absolutissimè Plutarch. in libro *de liberis educandis*; totam formæ doctrinam ad compendium hunc in modum redegit: *Ante omnia debent parentes nihil peccando, omniaq́; pro officij rationibus agendo, euidens sese liberis exemplum præbere, vt in illorum vitam tamquàm in speculum intuentes à turpibus dictis, factisq́; auertantur.* Subiicit: *Quorum verò tota vita turpis est, ij ne seruos quidem obiurgandi libertatem sibi relinquunt, nedum filios.* Dixit verò opportunè Plutarch. *Euidês sese liberis exem-* Cassiodor. Plutarch.

Digitized by Google

plum prabere. Quod si obscurum, aut sub luce maligna fuerit, peiorem forsan in partem accipietur. Nam qui attentiùs inspiciunt, non rectis oculis
1.Reg.18.9 aspicere solent; vt de Saüle dicitur 1.Reg.18.9. *Non*
Lect. Hebr. *rectis ergo oculis Saül aspiciebat Dauid.* Vbi lectio Hebræa omnino habet: *Et fuit Saül inspector, siue oculator Dauidis à die illa.* Eò enim curiosa hominum inspectio ire solet, vt non rectis oculis videat; & dum illis distortis videt, bona corrumpat, & quæ dubia sunt, in peiorem partem interpretetur: vti de inuidia dixit
Liuius. Liuius lib.38. *Cæca est inuidia, nec quidquam aliud scit, quàm detrectare virtutes, corrumpere honores.* Sed de hoc alibi.

In medio domus meæ.

LECT. XIII. *Dauidem* in medio domus *omnia cognoscens, omnibus consulens.*

1. BEne deinde is dicendi modus, *in medio domus* siue regni ad perfectam Principis guberna-
Pineda. tionem referebatur à P.Pineda, *vt* ipse pro suo munere, & communi ad omnes charitate, siue prouidentia *in medio*, sicut in circulo centrum, ex quo in quamcumque partem circumferentiæ rectus est, & æqualis prospectus, omnino fuerit. Et verò huc pos-
Exod.33.3. set ille referre ea Exodi 33.3. verba irati Dei, & sese peculiari populi gubernatione subducere volentis, quæ aliò aduocat, *non ascendam tecum*, siue vt est in Hebræo, *in medio tui.* Etenim Princeps in medio populi ad instar est cordis in medio corporis locati, vt omnibus æqualiter membris prouideat, suosque motus, facultates & vitales spiritus indat. Sub quo
Psal.81.1. sensu persimilem phrasim nostri Vatis Psalm.81.1. de Deo homines gubernante & iudicante, *in medio*
Remig. *autem Deos diiudicat*, sic accepit S.Remigius ibi: *Nota quod dicit: Nam qui est in medio, æqualiter à circumstantibus videtur: & quia Deus communis est omnibus, rectè in medio positus dicitur.* Quod videtur ad hæc verba mutuas-
Titelm. se Titelmannus inquiens: *Ecce ego ex munere gratiæ tuæ studebam conuersari in medio familiæ meæ cum innocentia, iustitia & simplicitate quasi pater in medio filiorum, quasi dominus in medio seruorum, quasi pastor in medio ouium, singulos attendens, & considerans, singulis prospiciens domesticis meis, singulisque superintendens quantum opus erat, &c.* Hæc ille in paraphrasi, in explicatione verò sic in eamdem rem ait: *Admodùm autem pulchrè dicitur:* Perambulabam in medio domus meæ. *Eum qui præest, in medio domus oportet perambulare. Omnium enim gerat curam necesse est: & diligenter prouidendum est illi, ne vlla vsquam ouis, vel ex hac parte, vel ex illa depereat. Propter quod illum in medio oportet ambulare, vt æquè propinquus, æquè expositus sit omnibus, vt ex æquo omnibus absque personarum accep-*
Plutarch. *tione inuigilet.* Sic ibi. Vnde quidem à Plutarcho in præceptis gerendæ Reipubl. iure reprehenditur *Themistocles, qui cuidam pronuntianti: Optimè ipsum præfuturum Reipubl. si se omnibus æqualem præberet, respondit: Absit, vt ego tali insideam solio, vnde non plus à me ad amicos, quàm ad alios perueniat.* Subiicit enim Plutarchus: *Ne hic quidem rectè, qui ciuitatem amicitiæ adduceret, resque publicas priuato fauori ac studio submitteret.* Optimè, sed de hoc multa in adnotationibus.

2. Huc etiam pertinet quod bonis Auctoribus ad hæc verba adnotatum est Principes & Episcopos *in medio domus* perambulare debere: hoc est intra regni aut Diœcesium ambitum, quin extra illum vagentur: itemque non esse illis domi otiosè desidendum, curando corpus proprium, & commodis immodicè vacando. Addunt, medium sæpè locum Christum tenuisse, qui ad deriuanda in alios exempla, doctrinam & beneficia commodior est. Sub-
Lorin. iicit his Lorinus, Scripturam non comparare Ecclesiam cum examine apum, cùm tamen in ipso ad-

mirabilis quædam similitudo Reipublicæ subsit, quoniam Rex qui aliis præesse dicitur, consistit semper in alueari, nec obit aut visit subditas quæ flores legunt, ac interdum dimicant. Sed minutior tanta re, siue tanto Auctore ea obseruatio videtur: nec omnino firma, tum quod à Salomone tota apum œconomica, siue politica viuendi ratio imitanda *Prou.6.8.*
proponatur, Prouerb.6.8. iuxta versionem LXX. apud *LXX.*
quos habetur: *Vade ad apem, & disce quomodò operaria est, operationem quoque quam venerabilem facit, &c.* Quæ verba egregiè elucidantur à Patre Salazario, & ex *Salaz.*
PP. & externis Auctoribus exornantur. Tum etiam *Basil.*
quod Basilius Magnus nō minùs naturalium, quàm diuinarum rerum accuratissimus indagator, contrarium censeat; sic namque ille disertissimè Homilia in Gordium M. initio: *Natura lex est apibus innata, vt nisi Rex priùs agmen præcedat, ab aluearibus nusquam discedant.* Illud firmius & opportunius, quod scitè à Titelmanno indidem obseruatur, Principem *in medio domus* perambulare dici, aduersarium autem per domus circuitum, quemadmodùm Petrus Apostolus *1.Petr.5.8.*
ait: *Aduersarius vester diabolus, tamquàm leo rugiens circuit quærens quem deuoret:* vt Princeps tamquàm bonus pastor ex omni parte circumeuntes aduersarios repellat, & nulli illorum, quantum quidem in ipso fuerit, nocendi aditum permittat.

3. Sed nec nec id fuerit omittendum, Dauidem *in medio domus* perambulare, vt illam vndequaque lustret, & secreta eius exploret, noritque: ne quod ignauorū, & insipientium Principum, siue patrum- *Iuuenal.*
familias est, *dedecus ipse domi sciat vltimus:* vti Dio lib.55. sic frequentius accidere commeminit: *Ii qui principatum tenent, omnia potiùs quàm ea, quæ ad se spectant intelligunt, vtque non possunt clam suos quidquam agere, ita suorum facta nunquàm percipiunt.* Qua de re opportunè alloquitur Bernardus Eugenium Ecclesiæ Princi- *Bernard.*
pem lib.4. de Consideratione ad finem: vbi cùm dixisset: *Multa nescias, plurima dissimules: nonnulla obliuiscaris:* subiicit: *sunt tamen quæ ignorare te nolim, mores quorumque & studia. Non oportet, vt vitia domus tuæ vltimus scias, quod quàm plurimis nouimus contigisse. Quapropter, vt dixi, alius alia dispenset: de disciplina tu prouide, illud nemini credas.* Rectissimè.

In medio domus meæ.

Propria non aliena domus curam habendam. LECT. XIV.

1. NOtanter à Dauide dictum videtur *domus mea*, vt innuat iis sese, quæ ad illum pertinebant, domus scilicet, & regni sui administrationem intendere: in iis sese exercere, hæc curare, atque iis omnem industriam & operam impendere: aliis verò quæ ad eum non spectabant, nec se curiosè ingerere, nec immiscere, ne ipsi id obiici posset, quod de se ille deploratus dicebat apud Comicum Damasippus:

Excussus propriis aliena negotia curo.

Frequens quidem hominum labes, propriis quidem negotiis ac curis excussos, ea quæ ad se nihil pertinent, nosse, intelligere, penetrare, & curare velle: vti à Plutarcho elegantissimè obseruatum est in libel- *Plutarch.*
lo de curiositate: *Quemadmodùm* (inquit) *in fabulis est, lamiam domi dormire cæcam, oculis in quodam vasculo repositis: foras autem egressam inserere oculos, & videre; ita quisque nostrûm, foris & aduersum alios malignitati curiositatem quasi oculos aptat, in sua ipsius peccata & mala impingens sæpenumerò ob ignorationem, visum iis, & lumen non adhibens.* Quæ totidem ferè verbis expressit Ma- *Greg. M.*
gnus Gregorius inquiens: *Graue curiositatis est vitium, quæ dum cuiuslibet mentem ad inuestigandum vitam proximi exterius ducit, semper ei intima abscondit, vt*

aliena

alienæ sciens, se nesciens fit, & curiosus animus quantò peritus fuerit alieni, tantò fiat ignarus sui. Sed pergit opportunè indidem post pauca Plutarchus: *Equidem Vlysses, ne cum matre quidem colloqui sustinuit, antequàm è vate audiuisset ea, quorum gratiâ ad inferos venerat; his cognitis, & ad matrem se conuertit, & in reliquas mulieres inquisiuit, quæ Tyro esset? quæ formosa Chloris? & cur mortua fuit Epicasta sublimis funem tecti de culmine nectens. Sed nos cum nostrarum rerum socordia, ignoratione & neglectu summo in aliorum natales inquirimus: scilicet vicini nostri auum fuisse Cyrum: auiam Thressam: illum tria debere talenta, neque persoluere vsuras; quin & talia indagamus, vnde vxor huius redeat, quid iste, & iste in angulo sint inter se locuti.* Hæc & multò plura in hanc rem scitè ibi Plutarchus.

2. Cui rei peropportunum esse dixeris, quod Petrus epist. 1. cap. 4. 15 fideles hunc in modum admonebat: *Nemo vestrûm patiatur vt homicida, aut fur, aut alienorum appetitor.* Nimirum Græcè pro *appetitor* est quæsita vox ἐπίσκοπος, à quo Latina *Episcopus*, id est, *inspector*: vnde Tertullianus in Scorpiaco cap. 12. & alij legunt, *alieni speculator*. Augustinus verò in expositione inchoata epist. ad Romanos, & Cyprianus lib. 3. testimonior. cap. 37. *curas alienas agens*: ad quem modum Budęus in comment linguæ Grecæ: *alienam procurationem sibi sumens.* Quæ omnia optimè exprimuntur nostro Episcopi nomine & munere: cui nomen suarum ouium res, dicta, opera, & si fieri posset cogitationes nosse, inspicere, inuestigare, curæ esse debet. Vnde hic locus ab Occumenio, & pluribus ex interpretibus omnino accipitur de nimia curiositate cognoscendi ea, quæ ad nos non pertinent, vt eos taxet Petrus, qui sui & eorum, quæ ad ipsos spectant neglectâ curâ: alienarum rerum & curarum procurationem sibi assumunt, & veluti extranearum diœcesium Episcopi, alienarum rerum, & actionum indagatores, & inspectatores esse volunt. Pungens quidem aculeus ad vitium curiositatis traducendum ex imagine Episcopi, qui sua diœcesi, quæ ipsi contigerat, propriisque ouibus derelictis in alienam diœcesim transiret, vt ibi alienarũ ouium procurationem sibi sumens quidquid ad eam spectaret diligenter exquireret. Quo nihil vitiosius, stultius, aut magis irridendum posset excogitari. Vis videre alienorum Episcopum? audi miserum illum diuitem epulonem externis flammis addictum se non curantem, sed illa quæ ad ipsum iam minimè pertinebant: *Habeo, inquit, quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum*, Lucæ 16. 28. Quid tua iam id miser? quid ad te spectat? cur alienas curas excussis propriis agis? ita quidem Abraham signatè respondit: *Habent Moysen & Prophetas*: quasi dixerit inquit Chrysostomus: *Non sint tibi magis curæ fratres tui, quàm Deo, qui eos creauit.* Audi & pessimum latronem Christo in Cruce conuitiantem Lucæ 23. v. 39. *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum.* Bonum quidem alienorum Episcopum qui à seipso, & à suis curis diffugiens, alienas curas agebat, & alienam sibi sumebat procurationem. Melius quidem eius in passione socius, qui sibi solùm attentus, suique procurationem sumens dicebat: *Domine memento mei*, &c.

3. Enimuerò curiosos hos alienarum rerum procuratores & indagatores, quos adeò à scientia & cognitione alienos esse censet Themistius, vt ne Philosophorum famuli vocandi sint: pulchrè ipse adhibita Æsopi imagine, quæ in ore puerorum natat, sic describit orat. 1. *Sapiens enim erat Aesopus ille fabularum scriptor, qui vnumquemque hominum manticas duas, alteram ante, pone alteram, gestare dixit, vtramque malorũ plenam; sed anteriorem quidem alienorum, posteriorem eius, qui gerit, propriorum. Propterea homines sua mala non vident, aliena verò perspicacissimè contuentur.* Quare verò in propria mala nolint intueri, ideoque in aliena oculos & cognitionem transferant, scitè indidem rationem reddidit Plutarchus, quod propriam deformitatem intueri, iniucundum illis inuisumque spectaculum fugâ potiùs quàm complexu dignum omnino videatur: sic enim ille: *Atqui nonnulli propriam vitam velut inamœnissimum spectaculum non sustinent intueri, neque rationem veluti lucem ad se reflectere, ac circumducere. Verùm animus omni genere, malorum scatens, horrens ac metuens quæ sunt intus, exsilit foras, vagaturq́, circa aliena, nutriens ac saginans animi vitium.* Sed enim post præfata verba Themistius potius sibi esse dicebat, si manticæ inuerterentur: *Vti mea (inquit) dumtaxat videam, aliena cernere nullo modo possem.* Cumque sibi statim Græcum senarium obiecisset: *Nihil est iucundius, quàm nosse omnia*, sapienter respondet: *At ego bona dixerim.*

VERSVS III.

Non proponebam ante oculos meos rem iniustam, facientes præuaricationes odiui.

COMMENTARIVS.

1. PERGIT explicare Vates viam immaculatam & innocētiam cordis: dum ait se nihil impium aut iniustum ante oculos suos faciendum, cogitandúmve proponere: simulque iniustitiam in aliis odisse, ne ipso conscio quidpiam mali aliquis facere auderet: quod puri & innocentis cordis, siue immaculatæ conscientiæ auctore Bernardo est: sic illud definiente in libro de interiori domo: *Sit purum vt nihil morari intra se patiatur mali, nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputet, aut in conscientia sua, aut in aliena.* Ita Bernardus.

Non proponebam ante oculos meos.

Execrabilis Dauidi iniquitas. LECT. I.

2. HÆrent in primis externis oculis Card. Bellarminus, & Pater Lorinus, quasi innocentiæ suæ causam agens Dauid ab oculorum custodia incipiat: sic namque prior: *Hæc namq́, pertinent ad innocentiam oculorum & manuum. Auertebat enim magna diligentia oculos Dauid ab omni spectaculo vitioso, à ludis illicitis, à choreis impudicis, ab omni aspectu rerum, quæ mentem inquinare possent.* Ad quem modum Lorinus dum pendit oculos huic adulterium monstrare, huic incestum, huic domum, quam concupiscat, huic vrbem, & mala omnia, quòd vitiorum duces & irritamenta sint, opportunè adducit illa Senecæ verba *de Remediis fortuitorum* (si tamen ea remedia è Senecæ pharetra sunt) quibus eum qui oculos perdiderit sic solatur: *Quàm multis cupiditatibus via incisa est? quàm multis rebus carebis, quas ne videres, vel eruendi erant? non intelligis partem innocentiæ esse cœcitatem?* At enim, quoniam nimis angusta ea oculorum acceptio fuerit, pergunt vterque, & ad internam animi aciem, quam ab omni re mala auerteret: quin eius cogitatio menti immoraretur, eodem ductu referunt, ait namque Bellarmin. *Sed præcipuè auertebat oculos ab omni iniustitia, à muneribus, quæ excœcant oculos sapientium, à contractibus vsurariis, ab omni negotiatione iniusta.* His addit Lorinus ex vi huius phrasis, *non proponebam ante oculos meos*, denotari extremum odium, quo rem iniustam Dauid prosequeretur, eam negligens, & abominatus. De quo statim ex Augustino.

Velasq. in Psalm. centesimum. D 2 3 Ergo

Marginalia: Plutarch. — 1. Pet. 4. 15. — Lect. Græc. — Tertull. — August. — Cyprian. — Budæus. — Occumen. — Bernard. — Luc. 16. 28 — Chrysost. — Bellarm. — Lorin. — Luc. 23. 39 — Seneca. — Themist.

3. Ergo de internis animi oculis, siue de cogitatione ipsa omnes PP. & interpretes capiunt Dauidem sub hoc sensu scitè ab Agellio expresso: *Rem iniustam neque cogitaui quidem, neque vnquam in animo proposui, numquam rem iniquam spectaui: tantùm abest vt fecerim, vt ne animum quidem ad eam adiecerim.* Hæc ille, quæ nos frequenti Hispanismo omnino exhaurimus dicentes: *No me ha passado tal por el pensamiento:* sed id sic dilucidè explicauit, siue diffudit Chrysost. *Non enim fuit mihi animus delinquendi, neque in proposito fuit, vt ea admitterem aduersùs præscriptam legis formulam, quæ aliena sunt ab exsequente sedulò suam salutem. Quin potiùs præ oculis meis erat timor Dei, obseruatio mandatorum, iustitiæ opera: denique conuersatio mea omnis iuxta legis præscriptum directa est.* Et statim iterum hæc eadem verba versans subiicit: *Quicumque enim animum intendunt ad peccandum, iis quoque adiacet, & destinato proponunt prauaris ari legem, iamq; habent peccatum velut præcedens priùs in corde id præstituentes, posteà oculum mentis intendentes ad operationem peccati. Sic isti festino cursu contendunt ad legis transgressionem, mihi è diuerso scopus hic totus erat, nempe vt iuxta tenorem legis conuersationem meam instituerem.* Hactenus ille.

Agellius. Chrysost.

4. Iam hunc sensum Augustinus aucto acuminis sensu sic firmat: *Quid est; non proponebam ante oculos meos rem malam? Non diligebam, solet enim dici, quod nostri, de homine, qui ab aliquo diligitur. Ante oculos illum habet. & ille qui contemnitur, sic solet queri: Non me habet ante oculos. Quid ergo est ante oculos habere? Diligere. Quid est non diligere? Non ibi corde habitare. Dixit ergo:* Non proponebam ante oculos meos rem malam: *non diligebam rem malam.* Sic ille. A quo suprà citatus dicebat Lorinus: Non proponere ante oculos rem iniustam, esse illam negligere ac abominari: vbi si inquiras, cur Dauid rem malam ideò contemnere, & negligere dicatur, quod ipsam non diligat; cùm aliud sit, non diligere aliquem, atque eum contemnere: nec enim omnes quos non diligimus, negligimus, atque abominamur: facilè respondeas ex præfatis Chrysostomi verbis: *Præ oculis mihi erat timor Dei, obseruatio mandatorum,* Dauidem dum Dei legem præ oculis habebat, atque diligebat, necessaria ratione cetera omnia, præsertim ea, quæ diuinæ aduersabantur, neglecturum, atque abominaturum fore: quòd hæc sit amoris natura, vt animum rei amatæ sic affigat, vt quidquid ab illa it, contemnat, & nihili faciat: significantissimè id admonente Domino cùm inquit: *Nemo potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet,* Matth. 6. 24. Etenim dum ibi non immeritò ambigitur, cur ei qui duobus dominis inseruit, necesse sit, vt alterum contemnat, & odio habeat, cùm satis esse videatur, si ei remissius obsequatur, & negligenter pareat: ad manum est responsio, ideò necesse est, vt vnum contemnat, atque odio habeat, quòd videlicet alterum diligat: nam cùm quis semel quidpiam diligit, aliaomnia contemnit, & nihili facit. Cui quidem Dauidis sententiæ adsimilis illa ipsiusmet est Psalm. 118. 123. *Defecerunt oculi mei in salutare tuum, & in eloquium iustitiæ tuæ.* Vbi Theodoretus eam inquit emphasim habere verbum *defecerunt,* quæ intensum ostendat desiderium. Planè quod Dauidis oculis in Deum defixis, siue dum ipse præ oculis Dei timorem habebat, nullos ad alia omnia videnda oculos haberet, quasi in rei dilectæ contuitu ipsi omnino defecerint: *ita* id obseruante Ambrosio: *In eo enim quem diligimus, totis oculis occupamur, nec quidquam aliud videre delectat.* Quò alibi retuli illud M. Varronis: *Nam qui ad illa sunt ingressi integris oculis, omnes sunt strabi facti.* Idest, rei conspectu pereupidi: id enim apud veteres erat strabum fieri; quasi cùm quis alicuius rei amore tenetur, integros tam oculos non habeat: sed qui in rem amatam deficiant, nec ad aliud aliquid aspicere valeant, cetera omnia contemnentes.

August. Chrysost. Matth. 6. 24. Psal. 118. 123. Theodor. Ambros. M. Varro.

Non proponebam ante oculos meos.

Oculos ad peccandum duces esse.

Lect. II.

1. Sed inquis: cur qui de animo, & cogitatione rem iniustam contemnentibus loquebatur, oculos ad id explicandum vsurpauit? Sanè, vt sese breuiùs, pleniùs, & efficaciùs explicaret, rationem, modumque indicans, quo animum ad iniustitiam non adiiceret, dum oculos à quacumque re, quæ animum poterat inquinare, auertere, frenareque studebat: minimè ignorans, quod *vt munda mens in cogitatione seruetur,* (verba Gregorij Magni lib. 21. Moral. cap. 2.) *à lascivia voluptatis sua deprimendi sunt oculi quasi quidam raptores ad culpam.* Nimirum animum sic pelliciunt, atque eblandiuntur, vt ipsum sapere, & quasi vi consensum ab eo extorquere videntur. Ita quidem Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 3. eùm versans illa Domini verba Matth. 5. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo:* dixisset: *adulterum non solùm eum desinit, qui cominus in alienum matrimonium cecidisset, verùm etiam illum, qui aspectus concupiscentia contaminasset* (quæ nos alibi verba commodius expendemus) subiicit: *Adeò quod prohibetur administrare, satis periculosè animus sibi repræsentat, & temerè per voluntatem expungit effectum.* Vt dixerit adeò esse ingens scandalum oculorum, vt videre, & concupiscere penè idem fuerit, ac proinde minimè proponendam esse ante oculos rem iniustam. Nec aliud planè tenuit, quod inquit Apuleius lib. 10. Metamorph. *Venerem saltare oculis:* voluit enim dicere, tam consonum, tamque velut natura ipsa cōnexum esse, videre & concupiscere, quàm ad lyræ sonum saltare. In quam rem egregiè Clemens Alexandrin. lib. 3. Pædagogi cap. 11. *Oculis* (inquit) *maximè parcendum est, quoniam melius est labi pedibus, quàm oculis.* Et statim ex Domini sententiâ his Dauidis verbis quàm opportunè subdit: *Dominus itaque quàm fieri potest, compendiosissimè medetur huic vitio. Si te tuus, inquiens* Matth. 5. 29. *scandalizat oculus, excinde eum, ex imo euellens cupiditatem:* planè quasi oculis cupiditas hæreat: & ideò frenare oculos perinde sit, atque concupiscentiæ per compendium mederi. Vnde ad calcem capitis iterum monet Clemens ex Ecclesiastico c. 9. 8. *Auerte autem oculum à muliere gratiosa, & ne discas alienam pulchritudinem, Inquit Scriptura, & si causam roges, ipsa tibi enarrabit:* In pulchritudine enim illius multi sunt seducti, & ex ea tamquàm ignis accenditur amicitia, *qua ad ignem nos conseaturum deducit propter peccatum.* Hæc ille. Quæ obseruatu & elucidatione dignissima esse videntur.

Greg. M. Tertul. Matth. 5. 28. Apuleius. Clem. Alex. Matth. 5. 29. Eccles. 9. 8.

2. Enimverò huc intentus præfata Assertoris nostri verba premens sic pulchrè rem vrget Saluianus Massiliensis lib. 3. de Prouidentia: *Hinc intelligere plenè possumus, quàm castos nos esse Saluator iusserit, qui etiam licentiam visionis abscidit: sciens enim fenestras quodammodò esse nostrarum mentium lumen oculorum, & omnes improbas cupiditates in cor per oculos quasi per naturales cuniculos introire, extinguere eas penitus foris voluit, ne intus orirentur, & lethaliter crescentibus fibris, cum aliter certus fortasse in anima, si germinassent in visu.* Sed pende elegantem illam simulque perdifficilem imaginem, *improbas cupiditates in cor per oculos quasi per naturales cuniculos introire.* Nam primùm, eleganter, inquit Saluianus, improbas cupiditates sic se mediis oculis cum corde gerere, ac milites arcem aliquam oppu-

A oppugnantes, qui cuniculis siue foraminibus occultis sub terra tormentarium puluerem includunt, cui facem subinde admouent, vt ignis erumpens murum dissipet, atque deiiciat, nimirum illæ per oculos in cor suum ignem immittunt, quem hinc illinc attracta aura excitat, & accendit.

Horat. l.2. Ode 8.

Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.

Vt ille dixit, & explicatius alter:

Propert.

Crescit enim assiduè spectando cura puellæ,
Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.

Plutarch. Sed rem velut acu tetigisse videtur Plutarchus in disput. amatoria inquiens: *Ignis quidem eos tantùm, qui ipsum contigerint adurit: formosi verò eos etiam, qui procul adstiterint accendunt, est enim aspectus perturbationis huius ansa.* Vides iam tormentarium puluerem cordi per oculorum cuniculos admotum subitò accendendum? B Greg. M. *Valdè namq; est graue* (sic Gregorius Magn. loco indicato) *quod caro deorsum trahit, & semel species formæ per oculos illigata vix magni luctaminis manu soluitur.* Bene ergo & inquit Sapiens: *In pulchritudine enim illius multi sunt seducti, & ex ea tamquàm ignis accenditur amicitia:* & sapientissimus Medicus admonet, cupiditatum ignem foris extinguendum, ne semel per cuniculos oculorum inclusus lethaliter conualescat in animo, qui germinauit in visu. Firmat hæc omnia S. Hilar. S. Hilarius Arelatensis hom. 3. in die sancto Paschæ, sic elegantissimè locutus: *Qui alienum malum respicit, qui in alienam rem anxiâ cupiditate suspirat, qui alienam mulierem importunis oculis, & mortem ad se trahentibus conspicit: hic toxicato spiculo in corde percussus est.* Opportunè illud *importunis oculis, & mortem ad se trahentibus*, ignem scilicet excitantibus, & mortem siue aufugientem, siue renitentem euocantibus & adducentibus; sed hæc Hilarij verba commodiùs postmodùm vrgeo: C Ambros. modò audi Ambrosium lib. 1. de pœnit. c. 14. dolenter aientem: *Ipsi nobis oculi nostri retia sunt, & ideò scriptum est:* Ne capiaris oculis tuis: *Ipsi ergo nobis tendimus retia, quibus inuoluimur & implicamur.* Vnde tandem sic Saluian. præfato loco cõcludit Saluianus Massiliensis: *Idcircò itaque Dominus petulcos impudicorũ hominum intuitus noxâ adulterij nõ carere dixit, scilicet vt qui bonâ fide fugeret adulterium, custodiret aspectum.* Obserua egregium dicendi modum, *qui bonâ fide fugeret*, quo non tantùm innuitur tuta & secura fuga; sed ea etiam quæ candida, & ex animo facta censeatur: malâ enim fide fugit qui aspectum non custodit: dum ignem in sinu alligatum quem indesinenter excitat, secum defert; sed notantissimè malâ in fide fugit, qui quod videtur fugere reapse *anxia cupiditate suspirat*, & oculis euocat importunis, attrahitque: nec tam dicendum est, velle fugere, quàm malè cadere.

D 3. Iam verò nonnihil obstrepit hos oculorum cuniculos appellari à Saluiano *naturales*. Quomodò enim astus, doli, & insidiæ esse naturales, dicive possint? Planè quod ea sit cupiditatum calliditas, vt sese rei, quæ naturalem cum corde cognationem habet, omnino insinuent: simulque & vi, & natura Philo. illud oppugnent: etenim, vt scitè admonuit Philo, ceteri corporis sensus familiaritatem solùm cum mente; oculi verò cognationem cum illa, naturâ suâ habent: ideoque animæ perturbationibus ipsi quoque (inquit ille) *Afficiuntur, & variis modis & ineffabilibus commotionibus immutantur, propter illam quæ ipsis est cum anima coniunctionem naturalem.* Diffundit hæc Heliodor. non bonus ille Episcopus Heliodorus historiæ Æthiopicæ Auctor, cuius olim memini, vt Græci potiùs styli in eo, quàm morum puritatem probarem: sic namque ille naturalem hanc oculorum cum anima coniunctionem explicat lib. 3. *Ea quæ videntur, dant amoris indicium, ac veluti quadam aura per oculos affectos feriunt animos: idq; verè. Nam inter meatus qui sunt in nobis, & inter sensus, omnium est acerrimus, & nobilissimus visus, facillimè excipiens ea, quæ se insinuant, & ad se trahens mutationes amoris feruido spiritu suo.* Ita ille eius rei satis peritus. Pende iam oculorum naturam, qui obiectarum rerum auram excipiunt, vt in animum transmittant, nec vtcumque quidem, sed feruidi spiritus quo illi valent, & quem à corde accipiunt aucto iam sensu inflammatam: vt noueris quàm sint naturales illi hostiles cuniculi, quibus animũ improbæ cupiditates expugnant. Cui cogitationi sic opportunissimè subscribit Gregor. Nazianz. orat. 43. Nazianz. *Vt quispiam assiduis voluptatis monimentis premátur non sustineo, eam quoque consuetudinem, quæ per aërem contrahitur, odi ac detestor.* Sed quæ hæc per aërem contracta consuetudo, quam Theologus odit, & execratur? Non alia quidem, quàm quæ oculis internuntiis initur, vti eius Scholiastes Nicetas, ita inibi interpretatur: Nicetas. *Ego verò non huiusmodi tantùm contubernij necessitudinem interdictam volo, sed eam quoque execror consuetudinem, quæ prospiciendis trans fenestras prætereuntibus per medium aërem contrahitur: sæpè enim accidit vt per importunum aspectum aculei mortis in pectus irrepant.* At enim, cur aëris signatè meminit in hac oculorum consuetudine Gregorius? aut quæ discriminis huius explicandi ratio ex aëre petita fuit? Allusit planè acutissimus Pater, opinor, ad aëris naturam, qui in eius rei, cui proximus est, statum, naturamque absque vlla difficultate, aut mora conuertitur: vti scitè adnotauit alter Gregorius in Hexameron dum pendit aëris mentionem, ideò à Moyse rerum omnium creationem scribente non factam, quod Nyssen. *naturâ molli ac facilè cedenti præditus res omnes in sese suscipit, easdemq; præ se fert, cùm nec colorem proprium, nec figuram, nec speciem habeat, sed alienis, & coloribus, & figuris informetur, & ad omnium rerum, quas suscipit motum se accommodat.* Vt omnino dixerit, ideò se consuetudinem per aërem contractam execrari, quod is naturâ molli, ac facilè cedenti præditus, tam venenum quod immittunt improbæ cupiditates, siue quod feminea forma tamquam basiliscus spirat, quàm quod oculi feruido spiritu suo ad se trahunt, in se suscipiat, & corruptus iam ipse, oculos etiam animumque corrumpat. Explicat id ex parte Basilius in c. 3. Isaiæ dum premens Basilius. illud Vatis de inuerecundis virginibus Ierosolymitanis: *Nutibus oculorum ibant,* hæc ait: *Iactus enim oculorum sagittam planè exitialem emittit, cuiusmodi tandem obtinet rumor de basilisci naturâ, quem dicunt solo aspectu corrumpere suos spectatores.* Sed enim cogitationem omnino perficit adductus iam Hilarius cùm inquit: *Qui in alienam rem anxiâ cupiditate suspirat, qui alienam mulierem importunis oculis, & mortem ad se attrahentibus conspicit, hic toxicato spiculo in corde percussus est.* Quippe, qui infectum veneno aërem attrahit, & spirat, exitialemque sagittam corde excipit. Audis consuetudinem, quæ per aërem contrahitur.

4 Iam hæc à Ieremia sub eadem phrasi audi: ille Ierem. 2. 24. siquidem cap. 2. 24. de populi sui principibus ad libidinem proiectis (vti postmodùm cap. 5. 8. aiebat: *Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat*) sub onagri imagine hæc habet: *Onager assuetus in solitudine in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui, nullus auertet eam?* Lect. Hebr. siue vt est in Hebræo: *quis auertet eam?* Vt dixeris, cùm aërem veneno infectum iam hauserit, siue importunis oculis consuetudine per aërem contracta mortem semel attraxerit, quis eum animum à præcipitio reuocare valeat? Reddit ex dictis rationem opportunissimè Basilius libro de vera virginitate hunc in Basilius. modum: *Nam cùm hausta luminibus forma obtutus passiuè defixerit, atque in animâ voluptate mollita ceræ*

instar concepta speciei imagines presserit, quamuis ille abeat, seorsimq́; sit, qui huiusmodi formas impressit, insignita animo conspecti speciei, quod suum est semper operatur, animamq́; imaginibus ludit. Sic ille, nouâ quidem, sed persimili imagine eamdem sententiam adstruens, qua Saluianus improbas cupiditates in animo conualescere, si germinassent in visu dicebat. Vnde quidem Græcam lectionem à nostra Vulgara ad speciem discordantem apud Petrum epist. 1. cap. 4. 15. cum ipsa in concordiam facilè rediges: etenim vbi Princeps Apostolorum mouet: *Nemo vestrûm patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Græcè pro extrema hac voce *appetitor*, habetur ἐπίσκοπος, id est, *inspector.* Vnde Tertullianus in Scorpiaco c. 12. & alij legunt *alieni speculator*, & quidem licet Oecumenius, & ex interpretibus plures à Vulgato recedentes de nimia curiositate cognoscendi res alienas non omnino abs re accipiant, vt in superioribus vidimus: at potius fuerit à Vulgato non discedere: maximè cùm nullum apud Iurisperitos, & forenses curiositatis facinus fuerit, ob quod à magistratibus grauia supplicia, de quibus Petrus loquitur, infligi soleant: ergo si attendis, nec hilum Græcus à Vulgato differt, dum vterque de rerum alienarum vsurpatione, siue quod ego potiùs crediderim, de alieni thori violatione diuersis phrasibus sese explicantes loquuntur: nam quod Græcus dixit, *attentiùs inspicere*, scitè noster *appetere* vocauit: vt sensus fuerit, qui attentiùs, & morosè inspicit, is appetit; qui appetit, is data occasione rapit. Pro qua explicatione omnino fideiubet Galenus dum lib. 1. de compage membrorum, dum quid quisque planetarum in humani fœtus formatione conferat, prosequitur, signatè Mercurio tribuit oculorum, & vnguium formationem: ait enim: *Mercurius secundùm calidum, & humidum, frigidum. & siccum aquus, in quo manualis habetur scientia, & ponit supercilia, oculos, scindit palpebras, crescere facit capillos & vngulas.* Eadem naturæ, seu Mercurij manu oculos ponente, & vngues dilatante, vt appareat quantam inter se connexionem oculi & vngues, videre scilicet, & rapere habeant. Itaque Petrus Græcè locutus, vt moneret à rebus alienis manus esse cohibendas, securim ad radicem adhibens, eas curiosiùs inspiciendas non esse omnino cauet. Quem noster Vulgatus opportunè interpretatus est inquiens, eum alienorum fore appetitorem, qui fuerit curiosus inspector: vt verum omnino sit, quod superiùs dicebat Clemens Alex. *Melius est labi pedibus. quàm oculis*, & quod ille prophanus, ac si hæc præ manibus haberet:

1. Pet. 4. 15. Lect. Græc. Tertull. Oecumen. Galenus. Propert.

Qui videt is peccat, qui te non viderit ergo
Non cupiet: facti crimina lumen habet.

Non proponebam ante oculos meos.

Oculi peccati proxenetæ.

LECT. III.

1. NOn immeritò in præfata doctrina sic hæreas, vt dum oculos suos inter rem iniustã, & animũ suum medios constituit Dauid, accuratè ipsos locutione peccati proxenetas, siue mediatores, pararios, aut intercessores appellasse videatur: Hebræa quidẽ parœmia *Oculi proxenetæ peccati*, cuius alter Dauid Hebræorum Magister in Psalmo 101. & Elias in Lexico in dictione *sarser* meminêre. Nimirum *proxenetæ*, vt Iurisconsulti loquuntur, *Ii sunt quorum beneficio, & interuentione inter duos negotia contrahuntur, vel nomina, vel nuptiæ, vel amicitiæ*: vel vt præfatus Elias eam vocem explicans ait: *Sarser esse eum, qui mediat inter emptorem & venditorem.* Quod planè proprium oculorum munus est, qui res externas cordi concupiscendas parant, & dum sese medios inter illas, & animum constituunt, ipsarum naturam benignius interpretantur: pretiumq́ue earum exaggerant, quo emptoris animum alliciant, & cum illis concilient, atque coniungant. Audi egregium PP. par id disertissimè admonentium: ita enim Basilius lib. de vera Virginitate agens de turpitudine: *Dux enim, & prauius, ac pronubus, vt ita dicam, oculorum iactus est, cum manus ministræ sunt.* Vides oculos pronubos, qui inter peccatum, & animum intercedant, nuntia ferant, referantq́ue, & vt de sponsæ pulchritudine, & dote ipsi plura loquuntur: ita etiam per ipsos tamquàm per nuntios emissitios animus paciscatur, & quasi per fenestras ad res externas sese effundat? Sed hæc eleganter diffusa videris à S. Zenone Veronensi serm. 1. de Psalmo 130. vbi componens ea Dauidis verba: *Neque elati sunt oculi mei*, cum his Ioannis epist. 1. cap. 2. 16. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, sic de oculis ait: *Hi enim auctoribus concipitur, his ducibus geritur, his ministris impletur, quidquid quotidie concupiscentiâ, ambitione, auaritiâ ardet in sæculo.* Ita ille.

R. Dauid. Elias. Basil. S. Zeno. Psal. 130.

2. Ita quidem noster Vates, cui hæc mens erat, vt non proponeret ante oculos suos rem iniustam, eodem sensu Deum ad hunc modum orabat, Psalm. 118. 36. *Inclina cor meũ in testimonia tua & non in auaritiam: auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Sed obserua tum, *auaritiæ* nomine Dauidem ibi improbas cupiditates siue idola intelligere, vt apud Ezechielem 33. 31. vbi habetur: *Auaritiam sequitur cor eorum*; LXX. reponunt: *post idola seu contaminationes cor eorum*; tum etiam pro *vanitatem*, Anastasium vertere *idola*: Theodoretum verò, & alios interpretari, *res ad speciem delectabiles.* Deinde non alia ratione Vatem ab impurarum cupiditatum consortio, imò seruitute liberum se fore sperare, nisi hi callidi proxenetæ de medio tollerentur. Audi Hilarium ibi: *Et quærendum est, quos oculos, & à qua vanitate oret auerti: eos scilicet, qui in theatralibus ludis captiui incubant; eos, qui in Circensium certaminibus seruiunt; eos, qui vestium pretia mirantur, eos, quos auri splendor, & gemmarum varietas occupat.* Nimirum dum hi vestium pretia mirantur, admirationem in animum transmittunt: dum auri splendore occupantur, cor etiam occupant. Sic hæc inibi monente Agellio: *Non est porrò exiguum Dei munus oculos à videnda vanitate cohibere, quæ initia sunt peccati: illis enim videntibus, cor & animus sæpè rapitur, excitaturq́; cupiditas, quam cetera posteà membra perficiunt. Itaque rectè à Iob dictum est, & exposita hæc peccati catena.* Si secutum est oculos meos cor meum, & manibus meis adhæsit macula. Sic ille. Planè quod incredibilis facundiæ vis his parariis, & mediatoribus subsit ad excitandum animum, eumq́ue versandum quò illi se conuerterint; ac proinde ad conciliandum illum cum rebus, quæ ipsis gratæ ac iucundæ sunt, & quarum specie delectantur, captiuiq́ue tenentur. Audi S. Laurentium Iustinianum sermone de vita solitaria cap. 7. ita hæc elucidantem: *O quantis concupiscentiarum sagittis ex inordinato oculorum aspectu imprudentis transfigitur cor! Transmittunt vtique effrenati intuitus ad animam corporearum formas rerum, atque concupiscibilium qualitatum imagines, suaq́; importunitate internam diuidunt vnitatem.* Optimè *sua importunitate*, quasi oculi non solùm industrij, ac diligentes proxenetæ, sed importuni etiã, & molesti sint, animum ad noxia emenda, siue ad sese connubio cum noxiis cupiditatibus copulandum instanter allicientes, donec eius sensum euertant. Vnde quod Salomon Sapient. 4. 12. ait: *Inconstantia concupiscentiæ*, siue vt legunt aliqui antiqui codices: *Instantia concupiscentiæ transuertit sensum*, quasi ab illius molestâ importunitate vix valeat sese animus

Ps. 118. 36. Ezech. 33. 31. LXX. Anastas. Theodor. Hilarius. Agellius. S. Laur. Sap. 4. 12.

Tertull. mus defendere, ac extricare: vti inquit Tertullianus lib. de cultu femin. cap. 2. *Tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnumquàm (quod Deus à fais abigat) instando perficiunt.* Signatè de concupiscentia oculorum dum per eos sagittas suas emittit, accipiendum est: sua enim illi importunitate *instando perficitur.*

3. Illud verò hic maximè obseruandum est, non esse infrequentem proxenetarum morem, & crimen, dum inter emptorem & venditorem mediant, siue inter futuros coniuges pronubi existunt: tum rerum quæ venduntur vitia celare, tum earum bonitatem, & pretium mirum in modum augere, quò emptorem inducant biantem. Qui planè mos oculis omnino quadrat, qui vt facilè in rerum externarum pulcritudine fallantur falso earum splendore præstricti; ita maximè fallaces, & impostores sunt, emortuas, & nugaces res viuaci penicillo, & pulcherrimis coloribus animo repræsentantes: id sic obseruante S. Zenone Veronensi ser. 2. de Psal. 130. *Oculorum lenocinio mundus in flore est.* Pulchrè omninò: sed reuoca in memoriam, quod tam Augustinus, quàm Gregorius Magnus admonuêre: nihil iam aridius, sterilius, & magis squalidum, & sine succo,
August. quàm mundum esse: sic namque Augustinus epist. 45. tom. 2. *Mundus iste tanta rerum labe coartatus est, vt etiam*
Greg. M. *speciem seductionis amiserit.* Gregorius verò homil. 28. *Ecce iam mundus in seipso aruit. Vbique mors, vbique luctus, vbique desolatio, vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur. & tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ ipsas eius amaritudines amamus,* &c. Audis mundi squalorem & ariditatem? Vide iam quid dicat inclytus Martyr: *Oculorum lenocinio illum in flore esse,* quod videlicet fallaces illi interpretes, & nuntij fuco, & lenociniis suis animum deliniant, vt mundum, qui totus arefactus est, florentem, viuidum atque felicem credat, eiusque amore inflammetur: & si attendis, ab illis mundus non modò in flore, sed in fructu etiam opportuno, atque maturo est. Quid enim aliud fuerit
Gen. 3. 6. vidisse Euam letbale illud pomum? audi: *Vidit igitur mulier* (inquit Moyses Genes. 3. 6.) *quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúq; delectabi-*
Nyssen. *le*: siue vt legit Gregorius Nyssenus orat. in Quadraginta M. *quod esset maturum*, aut vt Leontius Arabissi Episcopus serm. de creatione apud Photium in Bibliotheca: *flore mortis maturum.* Nimirum fœdum, triste, & acerbum pomum, ab istis proxenetis pulchrum, delectabile & cum suo flore maturum animo renuntiatum est, vt (quod dicebat Saluianus) improbæ cupiditates germinarent in visu.

Psal. 118. 136. 4. Hinc quidem noster Vates Psalm. 118. 136. notantissimè dicebat: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam,* vbi primùm obseruа oculos inter omnia corporis membra pœnitentiæ de peccatis signatè consecratos, vt qui in peccato duces, & ad peccandum illices fuerunt, pœnitentiæ etiam & duces, & interpretes sint, quibus animus dolorem suum, & pœnam manifestet: & qui per illos tamquàm per fenestras ad res externas sese effudit, illos etiam in Deum dolore & amore lique-
Genebrar. factus sese effundat, vt dixerit inquit Genebrardus: *Quia peccaui oculis, & oculorum concupiscentia, per oculos satisfeci copiosè lachrymando.* Vnde celebris illa formosa peccatrix oculis ducibus in peccata prolapsa, iisdem ducibus, & interpretibus pœnitentiam exorsa,
Luc. 7. 38. *lachrymis cœpit rigare pedes eius,* Lucæ 7. 38. sed deinde obseruatu digna Vatis locutio est: *quia non custodierunt legem tuam.* Meritò enim ambigas, quomodò oculis diuinæ legis custodia siue transgressio, quæ omnino penes animum est, à Vate tribuatur? & verò dum is aculeus plures ex PP. atque interpretibus sic pupugit, vt vel legere maluerint: *quia non custodiui legem tuam*, vel ad alios homines non custodientes legem Dei referre: multò opportunius ab Augustino, *August.*
Ambrosio, & aliis PP. de ipsismet Dauidis oculis, *Ambros.*
qui legem Dei non seruauerint, id accipitur: & duplici quidem de causa: altera propter cognationem cum animo, de qua superiùs egimus: quasi ipsi & illum ad peccādum induxerint, dum non modò rerum externarum nuntia ferre ac referre didicerunt, sed etiam illarum imagines excipientes ab illis affecti mortem ad se attraxerint, & lapsi sint, vti dicebat Clemens Alexand. *Meliùs est labi pedibus, quàm oculis.* *Cle. Alex.*
Altera, quòd proxenetarum munus dolosè & fraudulenter fecerint: dum illum lenocinio aridus, & squalidus mundus in flore fuit, atque in illis germinauit. Enimuerò iure ciuili etsi nulli rei proxenetæ obligantur, at dolum malum præstare debent; hoc est, doli actio in ipsos competit, siue de dolo tenentur, vti apud Iacobum Cuiatium lib. 11. obseruat *Cuiatius.*
cap. 18. & alios eius rei peritos videris. Vnde tum meritò dicuntur oculi non custodisse Dei legem, apud quos improbæ cupiditates floruisse, & germinasse videntur: tum etiam exitus aquarum deduxisse perhibetur: vt illis florens in illis mundus non tam irrigetur, vt germinet, quàm obruatur, vt arefiat, & pereat: nec solùm conscriptæ in iis falsæ imagines deleantur; sed ad scripta etiam mendacia, & fucata lenocinia mundentur, & abradātur: ideò non dixit Vates, fleui, aut fudi lachrymas: sed notanter *exitus aquarum*: quasi riuos iugiter defluentes, quibus oculi immergerentur, vt sordes & adscititia lenocinia abluerent: ita quidem Græcè apud Am- *Ambros.*
brosium legitur: *In decursum aquarum descenderunt oculi mei*; & apud Agellium, *mersi sunt in aquis*: quasi ab *Agell.*
illo fantastico fastigio, in quod male ascenderant, in aquarum balneum descenderint, in quo immersi mundarentur, & pristinæ fidei, ac veritati restituerentur. Vnde hac emphasi alibi ipse dicebat: *Oculi mei languerunt præ inopia* (Psalm. 87. 19.) siue vt legit *Ps. 87. 19.*
Hieronymus *ab afflictione*, non solùm tamquàm effe- *Hieron.*
ctus à causa efficiente subsecutus, vt dicebat ille:

Mæsta quoque assiduo tabescunt lumina fletu.

Sed etiam vt datâ operâ oculos viuidos, sublimes, & fallaces fletu corrumperet: vt florentem in illis mundum arefaceret.

Non proponebam ante oculos meos.

Principum voluntates vehementiores. LECT. IV.

1. Habent verò peculiarem vim, atque emphasim superiùs dicta in oculis Dauid, quà ipse Rex erat. Nimirum Regum voluntates adeò rapidæ & vehementes sunt, vt Hebræa lingua (quod in Biblia Veneta apud Ioan. Pineda, in cap. 8. Eccles. *Pineda.*
vers. 3. num. 10. adnotatum est,) Rex dici possit עין, id est, creatura, quæ affectu & voluntate ducitur: vnde eum vidisse, concupiisse, & rem concupitam manibus prensasse idem penè fuisse dixeris. Quā sanè de causâ cùm aliquis Principi vehementer placet, signatè in Scriptura dicitur gratiam in illius oculis inuenisse, vt 1. Reg. 16. 21. de Dauide erga Saü- *1. Reg. 16. 21.*
lem: *Et venit Dauid ad Saul, & stetit coram eo, at ille dilexit eum nimis, & factus est eius armiger. Misitq; Saul ad Isai, dicens: Stet Dauid in conspectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis.* Et eodem libro cap. 20, 29. dicidem Dauid cum Principe Ionatha loquens inducitur: *Ergo si inueni gratiam in oculis tuis.* Et cap. 27. 5. eadem locutio- *1. Reg. 20. 29. & c. 27. 5.*
ne ipsemet Regem Achis ita affatur: *Si inueni gratiam in oculis tuis detur mihi locus*: & plutibus aliis in locis. Planè quasi Principes vix sese cohibeant, quin statim velint, diligant, & manibus teneant, quid-

D 4 quid

Digitized by Google

quid ipsorum oculis placuit. Quò placet referre, A quod de Regum more in equis emendis sic inquit Satyrographus lib.1.Satyra 2. Horat.

Regibus hic mos est, vbi equos mercantur, opertos
Inspiciunt: ne si facies (vt sæpè) decora
Molli fulta pede est: emptorem inducat hiantem.

Sed enim de huius loci lectione digladiantur inter se Critici, quippe M.Ant. Muretus omnino legendum esse contendit, *apertos inspiciunt*: innixus sententiæ Senecæ epist. 80. quam ibi ipse elucidat, dicentis: *Equum empturus solui iubes stratum: detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant: hominem inuolutum æstimas? Mangones quidquid est, quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt. Itaque ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt.* In quibus quidem verbis adeò ille vim facit, vt eum qui primus legit *opertos*, sic verberet, & acerbè irrideat: *At quidam qui quasi artem factitabat recta deprauandi*, opertos *non* apertos *legere voluit, vt ostenderet, nihil esse tam stultum, quod ipse si semel adamasset, non pro recto, ac vero defendere auderet.* Verùm enimuerò in B ea lectione damnanda præcipitem ferri Muretum, non immeritò dixerit, qui quam subiicit rationem Horatius non oscitanter attenderit: Muret.

——— *Ne si facies (vt sæpè) decora*
Molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem.

Dionys. Lambinus. Nimirum, vt Dionysius Lambinus inibi obseruat, Poëta secutus est Xenophontis monitum, ei qui equum empturus est, præcipientis, vt pedes primùm inspiciat, & diligenter consideret: quòd quemadmodùm ædium nullus vsus est, si partes earum superiores admodùm sint ornatæ, magnificæ, affabrè factæ: fundamenta autem sint vitiosa, malè materiata, ac ruinosa: sic & equus bellicus inutilis ad bellum sit futurus: si sit cacopus, id est, pedibus vitiosus, etiamsi cetera omnia eius membra sint præstantissima. Ex quo ille eam format rationem, quâ Reges equos mercaturi nonnisi opertos inspiciant, ne cùm C in illis pedum præcipuè habenda ratio fuerit, capitis & ceruicum pulchritudine capti, in pedibus considerandis cœci sint, atque ita fallantur. Sed cur (inquis) dixit Seneca: *Equum empturus solui stratum iubes*: vt dixerit, omnino apertum inspicis, siue cur Regibus, non aliis opus sit opertos inspicere? Sanè quòd ipsorum voluntates vehementiores sint, & oculis suis plus quàm ceteri homines tribuant: vixque à conspecta pulchritudine se temperare, ac cohibere valeant. Quare Poëta à Philosopho, nec hilum dissidet: nam vt hic de priuatis hominibus loquens illos nonnisi vndequaque apertos equos inspicere dixit, prudenter attendentes, ne aliquod vitium lateat: ita ille scitè adstruit Reges semel à faciei pulchritudine captos hiantes ad emendum ferri, quin ad ea consideranda, quæ maioris ponderis sunt, attendant.

2. Sed ne vel externa, vel aliunde exempla petamus, intuere, quæso, ipsummet Dauidem vix qui- D dem alienam feminam videntem, cùm statim illam concupiuit, & nullâ interpositâ morâ scelus perpetrauit. Sic enim 2. Regum 11.2. *Viditq́ mulierem se lauantem ex aduerso super solarium suum, erat autem mulier pulchra valdè. Misit ergo Rex, & requisiuit quæ esset mulier, &c. Missis itaque Dauid nuntiis tulit eam, quæ cùm ingressa esset ad illum, dormiuit cum eâ, &c.* Vbi quæso premas illatiuam illam particulam *ergo*: cui vnus omnino Regis aspectus præcessit: ex quo quasi necessariâ ratione, siue legitimâ consequentiâ intulit sacer Scriptor concupitam à Dauide, adductamque in domum Bethsabee, quòd visa eius oculis placuisset: vt dixerit, nullâ adhibitâ cōsultatione, aut ratiocinatione factâ, nec diu, aut ancipiti consilio deliberatum fuit; sed vt vidit, statim concupiuit; & vt concupiuit, fa- 2.Reg.11.2

cinus perfecit: nec hilum distans ab illo qui dicebat:

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error. Virgil.

Ita Ioseph. lib.7. Antiq. c.7. hac de re inquiens, *à concupita sibi temperare non valens*: Sed quid est, *Non valens*? Nonne illi arbitrij libertas, & rationis robur? nónne ad manum Dei auxilium, & munimen? quomodò ergo *non valens*? Sanè quod valentissima illi ab oculis infixa cupido, cui rationis ipse habenas statim volens, libensque permisit. Iosephus.

3. Porrò hanc regiæ voluntatis vehementiam viuaci penicillo depinxit Salomon, ipse quidem Rex & sui impotens, Prouerb.25.13. cùm inquit: *Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit illum, animam eius requiescere facit.* Etenim dum his verbis is sensus subest, legatum fidelem Principi suo esse, id quod messoribus æstu cuncta torrente obumbratio sicuti ex niue, quo repelleretur ille ardor Solis, vt quasi in vmbra versarentur: siue potio niue refrigerata, quæ ipsos extremâ siti, & ardore laborantes sic reficit, vt illos velut animam agentes sibi restituat: omnino innuit, Regū voluntates ardētissimas, & nullius moræ patientes esse, sed illis velut Solis ardore aut sitis cruciatu, qui omnium maximi sunt, angi, atque torqueri. Sic hæc adnotantibus Bayno, & eius vmbrâ Iansenio hunc in modùm: *Messores præ omnibus aliis operariis solent torqueri calore, & siti, vt qui maximis ardoribus anni procul ab vmbra, procul à fontibus summâ fatigatione laborant, refrigerari vehementer cupiunt, &c. Talis ferè est conditio Regum, & Principum, qui de magnis rebus in longinquas regiones legatos mittunt, interim magno æstuantes desiderio, impatientes moræ, animo tranquillo ferre dilationem non valent.* En quid sit rem iniustam, quæ iucunditate & voluptate suâ oculos rapiat, animumque alliciat, ante Principum oculos ponere: idem quidem omnino atque messorum caloris, & sitis ardoribus laborantium, aut ægroti ardentissimâ febri æstuantis oculis potionem niue refrigeratam obiicere, à quâ vterque vix manus temperauerit. Quod ipsiusmet Dauidis exemplo disce: dum ipse aliquando aquæ cisternæ Bethleemiticæ recordatus, quamuis totis Philistinorum castris custoditam, & circumseptam, tam ardenter illicò eam expetiuit, & suorum vires, & robur ad rem adeò periculosam incitauit clamans: *O si quis mihi daret potum aqua de cisterna, quæ est in Bethleem iuxta portam!* 2. Reg.23.15. vt viri Principes & Heroës eius exercitus non dubitauerint cœco impetu per media Philisthinorum castra, & mille sequentia tela in præsentissimum vitæ discrimen se coniicere, dummodò Regis desiderio satisfacerent. Vbi illud signatè ad vehementiam regiarum cupiditatum cognoscendam obserua, quod in verbo illo *desiderauit*, ex Hebræo adnotauit ex bonis interpretibus P. Sanctius; nempe non masculinum genus, vt ratio & persona exigere videbatur, sed femininum Dauidi datum fuisse, *quasi in hoc appetitu* (inquit Sanctius) *qualis esse solet in prægnante femina muliebre potiùs ostenderit, quàm virile pectus.* Quod eò omnino reuoco, vt innuatur Regum desideria non minùs vehementia, quàm prægnantis feminæ esse, quæ nisi statim voti compos euadat, abortum facit. Prou.25. 13. Bayno. Iansen. 2.Reg.23. 15. P.Sanct.

4. Tam hæc quidem, quàm propriæ voluntatis suæ vehementissimum impetum ob oculos habere videbatur Salomon, cùm rerum naturalium scientiam quam diuinitus acceperat, mortalibus tradere professus in libro Sapientiæ cap.7. dicebat: *Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, &c. naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum.* Vbi cùm ab omnibus interpretibus meritò Sapient.7. 17.& 20.

meritò ambigatur, cur cum hominis ratione præditi cogitationibus, siue deliberationibus iras bestiarum,& vim siue impetum veotorum Sapiens copulauerit? multique mulra dicant, eam nos ibi rationem attulimus,quòd Salomoni idem fuerit veotorum impetus,qui

Virgil. *Qua data porta rimut, & terras turbine perflant,*

nunquàm non spirantes,quin sese cohibeant,aut pedem referant, ac Principum cogitatiooes & voluntates: nam *cùm omnis motus animi* (Auctore Cicerooe, lib. de claris Oratoribus n,72.) *tamquàm ventus hominem deferat*, Principum animi à suis desideriis non tam deferuntur,quàm velut à vehementi vento abripiuntur,quin sese cohibere & frænare nesciaot,sic illâ apud illum dicente: *Cicero.*

Seneca in Medea.
——— *Quamq́, regale hoc putet,*
Sceptris superbas quisquis admouit manm,
Quà cœpit,ire.

Plutarch. Et sapientissimè Plutarcbus libello ad Principem indoctum: *Prauitas à potentia celerem nacta cursum, omnes animi motus in facta expellit.* Quò omnino refero malum Præsidē Pilatum in causa Domini iudicium ferentem,qui cùm priùs ad ius attentus,& potentiæ suæ oblitus constanter iterum dixisset: *Ego nullam in eo inuenio causam*, Ioannis 18.38.& cap.19.4. subiode, cùm paululùm commotus vt Dominum terreret, potentiam suam ad bunc modum iactasset: *Mihi non loqueris? nescis, quia potestatem habeo crucifigere te?* sic is motus animi,& potestatis suæ recordatio tamquàm vehemens ventus illum detulit,siue abripuit,vt non multò post eum ,in quo nullam causam inuenerat, morti addixerit. *Ioan.18.38*

Eccl.5.1. 5. Hinc Priocipes viros notanter admonebat Ecclesiasticus cap.5.1. *Ne sequaris in fortitudine tuâ concupiscentiam tuam.* Vt diceret,ne potentiæ occasione ad explendam voluntatem abutaris, sed illam potiùs cohibe,& rationi subde, oe à potentia celerem accipiat cursum. Quod quidem si non audisse,obaudiuisse tamen omnino videtur Antiochus ille Rex eius nominis tertius, de quo bæc inquit Plutarchus in Regum & Imperatorum apophtegmatibus: *Dianæ Sacerdotissam intuitus, cùm formosissima fuisset visa, statim Epheso recessit, ne præter animi sententiam aliquid impij perpetrare cogeretur.* Secus quidem ac Pseudo-Vates Balaam, qui suam auri concupiscentiam in sua fortitudine tam vehementer sequebatur, vt vix Angelus districto gladio eum pedem referre coëgerit, expendente id Philooe lib. *Quod Deus sit immutabilis*, his verbis: *Ne anima quidem oculo recluso vidit resistentem sibi Angelum Dei, vt conuersus abstineret ab iniuriâ, sed ita se commisit imprudentia fluctibus inundantibus, vt obrueretur ab eis.* A quo sanè sensu non iuerit Synesius, cùm id tamquàm eximium à Deo sibi datum donum efferebat, quod qui potestate plurimùm valebat, in id solùm, quod omnino esset honestum, animi & corporis oculos coniiceret: ita enim ille epist. 57. *Erat quippe hoc mihi diuinitus tributum, vt cùm ego auctoritate plurimum possem, tum honestissima quaque vellem.* Nimirum vt indidem aiebat Plutarcbus: *Apud humiles & plebeios imbecillitati admista stultitia peccandi occasione destituitur, cùm non habeat tantum virium, vt cupiditatibus obsequatur. At potentiæ vbi prauitas accessit, dementia motibus animi additur, &c. Valdè autem magnum periculum est, ne cui licet facere quod vult, is velit, quod non debet.* Hactenus ille. *Philo.* *Synesius.* *Plutarch.*

Rem iniustam.

Danidem quodlibet auersari peccatum.

Lect. V. *Agellius.* 1. PResiius id primùm accipit Agellius, quasi solùm loquatur Dauid de iniustitia, siue malo per fraudem alicui parato, vt dixerit: *Ego fraudes & dolos nectere alicui nunquàm cogitaui.* Deinde dum rem iniustam ex Græca locutione periode esse ait ac rem contra legem factam: strictè id ad impium idolorum cultum referendum censet iuxta illud Ezechielis 14.4. *Homo homo de domo Israël, qui posuerit immunditias suas in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam.* Pergit subinde, & eam explicationem alienam ab his verbis non esse ait, qua Dauid inducatur non tantùm rem malam, sed malus etiam homines ab oculis suis remouere, ac si dicat: *Nulli licuit coram me rem iniustam facere.* Vt in Psalmo 5.6. *Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* Vnde subdit: *Rex namq́, iustus in terris Dei simulachrum quodammodò est, ita vt de vtroque eadem ferè dicantur.* Hæc omnia ad id loci excogitauit Agellius, & quidem acutè, sed nescio quanta huius loci opportunitate: nam vt nimis strictè rem iniustam ad dolos & fraudes retulit, ita minùs opportunè sub hac locutione impiam religionem, siue idolorum cultum excogitauit, cùm nec phrasis ipsa, nec Ezechielis verba, quæ adducit, vel hilum pro ea cogitatione faciant: enimuerò vt eam aliquando sententiam dixerit Dauid, ipsam quidem tum maiori emphasi, tum accommodatiori dicendi modo exprimere curauit: nimirum Psalm.118.37. inquit: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem:* siue vt est apud Anastasium, & alios *in idola:* vbi & adeò negat, se vel cogitatione in idololatriam ferri, vt Deum oret, eam ab ipso cogitationem quàm longissimè remotum iri, & impium idolorum cultum, vel suo nomine, vel vanitatis appellatione, quæ ad idola significanda tum propria, cùm idolum auctore Paulo 1.Cor.8.4. nihil sit, tum communis, & frequens in Scripturis est: vt *nolite declinare post vana*, 1.Reg.12.21. & Ionæ 2.9. *Qui custodiunt vanitates frustrà:* & alibi sæpiùs. Quod verò vltimo loco addit Agellius, *rem iniustam*, pro hominibus malis sumi, vel eâ ratione omnino extra rem esse videtur, quod statim tamquàm nouam sententiam subiiciat, *facientes præuaricationes odiui.* *Ezech.14.4.* *Psal.5.6.* *Psal.118.37.* *Anastas.* *1.Cor.8.4.* *1.Reg.12.21.*

2. Ergo illud opportunius, quod simplicius: *rem iniustam*, Dauidi esse idem ac *rem malam*, vt legunt Augustinus & alij: rem verò malam perinde esse, vt explicat S.Remigius, *ac iniustè factum quodlibet*, siue in Deum, siue in homines, vt nimirum ea rei iniustæ negatio præfatæ cordis innocentiæ omnino respondeat. Quod bene explicuit Chrysostomus suprà citatus inquiens: *Non enim mihi fuit animus delinquendi, neque in proposito fuit, vt ea admitterem aduersus præscriptam legis formulam, quæ aliena sunt ab exquirente sedulò suam salutem. Quin potiùs præ oculis mihi erat timor Dei, obseruatio mandatorum, iustitiæ opera, denique conuersatio mea omnis iuxta legis præscriptum directa est.* Et statim: *Mihi è diuerso scopus hic totus erat, nempe vt iuxta tenorem legis conuersationem meam instituerem.* Nec ab hoc iuerit Chaldæus pro *rem iniustam*, reponens *verbum impium*: nam & impietas frequentiùs cum iniustitia confunditur apud sacros scriptores: & *verbum* idem est ac *res*: vt manifestè patet in nostro Dauide, de quo sacer Scriptor: *Eò quòd fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi.* Vbi Pagninus ex Hebræo transfert *præter rem Vriæ.* Similiter 3.Reg.9.10. cùm Salomon à Domino obnixè sapientiam petens inducitur: ait sacer Scriptor: *Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset huiusmodi rem: & dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, &c.* Vbi res idem est ac verbum: & verbum pro re omnino ponitur. *August.* *Remigius.* *Chrysost.* *Chald.* *3.Reg.15.* *Pagnin.* *3.Reg.9.10.*

Rem

Reminiustam.

LECT. VI.

Pœnitentiam ab innocentia non ire.

Lorin. Genebrar.

1. ILlud hîc difficilius, quud tum adhæc verbu, quàm ad præcedentia à P. Lorino & Genebrardo ambigitur: quonam modo innocentiam cordis, viam immaculatam, & cujusuis iniustæ rei, siue cogitationis negationem sibi potuerit adscribere Dauid, qui cogitatione, verbo & opere animum & manus turpiter fœduuit, tum *in sermone Vriæ* de quo modo dicebamus, quàm cùm superbè & ambitiosè populum recensuit, lib. 2. Reg. cap. 24. 2. Respondet verò Lorinus bifariam, hæc commodè à Dauide dici posse: altero modo, quasi ipse non quid reapse fecerit, sed quod fecisse oportebat, omnino expresserit: altero de seipso post pœnitentiam loqui: sed enim vterque dicendi modus mihi vehementer displicet; prior quidem quòd adeò sit frigidus, vt Neronianas thermas refrigerare possit: cùm cuiuis siue hominum, siue dæmonum pessimo æquè sub eo sensu possint eæ locutiones aptari, dum omnes iustos & rectos esse vel fuisse oporteat: posterior verò, quod cum tempore, quo Psalmus à Dauide fuit conscriptus, non hæreat: nam vt in argumento vidimus, quod Lorinus minimè negauit, ipse nuper regno constituto & constabilito illum cecinit, vt ostenderet, quâ ratione Dei gratiâ adiutus regium munus obire, regnum administrare, & familiam suam instituere cogitaret. Ergo meliùs respondet Genebrardus ad hunc modum: *Quæ tamen non sic sunt interpretanda, quasi per totam vitam Dauid nihil peccarit, sed quòd studuerit ista perficere, in eoq́; semper fuerit proposito, voto, atque conscientiâ, quamuis interdum carni succubuerit. Iustus scilicet affectu, si non effectu, perfectus conatu & studio, si non actu propter carnis imbecillitatem.* Hæc Genebrardus, vt dixerit, optabat quidem ipse, & firmiter proponebat cùm hæc scripsit, intelligere in via immaculata, & in innocentia cordis indesinenter ambulare, sed quæ humana fragilitas est, ea quæ optauit, & facere proposuit, non perfecit.

1. Reg. 24. 2. *Genebrar.*

2. Sed, vt cum Lorino, antequàm Sol occidat, in gratiam redeam, non incommodè posterior ipsius responsio sub eo sensu accipi potest: quasi Dauid tamquàm Vates æquè pœnitentiæ, ac peccati sui præscius, hæc dixerit, minimè ignorans, eam esse perfectæ pœnitentiæ vim, vt pristino candoris atque innocentiæ loco restituat, quin peccasse censeatur, qui verè pœnitere nouit: *Nam septies cadet iustus, & resurget*, Prouerb. 24. 16. vbi si ambigas, cur, qui cadit, iustus vocetur? siue quonam modo iustus cadere dicatur, ac si iustitia, & peccatum aperto Marte inter se non pugnent? Respondet opportunè Hieronymus, iusti appellationem ab eo peccatore minimè deperdi, qui à peccatis surgere curauit: ille etenim epist. 46. ad Rusticum tom. 1. cùm dixisset: *Vnumquemque iudicat, sicut inuenit: nec præterita considerat, sed præsentia, si tamen vetera crimina nouellâ conuersione mutentur:* sic subiicit: *Septies enim in die cadet iustus, & resurget: si cadit, quomodò iustus? si iustus, quomodò cadit? sed iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit.* Et quidem rectè iuxta Leuiticos canones, quibus ex Dei præscripto ita cautum atque sancitum erat: *Hæc quoque lex hostiæ pro delicto Sancta sanctorum est*, Leuitici 7. 1. etenim si mireris, hostiæ pro delicto tantum honorem decusque deferri, vt Sancta sanctorum habeatur: occurret tibi Glossa Interlinearis inquiens: *Quia æquè placet Deo virtus iustorum, & digna pœnitentia peccatorum.* Sed quare? subiicit appositam rationem S. Ephrem homilia *de Pœnitentia*, hunc ad modum de ipsa loquens: *Salutis est arbor,*

Prou. 24. 16. *Hieron.* *Leuit. 7. 1.* *Glos. Inter.* *S. Ephrem.*

A *proptereà quod multos in peccatis mortuos resuscitat: inseritur in ipsa omnis cælestis conditio, ac status, quia diuinitatis est consors.* Vt dixerit, quia quidquid peccatum abstulit, ipsa restituit: vnde ipsa Dei vicem gerere videtur, quæ cælestem conditionem, diuinumque homini in peccatis iacenti statum reddit, ac proinde quidni *Sancta sanctorum* habeatur?

3. Fideiubet pro hac cogitatione Dominus Act. 13. 22. de nostro Dauide affirmans, & veluti sibi congratulans: *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Vbi obserua futuri temporis verbum *faciet*: & ambige, quónam modo Deus scientiæ suæ quasi præuaricator existat, qui minimè nescius Dauidem grauiter non semel peccaturum, absolutè dixerit, *faciet omnes voluntates meas?* num adulterium Bethsabee? atrox Vriæ cædes? ambitiosa populi numeratio, ad Dei volunta-B tes pertinent? Quo ergo modo omnes voluntates Dei fecisse dicitur, qui sæpiùs diuinæ voluntati obsistit? An quia peccata numero pauca, vbi rectè facta numero plurima occurrunt, nulla existimantur? vt aliqui non ignobiles Auctores respondent. Non opinor: nimirum *cùm in corpore integro, aut puro naeuus aliquis effruticat* (vt Tertulliani verbis vtar lib. 1. ad Nationes cap. 5.) *aut verrucula exurgit, aut lentigo sordescit, & cùm cælum ipsum nulla serenitas tam colata purgat, vt non aliquem nubecula flocculo resignetur, maior boni portio modico malo ad testimonium sui vtitur.* Malum quidem, malum est, & apparet. An verò, quia ea peccata non fuerunt contra præcepta vni Dauidi Regi præscripta, quæ videlicet ad regni administrationem pertinebant, sed omnibus hominibus communia, vt censuit Abulensis? Minimè quidem, cùm Dei volunta-C tates, de quibus ibi sermo est, æquè vtraque præcepta complectantur. Cur ergo qui adulterio, homicidio, ambitione lapsus est, omnes Dei voluntates fecisse dicitur, ac si lapsus non fuisset? Planè quia ea omnia crimina debitâ ille pœnitentiâ detersit: ideoque non tantùm verè remissa, sed etiam sic quodammodò operta, tectaque diuinis oculis fuère, ac si ea commissa non fuissent, sic id omnino docente S. Iustino M. quæst. 78 ad orthodox. vbi cùm interrogasset: *Si Deus Dauidem virum iuxta cor suum esse asseuerauit: quomodò posteà idem Propheta & adulterium & cædem commisit?* Ad hunc modum respondet: *At enim per pœnitentiam Dauid delicta sua correxit, ac proinde vti cor Dei inuentus est*, obserua id *inuentus est*: vt dixerit eodem loco, eodem statu iuxta cor Dei, ac si non peccasset. Nec aliter S. Petr. Damian. serm. 56. de S. Martino, his verbis: *Grandia vulnera sic restrinxit, vt non solùm vulneris, sed nec etiam cicatricis vestigia remanerent. Translatum est peccatum, & ablatum quod diuidebat inter Dauid & Deum, & sublato eo, Dauid idem qui priùs.* Opportunè. D En ergo cur ipse confidenter dicat: *Perambulabam in innocentia cordis mei*, ac si perpetuò quidem perambulasset: nec non, *non proponebam ante oculos meos rem iniustam*: ac si nunquàm omnino proposuisset. Planè quòd pœnitentia Dei sit marsupium, quæ dissipata à filio prodigo bona sic colligit, vt nihil de numeratis nummis aliquando perditum fuisse videatur, sic inibi adnotante S. Ephrem: *Gaudet namq́; eâ Deus, quia quos peccatum moliebatur perimere, ipsa ad Dei reparat gloriam. Indemne hoc est Dei marsupium, quia hominum animas ne pereant, tuetur.* Hæc ille.

Act. 13. 22. *Tertull.* *Abulens.* *Iustin. M.* *Pet. Dam.*

4. A quo sanè non inerit, quod ipse pœnitentiam suscipiens à Deo obnixius efflagitabat, vt mundum in ipso cor, non tam reficeret, quàm de nouo crearet: *Cor mundum* (ait Psalm. 50. 12.) *crea in me Deus*: vt nimirum ab eo, quod ante peccatum habebat, quod iuxta Dei cor erat, cui omnimoda inerat munditia, nihilque sordidum adhæserat, nec hilum

Ps. 50. 12.

quidem

Bachiar. quidem diſtaret. Quod equidem videtur expreſſiſſe Venerab. Bachiarius in libro de recipiendis lapſis occaſione Sunamitis, quæ Dauidem ſeneſcentem caſtè & mundè confouebat: ſic inquiens: *Dauid cùm in adoleſcentia ſua cum adultera deprehenſus ſit, in ſenectute cum virgine inuenitur, vt intelligamus, quòd poſt peccatum longa caſtitas imitatrix eſt virginitatis.* Vt non minùs purum ac mundum poſt peccati pœnitentiam cor haberet, ac ante admiſſam turpitudinem habuerat. Quò mirè facit linteus ille Principi Apoſtolorum oſtenſus, *in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli:* omnes ſcilicet grauium & enormium criminum rei. *Act.10.12* Actuum 10.12. nam ſi Hilario *Hilarius.* credimus, linteus ille ipſamet ſindon erat, quâ Domini corpus ad ſepulturam inuolutum fuit: ita enim ipſe canon.33. in Matth. de Ioſepho ait: *Hic mundâ ſindone corpus inuoluit, & quidem in hoc eodem linteo reperimus de cælo ad Petrum vniuerſorum animantium genera ſubmiſſa.* Vt non modò hinc colligas quàm ſint Deo chari, ac pretioſi peccatores per pœnitentiam Chriſto conſepulti, quibus vnicam illam, defunctoque pretioſiſſimam ſuppellectilem, quam ex hac vita vnicè extrahit ſignatè donat, eaque inuolui & ornari illos vult: ſed etiam pœnitentiam peccatores priſtino candori, quo ante peccatum præditi fuerant, reddere, eidemque dignitati ac loco reſtituere. Nam ſi attendis, hæc ſindon primam Chriſtiani hominis infantiam in Baptiſmo excipit, dicente *Rom.6.4.* Paulo ad Rom. 6.4. *Conſepulti enim ſumus cum illo per* *Coloſſ.2.12* *baptiſmum.* Et ad Coloſſ.2.21. *Conſepulti ei in baptiſmo:* eadem ſcilicet, ac ille ſindone inuoluti: eademque itidem peccatorem criminibus mortuum ad vitam ſuſcipit: vt quemadmodùm primi ac vltimi naſcentis ac morientis hominis panni, atque inuolucra ſeſe mutuò reſpiciunt, ſibique reſpondent, vt ſcitè hunc in modum illos explicat Clemens Alexand. in ca- *Cle. Alex.* tena Græca in Iob: *O vita primordium mortis prodromum, nuper eſt infans ad vitam ingreſſus, nec interpoſita mora mortuorum pannis amicitur: natura enim ſuas memoriam reuocat iis, qui naſcuntur.* Ita eodem in loco pœnitentia atque innocentia fuerint, eademque Domini ſindone: eodem honore ac pretio habeantur. *Quia æquè placet Deo virtus iuſtorum, & digna pœnitentia peccatorum.* *S.Ephrem.* Quæ ſanè omnia ob oculos habere videbatur S. Ephrem cùm in ſerm. Aſcetico de vita religioſa atque monaſtica ſic Deo colloquebatur: *Ponam in conſpectu tuo lachrymas meas Domine, vt conſolationem accipiam in promiſſione tua, vt retrorſum auertatur inimicus meus, territuſque, conturbetur: dum in loco me conſpexerit, quem præpararunt miſerationes tuæ: confundatur inimicus, qui in loco me iudicij videre expectauerat.* Vt dixerit, eam pœnitentiæ ac lachrymarum vim eſſe, vt à loco iudicij, cui peccata hominem addixerant, ad priſtinum illud culmen Dei manibus præparatum transferat.

5. En cor mundum à Deo in Dauide creatum, vt *in innocentia cordis* nullâ interruptione factâ perambulaſſe videatur: habent enim peculiarem huic rei vim imperfecta illa, *non proponebam, perambulabam,* iis namque durans, & continuata actio deſignatur (vt ſuo loco vberiùs oſtendo, & res ipſa per ſe loquitur,) quaſi continenti Dauid greſſu viam virtutis cucurrerit quin ab ea vnquam veſtigia ſubmouerit. Cui rurſum cogitationi Dei ſapientia ſubſcribit dum Paſſionis nocte ſic Petro locuta dicitur: *Simon: ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum:* *Luc.22.32* *ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua,* Luc.22.32. Sed quæ, inquis, huic Chriſti orationi ſiue impetrationi vis & efficacia fuit, cùm vix oratione confectâ, Petri in Magiſtrum fides atque conſtantia lapſauerit? Ea quidem, quâ pœnitentiam Petro illum priſtinæ fidei atque conſtantiæ reſtituentem impetrauit: ſic id admonente Hilario lib.10. de Trinita- *S. Hilar.* te: *Sed orat vt Pater ſaluator per ſe nunc in nomine ſuo ſaluet ipſe: & adeò ſaluat, vt Petri fides pœnitentiâ ſubſequente non deficiat.* Pulchrè, ac ſignificat: Orauit quidem & obtinuit à Patre Dominus, vt Petri fides non deficeret: nam vt defecerit, verè tamen pœnituit: ac proinde minimè defeciſſe cenſendus eſt: cùm pœnitentia non tantùm lapſantem firmauerit, ſed priſtinæ fidei & loco reſtituerit, ac proinde ipſa nunquàm defeciſſe videtur: etenim Deus, vt dicebat Hieronymus, *Præterita non conſiderat, ſed præſentia, ſi ta-* *Hieron.* *men vetera crimina nouellâ conuerſatione mutentur.* Vnde Petrum pœnitentem ac lachrymantem, ſic eleganter alloquitur, & ſolatur Vener. Arnoldus Abbas, *Arnoldus.* tractatu de ſeptem verbis Domini in Cruce ad illud *Sitio*, tom.1. Biblioth. Veter. PP. *Et tu tentatus es aliquando, & ad vnius vocem ancillæ, à propoſito excidiſti. Verùm ſanguis Magiſtri hunc reatum aſperſit: manet tibi eadem gratia, non priuaris Apoſtolatu, manent tibi claues tuæ, & eadem excellentia tua dignitas perſeuerat.* Et iure quidem ex Chriſti ſanguine peractâ pœnitentiâ eadem Petro gratia, eadem excellentiæ dignitas perſeueret, cùm idem ei ac anteà apud Dominum locus obtingat. Audi Hieronymum in epiſtola ad Virgines Hermonenſes, vbi cùm dixiſſet: *Aliter hominum liuor,* *Hieron.* *aliter Chriſtus iudicat. Non eadem eſt ſententia tribunalis eius, & anguli ſuſurronum,* ſubiicit: *Petrum ter negantem amaræ in ſuum locum reſtituêre lachrymæ.* Hæc ille. Quæ *Pet. Dam.* S. Petrus Damianus ſerm. de S. Martino Epiſcopo, ſic pulchrè diffundit: *Petrus Apoſtolus non quilibet Apoſtolus, ſed Princeps Apoſtolorum, cui traditus eſt principatus cæli & terræ, nunquid non de choro pœnitentium eſt, & de ſorte granter iniuſtorum? Nónne ipſe eſt, qui Deum negauit, reliquit Magiſtrum, amicum deſeruit, fefellit promiſſum? &c. Cecidit, ſed non eſt colliſus; quia Dominus ſuppoſuit manum ſuam. Vide quid dicat Scriptura:* Reſpexit Dominus Petrum. *Reſpectum Chriſti ſequitur fletus Petri, & lachrymarum amaritudo dulcedinem antiquæ dignitatis inſtaurat.* Sic Petrus Damianus.

6. Eſt etiam è hac re, quod Ruben Iacobi primogenito contigiſſe nouimus: etenim quod ipſe temerariis auſibus parentis ſui torum violauerit: hanc illius diram imprecationem commeruit: *Effuſus es ſicut aqua; non creſcas quia aſcendiſti cubile patris tui, &* *Gen.49.4.* *maculaſti ſtratum eius,* Geneſ.49.4. At verò cùm poſteà ad Tribus benedictionibus afficiendas Dei nomine Moyſes acceſſit, à præfatæ imprecationis vi ſic illum eripuit: *Viuat Ruben & non moriatur, & ſit paruus in nu-* *Deut.33.6* *mero,* Deuter.33.6. Quæ extrema verba multò aliter *Lect. Hebr.* in originibus habentur: ſic enim Hebraicè: *Et non ſit populi eius numerus.* Similiter LXX. *Et ſit multus in nume-* *L X X.* *ro.* Nec aliter Chaldæa Paraphraſis: *Viuat Ruben in* *Chald.* *vita æterna, & non moriatur morte ſecundâ, & accipiant filij ſui hæreditatem ſuam iuxta numerum eorum.* Vbi omnino vides ablatam à Moyſe paternam maledictionem, imò in benedictionem commutatam. Quod ſi ab eo inquiras, in qua poteſtate hæc fecerit? ſiue quo iure Iacobi teſtamentum, & vltimam ipſius voluntatem cui iura tantoperè fauent, reuocare, & ir- *Theodor.* ritam facere potuerit? Reſpondet Theodoretus quæſt.44. in Deuteron. *Poterat tamquàm legiſlator maledictionem in benedictionem commutare.* Verùm enimuerò multò id anceps & difficile videtur: nec enim ad legiſlatorem ſpectat, iura perfringere, & vltimas morientium voluntates irritas facere, ſiue iuſtam à Iudice prolatam ſententiam reuocare. Fuerit quidem è ſummi Principis benignitate, & decore pœnarum acerbitatem temperare, & aliquando ſontibus veniam tribuere, at id è legiſlatoris munere non eſt. Subſiſtit tamen & Moyſis decretum, & Theodoreti com-

commentarius, quòd inflictam à patre Ruben maledictionem in benedictionem commutasse, non tam ad Principem clementiâ & benignitate vtentem, quàm ad legislatorem ius ritè & rectè dicentem, & iustitiam executioni mandantem spectarit: cur enim aut insons damnaretur, aut alius ab eo, qui peccauit, addiceretur morti, nimirum vt Ruben peccauerit, & diram imprecationem commeruerit; at cùm peccati pœnituisset, iam illam à se remouerat: imò verò alius pœnitentiâ functus à seipso criminis reo factus fuerat, ac proinde ne alius pro alio puniretur, iure à legislatore pœnâ exemptus est. Ita quidem in peccatrice illa Thamar, quæ post peccatum à Iuda requisita, inuenta non est, Genes. 38. 20. scitè obseruauit S. Zeno Veronensis egregium pœnitentis typum præ se ferre, qui per pœnitentiam alius fiat ab eo, qui peccauit: sic enim ille serm. de Iuda Patriarcha ad finem: *Denique fornicaria requisita non est inuenta, quia renatus per aquam & Spiritum sanctum desinit esse quod fuerat, & incipit esse quod non erat.* Optimè; vt videris iure Ruben à maledictione ereptum, & à loco iudicij in quo inimicus eum videre expectauerat, in eum quem diuinæ miserationes præparauerant, meritò transpositum, vt dicebat Ephrem.

Zeno M.

7. Quò retulit acutè per allegoriam Ambrosius velamen mortui Lazari faciei impositum, ab ipso vitæ restituto notanter ablatum, vt qui pœnitentiam susceperat, iam non haberet, quod erubesceret, sed aperto capite & liberâ fronte, sine metu, sine rubore, alacrem & securum sese omnibus spectandum daret: sic enim Ioan. cap. 11. 44. *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus, soluite eum, & sinite abire.* Quæ sic premit Ambrosius lib. 2. de pœnitentia cap. 7. *Surgit defunctus, & soluere iubentur eius vincula, quæ adhuc in peccato sunt, tollere velamen de facie eius, quod veritatem gratiæ, quam acceperat, adumbrabat. Sed quia veniâ donatus est, reuelare faciem, aperire vultum iubetur. Non enim habet quod erubescat, cui peccatum remissum est.* Pulchrè; cur enim erubescit, qui peccatum non admisit? Cur itidem rubore suffundatur, qui peccatum deleuit? Cùm æquè placeat Deo digna pœnitentia peccatorum, ac virtus iustorum. Erubesceret quidem secularis Principis famulus, qui vel leuem in illum offensiunculam committeret, id quippe Regum ingenium est, vt quoduis in eos admissum erratum omnis anteacti obsequij memoriam oblitterare soleat, verissimè enim dicebat ille, Satyra 3.

Ioan. 11. 44.

Ambros.

Iuuenal.

——— *Nam cùm facilem stillauit in aurem.*
Exiguum de natura, patriaq; veneno,
Limine summoueor, perierunt tempora longi
Seruitij.

At Dei seruus, cùm ab ipso veniâ donatus est, reuelatâ facie, & aperto vultu in ipsum intuetur. Audi eâ de re præfato loco S. Petrum Damianum: *Si cui, maximè potenti fecimus, quod ei displicerit, numquid amplius nobiscum loqui, nedum aliquid largiri, vel familiaris esse dignatur? Graues sumus etiam ad videndum, & pro magno beneficio computat: si saltem à nostra læsione desistat, & licet multiplicibus, & deuotis obsequijs defendamus offensam, semper tamen iniuria memoria præteruolat oculos illius, nec oblitterari valet, vel beneficio, vel obsequio, vel ipsâ etiam vetustate. Numquid ita Deus meus misericordia mea? Absit. Consueuit enim honorare pœnitentes magis quàm innocentes, reuertentes plus quàm remanentes.* Hæc ille, & alia suo loco afferenda.

Pet. Dam.

Rem iniustam.

Vberiores sæpius pœnitentiæ, quàm innocentiæ fructus.

Lect. VII.

1. SEd enim, tum vt egregiam nostri Regis pœnitentiam, quæ propriam sedem, vt vidimus, hîc habere videtur, dignè celebremus, ostendamusque plus fuisse quod meritò laudaueris in ipsâ, quàm quod reprehenderis in crimine: tum vel maximè, vt tristem illam & infaustam quorumdam Theologorum sententiam, qui peccatoribus ad bonam frugem se recipientibus non omnes substantiæ suæ diuitias, quas peccando prodegerant; omnes, inquam, gratiæ gradus, & meritorum florem, fructusque restitui volunt, sed auarè denegant, traducamus, & (plumbeis licet mucronibus, nec ad acuta venientes) impugnemus. Age modò, & Dauidem ditiorem & feliciorem à pœnitentia, quàm ab ipsa primæua innocentia iam vide: ipse namque pulchram aliquando orationem exorsus, sic locutus est, 2. Reg. 23. 1. *Dixit vir, cui constitutum fuit de Christo Dei Iacob.* Siue vt Hieronymus in traditionibus Hebraicis ad libros Regum legit: *Dixit vir, cui constituta est scala Christo Dei Iacob.* Quæ sic interpretor, vt Dauidi signatè sublimis illa scala fuerit oblata, per quam ad Deum ascenderet, vt ab eius sinu vnigenitum Patris ad terras deduceret: quod perinde est atque Dauidi peculiariter à Deo promissionem factam fuisse, vt de *fructu ventris* illius *super sedem* Israël constitueretur Messias. Quæ sanè egregia laus, & penè diuina inter omnia Dauidis ornamenta fuerit; sed cui, rogo, fundamento, hæc scala innixa dicitur? sine quâ ratione tantùm apud Deum ille valuit, vt quamuis non de condigno (quæ enim humana dignitas cum Dei aduentu potuit componi?) de congruo tamen, vt Theologi loquuntur, mereri potuerit, vt vnigenitus Patris de excelso Maiestatis suæ fastigio descendens placidus, mansuetus, & misericordiarum thesauros effundens nobis aduenerit? Audi ibi Hieronymum: *Scala Dauid constituta est, per quam conscenderet ad Deum, eò quòd confessus fuerit se peccasse Domino in Vria Hetheo, & pœnitentiam agens per hanc scalam conscenderit ad Deum.* Vides pœnitentiæ meritum & præmium? Audis vberiores illius, quàm innocentiæ fructus? Vbi rogo, de innocentia legisti, scalam esse, per quam homines ad Deum conscenderent, vt non modo humanum, sed hominem factum nobis deferrent? Sed hæc omnino sensu accipe iam elegantiùs ab Ambrosio expressa lib. 1. *de Iacob & vita beata, c. 6.* vbi cùm dixisset: *Non habeo igitur, vnde gloriari in operibus meis possim; nō habeo, vnde me iactem, & ideò gloriabor in Christo. Non gloriabor, quia iustus sum, sed gloriabor quia redemptus sum. Gloriabor non quia vacuus peccati, sed quia mihi remissa sunt peccata. Non gloriabor, quia profui, neque quia profuit mihi quisquam, sed quia pro me aduocatus apud Patrem Christus est; sed quia pro me Christi sanguis effusus est:* subijcit: *Facta est mihi culpa mea merces redemptionis, per quam mihi Christus aduenit. Propter me Christus mortem gustauit. Fructuosior culpa quàm innocentia.* Hæc Ambrosius bellissimè & opportunissimè. Pende illud, *facta est mihi culpa mea merces redemptionis:* sed qua ratione? aut quo iure? Nónne aduersus id leges acriter pugnant? Nónne iura omni modo obsistunt? dum præscribunt: *Nemo ex culpa sua lucrum debet reportare:* & alibi: *Fraus & dolus nemini debent patrocinari.* Quomodò ergo *facta est culpa merces redemptionis?* Planè, quòd ea sit pœnitentiæ dignitas, adeoque pœnitentis dolore, & lachrymis bonus Dominus capiatur, & delectetur, vt dummodò pœnitentem faciat, non dubitet propter illum sanguinem suum fundere.

2. Reg. 23. 1.

Hieron.

Hieron.

Ambros.

2. Cui

Iob.13.15. 2. Cui cogitationi sic videris adstipulatum Iob c.13.15. *Veruntamen vias meas in conspectu eius arguam: & ipse erit saluator meus.* Sed quæ (inquis) hæc consecutio fuerit? arguam me, & ipse mihi saluator erit? Respondent frequenter interpretes ad iudicis benignitatem referendum id esse: quasi secus ac in forensibus iudiciis, vbi sontis confessionem lethalis sententia sequitur, humanissimus Dominus peccatori, sua manifestanti, arguentiq; peccata, propitius sit, eumque absoluat. At enim plus exigit, si bene æstimas, Saluatoris locutio, in scriptura antonomasticè vsurpata pro Redemptoris munere vni Dei Filio tributo. Quare hunc potiùs Iobi sensum, & ratiocinationem ab eo factam dixeris: *Facta est mihi culpa mea, mercas redemptionis*: vt ei, dum vias suas castigaturus, & pœnitentiam de peccatis suscepturus præuideret, non modò salus, sed etiam Saluator Dominus aduenerit, qui vt lachrymas primùm excussit, ita eas subinde abstergat: quippe ipse *dilexit nos, & lauit nos à peccatis in sanguine suo*: adeò videlicet delectatus hominem pœnitentem facere & vias suas in conspectu eius arguentem videre, vt libenter è cælo venerit *peccatores saluos facere.* Sed hæc audi iam à Michæa

Mich.7.8 Propheta c.7.8. sic ea diffundentem: *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum: educet me in lucem, videbo iustitiam eius.* Quippe hæc omnia eò iuerint, vt nomine generis humani Dei gratiâ congruam de peccatis pœnitentiam suscepturi confidat Vates sibi in tenebris peccati sedenti, diuinam lucem Christum oborturam, qui ei, & pœnitentiam inspiret, & salutem donet, omnia ipsius pec-

Cyrillus. cata delens: sic hæc capiente S. Cyrillo Alexandrin. ibi: *Et quia congruentissimam pœnā pertuli, videbo iustitiam eius. At enim quænam Dei, & Patris iustitia fuerit, nisi Christus? sic enim Deus Pater illum nobis appellauit, dicens: Appropinquauit enim iustitia mea, vt veniat, & misericordia mea, vt reueletur.*

Isaiæ 56.1. Isai. 56.1. vt omnino dixerit cum Ambrosio: *Non gloriabor quia iustus sum, sed gloriabor, quia redemptus sum. Fructuosior culpa quàm innocentia.*

S.Ephrem. 3. Hac sanè de causa S. Ephrem præfata homilia *de Pœnitentia*, non contentus dixisse pœnitētiam esse, *indemne Dei marsupium*: quia *quos peccatum moliebatur perimere, ipsa ad Dei reparat gloriam*: subiicit: *Copiosus est hic Dei redditus, atque prouentus. Spirituales in ea consistere vsuras existimo, metit enim pœnitentia quæ non seminauit.* Vt dixerit, adeò pœnitens de pristinis meritis nihil deperdit, mirabili hoc marsupio dissipata colligente, vt nouos potiùs prouentus faciat, & substantiam cum vsuris recipiat. Fructuosior enim culpa pœnitentiâ obtrita, quàm innocentia: nimirū hæc ea metit quæ seminauit, dicente Paulo: *Quæ seminauerit homo hæc &*

Galat. 6.8 Chrysost. Prou.11. *metet.* ad Galat. 6. 8. id est, vt ibi inquit Chrysostomus: *Quam quis sementem facit, ei congruentem messem colligit.* Et Salomone Prouerb. 11.18. *Seminanti iustitiam merces ei fidelis est.* quæ videlicet iustè & fideliter sementi respondeat: at pœnitentia maiores omnino prouentus, vberiores proculdubio fructus colligit; sortem cum vsuris recuperans. At quæ hæ vsuræ fuerint? Christi quidem sanguis; Christus ipse, & Deus homo factus. Nam propter me Christus mortem gustauit, pro me Christi sanguis effusus est. Sed audi

S.Ephrem. primùm Beatum Ephrem de Pœnitentia indidem hæc ita affirmantem: *Salutis est arbor, propterea quòd multos in peccatis mortuos resuscitet. Inseritur in ipsa omnis cælestis conditio ac status, quia diuinitatis est consors.* Egregiè, vt pœnitentiæ vsuras opportunè explicet ex insitionis imagine, tantùm non dicens fructuosiorem pœnitentiam, & suauiores Deo ipsius fructus, quàm innocentiæ esse, quòd cum illis omnis cælestis conditio ac status, siue ipsa quodāmodò diuinitas insita sit, omnino se habeat ad modum arboris, quæ alteri in pomorum suauitate iure naturæ mirum in modum excellit, quòd meliori germini, & generosiori surculo insita sit.

Quare obserua, quibus nominibus, & ante peccatum, & post peccatum vxorem suam appellauerit Adam. Etenim ipsam cùm primùm innocens, recta, & omni pulchritudine conspicua ex eius latere educta est, viraginem appellauit ad hunc modum: *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Genes. 2.24. Gen.2.24. postmodùm verò, cùm in peccatum lapsa puluis effecta, & morti obnoxia fuit, Domino inclamante: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Sic statim illam, & *vitam & viu[entium] matrem*, ipse nuncupasse dicitur: *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Heua: eò quòd mater esset cunctorum viuentium*, Genes. 3.20. Gen.3.20. Rupert. Quo in loco vehementer quidem miratur Rupertus Adamum, insipientiæ eum in hac nominum nuncupatione arguens hunc in modum: *Quid ergo insanius quàm in tali articulo Euam eam dicere, quæ non habet vitam? Eua namque transfertur in vitam. Dixerat autem Deus:* Gen.2.17. In quocumque die comederis ex eo, morte morieris: *Et illa comederat, & viro suo dederat, & dando occiderat, & nunc in præsentiarum dicebat*: quia puluis es, & in puluerem reuerteris, &c. *Quid ergo insanius, quàm in illo talis causæ iudicio illam nuncupare Euam, id est, vitam, quæ nec saltem habebat vitam; dicere matrem cunctorum viuentium eam, quæ potiùs est mater cunctorum morientium? Omnes enim in peccato eius moriuntur; & nemo filiorum eius viuit, nisi qui per vnum hominem Christum viuificantur.* Quod sic statim plus plus viget: *Et quidem si hoc aliàs dixisset; verbi gratia superiùs vbi dixit*: Hæc vocabitur virago; quia de viro sumpta est; *si inquam tunc dixisset*: Hæc vocabitur Eua, quia mater cunctorum viuentium est; *nullam nobis admirationem fecisset, quia videlicet, & secundum sensum eius cunctorum viuentium, id est, hanc infelicem vitam ingredientium mater est. Nunc autem in eo admirabile est, quòd vbi mortis corporeæ sententia ferebatur, iam spirituali morte mortuus, illic vxorem suam Euam, id est, vitam appellauit.* Verùm enim verò, & mirari, & increpare Adamum hac in re desinat iam Rupertus, cùm ille non nisi diuino spiritu afflatus suis vxorem nominibus pro temporis & status opportunitate appellasse censendus sit: Nimirum cùm ipsam Heuæ nomine quasi matrem omnium viuentium appellauit; non dubium quin vterque à Deo iam increpati pœnitentiam suscepissent: cùm statim ipsos Christum induisse, legamus: sic enim ibi immediatè, vers. 21. Gen.3.21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*: vbi Paraphrasis Chald. signatè habet: Chald. *Et fecit Dominus Deus Adæ vestimenta honoris super cutem carnis suæ, & induit eos*: vt sensus sit, Deum iam exinde Christum illis redemptorem dedisse, quo inducerentur, & cuius purpureo vellere eorum peccata remitterentur, vt tegeretur ipsorum nuditas: Vnde cùm primùm illos honoris vestimentis iam indutos Dominus aspexit, sic de ipsis locutus est: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*: Gen.3.22. nostri videlicet adsimilis ex insita iam diuinitate; ita id pensitante Tertulliano lib.1. contr. Marcion. capite 26. Tertull. *Nam etsi Adam propter statum legis deditus morti est, sed spes ei salua est dicente Domino*: Ecce Adam factus est, tamquàm vnus ex nobis: *de futura scilicet adlectione hominis in diuinitatem*: En ergo rationem cur potiùs vxorem suam splendidiore vocabulo, & [di]gniori nomine post peccatum, quàm ante illud Adam appellauerit: Nimirum ipsa ante peccatum, vt innocens quidem fuerit, at à

Velasq. in Psalm. centesimum. E viro

viro insita: ideò meritò dicta *virago quoniam de viro sumpta est*: post peccatum verò, cùm illi pœnitentiâ functæ insitus est omnis cælestis status atque conditio, & diuinitatis consors facta est: optimo iure vita, & viuentium mater dicitur, quia filij eius viuunt, dum per vnum hominem Christum viuificantur: *Facta est enim mihi culpa mea merces redemptionis, per quam mihi Christus aduenit: fructuosior culpa, quàm innocentia.*

Rem iniustam.

LECT. VIII.

Nouæ pœnitentiæ vsuræ expenduntur.

1. SEd & alias subinde pœnitentiæ vsuras obserua in Apostolorum Principe, non enim solummodò subsistit illa Arnoldi Abbatis sententia: *Manet tibi eadem gratia, non priuaris Apostolatu*: sed si rem bene æstimas, abundantiorem subinde gratiam, & B splendidiorem dignitatem, maioremque familiaritatem cum Domino habuit. Nonne cumulatiorem gratiam, & magis intimam, & egregiam familiaritatem illa Domini ad ipsum verba ostendunt: *Simon* *Ioan. 21. 15.* *Ioannis, diligis me plus his?* Ioannis 21. 15. cùm ante Petri lapsum nihil tale ab illo Dominus vnquam fuerit sciscitatus. Audi S. Petrum Damianum hæc expendentem sermone 56. qui est de S. Martino Episcopo & Confess. huoc in modum: *Felices, sancte Apostole, lachrymæ tuæ, quæ culpam abluunt, gradum restituunt, debita dimittunt, ampliora committunt. Respexit pietas, & impietas cessit, & accessit prisca familiaritas. Denique, Simon Ioannis diligis me plus his? Pasce oues meas, & his similia, quid sunt nisi magna documenta familiaritatis?* Audis illud? *ampliora committunt.* Nimirum ante peccatum solùm ei de futuro dixerat Dominus: *Tibi dabo claues regni cælorum*: & super te ædificabo Ecclesiam: post pœnitentiam verò, & claues & Ecclesiam reapse committit, traditque. Sed cùm ante pec- C catum hæc Petro Dominus promisit, non statim ei commisit, tradiditque? Sanè quod hæc tanta tamque immensa dignitas vni pœnitenti, tamquàm digniori & excellentiori deberetur: notanter ei suggerente Domino: *Et tu aliquando conuersus confirma* *Luc. 22. 32.* *fratres tuos*, Lucæ 22. 32. Quæ verba sic ibi expendit *Theophyl.* Theophylactus: *Tu enim Petre, conuersus bonum exemplum pœnitentiæ eris omnibus, vt nullus credentium in te respiciens desperet, qui cùm Apostolus fueris, & negaueris, tamen receperis primatum omnium, & præfecturam orbis per* *S. Maxim.* *pœnitentiam.* Hæc ille. Sed magis dilucidè S. Maximus serm. *de pœnitentia Petri & ancillâ ostiariâ*, hunc in modum: *Videte ergo quantùm fletus profuerit Petro, antequàm fleret, lapsus est; postquàm fleuit, electus est; & qui ante lachrymas præuaricator extitit, post lacrymas pastor assumptus est, & alios regendos accepit, qui seipsum non rexit.*

2. Enimuerò hæc omnia siue in reditu prodigi D illius ad patris domum, siue in inuenta centesima oue sigillatim à Domino ipso expensa videris. Quid enim iuerit, vel annulus prodigo manui insertus? vel tot faciei impressa à patre oscula? tot arcti amplexus? tanta tamque profusa lætitia? illudque festiuissimum, maximumque conuiuium in quo non agnus, vt ei innoxiè de Ægypto profecturo, sed pin- *Luca 15. 22.* guis & saginatus vitulus exhibitus est? Lucæ 15. 22. Nonne hæ spirituales Pœnitentiæ vsuræ, quas non tam innocentia seminauit, quàm pœnitentia messuit? Quando enim filium in domo manentem, aut parentis osculis ornatum, aut adeò illustri exceptum conuiuio legisti? Sed hæc accipe à Venerab. *Ruritius.* Ruricio epist. 22. lib. 2. sic eleganter obseruata: *Ipse est pater tuus, qui malè prodigo filio & paternæ substantiæ decoctori ad se vel serò redeunti non solùm crimina anteriora non imputat, verùm etiam præmia amissa multiplicat, dum vlnis fouet, osculis permulcet, muneribus ditat, doctrinâ confirmat, non tantùm ad eius indignatus abscessum, quantùm lætatus ad reditum.* Et eodem sensu lib. 1. epist. post multa in hanc rem subiicit: *Datur etiam ipsi iuniori vitulus reuerso, qui seniori agnus datus fuerat ex Aegypto profecturo, quia ipse educit ex Aegypto pater.* Hæc ille omninò ad mentem Petri Damiani superiùs affirmantis: *Consueuit enim honorare pœnitentes magis quàm innocentes, reuertentes plus quàm remanentes.* Sed enim, vt videris prodigum pœnitentem non honoribus tantùm, sed donis etiam, atque diuitiis cumulatum? obserua cum Oleastro ad c. 33. Exodi, quomodo populum *Exod. 33. 1* pœnitentiâ functum ob vituli reatum, non modò non priuauerit Dominus terrâ promissionis illi oblatâ; sed etiam statim peculiari illum aculeo stimulauerit, vt ad eam accipiendam pergeret: *Vade* (inquit Exodi 33. 1.) *ascende de loco isto, tu & populus tuus: quem eduxisti de terra Aegypti in terram quam iuraui Abraham, Isaac & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam, & mittam præcursorem tui Angelum, vt eiiciam Chananæum & Amorrhæum, &c. Et intres in terram fluentem lacte & melle.* Sic in hanc rem ea verba optimè pendente Oleastro: *Oleaster.* *Numquàm hucusque legimus Deum festinasse, & vrgisse sic Iudæos ad terram promissam quemadmodùm nunc post peccatum, vt intelligamus peccatores sæpius ad maiora dona, quàm ante peccatum habuerint, resurgere.*

3. Sed iam inquis: Qua ratione, quo iure pœni- *Luca 15. 29.* tentes potiùs quàm innocentes, reuertentes plus quàm remanentes bonus Dominus, æquusque Iudex honoret? *Ecce tot annis seruio tibi* (aiebat ille) *& numquam mandatum tuum præteriui, & numquàm dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer. Sed postquàm filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus venit, occidisti illi vitulum saginatum.* Aspicisne hæc oculis æquis? Ita quidè, fortiùs enim animum maior pulchritudo, splendidiorque species illicit: & vt magnus innocentiæ, at multò maior pœnitentiæ decor ac splendor est, quippe hic Angelicus; ille humanus, vt in præfata Exodi historia apparet: ad quam Salomon Canticor. 1. v. 5. ex Paraphrastis Chaldæi *Cant. 1. Chald.* sensu omnino allusit. Nimirum pro illis vulgati verbis sub sponsæ persona: *Nigra sum, sed formosa*, hæc ille reponit: *Quando Israelitæ fecerunt vitulum, denigratæ sunt facies eorum sicut Aethiopum qui habitant in tabernaculis Cedar, & quando egerunt pœnitentiam multiplicatus fuit splendor gloriæ vultus eorum, sicut vultus Angelorum.* Audis, & eum multiplicatum splendorem qui priùs fuerat, & adeò quidem auctum atque multiplicatum, vt humana priùs facies iam Angelica, siue Angelicis suppar euaserit? En ergo indemne Dei marsupium sortem cum vsuris recipiens: vt plus sit quòd laudes in pœnitentia, quàm quod accuses in crimine: quam quidem cogitationem optimè elucidat Ambrosius serm. 45. de latrone hunc in modum: *Quamuis enim delinquentium grandis culpa sit: fidei tamen maior est gratia. Plus enim credidisse Christo, quàm seculo deliquisse, & plenioris ist meriti, veniam sperasse de Domino, quàm culpam contraxisse de mundo.* Sic Ambros. vt dixeris denigratum à crimine vultum, eum à pœnitentia splendorem recipere, qui & peccati notas obliteret, & pristinum decorem superet, dum plus acquirit, quàm perdiderat. Vnde Basilius Seleuciens. orat. 4. in Cainum & Abel, ad illa Genes. 4. verba de Cain. Iratusque est Cain vehementer: sic pulchrè exclamat: *Vtinam pœnitentia, non parricidij dolor fuisset. Quippe tunc obtulisset Cain dolorem pœnitentiæ, qui pretio superasset antecedens sacrificium.* Pende hæc *pretio superasset*, vt appareat pretiosius pœnitentiæ, quàm innocentiæ sacrificium, nimirum *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

Rem

Rem iniustam.

Dominum peccatores peculiariter honorare, & ab eiis vicissim peculiariter honorari.

LECT. IX.

SEd iam ditiores pœnitentiæ vsuras in deperdita illa oue omnino expende. Nimirum quæ per innocentiæ campos suis pedibus pascebat, & ibat, & postquàm peccando periuit; & errando lassata est, non nisi pastoris humeris imposita ad caulas reuocatur: *Vadit* (inquit Dominus Lucæ 15.4.) *ad illam, quæ perierat donec inueniat eam, & cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* Ecce Domini humeros, egregium scilicet, & penè diuinum honorem tamquàm vsuras pœnitentiæ persolutas, quæ innocentiæ non deberentur. Verùm enimuerò quàm illustri honore pœnitentes Dominus afficiat pensiculatiùs hîc adnotare erit operæ pretium. Quare componas velim ouem in humeros Domini impositam, cum supremis spiritibus currum gloriæ Dei tamquàm equis vehentibus, de quibus Vates: *Ascendit super Cherubim, & volauit,* Psalm. 17. e 3. vbi pro *ascendit* in Hebræo est *equitauit:* vbi non solùm obserua, Angelos Dominum portantes: Dominum verò hominem portantem: sed etiam portari, & vehi, ad maximum, & supremum honorem spectare: equus enim sessorem, & quadriga eum quem vehit, cum gloria & dignitate circumferunt: vt videris quàm ingens intercedat discrimen inter honoris ornamenta, quæ Deus aut hominibus pœnitentibus, aut cælestibus spiritibus exhibet: nimirum super Angelos equitare consueuit: hominem verò ipsemet reuerenter baiulat: illos pedibus suis subiicit: hunc humeris sic imponit, vt ei seipsum quodammodo subiiciat: quem Domino honorem Angeli deferunt; huncmet homini pœnitenti exhibere ipsemet Dominus videtur. Ita quidem vt apud Isaiam vides, *Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum,* & Seraphinos stantes *iuxta illud*, tamquàm serui Domino ministraturi Isaiæ 6. v. 2. Ita omnino apud Ioannem 13. 4. audis discipulos sedibus suis fixos, Dominum verò non modò vt ministrantem stetisse, sed formâ serui acceptâ præcinctum ad illorum pedes succubuisse, vt eos à sordibus emundaret: sic enim inibi: *Cùm accepisset linteum præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Quam sanè pedum lotionem eò frequentiùs referunt PP. vt significet interiorē munditiem, quam nostris animis Dominus attulit, dum redemit nos: *Et lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo,* Apocal. 1. 5. Sic namque Rupertus lib. 5. de diuinis officiis cap. 20. *Surrexit Dominus à Cœna, id est, à conuiuio paternæ gloriæ, & posuit vestimenta sua, semetipsum enim exinaniuit formam serui accipiens, & carne nostra quasi linteo, cuius vtique materia nascitur è terra, præcinctus, sanguinem suum effundit velut aquam in peluim, atque inde quotidie lauat pedes nostros, cùm illum in remissionem peccatorum nostrorum sumimus.* Obserua id, *quotidie lauat pedes nostros.* Vides quo in honore pœnitentes Dei filius habeat: dum eorum pedibus lauandis succumbit? Audis quanto eum decore: quamque reuerenter eos tractet? dum ipsemet genibus flexis eorum pedes *in sanguine suo*, lauare consueuit.

Luc. 15. 4. — Ps. 17. 13. — Isai. 6. 2. — Ioan. 13. 4 — Apoc. 1. 5. — Rupert.

2. Prouiderat quidem hæc Salomon, cùm Sapient. c. 12. 18. Dominum hunc in modum admirabundus loquebatur: *Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magnâ reuerentiâ disponis nos.* Quod si ambigas, quâ ratione vna ex parte Deus homines iudicans, ex alia verò iis quos iudicandos suscipit, reuerentiam exhibens inducatur. Quid enim aliud id fuerit, quàm officia confundere, & quæ propria reorum sunt, iudici adscribere? Reus quippe Iudicem suum supplex reueretur. Bonus verò Iudex rei faciem, & blanditias, siue lachrymas non respicit, aut attendit. Respondebo notanter à Salomone priùs de iudicio facto, posteà de reuerentia exhibita sermonem fuisse institutum, vt dixerit, eos qui pœnitentiæ iudicium debito ordine subierunt, magnâ subinde reuerentiâ à Domino dispositos, atque tractatos fuisse; nec immeritò quidem cùm in illis videat pœnitentiam: *In qua omnis conditio ac status, quia diuinitatis est consors,* Insitam: necnon suummet sanguinem velut in regia purpura collucentem, vt iure dixerit: *Ecce Adam sicut vnus ex nobis factus est.* Vnde rursus Venerab. Ruricius eâ de re agens lib. 1. scitè obseruat, prodigo filio ad bonam frugem se recipienti in honoris signum annuli ornamentum à patre datum esse; eo dicente: *Date annulum in manu eius*, quæ sic premit Ruricius: *Et misericordia non sufficit heredi, quin etiam paternæ clementiæ venia non sufficit, quòd vlnis fouet, quòd gratiâ permulcet, nisi & munera larga multiplicet. Dat annulum, ne rursus à patre perfidiâ duce discedat.* Opportunè vt dixerit, non fuit contentus pater si indulgentissimam voluntatem, & delicatissimam beneuolentiam ostenderet, nisi etiam egregia honoris signa ei exhiberet, quibus deinceps in domo tamquàm aureis vinculis retineretur. Quid enim annulus nisi sponsæ decus & ornamentum? quid nisi regium insigne est? Genes. 41. 42. Daniel. 6. 17. & cap. 14. 10. & 13. Esther. 3. 10. & alibi.

Sap. 12. 18. — Ruricius. — Gen. 41. 42. — Dan. 6. 17 — Esth. 3. 10.

3. Quod si bene æstimas: hæ iam non tam pœnitentis hominis, quàm Dei ipsum complectentis, vsuræ quodammodò fuerint, cùm & non tantùm ad eius abscessum fuerit indignatus, quantùm lætatus ad reditum, & deperditam ouem aureo denuò, siue purpureo pœnitentiæ vellere auctam & ornatam receperit. Vnde indidem Ruricius sapienter ait: *Denique non exprobrantur facinora, non luxuria, non egestas, sola conuersi reuersio omnia damna compensat, quia maior fuit proculdubio patri facultas redeuntis, quàm rerum facultas.* Sed hæc latiùs persecuti sumus in epist. ad Philipp. tom. 1. ad c. 2. vers. 8. adnot. 6. à num. 10. vide ibi. Et dum ista & illa vides sic vtraque ad vsus forma, vt audias Ruricium lib. 2. epist. 57. ex illis sic inferentem: *Et nos condoleamus lapso: subueniamus attrito, amplectamur reuersum, lætemur inuentum.*

Ruricius.

Facientes præuaricationes odiui.

Peccatorem sibiipsi aduersari, & pro se, & contra se esse.

LECT. X.

1. CHrysostomus, (& frequentiùs Interpretes) generaliter hæc sic primùm capit: *Nec solùm ipse nolebam quid[illegible] operis committere contra legem Dei, sed & eos infensè oderam, qui vel tantillùm transgrediebantur de Dei mandatis.* Ad quem etiam modum Augustinus hæc eta diffundit: *Intendite fratres mei. Si deambuletis cum Christo in medio domus eius, id est, si vel in corde vestro bene requiescitis, vel in ipsa Ecclesia bonum iter carpitis in via immaculata, non eos tantùm qui foris sunt, debetis odisse præuaricatores, sed & quoscumque tales inueneritis. Qui sunt præuaricatores? Qui oderunt legem Dei, qui audiunt illam, & non faciunt, præuaricatores dicuntur. Facientes præuaricationem odio habe. Repelle illos à te.* Sic ille. Pergit verò Chrysostomus, & duplex præuaricationis genus assignat, siue vno & altero modo hæc verba capienda dat ad hunc modum: *Locus his* facientes præuaricationes odiui; *bifariam intelligendus venit. Qui enim prætergrediuntur mandata Dei, & iustificationes atque iudicia, hi vtique sunt transgressores legis. Rursum alij salutarem ipsam de Domino confessionē trāsgrediuntur, & ij sunt præuaricatores Dei. Sanè, quàm multa est inter legis, ac Dei offensionē differentia.*

Chrysost. — August. — Chrysost.

Illi quidem cùm radicem possideant cognitionis de Deo, vtique penes se retinent spem secutura: hi verò qui ipsum abnegarunt auctorem salutis, à salute prorsus exciderunt. Hæc Chrysostomus.

2. Sub quo ergo sensu hæc, inquis, accipienda sunt? de legisne, an de Dei præuaricatione? Chrysostomus quidem in posteriorem inclinat, dum subiicit: *Nos contra præuaricatores adeò non infensè odimus, vt etiam comiter vt amicos salutemus. Neque enim talibus conuenit dicere salutem.* Non enim pax est impiis dicit Dominus. *Et cum istis cibum sumimus & potum, quorum veteratoriam, ac fallacem suadelã conueniebat fugâ præuertere, ac ne dignos quidem existimare, qui inter homines numerentur eos, qui dæmonibus se vltroneè tradiderunt, suamq; ipsorum vitam inanimitatis lapidibus ac lignis consecrarunt.* Sic Chrysost.

Psal. 138. 21. statim cum his verbis illa eiusdem Vatis Psalm. 138. 21. *Nónne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi,* componens, atque vtraque ad hunc modum vrgens: *Imitemur itaque nos hunc Prophetam, ipsi odio persequamur facientes præuaricationes, ne nos per diuersam communicationem deprehendamur cooperarij fuisse eorum præuaricationis. Et quidem modis omnibus ipsorum communio nobis odio habenda est; quod auersi à luce ambulent in tenebris.* Hæc & multò plura Chrysostomus. Cui adhæret Agellius obseruans hoc libro in Hebræo pro *præuaricatio,* siue *præuaricantes* esse vocem שטים *Setim,* quâ dicuntur, qui adulterij flagitio contaminati sunt, atque inde sic inferens: *Non absurdè hæc intelligimus de spirituali præuaricatione & adulterio, cùm Deo vero relicto ad adulteros, & impurissimos deos colendos flagitiosus animus declinat.* Subiicit verò statim: *A quo scelere se non modò abfuisse, verùm etiam odio sibi esse maximo omnes eo scelere contactos profitetur. Id enim præcipuè munus Regem attingit, vt religionem adulterantes puniat, & in Deum perfidos non minùs,*

Agellius. *quàm de maiestate reos execretur.* Sic Agellius.

3. Augustinus verò, vt iam vidisti, generaliter de quibusuis peccatoribus à lege Dei discedentibus ac-

August. cipit, dum ait: *Qui sunt præuaricatores? Qui oderunt legem Dei, qui audiunt illam, & non faciunt, præuaricatores dicuntur.* Quæ explicandi ratio apud PP. & Interpretes frequentior est. Nullum nomino, ne omnes nomi-

Genebrar. nem. Et quidem Genebrard. ab Agellio in Hebrææ lectionis sensu valdè discordans, illam sic effert: *facere errorea odi;* quæ Augustini explicationi mirè fauet: scrutus quippe erro, vt minus est, quàm fugitiuum esse, ita multò accommodatiùs ad præuaricatores legis Dei, hoc est, ad eos, qui audiunt illam, & non faciunt, quàm ad infideles, & idololatras refertur: sic enim de errone decernunt Iurisconsulti: *Qui non quidem fugit, sed frequenter sine causa vagatur, & temporibus in res nugatorias consumptis serius domum redit.* Ita

Vlpian. Vlpianus in leg. quis sit fugitiuus 17. §. *erronem, D. de ædilitio edicto.* Quæ hominibus concupiscentiis suis deditis, & nugatoriis seculi rebus addictis, qui serio, & diligenter de Dei obsequio, nisi rarò, cogitent,

Psal. 118. 119. bellè aptantur. Sub quo sensu idemmet Vates Psalm.

Agellius. 118. 119. Agellio, & aliis ex Hebræo & Græco fonte ita interpretantibus, dicebat: *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ.* Id est, tamquàm errantes, & à recto itinere deflectentes. Vnde ille sic hæc capit: *Ergo cùm illi peccatores terræ ducem viæ amiserint, ipsam Dei legem, & cogitationes suas sequantur; non iniuriâ omnes*

Incognit. *eos æstimo errantes ac deuios.* Quod si ipsammet Latinam præuaricandi phrasim premas, hunc etiam sensum elicies: sic namque primùm luculenter de eâ Auctor Incognitus: *Sciendum quod secundùm grammaticos,* præuarico *componitur ex* præ *&* varico: *varicare autem idem est quod claudicare, vel carne madere, quod sic dicitur à quadam vena intrinseca, quæ si lædatur, statim reddit hominem curuum & claudicantem. Et sic* præuarico *idem est quod præ aliis* varicare *&* claudicare. *Et quia maxima claudicatio est, quæ fit mente circa legem Dei, ideò varicatio accipitur pro transgressione legis, & præceptorum. Et sic* præuaricare *est præ aliis legem Dei transgredi; &* præuaricator *dicitur talis transgressor, &* præuaricatio, *talis transgressio. Quid est ergo* facere præuaricationes, *nisi facere opposita legis per quæ lex transgreditur? & sic qui furatur, qui idololatrat, qui aliquo peccato transgreditur legem, ille facit præuaricationem, talis autem rem facit iniustam, & tales Psalmista odio habebat.* Hæc ille.

4. Deinde verò, si ad acuta veniamus, & rem velut acu tangere velimus, proprior & germanior præuaricandi significatio, quàm ea incognito asserta, pro hac interpretatione omnino stat. Nimirum *præuaricari,* siue *varicare* non est propriè claudicare, in quo lapsus est Incognitus, sed crura in diuersas partes fœdè extendere, tractum ab iis, qui natura vari sunt, cruraque habent extrorsum intorta, & à se ideò quàm longissimè inuicem distantia: vt liquet ex Horatio lib. 1. serm. Satyra 3.

Hunc varum distortis cruribus. Horat.

Et ex Quintiliano lib. 11. c. 3. vbi *de gestu pedum* agens Quintil. ait: *Varicare supra modum, & in stando deforme est, & accedente motu propè obscœnum.* Vnde ad forum translatum id verbum, seu crimen, sic obiter obseruante Plinio Plinius. lib. 18. cap. 19. dum arationis modum describit: *Arator nisi incuruus, præuaricatur, vnde id crimen translatum in forum.* Sed qua ratione? Aiunt nonnulli, patronos præuaricari, esse à præscripto sui officij deflectere. Bene, sed frigidè: nec rem explicantes, siue verbi, & rei ipsius vim exhaurientes. Quare propiùs accedens Iacob Cuiatius lib. 9. obseruat. iur. c. 40. ait: *Præua-* Cuiatius. *ricator opponitur vero accusatori. Est enim præuaricator is, qui dum fingit se accusare, id agit potiùs, vt reus absoluatur.* Sed nec id propriè dictum, nisi præfatæ verbi *varicare* significationi sic omnino hæreat; vt accusator siue patronus in iudicio, ex vtraque parte æquè consistere, siue diuersis partibus veluti in cruribus distortis, vim faciens fauere dicatur, vti Vlpiano, & Vlpian. Labeoni Iurisconsultis in lege *Athletas, D. de iis qui notantur infamia,* pulchrè ad hunc modum obseruatum est: *Præuaricator autem est quasi varicator, qui diuersam partem adiuuat prodita causa suâ. Quod nomen Labeo à varia certatione tractum ait: Nam præuaricator ex vtraque parte consistit.* Ad quæ verba primùm doleo, bonum Cuiatium præfato loco non adnotasse, quod malus auctor Hottomanus obseruauit; non *variâ certatione,* Hottom. sed *varicatione* esse legendum, inde quippe *nomen tractum* proculdubio est, vt citatus Plinius dicebat. Deinde premo illa, *præuaricator ex vtraque parte consistit;* planè quasi vtramque adiuuans: ac proinde vtramque deserens, siue vtrique repugnans. Quò etiam ire videtur lex prima D. ad S. C. Turpilian. Cicero. dum ait: *Præuaricatorem esse, qui colluderet cum reo.* Illum scilicet æquè accusans, ac defendens. Quod Cicero omnino confirmat: tum cùm in Partitionibus ait: *Præuaricatoris nomen significat eum, qui in contrariis causis quasi variè esse positus videatur:* tum actione prima in Verrem inquiens: *Vtrùm te perfidiosum, aut præuaricatorem existimari mauis?* vbi perfidiosum, qui perfidiâ scilicet id agit, vt commissus fidei suæ cliens pereat, eo sensu, quo de venali aduocato eleganter dicebat Euodius pro Symmacho PP. *Lucri adstrictus com-* Euodius. *pedibus, lingua vendit obsequium, & dum animus habendi libidine subiugatur præsumptum iam temerè existimat compendium, sic ingruentia per styli exercitium nescit timere discrimina.* Et de Basilio aduocato dicebat Iuue- Iuuenal. nalis:

——— *Quot amauerit Hippia mœchos*
Quot Themison ægros autumno occiderit vno
Quot Basilus socios.

A prævaricatore, qui non adeò vndequaque alteri parti adhærens id agit, vt illa omnino vincat, ſed æquè ex vtraque parte conſiſtit, apertiſſimè diſtinguit. Quod etiam videtur expreſſiſſe Quintilianus acutè inquiens: *Ego in vniuerſum neque oratoriè puto eſſe vaquam prævaricari, neque litem intelligo in qua vtraque pars idem velit.* En prævaricatorem ex vtraque parte conſiſtentem. Hinc ergo ad noſtrum Vatem ab Auguſtino ſenſu dato expoſitum iam tandem redi. Nimirum dicebat ille: *Qui ſunt prævaricatores? Qui oderant legem Dei, qui audiant illam, & non faciunt, prævaricatores dicantur.* Opportunè quidem: id enim quid aliud fuerit, quàm peccatorem tamquàm prævaricatorem ex vtraque parte conſiſtere, & pro lege Dei, & contra legem Dei? dum & illam mente complectitur, & factis odit, & auerſatur: Paulo manifeſtiſſimè
Ad Tit. 1. 16. ſubſcribente epiſt. ad Titum cap. 1. 16. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Et eadem met prævari-
Rom. 2. 23. cationis phraſi vſurpata ad Rom. 2. 17. & 23. *Requieſcis in lege, & glorieris in Deo, & noſti voluntatem eius, & probas vtiliora inſtructus per legem, &c. Qui in lege gloriaris, & per prævaricationem legis Deum inhonoras.* B

5. Sub quo ſanè ſenſu non incommodè etiam acceperis illa Pſalm. 118. 119. verba: *prævaricantes reputaui omnes peccatores terræ,* quæ ſecus accepta nonnihil battologiæ, ſiue identicæ, vt aiunt, orationis habere videtur: quaſi peccatores Vates, peccatores reputet. Etenim dum prævaricator ex vtraque parte cõſiſtit, ſcitè inquit Dauid peccatores duplici in diuerſum ſcindi hamo, vt ille dixit, ſiue quod aiebat Paulus
Rom. 7. 16 ſub perſona hominis carnalis, ad Rom. 7. 16. *mente quidem ſeruire legi Dei, carne autem legi peccati.* Dum confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, & vt malos aduocatos, & pro ſe & contra ſe eſſe; atque hinc & illinc ſtare, vna ex parte ſeipſos amantes, ex alia verò odio habentes, eadem probantes & impro-
Bernard. bantes. Quæ videtur attigiſſe Bernard. ſerm. 6. de Aſcenſione, inquiens: *Omnes enim ni fallor, quæ ſurſum ſunt quærimus intellectu, fide & iudicio rationis; ſed non æquè forſan ſapimus omnes quæ ſurſum ſunt tamquàm inuiſcati in, quæ ſunt ſuper terram violento quodam præiudicio affectionis.* Vnde è ſuggeſtu ſæpius in mere ſum ſolitus, non fruſtrà Dominum ægros aliquoties inter-
Ioan. 5. 6. Luc. 18. 41 rogaſſe, *Vis ſanus fieri* Ioan. 5. v. 6. Lucæ 18. 41. Etenim vt ad faciem nemo animæ ſuæ ſalutem non amare videatur, ac proinde in gratiis ab eo interrogari an ſaluus eſſe velit? at cùm prævaricator ſit, qui ex vtraque parte conſiſtat, opportuniſſimè ab ipſo, nec ſine morſu interrogatur, an velit, quod velle ſe iactat vti à patrono prævaricante ſciſcitaretur, vtrùm reaptè vellet quod velle ſe diceret? C

6. His pulchrè concinit peculiaris illa, & ſapiens allocutio, elegansque elocutio, quâ populum Baalis cultu infectum, hanc in modum conuenicbat He-
3. Reg 18. 21. lias 3. Reg. 18. 21. *Vſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal ſequimini illum:* Sed obſerua, non dixiſſe ſimpliciter Prophetam, vſquequo claudicatis in Dei obſequio; ſed notanter *claudicatis in duas partes:* vt oſtenderet, illos non tam claudicare, quàm variare, ſiue prævaricari, atque ex vtraque parte conſiſtere, cùm & verum Deum colere ſe profiterentur, & ad Baalis aras ſupplices accederent. Quod quidem non proinde accipiendum eſt, quaſi modò in hanc, modò in illam partem pro occaſionis opportunitate lapſarent, iam hunc colorem, iam illum velut polypi induentes, vt interpretes non ſatis inhærentes claudicationis in vtramque partem imagini, ſiue eam nun bene exprimentes, frequentiùs explicant: ſed quaſi ſimul & ſemel, tam Deum verum fide & intellectu, tum etiam Baalis inſtituta moribus & factis complecte- D
Velaſq. in Pſalm. centeſimum.

rentur, quippe ſi bene æſtimas, id omnino eſt, claudicare in duas partes; dum huc atque illuc nutante greſſu corpus totum in vtramque partem dextrorſum atque læuorſum inflectitur: vt ex originibus manifeſtè liquet; & Procopius inibi ſapienter adnotauit. Nimirum LXX. claudicationem in duas partes *LXX.*
ſic luculenter ſub hoc ſenſu expreſſerunt, *Vſquequo claudicatis vos in ambobus poplitibus?* Turpiter ſcilicet varicantes: & in vtramque partem corpus inflecten- *Chald.*
tes. Ad quem modum Chaldæus: *Vſquequo diuiſi eſtis in duas partes?* Eo ſanè pacto quo Bernard. citato loco *Bernard.*
ſubiiciebat: *Ecce enim ve tamquàm principalia cordis ipſius membra diſtinguam, eſt intellectus in nobis, & affectus; & hi quoque ſibi inuicem aduerſantes, vt alter ſumma petere, alter appetere infima videatur:* & poſt nonnulla eam diuiſionem in duas partes, appoſitâ imagine omnino exprimens ſubdit: *Diſtrahantur hominum crura, & longiori obice ligni remoueantur ab inuicem pedes, & dum adhuc entis integra manet. Quis tamen ille eſt cruciatus? Sic affligi plangimus miſeros, qui corporaliter inter nos conuerſantes, illuminati fortè ſimiliter, ſed ſimiliter inueniuntur affecti, intelligunt pariter bona quæ faciant, ſed non diligunt intellecta.* Denique Hebraicus textus id opportunè firmat dum ibi *Lect. Hebr.*
ſic habetur: *Vſquequo tranſitis ſuper duas cogitationes?* Prævaricatores planè facti, qui duos clientes ſibi inuicem aduerſantes defendendos ſuſcipitis, & ex vtraque parte ſtare, & duabus, vt aiunt, ſellis, ſedere vultis. Quæ omnia ob oculos habuiſſe dixeris Procopium *Procop.*
ita hunc locum elucidantem: *Quia decem Tribus Deum adorabant, & ſimul idola colebant. Deum verò nolle coli idola: & ex aduerſo idola Dei veri cultum vetare: Iſraelitas ita vtrumque facientes, nec Deo, nec idolis fidos eſſe, vel obtemperantes.*

Facientes prævaricationes odiui.

Vitia, non homines, oderit Princeps. **LECT. XI.**

1. Nec fuerit omittendum, quod ad hæc verba adnotarunt Auguſtinus & Remigius, Va- *Remigius. August.*
tem non homines, ſed peccatores, ſiue potiùs eorum vitia odio habere. Sic namque Remigius: *Odio habat in hoc quod odio habendi erant.* Quæ ſic diffundit Auguſtinus: *Facientes prævaricationes odio habe: repelle illos à te. Sed odire debes prævaricatores, non homines. Vnus homo prævaricator, videte quia duo nomina habet: homo & prævaricator. Hominem Deus fecit, prævaricatorem ipſe homo ſe fecit, Ama in illo quod Deus fecit, perſequere in illo quod ipſe ſibi fecit. Cùm enim perſecutus fueris prævaricatorem eius occidis quod homo fecit, & liberatur quod Deus fecit.* Hæc ille. Quâ quidem doctrinam ad modum, & lenitudinem in correptione, ſi ne caſtigatione adhibenda ſapienter retulit Gregor. Magnus lib. 9. epiſtol. 8. vbi cùm ex *Greg. M.*
chirurgi imagine dixiſſet: *Sic vulnus debes abſcindere, vt non poſſu vlcerare quod ſanum eſt, ne ſi pluſquàm res exigit ferrum impreſſeris noceas, cui prodeſſe feſtinas:* ſubiicit: *perſonas ergo diligas, & vitia perſequaris.* Vbi obiter notaueris ex Gregorio ad perſonarum dilectionem ſignatè pertinere, vt earum vitia lentè & moderatè perſequaris. Nam ſi in ea acriùs inuehi, & ad viuum reſecare volueris, inimici potiùſquàm medici perſonam gerere credêris. Quòd ſi iis obieceris, quæ Seneca de *Seneca.*
cupiditatibus extrahendis, & ab animo penitùs exturbandis amico ſuo ſic ingerebat, epiſt. 51. *Satis diu cum Batu litigauimus, nunquàm ſatis cum vitiis, quæ oro te, mi Lucili perſequere ſine modo, ſine fine, nam illis quoque nec finis eſt, nec modus. Proiice quæcumque cor tuum laniant, quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis reuellendum erat.* Omnino dixerim hæc ſa utaria ibi ipſi obſeruanda fore: cui & odij ſuſpectus non eris, & quem fideiuſſorem habes, ne ad mortem perſequaris.

A

2. Sed quo ſenſu iterum accepit opportunè Au- *Pſ.138.21.* guſtinus noſtrum Vatem Pſalm.138.21. ſuum erga peccatores animum ſic aperientem: *Nónne qui oderunt te Domine, oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Et ſtatim: *perfecto odio oderam illos:& inimici facti ſunt mihi.* *Auguſtinus.* Etenim vt alij id perfectum odium ſic explicent, vt perinde ſit, ac cui nihil addi poſſit: quaſi dixerit Dauid: *Vſque eò eos odi, vt plus in odio progredi non poſſem.* Satius tamen eſt eam odij perfectionem ad charitatem, quæ odium ſic diſpenſet, vt vitia ab hominibus præſcindat, & in hæc feratur, illos verò diligat: ſic nam- *Auguſt.* que Auguſtinus: *Quid eſt perfecto odio? Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam. Hoc eſt, perfecto odio odiſſe, vt nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas.* Et ſtatim premens ea verba, *inimici facti ſunt mihi*: & illis obiiciens Domini præceptum: *Matth.5.44.* *Diligite inimicos veſtros*, Matth.5.44. Hæc ſubiungit: *Quomodò impleuit hoc niſi illo perfecto odio, vt hoc in eis oderit, quòd iniqui ſunt; hoc diligat, quòd homines ſunt. Nam &* B *tempore veteris teſtamenti, quo viſibilibus ſupplicijs carnalis populus coërcebatur, homo ad nouum teſtamentum per intelli- *Exodi 32.* gentiam pertinens famulus Dei Moyſes quomodò oderat peccatores, cùm pro eis orabat; & quomodò non oderat, cùm eos occidebat, niſi quia perfecto odio oderat eos? Ea namque perfectione ſic oderat iniquitatem quam puniebat, vt diligeret humanitatem, pro quâ orabat.* Hæc Auguſtinus.

3. Quò omnino pertinent *plagæ nouiſſimæ*: quibus Dominus in peccatores miſericorditer, & beneficè *Apoc 15.1.* ſæuire dicitur Apoc.15.1. ſic enim Ioan. *Et vidi aliud ſignum in cælo magnum, & mirabile Angelos ſeptem habentes plagas ſeptem nouiſſimas.* Sed qua ratione *nouiſſimas?* Quia aliæ quidē à veteribus illis; quibus Ægyptios, aliosque inimicos olim Dominus percuſſerat, non corporibus modò, ſed animis etiam necem, & exitium inferens: quippe hæ non eò eunt, vt perdant: ſed po- *Seneca.* tiùs vt medeantur eo modo quo dicebat Seneca l.5. de benef. cap.20. *Multa beneficia triſtem frontem, & aſperam habent, quemadmodùm ſecare & vrere, vt ſanes: & vinculis coërcere.* C Dum videlicet hæc nouiſſima ira Dei peccatum deſtruit, & peccatori ſummum beneficium tribuit. Quod quidem argumentum ad id loci ſapienter & ornatè tractat, & omnem in partem ver- *Alcazar* ſat Magiſter meus P. Luiſius del Alcazar: ſignatè *Ierem 50.25.* verò ſub hoc ſenſu capiens illud Ieremiæ cap.50.25. *Aperuit Dominus theſaurum ſuum, & protulit vaſa iræ*: bene pendens theſauri nomen quod peculiariter locum habet in iis, quæ ſunt maximi pretij, & propterea *Pſal 67.1. & 2.* aſſeruantur recondita. Sed iis illud adiunge ex Pſal. 67.1. *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum, à facie eius.* Et eum peculiarem diſſipationis eorum modum ſic ſtatim ſubiicit: *Sicut deficit fumus, deficiant; ſicut fluit cera à facie Dei.* Quare ſicut fumus? Quare ſicut cera? cùm alibi de impiis dicatur, non aliter à terra, quàm à vento puluerem diſpergi. *Pſal 1.5.* Pſalm.1.5. *Non ſic impij, non ſic, ſed tamquàm puluis, quem* D *proiicit ventus à facie terræ.* Sanè quòd à facie Dei benignè peccatores reſpiciente ipſorum durities tamquàm cera liquefiat, ipſorum peccata fumi exitum habeant, qui quidem lachrymas excutit, & in lachrymas deſinit: ſic inibi adnotante Auguſtino: *Eos hoc loco ſignificauerit quorum duritia in lachrymas ſoluitur.* Eo nouum pulcherrimumque ſæuiendi in peccatores modum, vbi peccatum deſtruitur, homo verò diligitur, & à correctione ingens beneficium capit: aliter quidem ac illi, qui *tamquàm puluis, quem proiicit ventus à facie terræ*: ij videlicet, quos miſericorditer Deus non punit, ſed dimittit vagos ſecundùm deſideria cordis eorum: *Ideò non reſurgent impij in iudicio.*

A

VERSVS IV.

Non adhæſit mihi cor prauum: declinantem à me malignum non cognoſcebam.

COMMENTARIVS.

VARIA etiam ſicut & in præcedentibus diſtinctio his verbis, ſiue à Maſſuretis, ſiue à Hieronymo & Caſſiodoro affertur: claudunt quippe periodum in illis: *Non adhæſit mihi*, ſic hæc cum antecedentibus coniungentes: *Facere præuaricationes*, ſiue *erronea, non adhæſit mihi.* Siue vt Hieronymus: *Facientem declinationem odiui, nec adhæſit mihi.* Vnde ſequentia ſic efferunt: *Cor prauum declinauit à me, malum non cogno-* B *ſcebam*: ſiue vt eodem ſenſu Hieronymus: *Cor prauum recedet à me, malum neſciam.* Verùm vt Vulgati ſiue LXX. diſpunctio ſimplicior, mollior & melior eſt: ita ab ea recedere nullius frugis fuerit.

Cor prauum.

Cor prauum ad fraudem callidum. LECT.I.

1. VIdeodum priùs ſiue ſcrutandum *cor prauum*: deinde an Vates de ſeipſo, an de aliis loquatur, examinandum. Et quidem id variè à PP. & inter- *Auguſt.* pretibus exponitur. Primò enim Auguſtinus pro affectu à regula diuinæ voluntatis diſcordante, & ſeſe diſtorquente ſic capit: *Quid eſt cor prauum? Cor tortum. Quod eſt cor tortum? Cor non rectum. Quod eſt cor non rectum? Vide quod eſt cor rectum, & ibi inuenis, quid eſt cor non rectum. Rectum cor dicitur hominis, quia omnia quæ vult Deus, ipſe vult.* Vnde poſt nonnulla ſic concludit: *Si ergo* C *cor rectum ſequitur Deum, prauum cor reſiſtit Deo. Aliquid illi contingat aduerſum; Clamat: Deus quid tibi feci? Quid commiſi? quid peccaui? Se iuſtum vult videri, Deum iniuſtum. Quid tam prauum? Prauum eſt, quia tortum eſt, quia prauam regulam portat. Corrige te, & inuenies rectum, à quo te deprauaſti. Ille iuſtus, tu iniuſtus. & ideò peruerſus es: quia hominem iuſtum dicis, & Deum iniuſtum.* Hæc & alia multa Augu- *Chryſoſt.* ſtinus. Nec multò aliter Chryſoſtomos, qui cùm priùs cor prauum de re obliquâ, inæquali aut confragoſa ſumpſiſſet; ſubiicit ſtatim ſub Dauidis perſona: *Addo licet innumeræ me premerent afflictiones, etiamſi hominum nequitiæ, quæ contingere ſolent, me redigerent in anguſtum, quamuis mihi obſiſterent per multa aduerſa, non adhæſit mihi* cor prauum, *non maligna mecum diſceptatio, non inuentio vlla ab æquitate abhorrens. Non quòd affligerer, non quia aliquâ vrgebar anxietate, non item quòd viderem peccatoribus cuncta ſuccedere feliciter, & impios diteſcere, omnes denique præuaricatores legis proſperitate frui ac dirigi, ideò corde* D *deprauabar, maligna mecum reputans, ac dicens: Quare impij viuunt, ac præualent diuitiis?* Hæc Chryſoſt.

2. Sed pergit Chryſoſtomus, & poſtmodùm *cor prauum* idem cum corde duro ſic facit: *Non adhæſit mihi cordis ferrei durities.* Hæſit extremæ huic praui cordis *Incognit.* acceptioni Incognitus, & *cor prauum*, ſiue durum ex Bernardi verbis lib. 1. de conſideratione ad Eugenium cap. 2. hunc in modum agnoſcendum proponit: *Nec pergas quærere* (inquit Pontifici Summo *Bernard.* Bernardus.) *quod ſit cor durum. Si non expauiſti, tuum hoc eſt. Solum eſt cor durum, quod ſemetipſum non exhorret, quia nec ſentit. Quid me interrogas: interroga Pharaonem. Nemo duri cordis ſalutē vnquam adeptus eſt, niſi quem fortè miſerans Deus, abſtulit ab eo iuxta Prophetam cor lapideum, & dedit ei cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipſum eſt quod nec compunctione ſcinditur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum,*

ad

Digitized by Google

ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens: ipsum est, quod præteritorum præter solas iniurias nihil omnino non præterit: futurorum nulla nisi fortè ad vlciscendam prospectio, seu præparatio est, & vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar: Ipsum est quod nec Deum timet, nec homines reueretur. Hæc omnia Bernard. & ab eo hoc loco Incognitus. Quæ non omnino importunè his Dauidis verbis aptari possent: si ipse de corde suo ageret. Quid enim adeo regium, quàm molle & mite ingenium habere? quod humanum ad humana, ad iudicia sæuum non sit, sed precibus moueatur. Quid contrà à regio animo magis alienum quàm ferreum ac lapideum esse, cui possit obiici Ouidianum illud:

Ouid.

Natus es in scopulis, nutritus lacte ferino,
Et dicam, silices pectus habere tuum.

Verùm enimuerò aliò eius mentem ire: postmodùm ostendemus. Vnde si bene æstimas, nec ea quæ Augustinus & Chrysostomus circa cor prauum meditantur, illi congruunt. Quid? quod vtraque explicatio praui cordis significationem, siue naturam non exhauriunt?

Ierem. 17. 9. 3. *Prauum* ergo *cor* de quo Dauidi sermo est, illud ipsum proculdubio fuerit, quod Ieremias c. 17. 9. & Salomon Prouerb. 11. 20. eâdem voce exprimunt, & *Prou. 11. 20.* ille *inscrutabile*, hic *abominabile* esse ait: Sic namque Ieremias: *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud?* Similiter Sapiens: *Abominabile Domino cor prauum, & voluntas eius in iis, qui simpliciter ambulant.* *Lect. Hebr. L X X.* Vbi non dubium, siue ex Græcis & Hebraicis vocibus, quibus Latina *prauum* omnino respondet: siue ex ipsa serie, & contextu sermonis, quin cor prauum sit *fallax versutum, supplantatorium*, quod aliud simulat, aliud meditatur, & versat apud se: siue (quod Latina vox sonat) *tortuosum, flexibusq; atque anfractibus multiplex, & varium.* Quale omnino habuisse callidum illum Imperatorem Tiberium, qui cùm oderat, amare; cùm amaret, odisse videbatur, luculenter scribit *Dio* Dio postmodùm adducendus. Quod quidem velut acu tetigit Apollinaris dum pro *prauum cor* legit *cal-* *Apollin.* *lidum consilium*: malâ scilicet calliditate, siue astutia, quæ prudentiam peruersè imitatur: nam apud Ciceronem, & alios scriptores Latinos callidus semper coniungitur cum epitheto *versutus* aut *veterator*: vt 3. *M. Tull.* de Natura Deorum: *Chrysippum homo sine dubio versutus, & callidus*: & 1. Officior. *callidum, versutum factum Solo-* *Ps. 77. 57.* *nis*, & Actione 5. in Verrem: *& homo luteus, etiam callidus, & veterator esse vult.* Sub quo planè sensu alibi noster Vates de Israëlitis subdolè agentibus dixit: *Conuersi sunt in arcum prauum*, Psalm. 77. 57. Quod omnino explicuit Oseas cap. 7. 16. de iisdem Dei nomine *Osee 7. 16.* inquiens: *facti sunt quasi arcus dolosus*: & verò vt *arcum prauum* benè ibi plures intelligunt, qui non in scopum in quem dirigitur: sed in aliam partem sagittam mittit, ita *arcum dolosum*, apud Oseam quotquot bene explicant sic capiunt, vt non vtcumque in alia quàm in scopum sagittam mittat, sed etiam sagittario noxius sit, *qui videlicet* (inquit ibi Ruffinus) *fraude* *Ruffin.* *monstruosâ in ipsum, cuius manibus tendebatur, tela dirigeret.* En prauum cor ad viuum delineatum; quod aliud simulat, aliud ad perniciem meditatur; & ad fraudem callidum & versutum est. Vnde non omnino deflexit ab scopo Haymo, qui *prauum* pro *maleuolo* acce- *Haymo.* pit, quamuis Vatis mentem, siue sententiam diminutè expresserit.

Prou. 6. 14. 4. Firmat hæc iterum Salomon Prouerb. 6. 14. vbi de homine *Apostata*: siue *Belial*, vt est in Hebræo, *Ephes. 4. 27.* (quâ voce Hieronymus in id epist. ad Ephesios c. 4. 27. *Neque locum detis diabolo*; diabolum, tamquàm cri- *Hieron.* minatorem, seu aduersarium, siue etiam pestilentiam nominari, disertè monet) sic inter alia ait: *Prauo corde cogitat malum.* Siue vt Hebræi Codices & LXX. *L X X.* habent, *peruersum cor fabricatur*, siue *architectatur malum*; quæ frigidè ab interpretibus perinde accipiuntur, ac si dicatur: *nunquàm non aliquid mali meditatur, quod aliis inferri possit, ea est illius cordis prauitas*: nimirum prauitas, & fabricatio mali, non eò solùm tendunt, vt malum inferatur: sed signatè vt subdolè, versutè & artificiosè præiactis in profundum fundamentis; quæ cùm minimè apparent, certior, & sine remedio pernicies est. Cui rei opportuna est Lectio, quam ex *Lect. Hebr.* Hebræo præfatis verbis Ieremiæ, *Prauum est cor hominis, & inscrutabile*, adhibet Pater Maldonatus: *frau-* *Maldon.* *dulentum est cor præ omnibus*; & hunc in modum explicat: id est: *nihil est omnium rerum, quod æquè fallax sit, atque cor hominis.* Quod si id videre velis, audi Senecam *Seneca.* epist. 103. ac si hæc ob oculos haberet, ita loquentem: *Ab homine homini quotidianum periculum. Aduersus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere. Nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur, antequàm surgat. Crepant ædificia, antequàm corruant. Prænuntiat fumus incendium. Subita est ex homine pernicies, & eò diligentiùs tegitur, quò propiùs accedit.* Obserua extrema hæc verba ad scrutandum prauum, & inscrutabile cor hominis, qui tunc propior ad perniciem inferendam accedit, cùm ab hoc longiùs ire videtur. Quare pergit Seneca: *Erras, si istorum, tibi qui occurrit, vultibus credis; hominum effigies habent, animos ferarum, nisi quod illarum perniciosior est primus incursus, quos transire non queunt.* Hæc ille.

5. Vt ex iis duo facilè inferas: alterum, quàm sit verum, quod citato loco dicebat Salomon: *Abominabile Domino cor prauum*, quod videlicet, & naturâ, hominis; malitiâ, feræ est; & malum non simpliciter, sed artificio simulationis fabricatur, vt omnino ineuitabile, & sine remedio sit. Bene quidem Tragicus in Hippolyto: *Sen. Trag.*

O vita fallax abditos sensus geris,
Animisq; pulchram turbidis faciem induis,
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum, vera fallaces probant,
Simulanq; molles dura

Sed enim quod pulchrè notauit Plinius, illi periculosiores fontes sunt, qui limpidis aquis blandientes, perniciem ebibendam offerunt, quàm qui ad faciem ipsam turbidi sunt; ita humana effigies turbido animo superinducta periculosior & execrabilior proinde est: dixit quippe ille lib. 31. c. 2. de quodam fon- *Plinius.* te: *Sole oriente eam exundare feruenti similem, auesq; quæ gustauerint iuxtà mortuas iacere.* Indeque subiicit: *Namq; & hæc insidiosa conditio est, quòd quædam etiam blandiuntur aspectu.* Alterum: aberrasse ab scopo Incognitum, cor prauum cum corde duro confundentem: nam etsi cordi prauo sua etiam duritia interiùs sit, at enim ad faciem adblandiens est, quodque duritiam, vt opportuniùs fallat, omnino dissimulet atque emolliat.

Non adhæsit mihi cor prauum.

Aliena à Principe animi prauitas, quòd paruitas animi sit. LECT. II.

1. SEd iam; de quo dicit? de se? an de alio? Chrysostomus quidem, & ab eo Incognitus, Lorinus, & alij de prauo animo, siue affectu qui Vati non adhæresceret, capiunt, vnusquisque hanc animi prauitatem suo modo explicantes. Verùm enimuerò, si aliquâ ratione hæc Dauidi aptanda essent; non alio omnino sensu præter eum quem modò dedimus, congruè possent accommodari; in quem ea Apollinaris expositio penè concurrit: *Callidum consi-* *Apollin.*

tium non mihi placuit. Vt videlicet bonus & prudens Rex egregiâ, & verè regiâ animi simplicitate, & candore in iure reddēdo, & regni administratione præditus, à callido & versuto Tiberio sese discriminaret, cuius cor omnino prauum & tortuosum, flexibusq; atque anfractibus multiplex; aliud simulans, aliud versans apud se, sic graphicè depingitur à Dione Nicæo: *Ita omnes animi affectus occultabat, vt quæ cupiebat, nunquàm ferè diceret, pugnaretq; cum oratione voluntas eius, & desiderium; id enim detestabatur, quod expetebat maximè, & quod oderat, dissimulabat. Irascebatur nullâ re conturbatus. Iratus, tranquillissimo æquissimoq; animo esse putabatur. Commiserabatur eos, in quos maximè animaduertebat, & quibus veniam dabat, succensebat nonnumquàm. Sic amplexabatur inimicos homines, vt sibi familiarissimos & coniunctissimos. Contrà autem cum coniunctissimis non re aliter se gerebat quàm cum alienissimis hominibus. Denique putabat, Principis animum nemini cognitum esse oportere.* At statim, ac hæc audis, inquis: Ergo simplicissimus, siue apertissimus Tiberij animus præ omnibus, erat de quo meritò diceres cor in manibus gestare: nam si omnia quæ diceret facerétve, in contrarium partem ac sensum accepisses, eius mentem assequi, & penetrare viderēre: sed enim nec hoc facile (quæ mira cordis illius prauitas erat) nec tutum. Non quidem facile, quod suspensa illi, & obscura semper verba. Sic namque de illo Tacitus lib. 5. Annal. *Tiberioq; etiam in rebus, quas non occuleret, seu naturâ, seu assuetudine suspensa semper, & obscura verba: tunc verò nitenti, vt sensus suos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabantur.* Tum etiam quòd animus cùm maximè obseruari, siue explorari aut introspici oportebat: magis ac magis ferreis, siue adamantinis vectibus claudebatur, eodem scriptore adnotante lib. 3. Annal. cùm Piso de morte Germanici, quem iussu Tiberij veneno sustulerat, in Senatu ipso Principe adstante accusatus, & implacabiles Iudices expertus, à facie, & nutibus Tiberij adsumendas iudicij coniecturas totus pendebat: sic namque ibi: *Redintegratam accusationem, infensas Patrum voces, aduersa & sæua cuncta perpessus, nullo magis exterritus est, quàm quòd Tiberium, sine miseratione, sine ira obstinatum, clausumq; vidit, ne quo affectu perrumperetur.* Ito ergo, & prauum illud cor vel ex hac, vel ex contraria parte seruare.

2. Sed neque id tutum sic id præfato loco admonente Dione qui cùm post allata verba dixisset: *Quod si in Tiberio tantum fuisset, aut obscura esse potuisset eius voluntas iis, qui tentassent, studuissentq; eam habere cognitam, quippe omnia in contrariam partem accepissent. Nam, & cùm se aliquid velle negauisset, tum id eum desiderare maximè, & quum cupere se dixisset, tum eum id nolle existimassent:* Subiicit: *Sed præter ea, quæ suprà dixi, grauiter ferebat, dum suspicabatur aliquem esse conscium, & participem consiliorum suorum, multosq; non aliam ob causam interfici iussit, quàm quòd disceret ab iis voluntatem suam animaduersam & perspectam esse. Itaque is solus ferè tutus erat (quod tamen perrarò accidit) qui neque ingenium eius ignoraret, & mores, neque patefaceret cognitos. Nam eo pacto, qui ei parerent, non decipiebantur, nec propterea in odium eius veniebant, quod ostenderet ea quæ ageret percepisse.* Sic Dio. Vnde quidem cùm hic simulationum Magister fictâ modestiâ imperium se declinare simularet, & à Senatu peteret ne in ciuitate tot illustribus viris subnixâ omnia ad vnum deferrentur: ea Senatoribus cura, id studium erat, ne vllo pacto ipsius mentem intellexisse viderentur: ita obseruante ibi Tacito hunc in modum: *At Patres quibus vnus metus, si intelligere viderentur in questus, lachrymas, vota effundi, ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere.*

3. Nec Tiberio dissimile Herodis Regis prauum cor: quem hac signatè ratione mitissimus, & modestissimus Dominus vulpem appellauit apud Lucam cap. 13. 32. inquiens: *Dicite vulpi illi.* Quare vulpes? quòd, vt hæc, & numquam rectà incedit, sed quò non dirigit cursum, infert pedem & nonnisi ad fraudem, & insidias callidum, & subdolum animal est; ita ille cum Ioanne Baptista eâ cordis prauitate se gesserit, vt eum reapse interimere cupiens, exteriùs honoraret, audiret, & eo audito multa libenter facere simularet, & denique cædis occasionem ex iureiurando Herodiadi facto nactus, tristitiam lætissimo animo indueret: vti his verbis inquit Beda tom. 5. c. 25. *Tristitiam præ se ferebat in facie, cùm nequitiam haberet in mente, scelusq; excusat iuramento, vt sub occasione pietatis impius fieret.* En quod dicebat ille: *Vbi leonis pellis deficit, vulpina insuenda est.* Siue potiùs quod queribundo ore Dei nomine dicebat Isaias cap. 43. 24. *Seruire me fecisti in peccatis tuis:* Quæ sub eo sensu ibi scitè capit Pater Sanctius: ac si homines praui corde, & hypocritæ Deum, Deique religiosum nomen suæ prætexant impietati, & quasi suis cupiditatibus adhibere velint administrum.

4. Ergo vt non textui; ita Dauidis personæ, quà ipse Princeps, quà Religiosus, quà iustus, quà verus prauum cor non adhærescere ab iis PP. & interpretibus opportunè dicitur; tum ne ipse pro Rege histrionem agere videatur: nimirum vbi de Iob cap. 1. v. 1. Noster dixit: *Erat vir ille simplex.* LXX. & PP. Græci legunt, *homo verus*, quod sic inibi explicat Origenes, vt qui simplex, siue verus non sit, histrio sit, quum non secus ac histrio, qui habitu corporisque figurâ Regem ementiatur; diuinam ille similitudinem obscuret: tum etiam, vt his verbis regiam ille maiestatem, & dignitatem incolumem, & illæsam seruare ostendatur, cùm nihil fuerit ab illa magis alienum quàm vulpina hæc pellis leoninæ ad nocēdum assuta: vt sapienter adstruit Gregor. Nazianz. orat. 3. in Iulianum: inde desertorem illum traducens, & perpetuæ infamiæ exponens hunc in modum: *Illud autem admodùm prauum ac malignum, quod cùm nec apertè nos allicere posset, nec tyrannicè cogere præ pudore sustineret, leonina pelli vulpinam, aut si mauis Minois laruam summa iniustitia prætexens, quibus verbis propriè id exprimā, leniter vim afferebat.* Cuius quidem versutiæ multis arguit indidem eum Principem Theologus, vt iam vidimus, tandem concludens: *Imperatori autem, cùm vi & potentia superari, admodùm turpe [?]tum verò turpius, vt opinor, & indignius est, conatus suos, & intentionis arte occultare.* Rectissimè.

Non adhæsit mihi cor prauum.

Prauum Aulicis cor sæpius subesse.

LECT. III.

1. AT enimuerò meliùs Augustinus, & omnes fermè interpretes, siue Græci, siue Latini de homine, cui prauum cor subesset, quem sanctus Rex inter suos familiares non admitteret, omnino capiunt, sic Græcus auctor apud Agellium: *Cor prauum, id est, homo cor prauum habens.* Sed enim Bellarmini commentarius, vt pius fuerit: tamen menti Vatis, quam dedimus, non omnino conuenit; ait enim: *Tanta videlicet erat in populo sanctitatis opinio de Rege Dauide, vt improbi ad eum accedere non auderent.* Non adhæsit mihi, *inquit*, homo praui cordis, *& nequam: nouerant enim omnes, à me non diligi facinorosos.* Quippe hæc non ad quoscumque improbos, sed signatè ad versutos, & fraudulentos Aulicos respiciunt. Ita Agellius: *Homo cordis peruersi, fraudulentus ac malitiosus non adhæsit mihi, non mecum amicitia iunctus est: longè à me fuit, non mecum versatus est.* Ita ille. Sanè de priuata sui innocentia, & recta vitæ ratione vsque ad hæc verba egerat Vates, iamque de domestica erga suos disciplinâ,

Marginal notes: Dio. Tacitus. Dio. Tacitus. Luc. 13. 32. Beda. Isa. 43. 24. Sanchez. Iob 1. 1. LXX. Origenes. Nazianz. Bellarm. Agell.

plinâ, & de modo quo Aulam ſuam efformaret; ſermonem inſtituit: atque adeò, dum eos quos à ſua familiaritate reiiciebat, oſtendit: primo in loco prauos atque verſutos diſertiſſimè ponit, quaſi hi in Aula, & frequẽtiores, & pernicioſiores eſſe ſoleant. Quòd verò quæſito verbo dixit, *non adhæſit*, non tam ſignificat, improbos ad eum accedere auſos nõ fuiſſe: quàm (contrariâ potiùs ſententiâ) verſutos, & praui cordis illi adhæreſcere ſeſeque in intimam illius familiaritatem inſinuare volentes ab ipſo fuiſſe repulſos. Nimirum hoc omnino fuerit prauorum & callidorum hominũ ingenium, vt ſeſe vel tamquàm hederæ arboribus, vt eas areſaciant arctiſſimè implicent, aut tamquàm militares arietes muris ad eos labefactandos admoueant. Vnde hac ratione diſertiſſimè admonebat Cicero in libro de Amicitia: *Apertè adulantem nemo non videt, niſi qui admodùm eſt excors, callidus verò & occultus, ne ſe inſinuet, ſtudiosè cauendum eſt.* Sed quare cauendum? ne videlicet recti iudicij murum, ſiue fundamenta ſubuertat. Scitè ſiquidem Lucianus in libello, *De non temerè credendo calumnia*, callidam aſſentationem inter fortiſſima calumniatorum arma ſic ponit: *Hac fores recti iudicij ceu fundamenta ſuffodit ac ſubruit. Intus coniurati cum hoſtibus proditores irruentes adiuuant, manus porrigunt, portas aperiunt: & modis omnibus conituntur, vt auſcultatorem calumnia ſibi ſeruum faciat*, ita ille.

M.Tull. — Lucianus.

2. Hinc quidem, vt non ineptè id retuleris ad eam cordis prauitatem, quâ Aulici duabus viis terram ingrediuntur, vt inquit Sapiens, Eccleſiaſt. 3. v. 28. hunc in modum: *Cor ingrediens duas vias non habebit ſucceſſus, & prauus corde in illis ſcandalizabitur*: homines ſcilicet fidei ambiguæ, & infidæ amicitiæ pro re nata, & temporis opportunitate fidem variantes: & ſeſe huic aut illi parti; imò & vtrique ſimul accommodantes; qui veteri parœmia, *duabus ſellis* ſedere dicuntur: quâ diſertiſſimè in M. Tullium vſus eſt Laberius apud Macrobium, *in Saturnalibus*: etenim cùm Cicero vellet carpere Cæſarem, quòd plures, quàm par eſſet, in Senatum aſciſceret; adeò, vt quatuordecim gradus eos non caperent, inter quos vnus erat Laberius; huic ille venienti, quòd eum in conſeſſum non reciperet; prætexuit, *ſe recepturum, niſi anguſtè ſederent*: tunc verò Laberius non minùs mordaci ſale eum perfundens reſpondit: *At qui ſolebas duabus ſellis ſedere*: non obſcurè innuens, illum nec Pompeio, nec Cæſari fidum fuiſſe, ſed cum fortunâ mutaſſe fidem. Quos enim amicos opportuniùs, quàm hoſce ſapiẽs Princeps declinaret, nec ſibi adhæreſcere permitteret? attamen praui cordis phraſis atque proprietas plus malitiæ, vt vidimus, portendit: eos ſcilicet, qui ad fraudem callidi, velut *arcus doloſus*, aliud ſimulant; bonum ſcilicet factum, ſiue conſilium: aliud meditantur, & verſant apud ſe; perniciem videlicet & malum, quod proximo nihil minùs cogitanti, aut metuenti *inferant*, vti dicebat Seneca. *Subita ex homine pernicies; & eò diligentiùs tegitur, quò propiùs accedit; erras ſi iſtorum tibi, qui occurrunt vultibus credis, hominum effigies habent, animos ferarum.* Quos ſanè ſcorpij imagine belliſſimè depictos videris à Domino Ezech. 2. 6. dicente: *Increduli & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.* Vbi ſi attendis eos, à quibus Vates maximè cauere debebat; non leones, non tigrides, non belluas alias ſæuiores & feriores; ſed ſcorpios ſignatè Dominus appellauit: quippe ſcorpio nihil fraudulentius, & ad perniciem inferendam, nihil ingenioſius: de eo ſiquidem Tertullianus in ſcorpiaco, c. 1. *Tot venena, quot ingenia; tot pernicies, quot & ſpecies: & tamen vnus omnium violentia geſtus, de caudâ nocere*: vt dixerit eum non ſimpliciter, ſed ingenioſè nocere; dum non facie ad faciem aggreditur, venenumque ore expuit; ſed de cauda incautum ferit: ſed tam hæc Domini verba, quàm illa Senecæ, *Hominum effigies habent, animos ferarum*; omnino exprimit, tum quod de ſcorpio tradunt Geſnerus lib. 4. cap. 4. *de ſcorpione*, & alij, blandum ſcilicet, & quaſi virgineum vultum habere: tum quod Plinius lib. 11. cap. 25. de illo ſic ait: *Semper cauda in ictu eſt: nulloque momento meditari ceſſat, ne quando deſit occaſioni.* Prauo videlicet corde perniciem ſubdolè ſemper meditatus; vt numquàm non inferat; dum quò propiùs accedit, eò diligentiùs eam tegit.

Eccl. 3. 28. — Macrob. — Seneca. — Ezech. 2. 6. — Tertull. — Geſner. — Plinius

3. Vt verò hæc praui cordis explicatio opportunior menti Dauidis eſſe videtur, ita illius ſapientiam penitiùs aperit; qui à pernicioſioribus, & peioribus hominibus aulam ſuam primùm purgare incipiat. Nam præterquàm, quòd is animi candor, eaque morum ſimplicitas Aulicos decet, vt ipſummet cor in fronte, atque in manibus geſtare videantur: vti & Athalaricus Rex apud Caſſiodor. lib. 8. epiſtol. 14. hunc in modum ab illis exigebat: *Tales enim decet eſſe Aulicos viros, vt natura bona indicio frontis aperiant, & poſſint agnoſci de moribus, cùm videntur.* Et Theodoricus Eugeniti illuſtre id reddebat teſtimonium: *Hic eſt qui noſtro pridem lateri veridicus quæſtor adhæſit, quem liuoris nebula nulla fuſcauit, nec maleuolentia ſtudio nocendi artes felleis ſenſibus exquiſiuit, ſincero pectoris arcano puritatis noſtra paruit.* Vafrities hæc & ad fraudem calliditas, omnibus bonis maximè ſuſpecta & inuiſa fuit: vt bene pendit M. Tull. 1. Officior. inquiens: *Quò quis callidior & verſutior eſt; hoc inuiſior & ſuſpectior detractâ opinione probitatis.* Et quidem rectè: nam duplex malitia, & duplicata pernicies omnino cenſetur: pulchrè ſiquidem hac de re Bernardus ſerm. 61. in Cant. *Hi ſunt, qui boni videri, non eſſe: mali non videri, ſed eſſe volunt. Mali ſunt, & boni videri volũt, ne ſoli ſint mali. Mali videri timent, ne parum ſint mali, etenim minùs ſemper malitia palam nocuit: nec vnquã bonus, niſi boni ſimulatione deceptus eſt.* Quò it quod de ſcorpio dicebat Tertullianus: *Vnus omnium violentiæ geſtus, de cauda nocere*: vt dixerit, eam ipſiſſimam violentiæ faciem eſſe ſubdolè ferire, & ore virgineo, ſimulatâ blanditie vim inferre atque nocere: vnde meritò apud Homerum hoc prauum cor ipsâmet inferi portâ odioſius & deteſtabilius aſſeritur: ita enim ille Iliade primâ:

Caſſiod. — Bernard. — Homer.

Exoſus enim mihi ille, velut inferni porta,
Qui aliud quidem occultum habet in mentibus
Aliud verò ore profert.

Quid? quod nemo Principis obſequio, ſiue ſeruitio importunior homine prauum cor gerente, vt præfato loco ſapienter penſitauit Theodoricus vbi cùm de Eugenite dixiſſet: *Ad pietatem iuſſionum innocentiam ſuam præbuit*; ſubiicit: *Animus enim doloſus non arbitrium ſequitur imperantis, ſed ſuas potiùs explicat voluntates.* Verùm hæc Theodorici verba alibi commodiùs expendemus.

4. Sed quàm frequens in Aulis Principum hæc labes fuerit, diſce primùm ab ipſamet Dauidis aula, quam ipſe tantâ curâ purgare ſtudebat. Nam vt omittam Abſalonem, quem nuper vidimus populum blanditiis captantem, vt parentem ſuum quaſi ignauum, & regiæ dignitatis oblitum in inuidiam traheret, 2. Reg. 15. 3. inſpice Ioabum è primis Dauidis Aulicis inter molliſſimos pacis, amoriſque amplexus incauto Amaſæ necem inferentem 2. Reg. 20. 9. *Dixit itaque Ioab ad Amaſa: Salue mi frater. Et tenuit manu dexterâ mentum Amaſa. Porrò Amaſa non obſeruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram.* Verùm enimuerò prauum id Ioabi factum Dauidi, cui *cor prauum* nunquàm potuit adhæreſcere, minimè probatum fuiſſe, ſatis manifeſtè ipſe teſtatus eſt, cùm moriturus filio ſuo Salomoni

2. Reg. 15. 3 — 2. Reg. 20. 9.

ni demandauit, ne illud scelus sineret abire impunitum, 3. Reg. 4. 5. Iam verò communem hanc Aulicorum labem esse, sic bellè exprimunt Luciliani versus Lactantio probati lib. 5. Institut. c. 9. *Lactant.*

Vni se atque eidem studio omnes dedere, & arti
Verba dare, vt cautè possint pugnare, doloté
Blandiri, certare, bonum simulare virum se.
Insidias facere, vt si hostes sint omnibus omnes.

Corn. Tac. Quæ breuiter perstrinxit Cornel. Tacit. lib. 1. histor. inquiens, *Qui secretis criminationibus infament ignarum; & quò cautiùs decipiare, palàm laudatum.* En prauum cor, & animum proximos suos infamantem, simul & laudantem. Hinc Tragicus in Hercule Oethæo de Aula: *Sen. Trag.*

Et cùm magna patuere fores,
Intrant fraudes, cautiq; doli
Ferrumq; latens.

Sed iam diu huic Tragico succensui, quòd fraudes, cautosque dolos manè à foris intrantes, & non potiùs in ipsâ Aulâ nascentes, & illi die noctéque incubantes inducat, cùm inibi ipsis & multiplex occasio & materies sit. Audi callidum illum, licet malæ fidei hominem, vtpote bonæ desertorem Lucianum in dialogo de *non temerè credendo calumniæ*, vbi cùm dixisset: *Id verò ex omni parte calumniator molitur, vti cum furore ac vecordiâ hominis, coram quo res agitur, indefensum reum committat, defensurum partes suas clanculariâ sectione arceat. Adeò enim hoc hominum genus obnoxium est formidini: adeò nihil audet palàm, sed perinde atque qui ex insidiis transuersi hostem inuadunt, ex abdito aliunde specu iaculatur, vt non sit, qui contra vel mittere telum, vel manu contendere possit, hostisq; ignarus aduersarij, fraudisq; inscius pereat.* Subiicit: *At hoc genus homines in aulis regiis spectare plurimos datur Optimatum fauorem hisce artibus ambientes, vbi scilicet & inuidia crebra, & variæ suspiciones, & assentandi, criminandiq; occasio multiplex in promptu est.* Reddit opportunè rationem: *Siquidem ibi quò pluribus plura spes ostentat, eò necesse est, maiore inuidiâ, sauioribus odiis, amulatione callidiori certari.* Hæc & alia in hanc rem.

5. Quod si non pauca horum videre velis exempla, vel vnum Cornel. Tacitum adi; is enim per quascumque Principum aulas te deduxerit, nihil apud illas frequentiùs quàm praua corda, quæ aliud meditentur, aliud loquantur, faciántve, ostendet. Ita quidem præter superiùs dicta ex lib. 1. historiarum. Et lib. 12. Annal. Agrippinam, & alios Claudij Aulicos in Neronem potiùs quàm in Britannicum, cui imperium iure debebatur, pronos, hac de causa eos omnes, qui rem candidè, & rectis momentis expendebant, ab Aula fictis de causis exterminasse, sic inquit: *Simul qui Tribunorum, simul qui Centurionum sortem Britannici miserebantur remotis fictis de causis, & alij per speciem honoris etiam libertorum, si quis incorruptâ fide depellitur.* Ad quem modum lib. 14. & lib. 16. Annalium de prauo Tigillini, & aliorum corde plura etiam habet.

Declinantem à me malignum non cognoscebam.

LECT. IV. *Improbi homines Dauidi ad familiaritatem ignoti, ad supplicium noti.*

1. DIfficilis mihi, si quæ alia in hoc Psalmo locutio, si interiùs aurium iudicium potiùs quàm verborum sonus attendatur: & difficilior quidem dum eam elucidantes PP. & interpretes, vnusquisque in suum abit: & è Græcis quidem plerique maligni nomine dæmonem intelligunt. Vnde sic exponunt Chrysostomus, Euthymius, Apollinaris, atque Nicephorus, adeò nullum ei accessum in corde suo *Chrysost. Euthym. Apollinar. Nicephor.*

Dauidem permittere, vt malignitas ei ad instar vmbræ prælabentis sit: ita enim aliquantò obscurè Chrysostomus nectens hæc cum iis, quæ immediatè dixerat, dùm Dauidem Deo in tribulatione subditum, quin malignè de diuina prouidentia disceptaret, contemplatus est: *Quum interim meminissem maligni, ascenderetq; in cor meum, tametsi locum non cederem ei. Ad hoc enim ne obtineret aduersum me, quando aderam, non agnoscebam. Sic itaque neque agnoscebam eum, neque declinabam, quòd non admitterem ad familiarem congressum. Vt vmbra pratercurrens, quàm ocyssimè cedit loco, & elabitur, ita malignitas nihil detrimenti in me operata est.* Quæ quidem explicandi ratio non potest non contorta, & minùs opportuna videri, tum dictionis serie, tum contextu aliò euntibus, præsertim, cùm de sui cordis innocentia, & via immaculata iam egerit: sed multò quidem importuniorem eam reddidit Caietanus, dum hæc ad adulterium Dauidis cum Bethsabee retulit, quasi vt illi cor prauum fuerit, cum eo tamen non perseuerauit: scilicet vt vmbra prætercurrens elapsa est illa malignitas, quin aliquid detrimenti in eo fuerit operata, quæ tot illi menses tenacissimè adhæsit, animam, honorem, corpusque commaculans: scilicet eam non cognoscebat; accessissétne, an recessisset, qui dolenter aiebat: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*, Psalm. 50. 4. *Psal. 50. 4.*

2. Meliùs quidem alij PP. Græci Basilius, Theodoretus, Athanasius, & illis adhærentes Latini, Augustinus, Haymo, Bruno, quos Agellius, Cardinalis Bellarminus, Genebrard. Lorinus, & omnes penè interpretes sequuntur, de improborum familiaritate, quam Dauid velis remisque fugeret, omnino capiunt, vt dixerit, virum peruersum non habebam inter notos ac familiares meos: eius amicitiam familiaritatemque vitabam. Audi Augustinum vtramque phrasim declinandi, & non agnoscendi luculentissimè explicantem. Sic enim primùm: *Quid est*, non cognoscebam? *Non approbabam, non laudabam, non mihi placebat. Cognoscere enim inuenimus in scripturis, aliquando dici pro eo, quod est placere nobis.* Deinde verò post nonnulla componens hæc verba cum illis Domini apud Matthæum 7. 23. *Discedite à me operarij iniquitatis: non noui vos*; ita subiicit: *Sed quid est?* non noui vos: *In regula mea non vos agnosco. Noui enim regulam iustitiæ meæ: non illi congruistis: declinastis ab illa, distorti estis: ideò & hic dixit:* Non cognoscebam: & postmodùm: *Sed quàm multi sunt maligni, quos videmus, & qui nos vident, & non solùm non à nobis declinant, sed currunt ad nos, & aliquando iniquitates suas per nos impleri cupiunt, plerumque se nobis coniungunt? Plerùque nobis contigit. Quomodò ergo declinant? Declinat à te, qui dissimilis est tibi. Quid est declinat à te? Non te sequitur. Non te imitatur. Ergo cùm declinaret à me* malignus: *Id est, cùm mihi dissimilis est malignus, & vias meas nollet imitari, nollet sic viuere malignus, quomodò me illi proposui ad imitationem*, non cognoscebam. *Quid est*, non cognoscebam? *non quia nesciebam, sed quia non approbabam.* Hæc Augustinus. Cui quidem expositioni phrasis *declinandi* omnino congruit similis locutio Dauidis Psalmo 118. v. 21. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Ambrosio inibi serm. 3. sub eodem sensu, & imagine sic obseruante: *supra dixerat:* Non abscondas à me mandata tua: *Et ideò quasi reuelata sibi mandata agnoscens, condemnat eos, qui declinauerint à mandatis cælestibus. Et bene dixit:* Qui declinant: *directum enim mandatum est: ideò ab eo nemo deflectat.* En quid Dauid sit *declinantem à me.* A regula scilicet & norma viuendi; talis quippe Dauid, talis bonus Princeps est, per morum dissimilitudinem seiungi.

Basilius. Theodor. Anastas. August. Haymo. Bruno. Agell. Bellarm. Genebrar. Lorin. *Matt. 7. 23* *August.* *Psal. 118. 21.* *Ambros.*

3. At enim præfato huius sententiæ sensu retento in explicanda ea illius particula, *non cognoscebam;*

ab

ab Augustino, & inter se variant PP. Et quidem Anastasius apud Agellium, necnon Basilius & Theodoretus, sic capiunt Dauidem non cognoscentem malignos, vt vix attẽderet, vtrùm sibi absentes præsentésve essent: ait enim Athanasius ex illius persona: *Adeò nihili pendebam improbos, vt & præsentiam eorum, & absentiam ignorarem: itaque discedentibus illis ignorabam, necnon etiam præsentibus, an adessent, non cognoscebam.* Sic Athanasius. A quo non longiùs iuerint Theodoretus & Basilius dicentes: *Si verò quisquam malitiâ in alium vsus, à conuictu meo deficere voluit, ne putaui quidem discessionem esse huiusmodi hominis discessionem, vsque adeò mihi contemptui erat, quisquis malitiam esset amplexus.* Fauet huic exponendi rationi adsimilis Varis sententia, Psalm. 14 5. (Psal. 14. 5.) *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* (S. Hilar.) Quam Hilarius pulcherrime elucidat ad hunc modum: *Ergo si iam in professione iniquitatis abruperit, oportet istiusmodi hominem apud nos non alienum, sed nullum esse iudicij, vt sit nobis abolitus, interemptus, spiritualia enim tractantem & cælestia continentem decet humana nequitia despicere monita, & animo sublimi & excelso istius malevolentia, tamquàm nullius opinari.* Ita ille.

(Bellarm.) (Agell.) 4. Aliter quidem Card. Bellarminus & Agellius id sic efferentes: *Tanta autem apud malos mei formido ac reuerentia erat, tantus meæ seueritatis apud eos metus, vt opinione solâ perculsi me ignorante, & nihil agente clam se subtraherent, & à me fugerent, ac declinarent, & sibi fugâ consulerent.* (Titelman.) Quem sensum visus est expressisse prior Titelmannus apposita imagine vsus: quippe ait: *Ea est vis probitatis, vt fuget, atque elonget à se omnem malignum. Quomodò enim luminis fulgentem claritatem tenebræ non ferunt, & ante illam hæ aufugiunt; item, & cum tenebris omnes tenebrarum amatores: ita à facie virtutis siue probitatis omnis fugit improbitas, atque hinc fit, vt improbi vehementer exhorreant bonorum consortia.* Et statim: *Ita cùm is qui regno aut familia præsidet, bonus ac iustus fuerit, adiunguntur illi veri, boni ac recti corde, qui autem prauo sunt corde, fugiunt ab illius probitate, & declinant ab eo.* Ita ille omnino ad (Cassiodor.) mentem Regis Theodorici apud Cassiodorum lib. 7. variar. in formula euocatoria, sapienter dicentem: *Manifestatio est conscientiæ bonæ præsentiam iusti Principis expetisse, quam solus ille desiderare potest, qui de magna mentis puritate confidit. Aspectum solis nisi clara lumina non requirunt, quia illi tantùm possunt rutilantes pati radios, quos constat oculos habere purissimos. Sic præsentiam Principis ambiunt, qui de cordis sinceritate præsumunt.* Sic Rex Theodoricus cum Dauide Rege conspirans: & eodem sensu, eâdem etiam adhibitâ imagine Athalaricus Rex apud eumdem Cassiodorum lib. 8. epist. 21. Cyprian. Patritium sic alloquebatur: *Primùm quod non minima laudis præstat initium, infantia eorum nota est palatio. Sic fœtus tui more aquilæ se probantes regales oculos ab ipsis penè cunabulis pertulerunt.* Hæc ille.

5. Hæc appositè & opportunè PP. & interpretes. Quamuis mihi quidem siue Dauidis mentem, siue seriem orationis perscrutanti, opportunius scopum (Remigius.) (Lyra.) collimasse videantur Remigius & Nicolaus de Lyra ad iustitiam vindicatiuam sub eo sensu referentes, vt suorum peccata, quantumuis illi amicitiâ aut sanguine coniuncti sibi essent, minimè dissimulauerit Dauid; sed debitis illa pœnis affecerit: *Non cognoscebam* (inquit Remigius) *dignatione, licet enim cognoscerem animaduersione iræ.* Pergit Lyra: *Quoniam non pepercit affinibus, sed iussit Ioab etiam occidi.* Hæc enim sententia; tum præcedẽtibus & sequentibus mirè hæret: tum noui aliquid addit, quod Dauidis in iure reddendo verè Regis proprium sit: quippe Regia omnino illa (Cassiodor.) vox Theodahadi Regis apud Cassiod. lib. 10. epist. 5. est. *Præsenti iussione præcipimus, vt quicumque ad domum nostram noscitur pertinere, & curæ tuæ probatur esse commissus, nullis præsumptionibus insolescat. Quia solus dicendus est ille* meus, *qui legibus potuerit esse tranquillus.* Qua de re plura à nobis Deo dante in annotationibus dicenda sunt: sed non differenda modò egregia Constantini Imperatoris lex verbis & præmiis inuitantis Aulicorum suorum accusatores: sic enim ille in leg. 4. C. *de accusantibus*, in C. Theodosiano: *Si quis est cuiuscumque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcumque iudicum, comitum, amicorum, vel palatinorum meorum, aliquid veraciter, & manifestè probare posse confidit, quod non integrè atque iustè gessisse videatur: intrepidus, ac securus audeat, interpellet me: ipse audiam omnia, ipse cognoscam, & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo.* Et statim repetitis iisdem ad maius robur sententiæ addendum verbis: *Dicat securus, & bene sibi conscius dicat, si probauerit, vt dixi, ipse me vindicabo de eo, qui me vsque ad hoc tempus simulatâ integritate deceperit.* (Cõst. Imp.) Hæc optimus Imperator tantùm non dicens: *Declinantem à me malignum non cognoscebam.*

VERSVS V.

Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar: superbo oculo, & insatiabili corde cum hoc non edebam.

COMMENTARIVS.

EN quidem mali nui malum pullum; praui inquam cordis prauum detractionis fructum. Bene siquidem Chrysost. hom. 43. in Matth. ait: (Chrysost.) *Quemadmodùm vomitu laborantes in principio quidem detinere intus egredientes humores nituntur, cùm verò fastidio victi succubuerint, magnis singultibus omnia è profundo eructant: sic qui praua consilia in proximos versant, cùm malignitatem mentis ferre nequeant, obtrectationis famem euomunt.* Pergit ergo prudentissimus Rex Aulam suam purgare, detractores, qui certissima illius pestia sunt, superbos, ambitiosos, & cupidos ab ea exterminans. Bene hîc Card. Bellarminus: (Card. Bell.) *Alia virtus planè regia hîc aperitur, in qua mirificè lucent misericordia & iudicium. Sæpè enim in aulis Principum regnat liuor & inuidentia, inde multi exurgunt detractores vel adulatores, qui detrahendo eiiciant competitores, & adulando occupant eorum loca. Sed Dauid Rex sapiens & iustus detrahentes secretò proximis suis non solùm non audiebat, sed persequebatur, & ex aula eiiciebat.* Et statim: *Non enim solos detractores, sed etiam superbos & cupidos Dauid detestabatur: nihil enim tristius accidere populis potest, quàm si ministri Regum superbi aut auari sint. Abutuntur, qui eiusmodi sunt, publica potestate ad explendas cupiditates proprias non sine magno detrimento populorũ. Dauid igitur ad mensam suam non admittebat tamquàm domesticos & familiares homines elatos atque superbos, neque homines cupidos, qui opibus explere nequeunt.* Hæc Dauidis mens opportunè à Cardinali expensa: sed eam pensiculatiùs explicare, & elucidare fuerit operæ pretiũ.

Detrahentem.

Detractoribus aures occludendas. LECT. I.

1. PLacet, displicetque hîc mihi Agellius: (Agellius.) dum studium Dauidis in detractores ex regia conditione bene explicat; sed id minùs opportunè cooptat, non vt Aulam suam instituenti, sed ab illa iam egresso, & regnum suum gubernanti: sic enim primùm ait: *Dixit quæ ad priuatam suam, domesticamq; disciplinam pertinebant, iam de moderatione & gubernatione regni verba facit, exponitq; quam rationem in regno gubernando hominibusq; moderandis tenuerit.* Nimirum, vt detractiones Aulæ propriæ, præsertim clancularíæ, & secretissimæ; ita ad Principem tamquàm patrem familiam

suam

ab Augustino, & inter se variant PP. Et quidem Anastasius apud Agellium, necnon Basilius & Theodoretus, sic capiunt Dauidem non cognoscentem malignus, vt vix attēderet, vtrùm sibi absentes præsentésve essent: ait enim Athanasius ex illius persona: *Adeò nihili pendebam improbos, vt & præsentiam eorum, & absentiam ignorarem: itaque discedentibus illis ignorabam, necnon etiam præsentibus, an adessent, non cognoscebam.* Sic Athanasius. A quo non longiùs iuerint Theodoretus & Basilius dicentes: *Si verò quisquam malitiâ in alium vsus, à conuictu meo deficere voluit, ne putaui quidem discessionem esse huiusmodi hominis discessionem, vsque adeò mihi contemptui erat, quisquis malitiam esset amplexus.* Fauet huic exponendi rationi adsimilis Vatis sententia, Psalm. 14. 5. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* Quam Hilarius pulcherrimè elucidat ad hunc modum: *Ergo si iam in professione iniquitatis abruperit, oportet istiusmodi hominem apud nos non alienius, sed nullius esse iudicij, vt sit nobis abolitus, interemptus, spiritualia enim tractantem & cælestia continentem decet humana nequitiæ despicere monita, & animo sublimi & excelso istius malevolentia, tamquàm nullius opinari.* Ita ille.

Psal. 14. 5. S. Hilar.

Bellarm. Agell.

4. Aliter quidem Card. Bellarminus & Agellius id sic efferentes: *Tanta autem apud malos mei formido ac reuerentia erat, tantus meæ seueritatis apud eos metus, vt opinione solâ perculsi me ignorante, & nihil agente clam se subtraherent, & à me fugerent, ac declinarent, & sibi fugâ consulerent.* Quem sensum visus est expressisse prior Titelmannus apposita imagine vsus: quippe ait: *Ea est vis probitatis, vt fuget, atque elonget à se omnem malignum. Quomodò enim luminis fulgentem claritatem tenebræ non ferunt, & ante illam hæ aufugiunt; item, & cum tenebris omnes tenebrarum amatores: ita à facie virtutis siue probitatis omnis fugit improbitas, atque hinc fit, vt improbi vehementer exhorreant bonorum consortia.* Et statim: *Ita cùm is qui regno aut familia præsidet, bonus ac iustus fuerit, adiunguntur illi veri, boni ac recti corde, qui autem prauo sunt corde, fugiunt ab illius probitate, & declinant ab eo.* Ita ille omninò ad mentem Regis Theodorici apud Cassiodorum lib. 7. variar. in formula cuecasoria, sapienter dicentem: *Manifestatio est conscientiæ bonæ præsentiam iusti Principis expetisse, quam solus ille desiderare potest, qui de magna mentis puritate confidit. Aspectum solis nisi clara lumina non requirunt, quia illi tantùm possunt rutilantes pati radios, quos constat oculos habere purissimos. Sic præsentiam Principis ambiunt, qui de cordis sinceritate præsumunt.* Sic Rex Theodoricus cum Dauide Rege conspirans: & eodem sensu, eâdem etiam adhibitâ imagine Athalaricus Rex apud eumdem Cassiodorum lib. 8. epist. 25. Cyprian. Patritium sic alloquebatur: *Primùm quod non minima laudis præstat initium, in sententia eorum nota est palatio. Sic fœtus tui more aquilæ se probantes regales oculos ab ipsis penè cunabulis pertulerunt.* Hæc ille.

Titelman.

Cassiodor.

5. Hæc apposité & opportunè PP. & interpretes. Quamuis mihi quidem siue Dauidis mentem, siue seriem orationis perscrutanti, opportunius scopum collimasse videantur Remigius & Nicolaus de Lyra ad iustitiam vindicatiuam sub eo sensu referentes, vt suorum peccata, quantumuis illi amicitiâ aut sanguine coniuncti sibi essent, minimè dissimulauerit Dauid; sed debitis illa pœnis affecerit: *Non cognoscebam* (inquit Remigius) *dignatione, licet eum cognoscerem animaduersione iræ.* Pergit Lyra: *Quoniam non pepercit affinibus, sed iussit Ioab etiam occidi.* Hæc enim sententia, tum præcedentibus & sequentibus mirè hæret: tum noui aliquid addit, quod Dauidis in iure reddendo verè Regis proprium sit: quippe Regia omninò illa vox Theodahadi Regis apud Cassiod. lib. 10. epist. 5. est. *Præsenti iussione præcipimus, vt quicumque ad domum nostram noscitur pertinere, & curæ tuæ probatur esse commissus, nullis præsumptionibus insolescat. Quia solus dicendus est ille*

Remigius. Lyra.

Cassiodor.

meus, qui legibus potuerit esse tranquillus. Qua de re plura à nobis Deo dante in annotationibus dicenda sunt: sed non differenda modò egregia Constantini Imperatoris lex verbis & præmiis inuitantis Aulicorum suorum accusatores: sic enim ille in leg. 4. C. *de accusantibus*, in C. Theodosiano: *Si quis est cuiuscumque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcumque iudicum, comitum, amicorum, vel palatinorum meorum, aliquid veraciter, & manifestè probare posse confidit, quod non integrè atque iustè gessisse videatur: intrepidus, ac securus audeat, interpellet me: ipse audiam omnia, ipse cognoscam, & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo.* Et statim repetitis iisdem ad maius robur sententiæ addendum verbis: *Dicat securus, & bene sibi conscius dicat, si probauerit, vt dixi, ipse me vindicabo de eo, qui me vsque ad hoc tempus simulatâ integritate deceperit.* Hæc optimus Imperator tantùm non dicens: *Declinantem à me malignum non cognoscebam.* *Const. Imp.*

VERSVS V.

Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar: superbo oculo, & insatiabili corde cum hoc non edebam.

COMMENTARIVS.

EN quidem mali oui malum pullum; praui inquam cordis prauum detractionis fructum. Bene siquidem Chrysost. hom. 43. in Matth. ait: *Quemadmodùm vomitu laborantes in principio quidem detinere intus egredientes humores nituntur, cùm verò fastidio victi succubuerint, magnis singultibus omnia è profundo eructant: sic qui praua consilia in proximos versant, cùm malignitatem mentis ferre nequeant, obtrectationis saniem euomunt.* Pergit ergo prudentissimus Rex Aulam suam purgare, detractores, qui certissima illius pestis sunt, superbos, ambitiosos, & cupidos ab ea exterminans. Bene hîc Card. Bellarminus: *Alia virtus planè regia hîc aperitur, in qua mirificè lucent misericordia & iudicium. Sæpè enim in aulis Principum regnat liuor & inuidentia, inde multi exurgunt detractores vel adulatores, qui detrahendo eiiciant competitores, & adulando occupant eorum loca. Sed Dauid Rex sapiens & iustus detrahentes secretò proximis suis non solùm non audiebat, sed persequebatur, & ex aula eiiciebat.* Et statim: *Non enim solos detractores, sed etiam superbos & cupidos Dauid detestabatur: nihil enim tristius accidere populis potest, quàm si ministri Regum superbi aut auari sint. Abutuntur, qui eiusmodi sunt, publica potestate ad explendas cupiditates proprias non sine magno detrimento populorū. Dauid igitur ad mensam suam non admittebat tamquàm domesticos & familiares homines elatos atque superbos, neque homines cupidos, qui opibus expleri nequeunt.* Hæc Dauidis mens opportunè à Cardinali expensa: sed eam pensiculatiùs explicare, & elucidare fuerit operæ pretiū.

Chrysost.

Card. Bell.

Detrahentem.

Detractoribus aures occludendas. LECT. I.

1. PLacet, displicetque hîc mihi Agellius: dum odium Dauidis in detractores ex regia conditione bene explicat; sed id minùs opportunè ei aptat, non vt Aulam suam instituenti, sed ab illa iam egresso, & regnum suum gubernanti: sic enim primùm ait: *Dixit quæ ad priuatam suam, domesticamq; disciplinam pertinebant, iam de moderatione & gubernatione regni verba facit, exponitq; quam rationem in regno gubernando hominibusq; moderandis tenuerit.* Nimirum, vt detractiones Aulæ propriæ, præsertim clancularíæ, & secretissimæ, ita ad Principem tamquàm patrem familiam *Agellius.*

suam

suam instituentem earum potiùs eradicatio pertinet, quàm ad illum Regnum suum publicè gubernantem. Quando enim (rogo) Principem ciues detractores persequentẽ, aut leges in illos ferentẽ vidisti?

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat.

Totum planè Regem ea ad se cura vendicaret, cùm detractorum infinitus sit numerus: ergo de Aulicis secretò proximis suis detrahentibus, vt illos supplãtãtes ampliorem sibi in regia gratia locum faciant, vt bene num. præced. adductus Bellarminus aiebat, loquitur Vates. Quod lectione sequen. plus plus firmabimus. Mox quid generaliter hîc PP. & interpretes admoneant, minimè fuerit omittendum. Pergit ergo optimè Agellius: *Igitur primùm aures suas calumniatoribus, atque obtrectatoribus minimè patuisse dicit, hoc enim vitium est maximum Regum, ac Principum, quòd adulatoribus, & detractoribus, & exploratoribus aures libenter accommodant, & falsis detractionibus, atque calumniis, ac delationibus à sceleslis hominibus illecti perniciem innocentibus afferũt. Ab hoc vitio alienum se fuisse testatur David, qui eiusmodi genus hominum, & innocentiæ, & regno pestiferum perdiderit, ac persecutus sit, adeò vt eos in totam sustulerit.* Ita ille. Sed Chrysostomus elegantissimè in detractores, & detractiones multis inuehitur: excerpo nonnulla: *Doctrinam hanc vtique laudabilem* (ait) *ac bonam discamus, qua docemur nõ solùm nõ detrahere, sed neque detractionem auscultemus. Siquidem detractio intolerandum est, & graue malum, dæmonium planè inconstans, & instabile, nullo vnquam tempore sinens hominem in pace conquiescere. Quid enim malorum est vsquam quod non à detractione proficiscatur? Ab ipsa enim repullulant sedata inimicitiæ, per eam contentiones, & discordiæ contrahuntur: seditiones suũ sumunt ab eadẽ exordiũ, illinc prodeunt suspiciones malæ, quæ causas malorũ nulli numerabiliũ præbent.* Pergit multis, quæ vide.

2 Enimuerò Cæsarius dialogo 3. egregiè hæc Dauidis verba pensitauit: vt tam ex illis, quàm ex ipsamet auris formatione moneat, quantum à nobis fuerit studium adhibendum, vt detractionibus aures obstruamus. Audi illum ad hunc modum loquẽtem: *Exiguum quiddam inter omnia membra nostra est auris. Sed & illas exornat vicinum cymbalum, eisq́, solis inter creata cætera Dei mysteria creduntur. Estq́, auris tota in rotundum, sinuoséque tornata, ne citiùs ingrediatur sermo, sed spatio longioris temporis imminutus per ipsam excauationem prohibeat, quominus ad imum materia mendacij penetret, sed vna cum maledicentiæ stercoribus superioribus in partibus remaneat. Nam virtutis quidem est, in eo qui loquitur non dicere falsa; & in eo qui audit, probare, quomodo qualibet dicta videantur. Num quid affectus vel amici, vel repugnantis admixtum sit. Nam alter quidem non cernit acutum, alter autem prorsus non videt. Quod si alterutro horum defectuum ratio corrupta est, iudicio mentis, quod in nobis est, puniri, & à prauitate repurgari debet per veritatem, quæ tortoris officio fungatur. Hoc enim docens de diuino, & fortissimo athleta Iobo historia inquit:* Mens quidem, & auris verba diiudicat, guttur autem escas gustat: *Cum hoc autem consentiens diuinorum illo carminum auctor Dauides inquit:* Eum qui clanculùm mentiebatur de proximo suo, persequebar. Hæc Cæsarius: non tantùm Vatis verba exornans, sed notanter sic capiens, vt detractorem, & mendacem pro eodem vsurpet: quod vix, aut ne vix quidem detractiones sine mendaciis sint. At enim de hac moderatione in audiendo, quam exigit Cæsarius, ne detractionibus, & calumniis aditus statim pateſiat, non importunè disseruit Lucianus allato in superioribus loco: *de calumnia non temerè credendo*, hunc in modum: *Quid igitur faciet vir prudens in re ambigua? Sanè, opinor, quod Homerus in Sirenum fabula docet: perniciosas talium sermonum delicias nauigio prætereat, obturet aures, nec passim aperiat affectui cuipiam obnoxius: sed ianitore sedulo, ac fido adhibito, ratione videlicet, ac iudicio animi recta dicentes reclusis foribus excipiat, inutiles nugas obducto pessulo arceat. Nempe ridiculum fuerit, datum ædibus ianitorem officio suo defungi aures, mentemq́, vulgo patere.* Hæc ille, & multò plura.

3 Sed si attendis, plus est, quod his verbis de se inquit Vates, non modò enim detractori se aures occludere affirmat, sed etiam ipsum acriùs persequi, atque vexare: sic id expendente Chrysostomo hîc: *Eos, qui nihil tam cupiunt, quàm detrahere, persequamur, & longissimè à nobis depellamus: ne alienis malis consentientes nobis ipsis conciliemus perditionem.* Et homilia 42. in Genesim adductis hisce verbis subiicit: *Vidisti virtutis eminentiam? non solùm non recipit quæ dicuntur, sed & abigit volentẽ fratri suo maledicere.* Quò referas Hebræum verbum, pro quo alij *opprimere*, alij *exscindere*, alij *succidere* repónunt, vt ad illud obseruabimus: quasi statim ac detractio pullulare cœperit, non sine nausea, ac stomacho cum suo auctore exscindenda, opprimenda, ac reiicienda sit: & verò exscindendi, ac reiiciendi modum egregiè alibi præscripsit idem Chrysostomus, ipsamet verba quibus detractori opportunè obuiam ieris, sic appingens: *Habes aliquem, quem laudes, ac commendes? Aures aperio, vt vnguenta suscipiam. Si verò malè velis dicere, verbis ingressum obturo. Non enim stercus, & cœnũ suscipere patior. Quod mihi lucrum, si didicero quod ille improbus? Maximum igitur nocumentum ex hoc, & extrema iactura. Loquere ad ipsum, curemus nostra.* Ita Chrysostom. homil. 3. ad Populũ. Vnde quidem bene iis aptaueris, quæ ad hęc verba inquiunt Haymo, & Remigius, dum illa ad eam detrahentis correptionem, quæ ipsi maximè opportuna sit, referunt: sic namq; Haymo: *Hunc persequebar, diligenti exhortatione, vt ab errore suo retraherem.* Similiter Remigius: *Hunc persequebar, in hoc quòd persequendus erat, vt cui priùs erat detractor, fieret amator: iuxta illud: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum, inter te, & ipsum solùm:* ita ille. Nimirum non alia exhortatio siue correptio detrahentem continet, & à detrahendo reuocat, nisi ea quæ detractionem cum suo auctore opprimit atque persequitur.

4 Accepit quidẽ à Dauide hoc monitũ Ecclesiast. c. 28. v. 28. vbi cùm de maledica, & detrahente lingua multis disseruisset, subiungit: *Sepi aures tuas spinis, linguam nequã noli audire.* Pulchrè *sepi spinis*: minimè videlicet cõtentus monuisse, obstruendas detractoribus aures esse, nisi insuper adderet, pungentes illis aculeos obiiciendos, quibus ipsi cõpũcti à detractione cessarent, ac subinde corrigerentur: sic hæc verba premente Hieronymo, siue apud ipsum Auctor. epist. ad Demetriadẽ ad hunc modũ: *Non minùs auribus, quã linguã fugias detractionẽ, scripturæ memor esto, quæ dicit:* Nõ eris cõsentaneus derogantibus aduersùs proximum tuum, & non accipies super illo peccatũ; *& alibi*, sepi aures tuas spinis, &c. *Accusator est enim auditor, qui facit detractorẽ, qui si auertat aures, & vultũ contrahat, ac oculos abnuendo cõtineat, malè loquentẽ etiam tacẽs arguit, vt discat non libenter dicere, quod didicerit nõ libenter audiri.* Vbi, & illa preme: *Accusator est enim auditor, qui facit detractorẽ.* Quibus noua subiungitur ratio, cur detractorẽ persequi, siue insequi, & auersari debeas, quòd nõ modò ei de quo detrahit, sed tibi etiã, qui audis, non leuem iniuriam inferat: scitè id commonente Augustino hom. 16. de verbis Domini, ad hunc modũ: *Dico enim, fratres charissimi, quod & vos ipsi in vobis ipsis potestis agnoscere. Quando me audiente fratri meo quisque iniuriam facit, absit vt à me iniuriam illam alienam putem. Prorsus, & mihi fecit: imò mihi plus fecit, qui putat placere quod fecit.* Hæc ille. Quæ vel ipsemet Gentilis Apuleius sic expresserat lib. 1. floridorũ: *Barbarè alios insectari, aliorum contumelia est. An non summã contumeliam vobis imponit, qui vos arbitratur, maledictis optimi cuiusque gaudere? qui vos existimat, mala & vitiosa verba non intelligere, aut si intelligatis boni consulere.* Ita ibi.

SE-

Secreto.

Subdola detractiones pessima.

LECT. II. 1. MIrum est, quàm parũ hæreant huic aduerbio interpretes (vix enim eorum aliquis præter
Chrysost. Chrysostomum illius meminit) cùm Vatis tamen sententiam vehementer augeat, magnumque ei ex ipso pondus accedat, quippe si illud benè æstimas, non tam in publicas, & frequentiores detractiones, quàm in secretas, & clancularias calumnias, quas in Aula alij aliis inferre solent, Vatem hoc loco intuebi dixeris: eodem quidem sensu, quo ipse alibi inquit: *Exacuerunt vt gladium linguas suas: intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum.*
Psal. 63. 4. Psalm. 63. 4. & Psalm. 10. 2. *Parauerunt sagittas suas in*
Psal. 10. 2. *pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde* Et patri consentiens Salomon, Eccles. 10. vers. 11. *Si mordeat ser-*
Eccl. 10. 11 *pens in silentio: nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* B
Committe, quæso, omnes hasce locutiones inter se, *Occultè detrahit, secretò detrahentem, sagittent in obscuro, sagittent in occultis.* Quæ & eodem eunt, & ab illa abeunt, quæ communem detrahendi modum aperuit
Psal. 56. 5. Dauid, Psal. 56. 5. vbi apertos detractores cum leonibus componens, subdit: *Filij hominum dentes eorum arma, & sagitta. & lingua eorum gladius acutus* His tantùm non dicens, quod de Aulicis Salustius ad Cæ-
Salustius. sarem: *Illic ad reprehendenda aliena dicta, & facta ardet omnibus animus, vix satis apertum os, aut lingua prompta*
Bernard. *videtur.* Aut quod Bernard. serm. 24 in Cantic. ait: *Sunt species pestis huius dum alij quidem nudè, & irreuerenter, vti in buccam venerit, virus euomunt detractionis.* Vnde
Nyssen. sic ea expendit Gregorius Nyssenus, tract. 2. in Psal. *Non habet natura nostra fabrica talia membra hominum ori loco dentium indita, sed cùm quis similis fit quoad affectiones, & transformatus fuerit in malitiam deperditá naturali for-* C *ma, bestia efficitur, ob id mentione leonum factâ filios hominum nominat, quibus dentes, & lingua sunt belli instrumenta.* Ergo secretò detrahere, siue in obscuro, aut in occultis sagittare, ad occultas, & fraudulentas detractiones, siue calumnias, quæ vt leoninis quidem dentibus perficiantur, at non nisi secretò & clàm, aut humanitatis, & bonæ rei prætextu alieni im-
Corn. Tac. portantur, omninò refertur, vti inquit Corn. Tacit. lib. 1. Historiar. ad præcedentia verba etiam adductus: *Qui secretis criminationibus infament ignarum, & quò tantiùs decipiant, palàm laudatum.* Sic id obseruate Chry-
Chrysost. sostomo: *Cæterùm, vt intelligas, quantæ sit malignitatis detractio, nihil quod ad veritatem pertinet, operatur. & in illud autem secretò, declarat facti incertitudinem vnà cum diffidentia loquendi: si enim quod obijcitur verum est, profuerit in faciem eum arguere proximum, sumptaq; loquendi fiducia pacificè rem transigere. Quòd si secretò tam delationem falsò excogitantem infert, is vtique aduersus proximum operatus est* D *malitiosam suspitionem, non potens, qua obijcit, argumentis conuincere.* Hæc Chrysostomus.

2. Quare duplicem huic loco sensum reddo: alterum, vt *secretò detrahere*, idem sit, ac subdolè, & occultè criminari, & amicitiæ, & humanitatis velamẽto secretum proximi defectum reuelare, ita quidem vt qui detrahit, ac murmurat nihil minùs, quàm detrahere, aut murmurare videatur. Quod omninò innuit præfato loco Salomon inquiens: *Si*
LXX. *mordeat serpens in silentio:* nam proprijs verbis LXX. reponunt, *Si momorderit serpens in nõ susurro*, & ex Hebræa voce, quæ respondet *silentio*, pro qua noster Isaiæ 26. 16. posuit *murmur*, opportunè legeris: *Si mordeat serpens in nõ murmure.* Quod omnino explices, si detraxerit quis non detrahens, id est, reapse detrahens, quin videatur detrahere: leoninos insigens humanitatis specie dentes, vti locustæ illæ, de qui- A bus Ioannes Apocalyps. 9. 7. *Et similitudines locustarum* Apoc. 9. 7. *similes equis paratis in prælium, & facies earum tanquam facies hominum, & dentes earum tanquam dentes leonum erant.* Quas in prælium paratas, & leoninis dentibus vulnus infligentes, sed humanâ quidem, & amicâ facie malum velantes vides: vt verò illas iam absque murmuratione crudeliter murmurãtes audias, quomodo à Bernardo ad viuum delineentur, attende: Bernard. sic enim ille præfato serm. 24. in Cant. *Alij autem quodam simulata verecundia fuco cõceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicq; quadam cum grauitate, & tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, & voce plangente egredi maledictionem, & quidem tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab iis qui audiunt, corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri: doleo, inquit, vehementer pro eo, quod diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum.* Vides leoninos dentes sub humana facie? Pergit subinde Bernardus, & nouum fucum, siue humanitatis B velamentum reuelat: *Et alius: Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum. Dolens dico, reuerà ita est: & addit, grande damnum. Nam aliàs quidem in pluribus valet: cæterùm in hac parte (vt verum fatear) excusari minimè potest.* Hactenus Bernard. viuaci penicillo locustas has depingens. Apud quem illud obserua: *Et quidem tantò persuasibiliorem, quantò creditur, ab iis qui audiunt, corde inuito proferri.* Quod planè omnino verum esse, nouumque, ac immedicabile his leoninis dentibus virus ab humana illa facie accedere, scitè adnotauit Lucianus citatâ Lucian. sæpiùs oratione De *non temerè credendo calumniæ*, ad hunc modum: *Id ille maximè patitur: tùm simul delator vecordia, apud eum cui parat insidias, odium mussando dissimulauit, effecitq; vt amicus illi videretur. Tum enim ne vox quidem delati, nedum non defensio audiri solet. Tantum fidei* C *calumniæ facit concepta de illorum amicitia opinio.* Opportunè. Quibus adsimilia sunt, quæ Gentilis Themi- Themist. stius orat. 1. ad fin. de malignis hisce detrahendi artibus hunc in modum tradit: *Si boni quidpiam audieris tectus es, & Areopagitâ taciturnior: sin malum aliquod arripueris, Iliadem ex eo, & Odysseam facis, quorum multa neque audieris, neque furtim sublegeris: sed pepereris tutemet, ac contexueris. Et ei quidem, qui tibi istud dixerit, irasceris, miserum illum, ac diis inuisum appellans, & diffidere te simulas, & indignari, & rei atrocitatem conquereris: interim tamen incredibilia illa, & atrocia, & iracundia digna affers, & vehementer exaggeras: eaq; tantùm non sutoribus, ac balneatoribus inculcas.* Hæc & alia Themistius.

3. Cui sanè sententiæ omninò concinit illa Salomonis Sapientiæ 1. vers. 11. vbi cùm præmisisset, de Sap. 1. 11. Dei aure omnia audiente, & secretissima cordis arcana, siue fraudulentæ linguæ velatas, & contectas D detractiones intelligente: *Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur:* subiicit appositam hanc parænesim: *Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit.* Ad quem locum obserua primùm quæsitam locutionem, *sermo obscurus:* quam non appositè exprimunt, siue exhauriunt, qui vertunt, siue explicant, *sermo clandestinus*, vt Vatablus; siue *in occulto prolatus*, vt Dionysius; Vatabl. aut *impurus carens luce*, vt Osorius; sed qui reponunt Dionys. *sermo palliatus dubius, siue æquiuocus*, vt Nicolaus de Ly- Osorius. ra, & Hugo Card. siue *sophisticus & fallax*, vt Bonauen- Lyran. tura: hi enim sensus, & Latinæ voci *obscurus*, & Græ- Hugo Car. cæ *phthegma*, mirè quadrant. Nam hæc propriè si- Bonau. gnificat *ingeniosam loquelam*, & quod magis mireris, Lex. Græc. æquè aptatur lyræ, citharæque cõcentui, vt ex optimis auctoribus probat Scapula in suo Lexico, & Scapula. stridori siue clamori; imò & hinnitui equi ferocientis,

tis, & absonis vocibus corui crocitantis: ideò eam A vocem signatè videris respondere voci *tumultu*, quam sapiens præmiserat, *tumultus murmurationum non abscondetur.* Vnde quidem Salomoni sermo obscurus is omnino fuerit, quem modò referebat Bernardus vna ex parte suaui concentu, & harmonia dulci præditus, & blandè quasi in fauorem eius de quo detrahitur pronuntiatus; ex alia verò stridens, siue ex confusis vocibus absonus, & ferocientis equi hinnitum in prælium euntis, siue fœdas coruorum cadaueribus binniantium crocitationes referens, vt videlicet cùm detrahentis audires *alta suspiria*, & vocem plangentem: eumque mussitantem: *Doleo vehementer pro eo quod diligo eum satis*: omnino credideris, dulces illos citharæ sonos, siue veræ charitatis verba de malo proximi condolentis: at cùm attentiùs introspexisti: nonnisi bellicum tumultum, ferocem hinnitum, & atrocem corui crocitationem cadaueri instantis, & lacerantis; te audisse animaduerteris. Ingeniosa scilicet loquela, sermo palliatus, siue fallax, atque sophisticus, qui incautos quidem decipiat, Deum verò minimè lateat: vti ad hæc verba obseruat Augustinus lib. de mendacio cap. 6. tomo 4. ea ratione à Salomone priùs fuisse appellatum *tumultum*, sic expendens: *Videtur ergo his minari, qui obscurum putant, & secretum esse, quod corde cogitant, atque versant: & tam clarum ostendere voluit hoc esse auribus Dei, vt etiam tumultum id appellauerit.*

Bernard.

August.

Psal. 63. 4. 4. Nec aliò ire videtur præfatæ Psal. 63. vers. 4. & 5. locutiones: *Exacuerunt, vt gladium linguas suas intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum.* Etenim Symmachus fideiubente Theodoreto pro *in occultis*, legit *clanculum*, *ex insidiis*: vt videlicet iniuria à detractione, non ex aperto, sed ex insidiis fraudulenter, atque ideò perniciosiùs inferatur: quibus sic adstipulatur Gregorius ex pharetræ, & arcus imagine lib. 31. Moral. cap. 24. *Quid pharetra nomine, nisi prauorum machinatio designatur? iniqui enim cùm dolos bonis excogitant, secretis machinationibus occultant, quasi in pharetra sagittas parant.* Quò facit, tum pro illis verbis, *arcum rem amaram*, notanter repposuisse Paraphrastem Chaldæum: *Vnxerunt sagittas suas veneno mortifero*: medicato scilicet fuco, ad faciem prædulci, sed reapse lethali, tum etiam versu seq. vbi habemus, *vt absconderent laqueos*, Augustinũ legere *muscipulas*, quæ videlicet oblectamentum escam demonstrantes incautos capiunt. Vnde ipsi laqueis ad hunc modum instructis dicebant: *quis videbit eos?* ac si dixerint: quis deprehendet malum nos ei inferre velle, cui id speciem prospicere, & consulere; imò & laudare videmur? quippe aiebant: *Grande damnum. Nam aliàs quidem in pluribus valet: ceterum in hac parte (vt verum fatear) excusari minimè potest.* Quare non importunè huc retuleris detractionem in Scriptura pestem appellari: sic enim Psal. 1. vers. 1. vbi nos habemus, *In cathedra pestilentiæ non sedit*, Lectio Tigurina, Pagninus, & alij ex Hebræo reponunt, *in cathedra derisorum*. Nimirum si meministi, pestis execrabile quidem malum speciosissimo vocabulo *carbunculi*, qui pretiosus, & pulcher lapillus est, nominatur: nulla enim exitialior, & perniciosior pestis fuerit, *Quàm secretis criminationibus infamare ignarum, & quò cautius decipiare palam laudatum.* Sic de inuidis inquit disertè sanctus Prosper lib. 3. de vita contemplat. cap. 9. *Opinionem bonorum mendacia decolorant: in spiritualibus carnalia laudant, vt spiritualia bona eis deesse persuadeant.*

Theod.

Greg. Mag.

Chald.

August.

Psal. 1. 1.

Lect. Tigu. Pagnin.

Prosper.

Secreto.

Clancularia detractiones periculosiores.

1. Svbest etiam alter huic aduerbio sensus, vt illis signatè detractionibus sapiens Rex Dauid fuerit maximè infensus, quæ clanculariæ, & occultæ essent: cùm videlicet ad peruertendam, siue occupandam, imò auferendam omnino defensionem, criminator nonnisi adhibitâ secreti cautione, & obtestatâ fide, ne ea de re disquisitio aliqua fiat, vel vllo modo ad eius, qui accusatur, aures id perueniat, proximum dehonestat, & bonæ famæ existimationem imminuit, læditque. Quæ quidem callidissima, & perniciosissima detrahendi, & criminandi ars fuerit, quam eùm primis eleganter retegit impius ille, sed huius rei peritus, Lucianus præfato libello, *de non temerè credendo calumniæ*: vbi cùm dixisset: *Nam quis est, cui non videtur in vniuersum iustitia pensum æqualitas, & quod aiunt, ne quid nimis. Inæqualitas, & item quod nimium est, iniustitia.* Subiicit, ac si Dauidem præ oculis haberet: *Qui verò clanculum absentem insectatur, æqualitatis metas egreditur, quippe auditorem sibi totum adserit, aures eius antenertit, obstruit, & inuias responsuro calumniis reservas efficit. Ea sanè extrema est iniuria, vel optimorum legumlatorum iudicio Solonis, & Draconis, qui iureiurando Senatum Atheniensium astrinxêre, vt pari benignitate, gratiaq; tam reum, quàm actorem iudex audiat, dum alterius causam honestiorem intelligat. Scelestum, & crudele iudicium esse, si quid statuatur, antequàm cum accusatione comparata sit defensio.* Et post pauca: *Id verò omnis ex parte calumniator molitur, vt cum furore, ac vecordia hominis, corã quo res agitur, indefensum reum committat, defensuri partes suas clancularia sectione arceat.* Quæ quidem in Principum Aulis potissimum locum habere, sic statim affirmat: *At hoc genus hominum in aulis regiis spectare plurimos datur, optimatum fauorem hisce artibus ambientes: vbi scilicet, & inuidia crebra, & variæ suspiciones, & assentandi criminandiq; occasio multiplex in promptu est.* Hæc modò nobis ex Luciano ad occultas, & clancularias detractiones adornandas, siue delineandas adduxisse sit satis, alia postmodũ ad illas insectandas allaturis. Sed iis hæc ex Themistio præfato loco addenda, quòd valde consentanea sint, dum adstruit, solemne esse iis famigeratoribus eorum, quæ commenti sunt, obscuros, atque ignotos Auctores fingere, vt inquisitionis diligentiam deuitent: *Quod autem ad infelicem illum, & diis inuisum attinet, cui admodum succenses, & in quem omnino fremis, si quispiam roges, & nomen illum eneie abs tepostulet, minùs, quam Priami matrem in lucem ediderit, quod opinor, idem ipse fabularum inuentor, & auctor sit, sed quod in persona tua certamen suscipere non audeat, ad personas nomine carentes confugit, vt in tragœdiis fieri solet, cùm nomina poëta non inuenerunt.* Sic ille.

2. Et verò arcanis locutionibus id omne à nostro Vate videris explicitum in iis Psal. 10. 2. verbis: *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde*: vbi primùm, *arcum intendere*; in certum scilicet scopum iactum dirigendo; & *sagittas in pharetra parare*: variarum nimirum calumniarum, siue criminationum materiam, & supellectilem colligere idem mihi sonat, ac id, quod de iis, qui in aulis Principum degunt, inquit indidem Lucianus: *Illic videas licet, quàm acres alter in alterum oculos defigat, quã curá obseruet, veluti singulari certamine congressus, si quid vspiam in alterius corpore fortè fortunâ nudum, aut malè munitum conspiciat, quod ferire feliciter possit.* Sed quonam modo? nempe *vt sagittet in obscuro rectos corde*. sed pende, pro *in obscuro* Augustinum ex Græcis Codicibus legere, *in obscura luna*: Græca verò verba omnino verti posse, vt ex Theo-

Lect. III.

Lucian.

Themist.

Psal. 10. 2.

Lucian.

August. Lect. Græc.

Theodor. Suid. Lorin. Theodoreto, & Suida obſeruat Lorinus, *in nocte illuni*: ſiue in qua non ſit lux lunæ; in alio ſcilicet hemiſpherio obambulantis. Quid verò hæc ſibi velint, ex Lunæ munere facilè dignoſces, dum ipſa in cælo *Geneſ.* ſignatè poſita, *vt præeſſet nocti*, Geneſ.1.16. En ergo, quid ſecretò detrahentes curent, atque moliantur: calumnias videlicet ſuas nulli diſquiſitioni, ſiue explorationi exponere, ſed *in obſcuro*, & clanculariâ ratione ſic ſtruere, vt nulla iis nebulis Luna præſit, nul- *Lucian.* la iudicis cognitio affulgeat: vti aiebat Lucianus: *Id autem ex parte calumniator molitur, vti cum furore, ac vecordia hominis, coram quo res agitur, indefenſum reum committat: deſenſurum partes ſuas clanculariâ ſectione arceat.* Quis verò illi in iis clanculariis inſidiis ſit ſcopus, *Sext. Edit.* mirè aperit Sexta Editio, quæ pro iis verbis, *vt ſagittent in obſcuro rectos corde*; notante reponit: *ad oſtendendas tenebras in luce*: egregiâ & quæſitâ locutione innuens, adeò efficaces ad nocendum has artes eſſe, vt in ipſiſmet probis, & immaculatis hominibus, qui luce clariores, & puriores eſſe videantur, criminum, & flagitiorum, à quibus illi longè abſunt, nebulas, & tenebras oſtendere moliantur: ſic pergit ibi Lucianus de aula: *Hic ſi quis eſt vir frugi, temerè euertitur, illuditur, denique ignominiosè exterminatur.*

3. Nec aliò ire crediderim Salomonem Prouerb. *Prou.6.14* 6.14. cùm de homine, cui prauum cor ſubeſt, dicebat: *Prauo corde cogitat malum & omni tempore iurgia ſeminat.* Imò eandem his verbis ineſſe ſententiā, ac iis in quibus ſumus: nam vt cor prauum mali cogitans apud Salomonem, idem eſt cum corde prauo; quod Dauid ſibi adhæreſcere non patiebatur: ita *iurgia ſeminare*, ſenſum communem habet cum ſecretis detractionibus: ideò obſerua Salomonem aliis in locis de iurgiis, & rixis verba facientem, non ſeminandi, ſed *Prou.18.6.* aut *prouocandi*, vt cap.18.6. *Os eius iurgia prouocat*; aut *Prou.17.11* *quærendi*, vt cap.17.11. *Semper iurgia quærit malus*: aut *Pro.10.12* *ſuſcitandi*, vt cap.10.12. & cap.26.21. phrales vſurpaſ- *Pro.26.21* ſe: hoc in loco, cùm de homine improbè callido, & prauo corde prædito ſermonem inſtituit, quæſito dicendi modo ex ſeminis imagine vſum fuiſſe: non tam quidem, quòd ea iurgiorū natura ſit, vt ſi ſemel eorum cauſa aliqua, vel leuis tamquàm ſemen in animos inciderit, radices altas agere, & per ſemetipſa adoleſcere, & in magnitudinem inſanam euadere ſoleant: vt acuti expoſitores interpretantur; quàm quod ad inſtar ſeminis, quod ſub terra abſconditur, & contegitur, clanculū, & in occulto criminetur, ſiue ſecretò detrahat: vt & accuſato defenſionem auferat, & mendaciis velamenta apponat, ne in apertum prolata, & diligenter examinata dignoſcantur. Quod præfato loco diſertè firmat Lucianus: nam *Lucian.* cùm dixiſſet: *Adeò enim hoc hominum genus obnoxium eſt formidini, adeò nihil audet palàm: ſed perinde atque qui ex inſidiis tranſuerſi hoſtem inuadunt, ex abdito alicunde ſpeculantur, vt non ſit, qui contra vel mittere telum, vel manu contendere poſſit, hoſtiſq. ignarus aduerſarij fraudiſq. inſcius pereat*: Subiicit opportunè: *Quod profectò minimè fallax indicium eſt, in calumnia nihil ineſſe veri, nihil ſani prorſum; Nam qui accuſaturus quempiam ſibi conſcius eſt veri, procul dubio, & palàm audet aduerſarium inceſſere, corrigere, purgantem crimen ferre.* Apponit pulchram imaginem; *vt in bello qui iuſta acie vincere hoſtem palàm poteſt, turpe ducit, aſtu, & inſidiis certare.* Hactenus ille.

4. Iam verò tam hæc, quàm ea quæ hucuſque diximus, mirè firmat Bernardus lib.4. de conſiderat. *Bernard.* ad Eugenium cap.6. vbi cùm Eccleſiæ Principi fidelem adminiſtrum habere, cui domus regendæ poteſtatem faceret, ſic ſuaderet: *Poteſt enim habeat excludere, & admittere quos voluerit, mutare miniſtros, transferre, mutare miniſteria. ad quos, & quando voluerit, ita timori ſit omnibus, vt ſit & vtilitati. Præſit omnibus, vt omni-*

Velaſq. in Pſalm. centeſimum.

bus proſit, & de omnibus. Minimè Sanctus vir ignarus ingenij aulicorum à Luciano ibi ſic deſcripti: *Ita ſtu-* *Lucian.* *dio cuiq. eſt cùm ipſe primas eſſe capit, vti proximum deiiciat, exturbet, conuellat, proculcet, &c. Porrò deſertur is plerumq., qui honore quodam alios præſtat, nempè iis inuidioſus, qui ſpe illius fruſtrati ſunt. Quò fit vt omnium telis afficiatur, ceu obex, qui viam aſſequendæ dignitatis aliis intercluſerit. Seq. primos tum ſinguli fore confidunt, ſi ſublimē iſtum loco demoliri ſine.* Seriò ſtatim Pontificem monet, ne clandeſtinas, clancularias aduersùs illum delationes recipiat, quaſi is qui nihil audet palàm dicere; ſed ſecretò, & quaſi ex inſidiis inuadere, nihil veri, nihil ſani in delatione ſuâ habeat. Sed Bernardum audire erit *Bernard.* operæpretium, ſic prudentiſſimè loquentem: *Clandeſtinas, & ſuſurratas delationes non recipias aduersùs eum, magis detractiones cenſueris. Et hanc velim generalem tibi conſtituas regulam, vt omnem qui palàm veretur dicere, quod in aure locutus eſt, ſuſpectum habeas. Quòd ſi te iudicante dicendum coràm ille renuerit, detractorem iudices, non accuſatorem*: (ſic legendum non *delatorem*, vti codices mendosè habent, vt & id reſpondeat præcedētibus verbis, *magis detractiones cenſueris*, quas Bernardus oppoſuit clandeſtinis delationibus: & tota ſibi ſententia conſtet.) Hæc Bernardus, quæ pro dilucido huius loci Dauidis commentario eſſe poſſunt.

Hunc perſequebar.

Abigendos, ſiue Aulâ exterminandos, à bono Principe detractores.

Lect. IV.

1. Siue Latinè ſiue Græcè, aut Hebraicè legeris, quæſitum, pungenſque aduersùs detractores verbum vbique inueneris: quippe ex originibus *Pagninus.* Pagninus, & alij reponunt: *Succidam, exſcindam, oppri-* *Hieron.* *mam*, Hieronymus verò, & Anacletus PP. epiſt.2. *in-* *Anaclet.* *terficiam*. Alij *ad internecionem perducam*: vbi maximè notandum, non dixiſſe Dauidem hunc *odiui*, vti paullò antè de facientibus præuaricationes dixerat, aut *cum hoc non edebam, ſiue ferre non poteram*: vt ſtatim de *ſuperbo oculo*, & *inſatiabili corde*, ſubiicit, ſed notantiſſimè *hunc perſequebar, exſcindebam, interficiebam, & ad internecionem perducebam*: quaſi aliquod ſanè malum in detractione ſit, quod vehementiùs profligari, aut grauiori ſupplicio affici debeat: non quidem quòd Dauid aliquem hoc ſolùm nomine, quòd ſecretò detraxerit, neci reapſe addixerit, & ex viuis exciderit, *Agellius.* vt videtur indicare Agellius; nam vt gladius linguæ cruento gladio aliquando non immeritò expiaretur; at inſolens quidem, & durum nimis apud homines frequenti, & quæ facilè contrahitur, id ſupplicium eſſet: ſed quòd detractoribus tamquam Aulæ maximè noxiis, atque peſtiferis vehementiùs infenſus, eos modis omnibus fuerit inſectatus, donec Aulâ ſuâ cum ignominia eiecerit: id enim mihi ſonant, ſiue Latinæ, ſiue Hebrææ locutiones perſequendi, exſcindendi, opprimendi, & ad internecionem per- *Chryſoſt.* ducendi. Quod omninò expreſſit Chryſoſtomus ad hæc verba inquiens: *Eos qui nihil tam cupiunt, quàm detrahere, perſequamur, & longiſſimè à nobis depellamus: ne alienis malis conſentientes nobis ipſis conciliemus perditionem.* Fecit planè ſub hoc ſenſu vim in verbo *perſequar* *Auguſt.* Auguſtinus pluribus in locis, vt adſtruat: iuſtè Eccleſiam ſiue Principes perſequi, & affligere ſontes, bonamque, & laudabilem eam perſecutionem eſſe: vide hîc, & in Pſalm.34. & lib. contra epiſt. Petiliani cap.79. & epiſt. 48.

2. Pulchrè verò hæc externa, & manifeſta vſque ad internecionem perſecutio, ſecretò, & clanculum detrahenti reſpondet, vt peculiari ratione illi poſ-

set aptari, quod Danidi occultè peccanti dictum à A Domino est, 2. Reg. 12. vers. 12. *Tu enim fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in cōspectu omnis Israel, & in cōspectu solis.* Etenim clancularius detractor nihil magis odit, timétque quàm lucē, *vt non arguantur opera eius*: ne videlicet detractor, aut susurrator habeatur, quippe, qui bonæ rei prætextu calumnias, & criminationes instruens honorem inde, & gloriam aucupari intendit. Vnde peruersum eius animum detegi, & palàm fieri, nihil veri, aut sinceri ipsum operari, graui probro, & supplicium illi fuerit. Ita quidem Sapientiæ 6.9. de Deo viros Principes iudicante, & suppliciis afficiente notanter dicitur: *Fortioribus autem fortior instat cruciatio*: etenim pro voce *cruciatio* Græcè opportunè legeris *scrutatio*: quasi hominem subdolè & malignè operantem, & bonæ rei prætextu mala inferentem scrutari, & animi versutiam recludere, ingens illi cruciatio, atque tormentum sit. Nec fuerit quidem humanissimo Principe indigna B hæc vox *persequebar*, siue *ad internecionem perducebam*, in hominem detractorem, & malignum prolata: nam vt in alios fontes ex fragilitate, & vehementioris concupiscentiæ ardore peccantes clementem esse, Principi laudi est, ita detractores, & calumniatores persequi, & exscindere, quod hominibus noxij, atque exitiales sint, magnam gloriam habet. Ita quidem Gentili Themistio pulchrè obseruatum est, Homerum omnes, & omnia pro ingenij benignitate collaudantem, vnum Thersitem de industriâ conuitiis affecisse, quod is in alius contumeliosus, & conuitiator esset: sic enim ille oratione prima ad finem: *Sicuti enim quemadmodùm Homerus omnia collaudet, quæcumque nominat, neque vel leuissima quaq; præclaro testimonio defraudet: verùm & pueri apud eum formosi dicantur, & flagella omnia splendida, atque etiam arborem quandam in Delo insula consitam mirificè prædicet, vt ne subulcus quidem ille egregius suâ in versibus prædicatione careat, sed persuadere C nobis conetur, subulcum illum porcorum, hominum aliquando ducem extitisse, vnum dumtaxat Thersitem conuitiis affecit, quod (vt arbitror) ille ipse conuitiator, ac contumeliosus esset, multaq; inhonesta verba nosset, neque moderatè iis, ac decenter vteretur.* Hæc Themistius. Quæ Dauidi mansuetissimo Regi, æquè humanè, atque benignè in detractores sæuienti, ac bonos beneficiis honestanti, aut infensis sibi hostibus bona pro malis reddenti opportunè accommodaueris.

2. Reg. 12. 12. — Sap. 6. 9. — Themist.

3. Nec adnotare omiserim eam lectionem *opprimam*, siue *succidam* eò etiam non incommodè posse reuocari, vt Dauid pro sua in omnes charitate, siue etiam pro regia dignitate, atque fastigio detractorem, cùm primum detractionis venenum depromere incipiebat, opprimere, & cohibere sit solitus, quin vlteriùs progredi posset: *Quippe est sanè tale hoc* D *vitium* (sic Paulinus in epistola ad Celantiam) *quod vel in primis extingui debeat, & ab eis, qui se sanctè instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est, quod ita mobilem mentem, ac leuem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi.* Et post pauca: *At contrà magna quies animi, magnaq; est morum grauitas, beatusq; est, qui ita se contra hoc vitium armauit, vt apud eum detrahere nemo audeat.* Sic ille. Huc reuoca quæ diximus lectione 1. num. 4. ex illis Ecclesiastici verbis cap. 28. 28. *Sepi aures tuas spinis*, & iis quæ Hieronymus inibi habet.

Paulin. — Eccl. 28. 28

Hunc persequebar.

Detractores Deo inuisi, & à Deo abhorrentes: latrones; sicarij.

LECT. V.

1. Sed cur, inquis, tam ardenti odio detractores prosequebatur Dauid? Cur adeò atrociter, & vsque ad internecionem illos vexabat, vt veluti Cæsariano gladio illos exscinderet? & in illos tāquàm in infensissimos hostes desæuiret? & quod plus in Rege est, persequebatur? Quæ adeò fortis ratio sedatissimum Dauidis animum tam acriter commouebat, vt non immeritò admirabundus exclamaret non nemo:

——*Tantæne animis cælestibus iræ?*

Sed in primis mirari desinet quisquis ex Paulo audierit, *Detractores Deo odibiles*: ad Roman. 1. 30. maximè si obseruauerit, Græcam vocem pro quâ duas illas reponit Vulgatus *Deo odibiles*, propriè significare eos, quibus Deus est inuisus: vnde Cyprianus, epist. 68. legit *à Deo abhorrentes*. Quis enim Princeps, cùm Dei imago, & minister sit, cui hac ratione ipsius iniuriæ magnę curæ esse debent, intimo, & acerbissimo odio non prosequatur, & persequatur pessimum hominum genus, quibus Deus est inuisus, & quos Deus exosos habet, & à quibus abhorret, & fugit? quos hac ratione, nec ad homines, nec ad viuos meritò dixeris pertinere: pulchrè Bernard. sermone de triplici custodia: *An non amittunt vitam detractores Deo odibiles? odibiles vitæ. Fugit vita quos odit: & quos vita fugit, mori necesse est.* Sic ille. Satis quidem ad mentem nostri Vatis alibi de istis, qui calumniis, & maledictis aliorum nomen, atque existimationē violant, dicentis: *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Psal. 13. 3. quibus eos omnino cum putridis, & fœtentibus cadaueribus componit, quos fugerit vita, & qui vitam fugerint.

Rom. 1. 30 — Dell. Græc. — Cyprian. — Bernard. — Psal. 13. 3.

2 Sed & eâ ratione detractores bonus Princeps persequatur, quòd non solùm se ipsos, sed etiam alios interficiant, ac proinde sicarij, & latrones, quibus vix aliquid inuisius, aut exitialius sit, iure habeantur: Ita quidem disertissimè Dominus apud Ezech. cap. 22. 9. obiiciens Ierosolymæ grauissima peccata, propter quæ extremo erat afficienda supplicio, signatè ait: *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem*: vbi obserua pro *detractores*, Chaldæum eodē sensu, & sono legisse *criminatores*, ex Hebræo, similiter R. Dauidem & alios: *viri delationis*. LXX. verò eâdē sententiâ, & sensu, diuersissimo autem vocabulo: *Latrones*: id est viarum obsessores, qui viatores & vitâ, & pecuniis spoliant: vt de illis Horatius lib. 1. epist.

Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones.

Vt detractorum exprimant immanitatem, qui proximos suos bono nomine, & existimatione, quæ omni pecuniâ, & vitâ pretiosiora sunt, atrociter spoliant. Audi Optatum Mileuitanum lib. 2. contra Parmenian. hæc sic opportunè diffundentem: *Ergo linguas vestras acuistis in gladios, quas mouistis in mortes, non corporum, sed honorum. Iugulastis non membra, sed nomina: quid prodest, quod viuunt homines, & occisi sunt honores à vobis? valent quidem membris, sed erepta portant funera dignitatis.* Vides latrones iugulantes viua, & pretiosa nomina, & honestæ existimationis sanguinem effundentes? parcentes vitæ, sed non parcentes honori, ac proinde, qui insanabiliùs percutiant, & atrociùs perimant. Sic eleganter S. Valerianus homilia 5. *de oris insolentia.* hac de re inquit: *Falluntur profectò, qui putant, nihil esse ferro fortius, nihil veneno violentius: quamuis enim ista in perficiendis mortibus habeant peculiare naturæ beneficium, cedant tamen in contentione verborum. Nihil enim*

Ezech. 22. 9. — Chald. — LXX. — Horat. — Optat. — S. Valerian.

enim est tam noxium, aut malitiosum, quod non viribus suis A
minus fit si se incitata lingua commouerit. Et post pauca: *Facilius si necesse est, quilibet potest ferre armatas ferro acies, & instructas rebus bellicis legiones. quis autem sustineat labiorum tela infixa pectoribus? Faciliùs sine dubio recipiunt sanitatem corpora ferro lacerata, aut quare aliquis tantùm gladio occisorum morte, crudelitatis pondus imponat, cùm aliquoties minora ibi sint pericula, vbi maior est cruoris inuidia.* Pergit multis, quæ vide; ne ego, aut longus sim, aut
Clem. Ro. omiserim, quæ S. Clemens Romanus ex Apostolorum Principis ore in hanc rem opportunissimè habet
Anselm. hunc ad modum apud S. Anselmum in similitudinibus cap. 147. *Tria sunt genera homicidij, quæ pari pœnâ plectuntur. Interfectio fratrum, odium, detractio, de qua etiam Paulus dicit:* Si comeditis, & inuicem mordetis, vide-
Gal. 5. 15. te, ne ab inuicem consumamini, ad Galat. 5. 15. *Comedit namq; alter alterum, & quasi morsum in eum facit, quotiescumque quis aliquem malè loquendo viliorem efficit.* Nec inuiderim lectori: scio ipsum non scire epigramma B olim ab amico compositum, vt carperet epigrammatarium Martialem hominibus sub fictis nominibus detrahentem: & eâ ratione à detractione sese excusantem, quod nominibus parceret: est id:

Ludere mordaci versu, dum Marce triumphas,
Mordeo, ais, homines, nomina prætereo,
Liuide, & hic ludis: nónne hæc clementia dentens,
Dilacerare homines, parcere nominibus?

Hunc persequebar.

LECT. VI.

Detractores paci infensi.

1 DICTIS, vt Dauidem iustissimè & æquissimè detractores persequentem noueris, adijce Princi-
Sap. 6. 26. pem esse, *Stabilimentum populi.* Sapient. 6. 26. id est, vt C Græco opportunè legeris *Spiramentum:* ille scilicet vitalis spiritus qui subditos non modò animat, & fouet, sed etiam vnit inter se, & consociat, ac pace ligatos, & constrictos tenet: nihil enim Princeps subditis suis sic optare, ac curare debet, ac pacem, & mutuam concordiam. Sic statuente Rege Theodotico apud Cassio-
Cassiod. dor. lib. 1. epist. 22. *Decet quidem regalis apicis curam, generalitatis custodire concordiam, quoniam ad laudem regnantis trahitur si ab omnibus pax ametur.* Vnde subiicit: *Quid est enim quod nos meliùs prædicet quàm quietus populus, concors senatus, totaq; Resp. morum nostrorum honestate vestitaè* Quid verò concordiam sic dissociet, pacem adeò turbet; societatem ita distrahat siue dirimat, vt detractio? Audi Sapientem: *Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes. Lingua tertia multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem, ciuitates muratas di-*
Eccl. 28. 15. *uitum destruxit, & domos magnatorum effodit.* Ecclesiasti-
S. Valeria. ci 28. 15. Ad quæ verba præfato loco Valerianus scitè ait: *Nam inquieta naturaliter lingua non paruum mortalibus* D *affert vitæ detrimentum, aut cùm bene composita dissipat, aut diu pacata conturbat. Quando autem est, vt se rixa moueat si se lingua compescat? aut quis ibi locus est inimicitiarum, vbi cessant venena verborum? Nam hoc habet semper lingua malitiosa commercium, vt lites serat, odia moueat, mortes adqui-*
Chrysost. *rat.* Similiter hoc loco Chrysostomus: *Nouit quippe detractio postea quàm hominem furore perfudit, atque occidit, funestum etiam eum, ac sanguinarium aduersùs proximum reddere. Nouit etiam exacerbatum à fraternâ communione auertere, atque eum, qui paulò antè amicus erat, sine causa hostem reddere. Hæc & vniuersas domos subuertit, & pacatas vrbes ad bellum excitat, &c. Hæc & pulcra pacis vincula dissoluit, & magna caritatis nodum infringit.* Coniurat eodē
Bernard. sensu Bernardus, hāc signatè rationem assignans, cur Dauid detractores persequeretur. Sic enim ille in allegoriis Gotfredi Tilmani in c. 23. Lucæ: *De talibus habes in Psalmo:* Detrahentem proximo suo hunc persequebar: *Nec mirum cùm id præcipuè vitium caritatem, quæ Deus est, & quidem cæteris acriùs videtur impugnare. Et vide, quomodo omnis, qui detrahit, primò quidem se prodit vacuum caritate. Deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi vt is, cui detrahit, veniat in odium, & contemptum ipsis, apud quos detrahit? Ferit ergo caritatem in omnibus lingua maledica, & quantum in se est, necat funditus, & extinguit.* Hæc ille, & multò plura: similia etiam habet Paulinus citata epist. ad Celantiam: vbi inter alia ait: *Hinc crebra dissensiones: hinc odia iniusta nascuntur. Hoc est quod sæpè de amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas maliloqua lingua dissociat.*

2 Enimverò vt hinc detractionis grauitas, & turpitudo veluti de facie cognoscatur, & quàm bono iure persecutionem ipsa à Principe sustineat, omninò liqueat: obserua, tanti à Deo pacem, & mutuam hominum concordiam, & vnitatem fieri, vt pro eâ nobis obtinendâ non dubitauerit, manibus tradi nocentū; & crucis subire tormentum. Vnde Dominus iam iam Ioa. 17. 22.
moriturus patri suo dicebat: *Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis vt sint vnum:* ac si dixerit, vt inibi inquit sapientissimus Maldonatus: *Ideò pro illis morior, vt vnum* Maldon.
sint, da igitur illis eam vnitatem spiritus, quam illis merui. Planè, ac si sanguis Christi ad instar coaguli fuerit, quod fluidas, ac diffusas lactis partes condensat, atque constringit, quin fluere, ac diffundi subinde queant. Sic id explicante Gregorio Theologo orat. 42. quæ Nazianz.
est 2. *de Paschate* propè finem: *Nullum tamen cum salutis mea miraculo conferendum est in quo exigua cruoris guttæ orbem vniuersum instaurarunt, atque idem quod lacti coagulum hominibus præstiterunt, in vnum nos coniungentes & constringentes.* En ergo quò detractio eat: quidque omnino intendat, ac præstet: dum pacem, & caritatem dissociat: sanguinem videlicet Christi diffundere, magnū Redemptionis opus euertere, Domini corpus distrahere; ipsúmque denuò spinis, lanceâque perfodere: sed hæc audi à Bernardo prædicto sermone *de triplici* Bernard.
custodia, hunc in modum disserente; *Nec verò eiusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro, nec iam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit: sed & clauis ferreis, quos sanctissimis manibus illis, & pedibus consummatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim huius, quod nunc pungitur, & transfoditur, corporis sui vitam, illius vitæ corporis prætulisset, numquam illud pro isto mortis iniuria, crucis ignominiæ tradidisset.* Hæc omnia Bernardus.

3 Iure ergo detractores bonus Princeps Dauid persequitur, vt vel sub ipsis regni sui auspiciis, vt pacis, ita opinionis suæ custos rigidusq; satelles subditis suis esse videatur: pulcrè siquidē Athalaricus Rex dum Senatui Romano rescriberet apud Cassiod. lib. 8. ep. 14. Cassiod.
cùm dixisset: *Talis subsecutio creditur, qualeprimordium venisse sentitur. Nemo enim futurum putat esse diligentem quem in ipsa nouitate opinionis suæ non videt esse custodem.* Egregiâ culti, aut inculti agri imagine apposita ad regni sui pacem sic hæc reuocat: Prouidus institutor si hortum suum fœcundis nititur ornare plantariis, vt reddant fructus optatos, quæ solicitis fuerant exculta laboribus, quantò magis regnum decet inter initia, pacis amœnitate cōponi, ne habere speciem agri videatur inculti? Sic ille Rex. Quò planè sensu, eademque cultissimi ruris similitudine retentâ Imperatoribus Seuero, Bassiano, & Getæ gratulabatur Tertull. quòd Tertull.
mirè in vnū cōpositis, & vnitis, & pulsis tū domesticis, tū externis hostibus, Aulā, & Imperium, siue subdolè,

siue apertè infestantibus, pacem populis reddidissent: A
libro enim *de pallio*, cap. 2. cùm dixisset: *Quantum reformauit orbis sæculum istud? quantum vrbium, aut produxit, aut auxit, aut reddidit præsentis Imperij triplex virtus Deo tot Augustis in vnum fauente?* Sobiicit: *Reuerà orbis cultissimum huius Imperij rus est eradicato omni aconito hostilitatis, carecto, & rubo subdola familiaritatis, consitum, & amœnum super Alcinoi pometum, & Midæ rosetum.* Hæc Tertullianus.

Superbo oculo,

Animus in oculis inhabitans suos inibi affectus explicat.

LECT. VII.

Bellarm. Basilius. Theodor.
1 NOn dubium, quin de superbis hominibus, quos Dauid Rex in suam familiaritatem minimè reciperet, sermo sit, vti ex omnium PP. & expositorum mente interpretabatur Card. Bellarm. & B quidem Basilius, & ab eo Theodoretus, sic hæc effert: *Neque superbiâ vtentes meos sodales faciebam*: & sub hoc
Chrysost. Ps 130. 2.
sensu capit Chrysostom. in Psalm. 130. ea ipsius Dauid verba: *Neque ambulaui in magnis*: quasi à suâ omnino consuetudine eos, qui magnos sese esse putarent, reiiceret: sic namque ait Chrysostomus: *Quid est? in magnis: in hominibus, inquit, tumidis, diuitibus, arrogantibus.* Vnde subiicit: *Vidistis, quanta sit humilitas? Non solùm erat ipse à morbo alienus, sed eos etiam, qui erant tumidi, fugiebat, & à talibus resiliebat cætibus propter magnũ, quod in arrogantiam conceperat, odium. Quoniam enim infenso erat in eam animo, non solùm ab ea resiliebat, nec permittebat vt in prædium animæ esset ei vllus aditus, sed eos etiam, qui illam sectabantur, longissimo interuallo fugiebat, vt ab eis nihil detrimenti caperet.* Benè quidem. Nam ora- C
Seneca.
culum fuerit quod Seneca epist. 104. dixit. *Hærebit tibi auaritia, quamdiu auaro sordidoq; conuixeris. Hærebit tumor, quamdiu cum superbo conuersaberis.* Sed pergit Chry-
Chrysost.
sostomus opportunè: *Neque verò inter parua rectè facta ducendum est fugere arrogantes, odio habere tumidos & insolentes, eosq; abhorrere, & auersari, sed est maxima virtutis securitas, humilitatis maxima custodia.*

Superbo oculo.

Oculi singillatim superbiæ sedes.

LECT. VIII.

1 AT enim non immeritò ambigitur: cur Vates superbiam ex oculis pensitauit, siue oculis signatè affixit? cùm, & ipse illam alibi ad pedes, si-
Ps 35. 12.
ue ad pedem reiecerit, Psal. 35. 12. dicente: *Non ve-* D *niat mihi pes superbiæ*: & oculi, non huius tantùm vitij, sed omnium etiam aliorum sedes, & receptaculum sint, non ea solùm ratione, quam ad id versiculo 3.
S. Zeno.
Non proponebam ante oculos meos rem iniustam; ex S. Zenone M. persequebamur, quòd in illis quidquid est in mundo floreat: ipsique prosenetæ, & ad malum duces habeantur; sed etiam quòd vnumquodque vitium illos sibi apud sacros Scriptores singillatim ven-
2. Pet. 2. 14
dicet: etenim de luxuria disertissimè dixit Apostolorum Princeps epist. 2. cap. 2. 14. *Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti.* De auaritiâ, & insatiabili
1. Ioa. 2. 16.
habendi cupiditate Ioannes epist. 1. cap. 2. 16. *Concu-*
Eccli. 14. 9.
piscentia oculorum. Et Ecclesiasticus cap. 14. 9. *Insanabilis oculus cupidi.* Vnde de Iudâ proditore, aliis Apostolis somno oppressis, & *grauatos oculos* habenti-
Matt. 26. 43.
bus, Matthæi 26. 43. vigilante, & hâc illac discur-
Drogo.
rente scitè dixit Venerab. Drogo serm. de Dominicæ Passionis Sacramento: *Quàm vigiles oculos habet auari-*
Sapien. 11. 19.
tia. De irâ Sapientiæ 11. 19. *Irâ plena bestia* inducuntur

horrendas ab oculis scintillas emittentes. Similiter Apoc. 1. Apoc. 1. 14.
14. de iusta quidem, vtpote diuina: *Oculi eius vt flamma ignis.* Rursus verò de humana, & immoderata Cicero Cicero.
in Verrem: *Ardebant oculi*: & in Vatinium: *Oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus*: & Seneca irati Seneca.
notas appingens lib. 1. de ira cap. 1. *Flagrant, & micant oculi*, & lib. 3. cap. 3. *Oculis nunc trepidis, & exilientibus*: de inuidiâ Sapiens: *Oculus liuidi.* Ecclesiast. 14. 8. & sub Eccl 14. 8.
hoc sensu. Matth. 20. 15. operario alteri inuidenti pa- Matt. 20. 15.
terfamilias aiebat: *An oculus tuus nequam est.* Vnde Deu- Deut. 28. 56.
tero. 28. 56. vbi nos habemus: *Inuidebit fratri suo.* Paraphrastes Chaldæus reposuit: *Habebit oculum nequam.* Chaldæus.
Quâ ergo de causâ, inquis, superbiæ proprios fecit oculos Vates, qui aliis affectibus communes sunt?

2 Equidem, vt huic obiectioni occurramus: non omninò importunè, neque iniucundè adinuenibimos, nõ casu, aut ingratiis tam alia corporis humani mem- B bra, quàm singillatim oculos siue apud Sacros, siue apud prophanos Scriptores singulis vitiis accommodari; sed peculiari, & iure suo id exigente ratione, à proprio scilicet situ, siue gestu, qui vel illud vitium ostendat, vel ipsi subseruiat: sic Paulus Scriptorum disertissimus ad Philip. 3. 19. gulæ facili ratione ventrem Phil. 3. 19.
assignauit inquiens: *Quorum Deus venter est*: & detractium siue murmurationi dentes dedit, ad Galatas 5. Gal 5. 15.
15. *Quod si inuicem mordetis*: vti & noster Vates Ps. 56. 5. Psal. 56. 5.
Filij hominum dentes eorum arma, & sagitta: nimirum, vt dentes mordent, & lacerant: ita & detractores alios rodũt, vt loquit Horatius, & eorũ sanguinẽ effundũt, Horatius.
eis videlicet honorem detrahentes qui ipsis non minùs quàm sanguis pretiosus est. Vnde Ezech. 22. 9. *Vi-* Eze. 22. 9.
ri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem: verecundiora patris discooperuerunt in te, &c. Irrisioni etiam nasum aptauit: ad Galatas 6. 7. nam vbi nos habemus: Gala. 6. 7.
C *Deus non irridetur*, Græcè est: *Naso non agitur*: quâ locutione frequentiùs vsi sunt Satyrographi, vt Horatius: Horat.
Adunco suspendere naso, & Persius: *Rides, & nimis vncis* Persius Martialis.
naribus indulges: similiter, & Martialis: *Et pueri nasum* Plinius.
Rhinocerotis habent. Quare Plinius lib. 11. c. 37. *Nasum noui mores subdolæ irrisioni dicauêre.* Planè quod ab ipso is gestus, qui irrisionem, & contumeliam sonet, oriatur: ita quidem Nazianz. orat. 2. in Iulianum, dum Nazianz.
prauos desertoris illius mores à se iam olim, vel ex ipsius oris lineamentis, & physionomia cognitos fuisse asserit, quàm petulans ad alios lacessendos, & irridendos fuerit, sic explicat: *Nasus contumeliam spirans.* Frontem signatè impudentiæ sedem, & Vates, & alij Scriptores fecerunt, vt Ierem. 3. 3. *Frons meretricis facta est* Ierem. 3. 3.
tibi, noluisti erubescere: & Ezech. 3. 7. *Domus Israel attritâ* Ezec. 3. 7.
fronte est: quia inuerecundi eam partem, quæ, vt citato loco inquit Plinius, *seueritatis index est*, remittunt, &
D perfricant, ideò procaces frontem perfricare dicuntur. Sed & superbiam, cui modò operam nauamus, appositâ etiam ratione in superciliis sic fixit indidem Plinius: *Supercilia homini, & pariter, & alterne mobilia: &* Plinius.
in iis pars animi Negamus, annuimus. Hæc maximè indicant fastum. Superbia alicubi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur: huc subit, hic pendet. Nihil altius, simul abruptiusq; inuenit in corpore, vbi solitaria esset. sic scitè ille.
Ad cuius gustum tum impurus ille Petronius alicubi Petronius
inquit: *Postquam se amari sensit supercilium altius tulit*: & Iuuenalis totolerandam feminæ superbiam, & fastum, vt exprimeret; dicebat:

Malo Venusinam, quàm te Cornelia mater Iuuenal.
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium.

Iam verò auaritiæ manus deberi, vt apud Sapientem: *Ne sit manus tua ad dandum arcta, & ad accipiendum porrecta.* Eccles. 4. 36. & Ambros. ad id Lucæ 6. 8. *Habebat* Eccl. 4. 36.
manum aridam. Serm. 27. *Sed & tu* (inquit) *qui putas te* Luc. 6. 2.
manum habere, & sanam, caue ne auaritia contrahatur: quin Ambros.

potiùs

potiùs extendetam, necnon Horatium lib. 4. carm. Ode 7. *Manus auidas*, quis non videat eâ ratione inuidi, quòd manus sint, quæ capiant, quæque retineant, quæque ad accipiendum porrigantur, ad elargiendū contrahantur. Tandem cor iræ, & furori tribui, vt ait Tullius lib. 2. de finibus: *Meum cor cumulatur irâ*; & Homerus: *Mihi cor turgescit irâ*; & Catul. de nuptiis Pelæi: *Sæpè illā perhibent ardente corde furentem*. Inde est, quod in illo tamquam in fornace concipiatur, atque feruescat.

Tull. Homer. Catullus.

3 Hinc quidem, si benè æstimas, oculi tum præfatis affectibus siue vitiis, iræ, auaritiæ, inuidiæ, luxuriæ: tum etiam superbiæ signatè pro singulis illorum officiis, siue gestibus, ac motibus, opportunè subseruiunt: nec enim eâdem illi ratione, & modo, & iram, & cupidinem indicantes considerari debent: cùm in singulis affectibus dissimili gestu ferantur. Sic id elegantissimè obseruante Plinio præfato cap. 37. lib. 11. etenim cùm dixisset de illis: *Neque vllâ ex parte maiora animi indicia cunctis animalibus, sed homini maximè: id est, moderationis, clementiæ, misericordiæ, odij, amoris, tristitiæ, lætitiæ*. (Quod omninò probauit Hieronym. epist. 10. Inquiens: *Speculum mentis est facies: & taciti oculi cordis confitentur arcana*.) Subiicit: *Contuitu quoque multiformes, truces, torui, flagrantes, graues, transuersi, limi, summissi, blandi*. Redd. rationem: idque sic diffundit: *Profectò in oculis animus inhabitat. Ardent, intenduntur, nictant, humectant, conniuent. Hinc illa misericordiæ lacryma. Hos cùm osculamur, animum ipsum videmur attingere. Hinc fletus, & rigantes ora riui. Quis ille humor est, in dolore tam fœcundus, & paratus aut vbi reliquo tempore? Animo autem videmus, animo cernimus, oculi ceu vasa quædam visibilem eius partem accipiunt, atque transmittunt. Sic magna cogitatio obcæcat abducto intus visu: sic in morbo comitiali aperti nihil cernunt, animo caligante*. Hæc ille. Quæ ex parte sic eleganter firmat Cassiodor. lib. 6. epist. 9. *Iracundus luminum feruore declaratur: subdolus terrenum semper amat aspectum, leues inconstantia prodit oculorum*. Vbi vides oculos contuitu multiformes, quod ipsis animus videat, & prout affectus ipse est, illos afficiat: vnde truces, torui, flagrantes, graues, transuersi, limi, summissi, blandi, prout animus, aut flagrans, aut blandus, aut summissus est.

Plinius. Hieron. Plinius. Cassiod.

4 Enimverò ardens libidinis cupiditas, dum cor sicut ceram liquefacit, & blandum reddit, blandos primùm oculos facit, vt inquit ille:

O blandos oculos, & propria nota loquaces.

Quò inerit illud Senecæ epist. 52. *Impudicum, & incessus ostendit, & manus mota, & vnum interdum responsum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum*. Qui videlicet in diuersas partes velut feruens cera flectantur: quasi hâc illac discurrentes dolori remedium quærant, flagitentque: siue etiam amanti annuant, annuique sibi expostulent: vt de viro flagitioso, & impudico ait Salomon Prou. 6. 13. *Annuit oculo*: vt ostendat (inquit Lyra) *mulieribus impudicitiæ signa*: similiter, & viris mulieres, vt illa de qua Tibullus:

Seneca. Prou. 6. 13. Lyra. Tibul.

Illa viro coram nutus conferre loquaces.

Sed & illos etiam implet, & tumentes reddit: ideò signatè dixit Petrus, *oculos plenos adulterij*: notantissimè verò Suetonius de Imperatore Tiberio amatam sibi olim Vipsaniam, à quâ vt Iuliam duceret, quasi per vim auulsus fuerat, subitò conspiciente, in eius vita cap. 6. dixit: *Quam in occursu, vbi semel vidit, statim periit: & ita tumentibus oculis, & contento vultu persecutus est, vt custoditum fuerit, ne in conspectum eius, possibat veniret*. Contrà verò iracundia non blandè loquentes, & suaue quid micantes; sed potiùs ferociter ardentes, & *horrendas scintillas emittentes* (vt dicebat Sapiens) oculos reddit; conceptam videlicet in corde flammam exsufflans, atque in oculos tanquam in animi fenestras, aut partem motu faciliorem ardentes scintillas excutiens: vti aiebat Cassiod. *Iracundus luminum feruore declaratur*: & de irato Verre Tullius: *Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat*. Et Homerus de Achille irâ succenso Iliad. 19. *Oculi eius tanquam flamma*, & iterum: *dentes quidem eius stridebant: oculi verò splendebant, vt flamma ignis*. Similiter Virg. lib. 3. Georgicor. de angue irato significantissimè: *Flammantia lumina torquens*: opportuniùs enim quàm Homerus non splendorem, aut quamuis flammam, sed eam quæ scintillaret, & in motu esset, oculis irati dedit. Vti Neroni Cornel. Tacit. lib. 16. Annal. *Minax voce, vultu, oculis ardescebat*. Sed & criminandi, calumniandique libido aliter quidem oculos afficit; illos videlicet exacuens, vt instar aquilæ, quæ acerrimi visus est, omnia videant, instar mucronis, aut subulæ, vel ea ipsa quæ abditissima sunt, penetrent: vti de hoste suo aiebat Iob c. 16. 10. *Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me*. Vbi Pagninus ex Hebræo reddit: *Exacuit oculos suos contra me*. Similiter LXX. *Mucrone percussit me*. Alij verò: *oculis subula inspexit me*. Quæ omnino significant, illos acuiùs, & acriùs ad perspiciendos defectus proximi intendi: vti Tull. lib. 1. de Oratorib. dicebat: *Ferè nemo est, qui non acutiùs & acriùs vitia in dicente, quàm recta videat*. Et Horat. Satyra 3.

Seneca. Sueton. Suet. Tull. Homer. Virgil. Cor. Tacit. Iob 16. 10. Pagnin. LXX. Tull. Horat.

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Deinde, quis non videat à mœrore, & tristitia viuidam oculorum aciem non modò obtundi, sed etiam tabescere, atque corrumpi. Vnde noster Vates Ps. 87. 10. ait: *Oculi mei languerunt præ inopia*, id est, vt legit Hieron. *ab afflictione*: nimirum,

Ps. 87. 10.

Mœsta etenim assiduo tabescunt lumina fletu.

5 Iam ab inuidia oculi non splendentes, non blandi, non flammantes, non acuti: sed potiùs languidi, tabescentes, & ægrè videntes fiunt: dum præ dolore, & tristitiâ de alterius bono veluti contrahuntur, & deficiunt, ne, quod ipsis maximè molestum est, iucundè videant: vt ipsummet *inuidia*, aut *inuidentia* nomen à particula in, quæ in compositione priuatiua est, satis indicat. Quod videtur respexisse Salomon, cùm ait: *Neque cum inuidia tabescente iter habebo*. Sapiem. 6. 25. Nam (sic Gregorius Magnus libro 5. Moral. cap. 34.) *cùm deuictum cor liuoris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indicant, quàm grauiter animum vesania instigat. Color quippe pallore afficitur: oculi deprimuntur*. Ad quem modum Basilius homil. 11. quæ est de inuidia: ait: *Aspectum illis est aridus, & obscurus, genæ subersilu, supercilium demissum*. Vnde concludit: *Apud eos enim nec actio secundùm virtutem vlla est: non denique aliquid aliud honestum, aut circumspectum conspicitur*. Quòd si huius inuidentiæ significationi, aut deriuationi repugnes ex Cicerone contrariam viam sic instituente Tuscul. 3. *Vt effugiamus ambiguum nomen inuidiæ, quod verbum ductum est à nimis intuendo fortunam alterius*. Dixerim, vt vt de deriuatione fuerit: oculorum gestui, de quo nos agimus æquè vtrumque conuenire: vt nimium videlicet, continuoque videant, & ægrè quidem, & molestè, ac proinde tristi, & languidâ pupillâ aspiciant. Quod mirè firmat illud 1. Reg. 18. 9. de Saüle Dauidi inuidente: *Non rectis ergo oculis Saül aspiciebat Dauid à die illa*. Nimirū ibi vna ex parte LXX. reponunt: *Et fuit Saul inuidens Dauidi à die illa*: ex aliâ ex Hebræo alij legunt: *Oculabat Dauidem*: alij *toruè aspiciebat Dauidem*. Vt innuatur Saülem inuidentem, & continuò oculare, siue aspicere Dauidem, & toruè, oculis non rectis, ægrè scilicet, & cum stomacho illum intueri. Quo dicendi modo vsus est Ouidius de inuidia inquiens lib. 2. Metamorph.

Sap. 6. 25. Gregor. Mag. Basilius. Cicero. 1. Reg. 18. 9. LXX. Lect. Hebr. Pagnin. Ouidius.

sed opportunissimè, & significantissimè exhauriret. Quid enim fuerit aptius ad significandum charitatē nemini iniuriosam, & contumeliosam esse, nec alicuius vitia detegere, ac insectari, & quasi reum illum acerbè exagitare, quàm vnico verbo dixisse, ambitiosam non esse? cùm ea sit superbiæ, & ambitionis natura, vt quotquot anteire cupit, acerbè insectetur, & omnium criminum reos faciat: quasi illi maximè expediat neminem videri bonum. Audi quæso hac de re Philon. lib. *de Charitate:* vbi cùm superbiæ pedem, vel ex ipso corporis superbi hominis habitu sic ostendisset: *Est autem nec animi sanis compos, nec corporis toto habitu, gestuq́; morbum præ se ferens. Incedit summis pedum digitis, ceruicem in equi morem erigens, attollensq́; se supra naturæ modum, nec aliter quàm obliquè intuetur, nec aliter audit, quasi non audiens: famulis pro iumentis vtitur, ingenuis verò pro mancipiis, cognatis item pro alienis, amicis pro adulatoribus, ciuibus pro exteris.* Subiicit peropportunè: *Arbitratur se omnium ditißimum, nobilißimum, pulcherrimum, fortißimum, prudētißimum, temperatißimum, iustißimum, solertißimum: alios verò habet pro pauperibus, obscuris, contemptis, imprudentibus, iniustis, insipientibus, piacularibus, nihiliq́; homuncionibus.* Vides superbi ingenium, omnes despicientis, contemnentis, proculcantis, & omnium criminum reos illos agentis?

3. Cui sanè rationi alia concinit, in quam superbiæ oculi pedesque conueniunt: quod is superbi oculus alios contemnentis, vt dicebat Philo *obliquè intuentis*, non in capite, sed in calcaneo (vt est in Prouerbio) fuerit: id est, superbum non cerebrum seu caput, sed pedes tantùm habere, siue superbiæ oculum caligantem, seu occæcatum esse: dicente Seneca, *Ambitio non respicit:* hoc est dum superbus se vnum attendit, & in sua tantùm oculos figit, imbecillis maximè visus, siue cœcus est. Vnde idem met Seneca lib. 1. natural. qq. *Quidam* (inquit) *hoc genere valetudinis laborant, vt ipsi sibi videantur occurrere, vt vbique imaginem suam cernant. Quare? quia infirma vis oculorum non potest, ne proximum quidem sibi aërem perrumpere, sed resistit.* En superbum occæcatum, caput non habentem, siue stultitiâ laborantem. Ita Paulus 1. ad Timoth. 6. 4. vt breuiter, ita disertissimè: *Superbus est, nihil sciens,* vt dixerit: sit quantum maximè potest sapiens: eò ipso quòd superbus est: nihil scit, amēs est. Audi Chrysostomum homil. 59. in Matthæum: *Nihil arrogantiâ, atque superbiâ peius quæ mentis quoque vires à natura hominibus concessas ita deiiciat, vt amentes, ac valdè stolidos efficere videatur. Nam quemadmodùm si quis cùm statura cubitalis sit, instar montium, imò etiam altiorem se putet, atque ideò seipsum quasi montes excessurus erigat, nullum aliud argumentum insaniæ suæ quæremus: sic cùm inflatum videris hominem, qui meliorem se ceteris arbitretur, contemniq́; opinetur si ceteris hominibus conferatur, nullum iā aliud signum vecordiæ hominis exquiras.* Quæ omnia pulchrè complectitur Ambros. ad id Psalmi, *non veniat mihi pes superbiæ:* hunc pedem cum iis caligantibus oculis siue in calcaneo positis sic coniungens: *Ideò pes errat superbi, quia caput non tenet.* Oculi enim sapientis in capite eius, Ecclef. 2. 14. *Non mirum ergo si errat vestigium vbi oculus non habetur, præcedat oculus, vt pes sequatur: quomodo enim in tenebris viator incedat?* Sic Ambrosius.

4. Hinc rursus oculus, & pes superbi simul coëunt, quòd illo caligante, hoc errante, superbum cadere necesse est. Quare subdit inibi Vates: *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare.* Quæ Augustin. & alij Patres, & interpretes de Lucifero, & aliis superbientibus Angelis accipiunt, vt quemadmodum Seraphini cælestis militiæ Principes præ humilitate oculos suos demittunt, atque velant, ac proinde vtroque pede firmiter stare *Super solium excelsum, & eleuatum,* dicuntur Isaiæ, 6. 2. *Seraphim stabant super illud:* ita ille, cuius sublimes oculi ad altissima concupiscenda eleuati ceteros despiciebant, vno tantùm innixus pede in præceps actus miserrimè corruerit: sic hæc obseruante Bernardo sermone quinto *de verbis Isaiæ,* vbi cùm dixisset: *Stare, persistere est in vigore animi, & obseruatione propositi: sic Moyses stetit in confractione in conspectu Domini, vt auerteret iram eius: sic stetit Phinees, & placauit.* Subiicit: *Væ tibi superbe, spiritus solitudinis, & superba præsumptionis amator. Non stetisti in veritate, expulsus est pes superbiæ, stare non potuit.* Ita Bernardus. Pergit verò Venerabilis Odonius Abbas Cluniacens. collat. 2. apud Bibliothecam Cluniacensem, atque ex hac Dauidis locutione vnum solummodò superbiæ pedem dantis, nullam inter superbiam, & ruinam intercedere moram sic affirmat: *Superbiisse enim, cecidisse est, vnde & per Psalmistam dicitur:* Non veniat mihi pes superbiæ: *Pes, inquit, non pedes: liquet enim quod nullus vno pede diu graditur.* Nec aliter ibi Remigius & alij, Cyprianus verò similiter sermone *de ieiunio, & tentat.* ambitioso sic loquitur: *Mundum habes, Deum non habes; mundus transibit, tu cum eo, qui non stat, cades, transibis, & rues.* His bellè accinit apposita imago arboris, proceræ quidem magnitudinis, sed putridis radicibus consistentis, quam superbiæ tribuit S. Ephrem tractatu *de recta viuendi ratione,* ad hunc modum: *Superbia enim arbori excelsissimæ, sed putridæ similis est, cuius vndique facilè confringuntur rami, in quam si quis ascenderit: celeriter in profundum corruet.* Ita Ephrem. Sed hac de re, & alibi multis egimus, & vberior nobis, Deo dante redibit sermo. Vide ad Philip. cap. 2. 11. adnotat. 6.

Et insatiabili corde.

Auaritia inexplebilis.

LECT. X.

1. AD auaritiam omnes penè PP. atque interpretes referunt: ita Chrysostomus ad hunc modum: *Superbo autem copulauit insatiabilem corde, quòd vna sit amborum voluntas, illius quidem aduersùs proximum se efferentis; huius verò haud secus quærentis se inexplebiliter satiare aduersùs proximum.* Vnde statim sic infert: *Conuenit nos quoque esse contentos modico, ac frugali viatico, vt ne auersi à iustitia inclinemus cor ad cupiditatem nullis quantislibet opibus explendam.* Sic ille. Similiter Remigius: *Duo notantur hic, superbus, & auarus. Auaro enim semper est cor insatiabile, sicuti superbo oculus est elatus.* Necnon Græcus Auctor apud Agellium Græcam vocem explicans: *Auarum, rerum alienarum cupidum.* Ad quem modum Haymo, & alij interpretes loquuntur, & ab eis Cardin. Bellarmin. inquiens: *Dauid igitur ad mensam suam non admittebat tanquam domesticos, & familiares, homines elatos, atque superbos, neque homines cupidos, qui opibus expleri nequeunt.*

2. Quam quidem expositionem plures Scripturæ locutiones firmare videntur, eâdem *Insatiabilitatis* phrasi, auarum hominem, & ditescendi percupidum explicantes, quasi hæc eius nota, & character fuerit: dicente Salomone Ecclef. 5. 9. *Auarus non implebitur pecuniâ.* Et cap. 4. 8. *Nec satiantur oculi eius diuitiis.* Et Ecclesiastico cap. 14. 9. *Insatiabilis est oculus cupidi.* A quo dicendi modo nihilum discrepat illud Ecclesiast. cap. 1. 8. *Non satiatur oculus visu:* maximè cùm *oculorum concupiscentia* à Ioanne epistola. 1. cap. 2. vers. 16. ad auaritiam & habendi cupiditatem omninò referatur. Similiter Ezech. 7, 19. de auro, & argento locutus subiicit: *Animā suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur.* Necnon iterum Salomon

Nam deſideriis non rebus implet, ideò magis inflammat, & irritat cupiditatem, quàm ſatietatem afferat. Sed de his in adnotationibus plura.

Et inſatiabili corde.

Inſatiabilem, & infinitam ambitionem eſſe.

Lect. XI. 1. QVis neget appoſitam, atque probabilem præfatam Chryſoſtomi, & aliorum PP. expoſitionem, ſiue quia ipſorum eſt, ſiue quia auaritiæ notas benè explicet? at enim multò mihi probabilior, atque germanior Auguſtini interpretatio eſſe videtur, quæ inſatiabile cor, æquè ac ſuperbum oculum homini arroganti, atque ſuperbo attribuit, vt his duobus epithetis Vates ſuperbum hominem cognoſcendum, & odio habendum proponat, quin hoc in loco auaritiæ meminerit. (Auguſt.) Et quidem Auguſtinus ſic loquitur: *Quid eſt hoc quod ait* Superbo oculo, & inſatiabili corde, huic non conueſcebar? *Habet epulas ſuas cor pium, habet epulas ſuas cor ſuperbum. Nam propter cibos ipſos cordis ſuperbi, ideò dixit* inſatiabili corde: *Cor ſuperbum vnde paſcitur? Si ſuperbus eſt, inuidus eſt, aliter eſſe non poteſt.* Ita Auguſtin. qui tacitè quidem illud innuit, quod pro hac explicandi ratione mirè facit, dixiſſe nimirum Dauidem, *cum hoc non edebam*: de vno omnino ac proinde de ſuperbo ſermonem inſtituendo: etenim ſi his verbis ad auarum pergens de eo locutus fuiſſet, neceſſaria ratione dicere debuiſſet: cum his non edebam: quare cùm ſignatè, & notanter inquit *cum hoc*, ferè manifeſtè liquet in vno ſuperbo explicando, atque inſectando totum eſſe. Quam ſanè interpretationem quamuis ſuppreſſo Auguſtini nomine etiam amplexus eſt Epiſcopus Agellius (Agellius.) his verbis: *Sed vt mihi videtur, inſatiabile cor, tumidum animum, & ſua opinione inflatum ſignificat, nec vllis modeſtiæ finibus, ac præſcripto contentum, qui ſibi omnia arrogat, & facilè in iurgia, contentioneſq; progreditur: ſibi præfidens, audax, de quo dictum in Prouerbiis eſt*: Qui ſe iactat, & dilatat, iurgia concitat: (Prouerb. 28.) *quod LXX. dixerunt*: vir inſatiabilis temerè iurgatur. Ita Agellius: vnde ſtatim concludit: *Ille igitur detractor clàm ferit, iſte audax, & impotens palàm in cædes prorumpit, quæ duo hominum genera ſocietati humanæ ſunt infeſtiſſima.* Nec ab hac exponēdi ratione omnino diſſentit Lorinus: etenim quamuis Hebræam locutionem ad auaritiam hic à Dauide ſignificandam, tandem inflectat, priùs tamen admonet, illam vaſtum ſiue latum cor denotare, *Cui nihil ſufficiat, quod nullâ re valeat explere, quod plura, & plura ſemper concupiſcat, quòd aſpiret ſemper præ tumore, ac inflatione ad maiora, ſiue in honoribus, ſiue in opibus, ſiue in voluptatibus.*

2. Ex qua quidem lati, ſiue vaſti cordis acceptione: & multò magis ex opportuna noſtri Vulgati tranſlatione, arrogantiæ, atque ſuperbiæ naturam optimè à Dauide deſcriptam videris. Sed qua ratione? aut ſub quo ſenſu credis ſuperbum, inſatiabilis cordis hominem dictum? Retulit quidem, vt vidiſti, Auguſtinus ad inuidiam, quaſi ille, dum neminem præter ſeipſum vult creſcere, aliorum ſemper incrementis inuideat, & alienis malis paſcatur: vnde poſt allata verba ſubiicit Auguſtinus: (Auguſt.) *Superbia mater inuidentiæ eſt, non poteſt, niſi generare hanc, & cum illa ſemper eſſe. Omnis ergo ſuperbus, inuidus eſt, & ſi inuidus eſt, malis alienis paſcitur. Vnde dicit Apoſtolus*: (Galat. 5.) Si mordetis, & comeditis inuicem; videte, ne ab inuicem conſumamini. *Videtis ergo comedentes, nolite bis conueſci, fugite tale conuiuium. Neque enim ſe ſatiant de malis alienis, quia inſatiabili corde ſunt.* Scitè id, quia dum ſuperbus ſolum ſe eſſe, & omnia complecti cupit non tam lætus eſt ſuo, quàm triſtis alieno bono. Vnde diſertus quidam meus familiaris, qui lepidè & iocundè, ſed vrbanè, & cuſtoditè apud me iam olim ludebat, cuius ego recordatione ſuauiſſimè oblector: ſic Aulicum (ſiue certum ſiue incertum non memini) pungebat, & de more ac ſignis; quippe ille à propriis vnguibus corrodendis nunquam ceſſabat, cognoſcendum dabat:

Quæſiui benè millies quid eſſet
Cùm corroderet vndequaquo cunctos?
Cur vngues etiam ſuos ſoleret
Zoilus rodere dentibus caninis?
Et myſterium eſſe grande vidi:
Quid vult creſcere Zoilus? ſeipſum.

Sic etiam Lucianus in ſuperioribus allatus dicebat: (Lucianus.) *Ita ſtudio cuique eſt, cùm ipſe primus eſſe cupit, vti proximum deiiciat, exturbet, conuellat, proculcet*: & paullò antè de Aulicis, & Aula: *Siquidem ibi quò pluribus plura ſpes oſtentat, eò neceſſe eſt, maiore inuidiâ, ſanioribus odiis æmulatione callidiore certari.* Verùm enimuerò, ſi ad acuta veniamus, ea quidem ratio à longè petita eſſe videtur: nec tam ambitionis naturam, quàm aliquam ex illius paſſionibus explicat. Quid? quòd non aptè ſuperbiæ inſatiabilitas ad inuidiæ epulas refertur; cùm ſuas illa proprias quibus paſcitur, habeat.

3. Qua etiam ratione Agellij cogitatio conuellitur, dum ipſe ſuperbiæ, & arrogantiæ latitudinem de ea inflatione, ac tumore accepit, quæ in contentiones, iurgia, & cædes prorumpit. Quod quidem à germana huius phraſis expoſitione ſic abit vt laudem, quam Agellius in collimando eius ſcopo fuerat conſecutus, in ea explicanda omnino perdiderit. Quâ ſanè in re plus aliis ipſe fuerit culpandus, quòd à Lectione LXX. quam ipſe perpetuò defendendam ſuſcipit, eo interpretamento receſſerit. Quid enim commune inſatiabilitatis vocabulum cum contentionibus ac rixis habeat? Ergo explicatio, quam his verbis Agellius de homine arrogante, & ſuperbo reddit, vera eſt: ſententia itidem, quam elegit ſiue adiungit; quaſi is facilè in iurgia, & contentiones progrediatur, veriſſima eſt: horum verò connexio, & ad hæc verba accommodatio, nec non Prouerbiorum verba, quæ cum his ipſe componit; quantâ opportunitate afferatur non video: cùm Dauid ipſamet ſuperbiæ inſatiabilitatem; non autem effectus, qui ab ipſa dimanant; Salomon verò effectus ipſos, iurgia videlicet, & contentiones, non eorum radicem, ſiue originem inſectanda ſuſceperint. Vnde quidem Salomon ſuperbum inibi explicaturus, quin ad iurgia quibus ipſe ſeſe immiſcet pergeret, eâdem quâ eius parens phraſi (quod debuiſſet animaduertere Agellius) vſus eſt: nimirum vt Dauid ſuperbum appellauit hominem *inſatiabili corde*; ita Salomon eundem dixit (iuxta LXX.) *inſatiabilem*: ſiue ſeſe iactantem, & dilatantem, (LXX.) quæ quidem phraſis eadem eſt cum noſtra ab Hebræo hauſta, vt iam vidimus: nam vtrobique eſt *latus animo*.

4. Igitur is mihi ſimpliciſſimè Regis Vatis mentem elucidabit, qui dixerit, ipſum deſignaſſe ſuperbum hac notâ *inſatiabilis cordis*, quòd ſuperbia æquè ac auaritia inexplebilis ſit, quin vllis vnquam limitibus circumſcribi patiatur: ſed velut flamma ſurſum ſemper tendat, maiora concupiſcens, quò maiora acceperit? vti de ipsâ quotquot nouerunt loquuntur: præeunte Salomone, atque ei ignis imaginem ſic aptante, Prouerb. 30. 16. *Ignis nunquam dicit, ſufficit*: (Prou. 30. 16.) vt omnes penè interpretes capiunt, & vnus pro multis P. Martinus del Rio ibi ſic inquiens: (Del Rio.) *Adagium noſtrum de omni cupiditatis æſtu verum eſt, hoc tamen loco aptiſſimè quadrat ſuperbia vitæ, ſiue ambitioni, quia vt flamma ſemper ſurſum fertur, & honoribus regniſvè ſatiari nequit, teſtis vel vnus Alexander de quo Satyricus:*

se opportunissimè, & significantissimè exhauriret. Quid enim fuerit aptius ad significandum charitatē nemini ioiuriosam, & contumeliosam esse, nec alicuius vitia detegere, aut insectari, & quasi reum illum acerbè exagitare, quàm vnico verbo dixisse, ambitiosam noo esse? cùm ea sit superbiæ, & ambitionis natura, vt quotquot anteire cupit, acerbè insectetur, & omnium criminum reos faciat: quasi illi maximè expediat neminem videri bonum. Audi quæso hac de re Philon. lib. *de Charitate*: vbi cùm superbiæ pedem, vel ex ipso corporis superbi hominis habitu sic ostendisset: *Est autem nec animi satis compos, nec corporis toto habitu, gestiq, morbum præ se ferens. Incedit summis pedum digitis, ceruicem in equi morem erigens, attollensq, se supra naturæ modum, nec aliter quàm obliquè intuetur, nec aliter audit, quasi non audiens: famulis pro iumentis vtitur, ingenuis verò pro mancipiis, cognatis item pro alienis, amicis pro adulatoribus, ciuibus pro exteris.* Subijcit peropportunè: *Arbitratur se omnium ditissimum, nobilissimum, pulcherrimum, fortissimum, prudentissimum, temperatissimum, iustissimum, solertissimum: alios verò habet pro pauperibus, obscuris, contemptis, imprudentibus, iniustis, insipientibus, piacularibus, nihilíq, homunctionibus.* Vides superbi ingenium, omnes despicientis, contemnentis, proculcantis, & omnium criminum reos illos agentis?

3. Cui sanè rationi alia concinit, in quam superbiæ oculi pedesque conueniunt: quod is superbi oculus alios contemnentis, vt dicebat Philo *obliquè intuentis*, non in capite, sed in calcaneo (vt est in Prouerbio) fuerit: id est, superbum non cerebrum seu caput, sed pedes tantùm habere, siue superbiæ oculum caligantem, seu occæcatum esse: dicente Seneca, *Ambitio non respicit*: hoc est dum superbus se vnum attendit, & in sua tantùm oculos figit, imbecillis maximè visus, siue cœcus est. Vnde idemmet Seneca lib. 1. natural. qq. *Quidam (inquit) hoc genere valetudinis laborant, vt ipsi sibi videantur occurrere, vt vbiquetamaginem suam cernant. Quare? quia infirma vis oculorum non potest, ne proximum quidem sibi aerem perrumpere, sed resistit.* En superbum occæcatum, caput noo habentem, siue stultitia laborantem. Ita Paulus 1. ad Timoth. 6. 4. vt breuiter, ita disertissimè: *Superbus est, nihil sciens*, vt dixerit: sit quantum maximè potest sapiens: eò ipso quòd superbus est: nihil scit, amēs est. Audi Chrysostomum homil. 59. in Matthæum: *Nihil arrogantia, atque superbia peius quæ mentis quoque vires à natura hominibus concessas ita deiciat, vt amentes, ac valdè stolidos efficere videatur. Nam quemadmodùm sequit cùm flatu a tubulatis sit, instar montium, imò etiam altiorem se putet, atque ideò seipsum quasi montes excessurus erigat, nullum aliud argumentum insaniæ sua quaremus: sic cùm inflatum videris hominem, qui meliorem se ceteris arbitretur, contemnitq, opinetur si ceteris hominibus conferatur, nullum tu aliud signum vecordiæ hominis exquiras.* Quæ omnia pulchrè complectitur Ambros. ad id Psalmi, *non veniat mihi pes superbiæ*: hunc pedem cum iis caligantibus oculis siue in calcaneo positis sic coniungens: *Ideò pes errat superbi, quia caput non tenet.* Oculi enim sapientis io capite eius, Eccles. 2. 14. *Non mirum ergo si erret vestigium vbi oculus non habetur, præcedat oculus, vt pes sequatur: quomodo enim in tenebris viator incedat?* Sic Ambrosius.

4. Hinc rursus oculus, & pes superbi simul coëunt, quòd illo caligante, hoc errante, superbum cadere necesse est. Quare subdit ibi Vates: *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare.* Quæ Augustin. & alij Patres, & interpretes de Lucifero, & aliis superbientibus Angelis accipiunt, vt quemadmodùm Seraphim cælestis militiæ Principes præ humilitate oculos suos demittunt, atque velant, ac proinde vtroque pede firmiter stare. *Super solium excelsum, & eleuatum*, dicuntur. Isaiæ, 6. 2. *Seraphim stabant super illud*: ita ille, cuius sublimes oculi ad altissima concupiscenda eleuati ceteros despiciebant, vno tantùm innixus pede in præceps actus miserrimè corruerit: sic hæc observante Bernardo sermone quinto *de verbis Isaiæ*, vbi cùm dixisset: *Stare, persistere est in vigore animi, & obseruatione propositi: sic Moyses stetit in confractione in conspectu Domini, vt auerteret iram eius: sic stetit Phinees, & placauit.* Subijcit: *Va tibi superbe, spiritus solitudinis, & superbæ præsumptionis amator. Non stetisti in veritate, expulsus est pes superbiæ, stare non potuit.* Ita Bernardus. Pergit verò Venerabilis Odonius Abbas Cluniacens. collat. 2. apud Bibliothecam Cluniacensem, atque ex hac Dauidis locutione vnum solummodò superbiæ pedem dantis, nullam inter superbiam, & ruinam intercedere moram sic affirmat: *Superbisse enim, cecidisse est, vnde & per Psalmistam dicitur*: Non veniat mihi pes superbiæ: *Pes, inquit, non pedes: liquet enim quod nullus vno pede diu graditur.* Nec aliter ibi Remigius & alij, Cyprianus verò similiter sermone *de ieiunio, & tentat.* ambitioso sic loquitur: *Mundum habes, Deum non habes; mundus transibit, tu cum eo, qui non stat, cades, transibis, & rues.* His bellè accinit appolita imago arboris, proceræ quidem magnitudinis, sed putridis radicibus consistentis, quam superbiæ tribuit S. Ephrem tractatu *de recta viuendi ratione*, ad hunc modum: *Superbia enim arbori excelsissimæ, sed putrida similis est, cuius vndique facilè confringuntur rami, in quam si quis ascenderit: celeriter in profundum corruet.* Ita Ephrem. Sed hac de re, & alibi multis egimus, & vberior nobis, Deo dante redibit sermo. Vide ad Philip. cap. 2. t1. adnotat. 6.

Et insatiabili corde.

Auaritia inexplebilis.

LECT. X.

1. AD auaritiam omnes penè PP. atque interpretes referunt: ita Chrysostomus ad hunc modum: *Superbo autem copulauit insatiabilem corde, quòd vna sit amborum voluntas, illius quidem aduersus proximum se efferentis; huius verò haud secus quàm erga se inexplebiliter saturare aduersus proximum.* Vnde statim sic infert: *Conuenit nos quoque esse contentos modico, ac singuli viatico, vt ne auersi à iustitia inclinemus cor ad cupiditatem nullis quantislibet opibus explendam.* Sic ille. Similiter Remigius: *Duo notantur hic, superbus, & auarus. Auaro enim semper est cor insatiabile, sicuti superbo oculus est elatus.* Necnon Græcus Auctor apud Agellium Græcam vocem explicans: *Auarum, rerum alienarum cupidum.* Ad quem modum Haymo, & alij interpretes loquuntur, & ab eis Cardin. Bellarmin. inquiens: *Dauid igitur ad mensam suam non admittebat tanquam domesticos, & familiares, homines elatos, atque superbos, neque homines cupidos, qui opibus expleri nequeunt.*

2. Quam quidem expositionem plures Scripturæ locutiones firmare videntur, eādem *Insatiabilitatis* phrasi, auarum hominem, & ditescendi percupidum explicantes, quasi hæc eius nota, & character fuerit: dicente Salomone Eccles. 5. 9. *Auarus non implebitur pecunia.* Et cap. 4. 8. *Nec satiantur oculi eius diuitiis.* Et Ecclesiastico cap. 14. 9. *Insatiabilis est oculus cupidi.* A quo dicendi modo nihilum discrepat illud Ecclesiast. cap. 1. 8. *Non satiatur oculus visu*: maximè cùm *oculorum concupiscentia* à Ioanne epistola. 1. cap. 2. vers. 16. ad auaritiam & habendi cupiditatem omninò referatur. Similiter Ezech. 7, 19. de auro, & argento locutus subijcit: *Animā suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur.* Necnon iterum Salomon

Beda. Lyra. Salonius. Caietan. Prou. 30. 16. mon ſub terræ imagine, vt Beda, Lyra, Salonius, A Caietan. & alij exponunt: *Terra non ſatiatur aquâ.* Prouerb. 30. verſ. 16. A qua quidem Scripturæ patera penè omnes PP. bibentes auaritiam inſatiabilem faciunt, ſic *Baſilius.* Baſil. homilia 6. in id Lucæ 12. *Deſtruam horrea mea*, & homilia 7. *Ad eos qui cupiunt diteſcere*, & *Ambroſ.* homilia 8. *In diuites auaros*. Ambroſius lib. 1. de Cain, *Nyſſen.* & Abel, cap. 5. & lib. 2. de interpel. cap. vlt. Nyſſenus orat. funebri in obitu Placillæ, à cuius verbis non me temperem: *Sunt iſta pecuniæ ſtudium, nónne verè dolium perforatum eſt, cum ſi vel totum mare effundas, ea natura eſt, vt expleri non poſſit.* *Nazian.* Nazianzen. orat. 28. quem etiam ſubiicio dicentem: *Qui licet facultates ſuas quotidie augeant, ſemper tamen pauperes ſint, quia pluribus indigent: bibunt, vt maiori ſiti inflammentur.* Et ſimilia paſſim *Chryſoſt.* Chryſoſt. Sed quis non è Patrum? aut vbi non?

3. Illud magis mirandum, externos etiam auctores eodem ductu ex hac inſatiabilitatis notâ auarum *Seneca.* cognoſcendum dare. Sic namque primùm Seneca B lib. 2. de benefic. cap. 27. *Numquàm enim improbæ ſpei, quod datur, ſatis eſt. & maiora cupimus, quò maiora venerunt: multóque concitatior eſt auaritia in maiorum opum congeſtu conſtata, vt flammæ infinitè acrior vis eſt, quò ex maiore incendio emicuit.* Et epiſt. 119. *Qui multum habet, plus cupit, quod eſt argumentum nondum illum ſatis habere, qui ſatis habet; conſecutus eſt, quod numquam diuiti contigit finem.* *Plutarch.* Et Plutarch. lib. de cupiditate diuitiarum ſcitè illas ſic improbans: *Quo autem alio malo diuitiæ liberent, ſi ne cupiditatem quidem diuitiarum tollunt?* Sed & is ſentiendi, & loquendi modus ipſis Poëtis, ita *Lucilius* enim Lucilius:

Nam ſi quod ſatis eſt, homini id ſatis eſſe potiſſet
Hoc ſat erat; Nunc cùm hoc non eſt, qui credimus porrò
Diuitias vllas animum mi explere potiſſe?

Ouidius. Et Ouidius 1. Faſtorum:

At poſtquam fortuna loci caput extulit huius C
Et tetigit ſummo vertice Roma deos.
Creuerunt & opes & opum furioſa cupido:
Et, cùm poſſideant plurima, plura petunt.

Apponit pulchram, & nemini non notam imaginē:

Sic quibus intumuit ſuffuſâ venter ab vndâ,
Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Vnde huic inſatiabilitati opportunè explicandæ alij Poëtæ, fluuios quotquot aurum & gemmas ferunt, in hunc auari ventrem ingerunt, vt poſt illos omnes ebibitos plus plus ſitientem oſtendant. Sic *Lucanus.* Lucanus lib. 7.

Sed non impleuit cupientes omnia mentes
Quidquid fodit Iber, quidquid Tagus extulit auri,
Quodque legit diues ſummis Arimaſpus arenis.

Claudian. Et Claudianus in Ruffinum.

Non Tarteſſiacis illum ſatiaret arenis
Tempeſtas pretioſa Tagi, non ſtagna rubentis
Aurea Pactoli, totumq́ue exhauſerit Hermum,
Ardebit maiore ſiti.

Nec contentus, fluuios tantùm in auari ſinum ad explendam eius ſitim iniecisse, totam ſubinde eamque immenſam Oceani vim inſuper immittit, quia auri ſitis exſatiata videatur: ſic namque pergit:

Quò veſtræ ruis? teneas vtrumq́ue, licebit
Oceanum: laxet rutilos tibi Lydia fontes,
Iungantur ſolium Crœſi, Cyriq́ue tiara,
Numquàm diues eris.

Parco aliis, quæ ab Horatio lib. 3. ode 24. & lib. 1. Satyr. Seneca Tragico in Hercul. Furente, & in Oeteo, à Iuuenali, ab Auſonio, à Boëtio lib. 2. de conſolat. metro 2. & lib. 3. metro 3. de hac auaritiæ inſatiabilitate afferuntur: cui enim ſiue illa, ſiue hæc, quæ adſcripſimus, nō ſint ob[u]ia? nec ea nos tam ad eruditionem facilè parabilem ea de re ingerendam congeſſimus, quàm ad præſtitam Chryſoſtomi, & A aliorum PP. expoſitionem, quæ inſatiabilem corde ad auarum refert, inde confirmandam: quippe non leue illi pondus accedit ex auaritiæ natura iiſdem coloribus, ſiue à ſacris, ſiue à prophanis ſcriptoribus depicta.

4. Vnde, pleniore huius inſatiabilitatis diſquiſitione in adnotationes opportunè tranſmiſſa, illud hîc tantummodò adnotandum, quod ad vberiorem litteræ expoſitionem omnino facit, nimirum pro *inſatiabili corde*: Hebræa habere *Latum cor*, ſiue *hominem vaſti cordis*, quod potiùs ad temperantiam, & affectuum moderationem quàm ad inſatiabilitatem referendum videbatur: dicente Scriptura de Salomone cùm omnium Regum ditiſſimus, & florentiſſimus eſſet, ipſeque magnitudinem ſuam florentemque fortunam egregiâ ſapientiâ, & animi moderatione comprimeret: *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris* 3. Reg. 4. 29. vti ſuo *3. Reg 4. 29.* B io loco ex iis Nazarij verbis in Panegyrico ad Con- *Nazar.* ſtantinum: *Hominem non imperando habilem, non tantæ maieſtatis capacem, talem eſſe, vt magnitudo malè crediti muneris extra animi anguſtias effluat*; vberius explicamus: Ideò ille eâ cordis latitudine ingentē auri, argentique copiam tamquàm lapides, & arenam contemnebat: & vanitatem vanitatum omnia exiſtimabat. En latum ſiue vaſtum cor: opportunè applaudente Seneca epiſt. 80. *Numquàm maior eſt animus, quàm vbi aliena depoſuit.* Quî ergo auaritia latum cor faciat? quî latum cor inſatiabile ab auaritia ſit? Sed enim plus fuerit quod id tibi ambigenti eâ in re dixerim: eam eſſe auaritiæ naturam, vt dum implet, non impleat: ſimulque copioſum faciat, & inopem: etenim vt doctiſſimus Scholiaſtes Pineda obſeruat in præfatis verbis Eccleſiaſtes: *Auarus implebitur pe-* C *cuniâ*, ex Hebræi verbi ſignificatione accuratiùs expen- *Lect. Heb.* ſa ſic verti poteſt: *plenus non implebitur*: nimirum verbum *Isbah* propriè eſt, *auidè, & concupiſcenter implere.* Vides quomodo auarus plenus, ſimul ac vacuus, copioſus, & inops ſit?

5. Verùm enimuerò nulla quidem hîc inuenitur antilogia, ſi attentiùs inſpexeris quonam modo auaritia impleat, ſiue quid tandem fuerit, quod ipſa in ſinum ingerat. Sanè auidè, & concupiſcenter implere, quod proprium eſt auaritiæ, nihil aliud omninò fuerit, niſi plus deſiderij, & nouæ cupiditatis quàm pecuniæ ingerere, vt cum centum denariis reapſe acquiſitis centum millia ſimul optet: nam vt pulchrè de auaro Manilius:

Non quod habet numerat, ſed quidquid non habet optat.

Ecce tibi modum, quo auaritia *cor latum*, plenúmve faciat: nouas ſcilicet cupiditates ingenerando, & acrioribus deſideriis implendo, quibus illud magis, D ac magis dilateтur: ſed hæc audi ab Auguſtino *Auguſtin.* ſerm. 15. de diuerſis cap. 4. dum iuſtè contendit: ideò in Scriptura diuitias iniquas, & iniuſtas appellari, non quòd reapſe aurum, & argentum, naturâ ſuâ iniuſta fuerint, ſed quòd nullo bono iure diuitiæ dicantur, quæ hominem diuitem non reddunt, ſed indigentiorem: ait ergo: *Iſtæ quidem iniuſtè diuitiæ dicuntur, non quia iniuſtum eſt aurum, & argentum, ſed quia iniuſtum eſt eas diuitias putare, quæ non auferunt egeſtatem. Tantò enim quiſque magis ardebit egeſtate, quantò magis eas diligens maiores habuerit. Quomodo ergo ſunt diuitiæ, quibus creſcentibus creſcit inopia, quæ amatoribus ſuis, quantò fuerint ampliores, non afferunt ſatietatem, ſed inflammant cupiditatem.* Reddit poſt nonnulla rationem, quam proſequimur: *Nam maior pecunia fauces auaritiæ non claudit, ſed extendit: non irrigat, ſed accendit; poculum reſpuunt, quia flumen ſitiunt.* Opportuniſſimè. Pende hæc *auaritiæ fauces non claudit, ſed extendit;*

Nam

Nam desideriis non rebus implet, ideò magis inflammat, & irritat cupiditatem, quàm satietatem afferat. Sed de his in adnotationibus plura.

Et insatiabili corde.

Insatiabilem, & infinitam ambitionem esse.

Lact. 2. XI.

QVis neget appositam, atque probabilem præfatam Chrysostomi, & aliorum PP. expositionem, siue quia ipsorum est, siue quia auaritiæ ootas benè explicet? at enim multò mihi probabilior, atque germanior Augustini interpretatio esse videtur; quæ insatiabile cor, æquè ac superbum oculum homini arroganti, atque superbo attribuit, vt bis duobus epithetis Vates superbum homioem cognoscendum, & odio habendum proponat, quin hoc in loco auaritiæ meminerit. Et quidem Augustinus sic loqoitur: *Quid est hoc quod ait?* Superbo oculo, & insatiabili corde, huic non conuescebar? *Habet epulas suas cor pium, habet epulas suas cor superbum. Nam propter cibos ipsos cordis superbi, ideò dixit* insatiabili corde: *Cor superbum vnde pascitur? Si superbus est, inuidus est, aliter esse non potest.* Ita Augustin. qui tacitè quidem illud innuit, quod pro hac explicandi ratione mirè facit, dixisse nimirum Dauidem, *cum hoc non edebam*: de vno omnino ac proinde de superbo sermonem instituendo: etenim si bis verbis ad auarum pergens de eo locutus fuisset, necessaria ratione dicere debuisset: cum his non edebam: quare cùm signatè, & notanter loquit *cum hoc*, ferè manifestè liquet in vno superbo explicando, atque insectandu totum esse. Quam sanè interpretationem quamuis suppresso Augustini nomine etiam amplexus est Episcopus Agellius his verbis: *Sed vt mihi videtur, insatiabile cor, tumidum animum, & sui opinione inflatum significat, nec vllis modestiæ finibus, ac præscripto contentum, qui sibi omnia arrogat, & facilè in iurgia, contentionesq; progreditur: sibi præfidens, audax, de quo dictum in Prouerbiis est*: Qui se iactat, & dilatat, iurgia concitat: *quod LXX. dixerant*: vir insatiabilis temerè iurgatur. Ita Agellius: vnde statim concludit: *Ille igitur detractor clàm ferit, iste audax, & impotens palàm in cædes prorumpit, quæ duo hominum genera societati humanæ sunt infestissima.* Nec ab hac exponēdi ratione omnino dissentit Lorinus: etenim quamuis Hebræam locutionem ad auaritiam hic à Dauide significandam, tandem inflectat, priùs tamen admonet, illam vastum siue latum cor denorare, *Cui nihil sufficiat, quod nullâ re valeat expleri, quod plura, & plura semper concupiscat, quòd aspiret semper præ tumore, ac inflatione ad maiora, siue in honoribus, siue in opibus, siue in voluptatibus.*

Agellius.

Prouerb. 28.

2. Ex qua quidem lati, siue vasti cordis acceptione: & multò magis ex opportuna nostri Vulgati translatione, arrogantiæ, atque superbiæ naturam optimè à Dauide descriptam videris. Sed qua ratione? aut sub quo sensu credis superbum, insatiabilis cordis hominem dictum? Retulit quidem, vt vidisti, Augustinus ad inuidiam, quasi ille, dum neminem præter seipsum vult crescere, aliorum semper incrementis inuideat, & alienis malis pascatur: vnde post allata verba subi.cit Augustinus: *Superbia mater inuidentiæ est, non potest, nisi generare hanc, & cum illa semper esse. Omnis ergo superbus, inuidus est, & si inuidus est, malis alienis pascitur. Vnde dicit Apostolus*: Si mordetis, & comeditis inuicem; videte, ne ab inuicem consumamini. *Videtis ergo comedentes, nolite his conuesci, fugite tale conuiuium. Neque enim saturam de malis alienis, quia insatiabili corde sunt.* Scitè id, quia dum superbus solum se esse, & omnia complecti cupit non tam lætus est suo, quàm tristis alieno bono. Vnde disertus quidam meus familiaris, qui lepidè & iucundè, sed vrbanè, & custoditè apud me iam olim ludebat, cuius ego recordatione suauissimè oblector: sic Aulicum (siue certum siue incertum non memini) pungebat, & de more ac sigois; quippe ille à propriis vnguibus corrodendis ounquam cessabat, cognoscendum dabat:

August.

Galat. 5.

Quæsiui benè millies quid esset
Cùm corroderet vndequaque cunctos?
Cur vngues etiam suos soleret
Zoilus rodere dentibus caninis?
Et mysterion esse grande vidi:
Quid vult crescere Zoilus? seipsum.

Sic etiam Lucianus in superioribus allatus dicebat: *Ita studio cuique est, cùm ipse primus esse capit, vti proximum deiiciat, exturbet, conuellat, proculcet*: & paullò antè de Aulicis, & Aula: *Siquidem ibi quò pluribus plura spes ostentat, eò necesse est, maiore inuidiâ, fauoribus odiis æmulatione callidiore certari.* Verùm enimuerò, si ad acuta veniamus, ea quidem ratio à lungè petita esse videtur: nec tam ambitionis naturam, quàm aliquam ex illius passionibus explicar. Quid? quòd non aptè superbiæ insatiabilitas ad inuidiæ epulas refertur; cùm suas illa proprias quibus pascitur, habeat.

Lucianus.

3. Qua etiam ratione Agellij cogitatio conuellitur, dum ipse superbiæ, & arrogantiæ latitudinem de ea inflatione, ac tumore accepit, quæ in contentiones, iurgia, & cædes prorumpit. Quod quidem à germana huius phrasis expositione sic abit vt laudem, quam Agellius in collimando eius scopo fuerat consecutus, in ea explicanda omnino perdiderit. Quâ sanè in te plus aliis ipse fuerit culpandus, quòd à Lectione LXX. quam ipse perpetuò defendendam suscipit, eo interpretamento recesserit. Quid enim commune insatiabilitatis vocabulum cum contentionibus ac rixis habeat? Ergo explicatio, quam bis verbis Agellius de homine arrogante, & superbo reddit, vera est: sententia itidem, quam elegit siue adiungit; quasi is facilè in iurgia, & contentiones progrediatur, verissima est: horum verò connexio, & ad hæc verba accommodatio, nec non Prouerbiorum verba, quæ cum his ipse componit; quantâ opportunitate afferantur non video: cùm Dauid ipsammet superbiæ insatiabilitatem; non autem effectus, qui ab ipsa dimanant; Salomuo verò effectus ipsos, iurgia videlicet, & contentiones, non eorum radicem, siue originem insectaoda susceperint. Vnde quidem Salomon superbum inibi explicaturus, quia ad iurgia quibus ipse sese immiscet pergeret, eâdem quâ eius patens phrasi (quod debuisset animaduertere Agellius) vsus est: nimirum vt Dauid superbum appellauit hominem *insatiabili corde*; ità Salomon eundem dixit (iuxta LXX.) *insatiabilem*: siue sese iactaotem, & dilatantem, quæ quidem phrasis eadem est cum nostra ab Hebræo bausta, vt iam vidimus: nam vtrobique est *latus animo*.

LXX.

4. Igitur is mihi simplicissimè Regis Vatis mentem elucidabit, qui dixerit, ipsum designasse superbum hac notâ *insatiabilis cordis*, quòd superbia æquè ac auaritia inexplebilis sit, quin vllis vnquam limitibus circumscribi patiatur: sed velut flamma sursum semper tendat, maiora concupiscens, quò maiora acceperit? vti de ipsâ quotquot nouerunt loquuntur: præeunte Salomone, atque ei ignis imaginem sic aptante, Prouerb. 30. 16. *Ignis numquam dicit, sufficit*: vt omnes penè interpretes capiunt, & vnus pro multis P. Martinus del Rio ibi sic inquiens: *Adagium nostrum de omni cupiditate asto verum est, hoc tamen loco aptissimè quadrat superbiæ vitæ, siue ambitioni, quæ vt flamma semper sursum fertur, & honoribus regnisve satiari nequit, testis vel vnus Alexander de quo Satyricus:*

Prou. 30. 16.

Del Rio.

Vnus

Digitized by Google

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.

Seneca. Hæc Rio: Cui vt bono olim magiſtro non modò ſubſcribo, ſed etiam locum Senecæ eamdem ignis imaginem præferentem cōmodo: ita enim ille lib. 2. de beneficiis cap. 27. *Eò maiora cupimus, quò maiora venerunt: vt flamma infinitò acrior viuit, quæ ex maiori incendio emicuit, æquè ambitio non patitur, quemquam in eâ menſurâ honorum acquieſcere, quæ quondam eius fuit impudens votum. Nemo agit de Tribunatu gratias, ſed queritur, quòd non eſt ad Præturam vſque perductus, nec hæc grata eſt, ſi deeſt Conſulatus, nec hic quidem ſatiat, ſi vnus eſt. Vltrà ſe cupiditas porrigit, & felicitatem ſuam non intelligit, quia non vnde venerit reſpicit, ſed quò tendat.* Vbi & flammæ ſimilitudinem, & ſatiandi phraſim habes. Sed hæc nemo opinor luculentiùs explicauit, ac Bernardus *Bernard.* epiſtol. 42. & alibi ſic exclamans: *O infinita ſemper ambitio, & inſatiabilis auaritia: cùm primos honorum gradus meruerint in Eccleſia; meruerint autem, vel vita merito, vel pecunia, ſiue etiam carnis & ſanguinis,* quæ regnum Dei non poſſidebunt, *prærogatiua, non ideò corda quieſcunt duplici ſemper æſtuantia deſiderio, quo vtrique magis, ac magis, & dilatentur in plura, & ad celſiora ſublimentur: verbi gratiâ, cùm factus quis fuerit, in quacumque Eccleſia Decanus, Præpoſitus, Archidiaconus, aut aliquid huiuſmodi, non contentus vno, in vna plures ſibi, imò quotquot valet, conquirere honores ſatagit tam in vnâ, quàm in pluribus, quibus tamen omnibus, ſi locus euenerit, libenter vnus præferet Epiſcopi dignitatem. Sed nunquid ſic ſatiabitur? factus Epiſcopus, Archiepiſcopus eſſe deſiderat. Quo fortè adepto rurſus neſcio quid altius ſomnians laborioſis itineribus, & ſumptuoſis familiaritatibus Romanum ſtatuit frequentare palatium quæſtuoſas ſibi quaſdam exinde cōparans amicitias.* Hæc optimè Bernar.

5. Quæ quidem rurſus ſuperbiæ *pedem* cum *oculis cordeq;* conciliant. Nam vt hunc pedem eò etiā commodè retuleris, quòd ambitioſi, vt magnis Principibus, & eorum adminiſtris, in quibus ſpes ſuas collocatas habent, honorem deferant, pede decreſcere, ſiue externa honoris obſequiis pede flexos exhibere ſoleant, vti Ambroſius, & Tertull. pendunt, quorum prior lib. 4. in Lucam ait: *Ambroſ. Tertull.* *Vt dominetur aliis, priùs ſeruit, curuatur obſequio, vt honore donetur:* poſterior verò lib. *de pœnit.* cap. 6 *quæ non atria nocturnis, & crudis ſalutationibus occupant, ad omnem occurſum maioris cuiuſcumque decreſcentis:* multò opportuniùs dixeris; ſuperbiam, ſiue ambitionem vel à pedibus denotari, quòd altiùs ſomnians vt dicebat Bernardus laborioſa itinera ſuſpiciat, vel vnico pede inniti, quòd id ſit ambitioſi hominis inſatiabile cor, & ingenium vt vtrūque pedē nunquam fixum habeat; ſed alterum ſemper denuò aſcendat, eleuet, & in nouas ſpes pendente veſtigio promineat, vti hunc in modum ſcitè dixit *Seneca.* Seneca lib. 2. de *tranquil. anim.* cap. 2. *in ſpes toti prominent ſemper ſtabiles, mobileſq;*: & epiſtola 19. ac ſi hunc pedem è ſolo ſemper ſublatum ad vlteriora pergentem ob oculos haberet, Lucilium ſic alloquitur: *Tulit te longè à conſpectu vitæ ſalubris rapida felicitas, prouinciæ, & procuratio, & quidquid ab iſtis promittitur, maiora deinde officia te excipient, & ex aliis alia. Quis exitus erit? quid expectas: donec deſinas habere, quod cupias? Numquam erit tempus. Qualem dicimus eſſe ſeriem cauſarum, ex quibus nectitur fatum, talem & cupiditatum, altera ex fine alterius naſcitur.* Sic ille. Ad quem modum Lucianus ille *Lucian.* *in Palinuro* de hàc ſuperbiæ inexplebilitate multa eleganter diſſerit.

Cum hoc non edebam.

Intolerabile ſuperbi ingenium.

LECT. XII. 1. NOn myſticum modò, ſed etiam alienum eſt, quod de ſanctiſſima Euchariſtia hîc nonnulli ingerunt, quaſi eâ maximè indignos ſiue auaros, ſiue ſuperbos Dauid iudicarit: *Cum hoc non edebam* (inquit Haymo) *Haymo.* *cibum corporalem, vel potiùs ſpiritualem, ſcilicet Dominici corporis refectionem.* Quorſum enim id Dauidis temporibus, & inſtituto? qui vt tantum myſterium propheticis præuideret oculis, non omnino opportunè illius tunc comminiſceretur. Illud opportuniùs ambiges: an id de regiâ menſâ (vt ſonat) ad quam bonus Rex hoc genus hominū ſignatè non adhiberet? an potiùs figuratè pro conuictu, & vitæ conſuetudine fuerit accipiendum. Et quidem Auguſtinus, Remigius, & alij PP. atque interpretes ad corporis epulas omnino referūt ex illius temporis conſuetudine, dum regni proceres regiæ menſæ ſolebant accumbere, vt conſtat 1. Reg. 20. 5. vbi *1. Reg. 20. 5.* noſter Dauid priuatam tunc agens vitam, ſe regiis epulis accumbere ſolitum ſic ait: *Ecce calendæ ſunt craſtino, & ego ex more ſedere ſoleo iuxta Regem ad veſcendum,* &c. Vnde non immeritò dubitat Auguſtinus: cur Dauid, cui Chriſti exempla ob oculos erant, ſiue qui Chriſti nomine, & ſub eius perſonâ loquebatur, nollet cum ſuperbis veſci, cùm Dominus à ſuperbis Phariſæis inuitatus, ab illorum menſa non ſe ſubtraxerit? vt in Phariſæo inuitante Dominum apud Lucam cap 7. 39. & præ ſuperbia illum contemnente, *Luc 7. 39.* quaſi peccatricis ad eum accedentis mores neſciret, omnino apparet; *Iſte Phariſæus* (inquit Auguſtinus) *Auguſt.* *ſuperbus erat, conueſcebatur cum illo Dominus. Quid eſt ergo, quod ait:* Superbo oculo, & inſatiabili corde, huic non conueſcebar? *Quid eſt:* non conueſcebar? *Non cum illo manducabam. Quomodo nobis proponit hæc, quando ipſe non fecit? Admonitionem ſuam nos hortatur. Videmus eum conuiuatum eſſe cum ſuperbis, quomodo nos prohibet, ne conuiuemur cum eis?* Reſpondet verò, vtrumque ex charitate proficiſci, & cum aliis manducare, & ab aliorum menſa abſtinere, vt alij conuictu, & affabilitate ad fidem alliciantur, alij negatâ ſeueriùs menſâ erubeſcant, & corrigantur: Sic enim ille: *Nos quidem fratres, propter correptionem aliquam tenemus nos etiam à fratribus noſtris, & non cum eis conuiuamur, vt corrigantur. Cum extraneis potiùs conuiuamur, & cum paganis, quàm cum his, qui nobiſcum erant, & nobis adhærent, ſi videmus eos malè viuere, vt erubeſcant, & corrigantur, ſicut dicit Apoſtolus.* Si quis non obaudit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & nolite commiſceri cum eo; & non vt inimicum eum exiſtimetis, ſed corripite vt fratrem. *Facimus hoc plerumque propter medicinam, & tamen cum extraneis multis, & cum impiis ſæpè veſcimur.* Hæc Auguſtin. Qui etiam ſenſum ſuum ex Apoſtolo quoad vtramque partem firmare potuiſſet, 1. ad Cor. 5. *1. Cor. 5. 11* 11. vbi ſignatè negatæ menſæ mentionem ſic facit: *Nunc autem ſcripſi vobis, non commiſceri: ſi is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi nec cibum ſumere: Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare?* Ad quem locū præfatam Auguſtini doctrinam tradunt Ambroſius, & Anſelmus: vide ibi. Aliter verò huic dubio occurrit Remigius ad hunc modum: *Remig.* *Cum hoc non edebam voluntate, licet actione. Recepit Dominus peccatores, & manducauit cum illis, ſed in voluntate non conſenſit: ipſe enim tantùm comedit cum eis ad correctionem eorum: in hoc enim ſe magiſtrum oſtendit, cùm ad illorum correctionem cum illis comedit.*

2. Mihi verò potior eſt expoſitio Incogniti, non materialiter, ſed figuratè hanc menſam, ſiue epulas accipientis pro familiaritate & cōſuetudine ſuperborum, à quâ Vates abhorreret, ad hunc modum: *Cum talibus ergo Dauid non edebat, quia litteraliter ipſorum conſortia fugiebat.* Nimirum Hebræa, & Chaldæa id *Lect. Heb.* omnino tinniunt: ſic namque ex Hebræo Pagninus, & Lectio Tigurina *Lect. Tigu.* *non feram:* ſiue vt alij: *ferre non potero,* ſiue vt Hieronymus: *Hieron.* *cum hoc non eſſe potero.* Chal-

dæa

Chald. dea verò *non habitabo*. Quid quod ipsemet dicendi A modus id videtur exigere: nam si de mensa regia sermo esset, potiùs dixisset Dauid, apud me non edebat, quàm *cum hoc non edebam*: quippe Rex ad mensam suam alios admittit, ipse ad alienam mensam non it. Et verò Hebrææ phrasis benè explicat, quàm sit aliis molestum, atque intolerabile superbi hominis ingenium: eâdem enim vsus Satyricus de femina superba, & supercilium altiùs tollente dicebat:

Iuuenal. *Quis feret vxorem, cui constent omnia? malo*
Malo Venusinam, quàm te Cornelia, mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum precor Hannibalem, victumq; Syphacem
In castris, & cum tota Carthagine migra.

Vide, vt dixerit Iuuenalis, *quis feret* vxorem grandi supercilio, quemadmodum Dauid. *Superbo oculo* prædictum *non feram*.

3 Sed meritò quidem ambigas: cur Noster transtulerit: *cum hoc non edebam*: siue cur Dauid vt superborum se consortia fugere significaret, eâ phrasi vsus est? Retulerim id primùm ad denotandum odium, quo superbos [illegible] persequebatur, vt subsit imago à cibo noxio, & fœtenti, qui mensæ appositus stomachum moueat: vti capit Theophylactus ea Paoli verba 1. ad Cor. 5. 11. *Cum huiusmodi nec cibum sumere* ad hunc modum: *Cum huiusmodi ac cibum quidem sumendum esse: ut agnoscant se abominationem [illegible], esse propter scelus, ab eo sibi temperet, atque abstineat.* Deinde vt idem omnino sensus Vatis verbis ac his Pauli *nec cibum sumere* subsit, quibus, si benè æstimas, Apostolus impiorum bonorum consuetudinem, non vtcumque, sed modis omnibus, nec vllo prætextu, aut signo amicitiæ permisso vitari præscripsit: plus quidem emphasis habet particula illa *nec*, quàm simplex negatio *non*: hac siquidem simpliciter aliquid negatur; illa verò pòst alia iâ negata posita significat extremam negationem, siue prohibitionem rei, quæ nulla ratione, nullo modo fieri debet. Quare pende nihil frequentius, nihil humanius esse, præsertim in primitiuâ Ecclesiâ, quàm amicos simul conuescisse ad agapem, cœnam videlicet, & caritatem (vtrumque enim *agape* significat) conuenire, adeò vt inde noscerentur Christi discipuli, vt alibi adstruximus ex illis Pauli verbis 1. ad Cor. 11. 20. *Conuenientibus vobis in vnum iam non est Dominicam cœnam manducare*. Vnde Paulo de hominibus contaminatissimis moribus infectis (nam signatè loquitur de scortatoribus, ebriosis, rapacibus, idololatris, & maledicis) aiente *cum huiusmodi nec cibum sumere*: tantùm non dicit; ab iis adeò abstinere debetis, & procul abesse, vt nec ea caritatis officia, quæ pia, & laudabilia sunt cum illis exerceatis, ne vnà cum ipsis conuescentes, impuritatis eorum participes aut spectatores efficiamini: noxij quippe mores, vel cum aëre impuro attrahuntur. Neque verò id ab humanitate, aut à caritate, siue à rectâ ratione videri debet alienum: nam vt magno iudicio inquit Gregorius Nazianz. in Apologetico: *Quin etiam cum nonnullis ita agendum est, vt non irascentes irascamur, non contemnentes contemnamus, non desperantes desperemus, quatenus videlicet eorum natura id requirit*.

1.Cor.5. 11.

Theophyl.

1.Cor.11. 20.

Nazianz.

VERSVS VI.

Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum: ambulans in via inmaculata hic mihi ministrabat.

COMMENTARIVS.

Non placent, qui nolunt recedere à Dauidis mensa; hæc verba præcedenibus sic assuentes, vt asserit P. Velasquez in Psalm. centesimum.

firmet Vates; pro superbis & auaris, quos ipse mensâ suâ prohibebat, viros fideles aduocare, qui regiis epulis accumberent: id enim esse volunt, *vt sedeant mecum*. Quid enim fuerit operæ pretium, totis oculis Dauidem regna sua perlustrare, vt conuiuas mensæ suæ seligeret? scilicet hinc pendebant fortunæ Gratiæ. Ergo de administris, Præfectis, Magistratibus, Iudicibus, Consiliariis in partem gubernationis, & regiarum curarum admissis, quique câ ratione Imperij & Reip. partem tangentes cum Principe in solio, siue ad nauis gubernacula, in qua salus publica vehitur, sedere dicuntur, sermo est: vt quorquot PP. & interpretes litteræ hærent, interpretantur. Quod si ad allegoriam aliqui & PP. diuertunt: *sedere* itidem accipiunt de iudiciariâ Apostolorum in extremo iudicij die potestate: *Fideles terra inquit* (ita Agellius) *vndique* B *conquirebam, vt mecum essent, ac mecum habitarent: probos viros, & quibus tutò me, meaq; committere possem, assumebam: non vt Reges, ac Principes solent, admittebam adulatores, aut parasitos, & perfidos, atque improbos homines, vt ad indicandum, & [illegible] consultandum de grauissimis rebus mecum sederent*. H[illegible] llius: & eadem ferè Cardinal. Bellarminus. Agellius.

Oculi mei.

Præcipuum Principis munus est in deligendis Magistratibus oculos super omnem populum habere. LECT. I.

1 Nolis forsan, Principem in parandis sibi Administris, & Magistratibus oculis vti, sed animo, intellectu, mente: eaque in virtutem, quâ sola potestas ematur, attentâ: quippe vehementes Re- C gum voluntates, oculos qui externis dotibus facilè capiuntur, præcipites sequi solent. Vnde sapientibus, & qui sui compotes sunt:

Hor. lib. 1. Satyr. 2.
Regibus hic mos est, vbi equos mercantur, opertos
Inspiciunt, ne si facies (vt sæpè) decora
Molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem.

Ne videlicet animus post oculos facie decora, quod equis ad bellum nec hilum proficit, captus fuerit, sed oculi potiùs mentem pedes, manusque an molles, fortésve, & terram feróciter quatientes sint, expendentem sequantur. Cui incommodo non leuiter videtur eo nelnere Haymonis expositio oculos ad affectiones sic referens: *Affectiones meæ erant ad fideles*. Sed Haymo. enim alia omnino sapientissimi Regis mens: alius ipsi oculorum vsus ad valde idoneos, & aptissimos sibi administros, & Præfectos deligendos aptissimos D fuerit: non enim oculis hic ad iodicandum; cui quidem muneri importuni ipsi, sine impostores, & fallaces sunt; sed ad conquirendum; siue etiam ad bonum iam inuentum complectendum; quod in eligente omnino experieris, vtitur Dauid: tantùm non dicens: Non in eos solùm, qui mihi adstant, coramque versantur; sed in illos etiam qui procul dissiti, velut in finibus terræ degont, oculos mittebam, vt ex sparsiori, & latissimo (id enim fuerit ad *fideles terra*, id est, vt explicat Haymo, *non vnius loci, sed vniuersæ terræ*) cæteroque virtutis, & iustitiæ cultores quos præfecturis præficerem, velut gratissimos flores legerem, eodem omnino sensu, quo apud Cassiodor. lib. 9. Cassiod. ep. 22. cùm regio ore dixisset Athalaricus Rex: *Electio nostra de meritis venit, & tantò quis regali animo proximatur, quantò bonis studiis sociatus coniungitur*: Subiecit: *Non vercamini abstrusi, nec situ de Principis ignoratione soliciti. Latere potest forsitan vulgare hominum genus, nesciri non potest proles Senatus, quando benè agi sunt quæ merito asseruntur, & abundè cognoscitur, quisquis famâ teste lauda-*

laudatur. Quapropter te longiſſimè conſtitutum mentis noſtra oculus ſerenus inſpexit, & vidit meritum, quod non habebatur occultum. Opportunè. Committe vtraque verba, & Dauidis oculos cum oculis Athalarici in eundem omnino ſcopum defixos: *Oculi mei ad fideles terra vt ſedeant mecum*, inquit Vates; & Athalaricus: *Te longiſſimè conſtitutum mentis noſtra oculus ſerenus inſpexit:* vt dicat vterque: *Ne vereamini abſentes, nec ſitis de Principis ignoratione ſolliciti: electio noſtra de meritis venit, & tantò quis regali animo proximatur,* quantumuis ſit corporis præſentiâ remotus, *quantò bonis ſtudiis ſocietate coniungitur.* Sed & illi Tiberio antequam in deterius mutaretur, hoc ſtudium, hanc curam itidem fuiſſe, vt optimo cuique licet de facie ignoto ex fama tamen probato res ſuas gerendas daret: ſic affirmat Corn. Tacit. lib. 4. Annal. *Res ſuas Cæſar ſpectatiſſimo cuique, quibuſdam ignotis ex famâ mandabat.*

2 Quare ſi attendis, hæc phraſis ſiue modus dicendi Dauidis omnino concinit iis Salomonis verbis: *Oculi ſtultorum in finibus terræ*, Prouerb. 17. 24. Sententia vero eadem prorſus fuiſſe cum illa Iethro ad Moyſem Exodi 18. 21. *Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas & qui oderint auaritiam*, &c. *Qui iudicent populum omni tempore.* Nimirum Salomon eâ locutione dicere voluit, ſtultos iis, quæ in proximo habent minimè contentos, oculos emiſſitios, hiantes, & concupiſcentes in longiſſimas terras conijcere: qui videlicet præſentia faſtidiant, & abſentia, & longo ſpatio remota ac nullis finibus coërcita concupiſcant, Gregorio Magno, & aliis PP. ſic ea verba accipientibus, de quo nos alibi: ad cuius guſtum alter etiam Gregorius Nazianzenus eadem mente in orat. in plagam grandinis dixerat, *nouum orbem quærimus*, & Chryſoſtom. Homil. 37. in 1. ad Corinth. *In alium tranſeunt orbem*: ad quem modum Dauid emiſſitios ſe oculos in omnia regna ſua conijcere affirmat, vt ea circumluſtrando optimos ſibi miniſtros, & Magiſtratus deligat. Ad Exodi autem verba quæ Iethro Moyſi ſuggeſſit ſic inquit Oleaſter: *Præcipuum munus Principum eſt, ad examen hominum ad iudicandum oculos ſuper omnem populum habere, vt ex eo rectores deligant.*

Prou. 17. 24. Exod. 18. 21. Greg. Mag. Nazianz. Chryſoſt. Oleaſter.

3 Ex quibus facilè apparet; oculos hic à Dauide non propriè ſumi, quaſi ipſe oculis ſuis examinaret, probaretque quos eligeret, vti de Traiano dicebat in Panegyrico Plinius: *Felices illi, quorum fides, & induſtria non per internuntios, & interpretes, ſed ab ipſo te, nec auribus tuis, ſed oculis probatur.* Sed pro intentione & ſenſu, ſiue iudicio, quo aptiſſimos in longinquo etiam poſitos intueretur, vt Magiſtratibus præficeret; vt de ſeipſo dicebat Rex Theodoricus apud Caſſiodor. lib. 1. epiſtol. 4. Senatui vrbis Romæ hunc in modum ſcribens: *Hos viros noſtra perſcrutatur intentio, iis more thesauri gaudemus inuentis, in quibus velut figuratis honorum vultibus clementia veſtra ſerenitatis exprimitur.* Et eodem lib. epiſt. 22. cùm Marcello aduocato fiſci dixiſſet: *Non enim de eudibus ſententiam ferimus, ſed de probatiſſimis iudicamus. Poliſti ſiquidem ſtudij forenſis cote multifariè prædicatum ingenium: nutriſti facundiam exercitatione cauſarum: expertus es, quàm ſuaues fides afferat fructus, vt etiam ipſa conciliet corda regnantium.* Subiicit: *Hæc in te ſpeculator virtutum noſter ſenſus inſpexit. His apud nos ſuffragiis placere meruiſti, vt dignus exiſteres ad publicas cauſas, qui geſſiſti hactenus ſub integritate priuatas.* Pende hic, *ſpeculator virtutum noſter ſenſus inſpexit:* Sicut & ibi, *noſtra perſcrutatur intentio*: Senſui videlicet ſiue iudicio oculos, & inſpectionem tribuens Theodoricus, quibus omnia luſtrans probatiſſimos quæreret, atque deligeret.

Plinius. Caſſiod.

4 Vnde alibi idemmet Rex eleganter aiebat: *Pompa meritorum eſt regale iudicium, quia neſcimus iſta niſi dignis impendere.* Subdens regio ore, & animo dignas voces: *& quamquam poteſtati noſtræ, Deo fauente, ſubiaceat omne quod volumus, voluntatem tamen noſtram de ratione metimur, vt illud magis æſtimemur elegiſſe quod cunctos dignum eſt approbare.* Hæc ille lib. 1. epiſt. 12. Quæ Regibus ob oculos, & in animo ſemper eſſe debent, vt in deligendis Magiſtratibus non ſuos affectus, ſed commune hominum iudicium, & approbationem ſequantur. Quod quidem in Valeriano Principe ſummè laudatum, & felicitate Romanâ dignum viſum eſt: vti de ipſo ſic refert Trebellius Pollio in vitis triginta tyrannorum cap. 9. de Regiliano: *Mirabile autem hoc fuit in Valeriano Principe, quòd omnes quoſcumque duces fecit, poſtea militum teſtimonio ad Imperium peruenerunt, vt appareat ſenem Imperatorem in deligendis Reip. ducibus talem fuiſſe, qualem Romana felicitas, ſi continuari fataliter potuiſſet, ſub bono Principe requirebat.* Ita quidem Imperator Conſtantius in orat. de Themiſtio in Senatu habita gloriabatur ſe eximium illum Philoſophum, quem de facie non nouerat, ob eius ſapientiæ famam Senatoriâ dignitate ornaſſe, atque in eo tanto munere perficiendo Imperatorij iudicij egregium ſpecimen ediſſe: ſic namque ibi: *Quum igitur exiſtimatio de viro longè lateq; diſperſa Themiſtium Philoſophum ad aures noſtras adduxiſſet, Imperatorij iudicij, atque etiam veſtri eſſe exiſtimaui, illum ſplendidiſſimo Patrum concilio adſcribendo, virtutem, quæ in ipſo eſt, congruo honore remunerari.* Quò merè facit pulcherrimus Alexander Seueri Imperatoris optimi mos eos quos Præfecturis præficere volebat publico omnium examini priùs exponentis, vt qui de hominum facultatibus, & vita eſſent iudicaturi, ab ipſis primùm hominibus iudicarentur, ſiue probarentur: rem ſic referente Lampridio in eius vita: *Vbi aliquos voluiſſet, vel rectores prouinciis dare, vel præpoſitos facere, vel procuratores, id eſt, rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, vt ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus: ſi non probaſſet, ſubiret pœnam capitis.* Addit Lampridius ex Chriſtiana diſciplina Gentilem illum Principem id didiciſſe: ſubdit enim: *Dicebatq; graue eſſe cùm id Chriſtiani, & Iudæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt, non fieri in prouinciarum rectoribus; quibus & fortunæ hominum committerentur, & capita.* Ita ibi.

Trebell. Conſtantius. Lamprid.

5. Nec minùs opportunè verbis Dauidis, eius oculos pro affectu, & benignitate in homines fideles acceperis, cum Remigio ſic explicante: *Reſpectus miſericordiæ meæ.* Vt peculiarem animi propenſionem, quam erga iuſtos habebat Dauid: eo ſenſu quo Hiſpanè de homine in aliquâ rem eximiè prono, & affecto dicimus: *Vanſele los ojos tras eſto.* Vel etiam ſingularem quamdam prouidentiam, & curam, vt eos bonis cumularet, omnino oſtendat. Quò maximè iuerit Auguſtini, Caſſiodori, Arnobij, & aliorum lectio ſignatè reponentium: *Oculi mei ſuper fideles terræ.* Eâdem prorſus dictionis ſerie, qua noſter Vates: vt faciat Deum iuſtorum res curantem, & ipſos à malis eripientem, & bonis omnibus cumulantē, Pſalm. 32. 18. dicebat: *Ecce oculi Domini ſuper timentes eum*, & Pſal. 33. 15. *Oculi Domini ſuper iuſtos.* Quæ Auguſtinus eadem eſſe vult cum iis quæ paulò antè dixerat. De cælo reſpexit Dominus, Pſalm. 32. In quæ ille ſic ait: *De cælo reſpexit Dominus, & vidit eos ille qui ait:* Cùm eſſes ſub arbore fici vidi te. *Viderunt eum, qui miſeratus eſt eum. Vnde plerumque rogantes miſericordiâ dicimus homini, vide me, & de illo, qui te contemnit quid dicis? Non me videt. Eſt ergo quædam viſio miſerantis cordis; non viſio punientis.* Digna quidem Principe vox, digniſſima itidem affectio in probos, & probatæ fidei Magiſtratus.

Auguſt. Caſſiod. Arnob. Pſ. 32. 18. Pſ. 33. 15. Ioann. 1. Auguſt.

gistratus. Quos enim honestiùs ille diligat, quos dignius honoret? Ita quidem bonus Princeps Alexan-
Lamprid. der Seuerus apud Lampridium: *Præsides prouinciarum, quos verè non factionibus laudari comperit, & in itineribus secum semper in vehiculo habuit, & muneribus adiuuit, dicens, & fures à Reipub. pellendos, ac pauperandos, & integros esse redimendos, atque ditandos.* Sed vt hæc expositio phrasi hæreat, contextui tamen non adeò hæret, cùm subiiciat Vates: *vt sedeant mecum*, innuens eâ ratione oculos in illos intendere, vt sibi sedenti assessuros allleget. Quare magis placet prior explicandi modus.

Ad fideles terræ.

Mundum Sanctorum meritis stare.

LECT. II. 1. NOn facilè statuas, quos appellauerit Dauid *fideles*: cùm id vocabulum ad plura significanda anceps sit: & ex originibus plures transferant,
Theodor. *veraces*. Et verò Theodoretus (siue Basilius, aut Nicephorus) ad homines diuinâ fide eximiè præditos, qui res diuinas magno in pretio habent, nos inter retulit ad hunc modum: *Eos verò, qui fide præditi sunt, magnaq; res diuinas ducebant, mecum collegiorum, atque consiliorum participes efficiebam.* Hæc forsan non nemo ad quosuis homines, virtutis, & cælestium rerum signatè studiosos omnino accommodet, quasi eos Dauid, vel ea solum ratione magni facere consueuerit: secus quidè ac alij Reges, qui de ministrorum, ac familiarium suorum virtute, & integritate nihil curantes, vt inquit Card. Bellarm. an sibi vtiles sint, solùm inquirunt. Quò tendit Arnobij expositio: C
Bellarm. Arnob. *Stat oculi mei super fideles terræ, qui terram corporis sui fideliter seruant.* Quòd si inquiras, quid hæc probitas, & morum integritas ad Regni administrationem, optimámque gubernationem faciat? facilis est responsio: eâ omnino de causâ quòd Dei amici sint, Reipub. & regni stabilitati, & bono maximè vtiles, &
Ruffinus. Plato. salutares esse: Nam *verè mundum quis dubitet* (inquit Ruffinus Aquileiensis prologo ad lib. 3. de vitis PP.) *meritis stare Sanctorum*: Cui sic concinit Gentilis Plato opportunissimè: *Cùm Deus ciuitati beneficium præstare vult, bonos viros ei producit; cùm verò ciuitati calamitatem immissurus est, aufert ab eâ viros bonos.* Adiungit appositè imaginem: *Qui domum parat euertere, prius omnia sustentacula euertit.* Hinc omnino ad rem Augustinus in lib.
August. de moribus Ecclesiæ cap. 31. *Videntur eremitæ plusquam oportet deseruisse res humanas non considerantibus quantùm nobis eorum animus in orationibus prosit.* Hæc Augustinus,
Chrysost. & hæc de re plura Chrysost. Hom. 1. in cap. 1. epist. 1. D ad Thessalon.

2. Cui sanè rei opportunè reuoces Moysi à Domino impositum præceptum soluendi calceamentū
Exod. 3. 5. de pedibus: iussit enim Exodi 3. 5. cùm se ipsi in rubo conspiciendum dedit: *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Nam vt plures huic loco explicatus à PP. reddatur; pulchra illa, & antiquior interpretatio est quam excogitauit
Diodor. Cyrill. Alex. Diodorus Tharsensis, à quo postea Cyrill. Alexandr. mutuatus est, vt non tam quod terra illa sancta iam fuerit, quàm quòd Moysis vestigiis foret sanctificanda, eam nudis pedibus premere illi iussetit Dominus, ac si dixerit: volo hanc mihi terram sanctam, & mea præsentiâ, & maiestate dignam reddere, nec ideò Regum aut Imperatorum capita mansuefe, sed vnius serui mei pedes adhoc: ideò solue calceamenta, & nudis plantis calca quò ipsi dignitas, & sanctitas accedat: sed audi Diodorum in Catena Lippomani: *Causam* (inquit) *afferamus, quare id iussum fuerit.*

P. Velazquez in Psal. centesimum.

A *Benedictus es, inquit, & benedicis, & sanctificas locum super quem incesseris cùm sis Sacerdos, ac spiritu plenus. Solue igitur calceamentum pedum tuorum vt nudis pedibus terram, in qua stas, sanctifices.* Bene ergo, & salubriter probos viros sapiens Rex vbique conquirebat, & ad sedes suas aduocabat, vt domo, & vrbe suâ, vel ab eorum pedibus sanctificatis Aulâ, & Hierosolymâ incolumes, & florentes starent.

3. Sed his illa adiungenda sunt, quibus Dominus apud Matthæum discipulos Evangelium prædi- Matth. 10. 14.
caturos instituens, puluerem pedum qui à rebellibus, & incredulis ciuitatibus eis adhæserat excutere; ita præcepit: *Et quicumque non acceperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate excutite puluerem de pedibus vestris.* Matthæi 10. 14. Dum verò,
B inquiunt PP. & interpretes, cur hoc iusserit Dominus cùm species impatientiæ, & indignationis esse videatur, benè quidem respondent Chrysost. Hiero- Chrysost. Hieron.
nym. Theophyl. & August. apud Maldonatum, propterea id iussisse Dominum, vt ostenderet, se nihil cū Theophyl. August.
eis habere velle, quando vt puluerem ipsorum illis relinquit. Sed opportunius præfatæ dubitationi Hilarius id præscriptum inquit: vt impressa ab Apostolorum pedibus illi terræ sanctitas, & dignitas denuò auferretur; & suis illi puluis vetus contagione pollutus relinqueretur: Ita enim ille Canone 10. in Matt.
Ergo omne domus illius, habitationisq; peccatum intra ipsam Hilar.
excusso puluere pedum relinquitur: nihilq; sanctitatis de insistentium Apostolorum vestigiis mutuatur: vt quorum aditu, ingressuq; delicta terrena originis auferuntur eorum testimonio infideluas cum omni terra sua pulatre iudicetur. Obserua illa, *nihilque sanctitatis de insistentium vestigiis mutuatur*:
C planè quasi à pedibus Sanctorum munda, ornata, & venerabilis foret: ac proinde Dei respectu, & propitiatione digna; excusso verò puluere pedum pristinis relinquatur obnoxia peccatis, id est, Dei indignationi, atque suppliciis. Vides quanti referat probos, & Sanctos viros alicubi esse?

4. Hæc vndequaque firmat ipsemet Dominus, Genes. 19. 17. & 22.
qui Sodomā vltricibus flammis absumpturus priùs de iusto Loth, & eius filiabus inde educendis cogitauit. Sic enim Genes. 19. 17. *Eduxerunt q; eum, & posuerunt extra ciuitatem.* Sed quare? Num vt eum omnino incolumem redderent? Ita quidē, sed si attendis, non eâ solum de causâ, & si hac etiam, cùm non esset abbreuiata manus Domini, quin inter medias flāmas, sicuti & tres pueros in fornacis ardentis medio illæsum seruaret. Quare ergo? Planè vt ciuitatem euersurus, vti dicebat Plato, priùs omnia sustentacula euerteret; faciliúsque ruerent.

Subductis tectæ columnis.

D Qui enim præsente iusto, & adstante vrbi, ipsa non staret? Audi Angelos cùm pœnis iamiamque illa erant sumpturi sic illum vrgentes: *Festina, & saluare ibi, quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc.* Genes. 19. 22. Audis illa? *Non potero facere quidquam* vt dixerit, stante columnā, & sustentaculo, minimè potest euerti, & ruere domus. Dixeris habuisse id ob oculos Moysen cùm Deum Israëliticum populum disperdere volentem sic obnixè orabat: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*, Exod. 32. 31. Vbi Exod. 32. 31.
si dubitaueris: cur tanto discrimini sese Moyses subiicere ausus fuerit? respondet Augustinus quæstione 147. in Exod. *Securus quidem hoc dixit, vt quia Deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret.* Sed cur esset securus? Planè quia id omninò ingenium Dei fuerit, vt mala potiùs propter paucos, aut vnum tantùm bonum beneficiat, quàm vt iustum simul cum impio perdat. Pepercit ergo Do- August.

 minus

minus ob Moysen populo; plus illius gratiæ, quàm commeritæ in peccatores iræ tribuens: sic id obseruatte Gregorio Nysseno in vita Moysis ad finem: *Nyssenus* *Cùm peccatis populi Deus iratus delere voluerit omnes, cumq; Moyses vnà cum populo perire maluerit, quàm absque populo viuere: tunc Deus, vt amico morem gereret, placatus est.*

Ad fideles terræ.

LECT. III.

Soli probi verè fideles.

1 NEc ab hac acceptione, & explicandi modo longiùs iuerit vox *fideles*: vel eâ quidem ratione, quòd absque probitate humana fides, siue fidelitas via subsistat. Quò videtur aspexisse Agellius inquiens: *Agellius.* *Probos viros, & quibus tutò me, meaq; committere possem, assumebam.* Quæ non tam capio quasi de iis sermo sit, qui tum probi, tum fideles viderentur eo sensu, quo Cardin. Bellarmin. dum inquit: *Bellarm.* *Eligebat, & admittebat solos fideles, & probos. Sæpè enim accidit, vt Principes sic delectentur fidelitate ministrorum, quos viles experiuntur vectigalibus, & gazis suis, vt facile tolerent multa alia illorum vitia. Non sic Dauid Rex sanctus, sed coniunctam volebat esse in ministris suis fidelitatem cum probitate, & probitatem cum fidelitate.* Quàm vt eadem mer ratione, quà probi essent, fideles etiam haberentur: ideoque posset Rex se suaque illis committere: aliàs minimè commissurus, quòd absque probitate vix fidelis quispiam minister inueniatur: egregiè pro hac cogitatione fideiubente Dione Chrysostomo orat. 74. *Dio Chrysost.* vbi malorum hominum promissionibus minimè fidendum astruit, quòd nulla ipsis fides subsit: Audi: *Quemadmodum enim fasciæ, quæ ventum indicant, semper iuxta venti flatum attolluntur, nunc quidem sic, rursus verò in alteram partem: eo modo, & malorum animus ad omnem impetum affectus est. Seruis nemo credit pacisci volentibus, eò quòd sui potestatem non habeant, multò magis credendum non est horum pactis. Omnino enim longiùs absunt à libertate homines propter malitiam. Minoribus tot annis lex non concedit contractum facere tamquam infidis, neque mulieri apud Athenienses nisi vsque ad hordei modium propter consilij infirmitatem. Atqui à valde minoribus nihil differunt mali, imò neque ab insanientibus, nisi potentia, & astutia, vnde minùs his credendum est, quàm illis.* Hæc ille, & multò plura in hanc sententiam, è quibus callidum Laconis cuiusdam dictum minimè omiserim: ait ergo: *Lacon quidam in colloquio quorumdam pacisci volentium cum ipso, atque iubentium, quamcumque vellet, fidem acciperet pro amicitia: vnam esse fidem dixit: vt si nocere velint, non possint, omnem autem aliam fidem stultam esse, & postremò infirmam.* Vnde concludit Dio: *Hanc vnam ab hominibus fidem accipere conuenit, aliam autem nullam. Quæ enim ex sermonibus, & familiaritate, & iureiurando, atque ex genere accipitur, ridicula est.* Hactenus ille. Iam verò huic cogitationi reipsâ applaudit Iulius Agricola vir magno iudicio, & egregiis moribus prout à genero suo Cotnel. Tacito delineatur: illum siquidem is in eius vita talem in deligendis sibi administris delectum habuisse scripsit: vt eum sibi fidelissimum spectaret, qui optimus esset: sic namque Tacitus: *Nihil per libertos, seruosq; publicæ rei, non studiis priuatis nec ex commendatione, aut precibus centuriarum milites ascire, sed optimum quemque fidelissimum putare.* Nec aliter Alexander Seuerus, de quo Lampridius: *Lamprid.* *De omnibus hominibus per fideles homines suos semper quæsiuit.*

2 Sed & huc etiam referre placet pressiorem verborum Theodoteti, *Theodor.* & germaniorem sensum veracem, *fideles* accipiendis de iis qui fide præditi sunt, & magni res diuinas ducunt: vt eos Consiliarios Dauid respuat, pluribus Principibus frequentes, qui terrenâ solùm sapientiâ imbuti; nec nisi iis, quæ sub aspectum cadunt inhærentes, nec tantillùm ad cælestia id est ad diuinam Prouidentiam aciem mentis intendunt; politicis, & humanis rationibus publica, & priuata negotia, eorumque vtilitates, & exitus demetientes, quasi Deus humana hæc minimè curaret; aut rerum omnium incremento cælestis gubernationis pluuia necessaria non esset, ac proinde ipsi ad instar aratorum Ægypti se haberent: de quibus Plinius: *Plinius.* *Aratores in Aegypto cælum non suspiciunt*: turbidis videlicet Nili aquis contenti. Vnde in hos signatè inuehitur Dominus apud Ieremiam 2. 8. *Ierem. 2. 8.* *Quid tibi vis in viâ Aegypti, vt bibas aquam turbidam*: & Isaiæ 8. 6. *Isai. 8. 6.* notanter præstringitur, qui aquis Siloë, illis videlicet, quæ cum silentio leniter fluunt; visum tamen cæcis reddunt, has fluminis aquas imprudenter præponunt: *pro eo* (inquit Vates) *quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, & assumpsit magis Rasin*: vt omnino indicet Dominus à cælestium memoriâ, & sapientiâ, Magistratuum, & Consiliariorum oculos aperiri; à nimia prudentia sæculi, quæ turbida est, sæpiùs obnubilari, vnde Paulus concionatorũ disertissimus ad Felicẽ Præsidẽ verba faciens, non de iustitia solùm, quæ propria Magistratus est virtus, sed de iudicio futuro sic eum signatè admonebat, vt grauem illi timorem incuteret: sic enim Actuum 24. 26. *Act. 24. 26.* *Disputante autem illo de iustitia, & castitate, & de iudicio tremefactus Felix*, &c. Ne videlicet tamquam eius præcessor Pilatus, qui vel leuissimam humanam rationem ad damnandum Dominum pluris facit, quàm tot diuinas, quæ ipsum ab illius cæde prohibebant; quòd politicus, & terrenæ potentiæ auidus via cælestia curaret, aut meminisset: ideò cùm primùm de Domino regnum affectasse audiuit: mortis in eum sententiam incognitâ causâ tulit. Vnde sapienter Sanctus Leo sermone 10. *S. Leo.* *Stultam* (inquit) *insimulationem imprudenter Pilate timuisti*, &c.

Ad fideles terræ.

Ij fideles Principis ministri, qui veraces.

LECT. IV.

1 SED illa quidem huius vocis Lectio, siue expositio valde apta est quam afferunt Chaldæus, *Chald.* & alij, reponentes *veraces*: vt eos signatè bonus Rex in Administros, & Consiliarios sibi adlegerit, qui veritati student, camque ore, & factis profitentur. Quod etiam expressit Agellius subiiciens: *Agell.* *Quin etiam Administros, qui mihi adessent, non alios mihi adsciscebam, quàm eos qui à dolis, ac fraudibus longè essent.* Vbi primùm Dauid alium se animum ad Consiliariorum sententiam audiendam afferre ostendit; ac alij Reges, de quibus Seneca lib. 6. de benef. cap. 31. *Seneca.* occasione Augusti Cæsaris Administros non nisi iam defunctos laudantis scitè ait: *Regalis ingenij mos est, in virtutem dare vera dicendi, à quibus iam audiendi periculum non est.* Quippe Principes in suorum potiùs blãditias, & seruiles submissiones, quàm in veritatem proni, eam vix de facie cognoscere curant: vti Præses ille Pilatus, qui cùm fortè Dominum de veritate interrogasset, inquiens: *Quid est veritas?* Ioann. 18. 38. *Ioa. 18. 38* non exspectatâ respõsione statim, quasi veritatem audire, siue veritatis auram noscere timeret: *Cùm hoc dixisset, exiuit ad Iudæos. Sed pessima consuetudo est* (inquit Theodoricus, & ipse quidem Rex apud Cassiodorum *Cassiodor.* lib. 3. epistula 3.) *despicere veritatem.* At enim Principes viri, quorum animus nonnisi in deliciis, opibus, luxu, & nominis gloria est, eum qui ad eorum mentem, cui vix veritas assonat, loqui non nouit, infensum habent:

Iudi 5.26. Stephan. habentiſic id obſeruante venerab. Stephano Cantua-A rienſi ad ea verba lib. Iudith. cap. 5.26. *Cùm ceſſaſſet loqui Achior, irati ſunt omnes Magiſtratus*; hunc in modum: *Qui faſtu mundi ſuperbiunt, præconia veritatis audire non poſſunt*. Vnde non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde eius, Prouerbiorum 18.2. Sic ille. Ita quidem de infelicibus Domitiani temporibus Plinius in Panegyrico: *At quis antea loqui? quis hiſcere audebat, præter miſeros illos, qui primi interrogabantur.*

Plinius.

2 Adſciſcit ergo magno bono ſuo Dauid; maximo etiam Reipublicæ commodo veraces Conſiliarios, & Magiſtratus; omnino ſibi perſuaſus nihil ſibi iam vtile, atque ſalutare, quàm verum audire; bene id præfato loco peoſirante Senecâ his verbis: *Vides quàm facile ſit gratiam referre felicibus, & in ſummo humanarum opum poſitis. Dic illis, quod non volunt audire; ſed quod ediſſe ſemper volent: plenas aures adulationibus aliquando vera vox intret: da conſilium vtile. Quæris, quid felici præſtare poſſis? effice ne felicitati ſuæ credat: vt ſciat illam multis, & fidis manibus continendam. Parum in illum contuleris, ſi illi ſemel ſtultam fiduciam permanſura ſemper potentia excuſſeris, docuerisq́; mobilia eſſe, quæ dedit caſus, & maiore curſu fugere, quàm veniunt: nec his portionibus quibus ad ſumma peruentum eſt, retrò iri: ſæpè inter fortunam maximam, & vltimam nihil intereſſe.* Obſeruabat id quidem bonus Princeps Auguſtus, qui apud Dionem lib. 53. *Serið omnes cohortabatur, vt ſuum ſibi conſilium aperirent: annuens eis omnem libertatem.* Sed opportuniùs bonos Imperator Baſilius Leonem filium ad aſſumendos veraces Conſiliarios, tam ſibi, quàm Reipublicæ vtiliſſimos, ſic monebat: *Maximè pendite veracem te eſſe in ſermone, & veraces homines in familiaritatem admittere: ita enim firmus, & conſtans in omnibus factis, ac dictis æſtimaberis, & veram, ac non ſuſpectam tuorum erga te beneuolentiam ſuſtinebit.*

Seneca.

Baſil. Imp.

3 Quàm verò Reipublicæ adminiſtrationi idonei ſint Magiſtratus, & Conſiliarij veritatis ſtudioſi, ſiue veraces, ex datis Moyſi à ſocero ſuo monitis ſatis liquet: ſic enim dicebat ille Exodi 18.21. *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas.* Vbi Pagninus ex Hebræo *Veraces*: Oleaſter verò *viros veritatis*. Qui eius videlicet, aut ſponſi ſint eam vnicè diligentes: aut potiùs ſerui; illius poteſtati ſiue dominio addicti, qui nullam aduersùs eam libertatem habeant, nec ſui iuris ſint: vti dicebat Paulus 2. ad Corinthiorum 13.8. *Non enim poſſumus aliquid aduersùs veritatem, ſed pro veritate.* De quo plura nos Deo dante in adnotationibus. Enimverò Gentilis ille, vel ab ipſis Ægyptiorum moribus id videtur deſumpſiſſe: cùm Ælianus de illorum iudice dixerit, gemmâ veritatis, ſiue veritate tamquam gemmâ ornatum exiuiſſe: ſic enim ille lib. 14. de varia hiſtoria: *Eum omnium hominum ſinceriſſimum, ac iuſtiſſimum eſſe oportebat, qui circa collum imaginem ex ſapphiro gemmâ confectam geſtabat: quæ vocabatur veritas.* Subdit verò diſertè Ælianus: *Ego verò iudicem non tam ex lapide ſculptam aut expreſſam veritatem circumferre, quàm in animo menteq́; inſitam, & infixam habere velim.* Ex quibus facilè videtis veritatem iuſtitiæ animam, ſiue idem cum iuſtitiâ ipsâ eſſe: ita quidem Eccleſiaſtici 4.33. dum ſalutare illud iudicibus monitum datur: *Pro iuſtitia agonizare pro animâ tuâ; & vſque ad mortem certa pro iuſtitia.* Vbi Græcè voci *iuſtitia*, reſpondet *veritas*. Tum etiam noſtrum Vatem, ſub hoc omnino ſenſu Magiſtratus, & iudices huic muneri idoneos, fideles appellaſſe, quaſi officio ſuo ſatisfacientes, illudq́ue implentes, & bonâ fide tractantes, quin ei aliqua ratione deſint, vti Prælatum miniſterium ſuum implentem, &

Exod 18. 21. Pagnin. Oleaſt.

2. Cor. 13.8

Ælianus.

Eccl. 4.33.

Lect. Græc.

P. Velaſquez in Pſalm. centeſimum.

attentum in officium ſuum Dominus fidelē appellauit Matth. 24.45. inquiens: *Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Et Paulus Oeconomum, ſiue diſpenſatorem ex fidelis nota commendauit, 1. ad Corinth. 4.2. *Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.*

Matt. 24. 45.

1. Cor. 4.2.

Ad fideles terræ.

Eò meliores Magiſtratus, quò ſæpiùs fuerint.

Lect. III.

1 EX præfatâ verò interpretatione illam etiam non incommodam Dauidis verbis, & inſtituto elicias, vt ſapiens Rex eos ad maiores dignitates, ſiue ad ſplendidiora munera ſoleret euehere, quos B in minoribus fideles, & iuſtos eſſet expertus, Domini regulam ſecutus: *Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt.* Lucæ 16.10. Quam planè ad deligendos Magiſtratus omnes quotquot pleno pectore ſapiunt obuiis manibus excipiunt: & illam quidem ex nautico more ſic expreſſit Gregorius Nazianzenus orat. 20. *Nauticam legem laudo, quæ gubernatori futuro primùm remos tradit, deinde ad proram eum collocat, ſicq́; prioribus muneribus ipſi commiſſis, tandem eum poſt diuturnam remigationem ac ventorum obſeruationem ad gubernacula conſtituit. Eadem rei militaris eſt ratio, miles primùm, deinde Centurio, tum Imperator. Hic optimus ordo eſt: iisq́; qui ſubſunt in primis conducibilis.* Plinius verò in Panegyrico ad Traianum eam ſic vrget: *Quis enim eſt, tam imbecillis ingenio, qui non tantò meliorem Conſulem ſperet, quantò ſæpiùs fuerit.* Et indidem aliquantò antè: *alioquin nihil magis prodeſſe candidato ad ſequentes honores, quàm peractos optimè Magiſtratus: magiſtratus magiſtratu; honor honore petitur.* Nec aliter Rex Theodoric. apud Caſſiodorum lib. 1. epiſtol. 12. Eugenio, quem nouis honoribus ornabat: ſcribebat hunc in modum: *Atque ideò tanto iudicio lætare ſuſcepto, qui pro labore honoris tui honorem alterum accipere meruiſti. Nati ſunt faſces ex faſcibus: & naturam retinentes fœtus arborei pullularunt iterum decenter abſciſſi.* Ita ibi. Nec minùs opportunè lib. 4. epiſtol. 4. vbi cùm de illuſtri Viro Senatio ad Comitiuæ patrimonij dignitatem à ſe ſubuecto dixiſſet: *Qui venalitatis obſcura animi claritate refugiat, qui calumnia non latetur, nec patrimonij auctoritate ſuffultus de noſtro ſibi faciat terrere compendium, ſed ius æquabile poſſit tenere cum ceteris, vnde nobis placere reſpicit fermentes.* Subdit: *Hæc de illo futura promittere præteritorum facit temporum fides. In ipſo quippe adoleſcentiæ flore palatia noſtra meritis maturus intrauit, & quod robuſtas quæque fatigat ætates, nullo deceptus nouitatis errore ad imperantis conuerſus arbitrium effectum bonarum præſtitit iuſſionum.* Ita Rex ille. Cuius ſenſa, & verba imita-D tus eius nepos Athalaricus apud eumdem Caſſiodorum lib. 8. epiſtola 13. opportuniſſimè hanc in rem Ambroſio Quæſtori ſuo dicebat: *Securus celſa conſcendit, qui ſe in paulò minoribus approbauit, & certo procedit veſtigio, qui gradatim deſiderio potitur accepto. Sine merito ſiquidem remuneratum putatur omne, quod ſubitum eſt, nec inexplorati ſuſpicionem refugit, quod repentè prouenerit. Contrà, omnia deliberata ſunt robuſta, & totum bonis actibus obtinuiſſe creditur, qui poſt documenta laudata militia promouetur, dum inter gymnaſia litterarum adſcitus ab illo inſpectore meritorum, qui iudiciis ſuis etiam futura prædicebat, priuatarum largitionum faſcibus præfuiſti.* Hæc ille, & multò plura.

Luc 16.10

Nazianz.

Plinius.

2 Enimverò huic ſententiæ non obſcurè ſuffragium dediſſe ipſemet Dominus videtur, cùm ad Moy-

sem, eoius humeros, & vires importabile guberna- A tionis onus frangebat. sic locutus dicitur: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quod senes populi sint ac Magistri*, &c. *Vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo tradamq; eis, vt sustentent tecum onus populi, & nō tu solus graueris*. Num. 11. 16. & 17. Vbi duo obserua: alterum LXX. pro illis verbis, *auferam de spiritu tuo*: reponere; *de spiritu qui in te est*: alterum à Chrysostomo Homil. de Spiritu sancto tomo 3. de diuino spiritu, hæc accipi ad hunc modum: *Non dixit: accipiam tuum, sed de spiritu, qui in te. De meo accipiam.* Quod si ad hæc statim ambigas, quâ ratione Dominus suum in Moyse spiritum antea collocatum ab illo auferre, siue imminuere voluerit? cùm *sine pœnitentia sint dona Dei*. Ad Rom. 11. 29. Occurrit Paraphrastes Chaldæus reponens: *Augebo de spiritu qui est super te, & ponam super eos*: omninò adstruens, nihil de diuino spiritu fuisse in Moyse imminutum, sed ab ipso sic mutuatum, vt tantumdem denuò à Domino acceperit, B siue ea tunc ratione, seu necessitate instante spiritum suum, quem in Iudicibus illis nouiter electis Dominus erat positurus, in Moyse primùm collocare voluisse, vt ab eo opportunius quodammodò resumeret ad illum inter seniores illos distribuendum. Sed hîc iam fortiùs instas. Quare non statim, & primo, vt aiunt, ictu suum in illis spiritum collocauerit Dominus? Num à Moyse Dei spiritus aliquid muneri vtile, ac opportunum accipere potuit, quod à se non haberet? Respondemus verò, vt nihil à Moyse Dei spiritus hauserit: id tamen ad nostri institutionem, & Principum documentum à Domino de industria factum fuisse, vt commoneret, Iudices, & Magistratus ab vsu, & experientiâ opportunos ad munera, & Præfecturas accedere: eumque spiritum ad iudicandum, & gubernandum maximè idoneum esse, qui rebus ipsis gerendis magis fuerit exercitus. Quod videtur expressisse Isocrates libello ad Nicoclem, quem sæpiùs in his commētariis & afferre, & laudare solemus, inquiens: C *Eruditio viam quidem probè Rempub. administrandi ostendit, sed si rebus ipsis gerendis exercearis id consequêre, vt rem dexterè administres.* Vnde Rex Theodoricus scitè apud Cassiodorum lib. 1. epist. 13. dicebat: *Dignitas dum ad incognitum venit, donum est; cùm ad expertum, compensatio est meritorum, quorum alter debitor iudicij, alter obnoxius est fauori*. Sed de his pluribus adnotationibus.

Nu. 11. 16. & 17. LXX. Chrysost. Chald. Isoc. 8. Cassiod.

Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.

LECT. VI.

Principi laborandum ne familia mala sit.

Chrysost. 1 BENE omnino Chrysost. in hæc verba, siue dum ea sic expendit: *Tales enim diligo ministros, qui ambulent in viá immaculatâ, qui non ad dexteram declinent, neque ad sinistram, qui nulla fraude peruerterint dogmata viam concernentia iustitiæ, & veritatis*: siue dum statim illa cum præcedentibus: *Psallam, & intelligam in via immaculata*, omninò componit, inquiens: *Ad illam igitur elocutionem priùs dictam respiciens, Propheta nempe.* Psallam, &c. *hoc loco dicit*. Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat. Hæc Chrysostomus. Quibus non tantùm vult, egregium, & immaculatum Principem, probos etiam, & immaculatos ministros, & familiares sibi adsciscere; sed etiam ad viam immaculatam Principis signatè spectare, eos sibi in ministros, & domesticos eligere, qui in viá immaculatâ ambulent; quasi pars virtutis regiæ id fuerit. Hue enim aspexit Chrysostomus dum ait, ad illam priùs dictam elocutionem respexisse Prophetam; cùm hae vsus est. Psal. 13. 2. Vt sibi videlicet concinat Dauid qui Psal. 13. vers. 2. de eo qui propter manuum innocentiam, & cordis munditiam *in Dei tabernaculo, & monte sancto eius* habitare; id est, maxima quæque, & præclara munera Dei nomine obire commeruit, hæc ait: *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo. Qui non egit dolum in lingua sua: nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos*. Sed obserua extrema hæc verba sic efferri à Hieronymo: *& opprobrium non sustinuit super vicino suo*. Ab Antistite verò Agellio ex Græco ad verbum accuratè Agell. transferri: *Opprobrium non sustinuit propter proximos suos*: Vt germanus, & egregius eius loci sensus, vti ipse pendit, is fuerit: *Proximos suos; hoc est, domesticos, atque coniunctos ita instituit, ita se cum illis gerit, vt eorum causâ nihil opprobrij perferat, nihilq; illis obiici, ab altero possit: nam si rectè viuunt, hoc illi laudi potiùs erit, quàm probro, sine malè viuunt, malè viuentes coarguit, atque castigat: itaque suo munere functus nihil in se residere culpæ patitur*. Vbi omnino vides ad ingressum sine macula, qui idem est cum viâ immaculatâ non modò pertinere cordis munditiam, linguæ sinceritatem, & manus intemeratas, sed etiam eam domesticorum institutionem, à qua nihil Principi probro verti possit. Quæ egregiè firmat Ambrosius, dum occasione Giezi famuli Elisei ad argentum Ambros. inhiantis sic Principem monet: *Non tamen satis est si lucrum ipse non quæras, familia quoque tua cohibenda sunt manus*, &c. *Instrue ergo familiam tuam, hortare, custodi, & si te fefellerit seruus, prophetico deprehensus repudietur exemplo.*

2 Sed enim, cùm ministrandi phrasis anceps sit, vel ad administrorum, qui videlicet regiorum consiliorum arbitri, siue participes sunt, & Regni administrationi simul cum Principe operam nauant, vel ad Aulicorum, siue domesticorum ministerium significandum, meritò ambigas sub quo sensu eam acceperit Dauid? Et verò iam præcedentia, quàm sequentia verba, de administris sermonem hic esse indicant, cùm eadem periodo, quâ de iis, quos à fidelitate ad C consedendum sibi probabat, concludantur; & in sequenti versu de domesticis signatè loquatur; & hoc quidem expressisse videtur Agellius inquiens: *Quin* Agell. *etiam administros, qui mihi adessent, non alios mihi adsciscebam, quàm eos, qui à dolis, ac fraudibus longè essent, & innocenter ambularent, ac viuerent, benè conscius eiusmodi administros sapissimè efficere, vt ad Regem res ipsa, & veritas minimè perueniat contraq; aditum scelestis hominibus aperire, innocentiam sanè, & iustitiam excludere*. Et statim: *Præterea cuiusmodi Rex est, nihil mirum si tales sint etiam eius ministri, & apparitores*. Contra verò; *ministrare* in Scripturâ, vt sub eâ significatione, quam assignat Agellius, quæ quidem recentior, & ab externis auctoribus petita videtur, vix reperitur, ita famulorum seruitium, siue ministeriale obsequium penè perpetuò denotat: vt 2. Re- 2. Reg. 13. 17. gum 13. 17. *Vocato puero, qui ministrabat ei*. Esther 1. 10. Esth. 1. 10. *Qui in conspectu eius ministrabant*. Daniel. 7. 10. *millia mil-* D Dan 7. 10. *lium ministrabant ei* Matthæi 4. 11. *Angeli ministrabant ei*: Matth. 4. 11. & de socru Simonis Matthæi 8. 15. *Surrexit, & mini-* Matth. 8. 15. *strabat eis*: & Dominus de seipso Matth. 20. 28. *Non ve-* Matth. 20 28. *ni ministrari, sed ministrare*: & Lucæ 10. 40. *Reliquit me* Luc. 10. 40. *solam ministrare*: & cap. 17. 8. seruum è agro reuertentem sic disertissimè affatur eius dominus: *præcinge te, &* Luc. 17. 8. *ministra mihi*: Et passim. Vnde quidem probabilis vterque dicendi modus: prior siquidem textui mollior: posterior verò Scripturæ phrasi congruentior. Vt vt verò fuerit, rectissimè Dauid tam à consiliariis, administris, & Magistratibus, quorum opera in Regni gubernatione vtebatur, de quibus dixerat, *vt sedeant mecum*: quàm à suis Aulicis, atque domesticis omnem puritatem, & morum integritatem exigit: minimè ignarus, & magnam propriæ innocentiæ partem, & totum ferme bonæ opinionis suæ splendorem in hoc cardine verti.

3 Et

3 Et de modeſtis quidem domeſticorum, & familiarium moribus, & *via immaculata*, ſic prudenter Romanos Senatores, & Principes viros admonebat Rex Theodoricus apud Caſſiodorum lib. 5. epiſt. 30. *Interſit igitur inter ſplendorem veſtrum, moreſq; mediocres: refugite tales familiares, qui ſint iniuriarum miniſtri, qui honori veſtro nitantur adſcribere, quod delinquunt, & dum lenitatis ſuas aſperere cupiunt, veſtram reuerentiam implicare contendunt.* Rectiſſimè, quaſi ab improbis familiaribus ſplendor, & reuerentia Principum imminuatur. Quod planè ſæpè ſæpiùs contingit: quippe plures Proceres, & Dynaſtæ, qui per ſe non adeò mali ſunt, nullam aliam ob cauſam in odium publicum venire ſolent, niſi quòd nimium licere patiantur iis, de quibus vniuerſa multitudo malè ſentit, ex horum moribus dominorum ingenium æſtimante populo. Sicuti è contrà nihil Principi illuſtrius, aut magnificentius eſt, quàm Aulicorum, & familiarium licentiam caſtigatam, cohibitamque habere, quin à viâ immaculatâ pedem referant. Vnde Traianum Principem ſic magnificè laudabat Plinius in Panegyrico: *Sunt quidem præclara, quæ in publicum profers, ſed non minora ea, quæ limine tenes. Eſt magnificum, quod te ab omni contagione vitiorum reprimis, ac reuocas, ſed magnificentius quod tuos. Quantò enim magis arduum eſt alios præſtare, quàm ſe, tantò laudabilius, quòd cùm ipſe ſis optimus, omnes circa te ſimiles tui effeciſti.* Hæc ille. A quo non abit quod de Agricola Cornel. Tacitus in eius vita ſic ait: *Ceterùm animorum prouinciæ prudens ſimulq; doctus per aliena experimenta parum profici armis, ſi iniuriæ ſequerentur, cauſas bellorum ſtatuit excidere: à ſe ſuiſq; orſus, primùm domum ſuam coërcuit, quod pleriſq; haud minus arduum eſt, quàm prouinciam regere.* Sic Tacitus.

4 Hinc quidem vaſræ illi callidiſſimi Tiberij menti, omnia ad rationem ſtatus reuocanti, pungentes ſpinæ, & anguſtiæ, dum vna ex parte ob publicum dedecus maximè laborabat, ne familia mala eſſet ideò *modeſta et ſeruitia intra paucos libertos domus*: ait Tacitus lib. 4 Annal. & ibidem: *Res ſuas Cæſar ſpectatiſſimo cuique, quibuſdam ignotis, ex fama mandabat*: ex alia verò ab optimis familiaribus periculum ſibi metuebat, ne dum illi populo nimiùm placerent, et in laudibus, & honoribus præponerentur: ſic namque Tacitus lib. 1. Annalium illum æque bonos, ac malos odientem facit: *Ab optimis periculum ſibi: à peſſimis publicum dedecus metuebat.* Sed ibi quidem ille omnia ſciens omnino trepidabat vbi non timor. Cur enim ſibi ab optimis timeret? Nónne & ipſi inde maxima laus & honor adueniebat, quod ſuam ſic ille familiam inſtitueret, vt nihil ipsâ caſtius, aut modeſtius eſſet? Certè Epigrammatarius lib. 9. epigram. 81. cùm modeſtiam Aulicorum Domitiani miris laudibus, ſine aſſentationibus commendaſſet, ad illius Principis mores ipſam omnino referebat. Etenim cùm dixiſſet:

Oderat ante ducum famulos, turbamq; minorem,
Et Palatinum Roma ſupercilium.
At nunc tantus amor cunctis, Auguſte, tuorum,
Vt ſit cuique ſuæ cura ſecunda domus.
Tam placidæ mentes, tanta eſt reuerentia noſtri,
Tam pacata quies, tantus in ore pudor.

Sic adulatoriè quidem potiùs quàm verè ſubiicit:

Nemo ſuos (hæc eſt aulæ natura potentis)
Sed Domini mores Cæſarianus habet.

Sed & hæc ſo ad notationibus denſabimus.

VERSVS VII.

Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua non direxit in conſpectu oculorum meorum.

COMMENTARIVS.

PErgit Rex domum ſuam purgatam, & ornatam reddere, omnem ab illa ſuperbiam, dolum, & fraudem pellere; ne illi obiiceretur, quod poſteà domui Regis Iſraël ab Oſea cap. 5. 1. *Domus Regis auſcultate, quia vobis iudicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & ſicut rete expanſum ſuper Thabor.* Quæ non iam capio cum Cyrillo Alexandr. quaſi laquei facti fuerint multitudini, quæ eos ſpeculabatur, ad illorum exempla ſe componens, quàm quod iis increpet Vates Aulicorum licentiam, & audaciam, qui regia auctoritate freti, iniuriarum miniſtri erant (vt dicebat Rex Theodoricus) regioque honori niterentur adſcribere, quod delinquerent, & veluti laqueus, & rete miſeros ſubditos fraudibus, & calumniis in tranſigendis negotiis implicarent, vt eos bonis ſuis emungerent.

In medio domus meæ.

MOnet Lorinus non exactè ſumendum hoc *domus medium*, ſed habitare *in medio domus*, perinde eſſe, atque habitare intra domum. Cui obſeruationi fauet, quod ſupra ad ſimilia verba verſ. 2 lect. 1. n. 3. obſeruauimus ſolemne eſſe ſcripturis hac phraſi *in medio* vti ad æqualitatem ſignificandam: at enim cùm vna, eademque locutio diuerſis adiuncta rebus, ſiue circumſtantiis, nõ eamdem ſemper faciem, & ſignificationem habeat, probabiliùs dixeris, Dauidem hic non loqui de quibuſuis Aulicis; ſed de iis qui apud ſe validiorem gratiam, ſiue potiorem locum inter alios obtinerent, vt ſignatè à ſuo latere, & peculiari familiaritate facientes ſuperbiam, & loquentes iniqua arceat, vti benè explicat Caſſiod. inquiens: *Illud autem quod poſuit, in medio domus meæ: hoc vult intelligi, quia nihil commiſſum talis habuit; nullo honore præeminuit, nullâ poteſtate latatus eſt, vt quaſi in medio domus eſſe videretur, cui patrisfamilias ſerenus animus arridebat.*

Qui facit ſuperbiam.

Superbum imperij incapacem eſſe.

LECT. I.

1 SEd quis hic fuerit, qui facit ſuperbiam? Paraphraſis Chaldæa, & ex Hebræo Hieron. & Pagninus, de homine doloſo, & fraudulento capiunt: transferentes *qui facit dolum*: nimirũ Hebræa vox id omnino ſignificat à verbo רמה *ramah fraudare, doloſè agere, imponere alieni; & arcus fallacis more, eluſare, & excutere alium è ſpe, & re ſuâ.* Quæ planè translatio tum aliò quidem ac noſtra lectio tendit, nec cum eâ hærere poteſt: tum etiam difficultate non caret: cur enim modò, cùm de ſuis familiaribus, & domeſticis agit Dauid, hominis doloſi, & fraudulenti meminerit, qui de corde prauo, & de facientibus prævaricationes iam egerat? Doloſi ſanè arcus imagine dixerit non nemo loqui Regem de Aulicis, & miniſtris fumos vendentibus, qui aliò ſagittam iaculentur, aliò eam di-

Caſſiod. Plin. Corn. Tac. Idem. Martial. Oſea 5. 1. Cyrill. Alex. Caſſiod. Chald. Lect. Heb. Hieronym. Pagnin.

dirigere videantur, dum auri scopum collimantes, Principum dicta factaque quæ ipsi confingunt, iis quorum interest, vendunt eosque atrociter decipiunt, vt de Zotico Heliogabali familiari inquit Ælius Lampridius: [*Lamprid.*] *Omnia Heliogabali dicta & facta vendebat fumis, quàm maximè diuitias enormes sperans: cùm aliis minaretur, alia polliceretur, omnes falleret.* [*Idem.*] En Aulicum *qui facit dolum*, seu arcum fallacem: quem etiam benè explicat Turinus ille insignis fumi venditor, Alexandri Seueri familiaris ab eo necari iussus fumo apposito ex stipulis, & humidis lignis facto, clamante præcone: *Fumo punitur, qui fumum vendidit*: nimirum sic dolosus ille arcum dirigebat, vt vtrique parti eadem de re contendenti suffragium promitteret siue venderet, ita enim Lampridius in Seuero, de eo Principe: *Quæsiuit diligentissimè antequàm illum damnaret, & inuenit Turinum sæpè, & in causis ab vtraque parte accepisse, cùm euentus venderet, & ab omnibus qui aut præposituras, aut prouincias acceperant.* B

2 Ergo alius Dauidi ex Lectione LXX. siue nostri vulgati sensus subest, quem Cassiod. sic exprimit: [*Cassiod.*] *Adhuc in dictis superioribus perseuerat. Negat enim cum superbis sibi fuisse aliquam portionem, ne crederetur eos probasse, quorum familiaritatem sibi videbatur adiungere.* Nec aliter August. dum Christum Dominum hæc verba loquentem facit hunc in modum: *Reuertere ad domum illam, id est, ad cor.* Non habitabit in corde meo faciens superbiam: *Nullus talis habitabat in corde meo, resiliebat enim inde. Nemo habitabit in corde meo nisi mitis, & quietus, superbus non illic habitabit. Non enim habitat in corde iusti iniustus.* Quod sic statim explicat: [*August.*] *Sit à te iustus remotus nescio quot millibus, & mansionibus, simul habitatis, si vnum cor habetis.* Sic Augustinus, quem penè omnes interpretes sequuntur, *facientem superbiam* de superbo accipientes. C Iuxta quam exponendi rationem opportunè inducitur Rex tam à familiaritate, & gratiâ suâ, quàm à negotiorum expeditione superbum hominem amouens, tum, quod vt ipse vers. 5. dicebat, superbum se ferre nonpotuit: ita etiam Regij familiares cùm superbi sunt aliis intolerandi habeantur: tum etiam quod Regiæ gratiæ oneri inualidos superbi humeros afferã, vt sapiens Rex Assuerus in edicto suo scripsit loquens: *Multi bonitate Principum, & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam. Et non solùm subiectos Regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos qui dederunt, moliuntur insidias.* Esther. 16. 3. [*Esther.16. 3.*] vbi maximè obseruãda sunt illa, *datã sibi gloriam non ferentes*, quibus innuit Rex ingens quidem esse onus regiæ familiaritatis quod superbi ferre non queant: quippe qui infirmi, & imbecilles, & si benè æstimas, pueris persimiles sunt. Certè Isidor. Pelusiota inde [*Isid. Pelus.*] D Iosephum regiæ Pharaonis familiaritatis capacem, & Imperio habilem pensitauit, quod vt in humilibus sublimis: ita in sublimibus humilis inuentus fuerit. Sic enim ille lib. 4. ep. 78. *Imperauit denique sibimetipsi, quod est Imperij genus omnium maximum, quando & in humilibus sublimis conspectus est, & in sublimibus humilis.* Sic ille, enim verò, si rem attentiùs perpendis, exigit veræ magnitudinis lex latissimum, & capacissimum animum, qui multò maior, & excelsior ipsâ factus, illam moderetur, coërceat, & intra se comprimat, ac velut carcere, ac vinculis frænet, quin exterius ab illâ efferatur, siue abripiatur: de quo in adnotationibus plura.

3 Sed enim in hac explicatione animus plenè non quiescit; cùm is dicendi modus valdè peculiaris sit, qui plus aliquid innuat, quàm superbum esse. Quare scopum mihi collimare visus est Agellius, & ab eo Lorinus id accipientes de eo, qui non tam per ignorantiam, aut fragilitatem labitur, *à concupiscentiâ suâ abstractus, & illectus*: quàm datâ operâ per contemptum, arroganter, peruicaciter iniuriosus est, qui vt de corde duro dicebat Bernardus: A *nec Deum timet, nec homines reueretur*: & (quod rem omninò explicat, & exhaurit) qui non modò datâ sibi potentiâ abutitur ad alios opprimendos, sed illam in facienda iniuria ostendit, & iactat. Firmat hanc expositionem vterque auctor tam ex verbis Num. 15. 19. *Anima, quæ per superbiam aliquid commiserit*: vbi ex Hebræo Pagninus habet: *in manu excelsa*. LXX. verò *in manu superbia*: id est non ignoranter, aut cum metu & timore, sed arroganter, & in malo gloriabundus: [*Num. 15. 19.*] [*Pagn.*] [*LXX.*] [*Exod. 14. 8*] quàm ex ea locutione Exod. 14. 8. qua filij Israël egressi dicuntur ex Ægypto *in manu excelsa*: neminem scilicet formidantes, palàm, & apertè. Cui cogitationi epitasim ibi addit Lectio Chaldæa, [*Chald.*] quæ pro *manu excelsa* habet, *capite discooperto*: id est, non vt fugaces serui, tecti, & dissimulanter, sed tamquam Domini, rerumque potentes, cum pompâ, & maiestate progredientes. Ergo eum signatè Dauid B Aulâ suâ pellit, quin in eximio domus suæ munere collocatum esse velit, qui regiam familiaritatẽ, & potentiam in faciendâ iniuriâ ambitiosè ostendit, iactatque. Planè quasi Ioab belli ducem inuisum sibi fore iam prænuntiet, damnetque, cùm moriturus filium suum Salomonem, ne illum impunitum abire sineret, sigillatim monuerit his verbis: *Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Israel Abner filio Ner, & Amasa filio Iether; quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem belli in balteo suo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius.* 3 Reg. 2. 5. [*3. Reg. 2. 5.*] Ad quem locum dum omnes interpretes obseruant; ideò Ioabum Dauidi signatè fuisse inuisum, quòd in illis indignissimis Principum cædibus perficiendis cruorem belli in balteo, & in calceamentis posuerit, & quid his verbis significetur ambigunt: illa videtur germanior, C opportuniorque expositio, quam affert P. Sanctius; [*Sanctius.*] quamuis in eâ ipse omninò non conquiescat: vt inde Ioabum maximè pungat, damnetque Dauid, quod de illorum Principum cæde adeò non fuerit verecundatus, nec hominum oculos iudiciaque exhorruerit, vt potiùs quasi de egregio facinore gloriaretur: *Quasi enim præclarum aliquod edidisset facinus* (ait ille) *quale foret si Goliath alterum, & in eo suæ gentis opprobrium commune sustulisset, sic innocentium sanguinem circumferebat in calceis, & in balteo diffusum, virtutis argumentum imbecille: neque in eo sanguine calceamenta respersa retardabant illius, quamcumque in partem vellet, liberum incessum, neque balteus eâ ratione insignitus, siue sudatus, à militari, siue conuentu, siue præfectura reuocabat. Id porrò aliis non poterat esse non molestum, cùm gloriosum sibi duceret, eoq; se nomine ambitiosè iactauerit, quod sibi ignominiæ, atque pudori ducere debuisset.* D En eum qui facit superbiam, & *in manu excelsa*, & *discooperto capite delinquit* à Seneca hac eadem phrasi notatum in libro de vita beata, [*Seneca.*] aientes *Indulget vitiis non timidè, nec obscurè: luxuriatur enim inoperto capite.* Sed & lib. de tranquillitate anim. cap. 15. hanc ille in rem scitè inquit: *Ambitio eousque iam se suis non continens terminis, vt per turpitudinem splendeat*: vt dixerit, claritatem, & nomen in turpitudine, & dedecore quærat. Quod planè consummatæ infelicitatis esse sic iterum affirmat epist. 39. *Tunc autem consummata est infelicitas, cùm turpia non solum delectant, sed etiam placent, & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores sunt.* Quâ de re multis egimus in epist. ad Philip cap. 3. vers. 18. adnot. 4. & 5. vide ibi. Quàm prudenter verò Dauid facientem superbiam oderit, in Adnotationibus persequimur.

Qui

Qui loquitur iniqua non direxit in conſpectu oculorum meorum.

LECT. I.

Mendacia iniuſta Dauidi maximè inuiſa.

1 DE mendace qui Dauidi vehementer diſpliceat, penè omnes accipiunt; imò id ex Hebræo, & Chaldæo firmant: nam Pagninus legit: *Loquens mendacia non firmabitur coram oculis meis.* Et Hieronymus: *loquens mendacia non placebit in conſpectu oculorum meorum.* Ad quem modum Chaldæus rem augens: *Qui loquitur mendacia, non erit ei facultas comparendi coram oculis meis.* Digna ſanè Principe mens, vt Aulam optimè inſtitutam, & ornatam habeat: nam vt Salomon monet: *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios.* Prouerb. 29. 12. vbi obſerua LXX. eodem, quo hîc modo non legere *verba mendacij*, ſed *verbum iniuſtum*: & verò cùm vterque locus de mendacio accipiendus ſit, vt ex originibus liquet, ambigit Agellius, cur ipſi mendacium iniquitatis nomine ſignificare voluerint? reſpondetque primùm non temerè, ſed magno conſilio ſic vertiſſe, vt mendacem cum eo componerent, qui dum falſis pônderibus, ac menſuris vtitur, iniuſtè facit, eos cum quibus commercium habet damno afficiens: quippe eodem modo, qui mendacia loquitur, & audientes decipit, iniuſtiſſimus eſt, & iniquiſſimè facit: cùm adeò fidelibus verbis agere debeamus, vt iuſtis, & æquis ponderibus, ac menſuris. Sed enim argutum id potius quàm ſolidum, & iniquitati, ſiue iniuſtitiæ explicandæ opportunum dixeris. Quare melius ſecundò occurrit inquiens, ideò loquentem falſa loqui *iniqua* dixiſſe: *Quia iniquorum, ac falſorum teſtium, accuſatorumq́; mendacia intelligebat Dauid, quæ LXX. iniqua dixerunt, quia in iudicio, vbi de iure, & iniuriâ, de æquitate, & iniquitate agitur, proferuntur, ita vt idem ſit teſtimonium falſum, & iniquum.* Benè quidem: dummodò ad mendacia in iudicio ſolùm prolata non reſtrinxeris; ſed generaliter acceperis de illis quibus aliorum fama, & honor iniuſtè violatur; quæ Principi maximè inuiſa eſſe debent, ratione à Salomone allatâ: *Quia Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios.* Qui videlicet, quæ Aulæ natura eſt, ad Principis gratiam, & honores adipiſcendos hiantes, vt ſibi locû faciant alios denigrare perpetuò ſtudebunt: & inuicem mordentes ab inuicem conſumentur. Vnde Leonem filium ſic bonus Imperator Baſilius in exhortationibus admonebat cap. 55. *Præbere aures auditioni vanæ noli, & calumniatores in ſinu tuo ne foue, & improbis ne temerè crede: iſti enim ſæpius viros bonos affligere ſolent, & propriæ improbitatis iras euomentes innocentis ſanguinis reum te conſtituent.* Sic ille.

2 Sed quid ſibi vult Dauid de hoc mendaciorum, ſiue calumniarum ſatore inquiens: *Non direxit in conſpectu oculorum meorum.* Acutè Agellius perinde id aſſertum vult, ac ſi dixerit Rex: *Non ſibi conſtitit, non recto itinere, & ſermonis curſu conſtanter ambulauit, ſed titubauit, & conſpectu oculorum meorum, ac ſolo conſpectu perterritus aciem oculorum meorum tamquam lucem occulta detegentem veritus vacillauit, & fluctuauit, & ſibi contraria locutus eſt.* Quam explicandi rationem, & ipſe opportunè cõfirmat ex Salomone Prou. 16. 17. dicente: *Diuinatio in labiis Regis, in iudicio non errabit os eius.* Et nos in Adnotationibus fuſiùs elucidabimus, cùm Principis oculos ad cenſurarum articulos cognoſcendos pernecesſarios eſſe adſtruxerimus. Modò verò quoad Dauidis phraſim ſimplicius videtur, quod Hebræo in Chaldæo ſonant: *Non placebit in conſpectu oculorum meorum.* Vt non minùs ij alieni honoris fures optimo Regi eſſent inuiſi, ac bono illi Imperatori Alexandro Seuero iudices, qui furtorum famâ laboraſſent. De quo hæc teſtata reliquit Ælius Lampridius in eius vitâ: *Referebat Encolpius, quo ille familiariſſimo vſus eſt, illum ſi furem iudicem vnquam vidiſſet, paratum habere digitum, vt illi oculum erueret. Tantum odium eum tenebat eorum, de quibus apud ſe probatum eſſet, quòd fures fuiſſent. Addit Septimius, qui vitam eius non mediocriter executus eſt, tanti ſtomachi fuiſſe Alexandrum in eos iudices, qui furtorum fama laboraſſent, etiamſi damnati non eſſent, vt ſi eos caſu aliquo videret, commotione animi ſtomachi choleram euomeret, toto vultu inardeſcente, ita vt nihil loqui poſſet.* Subdit ſtatim, quod lectioni Chaldææ: *Non erit ei facultas comparendi coram oculis meis*, ſatis opportunum videtur. *Nam cùm quidem Septimius Arabinus famoſus crimine furtorum, & ſub Heliogabalo iam iam liberatus inter Senatores Principem ſalutatum veniſſet, exclamauit: O Numina! ô Iupiter! ô Dij immortales! Arabinus non ſolùm viuit, verùm etiam in Senatum venit: fortaſſe etiam de me ſperat: tam fatuum, tam ſtultum eſſe me iudicat.* Hæc Alexander. Quæ iniquo loquentibus videor mihi Dauidem etiam dixiſſe.

(Margin notes: Lect. Heb. Hieron. — Chaldæus. — Prou. 29. 12. — LXX. — Agellius. — Imp. Baſil. — Agellius. — Prou. 16. 17. — Lamprid. — Lect. Chal.)

Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam.

LECT. II.

Improbi à gerenda Repub. remouendi.

1 AMBIGIT ex aliorum ſenſu Lorinus hîc: num viri flagitioſi à Rep. gerenda remoueri penitus debeant? Atque non ſibi omninò diſplicere eorũ reſponſionem, qui volunt in Eccleſiæ Epiſcopos, cæteroſque templorum, & rerum ſacrorum, religionis Adminiſtros non niſi probiſſimos quoſque eſſe deligendos quæſtione priùs de eorum vitâ, & moribus habitâ: de quo nos ad præcedentem verſum egimus, quodque egregiè confirmant Hieronymus in cap. 1. epiſt. ad Titum, & Auguſt. epiſt. 29. quos adi, & de quo etiam multus eſt Gregor. Nazianz. variis in locis. Deinde verò ait Lorinus, non malè eos auctores affirmare: *Belli curam prudenter viris fortibus demandari moribus licet haud ſatis integris, ſi aliter fieri non poſſit: eodemq; modo de aliis functionibus ciuilibus minoribus, vt legatis, de curatoribus annonæ, operúmve publicorum, de apparitoribus, lictoribus, publicanis, fiſci procuratoribus.* Quod ea ſimilitudine confirmat: *Quemadmodum peritos artifices quærimus, non viros probos, etſi vt etiam ſint probi, optandum ſit.* Sic ille. At enimverò hæc ego omnino probare nolim, ſed eam Principi de virtute, & iuſtitia, lignatè verò de diuina prouidentia ad omnia gubernationis munia concurrente, mentem inijcere, vt ad Dei inſtar tam impietati, quàm impio infenſus eſt: ſic enim de illo Salomon Sapient. 14. 9. *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius:* vbi dum ab interpretibus ambigitur de ſenſu huius ſententiæ: nam nonnihil obſtrepit à Salomone aſſeri, & impium, & impietatem odio haberi, cùm ſeclusâ impietate homo odio haberi non poſſit. De quo vide Mendozam Auguſtinianum in quodlibet. q. 1. de Prædeſtinat. num. 21. Sic facilè te ob ea difficultate expedies, ſi dixeris, adhuc ſeclusâ impietate peccatorem odio haberi, quod cum qui ſibi nequam eſt, nulli bonæ rei præſertim aliis dirigendis, & gubernandis aptum, & opportunum Deus ducat, vti & Sapiens ait: *Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?* Eccleſ. 14. 9. Quod planè monitum ita diſertiſſimè ingerebat Iſocrates Demonico apud Stobæum ſerm. 44. *Imperium gerens nullius mali operâ ad gubernandum vtitor.* Reddit rationem: *Illius enim peccatorum cauſa in te referentur.* Nimirum, aut Principi improbus placere videbitur,

(Margin notes: Hieronym. August. Nazianz. — Sap. 14. 9. — Mendoza. — Eccl. 14. 9. — Iſocrates.)

dirigere videantur, dum auri ſcopum collimantes, Principum dicta factaque quæ ipſi confingunt, iis quorum intereſt, vendunt eoſque atrociter decipiunt, vti de Zotico Heliogabali familiari inquit Ælius Lā- *Lamprid.* pridius: *Omnia Heliogabali dicta & facta vendebat fumis, quàm maximè diuitias enormes ſperans: cùm alijs minaretur,* *Idem.* *alijs polliceretur, omnes falleret.* En Aulicum *qui facit dolum*, ſeu arcum fallacem: quem etiam benè explicat Turinus ille inſignis fumi venditor, Alexandri Seueri familiaris ab eo necari iuſſus fumo appoſito ex ſtipulis, & humidis lignis facto, clamante præcone: *Fumo punitur, qui fumum vendidit*: nimirum ſic doloſus ille arcum dirigebat, vt vtrique parti eadem de re contendenti ſuffragium promitteret ſiue venderet, ita enim Lampridius in Seuero, de eo Principe: *Quaſiuit diligentiſſimè antequàm illum damnaret, & inuenit Turinum ſæpè, & in cauſis ab vtraque parte accepiſſe, cùm euentus venderet, & ab omnibus qui aut præpoſituras, aut prouentias acceperant.*

2 Ergo alius Dauidi ex Lectione LXX. ſiue noſtri *Caſſiod.* vulgati ſenſus ſubeſt, quem Caſſiod. ſic exprimit: *Adhuc in dictis ſuperioribus perſeuerat. Negat enim cum ſuperbis ſibi fuiſſe aliquam portionem, ne crederetur eos probaſſe, quorum familiaritatem ſibi videbatur adiungere.* Nec aliter Auguſt. dum Chriſtum Dominum hæc verba loquentem facit hunc in modum: *Reuertere ad domum illam, id eſt, ad cor.* Non habitabit in corde meo faciens ſuperbiam: *Nullus talis habitabat in corde meo, reſiliebat enim inde. Nemo habitabit in corde meo niſi mitis, & quietus, ſuperbus non illic habitabit. Non enim habitat in corde iuſti iniuſtus.* Quod ſic ſtatim explicat: *Sit à te iuſtus remotus* *Auguſt.* *neſcio quot millibus, & manſionibus, ſimul habitatis, ſi vnum cor habetis.* Sic Auguſtinus, quem penè omnes interpretes ſequuntur, *facientem ſuperbiam* de ſuperbo accipientes. Iuxta quam exponendi rationem opportunè inducitur Rex tam à familiaritate, & gratiâ ſuâ, quàm à negotiorum expeditione ſuperbum hominem amouens, tum, quod vt ipſe verſ. 5. dicebat, ſuperbum ſe ferre non poſſet, ita etiam Regij familiares cùm ſuperbi ſunt alijs intolerandi habeantur: tum etiam quod Regiæ gratiæ oneri inualidos ſuperbi humeros afferā, vti ſapiens Rex Aſſuerus in edicto ſuo ſcripſit inquiens: *Multi bonitate Principum, & honore, qui in eos collatus eſt, abuſi ſunt in ſuperbiam. Et non ſolùm ſubiectos* *Eſther. 16. 3.* *Regibus nituntur opprimere, sed datam ſibi gloriam non ferentes, in ipſos qui dederunt, moliuntur inſidias.* Eſther. 16. 3. vbi maximè obſeruāda ſunt illa, *datā ſibi gloriam non ferentes*, quibus innuit Rex ingens quidem eſſe onus Regiæ familiaritatis quod ſuperbi ferre non queant: quippe qui infirmi, & imbecilles, & ſi benè æſtimas, *Iſid. Peluſ.* pueris perſimiles ſunt. Certè Iſidor. Peluſiota inde Ioſephum regiæ Pharaonis familiaritatis capacem, & Imperio habilem penſitauit, quod vt in humilibus ſublimis: ita in ſublimibus humilis inuentus fuerit. Sic enim ille lib. 4. ep. 78. *Imperauit denique ſibimetipſi, quod eſt Imperij genus omnium maximum, quando & in humilibus ſublimis conſpectus eſt, & in ſublimibus humilis.* Sic ille, enim verò, ſi rem attentiùs perpendis, exigit veræ magnitudinis lex latiſſimum, & capaciſſimum animum, qui multò maior, & excelſior ipſâ factus, illam moderetur, coërceat, & intra ſe comprimat, ac velut carcere, ac vinculis frænet, quin exterius ab illâ efferatur, ſiue abripiatur: de quo in adnotationibus plura.

3 Sed enim in hac explicatione animus plenè non quieſcit; cùm is dicendi modus valdè peculiaris ſit, qui plus aliquid innuat, quàm ſuperbum eſſe. Quare ſcopum mihi collimare viſus eſt Agellius, & ab eo Lorinus id accipientes de eo, qui non iam per ignorantiam, aut fragilitatem labitur, *à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus, & illectus*: quàm datâ operâ per contemptum, arroganter, pertinaciter iniurioſus eſt, qui vt de eodem dicebat Bernardus: *nec Deum timet, nec homines reueretur*: & (quod rem omnino explicat, & exhaurit) qui non modò datâ ſibi potentiâ abutitur ad alios opprimendos, ſed illam in facienda iniuria oſtendit, & iactat. Firmat hanc expoſitionem vterque auctor tam ex verbis Num. 15. 29. *Anima, quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit*: vbi ex Hebræo Paguinus habet: *in* *Num. 15. 19.* *manu excelſa.* LXX. verò *in manu ſuperbiæ*: id eſt non ignoranter, aut cum metu & timore, ſed arroganter, & in malo gloriabundus: quàm ex ea locutione Exod. 14. 8. qua filij Iſraël egreſſi dicuntur ex Ægypto *in manu excelſa*: neminem ſcilicet formidantes, palàm, & apertè. Cui cogitationi epitaſim ibi addit Lectio Chaldæa, quæ pro *manu excelſa* habet, *capite diſcooperta*: id eſt, non vt fugaces ſerui, tecti, & diſſimulanter, ſed tamquam Domini, rerumque potentes, cum pompâ, & maieſtate progredientes. Ergo eum ſignatè Dauid Aulâ ſuâ pellit, quin in eximio domus ſuæ munere collocatum eſſe velit, qui regiam familiaritatē, & potentiam in faciendâ iniuriâ ambitioſè oſtendit, iactatque. Planè quaſi Ioab belli ducem inuiſum ſibi fore iam prænuntiet, damnetque, cùm moriturus filium ſuum Salomonem, ne illum impunitum abire ſineret, ſingillatim monuerit his verbis: *Tu quoque noſti, quæ fecerit mihi Ioab filius Sarui æ, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Iſrael Abner filio Ner, & Amaſa filio Iether; quos occidit, & effudit ſanguinem belli in pace, & poſuit cruorem belli in balteo ſuo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento ſuo, quod erat in pedibus eius.* 3 Reg. 2. 5. Ad quem *3. Reg. 2. 5.* locum dum omnes interpretes obſeruant; ideò Ioabum Dauidi ſignatè fuiſſe inuiſum, quòd in illis indigniſſimis Principum cædibus perficiendis cruorem belli in balteo, & in calceamentis poſuerit, & quid his verbis ſignificetur ambigunt: illa videtur germanior, opportuniorque expoſitio, quam affert P. San- *Sanctius.* ctius; quamuis in eâ ipſe omnino non conquieſcat: vt inde Ioabum maximè pungat, damnetque Dauid, quod de illorum Principum cæde adeò non fuerit verecundatus, nec hominum oculos iudiciaque exhorruerit, vt potiùs quaſi de egregio facinore gloriaretur: *Quaſi enim præclarum aliquod edidiſſet facinus* (ait ille) *quale foret ſi Goliath alterum, & in eo ſuæ gentis opprobrium commune ſuſtuliſſet, ſic innocentium ſanguinem circumferebat in caligis, & in balteo diffuſum, virtutis argumentum imbecille: neque in eo ſanguine calceamenta reſperſa retardabant illum, quamcumque in partem vellet, liberum inceſſum, neque balteus eā ratione inſignitus, ſiue fœdatus, à militari, ſiue conuentu, ſiue præfecturâ reuocabat. Id porrò alijs non poterat eſſe non moleſtum, cùm glorioſum ſibi duceret, eoq; ſe nomine ambitioſè iactauerit, quod ſibi ignominiæ, atque pudori ducere debuiſſet.* En eum qui facit ſuperbiam, & *Senecæ.* in manu excelſa, & *diſcooperto capite delinquit* à Seneca hac eadem phraſi notatum in libro de vita beata, aiente: *Indulget vitiis non timidè, nec obſcurè: luxuriatur enim inoperto capite.* Sed & lib. de tranquillitate anim. cap. 15. hanc ille in rem ſcitè inquit: *Ambitio euſque iam ſe ſuis non continens terminis, vt per turpitudinem ſplendeat*: vt dixerit, claritatem, & nomen in turpitudine, & dedecore quærat. Quod planè conſummatæ infelicitatis eſſe ſicuti etiam affirmat epiſt. 39. *Tunc autem conſummata eſt infelicitas, cùm turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent, & deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores ſunt.* Quâ de re multis egimus in epiſt. ad Philip cap. 3. verſ. 18. adnot. 4. & 5. vide ibi. Quàm prudenter verò Dauid facientem ſuperbiam oderit, in Adnotationibus perſequimur.

Qui

Qui loquitur iniqua non direxit in conſpectu oculorum meorum.

LECT. I.

Mendacia iniuſta Dauidi maximè inuiſa.

1 DE mendace qui Dauidi vehementer diſpliceat, penè omnes accipiunt; imò id ex Hebræo, & Chaldæo firmant: nam Pagninus legit: *Loquens mendacia non firmabitur coram oculis meis.* Et Hieronymus: *loquens mendacia non placebit in conſpectu oculorum meorum.* Ad quem modum Chaldæus rem augens: *Qui loquitur mendacia, non erit ei facultas comparendi coram oculis meis.* Digna ſanè Principe mens, vt Aulam optimè inſtitutam, & ornatam habeat: nam vt Salomon monet: *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios.* Prouerb. 29. 12. vbi obſerua LXX. eodem, quo hic modo non legere *verba mendacij*, ſed *verbum iniuſtum*: & verò cùm vterque locus de mendacio accipiendus ſit, vt ex originibus liquet, ambigit Agellius, cur ipſi mendacium iniquitatis nomine ſignificare voluerint? reſpondetque primùm non temerè, ſed magno conſilio ſic vertiſſe, vt mendacem cum eo componerent, qui dum falſis ponderibus, ac menſuris vtitur, iniuſtè facit, eos cum quibus commercium habet damno afficiens: quippe eodem modo, qui mendacia loquitur, & audientes decipit, iniuſtiſſimus eſt, & iniquiſſimè facit: cùm adeò fidelibus verbis agere debeamus, vt iuſtis, & æquis ponderibus, ac menſuris. Sed enim argutum id potius quàm ſolidum, & iniquitati, ſiue iniuſtitiæ explicandæ opportunum dixeris. Quare meliùs ſecundò occurrit inquiens, ideò loquentem falſa loqui *iniqua* dixiſſe: *Quia iniquorum, ac falſorum teſtium, accuſatorumq;, mendacia intelligebat Dauid, quæ LXX. iniqua dixerunt, quia in iudicio, vbi de iure, & iniuriâ, de æquitate, & iniquitate agitur, proferuntur, ita vt idem ſit teſtimonium falſum, & iniquum.* Benè quidem: dummodò ad mendacia in iudicio ſolùm prolata non reſtrinxeris; ſed generaliter acceperis de illis quibus aliorum fama, & honor iniuſtè violatur: quæ Principi maximè inuiſa eſſe debent, ratione à Salomone allatâ: *Quia Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios.* Qui videlicet, quæ Aulæ natura eſt, ad Principis gratiam, & honores adipiſcendos hiantis, vt ſibi locũ faciant alios denigrare perpetuò ſtudebunt: & inuicem mordentes ab inuicem conſumentur. Vnde Leonem filium ſic bonus Imperator Baſilius in exhortationibus admonebat cap. 55. *Præbere aures auditioni vanæ noli, & calumniatores in ſinu tuo ne foue, & improbis ne temerè crede: iſti enim ſæpius viros bonos affligere ſolent, & propria improbitatis iras euomentes innocentis ſanguinis reum te conſtituent.* Sic ille.

Leſt. Heb. Hieron. Chaldæus. Prou. 29. 12. LXX. Agellius. Imp. Baſil.

2 Sed quid ſibi vult Dauid de hoc mendacio eum, ſiue calumniarum ſartore loquiens: *Non direxit in conſpectu oculorum meorum.* Acutè Agellius perinde id aſſertum vult, ac ſi dixerit Rex: *Non ſibi conſtituit, non recto itinere, & ſermonis curſu conſtanter ambulauit, ſed titubauit, & conſpectu oculorum meorum, ac ſolo conſpectu perterritus aciem oculorum meorum tamquam lucem occulta detegentem veritus vacillauit, & fluctuauit, & ſibi contraria locutus eſt.* Quam explicandi rationem, & ipſe opportunè cõfirmat ex Salomone Prou. 16. 17. dicente: *Diuinatio in labiis Regis, in iudicio non errabit os eius.* Et nos in Adnotationibus fuſiùs elucidabimus, cùm Principis oculos ad cauſarum articulos cognoſcendos pernecesſarios eſſe adſtruxerimus. Modò verò quoad Dauidis phraſim ſimplicius videtur, quod Hebræo in Chal- A dæo ſonant: *Non placebit in conſpectu oculorum meorum.* Vt non minùs ij alieni honoris fures optimo Regi eſſent inuiſi, ac bono illi Imperatori Alexandro Seuero iudices, qui furtorum famâ laboraſſent. De quo hæc teſtata reliquit Ælius Lampridius in eius vitâ: *Referebat Encolpius, quo ille familiariſſimo vſus eſt, illum ſi furem iudicem vnquam vidiſſet, paratum habere digitum, vt illi oculum erueret. Tantum odium eum tenebat eorum, de quibus apud ſe probatum eſſet, quòd fures fuiſſent. Addit Septimius, qui vitam eius non mediocriter executus eſt, tanti ſtomachi fuiſſe Alexandrum in eos iudices, qui furtorum fama laboraſſent, etiamſi damnati non eſſent, vt ſi eos caſu aliquo videret, commotione animi ſtomachi choleram euomeret, toto vultu inardeſcente, ita vt nihil loqui poſſet.* Subdit ſtatim, quod lectioni Chaldææ: *Non erit ei facultas comparendi coram oculis meis*, ſatis opportunum videtur. *Nam cùm quidem Septimium Arabianum famoſum crimine furtorum, & ſub Heliogabalo iam iam liberatum inter Senatores Principem ſalutatum* B *veniſſet, exclamauit: O Numina! ô Iupiter! ô Dij immortales! Arabianus non ſolùm viuit, verùm etiam in Senatum venit: fortaſsis etiam de me ſperat: tam fatuum, tam ſtultum eſſe me iudicat.* Hæc Alexander. Quæ iniqua loquentibus videor mihi Dauidem etiam dixiſſe.

Prou. 16. 17. Agellius. C Lamprid. Lect. Chal.

Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam.

LECT. II.

Improbi à gerenda Repub. remouendi.

1 AMBIGIT ex aliorum ſenſu Lorinus hîc: num viri flagitioſi à Rep. gerenda remoueri penitus debeant? Atque non ſibi omninò diſplicere eorũ reſponſionem, qui volunt in Eccleſiæ Epiſcopos, cæteroſque templorum, & rerum ſacrarum, religionis Adminiſtros non niſi probiſſimos quoſque fore deligendos quæſtione priùs de eorum vitâ, & moribus habitâ: de quo nos ad præcedentem verſum egimus, quodque egregiè confirmant Hieronymus in cap. 1. epiſt. ad Titum, & Auguſt. epiſt. 29. quos adi, & de quo etiam multus eſt Gregor. Nazianz. variis in locis. Deinde verò ait Lorinus, non malè eos auctores affirmare: *Belli curam prudenter viris fortibus demandari moribus licet haud ſatis integris, ſi aliter fieri non poſſit: eodemq; modo de aliis functionibus ciuilibus minoribus, vt legatis, de curatoribus annonæ, operúmve publicorum, de apparitoribus, lictoribus, publicanis, fiſci procuratoribus.* Quod ea ſimilitudine confirmat: *Quemadmodum peritos artifices quærimus, non viros probos, etſi vt etiam ſint probi, optandum ſit.* Sic ille. At enimverò hæc ego omnino probare nolim, ſed eam Principi de virtute, & iuſtitia, ſignatè verò de diuina prouidentia ad omnia gubernationis munia concurrente, mentem inijcere, vt ad Dei inſtar tam impietati, quàm impio infenſus eſt: ſic enim de illo Salomon Sapient. 14. 9. *Odio ſunt Deo impius, & impie-* D *tas eius:* vbi dum ab interpretibus ambigitur de ſenſu huius ſententiæ: nam nonnihil obſtrepit à Salomone aſſeri, & impium, & impietatem odio haberi, cùm ſeclusâ impietate homo odio haberi non poſſit. De quo vide Mendozam Auguſtinianum in quodlibet. q. 5. de Prædeſtinat. num. 21. Sic facilè te ab ea difficultate expedies, ſi dixeris, adhuc ſeclusâ impietate peccatorem odio haberi, quod eum qui ſibi nequam eſt, nulli bonæ rei præſertim aliis dirigendis, & gubernandis aptum, & opportunum Deus ducat, vti & Sapiens ait: *Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?* Eccleſ. 14. 9. Quod planè monitum ita diſertiſſimè ingerebat Iſocrates Demonico apud Stobæum ſerm. 44. *Imperium gerens nullius mali operâ ad gubernandum vtitor.* Reddit rationem: *Illius enim peccatorum cauſa in te referentur.* Nimirum, aut Principi improbus placere videbitur, aut

Hieronym. Auguſt. Nazianz. Sap. 14. 9. Mendoza. Eccl. 14. 9. Iſocrates.

Digitized by Google

aut ei ſimilis exiſtimabitur, aut vix à Principe diſcrimen inter probum, & improbum fieri credetur, & quod plus eſt, timere omnino Princeps debet, ſe in ea gubernationis parte, quam improbis committit, Deum adiutorem non habiturum: vt in adnotationibus latiùs tractamus. Quamuis autem ex iis rationem amplectaris, concinet illud Theognis: *Theognis.* *A malo viro tanquam à malo portu cauendum*, quaſi ab illo nihil vtile, proſperum, aut fortunatum ſperari, cui Deus infenſus eſt. Nec ad rem fuerit, quod dicitur, peritos à nobis artifices quæri, non viros bonos, ſcilicet idē fuerit veſtem, aut menſam faciendam, & exercitua ducendos, ſiue regni robur, gloriamque improbis hominibus committere.

Lorinus. 2. Pergit verò Lorinus, & exeorum ſententia, quos non improbat, addit, Principem ſi iam ſenex ſit, multoque cautus vſu citra magnum diſcrimen quemuis ad Aulæ obſequia admittere poſſe. Quod quidem tam cum his ſiue etiam cum præcedentibus Dauidis verbis, quibus omnino adſtruit nonniſi ambulantem *in viâ immaculatâ* ei miniſtraturum, quàm cum ipſa Regis dignitate apertè pugnare dixeris. Aliter quidem cenſebat Theodahadus Rex apud *Caſsiod.* Caſſiodor. lib. 10. ep. 5. inquiens: *Præſenti miſsione præcipimus, vt quicumque ad domum noſtram noſcitur pertinere, nullis præſumptionibus inſoleſcat. Quia ſolus dicendus eſt ille meus, qui legibus potuerit eſſe tranquillus.* Et ſtatim: *A domeſticis inchoare volumus diſciplinam, vt reliquos pudeat errare, quando noſtris cognoſcimus excedendi licentiam non præbere.* Aliter etiam bonus Imperator Alexander Seuerus cui magnæ curæ fuit domeſticos habere *ſanctos, venerabiles, continentes, religioſos, qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent.* vt ait Lampridius in eius *Lamprid.* vitâ. Sed enim illud opportunius, quòd Aſſertor noſter, qui non venit iudicare, ſed ſaluare: atque ideò calamum quaſſatum non confregit, nec linum fumigans extinxit, cùm primum in templo inuenit negotiatores, qui domum ſuam non pro dignitate colerent, facto flagello de funiculis eos ſtatim domo ſuâ eiecit: *zelo* videlicet *domus ſuæ* permotus, *magis eligens* (inquit Vverricus ſermone tertio in Pſalm.) *Vverricus.* *furorem ſacerdotum in necem ſuam prouocare, quàm templi prophanationem diſsimulare.* Quo quidem exemplo inſtructus ſic domum ſuam Princeps zelare debet, vt nonniſi probatiſſimos quoſque in illam recipiat. Certè Athalaricus Rex non aliter ſibi ſuos Aulicos examinatos, probatoſque eſſe volebat, *ne aquilæ* pulli de pupillarum ad Solem acie, & inconniuentiâ examinantur, vt aut nido retineantur, aut eo deturbentur: ſic quippe aiebat apud Caſſiodorum libro *Caſsiod.* *Cyprian.* octauo, epiſtol. 21. Cypriani clariſſimi viri genus commendans: *Primùm quod non minima laudis præſtat initium infantia eorum nata eſt palatio: ſic fœtus ſuos more Aquilæ ſe probantes regales oculos ab ipſis penè incunabulis pertulerunt.* Pulchrè *pertulerunt*, tanquam vehementes, ardenteſque Solis radios, quibus non niſi fortes, acreſque pupillæ valeant obſiſtere.

VERSVS VIII.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

COMMENTARIVS.

CLAVDIT carmen Dauid *Iudicium* Domino decantans, vt qui à miſericordia initium fecit, ſeueritatem ad Pſalmi calcē reiiciat quaſi diu cunctatus, & inuitus, & quantùm potuit differēs ad ſumendas de ſontibus pœnas acceſſerit. Quid quod huic ſeueritati illa erat coniuncta miſericordia, quâ bonos ciues ab iniuriis impiorum vendicabat: ita Cardin. Bellarmin. inquiens: *Bellarm.* *Concludit Pſalmum demonſtrans zelum ſuum in purganda ciuitate Dei: in quâ purgatione faciebat miſericordiam, & iudicium, miſericordiam erga bonos ciues liberans eos ab oppreſsionibus impiorum, & iudicium erga malos debitis pœnis eos afficiens.* Sed quo id ordine, & fine exequeretur, vide.

In matutino.

Cunctator eſſe debet, qui iudicat de ſalute.

1. IMPORTVNVM dixeris ſumendis ſuppliciis ſiue purgandæ ciuitati matutinum tempus: vtrūque enim in noctem cōmodiùs reiicitur: ſic de vrbe ſeruandâ admonebat Rex ille apud Caſſiodorum lib. 9. *in formula Comitiua Romana*, Præfectum Vigilum: *Officium tuum, & milites conſuetos noctibus potiùs inuigilare compelle: in die autem ciuitas ſeipſa cuſtodit. Vigilans enim ſtudio non indiget alieno.* De ſuppliciis verò in ſontes inferendis ipſemet Dauid Pſalm. 29. 6. *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Dei ingenium in ſemetipſo exprimens, qui res aduerſas, quæ cùm adueniunt mœrorem, & luctum afferunt, demoratur *ad veſperum*, vtpote, qui reiiciat eas in maximè ſera tempora: at lætitiam, id eſt læta, atque ſecunda, quæ quos inuiſunt, lætos, atque hilares reddunt, *ad matutinum*, ſummo ſcilicet manè, ſummoque curat ſtudio. Sed ſi attēdis, nihil à Principe iuſtitiæ munia obeunte opportunius cogitari, dicique potuit; quippe *in matutino* peccatores interficere, perinde eſt in primis (vt ait Agellius) ac *aſsiduè*, *quotidie*: phraſi Dauidi vſitatâ, vt Pſalm. 72. 14. *Fui flagellatus totâ die, & caſtigatio mea in matutinis*, indicans bonus Rex, quàm aſſiduâ, & indeſinenti curâ inuigilaret, vt nocentes, & populo noxij de medio tollerentur. Deinde, vt idem Agellius, & Cardin. Bellarmin. necnon Lorinus volunt, hoc dicendi modo ſignificauit Dauid, quam primū, antequam aut malum ſerperet, & contagio alij corrumperentur, aut reus elaberetur, & inuidiâ criminia extinctâ, vel corrupto iudicio, aut fauore, & gratiâ iudicium eluderet, ad ſumendas de peccatis pœnas accedere, vt à Suetonio tanquam verè ſedulum Tiberij Imperatoris iuſtitiæ ſtudium laudatur, dum de ipſo in eius vita cap. 33. ait: *Magiſtratibus pro tribunali cognoſcentibus plerumq; ſe offerebat conſiliarium, aſsidebatq; mixtim, vel ex aduerſo in parte primori, & ſi quem reorum elabi gratiâ, rumor erat, ſubitus aderat, iudiceſq; aut è plano, aut ex Quæſtoris tribunali, legum, & religionis, & noxæ, de quâ cognoſcerent, admonebat.* Nec fuerint omittenda Bellarmini verba inquientis: *Dicit autem in matutino, ſe hoc iudicium exercuiſſe, id eſt, in ipſo principio erumpentium malorum, antequam radices figant. Nam vbi mala creſcendo inualuerunt, vix magno labore eradicari poſſunt.* Sic ille.

2. Sed & ille, ſiue ab Hebræa voce, quâ matutinū tempus *ab exquirendo* dicitur excogitatus ab Agellio ſenſus, ſiue ab ipsâ matutini temporis naturâ deſumptus, vt hæc verba penſitauit S. Iſidorus Peluſiota, accōmodatiſſimus videtur, vt affirmet Vates ſe non ſubitò, aut temerè ſiue indictâ causâ, indefenſos, & inauditos reos morti addicere ſolitū, ſed crimine inquiſito, causâque agitatâ, atque perſpectâ, *Inquiſitione habitâ de nocentibus* (inquit Agellius) *& causâ diſcuſſa interficiebam.* Aliter quidem, ac Imperator Galba apud Tacitum lib. 1. hiſtor. à quo *Cingonius Varro Conſul deſignatus, & Petronius Turpilianus Conſularis*, verè quidem nocentes, ſed *inauditi, atque indefenſi*, ne proinde *velut innocentes* capitis damnati ſunt. Sed iam audi Iſidorum hæc verba ſic peculiariter elucidantem

Margin notes (right column): *Lect. I.* *Caſsiodor.* *Pſal. 29. 6.* *Pſal. 72. 14.* *Agellius.* *Bellarm.* *Lorinus.* *Sueton.* *Bellarm.* *Agellius.* *Iſidorus.* *Tacitus.*

tem epist. 311. *Iustitiæ sinceritatem, & integritatem, ac prudentiam declarat: nempe quòd nec iracundia, nec temulentia eum ad cædem impellebat: nam illa etsi externo die ipsius animum concitabat, at per noctis longitudinem mitigabatur. Hæc rursus etsi vespere ingens accesserat, per somnum tamen minuebatur, ac discutiebatur. Purâ itaque mente, inquit, atque integrâ tum manu, tum mente aduersùs eos, qui Deum sceleribus suis lacessebant, arma induebam.* Hæc ille optimè, sedatissimum Dauidis animum in sumendis pœnis depingens ad eum modum, quo Cassiodorus in formula Comitiuæ Prouinciæ, vbi omnes veluti Iudices, quibus ferrum ad puniendos sontes cõmittitur, in Comite illo admonens, cùm dixisset: *Vide, quo iudicio fueris euectus, quando aliis vigorem fascium videas esse creditum; tibi autem ab ipsis legibus ferrum constet esse porrectũ.* Subiicit sapienter: *Rem cruentam dederunt animo pacato.* Et statim: *Sed cùm te intelligas ad moderamen electum, humanum facilè non concupiscas exitium.* Hæc ibi Cassiodorus. Quæ eodem libro *in formula Præfecti Vigilum* plus plus firmat, cùm ipsismet humano generi infensissimos latrones nonnisi causâ maturè discussâ, auditos, & defensos puniri velit ad hunc modum: *Sed quamuis nomen odiosissimum furum generalis persequatur assensus, tamen quia de effusione humani sanguinis agitur, nihil subitum, aut indeliberatum iubemus assumi. Modestiam sequere, qui damnas audaciam, continentiam dilige, qui furta condemnas. Ad gesta perducti audiantur aliquid pro salute dicturi.* Concludit sapienter simile: *Quoniam quidquid non discutitur, iustitia non putatur.* Hæc ille, ipsismet sacris iuris canonibus omnino consona: dum de iudiciis sententia non seruato iuris ordine etiam in manifestis, & publicis excessibus aliquando prolata grauiter inquit Pontifex in cap. *Pastoralis* de re iudicata: *Non à districtione matre virtutum, sed à nouercâ iustitia, voluntaria scilicet iudicantis præcipitatione, processit.* Certè de bono Imperatore M. Antonio Philosopho egregium id memoriæ prodidit Iulius Capitolinus in eius vita: *Capitales causas hominum honestorum ipse cognouit, & summâ æquitate, ità vt prætorem reprehenderet, qui citò reorum causas audierat, iuberetq; illum iterum cognoscere.*

Cassiod.

Cap. Pastoralis, de re iudic.

Iul. Cap.

3. Egimus hac de re copiosiùs in epistola ad Philippens. cap. 1. vers. 13. adnotatione sextâ totâ. Sed modò minimè omiserim, Dominum suis se canonibus constringentem dare. Cùm videlicet villicum iniquitatis, quem malum, & iniustum esse ipse optimè nouerat, nonnisi inquisitione ex publica diffamatione præmissâ, iudicisque ordine seruato, anditum, & conuictum iudicauit dicente ipsomet apud Lucam cap. 16. 1. *Homo quidam habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.* Quid? opusne fuit ei famæ vocibus, vt nosset bona ab illo sua dissipata fuisse? Pulchrè Chrysologus: *Ergo ille fama credidit? famâ nuntiante cognouit? Absit. Sed quia illa, quæ nouerat, quâ pietate velabat, quærere tunc cœpit, quando accusabat terra:* Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ: *Clamabat cælum, dolebant Angeli, quando iam tota sæculi fama loquebatur.* Sed quid tum? Num famæ vocibus incitatus inauditum morti addixit? Minimè: imò verò *Vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.* Planè vt iuris ordinem sequi videretur. *Quoniam quidquid non discutitur, iustitia non putatur.* Sic id inibi obseruante Chrysologo: *Cognita velut audita imputat, quia rerum non vult accelerare sententiam, & conuictum penes se, velut accusatum commonet.* Quibus sic rursum adstipulatur Cassiodorus in præfatâ formulâ comitiuæ Prouinciæ: *Reus qui dicitur, & probetur: arma ista iuris sunt non furoris.* Pulchrè, ne aliter reus aliquis habeatur, quin reus esse probetur: nec iudices iustitiæ armis, quæ non nisi à iure acuuntur, tanquã bellicis telis vtantur, quasi furore non autem iure incitati. Vnde hæc post nonnulla subdit: *Cunctator esse debet, qui iudicat de salute. Alia sententia potest corrigi, de vitâ transactum non patitur immutari.* Sic Cassiodorus Ammiani Marcellini vestigia premens, qui Imperatoris Valentis asperitatem, & in iudicando acerbitatem perstringens lib. 29. dicebat: *Ideoq; de spiritu, & vitâ hominis, qui pars mundi est, & animantium numerum complet, laturum sententiam diu, multumq; cunctari oportere, nec præcipiti studio, vbi irreuocabile factum est, agitari.* Subiicit historiam, quam nolui prætermittere, vt de illa saltem Principes, Iudicesque admoneantur, humanum facilè non concupiscere exitium. Ait ergo Ammianus: *Apud Proconsulem Asiæ Dolabellam Smyrnæa materfamilias filium proprium, & maritum veneno necasse confessa, quòd filium ex priore viro ab eis occisum comperisset, & comperendinata, cùm consilium, ad quod ex more delata est, anceps, quid inter vltionem, & scelus statui debeat, hæsitaret, ad Areopagitas missa est Athenienses iudices tristiores, quorum æquitas deorum quoque iurgia dicitur dissoluisse. Hi causâ cognitâ centesimo pòst anno eum accusatore mulierem adesse iusserunt, ne aut absoluerent veneficam, aut vtriusque necessitudinum punirettur.* Sic apud Ammianum Areopagitæ iudices in matutino, id est, fat diu, multumque cunctati, interficientes peccatores.

Luc. 16. 1.

Chrysol.

Ammian. Marcel.

4 Illud verò pulcherrimè de Dei Filio latronem repentinâ mutatione conuersum, & ad bonam frugem sese recipientem quàm citissimè absoluente, & cælesti beatitudine donante, à S. Cyrillo Ierosolymitano obseruatum est: notantet videlicet ipsum indulgentissimâ tunc benignitate cum peccatore illo vsum fuisse, non illâ solùm ratione, vt eius Regiæ magnanimitatis speciẽ daret, quâ bonus Princeps, vt ad vindictam tardè, & inuitus, ita ad beneficia impertienda festino gradu alacritet propetare debet; sed eâ signatè de causâ, vt ipse quâ generis humani index erat, homini, quem post peccatum paradiso sine morâ eiecit, tantâ itidem veniæ celeritate quodammodò satisfaceret, illo sic in dem clamante: *Domine memento mei:* ipse incunctanter respondit: *Hodie mecum eris in paradiso:* sed audi Cyrillum catechesi 13. vbi Dominum cum latrone sic loquentem facit: *Celeriter contra Adam tuli sententiam, & celeriter tibi gratificor.* Audis pœnę celeritatem veniæ celeritate compensatam? Nimirum vt ipse Adamum eâdem die, quâ peccauit, è paradiso eiecit, ita latronem eâdem die, quâ pœnitentiam egit, paradiso intulit, atque restituit. Vt bonus Princeps, quamuis Adamum ex iure vocatum, auditumque iustissimè damnauit, ad Iudicum tamen institutionem, qui nonnisi maturè, & cunctanter ad pœnas de sontibus sumendas accedere debent, sententiæ celeriter in hominem latæ absolutionem celeriter datam signatè opponeret. Planè ac si se haberet ad instar humani iudicis, cui de sentẽtia celeriter lata iniectus esset scrupulus, qui vt illum eiiceret, & omnimodam parti satisfactionem daret, quàm celerrimè eùm primùm alia se obtulit occasio, ei veniam dedit.

Luc. 23. Cyrillus.

Interficiebam.

Facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi.

LECT. II.

1. NIMIS premunt hoc verbum interpretes, dum illud alij ad lethales pœnas, & mortes reis à Dauide infligendas omnino referunt. Alij verò, vt Basilius, Theodoretus, & Nicephorus de Iosia vniuersos Sacerdotes impios interimente intelligunt: cùm opus non fuerit de extremis suppliciis accipere, sed generaliter de quibuslibet pœnis, quæ à iustitia vindicatiua dimanant: est enim quæsitum verbum ad illius actiones, siue ab illis sanguis fluat, siue non, vt in exiliis, & bonorũ amissione euenit, significandas, sicut & gladius, cùm de illo in iure mentio fit (vt

Basilius. Theodor. Niceph.

(vt apud Vlpianum in lib. 6. D. de officio Proconsulis: *Nec enim potest quis gladij potestatem sibi datam, vel cuiusuis alterius coërcitionis ad alium transferre*) non fuerit necessariâ ratione stringendus ad neces sontibus inferendas, sed ad quaslibet in vniuersum pœnas, quibus eorũ audacia cohibeatur siue puniatur. Vnde alibi idẽ Basil. adnotat, vix esse credibile, vt vnoquoque diei initio manus suas Dauid humano sanguine cruentarit: *Nec vnus poterat* (ait ille) *simul omnibus euadere superior, & quamuis bello eos vicisset, non vno cunctos diluculo interemisset*. Ita ille in cap. 4. Isaiæ. Illud planè innuit hoc verbo *Basilius.* Dauid, se non tantùm leges ferendo, & de illis disputando, iudiciumq́ue ore, & carmine canendo, siue speculatiuè, vt aiunt, criminibus vindicandis intendere, sed manum operi, atque executioni admouere, & reapse sontes plectere, Rempublicamq́ue à malorum commixtione purgare, vt *illud casibus aspera sub iustitia laude præparet moderamen* (vti dicebat Rex Theo- *Cassiod.* doricus apud Cassiodorum lib. 3. epist. 46.) *vt nec vindictam sineret superare peccata, nec culpam insultare pateretur legibus impunitam*. Ne ipsi iustitiam, iudiciumq́ue canenti obijceretur, quod Imperatori M. Antonino Philosopho de honesto, & iusto, plus iusto philosophanti, quin nefariorum hominum scelera legitimo supplicio vindicaret, non sentire pro Repub. Sic namque de illo Auidius Cassius ad generum suum scribẽs *Vulcasius Gallican.* conquerebatur apud Vulcasium Gallicanum: *Marcus homo sanè optimus, qui dum clemens dici cupit, eos patitur viuere, quorum ipse non probat vitam. Vbi L. Cassius, cuius frustrà tenet nomen? Vbi M. ille Cato Censorius? vbi omnis disciplina maiorum, quæ olim quidem intercidit, nunc verò nec quæritur? M. Antonius philosophatur, & quærit de clementia, & de animis, & de honesto, & de iusto, nec sentit pro Republica*. Sic ille.

2 Qui quidem turpis omnino est clementiæ sco- *Dio Cas.* pulus: nam apud Dionem Cassium in *Nerua, &c.* ex eo Imperatore sene iam & eneruî aiebat Fronto: *Malum quidem esse, Principem habere sub quo nihil vllis liceat, peius verò eum sub quo omnia omnibus*. Et verò remissiori, & abscissa clementia huc itur; etenim vt de Flacco ni- *Cor. Taci.* mium indulgente dixit sapienter Cornel. Tacit. lib. 4. Historiarum: *Flaccus multa concedendo nihil aliud effecerat, quàm vt acriùs exposcerent, quæ sciebant negaturum*. Ita planè intempestiuâ lenitate ea peccandi licentia in populo nascitur, quæ vix posteà multo sanguine effuso cohiberi valeat. Quæ ob oculos habuisse dixeris Regem Theodoricum, dum populo habenas aliquã- *Cassiod.* do premeus apud Cassiodor. lib. 1. epist. 30. dicebat: *Quod nos clementia nostra solitâ prouisione comprimimus, ne paulatim sinendo grauiorem vindicare cogamur offensam. Benigni quippe Principis est, non tam delicta velle punire, quã tollere: ne aut acriter vindicando æstimetur nimius, aut leniter agendo putetur improuidus*. Ita ille. Vnde quidem, & iustitiam misericordem, & misericordiam crudelem, aliquando esse, nemo est qui nesciat: *Nónne innocentes tradit exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem?* (in- *Ambros.* quit Ambros. serm. 8. in Psalm. 118.) *Certè si gladium reprimit, vincula dissoluit, cur laxat exilio, cur latrocinandi, quâ potest, clementiori viâ non eripit facultatem, qui voluntatẽ extorquere nõ potuit?* Et post nõnulla: *Nónne cùm vni indulget indigno plurimos facit ad prolapsionis contagium prouocari? Facilitas enim veniæ incentiuum tribuit delinquendi*. Non ergo solùm de honesto, & iusto disputet Princeps, sed à Dauide edoctus sic misericordiam, & iudicium canat, vt sentiat pro Repub. nec eos patiatur viuere, quorum ipse non probat vitam: & Dauid quidem Deum omnino imitatur, qui de nocentibus etsi dolens, & inuitus, pœnas tamen sumit. Vnde Auctor operis Imperfecti apud Chrysostomum homil. 46. in Matth. pendens ea Domini verba quæ lacrymis effusis vrbi Hierusalem dicebat: *Hieru-*

A *salem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, &c.* Matth. 23. *Matt. 23.* 37. cùm dixisset: *Deus tristatur non de sua iniuria, sed de 37.* *nostra perditione*; Subijcit: *Sicut Rex benignus audiens cri- Auct. op.* *minosas personas lege quidem compellente ipse mortis senten- Imperf.* *tiam dictat aduersus eos, tamen misericordiâ instigante lacrymas fundit super illos, & vult eos adiuuare, & non potest contradicente sibi iustitiâ, quoniam misericordia tunc verè est misericordia, si sic facta fuerit, vt iustitia per eam non contemnatur, si autem contemptâ iustitiâ, misericordia obseruetur, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas. Nam vt iniustitia non est vera iustitia, nisi habuerit in se, & misericordiam, sic & misericordia non est vera misericordia, nisi habuerit in se & iustitiam*. Hæc ille.

3 Et verò, vt plura de his in adnotationibus dicenda sint, illud modò ex Gregorio Magno non fuerit omittendum, nihil Reipublicæ vtilitati, paci, & florenti illius statui magis perniciosum, atque exitiale esse, quàm sontes, signatè verò eos quos Dauid statim appellat, *operantes iniquitatem*, qui (vt benè pendet *Haymo.*
B Haymo) non desierunt peccare, sed in peccatis permanent, impunitos relinquere. Nimirum cùm peccata suum clamorem habeant, quo vindictam necessariâ ratione exposcunt, nisi hæc illis à Principibus iustis inferatur, Deum quidem vltorem attrahit, qui tam nocentes, quàm Principes, & Magistratus, qui ignauè conniuere, & indulgere solent, seueriùs punit: nec aliò ire bella, fames, pestes, aliasq́ue calamitates quibus humanum genus sæpe sæpiùs vexatur. Sed hæc à Gregorio audire opportunius fuerit: enimverò ille cùm Reginam Franciæ admonens dixisset: *Si quos ergo vio- Greg. M.* *lentos, si quos adulteros, si quos fures, vel alijs prauis actibus studere cognoscitis, Deum de eorum correptione placare festinate, vt super vos flagellum perfidarũ gentium, quod quantùm videmus, ad multarum nationum vindictam excitatum est, non inducat*. Notanter subdit: *Ne si quod credimus, diuinæ vltionis iracundia sceleratorum fuerit actione commota, belli pesta interimat, quos delinquentes ad rectitudinis viam Dei*
C *præcepta non reuocant*. Hæc Gregorius. Triplex quidem in peccata iudicium, quorum vnumquodque gradatim alio seuerius sit, statuens: peccatoris videlicet primum in seipsum per peccatorum pœnitentiam, & satisfactionem; secundum, quo Principes, & Magistratus iuxta legum præscripta sceleribus pœnas inferunt: tertium cùm hoc ab illis neglecto summus omnium Iudex tam peccatis, quàm noxia eorum indulgentia, siue conniuentiâ offensus iudicium, iram, & supplicium infert.

Vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

Principes cum agricultoribus malas herbas eradicantibus, vt bona crescant, componuntur. LECT. III.

D 1 QVOD eo tempore, quo hic Psalmus à Dauide compositus est, Dei ciuitas, cuius hic meminit, templo Dei nobilitata non erat, ad Iosiæ tempora referendum illum esse, nonnulli, siue ex veteribus, siue ex recentioribus interpretibus volunt; sed infirmo planè fundamento innixi, cùm vel ex Dei religione, quam egregiâ cordis sinceritate profitebatur Dauid, ad cuius exemplum totus etiam populus sese componebat, vel ex Arcæ præsentiâ, & veneratione ei exhibitâ, Deo hac ratione affirmante: *Ponam tabernacu- Leuit. 26.* *lum meum in medio vestri. Ambulabo inter vos, & ero Deus 12.* *vester, vosq; eritis populus meus*. Leuit. 26. 12. vel tandem, quòd in templo iam iam construendo peculiariter inhabitare Dominus decreuerat, optimo iure Hierusalem Dei ciuitas appellari poterat. Ergo reddit his ver-

verbis rationem Vates, cur tam accurato studio interficeret omnes peccatores terræ, ne videlicet in ciuitate Deo cōsecratâ, in qua ipse habitare decreuerat, non secus ac si inibi suum municipium haberet, conciuisque, & contubernalis Hierosolymitanorum esset (eomet dicente: *Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus in Hierusalem.* Isaiæ 31.9.) simul etiam habitarent operantes iniquitatem. Quam planè rationem amplexus est Paulus eamque acriter strinxit 2. ad Corinth. 6.14. vt fideles ab impiorum communione secerneret, sic enim ibi: *Nolite iugum ducere cum infidelibus: Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras?* &c. *Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Quoniā inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorū Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Ad quem etiam modum de cælesti Hierusalem notanter dixit Ioannes in Apocalypsi cap. 21.27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.* Et postmodū cap. 22.15. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.* Nimirum Dei ingenium bene norat Dauid, qui alibi dixerat: *Manè adstabo tibi, & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es: neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* Psal. 5.3.

Isa. 31. 9.
2. Corinth. 6.14.
Apocalyp. 21.27. & cap. 22.15.
Psal. 5. 3.

2. Facilè hinc videris, duplici ratione Christianos Principes inuigilare debere, vt sontes puniantur, & à ciuitate Domini disperdantur: altera, propter Christianæ Reipub. siue Ecclesiæ, quæ eius domus est, puritatem, atque munditiem, *Ne puri corporis iucunda serenitas nebulosis maculis polluatur*: vt huc intentus sontem exilio plectens dicebat Rex Theodoricus apud Cassiodorū lib. 1. epist. 18. Fœdum namque est Domini domū videre *speluncam factam latronum.* Matth. 21.13. fœdum, ipsius agrum, qui cultissimus esse debet, sentibus, & noxiis herbis plenum intueri, non secus ac de agro hominis pigri dixit Salomon: *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ.* Prouer. 24.31. Ob quam planè rationem Principes cum agrorum cultoribus sic componebat Chrysostomus homil. 15. in epist. ad Corinth. *Agricultura imitatur Principatum: est enim Princeps quidam plantarum cultor, alia quidem amputans, & prohibens, alia verò fouens, & excrescere faciens, itidem & optimi Principes malos, ac nocuos puniunt, bonos verò, & frugi ad meliora prouehunt. Propter quod & scriptura Principes vinitoribus comparat: & sicut legibus profligatur malitia, ita & in hac arte etiam terræ vitium, & plantæ degeneratio, & feritas emendatur.* Hæc Chrysostomus. Quibus omninò adstipulatur S. Petrus Damianus opusculo 57. *de Principis officio in coërtitione improborum*, cap. 4. in hanc rem afferens illud Imperatori Theodosio mitiùs, siue remissiùs, quàm par erat Remp. gubernanti à prudente Eremita datum non verbis, sed ænigmatico facto responsum, dum *Corripiens sarculum ingreditur hortulum, quæque noxia demolitur, steriles herbas extirpat, circumcirca sarriens, virentia excolit, & communit olusculs. Illas igitur eradicat, vt radicibus auulsis arescant, illas verò fouet, & excolit, vt per adulti germinis incrementa proficiant.* Quod planè factū cùm Principi renunciatum est, sic ipse sibi explicauit: *Ita nos quasi per discretum libratæ iustitiæ sarculum, & elaboremus reprobos radicitus extirpare, & bonos, vt Deo fructificent, in tranquilla pace componere.* Pergit S. Damianus: *Tunc Imperator hoc tanquam prophetico confirmatus oraculo violentias iniustè viuentium cœpit vlcisci, reatus, ac scelera districtæ iurisdictionis animaduersione percutere, à nefariis ausibus improbos cohibere, & per auctoritatem Imperialis potentiæ peruersorum corda terrificans in pace cuncta componere. Sic itaque mundus, qui perire cœperat per ignauiam, ad æquitatis, atque iustitiæ refloruit disciplinam.* A quo sanè non it, quod Imper. Seuero, & Getæ gratulabatur Tertullian. lib. de Pallio cap. 2. quasi eradicato aconito, venenatis scilicet improborum herbis, terrarum orbis cultissimum Imperij rus esset, etenim cùm dixisset: *Quantum reformauit orbis sæculum istud, quantum vrbium, aut produxit, aut auxit, aut reddidit præsentis imperij triplex virtus Deo tot Augustis in vnum fauente.* Subiicit: *Reverà orbis cultissimum huius imperij rus est, eradicato omni aconito hostilitatis, carecto, & rubo subdolæ familiaritatis, consitum, & amœnum super Alcinoi pometum, & Midæ rosetum.* Hæc ille.

Prou. 24. 31.
Chrysost.
S. Petr. Da.
Tertull.

3. Altera verò, ne improborum contagio in bonos etiam serpens ciuitatem Dei corrumpat, & perdat monente Salomone; *Homines pestilentes dissipant ciuitatem.* Prouerb. 29.8. vt minus iam fuerit mirandum, quod modò dicebat Gregorius: *Belli pestem interimere quos delinquentes ad rectitudinis viam Dei præcepta non reuocant*: peste videlicet diuinitus missâ pestilentibus hominibus ciuitatem Dei purgante. Quæ planè ratio Basilium Magnum sic pupugit, vt Principem membrum putridum non præscindentem veritatis proditorem, siue Reipub. euersorem non dubitauerit appellare. Etenim ille in regulis fusiùs disputatis, responsione 28. cùm imagine ductâ à medicis, & chirurgis dixisset: *Etenim illi quodcumque tandem in aliquo membrū insanabili morbo correptum inuenerint, ne vitium latiùs proserpat, néve ex contage se diffundente contiguas partes corrumpat, illud secando, vrendóve, tollere funditus soliti sunt.* Subiicit: *Proinde veritatis proditio, & communis noxa, & ad nullum prorsus bonorum malorúmque habendum delectum assuefactio est, hæc in speciem aduersus istos de industriâ peccantes homines lenitas, atque clementia.* Vbi & illud pulchrè à Basilio dictum est, eam lenitatem *in speciem* solùm esse, non veram, & solidam: vide quæ nos hac de re copiosiùs diximus in epist. ad Philippens. cap. 3. vers. 2. ad illa verba *videte malos operarios*: adnotat. secunda & tertia.

Pro. 29. 8.
Gregor.
Basilius.

Hæc pro Litteræ explicatione, & elucidatione dixisse satis fuerit. Iam ad Dauidis sensa penitius inspicienda quibus ipse optimum Principem, optimumque eius Administrum tacitus format, atque instituit, sic, Deo auspice, accedamus, vt Dauidem regia munera præclarè obeuntem, regnúmque summâ cum laude administrantem ostendisse perinde nobis fuerit, ac cum Plinio Iuniore lib. 3. epist. 18. dicere: *Præcipere, qualis debeat esse Princeps, pulchrum quidem, & onerosum, ac propè superbum: laudare verò optimum Principem, ac per hoc posteris velut è specula lumen, quod sequantur ostendere, idem vtilitatis habet, arrogantiæ nihil.* Plin. Iun.

DE OPTIMO PRINCIPE, LIBER PRIMVS.

De virtute Principi multiplici ratione necessaria.

Ad ea Psalmi verba, *Psallam, & intelligam in via immaculata* : & ad illa, *Perambulabam in innocentiâ cordis mei in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam.*

PROOEMIVM.



LIBER hic primus ex Dauidis exemplari, cui in via immaculata, & in innocentiâ cordis perambulanti, ingens à fastigio maiestas, regni stabilitas, felix & inclyta memoria, vitæ diuturnitas, belli gloria, & prospera cuncta euenerunt; Principem virtuti omnino incumbentem facit: easque omnes complectitur rationes, quibus ad hoc virtutis studium maximè vrgeri debet: tum vt munus suum vndequaque impleat, cùm etiam vt ex optima populi, regniquegubernatione, ex vitæ diuturnitate, ex egregia successorum institutione, ex prospera sui memoria: ex inclytis ab hostibus relatis victoriis, & quod omnium caput, & origo est, ex Deo duce, & eius Prouidentiâ, quæ vera Fortuna est, comite, sibique perpetuo commilitante felicissimus, & fortunatissimus euadat, ad eum ferè modum, quo Tertullianus in Apologetico cap. 30. ex Christianorum precibus Romanos Imperatores votorum compotes efficiebat inquiens: *Precantes sumus pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum*: siue vt Salomon de seipso sapientiam adepto Sapientiæ 7. 11. lætus & gratabundus dicebat: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Quæ omnia sequentibus capitibus, siue adnotationibus singillatim pertractanda, atque elucidanda proponimus.

Tertull.

Sap. 7. 11.

INDEX

INDEX ADNOTATIONVM LIBRI PRIMI.

AD EA VERBA, PERAMBVLABAM IN INNOCENTIA CORDIS MEI.

Principem maximè virtutem colere debere, quod Regius honos vni virtuti debeatur.

ADNOTATIO I.

1 EGES *à regendo* seipsos inprimis, dictos esse, dũ sese omnimodâ virtute, & probitate ornatos, & conspicuos efficiunt, *August. Chrysost. Isidor. Synes.* non modò S. Augustini, Chrysost. Isiduti, Synesij, & aliorum Patrum, sed etiam omniom hominũ, quotquot rationis lumine illustrantur concors sententia fert: imò verò ex ore iofantium, qoibus vix, aut ne vix quidem rationis lumen affulsit, hęc virtutis *Horat. lib. 1. epist.* laus perfecta videtur: nam,

—— Pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
Si rectè facies.

Dicuntur Reges à regendo (inquit August. in Psalm. 67.) *& quid magis quàm carnis concupiscentias, ne regnet peccatum* *August.* *in eorum mortali corpore ad obediendum concupiscentiis eius.* Ad quem modum Synesius, & Chrysostom. ille enim oratione *de Regno*, ad Arcadium Augustum: *Regem (ait)* *Synes.* *Duce, ac Principe Deo, ipsum suipsius Regem censeo esse oportere.* Vnde statim, cùm internas coocupiscentias cum belluâ multiformi composuisset, subiicit: *Istud profecto primarium, ac summè regium est, suipsius esse Regem, mentemq; domestica bellua quasi dominatricem praficere.* *Chrysost.* Chrysost. verò homilia 52. in Acta Priocipem sic alloquitur: *Ab hominibus factus es potens? Ordina temetipsum. Princeps est, non qui vocatus est, sed qui verè est. Sicut enim Rex, neque Medicum neque Rhetorem faciet, ita neque Principem: non enim littera, vel nomen Principem faciunt.* Nec aliter Isidorus Hispaleosis libro nono Etymologiarum *Isid. Hisp.* c. 3. Principi ob improbitatem, regiam appellationẽ, & nomen sic omnino detrahens: *Rectè igitur faciendo Regis nomen tenetur, peccando amittitur. Vnde & apud Veteres tale erat prouerbium: Rex eris si rectè facies, si non facies, non eris.* Hæc & multo plura Patres. Quæ optimus Imperator Basilius non modò religiosè, & prudenter *Basil. Imp.* firmat, sed etiam dilucidè, & eleganter diffundit in exhortatione ad Leonem filium, c. 10. sic illum cum primis admonens: *Caue ne regni malus custos degeneris aliquid, atque indigni committas, sed cùm cateris pralatus es, vt omnibus imperes, ita contende, vt virtute quoque ceteris antecellas.* Reddit rationem: *Virtus enim omni principatu, omniq; auctoritate praestantior est. Si ergo dignitate quidem reliquis prastas omnibus, virtute autem ab aliis praecelleris, Imperator es in eo, quod minoris excellentia est, in eo verò, quod praeclarius est, Imperator non es: imò alterius imperio subes.* Ita optimè sapiens Imperator: tantùm non dicens Regnum, veramque Regis appellationem, omnino virtutis esse, virtutique deberi, à qua vt Princeps deflectit, à regia etiam dignitate illum cadere, nec legitimum, atque germanum; sed infidum, & degenerem A regni custodem, ac proinde subditorum subditum censeri. Quæ sanè omnia non abs re dixeris, vnico quidẽ, sed aculeato verbo à Rege Cyro apud Xenophonte in Cyripædia fuisse præstricta, cùm Cambyse *Xenoph.* Imperij sui successore designato illum sic admonuit: *Te, mi Cambyses, scire volo, non aureum hoc sceptrum esse.* Vt dixerit, non auro, & viribus constat, sed à virtute, & sapientiâ subsistit; insque omnino incumbit, atque innititur.

2 Sed enim pro his multo securius, firmiusque noster Dauid fideiubet, tum *viam ipse immaculatam premens innocentiamq; cordis sui* omnimoda puritate seruans, vt sceptro dignus esse videatur: tum maximè cũ à Deo hac omnino ratione ad regni fastigium fuerit euectus: ipsomet Domino affirmante: *Inueni Dauid filium Iesse virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas,* Act. 13. vers. 22. obserua *inueniendi* phrasim, *Act. 13. 22.* quâ tunc vtimur, cùm rem sedulò, & diligenter priùs quæsisse significamus, vt dixerit Dominus, non casu, B aut sortè fortunâ se Dauidem regno præfecisse; sed re priùs diligenter perpensâ, atque examinatâ, ipsoq; inter omnes mortales quæsito, eâque de causâ è cunctis electo, quòd à iustitia, & sanctitate regio muneri idoneus censeretur. Audi id à Samuele Propheta li. 1. Reg. c. 13. vers. 14. *Quasiuit Dominus sibi virum iuxta cor* *1. Reg. 13. 14.* *suum, & pracepit ei Dominus, vt esset dux super populũ suum.* Audi, & ab ipso Domino: *Prouidi* (inquit li. 1. Reg. 16. 1.) *in filiis Isai mihi Regem.* Vides quæsitũ, & prouisum, & ob virtutem, & sanctitatem inuentum, siue dignũ regno habitum. Sic hæc Domini verba in primis premente Iosepho lib. 6. c. 9. *Ego regiam dignitatem non cõ-* *Iosephus.* *stituo in prastantia, & elegantia corporum, sed in animi virtute, atque quaero qui perfectè sit illustris in pietate, iustitiâ, fortitudine, & in obedientiâ diuinis mandatis prastandâ, in* C *quibus cõstituta est animi pulchritudo.* Sed multò opportuniùs eadem pensitauit S. Chrysost. homil. de Dauide, & Goliath. dum Deum non modò quærentem, & *Chrysost.* prouidentem; sed etiam diligentissimè examinantem Dauidem, & veluti lydio lapide eum explorantem sic facit: *Dominus Deus cum Dauidem Regem populo destinasset, cumq; primò singulos homines, & diuersos attingeret, examinaret cunctos plurimosq; peruideret, è quorum numero eligeret Regem, Rectorem praponeret, Ducem populo praficeret, inuenit Dauid, cuius meritum transiri nõ potuit.* Sic Chrysost. Notetur dicẽdi modus *singulos & diuersos attingeret*: cui subest imago Lydij lapidis, quo capitur de auro, & argento experimentum, an purum putum sit, dicente *Plinius.* Plinio lib. 33. c. 8. *Hu coticulis periti, cum è vena, vt lima rapuerint experimentum protinus dicũt, quantum auri sit in ea, quantum argenti, vel aris scrupulari differentiâ mirabili ratione non fallente.* Vt Dominus quærens, prouidensque sibi Regem, ideo cunctos examinaret, vt eum Regno ido-

A idoneum eligeret, qui ad instar auri defæcati probatissimus esset: dixeris habuisse hæc ob oculos Imperatorem Basilium numero præcedenti adductum, qui vt firmaret id filio datum monitum: *Caue ne regni malus custos degeneris aliquid, atque indigni committas*, subiicit post nonnulla: *Ne sis ergo veluti supposititius, atque adulterinus Dominus, cùm te aliis præstantior, sed verus Imperator, cùm ceteris omnibus virtute antecellas*. Vides Regem à virtute, velut aurum probari, & ab adulterino, & supposititio discerni? *Basil. Imp.*

3 Concinit iis Salomon, qui quasi Parentis sui solium assereret, Prouerb. 25. vers. 4. *Aufer rubiginem ab argento, & egredietur vas purissimum. Aufer iniquitatem de vultu Regis, & firmabitur iustitiâ thronus eius.* Vbi primùm notaret Princeps cum argento purissimo componitur, vt non tam virtute præditus, siue legis diuinæ studiosus, quàm ex ipsamet virtute, & diuina lege formatus videatur, quippe ipsa à nostro Vate, *Argentum igne examinatum, purgatum septuplum*, esse dicitur Ps. 11. vers. 7. Deinde hunc verum, legitimumque Regem censeri, non supposititium, & adulterinum omnia adstruit Sapiens, inquiens: *Iustitiâ firmabitur thronus eius*, quasi tunc regi solio firmiter insideat, velut forti basi columna: quippe, vt diuinæ legi, ita Dei cordi aptatur, eique innititur. Vnde rursum D. Chrysostom. de Dauide loco citato inquit: Sanctissimus homo secundùm cor Dei, quidquid Deus cogitat, gerit, quidquid mente concipit, perficit. Sed huic Salomonis sententiæ vide, vt gentiles adstipulentur: nam & Iamblicus in epist. ad Agrippam apud Stobæum serm. 44. sic planè de Principe censet: *Oportet Principem legibus præfectum sincerè purgatum esse iuxta summam legum rectitudinem. Nam seruatorem, & custodem legum tam incorruptum oportet esse, quàm summè fieri potest in humanâ naturâ*. Vt videlicet à virtute velut *argentum purgatum septuplum* verus, & germanus Princeps subsistat. Ad quem modum Plutarchus oratione secunda de Fortunâ Alexandri, rubigine argento inhærente, siue iniquitate à Rege non ablatâ, ipsum sceptro minimè idoneum esse, constantem affirmabat: etenim cùm dixisset: *Quis magnum est in potentiâ consistentem prauitate, & stultitiâ eum tenentibus*? Subdit: *Aufer virtutem à fortunato, prorsus humilem cernes, in gratiâ paranda ob illiberalitatem, in laboribus ob mollitiem: erga Deos ob superstitionem; erga bonos ob inuidiam, inter viros ob timiditatem, inter mulieres ob libidinem.* Sic ille. Committe, quæso, Plutarchum Salomoni, & obserua apud vtrumque id verbum *Aufer*, siue *Tolle*, quo vt alter bonum Regem format: ita alter adulterinum, & illegitimum ostendit. *Aufer* (inquit Salomon) à Rege peccati scoriam, & throno dignus idoneusque euadet: *Tolle* (inquit Gentilis) à Principe virtutem, atque ipsum Imperij incapacem, & Reipublicæ gerendæ ineptum facies. Sed multò horribilius *Aufer* simul, & *Tolle* intonat Dominus impio Regi Sedechiæ apud Ezechielem c. 21. vers. 25. hunc in modũ: *Aufer cidarim, tolle coronã*: vt dixeris, quia abstulisti virtutẽ, nec abstulisti iniquitatem, aufer coronam, Regiumque insigne depone, sic id penetrante Theodoreto ibi: *Tu autem Rex impietati addictus teipsum coronâ priuasti*, quippe hæc vni virtuti debetur. D

Prou. 25. 4

Ps. 11. 7.

Chrysost.

Stobæus.

Plutarch.

Ezech. 21. 25.

Theodor.

4 Sed & eundemmet summi Dei Thronum, si benè æstimas, virtuti omnino incumbentem videris, ipsumque Deum à virtute Regẽ. Nimirùm vigilanti in somnis Iacob oblatã fuisse scalam à terra cælos pertingentem, cui ipse Dominus inniteretur, sic dicitur Genesis c. 28. vers. 13. *Vidit in somnis scalam stantem super terram & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes super eam: & Dominum innixum scalæ*. Vt enim hæc scala plures ascensus, siue explicatus habeat, ille videtur opportunissimus, quem ei reddũt Gregorius Nyssenus oratione 5. *de Beatitudinibus*, & eius germanus Basilius in Ps. 1. dum ille significare ait: *Vitam cum virtute coniunctam*: hic verò inquit: *Scala est ascensus ad perfectionem*. A quo non erunt S. Zeno Veronensis sermone de Iacob, & Bernard. ep. 253. Iam verò omnino obserua, & scalam quidem Deo innixam, & ipsummet Dominum innixum scalæ: Quia videlicet & virtus Deo, sine quo non potest subsistere; *in ipso enim*, tam animo, quàm corpore *viuimus, mouemur, & sumus*, Actuum c. 17. vers. 28. & Ipsemet Deus virtuti innititur: pulchrè id considerante S. Agutedemundo Africæ Episcopo ad hunc modum: *Ostenditur Deum innixum esse non solùm scalæ, sed etiam seruo suo Iacob. Innititur enim Deus virtuti, & virtus innixa est Deo.* Preme illud: *Innititur enim Deus virtuti*. Sed quid id fuerit? egétne Deus sustentaculo, vt subsistat? opúsne basi, & fundamento habet, cui incumbat, & innitatur? Planè si attendis, & suis momentis virtutem pendis, ita quidem se res habet: quippe diuina illa summaque Maiestas, quæ cælestia simul, & terrena moderatur, B non tam potentiâ, magnitudine, immensitate, sapientiâ, beatissimaque felicitate, quàm perfectissimâ virtute, & sanctitate suboixa primariò à nobis concipitur, atque æstimatur, vti diuinus ille Areopagita ex veterum Theologorum sensu contemplatur in libro de diuinis nominibus cap. 4. inquiens: *Age ergo iam ad nomen Boni nostra veniat oratio, quod præcipuè Theologi ab omnibus secretam diuinitati, quæ Deum superat, tribuunt, ipsam, vt opinor, diuinam essentiam Bonitatem appellantes.* Atque hinc quidem nos ipsum, & Deum, & Dominum, & Regem intelligere, ac profiteri ita ad præsens institutum, dum Regem ex virtute pensitat, scitè obseruat Synesius præfatâ oratione de Regno: *Regem igitur si appelles ab iis, quorum Rex est, non à persona naturam illius apprehendere conaberis? Bonum vtique Deum omnes tam sapientes, quàm imperiti homines vbique celebrant, idque vniuersi mutuo consensu, atque vnâ voce profitentur.* Vt dixerit, inde Deum omnes Regem intelligimus, suspicimus, celebramus, quod potissimæ virtuti incumbentem optimè nouimus. C Vides Deum scalæ, siue sanctitati innixum? Audi modò Clementem Alexandrinum, qui huic dicendi modo sic hæret, vt dixerit, eum qui impurâ, & nefariâ cogitatione, siue fictione, hanc virtutis scalam, cui Deus innititur, auferre vellet, Deumque sine virtute concipere; necessario etiam eerore ipsammet Deitatem, & Regnum ab eo ablaturum fore. Sic enim ille, libro 6. Stromatum: *Nam cùm bonus sit, si cessasset vnquam benefacere: Deus quidem cessabit esse, quod nefas quidem est dicere*. Adeò quidem Regnum virtuti innititur, virtuti debetur. Sic Patres, à quibus vix bilum abiit Gentilis Plutarchus in libello, *In Principe requiri doctrinam*: vbi Principem vrgens, vt ad Dei similitudinem, & exemplum se componat, sic sapienter ait: *Non enim felix est Deus vitæ spatio, sed eo quod est Princeps virtutis: nam hoc est Numen. Porrò virtutis decus est, in quod gerit imperium*: vt apertè dixerit, Deum virtuti inniti, & ab ea Numen esse, & regnum, & felicitatem habere.

Basilius.

Act. 17. 28.

S. Agured.

Dionys.

Clem. Alex.

5 Applaudit huic dicendi, siue sentiendi modo Salomon Sapientiæ 7. 26. de Dei Sapientiâ omnia gubernante inquiens: *Candor est lucis æternæ, & speculum sine maculâ Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Vbi non immeritò ambigas: cur cum Dei Filium, siue Sapientiam, & speculum diuinæ maiestatis, & imaginem bonitatis eius fecerit: illud *sine maculâ* non ad bonitatem, cui melius hærere videbatur; sed ad maiestatem notanter retulerit? nónne opportuniùs (inquis) bonitatis imago *sine maculâ*, quàm Maiestas esse diceretur? At enim egregiè subsistit sapientia mens, atque locutio, eâ quippe maiestatem puritati, atque virtuti signatè innixam facit, tantùm non dicens, Maiestatem à virtute subsistere, nec illam *Sap. 7. 26.*

P. Velasquez in Psalm. centesimum.

Seneca. sine puritate, & vitâ immaculatâ concipi posse: virtuti verò incumbentem aptissimè omnia moderari. Quod penè expressit Seneca à nobis alibi adductus aiens: *Nulla sine bonitate maiestas est.* Quasi hæc Salomonis sententia egregiè illam firmet, quam nuper ex ipso afferebamus: *Aufer iniquitatem à vultu Regis, & firmabitur iustitiâ thronus eius*: dum uidelicet ille puritati, & uirtuti tamquam firmissimæ basi innititur, Plutarch. aliàs omnino ruiturus. Cui cogitationi & imagini oppotunissimè iterum adstipulatur præfato loco Plutarchus, etenim cùm magnos æquè, ac superbos Principes cum ingentibus statuis, & Colossis composuisset: *Qui cùm foris heroicam, at diuinam quamdam speciem præ se ferant, intus pleni sunt terrâ, lapide, plumbo.* Subdicit: *Nisi, quod isthud Colossorum pondus rectitudinem illorum stabilem, & immotam seruat, at ineruditi Duces, ac Principes propterea quòd intus malè librati sint, sæpenumero vacillant, ac subuertuntur: etenim cùm basi non rectè posita sublimem superstruunt potestatem, simul cum ipso pondere nutant, & ad ruinam inclinantur.* Vt dixerit Maiestatem puritati, & Regem virtuti inniti debere, vt potestas ab eâ librata firmiter subsistat. alitet tamquam basi infirmæ, & obliquè positæ ipsomet suo Seneca. pondere ruiturus. A quo non iuit illud Senecæ libro quinto de beneficiis cap. 12. *Quemadmodum stomachus morbo vitiatus, & colligens bilem quoscumque acceperit cibos mutat, & omne alimentum in causam doloris trahit, ita animus cæcus quidquid illi commiseris, id onus suum, & perniciem, & occasionem miseriæ facit. Felicissimi itaque opulentissimique, plurimum æstus subest, minusque se inueniunt, quò in maiorem materiam inciderunt, quâ fluctuarentur.* Benè ergo Salomon maiestatem *fine macula* asseruit, tamquam stomachum valentem & bonâ constitutione præditum, qui quos accipit cibos benè concoquat, atque dispenset. Atque hinc quidem Arcadium Augustum, Imperium, quod inclytus Imperator Theodosius eius parens religione, & egregiis pacis, bellique virtutibus parauerat, hæreditario iure recenter adeptum sic prudentissimè præfatâ oratione de Regno admonebat Synesius ad honestissimam vitæ rationem ineundam stimulans: *Extolendum itaque est animus, vt regiâ sese habeat, & fortunæ patrocinandum est, ne inconsiderantiæ, & temeritatis accenseatur, quia non ab iisdem primordiis tibi, & parenti vita processit.* Sanè quasi Regnum virtuti debitum, ei delatum qui virtute egregiè præditos non sit, ingens fuerit fortunæ peccatum, atque temeritas, quæ velut imperitus statuarius enormem statuam infirmæ basi superposuit, quam simul cum pondere nutare, & ad ruinam inclinari necesse est.

Synes.

6 Quid fortan respexerit Dominus, cùm Petro lotionem pedum recusanti emphaticè dixit: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Ioannis capite 13. Ioan 13.8. vers. 8. vbi cum de lotione, siue purgatione minutarum sordium, siue peccatorum venalium sermonem esse nemo dubitet dicente indidem Domino: *Et vos mundi estis*: omnes omnino ambigunt, qua ratione, & sine sub quo sensu Petro, tam asseuerante, tam serio fuerit Dominus minitatus, *non habebis partem mecum*, cùm ab his minutis sordibus tantum animæ exitium vno ictu non possit aduenire? Et quidem dum interpretes, siue hærent, siue in suum vnusquisque abit, is qui Principis fastigium considerauerit, & ipsum eum defæcato argento ex Dei sensu compolluerit, non omnino abs re dixerit, Dominum ea locutione non tam de parte in regno cælesti, quàm in Ecclesiæ suæ gubernatione, ac Principatu, qui Christo Domino, & ipsius Vicariis communis quodammodò esse videtur, fuisse locu-Psal 100 8. tum, vt idem loquendi modus sit *habebis partem mecum*: ac quod in Psalmo vers. octauo, de suis Magi- A stratibus, & regni Administris dicebat noster Dauid, *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum*: ac si dixerit Dominus: nisi etiam à minutis peccati sordibus mundum, & ad instar argenti defæcati te exhibere studueris, summi Principatus, cui omnimoda puritas, & sanctitas debetur, omnino capax non fueris, atque idcirco in meæ Ecclesiæ gubernatione *partem mecum*, non habebis. *Nam seruatorem, & custodem legum, tam incorruptum oportet esse, quàm summè fieri potest in humana natura: & sincerè purgatum iuxta summam legum rectitudinem.* Firmat Gregorius Nazianzenus in Apologetico: sic summam virtutem in Principe prærequiri Nazianz. admonens: *Deinde vt etiam sese aliquis ab omni peccati labe purum conseruet, aut quam maximè haud tamen sctò, idne et sufficiat, qui alios ad virtutem erudire parat. Neque enim ab eo, qui hanc curam suscepit, hoc solùm requiritur, vt malus non sit, verùm etiam vt virtute præstet, nec vt vitiosas tantùm animæ notas expungat, verùm vt meliores etiam B inscribat: ita vt magis virtute antecellat, quàm honore, at dignitate superet.* Ita ille. Sed iam tandem opportunè conclusero, si quæ tota hac adnotatione diximus egregio sanctissimi viri Vincentij Ferrerij tam Dominicanæ familiæ, quàm nostiæ Hispaniæ fulgentissimi iubaris testimonio firmauero. Etenim cùm Proceres Regni Aragoniæ ob Martini Regis absque liberis decedentis obitum de successore deligendo cogitarent: sic illos ipse de eo qui sceptris dignus assurgeret, admonuisse fertur apud Ioann. Mariana libro vigesimo Historiæ Regum Hispaniæ capite quarto: P. Mariana *Reges sanè institute, qui Dei summi Regis vice, munereque fungerentur in terris. Debet ergo is probitate proximè ad diuinas virtutes accedere: debet quidquid in cætero pul. bri, honestique est, id omne solus ipse præstare, quem maiorem conditione mortali, & quasi de cælo dilapsum heroem subditi populi intueantur, admirentur, colant: non ima, sed Reipub. saluti, commodisque, dies, noctesque prospicere.* Hæc ille tunc, & alia C optimi Principis lineamenta electoribus monstrauit, quæ Ferdinando inclyto Castellæ Infanti animo aptari, vnanimi omnes consensu censuêre. Felix quidem, ac faustum factum, cùm à præclaro illius Principis sanguine, clarissimas etiam virtutes, & cuncta Regij animi egregia ornamenta felicissimi nostri Reges perpetuâ serie traxerint.

Ad eadem verba,

In via immaculata,
& ad illa:
In innocentia cordis.

Non aliam optimi Principis mensuram, quàm vt omnibus melior sit, & quantùm subditos dignitate, tantundem virtutibus antecellat. D

ADNOTATIO II.

1 IVRE noster Dauid, & vitæ suæ viam immaculatam, & intimam cordis innocentiam in medio domus suæ spectandam proponit, vt regio fastigio non impar em se ostendat, eùm maior cunctis virtute appareat. Nimirum hæc sceptri lex est, & diuino oraculo sancita, & communi sapientium calculo probata, vt non tantùm bono, sed ei qui omnibus melior, atque præstantior sit, omnino deferatur. *In nullo minor* (inquit Chrysostomus homi- Chrysost. lia 13. in Lucam) *qui cunctis est potior*: & statim: *Non ideò fit melior, quia maior, sed ideo maior quia melior.* Quæ sic probauit Basilius Imperator post verba præcedenti adnotatione allata inquiens: *Ne sis ergo velut*

velut suppositus, atque adulterinus dominus, cùm te alium præstantior reperiatur, sed verus Imperator, cum cæteris omnibus virtute antecellas. Vbi notanter verum Principem ab adulterino, & supposititio inde discriminat, quòd cæteris omnibus virtute præstantior fuerit. Vt videlicet optimis virtutis meritis tanquam quadratæ, & ad amussim politæ basi Regij fastigij potestas incombat. Quod quidem egregia illa, & procera Principis à Deo primùm electi statura corporis, quâ cæteros *ab humero, & sursum,* antecellebat, satis euidenter commonstrat; hac opinor de causâ ab Scriptore sacro signatè sic descripta 1. Regum 9. 2. *Ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.* Et cap. 10. 23. *Stetitque in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum.* Vt inde facile esset videre, nihil in subditis adeò egregium, virtuteque conspicuum inueniri, quantumuis illi sese extenderent, & summis pedum articulis insisterent, quod ab altitudine, ac magnitudine virtutis, quæ Principi inerat, longo interuallo non distaret, & superaretur. Sic id expendente inibi Gregorio Magno lib. 4. cap. 4. *Hac quippe specie corporis præsignantur acta virtutis, vt qui altior esset in populo, capite vsque ad humerum Regis pertingeret: futurus verò Rex collo, & capite altitudinem omnium superaret.* Quod plus explicans subdit: *Capita verò quæ sunt, nisi subiectæ plebis mentes? quæ cùm valde tenduntur vsque ad humerū ordinandi Regis pertingunt: quia is qui ad regendū culmen quæritur, tātæ debet esse perfectionis, vt quidquid populus de bono opere sibi vult proponere, in sua conuersatione debeat monstrare.* Sic Gregor. satis ad rem. Pende apud illum extrema verba, *quidquid populus de bono opere sibi vult proponere,* &c. quibus videtur innuere: adeò multum non esse perfectiora à Principe virtutis opera exhiberi, vt ea potiùs vitæ ipsius eminentissima perfectio esse debeat, quæ non modò subditorum merita, sed ipsamet eorum vota & virtutis desideria excedat.

Iam in hanc sententiam vide, vt Ethnici ipsi pedibus, & manibus, vt dicitur, eant: sic enim in primis Aristoteles lib. 5. Politicorum c. 10. Regem imperio destinabat, siue ad Saulis staturam depingebat: *Rex constituitur ex idoneis, aptisque ob eminentiam virtutis, aut actionem, quæ ex virtute.* Obserua illud, *ob eminentiam virtutis,* vt videas vel ea Aristotelis sensu Saulem super populum eminentem Regem constitutum. Nec minùs luculenter Isocrates in institutione Principis ad Nicoclem Regem, inquiens: *Hac itaque reputantem aduiti decet vt quantum cæteros antecellas honoribus, tantundem, & virtutibus eos præcedas.* Sed & ipsimet Reges huic sententiæ apertissimè subscribunt, nam de optimo Principe Cyro sic refert Xenophon. lib. 8. Pædagog. *Non censebat conuenire cuiquam Imperium, qui non melior esset iis, quibus imperaret.* Et verò quæsitâ, & opportunâ locutione dixit Cyrus, *non conuenire,* monens aptanda dignitati merita, secus ab illa discordare, atque disconuenire imperantis personam. De Alexandro verò Magno Iustin. lib. 12. id etiam testamento cautum reliquisse disertè affirmat. Mundi etenim imperium, quod manu ipse sua parauerat, ei ex suis, qui dignior haberetur, nullius indicato nomine reliquit: *Cum deficere eum amici viderent (ait ille) quærunt, quem imperij faciat hæredem? respondit: Dignissimum.*

2 Enim verò id rursus idemmet Rex Saul firmat, sed (proh dolor!) contrariâ quidem ratione. Nimirū vt ipse quòd *altior* esset *vniuerso populo ab humero, & sursum:* à Deo in Principem est electus: ita cum hanc virtutis eminentiam perdidit, regno exturbatus dicitur: sic enim Samuel: *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te,* siue vt nonnihil emphasis addētes LXX. *Bono super te,* 1. Reg. 15. 28. ac si ei diceret Propheta: cum virtutis eminentia regni solium perdidisti: id enim *Meliori* debetur: ideò in eū, qui *super te bonus* inuentus est, transtulit iam Dominus. Quod mirè facit Gregorius Nazianzenus in Apologetico admonens, Principem inhorrescere debere, si aliquem è subditis meliorē se esse animaduerterit. Etenim cùm mali Principis notas ipse descripsisset, hanc inter alias apponit: *Nec thronum intremiscit, nec aspectu inhorrescit, in moderatū hominē, cupiditatibusq; imperantem inferiori loco stantem intuetur.* Quasi tunc omnino intremiscere, atque inhorrescere deberet. Sed cur signatè intremisceret, & inhorresceret ex sensu Gregor. Nazianzeni? Planè quòd humanæ cōsuetudinis fuerit, ad monstra visa inhorrescere. Nec aliud auctore Bernardo monstruosius sit, quàm summo gradui, eum qui summus non est, præesse: sic enim ille libro 2. de consideratione capite 7. *Monstruosa res, gradus summus, & animus infimus.* Ita quidem omnino videris Saulem ad Dauidis conspectum sic subinde intremiscere, atque inhorrescere solitum, vt etiam furiatâ mente lanceâ ipsum traiicere non semel nitetetur, primo Regum 18. vers. 10. & cap. 19. vers. 10.

3 Iam vt hanc Principis mensuram, ipsius scilicet virtutem supra cæterorum probitatem assurgentem, atque eminentem videris à sacro eloquio sancitam, quid de Rege Regum; quid de sibi subditis, siue ij cælestes spiritus, siue mortales homines fuerint, sub eadem cinguli imagine pro cuiusque ratione eleganter variatâ sacri Scriptores dixerint obserua. Nam primùm de Rege, ac Domino Ioan. in Apocalypsi c. 1. 12. ait: *Vidi similem filio hominis vestitum podêre, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ;* obserua cinguli situm. De Angelis verò Apocalyp. 15. 6. *Vestiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis,* de Ioanne Baptista Matthæus cap. 3. 3. *Habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos:* ad quem modum omnes discipulos suos generaliter admonebat Dominus Lucæ 12. 55. *Sint lumbi vestri præcincti.* En igitur Regem, en subditos præcinctos, id est tum frænantes omnes cupiditates, & sese ab amore sæcularium rerum alienantes: tum etiam castitati, temperantiæ, iustitiæ, omnimodæ puritati inseruientes, atque ad omne opus bonum paratos, & promptos, cinguli enim imago: *ad castitatem,* ex Gregorio Hom. 13. in Euang. *ad continentiam ab amore sæcularium bonorum,* ex August. lib. 2. qq. Euang. c. 25. ad expeditionem: *ab impedimentis laciniosæ vitæ, & implicitæ,* ex Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 29. *ad promptitudinem ad omne opus bonum,* ex Cyrillo Alexand. ad id loci in catena S. Thom. refertur. Sed enim quantum subditis Princeps debeat antecellere, cinguli vniuscuiusque situs, & altitudo facilè ostendit. Porrò vt cingulum probitatem, & continentiam adumbrat; ita altiùs se accingendi imago altiorem virtutem, maioremque puritatem, vel apud ipsos prophanos auctores significat: sic Seneca epist. 92. cum fortè hoc, atque egregium Mæcenatis carmen citasset:

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.

adiecit: *Altè cinctum putes dixisse, habuit enim ingenium grande & virile, nisi illud ipse discinxisset:* & eodem sensu Horatius lib. 1. Satyr. 5.

Hoc iter ignaui diuisimus, altiùs ac nos
Præcinctis vnum

hoc est; quod vnum esse solet strenulioribus: & lib. 2. Satyra 8. de forti, & strenuo seruo:

Hic vbi sublatis puer altè cinctus.

Ergo cùm vides subditos circa lumbos, siue nō adeò altè cinctos, Principem verò ad mamillas hoc est altissimè, & quàm maximè attolli potest, zonâ præcinctū: perinde id esse ducito. ne illum super populū ab humero, & sursum eminentē; siue tantum virtutibus, quantùm dignitate subditos superantē, atque ex cinguli imagine sic tecū rationes cōfice: Debet quidē esse

Margin notes: 1. Reg. 9. 2. & cap. 10. 23. — Greg. M. — Aristotel. — Isocrat. — Xenophon. — Iustinus. — 1. Reg. 15. 28. — Nazianz. — Bernard. — 1. Reg. 18. 10. & cap. 19. 10. — Apocalyp. 1. 12. — Matt. 3. 3. — Luca 12. 55. — Greg. M. — August. — Tertull. — Cyril. Alex. — Seneca. — Horat.

subditorum vita præcincta, tenentur quippe illi castos, iustos, moderatos, & ad omne opus bonum paratos se exhibere: at Principis vita multo altiùs, quãtùm nimirum attolli possit zona, debet esse succincta; dum ipse quò subditis maior, eò consuetudinis magis adstrictæ, & præclaræ; iustior, castior, continentior, & ad egregia virtutum opera promptior esse debet. Sic quidem apud Stobæum serm. 45. Gentilis Ecpares, ac si hoc omnino intentus esset, dicebat:

Ecpares.

In terra quidem, & apud nos optimum sanè ingenium præ cæteris animantibus homini datum est, diuinior inter homines Rex est, vt qui multùm supra communem naturam emineat, corpore reliquis non dissimilis, vtpote natus ex eadem materia, sed ab optimo artifice factus, qui fabricauit ipsum archetypo ex se sumpto. Hæc ille.

4. Munet & hoc quidem ipsummet Principi à Deo siue à Sancta lingua inditum nomen. Hebraicè enim Princeps dicitur אלוף *Alluph*, quæ vox cùm à

B

variis radicibus deducta significet excubitorem, doctorem, propugnaculum, quæ Regi per omnia conueniunt, à germana tamen, & natiua radice deriuatum quæ est *Eleph* omnino significat tum *mille* vt benè monet Oleaster in cap. 36. Genesis, & manifestè apparet ex Matthæo cap. 2. 6. vbi cùm ex ore sapientiũ, & scribarum populi citasset ea Michææ verba cap. 5. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda;* pro *in millibus Iuda* reposuit, *in Principibus Iuda*: tum etiam *ducem gregis*: vt vndequaque appareat, Principẽ necessariâ ratione subditis suis virtute antecellere debere. Nam id quidem est gregis sui ducem esse. Audiat Senecam epist. 90. *Non præcedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine, ac toris cæteras mares vicit: Elephantorum gregem excelsissimus ducit, inter homines pro summo est optimus. Animo itaque Rector eligebatur: ideòque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse, nisi melior.* Sed enim plus habet energiæ, quòd Princeps *millia* dicatur. Etenim cùm millenarius numerus in scripturâ, tum vniuersitatem significet, vt docet Gregorius Magnus lib. 9. Moral. c. 1. tum etiam omnes numeros perfectus, vt idemmet Gregor. ait ad c. 4. Canticorum: eâ nuncupatione non modò innuitur, Principem pro mille, seu electum ex millibus esse debere: sed adeò subditis meliorem, & præstantiorem futurum, vt singulas omnium subditorũ virtutes vnus ipse perfectiùs contineat; nec aliquid virtutis, aut laudis in singulis subditorum sit, quod in ipso non potiùs emicet, ac splendeat, vt dicebat S. Vincentius Ferrer. ad calcem adnotationis primæ allatus: *Debet quidquid in cæteris pulchri honestique est, id omne solus ipse præstare.* Quâ quidem mensurâ vel ipsimet Ethnici idoneos, & probos Principes dimetiebantur: sic namque primùm M. Tullius in orat. pro Deiotaro: *Frugi hominem dici non habet multum laudis in Rege: fortẽ, iustum, seuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt Regiæ laudes.* Pulchrè: ac si dicat; non enim Principi satis est, vtcumque probum, ac frugi esse, cùm id quod maius, & excellentius est, optimum videlicet fore, & omnium virtutes superare in Principe desideretur. Expressit hæc eleganter Plinius Iunior in Panegyrico; vbi *optimi* nomen quod Traiano Senatus dedit his verbis elucidans: *Nec magis definitè, distinctèq; designat, qui Traianum, quàm qui optimũ appellat: vt olim frugalitate Pisones; sapientiâ Lælij; pietate Metelli monstrabantur; quæ simul omnia vno isto nomine continentur*: subiicit opportunè, *nec videri potest optimus, nisi qui est omnibus optimis in sua cuiusque laude præstantior.*

Oleaster.
Matth. 2. 6.
Michææ 5. 2.
Seneca.

C

Nazianz.
Greg. M.
S. Vincent.

D

M. Tull.
Plinius.

Chrysost.

5 Ad quam quidem regulam nostri Regis laudes omnino dirigebat Chrysostomus præcedenti adnotatione adductus, cùm lapidem Lydium in Dei manu ad explorandum considerans dicebat: *Diuersas attingeret, examinaret cunctos*: omnino innuens è multis, qui Regno non omnino videbantur inepti, Dauidem cà signatè ratione electum, quòd tanquam aurum optimum, & argentum defæcatum, siue cunctis virtutibus præditus inuentus à Deo fuerit; quasi non pauci tunc temporis exstiterint, à quibus Lydio lapide sumpto experimento argentum quidem frugalitate, aut temperantiâ: sed iustitiæ zelo, aut fortitudine non itidem essent; alij mansuetudine illustres, fortitudine tamen non essent conspicui; alij innocentiâ præditi, at iis ornamentis quæ Principẽ decẽt, non æquè instructi viderentur, eaque ratione Regio muneri minus idonei à Deo habiti, atque eo vsque examẽ fuisse perductũ, donec occurrit Dauid cunctis regiis dotibus ornatus, & vt ille dixit, *totus teres, atque rotundus*, ideòque cum regia dignitate omnino concinens. Quæ dixeris habuisse ob oculos, Ambrosium lib. 2. officior. cap. 24. *Dauid fortis in bello, patiens in aduersis: in Ierusalem pacificus, in victoria mansuetus, in peccato dolens, in senectute prouidus; rerum modos, vices temporum, per singularum sonos seruauit ætatum, vt mihi videatur, non minus viuendi genere, quàm canendi suauitate prædulcium immortalem Deo sui fudisse cantilenam.* Hæc Ambros. quæ quidem audisse dixeris gentilem Iulium Pollucem Commodum Imperatorem, cuius pueritiam instituebat, admonens, singulas mille hominum virtutes sigillatim recensere voluisse videtur: sic enim ille: *Regem laudato his titulis, Pater, mitis, placidus, lenis, prouidus, æquus, humanus, magnanimus, liber, pecuniæ contẽptor, haud obnoxius affectibus, sibi imperans, dominans voluptatibus, ratione vtens, acri iudicio perspicax, circumspectus, vtẽs consilio, iustus, sobrius, numinum curam gerens, hominum negotia curans; stabilis, firmus, infallibilis, magna cogitans, auctoritate præditus, industrius, confector negotiorum, sollicitus pro iis quibus imperat, seruator, promptus ad beneficentiam, lentus ad vindictam; certus, constans, inflexibilis, propensior ad iustitiam, semperque attentus ad id, quod de Principe dictum est, libra in morem, facilis aditu, comis in congressu, commodus, alloqui volentibus blandus, expositus, curam agens sua parentium imperia, amans militum suorum, qui strenuè quidem bellum gerat, sed qui bellum non affectet, pacis amans, pacis conciliator, pacis tenax, appositus ad emendandos populi mores, qui ducem agere norit, ac principem, qui leges salutares sciat condere, natus ad bene merendum diuina specie.* En regias laudes Polluci assertas, vt Principem mille, siue qui pro mille imò pro cunctis subditis valeat, omnino faciat.

Ambros.
Iulius Pollux.

6. Et verò, si attendis, centenarius numerus huic Psalmo præfixus, quem suo loco elucidauimus, millenario huic, etsi ad speciem tam longo interuallo distare videatur omnino concinit, quippe qui ex Philone perfectionis est nota ex Nazianz. perfectionis culmen, & ex Hieronymo perfectam scientiam designat: & vt obseruabat Hesychius omnium perfectissimus habetur, quia cùm *quinquagesimus, qua spiritus sunt, amplectitur*: duobus ipse quinquagesimis, hoc est, duplicato spiritu constat: similiter quod digitorum dexteræ manus inflexione coronæ modum, supputatione insequitur: *Quidquid est eximium in Ecclesia,* (dicebat Cassiodorus) *tali numero demonstratur peruenire ad præmium, sicut dixit Apostolus reposita est mihi corona iustitiæ.* Sed enim modò in hoc dexteræ manus symbolo obserua summam perfectionem, & sanctitatem, quæ in Rege desideratur, vt in ipso nihil sinistrum sit, sed totum dextrum, siue vt ipse totus dexter, semperque dexterâ vtens, imò verò duplicata dextera, vt duplicato spiritu, præditus inueniatur. Nec nostrum quidem hoc inuentum fuerit dicente sacro scriptore de inclyto populi Duce, ac Principe, Iudicum 3. 15. *Suscitauit eis* (Dominus) *Saluatorem vocabulo Aod, qui vtrâque*

Philo.
Nazianz.
Hesych.
Hieron.
Cassiodor.
Iud. 3. 15.

LXX. *que manu pro dextera vtebatur* : siue vt est apud LXX. *Virum ambidextrum*: Pulchra quidem Principis imago, & species: qui *vocabulo Aod* : id est (vt Glossa interlinearis, & Origenes, homil. 3. in lib. Iudic. interpretantur) *Iam* dicitur, & duplicatâ dexterâ præditus est: Hæc quippe optimi Principis partes, regias laudes, & perfectam mensuram implent. Nam cùm in primis hinc Regis virtus à subditorum virtute longissimo interuallo discriminatur, quòd iis, vt dextera sit, & dexterâ vtantur: at sinistram illis perpetuò insidiantem simul subesse nouimus : dixit quippe Assertor, Matth. 6. 3. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*, in quæ verba Paschasius elegantissimè dixit : *Habet ergo interior homo noster suam dexteram, habet & sinistram: sed vtinam totus homo noster dexter esset! Per dexteram quippe virtutum opera designantur, per sinistram verò vitia: ideò dicitur*, nesciat sinistra tua: *nulla videlicet virtutũ operatio*, quid agat dextera tua. At Princeps totus est dexter, totus in dexteræ actibus, qui in eum sinistra nesciat, vel ipse sinistram agnoscat: sic hæc expendente Origene citatâ homiliâ 3. *Ecce qualis est iste, qui suscitatur ad saluandum Israël, nihil habet in se sinistrum, sed vtramque manum dexteram habet: hoc est enim ambidexter. Dignus verò populi Princeps, qui nihil agat sinistrum, qui in vtraque parte dexter est, in actibus dexter est, nihil habet de illis, qui collocantur à sinistris.* Et post nonnulla, cùm de Aud sacer Scriptor subiecisset: *Et accinctus est gladio in dextro femore*, subdit: *Vides quia dextrum est omne, quod agit hic Ambidexter? & manibus dexter est, & in pedibus dexter est.* Sic Origenes.

Glossa. Origen. Matth. 6. 3.

A mas, eò vtrumque it, vt moneatur, quàm iustus, & omni ea parte perfectus, quotque præclaris animi dotibus, egregiisque virtutibus, is qui Princeps est, ornatus esse debeat: quid enim aliud stateræ imago portendat, quàm omnino iustam, & vndequaque examinatam, libratam, & omnibus numeris absolutam Regis vitam? Sed & illa locutio, *minus habens*: in qua summa causæ, & damnationis subsistit, manifestè indicat, in Dei rationibus aliam esse mensuram, quam Reges; & aliam, quam subditi implere debent, idque inter Principes, & subditos ingens inueniri discrimen, quod hi ob scelera, & peccata damnari perhibeantur: dicente ipsometiudice: *Discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Lucæ 13. 27. Illi verò non solùm ob peccata, sed quod iustorum virtutum ornamentũ non patauerint, damnationis sententiam subeant: hoc enim omnino fuerit, in pondere, & statera libratum, *minus habere*, debitam scilicet mensuram, iustumque B regiæ dignitatis pondus scrupularibus momentis libratum non impleße. Hæc ad id loci sic sapienter expendente P. Gaspare Sanchez: *Metaphora hæc à mercatoribus ducitur, qui staterâ, & trutina metallorum, & mercium explorant momenta, quæ si minus habeant ponderis, quàm aut iubeat legitima ratio, aut contrahentium legitima conuentio, reiiciuntur, & reprobantur. Conuenit inter Reges, & Deum, vt Reges à Deo potentiam, & regnum: & pro dato Regno Deus à Regibus compensationem aliquam, & pretium accipiat, iustitiam puta in iudicando, Religionem, & fidem, & virtutes alias, quas regias appellamus, quæ patriæ parentem, & miserorum, ac pauperum patronum Regem efficiunt. Harum momenta ponderauit Dominus in vita Baltassaris, quæ cùm multo haberet minus, quàm regium nomen, & pondus postulabant, non è regno solùm, sed etiam è vita depulsus est.* Hæc ille. Quæ quidem non tam subtiliter, & scrupulosè, quam verè ac solidè excogitata esse, ipsimet Gentiles scriptores confirmant. Certè C apud Romanos Imperator Galba non satis Imperij capax habitus est. Num ob sæuitiam, iniustitiam, libidinem, aliave flagitia? Minimè quidem: sed signatè quòd debitas regio fastigio virtutes non attulerit: sic enim de illo Tacitus lib. 1. histor. *Medium illi ingenium erat, & magis extra vitia, quàm cum virtutibus.* Nimirùm *frugi hominem dici non habet multum laudis in Rege.*

Luca 13. 27. P. Sanchez.

Origenes.

7 Iam si hæc plusculum euoluis, videtis duplicatâ hac Principis dexterâ omnes simul consociatas virtutes significari, tum quòd quæ alioqui dissimiles, siue dissidentes tanquam dextra à sinistra esse videntur, in eo copulatæ splendeant, vti de Traiano Plinius: *At Principi nostro quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriæ contigit? vt nihil seueritati eius hilaritate, nihil grauitati simplicitate, nihil maiestati humanitate detrahitur.* Et de M. Bruto Cicero in epist. ad illum: *Quid tam distans, quam à seueritate comitas: quis tamen vnquam, te aut sanctior est habitus, aut dulcior?* Tum etiam quòd Princeps in virtutum palæstra, atque exercitio sic se debet extendere, vt nullum bonis operibus terminum figat: sed vtráque manu, & virtutes, quæ ad regium fastigium omnino spectant, & quæ priuatorum etiam sunt, vt pietatem, humilitatem, modestiam, charitatem, & alia id genus dextrè, & feliciter comprehendat, quod vnicum supremæ maiestatis bonum, atque felicitatem esse sic Imperatori Arcadio suggerebat Synesius in oratione de Regno: *Regis tibi maiestas tantum honorifica sit, quatenus ad virtutis exercitationem contulit, eandemque euexit, cùm & materiam suæ magnitudini consentaneam desideraret, neque Rege inferiori posset vita proposito contineri.* Ad hæc: duplicem Principi tributam dexteram, nullamque sinistram, insignem promptitudinem, & facili- D tatem ad benè operandum, & indesinentes in virtutibus profectus, appositè adumbrat. Quod in Principibus à se laudatis, sic obseruabat Mamertinus in Panegyrico: *Quæcunque pulcherrima facitis continuò transitis, & ad maiora properatis, vt dum vestigia vestra miramur; dumque vos adhuc esse in conspectu putamus, iam de vobis audiamus longinqua miracula.*

Plinius. M. Tull. Synesius. Mamert.

8 Firmat hæc omnia ipsa Dei mensura, siue statera, in qua Reges suspendi nouimus: enim verò cùm in Baltassarem Regem tam temporalis, quàm æternæ mortis sententia à Deo prolata est: sic eius causa discussa dicitur: *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens.* Daniel 4. 27. Vbi tum stateræ imaginem, tum peculiarem, & quæsitum dicendi modum *inuentus es minus habens*, obseruare placet; nimirum, si benè æsti-

Dan. 4. 27.

Ad eadem verba.

Principem maximè virtutem colere debere: quòd viua & animata lex sit.

ADNOTATIO. III.

a. QVOD si præfatam stateram in qua appensus, & examinatus Rex Baltassar dicitur, tu iterum examinas; duo nostro instituto peropportuna elicies; vt denuo quàm exacta, & pura Regis vita esse debeat: & quæ potissimum huius ratio sit, manifestè appareat. Nam primùm, cùm statera ad res suis momentis examinandas duas lances habeat, in quarum alterâ id quod appenditur, in alterâ legitimum pondus, cui id respondere debeat, ponantur: dum Rex ille in vna lance positus, & appensus dicitur: iure ambigas quid in altera libræ lance ad debitum pondus discutiendum positum, siue contra positum fuerit? Et verò cùm nihil omnino designetur, sed stateræ tantùm mentio fiat, non omnino abs re dixeris, Principem in staterâ suspendi, & cum statera ipsa quæ legitimi ponderis vicem gerat, appendi, atque componi. Quod sanè fuerit dicere non aliud istud Principis põdus atque mensurã esse, quàm

vt

vt statera, libra, atque iustitia ipsa, siue lex viua & animata sit. Quam equidem vim habe* videtur puti, ac desæcati argenti imago cum quo Principes in scriptura componi Adnot. 5. num. 3. & 4. vidimus. Neque enim ibi tam argentei, quàm argentum ipsum, nullâ rubigine, aut scoriâ infectũ, sed omnino pueũ, atque desœcatum eodem omnino vocabulo, quo à nostro Rege Psal. 11. de diuina lege dicitur: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, purgatum septuplum*: esse dicuntur: vt videlicet quod ipsemet Gentilis Cicero dixit lib. de legibus: *Verè dici potest, Principem legem esse loquentem, legem autem mutum Principem.*

M. Tull.

Quo planè regio titulo, Dauidis milites ipsum honorarunt, cùm belli discrimini eum subducentes dixerunt: *Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam in Israel.* 2. Reg. 21. 17. Quid enim populi lucerna, quàm viua, & animata lex fuerit, vt ad id loci hunc in modum obseruauit bonus Scholiastes P. Gaspar Sanchez? *Et quidem Dauid, si quis alius in Republica Princeps, omnium meritò lucerna potuit appellari, qui sicut viua quadam lex, qua etiam appellatur lucerna, præiuit omnes, & vita exemplo & zelo iustitia.* Quo omnino modo Chrysostomus ea Pauli verba ad Titum: *In omnibus prabe teipsum exemplum bonorum operum* sic effert: *Esto tamquam imago propositus, tamquam animata lex, veluti regula, ac norma benè, rectèque viuendi.*

2. Reg. 21. 17.

P. Sanchez.

Chrysost. ad Tit. 2.

2. Iam si dum Principem viuam legem, atque loquentem concipis; fictitium quid atque phantasticũ tibi illicò occurrit: omnino tibi persuadeas oportet, potiori quidem ratione eum Principem, qui viua lex non fuerit, vt quidquid in lege præscribitur, tam exactè, atque perfectè obseruet, vt ipsius in vita, & motibus lex loqui, ac suadere videatur, phantasma quidem, & veluti chimæram esse. Sic etenim ipsemet Regum Rex magno verborum pondere dicebat: *Nolite putare quoniam veni soluere legem: non veni soluere, sed adimplere*: Matth. 5. 17. *Quia quamdiu lex vigere debuit*, inquit ibi Maldonatus, *ipse eam licet Deus nullâ lege teneretur, diligentissimè seruauit*: At, cur & legem seruauit cùm non teneretur? Siue etiam cur signatè ad ipsam implendam, & seruandam se venisse ait, qui ad ferendam potiùs legem aduenit? Equidem vel hacmet ratione quòd Princeps, & legislator erat: ne videlicet, cùm Princeps esset, phantasma ab hominibus putaretur legem exactissimè non seruans. Nimirum adeò Principi, qui viua lex dicitur, legem obseruare conuenit, vt si non seruauerit, spectrum siue phantasma, aut chimæra omnino esse videatur: hæc sic disertissimè monente S. Zenone Veronens. Episcop. & Martyre sermone de Circumcisione, dum rationem reddit, cur Dominus octo dies natus circumcisionis legem, cui non leuis pœna, & ignominia suberat, implere voluit? ad hunc modum: *At fortaße quispiam dicat, cur ipse quoque signaculum cordis accepit, si ei necessariũ non fuit? Huius propositionis qua sit ratio, fratres, accipite. Igitur qui venerat hominem viuificare, per hominem necesse habuit, ne phantasma putaretur edicta legis vniuersa complere. Non enim aut finis legis, aut verus Christus esse potuisset, si quid prætermitteret, quod ab alio saluti hominum præstari potuisset.* Obserua illud: *Ne phantasma putaretur.* Vt videris eum verum, legitimum, atque germanum Principem, qui edicta legis vniuersa compleuerit; illum verò phantasticum, & apparentem; siue nomine tenus, aut vacuum Principis nomen ferentem, qui à legis præscripto discedat: cui omnino dixeris: *Nomen habes quod viuas, & mortuus es.*

Matth. 5. 17.

S. Zeno M.

3. Hinc certè iam se prodit ratio, quæ Principes ad tantam vitæ integritatem, & diligentissimam diuinæ legis obseruationem stringat, quod videlicet, id suum munus fuerit vt ad instar stateræ, subditos librent, & debita ipsorum pondera examinent, siue vt tamquam regula illos dirigant, exæquent, atque corrigant. Etenim si de regiis ministris ac Magistratibus, quibus honores, & munia Princeps demandat, scitè dicebat Rex Theodoricus apud Cassiodor. lib. 1. epist. 40. *Diu quippe trutinandus est, cui traduntur examina, talisque debet à Principe deligi, qualis ab ipsa potest lege dictari.* Quid de ipso Principe penes quem omnium trutina, & examina sunt, dixeris? Sanè ipsammet trutinam, & stateram siue legem omne fas, iusque dictantem, eum esse oportere. Et verò ex Incogniti & aliorum sententia id his verbis: *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus mea*, Dauidem innuere vidimus, sic enim ille dicebat: *Cùm enim vita Regis sit quoddam speculum, & quadam regula subditorum, qua imitanda proponitur*, &c. *Ideò Dauid videns se Regem, & aliorum dominum studuit mundam vitam ducere.* Quò planè ipsummet Regis nomen pulchrè retulit Sapiens noster Alfonsus Rex: eximiusque legislator, lege 6. titulo 1. part. 2. inquiens: *E aun en otra manera mostraron los sabios, porque el Rey es assi llamado, è dixeron que el Rey tanto quiere dezir como regla: ca assi como por ella se conocen todas las torturas, è se enderezan, assi por el Rey son conocidos todos los yerros, è enmendados.* Pulchrè quidem Rex regula dicitur, vt non secus ac illa, sui rectitudine omnia mensuret, ac dirigat. Sed enim vt hæc ratio plenè subsistat, formanda, & stringenda est ex Plutarcho in cõmentario *in Principe requiri doctrinam*, sic disertissimè monente: *Verùm quemadmodum oportet, vt ipsa regula primùm recta sit, nihil habens obliquum: deinde catera sibi admota quatenus sibi congruunt, exaquet: consimili modo Princeps postea quàm imperium in seipso parauerit, ac direxerit, vitamq; suam composuerit, tum debet sibi applicare eos, quibus imperat. Neque enim cadentis est, alium erigere, nec ignorantis docere, nec incompositi componere, nec ordinare inordinati, nec imperare eius, qui rationis non pareat imperio.* Hæc ille. Quæ placet aptare iis Isaiæ verbis, capite 1. versu 23. *Principes tui infideles*: siue vt LXX. legunt *inobedientes*: vt vtrique Lectioni eumdem subesse sensum facilè appareat: etenim Principes, qui *inobedientes* à LXX. dicuntur, quod rationis non pareant imperio, meritò à Vulgato eleganti locutione vocantur *infideles*, etenim vt ea Principum personæ non videatur congruere; regulæ quidem siue stateræ imagini appositissimè conuenit: quippe illa nisi recta, hæc verò nisi legitimè librata fuerit, vt eâ debitis æquisque ponderibus res examinentur *infideles*, frequenter, sapienterque vocantur: ideò scitè ait Plutarchus: *Non esse imperare eius, qui rationis non pareat imperio*, quòd oporteat vt ipsa regula primùm recta sit, nihil habẽs obliquum, deinde cætera sibi admota, quatenus sibi congruunt, exæquet.

Cassiod.

Incognitus.

Alfonsus Rex.

Plutarch.

Isaia 1. 23.

LXX.

4. Et verò hanc omnino rationem Chrysostomus, & Cyrillus Alexand. reddiderunt, cur Regiæ dignitates à Deo positæ & ordinatæ fuerint? Sic enim ille Hom. 22. in Acta: *Sanè propter hoc dignitates positæ sunt, vt maior pietas ostendatur*: ac si diceret, ea propter quosdam ex hominibus in altissimo Regij solij fastigio à Deo fuisse collocatos, vt virtus in alto cõstituta ad cæteros homines informandos, & instituendos, plena lucis, ac vocis sit: vt nimirùm à Principibus, tamquam à perfectissima regula, & norma, quid amplecti, quid fugere debeant, faciliùs subditi addiscant. Pergit verò Cyrillus lib. 1. de recta fide in Christum in initio, & inclytum Imperatorem Theodosiũ, virtute quidem & bellicâ gloriâ illustrem sic regio muneri satisfecisse affirmat, vt vel ab illius nutibus nemo non ad honestam viuendi rationem promoueretur, etenim cùm dixisset: *Supremum humana gloria culmen, Christianissimi Impp. longè*

Chrysost.

Cyril. Alex.

magna

magno discrimine ceteris omnibus antecedens, præstansq; præclara itidem sors, munusq; perillustre à diuina excellentia in vos defluxit, nempe quò summæ illius celsitudinis, & dignitatis aliquod quoque vestigium, & quasi simulacrum in terris extaret. Subiicit post nonnulla: *Clementissimis maiestatis vestræ nutibus nemo non ad iustam, honestamq; viuendi rationem promouetur.* Vides, quam ob causam dignitates à Deo fuerint institutæ? vt pulchra Dei imago, & simulacrum, viua scilicet & animata lex, iustaque statera in terris staret, quâ homines ad virtutem informarentur, atque allicerentur? Concinit Gregorius Nazianzenus oratione 19. de parente suo Nazianzi Antistite ferinos vrbis suæ mores, haud magno negotio mitigasse, affirmans, *Quòd se velut spiritualem quandam statuam ad optima cuiusq; actionis pulchritudinem expolitam ad imitandum proponeret.* A quo quidem nec Ethnicus Diogenes Pythagoricus abiuit, dum apud Stobæum serm. 147. Principem Imperij dignitatem, atque præstantiam sibi induere, atque circumponere debere; quâ intuitu, quâ ratiocinatione, motibus animi, omnique gestu corporis: *Ita vt qui circa eum sunt, non minùs quàm ipse reuerentiâ, temperantiâ, habituq; omni decoro in admirationem rapti exornentur*, opportunè præscribit.

Naziianz. — Stobæus.

3 Iam huic rationi subnixus denuò præfata Christi Domini verba: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Matthæi 5.17. pende: & quidem emphasim habet phrasis *adimplendi legem*: cur enim potiùs non dixit seruare, custodire, aut exsequi? Planè vt moneret, legem Principis exemplo impleri, quòd ipse viua & animata lex sit, qui legibus complementum, & veluti vitam inspiret, aliàs legem vacuam, & inanem esse. Quare obserua Dei Filium à Patre in Principem, Ducem, ac præceptorem gentibus missum notantissimè priùs ab ipso signatum dici. Sic enim Dominus de seipso Ioann. 6.27. *Hunc enim Pater signauit Deus.* Sed quid est signauit? Respondet Cyril. Alexandr. à Deo vnctus, & regiâ potestate donatus: quâ verò ratione vnctus sit, explicat Ammonius in Catena Græca: *Hunc signauit, id est, humanam Domini carnem Spiritu sancto vnxit.* Vt eadem hæc cum illa sententia eiusdem Domini, Ioann. 10.36. fuerit: *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum.* Vbi notanter missioni in Ducem, & præceptorem gentibus præmisit sanctificationem; tacitè innuens eum ad gubernandum, & docendum idoneum, & opportunum esse, qui priùs Spiritu sancto vnctus, & sanctificatus sit. At, inquis, cur vt se Spiritu sancto vnctum, siue sanctificatum assereret, eâ signandi phrasi vsus est? Sanè vt eum se Principem, & legislatorem ex sanctitate ostenderet, cui velut statetæ examinatæ, & publicâ auctoritate obsignatæ, & litteris regio sigillo signatis, atque munitis omnimodâ fides adhibenda, & obedientia præstanda esset, vt pulcrè ibi monuit Maldonatus inquiens: *Signare est auctoritatem dare, quia solemus litteris impresso sigillo auctoritatem, & fidem adhibere: quemadmodum cap. 3.33. dixit*: Qui autem accepit eius testimonium signauit, quia Deus verax est: *id est, quasi adhibito sigillo confirmauit.* Hæc ille. Quæ optimè subsistunt ex doctrina Sancti Thomæ in præfatione in epistolas Canonicas: vbi cùm litteras siue sapientiam sanctitate destitutam cum litteris Vriæ, quæ in prouerbium abierunt, sic composuisset: *Istæ sunt epistolæ siue litteræ Vriæ, de quo loquitur liber 2. Regum cap. 11. quod portauit litteras mortis suæ: litteras mortis suæ portant viri litterati, qui sciunt, & docent, & non faciunt.* Subiicit: *Istæ sunt litteræ sine sigillo, id est scientia sine vita.* Sic ille. A sanctitate ergo, & puritate vitæ, Principis auctoritas, & legum complementum, atque exhibita illis fides, & reuerentia tamquam litteris sigillo munitis siue staterae publico iudicio obsignatæ omnino subsistit. Nam vt pulcrè hanc in rem Plutarchus in Politicis: *Non enim cuiusuis est, neque tractatu, & factu facile vulgus, & multitudinem salutaribus allici rationibus, & in officio contineri. Sat erit, si velut fera naturâ suspiciosa, & varia vocem, atque aspectum rectoris minimè reformidans regimen, & frænum admittit. Vt hac igitur præclarè curare optimum est, ita quoque vitam sibi quisque, & mores pulcherrimè excolere debet, quò prorsus omni notâ, vituperationeq; careat: quando præsertim eorum, qui Reipub. præsunt, non modò singula verba, nec res tantùm publicitùs gestæ animaduerti, notariq; solent, sed virtus quoque, ioci simul, & seria quaque, domus ipsa, familia, vxor, cubile curiosiùs conquiruntur.* Hæc Plutarchus.

Matth. 5.17. — Ioa. 6.27. — Cyril. Alex. — Ammon. — Ioa. 10.36. — Maldon. — S. Thom. — 2. Reg. 11. — Plutarch.

4 Quò mirè facit excogitata, siue adinuenta à Venerabili Stephano Cantuariensi in allegoriis Gotfredi Tilmanni allegoria in illis verbis Tobiæ cap. 1. 17. *Cùm in multa turba generis sui Gabelum videret, qui erat ex tribu eius sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.* Vim enim ipse faciens in chirographo hoc est scripto manu propriâ exarato: hæc talenta cum illis componit, quæ Dominus fidelibus seruis in Euangelio tradidisse dicitur, vt ipsi ad mensam, siue ad pecuniam darent. Sic enim Dominus seruis suis dicebat: *Negotiamini dum venio.* Lucæ 19.13. & ad seruum malum, & ignauum vers. 23. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam?* Hoc est vt accepta à Deo Euangelicæ doctrinæ verba operibus ipsis, & virtutibus exprimerent, vt hac ratione eorum doctrinæ fides haberetur; aliàs ab auditoribus contemnenda foret. Sed audi Stephanum: *Hoc est quod Dominus iussit dari pecuniam verbi Dei ad vsuram. Chirographum dicitur à χεὶρ χειρὸς, quod est manus, & γραφὴ scriptura. Sub Chirographo ergo pecuniam dare, est doctrinam bonis operibus confirmare.* Pulchrè, vt dicere videatur Principi, siue Doctori, aut Concionatori: Dicito quæcumque volueris; præscribe, impera, ni manum operi admoueas, & quæ canis, simul etiam psallas, & manibus confirmes, nihil agis: nec enim nudis verbis nisi manu tuâ conscriptis fides vmquam adhibetur: imò verò nec te quæ doces, & imperas sentire, & iudicare credemus. Vel audi Hilarium in Psalm. 120. hac de re sic absolutissimè monentem: *Bona non possunt videri, verè bona à nobis iudicari, nisi expetantur. Nam quomodo fidem iudicij nostri, nisi eorum, de quibus benè iudicauerimus efficientia præstabimus? Bonam pudicitiam existimamus. Quis ergo opinionis nostræ fructus, nisi in ipsa pudicitia appetitione consistet? Bona est innocentia, sed nisi festinantes, atque exercentes; eam verè ita sentire non intelligemur.* Concludit: *Mentium enim iudicia non verbis significanda sunt, sed rebus explenda.*

Tob. 1. 17. — Steph. Cant. — Luc. 19. 13. & 23. — Hilarius.

5 Nec alio sensu Auctore operis imperfecti sic obseruante, Matthæi 5.17. dixit: *Nolite putare, quoniam veni soluere legem, sed adimplere.* Nisi vt discipulis suis seipsum in optimi Doctoris, & gubernatoris exemplar proponeret, qui æquè exemplis, atque verbis doceret; ita enim ille: *Vt discipulos suos, quos omnibus bonis operibus adornatos esse debere suprà docuerat, his verbis ad suum prouocaret exemplum, vt quemadmodum ipse omnem legem implebat, sic & illi omnia etiam minima legis festinarent implere.* At enim, quantùm Dominus in faciendo, & docendo perseuerauerit, vel ex vltimis ipsius factis, & verbis disce. Cùm nimirùm suis hostibus insensissimè ei insultantibus, & diris cruciatibus persequentibus adeò non rependit vicem, vt & illis potiùs vestimenta sua diuidenda permiserit, & pro ipsis etiam vehementiùs orauerit, cum lacrymis, & clamore valido Patrem allocutus: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Lucæ 23.34. Vbi duo non imme-

Matt. 5.17 — Auctor Oper. Imp. — Luc. 23.34.

immeritò ambigas: alterum iq vestium diuisione: cur tam insignatè tunicæ mentio à sacro Scriptore

Ioa.19.23. facta fuerit: dicente Ioanne 19. 23. *vnicuique militum partem,& tunicam*: alterum in oratione facta; cur videlicet, vt plura alia, quæ dubio procul in cruce Dominus silentio, & intra se pro nobis orauit: hanc etiam pro inimicorum peccatis veniam non in *abscondito intra cordis cubiculum*, vbi ipse Patrem cœlestem esse orandum monuerat, sed palam, & apertissima voce efflagitare voluerit? Sed eam facilè vtriusque rei reddideris rationem: quòd suos anteà discipulos, & in illis Ecclesiam suam sic ipse instituisset, vt pro suis persecutoribus, & calumniatoribus orarent: *Ego*

Matth.5.44. *autem* (inquit Matthæi 5.44) *dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*: nec non vt auferenti pallium tunicam sponte redderent: sic enim inibi vers. 40. *Et ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium*: Ideoque voluisse, quæ iusserat exemplis firmare, scitè id ad præfatum

Arnoldus. Lucæ verba obseruante Venerab. Arnoldo Abbate in tractatu de Verbis Domini in cruce tomo 5. Biblioth. Veter. PP. his verbis: *Poterat vtique acciri multa millibus Angelorum agere pro se, & de tantis ludibriis erui, sed qui preceperat percussori sinistra maxilla porrigi dexteram, & auferenti pallium præberi & tunicam, seipsum inter regulas suas concludens, voluit, vt à capite patientia forma prodiret in membra.* Pulchrè id *seipsum inter regulas suas concludens*: ne aliam suis, aliam sibi regulam, & legem statueret, sed primus iussa subiret.

Ad eadem verba.

Principem Imperio magnum, sed maiorem exemplo esse debere.

ADNOTATIO IV.

1 SEd & illud ad subditos suauiter efficaciterque regendos in præfato sigillo, Dei Filio à Patre summo impresso signatè fuerit obseruandum; non tam Sapientiæ, aut Potentiæ, quæ maximè in Principe desiderantur, quàm bonitatis, & sanctitatis effigiem, siue imaginem expressisse, ad eum

Sap.7.26. quidem modum, quo Sapient. 7. 26. de ipso erat prænunciatum: *Nihil inquinatum in illam incurrit, candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Vbi præterquam quod à sigillo Dei faciem imprimente bonitatis imago & mundissimum speculum nullius maculæ capax resultare dicitur: obseruare placet illud verbum *incurrit*, quod Græcè vt alibi obseruaui, è re medica est, quo Ga-

Galenus. lenus in Isagoge fol. 46. pulsum intercidentem, qui est inæqualis systematicus, *quando inter duos ictus, qui ordine proprio inseruntur, tertius alius ictus intercurrit*: quasi ea Principis facies, quæ præ se ferat eam bonitatem, cui nulla adhæreat macula; is Principis pulsus, siue animæ motus, cui nihil superuacuum, & à rectitudine deuium subsit, esse debeat. Sed enim est etiam ibi aliud, quod peculiariter obserues: nimirùm Dei Filium signatè dici, *speculum maiestatis Dei*, hoc est, potentiæ, siue inoperationis, aut vigoris, quo efficaciter operatur Deus (nam Græcè est vox ἐνεργείας, quæ apud Rhetores vsurpatur, cùm res non otiosè, sed suâ vi, & efficacitate dicitur, vnde eam ad id loci sic

Origenes. interpretatur Origenes lib. 1. Periarch. cap. 2. *Inoperatio est vigor quidã, vt ita dixerim, per quem inoperatur Pater, vel cùm creat, vel cùm prouidet, vel cùm iudicat, vel cùm singula quaque in tempore disponit, atque dispensat.*) tum etiam huic speculo maiestatis notanter addi *sine macula*, quod potiùs (vt adnotat. 1. etiam expendimus) subiiciendum videbatur imagini bonitatis: quorsum enim hæc tam exacta mundities cum energiâ siue efficacitate operandi cohæreat? siue ad eam referatur? Planè, vt moneat Sapiens, Principum maiestatem, Imperium, atque potentiam, & efficacitatem siue cùm iudicant, siue cùm prouident, leges ferunt, & alia regni munia dispensant, à mũditia, & sanctitate energiam, & efficacitatem sumere; secus verò illas otiosè, & inutiliter dicere, præscribere, imperare. Medico enim, cui pulsus intercidens, & inæqualis est, quis suum pulsum tradat, & se curandum committat? quin potiùs inte dixerit: *Medice, cura teipsum.* Ita quidem præfato loco Plutarchus huic sententiæ assonans,

Principem admonebat: *Mores proinde ciuium, tum leniter, atque scitè tractandos, moderandosq́; meliores efficiendos aggredi debet, tùm sibi iam vires sunt, & auctoritas comparata apparet.* Quæ autem vires gubernatori necessariæ fuerint, sic statim explicat: *Teipsum ita excolere, ita mores exornare tuos, sic vitam omnem tuam tueri debes, vt qui in aperto, mediòq́; spectaculo ante omnium oculos vitam acturus sis.* En vnde Principi vires siue energia, atque auctoritas subsit. Plutarch.

2 Quo omnino reuocare placet quod quæsito, & accurato dicendi modo, de primo Martyre Stephano, adeò efficaci energiâ monente, & concionante, vt ipsimet infensissimi hostes ei resisteré, ac repugnare non possent: sic inquit Lucas Actuum 6. 10. *Et non poterant resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur.* Premé id *Spiritui, qui loquebatur*: vbi voces energiâ plenas, & verba efficacissima, quibus sapientes illi obuiam ire non possent, Spiritui omnino tribuit Lucas, cùm sapientiæ potiùs, cui proprium est dissertare, loqui, & aduersarios conuincere id tribuendum videretur, dicente Domino: *Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.* Act.6.10.

Lucæ 21. 15. Sed enim Lucas fidus horum verborum Christi non modò scriptor, sed etiam interpres de industriâ energiam ab ore, & sapientia in Spiritum transtulit, vt sapienter innueret, sermonis, & doctrinæ efficaciam ab spiritu proficisci, Doctoresque & Principes doctrinâ, imperio, & legibus magnos, maiores exemplo, & vitæ puritate esse, quòd hinc potissimum subditi ad virtutem incitentur, quod planè nec Gentilem Velleium latuit pulchrè dicentem: *Facere rectè ciues suos Princeps optimus faciendo docet, cumq́; sit Imperio maximus, exemplo maior est.* Sed illud multò opportunius est quod Auctor operis imperfecti Hom. 10. in Matthęū præmensea Domini verba, Matth. 5. 13. *Sic luceat lux vestra coram hominibus*: sic admonet: *Multò melius est facere, & non docere, quàm docere, & non facere. Quoniam qui facit, etsi taceat, aliquos corrigit suo exemplo: qui autem dicit, & non facit, non solùm neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat.* Nec omiserim pulcrum huic cogitationi fulcimẽtum ab oratione, quam Alma, & sapiens Mater Ecclesia diuino illustrata spiritu in Missa Magni, & verè Angelici Doctoris S. Thomæ præscripsit, in quâ tam ad illius laudationem, quàm ad nostrî institutionem Deum sic orat: *Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Thomæ Confessoris tui mira eruditione clarificas, & sancta operatione fœcundas.* Vbi, si attendis, miræ Angelicitus Doctoris eruditioni Ecclesiæ claritatem, & splendorem, sanctæ verò eius operationi, fœcunditatem, & fructum notanter assignat; vt spiritus, siue sanctitas sit, qui sapientiam fœcundam, & fructibus & filiis auctam: aliàs quidem sterilis, & orba futura, omnino reddat. Luc.21.15. Velle. Auctor. Oper. Imp. Matth 5. 13.

3 Sed præfato Salomonis de diuinâ Sapientiâ sẽsui mirè concinit ipsemet Dominus, qui tus aliquãdo dicturus, vt indiciũ efficax energiâ plenũ, & cũ auctoritate proferret priùs speculũ sine macula Maiestatis Dei

Dei sese esse probauit: etenim cùm Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam ei iudicandam sisterent: *Ipse inclinãs se deorsum digito scribebat in terra.* Ioan. 8. 6. Sed quæ hæc iudicij forma? Ecquis iudicantis habitus? Qui tribunal sedere debeter, sese deorsum inclinabat? Ita quidem vt qui peccatores se nullo indigebat examine, cùm ipsamet iustitia, & sanctitas esset, apud homines, quos statim argituerus, & iudicaturus erat sese priùs probaret. Certè se deorsu inclinate atq; in terra scribere: perinde fuisse videtur, ac à sersa ipsa perquirere; An aliqua ea ea adhæsisset macula, quæ mundissimum speculum insecerit? an terreus aliquis humor in pulsum summè æqualem incurrerit, à quo ipse intercidens, inæqualis, ac dissonus euaserit? an tãdem aliquam à terra noxam, quæ diuinum resoluerit sigillum, contraxerit. Et verò cùm seipsum velut *argentum igne examinatum, purgatum septuplum*, ostendit: *venit enim Princeps mundi huius* (ait ille Ioann. 14. 30. *& in me non habet quidquam*, tunc opportunè iudicandi munus suscipiens sese ereuit tamquam dicturus sententiam sic hæc præstringente Ambrosio, epist. 58. libr. 7. *Inclinat caput* IESVS, *& quia non habet, vbi reclinet caput suũ* (scilicet in terra) *iterum erigit quasi dicturus sententiam & ait: Qui sine peccato est, prior lapidet eam.* Hæc Ambros. obserua illa: *& quia non habet vbi reclinet caput suum*; hoc est quòd nulla ipsum terrena affectio, nulla terrenæ labis macula, nulla nebula inficit, tamquam legitimus Iudex caput erigit, sententiam cum auctoritate, & maiestate dicturus. Sanè vt simul ionnatnt, eum iudicẽ siue Principem, qui hoc facto examine, sese aut terrena labe, aut humanã affectione infectum cognosceret, via capui sine robore ad ferendum in reum sententiam, aut ad leges ferendas erigete posse, quippe qui à castigatis à se vitiis actiter remorderetur. Cui quidem Ambrosij expositioni omnino adstipolatur ad id loci Beda hunc in modum: *Ideò iubetur iudex alieni criminis digito describentis ut corde suo describere, ac fortè reus in seipso inueniatur. Digito scribemus in terra, id est, discrimine solerti pensemus, ac cum beato Iob dicere possimus:* Neque enim reprehendit nos cor nostrũ in omni vita, sicille, ibid pulchrè Ambrosius: *iterum erigit quasi dicturus sententiam*: quasi noo aorea ius dicere, aut sententiam opportonè ferre quis posset, quàm sese omnibus immaculatum exhibuerit, simulque ostenderit. A quo planè nec latum vnguem iuerit, quod Plato Principi solium ad iudicandum conscendenti, sic suggerit: *Non priùs in alio tribunali iudicaueris, quàm ipse coram iustitiã iudicatus fueris.*

4 Congruit huic cogitationi quod de Domino rationem cum seruis suis ponente: hoc est ad examen, sue iudicium eos vocãte sic dicitur apud Matthæum cap. 18. 23. *Ideò assimilatum est regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis, & cùm cæpisset rationem ponere*, &c. Vbi dum ambigitur: quando Dominus cum seruis suis, & voluit, & cœpit rationem ponere? Frequentiùs respondetur ad tempus datæ à Deo legis, necnon ad Iudicij diem cum singulis hominom factis exactissima sumenda ratio est, totæ id referendum. At enim Paschasius aliam exponendi viam ingressus: tum signatè Dominum cœpisse cum seruis suis rationem ponere existimat: cùm se illis visibilem exhibuit, & præclaram viuẽdi normam sois ostendit, & firmauit exemplis: Sic enim Paschasius ad id loci lib. 8. in Matth. in secunda expositione: *Quam mirum rationem tunc cœpit* IESVS *Rex noster ponere, quando incarnatus venit in mundum, & adhuc hodie ipsa, eademq; ratio versatur in isto sæculo.* Opportunissimè, quasi ve multò antea lex data fuerit, tunc omnino signata esse videatur, cum exemplo sancita, & confirmata fuit: atque ideò tunc opportunè Dominum cœpisse rationem ponere cum hominibus, cùm eos propriis exemplis, & erudiuit, & instituit, nihil aliud ab ipsis exigẽs, quod ipse priùs non exhibuerit. Certè, si attẽdis hac potissimùm ratione Dominus mortem: *mortem autem Crucis* subite voluit: nam si banc ad humani generis redemptionem præcisè tenoc aueris, iniuriam quadammodò tanto diuini sanguinis pretio facere videris, cuius exigua gutta ad exhauriendum omnium hominum peccata satis superque erat. Quare eò conuenientiùs retuleris, vt Dominus qui hominesad ferendam Crucem, & animas pro fide, & Religione ponẽdas hortabatur, suo priùs præter exemplo sic id disertissimè admonẽte Petro epistola 1. capite 2. 21. *In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia sua.* Quod Augustinus sic vrget in Psalmo 65. *Intendite: Parum ergo erat, Dominum hortari Martyres verbo, nisi firmaret exemplo.* Ergo parum fuerit, Principem legibus, & verbis subditos adhortari, & ad virtutem vegere, nisi leges ipsas priùs exẽplo firmauerit: importunè planè rationem cum seruis suis incipiens ponete, dum non cœpit bene viuete: vti præfato loco Plutarchus in Alcibiade obseruauit, *Qui circa rem communem administrandam solertissimus habitus, atque maximus compertus Imperator, viuendi licentiã, atque animi ferociã perdidit, tam cetera virtus ob sumptus immoderationem, & vitæ luxuriam parum Reipub. profuisse visa est.*

5 Sed & id appositè exprimit ficulneæ illius parabola proposita à Domino apud Lucam c. 13. quæ cùm tres annos spectata fructum non retulisset, à vineæ domino excindi iussa est: sed enim cùm colonus ægrè id ferret, pro ea vineæ dominum adeò obnixè exorauit, vt quod fructum illa nõ tulerit, in se potiùs, quàm in illam reiicete voluerit, quasi ipse non omnia quę illius cultura exigebat, præstiterit: sic namque domino dicenti: *Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulneã hac & non inuenio: succide ergo illam:* ipse benignè & blandè occurrebat: *Domine dimitte illam, & hoc anno vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora*: ad quæ verba acutè Maldonatus ait: *Exprimit affectum, & diligentiam boni coloni, qui non libenter plantas excindit, nec libenter perdit, eò quòd fructum ficus non tulerit, culpam in se potiùs quam in illam conisicit.* Sed quid tandem hæc parabola sibi velit ea PP. sensu singillatim expendamus. Et verò cùm per ficulneam fine omnes homines, vt Augustinus vult sermon. 31. de verbis Domini, siue Synagogam, vt Ambrosius, Theophylactus, Euthymius, Beda & ferè omnes PP. malunt significari, extra controuersiam fuerit, quis ille colonus sit? qui ficum defendendam suscepit, meritò ambigitur. Quã in re perplacent nobis Theophylactus, & Euthymios, sic id ad Christum Dominum referentes: *Paterfamilias Deus Pater est, cultor verò Christus, qui ficum amputari vt sterilem non permittit.* Sed quare non permisit? Audi: *dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora.* Quæ verba sic optimè explicuit Maldonatus: *Nihil aliud significare arbitror, quàm vsque dum omnem illi culturam adhibeam, ita vt nihil iam reliquum sit, quod illi facere possimus: tunc succidam, sum verè ducere potuero:* Quid est, quod vltrà debui facete vineę meæ, & non feci ei? ita ille. Sed quod illud fuerit remedium, quod se adhibiturum bonus colonus pollicetur, quo ficus per triennium sterilis maximè iuuanda speretur? siue, ex vmbrã ad solẽ procedamus, quis exacuationis prætereas pro hominibus terrarum peccatorum numerum implentibus afferri potuit, cùm iniuria tertiò repetita, vel à tardo animali ad iniurias nato humanas impatientiæ voces extorqueat, vt in asinã Balaam ab hero tertiò percussã omnino apparet, quippe illum ipsa sic increpasse dicitur: *Quid fecit tibi? cur percutis me ecce iam tertiò?* Num. 22. 28.

Ioan. 8. 6. | Ioa. 14. 30. | Ambros. | Beda. | Plato. | Matth. 18. 23. | Paschas. | 1. Pet. 2. 21. | August. | Plutarch. | Luca 13. 8. | Maldon. | August. | Ambros. | Beda. | Theophyl. | Euthym. | Maldon. | Isai. 5. 2. | Num. 22. 28.

22 28. notanter illud: *ecce iam tertiò*; vt diserit; alia & A alia plaga siue inflicta iniuria tolerari vteúq; posset, at *tertiò* iam percuti, & per iniuriam affligi, nec bruta quidem ferre possunt. Sanè opportunissima illa cultura, quam colonus se adhibiturum pollicetur, quæque in ficu quodammodò desiderabatur, nihil aliud quàm Domini exemplum esse videtur, vt qui aliquando locutus fuerat, iam homo factus adesset, & quæ de virtute verbis præscripserat, exemplis omnino firmaret. Ita id adnotante præsato loco Theophylacto dū (*Theophyl.*) Dominum sic loquentem facit: *Si per legem, & Prophetas fructum pœnitentiæ non dederunt, meis ego irrigabo passionibus, & doctrinis, & forsitā dabunt obedientiæ fructum.* Vides vt ficui hanc exempli culturam quodammodò deesse Dominus iudicauerit, quò omnis ei excusationis ansa auferri posset? Quasi optimo Patri optimus filius diserit: Sapientibus & insipientibus debitores sumus, forsitan ij imperantis exempla desiderant. Sine ergo vt hanc illis ego culturam adhibeam: *Tunc* B *succidam eum omnino dicere potuero: Quid est, quod vltrà debui facere vineæ meæ, & nō feci ei?* Enimverò pro hac cogitatione non obscurè ipsemet Dominus fideiubere (*Ioa. 15. 22.*) videtur, cùm apud Ioannem cap. 15. 22. ait: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberēt, nunc autem excusationem non habēt de peccato suo.* Siue vt est apud (*Lect. Syriac.*) lectionem Syriacam; *nunc autem nullus est ipsis prætextus pro peccatis suis*: & statim vers. 22. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt, & oderunt me.* En omnem prætextum, omnem excusationem subditis ablatam, Principe verbis & exemplis simul imperante.

6 Cui sanè rei opportunè aptaueris silentium illud duobus cœcis à Domino curatis ab ipso signatè (*Matthæi 9. 27.*) præscriptum: sic enim Matthæi 9. 27. *Tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis: & aperti sunt oculi eorum, & comminatus est illis IESVS dicens: Videte ne quis sciat, illi autem exeuntes diffamauerunt illum in totâ* C *terrâ.* Vbi dum meritò ambigitur; quare illis præceperit, ne miraculum euulgarent: cùm id & ad eius laudes celebrandas, & ad illorum gratitudinem manife- (*Hilarius.*) standam valde conduceret? optimè ab Hilario, & Paschasio respondetur, causam fuisse, ne ipsi concionatorum munus, quod Apostolorum erat, sibi vsurparent: *Silentium imperat* (inquit Hilarius Can. 9.) *quia Apostolorum erat propriū prædicare.* Similiter Paschasius: *Ideò istis rectè dicitur, ne vsurparent, quod aliorum erat.* Sed cur ipsorum etiam non esset, diuinas omnibus laudes annūtiare, atque hac ratione homines ad Christi cognitionem adducere? Planè; quia eorum verbis ac monitis, qui recenter curati fuerant, & paulò antè cœci, & in tenebris conspiciebantur, vix fides ab hominibus baberetur: quippe Doctorem commonentem, & Principem imperantem, legesque ferentē non modò carere vitia, sed cum virtutibus etiam esse oportet: quid enim importunius, indecentiusque, quàm D eum qui vix è cœno peccati emersit, atque oculos luci reddidit, concionatorem fieri, qui monita salutis aliis suggerat, aut Principem qui leges ferat, scitè hæc obseruante Venerab. Philippo Abbate in libr. *de silen-* (*Philipp. Abb.*) *tio Clericorum*: cap. 76. dum sub hoc sensu elucidat tum (*Ps. 49. 16.*) hæc Dauidis verba, Psalm. 49. 16. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum*: tum illa ad Cain Genes. 4. 7. (*Gen 4. 7. LXX.*) iuxta translationem LXX. *peccasti, quiesce*, hūc ad modum: *Si peccati contagio interiorem conscientiam polluisti eiusq; immunditiam nondum pœnitudine congruâ, nōdum satisfactione diuinâ diluisti, noli vt proteruus, & impudens per os tuum assumere testamentum meum, sed spe humilis confortatus recurre priùs ad silentij munimentum.* Hæc ille præscripto cœcis silentio peropportunè, quippe pulchrè dixit Philippus: *Nondum pœnitudine congruâ: nondum sa-*

tisfactione diutinâ: quæ videlicet oculos non tenerè A sanos, sed valentes, & animum non mediocriter, sed exactè purgatum ostendat: ne qui *heri Simon Magus eras* (vt inquit Nazianzenus orat. de Episcopis ad fi- (*Nazianz.*) nem oper.) *Hodie Simon Petrus sis. Heu nimiam celeritatem! heu!*

AD EADEM VERBA, Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.

Regale fastigium suo iure à Principe exposcere, vt quò omnibus maior, eò omnibus melior sit.

ADNOTATIO V.

1 BENE quidem præcedenti adnotatione allatus Chrysostomus, vt adstrueret Regnum virtu- B tis esse, eique quidquid in humanis sublime, & hono- (*Chrysost.*) rificum censetur, omnino deberi, de Principe dicebat: *Non ideò sit melior, quia maior, sed ideò maior, quia melior.* At enim regno virtuti optimâ hac ratione semel dato, Regeq; ideò maiore facto, quia melior inuentus est: æquè quidem, & thesis hæc subsistit. Ideò melior, quia maior, vt nouâ subinde ratione Princeps omnimodæ iustitiæ, ac puritati ex ratione muneris incumbat, quòd hanc virtutis eminentiam suo sanè iure ab ipso regia dignitas exposcat, Imperatorē Iu- stinianum, sic disertissimè commonente Agapeto (*Agapet.*) Diacono in capitibus parænetticis cap. 53. tom. 2. Bibliothec. Veter. PP. *Quantùm potestate cæteris antecellis, tantùm factis etiā emicare ante alios enitere, persuasissimum enim habe, tam abs te postulari honestorum operum rationem, quæ magnitudine virium proportioni respondeant.* Nimirum honor, dignitas, siue munus eâ proportione se habēt C cum meritis, atque virtute, quâ basis cum imposita sibi statua, siue columna, quæ ipsi ad amussim hoc est omni ex parte aptari, & commensurari debet. Sanè vt ingens columna siue statua, perexiguæ, atque infirmæ basi non aptè innititur, sed magnam sibi substerni ex artis lege, & suo iure exposcit, ita & regium fastigium nisi egregiis virtutum meritis fulciatur, atque in eo subsident, qui cunctis melior sit, adeò non erit benè collocatum, vt à propria quidem sede exulare videatur, vti apud Stobæum serm. 43. sic dicebat So- (*Sophocles.*) phocles: *Multis indiget pulchris, egregiisque dotibus, qui honoratur egregiè.* Vel quid quæso à rationis præscripto, à natura, ab arte, à lege, à luce longiùs iuerit, quàm ingens columnæ pondus infirmæ basi aptari, siue supremum honoris, ac dignitatis culmen, atq; fastigium infimis meritis inniti? Confundas quidem ipsasmet voces, nominaque corrumpas, si dignitatem sine dignitate, sublimitatem gradus sine virtutum, ac meri- D torum sublimitate dixeris: hanc rationem ita vrgente Saluiano Massiliensi lib. 4. de Prouidentia: *Quid est* (*Saluian.*) *aliud Principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?* Ergo vt honorum distinguis gradus, ita & virtutum etiam gradus oportet, distinguas: vt illis hi per omnia respondeant: ne si secus fuerit, monstrum confingas; sic iudicium ferente Bernardo (*Bernard.*) lib. 2. de Consideratione ad Eugenium Pontific. cap. 7. *Et nunc audi canticum meum, & quidem minùs suaue, sed salutare. Monstruosa res gradus summus, & animus infimus, sedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus, & fructus nullus: vultus grauis, & actus leuis: ingens auctoritas, & nutans stabilitas.* Optimè hæc omnia Bernardus: sed hoc posteriùs *nutans stabilitas*, opportunissimè, vt ingens auctoritas siue dignitas, quæ debita proportione meritorum basi non inniti-

tur

a

tur quasi malè librata, & à proprio loco, & sede aberrans semper nutare, & collabi videatur.

2 Hinc quidem præfatâ adnotatione præcedenti [Dan.5.27] Danielis verba de Rege Balthassare regni non capace: *Appensus es in statera, & inuentus es minus habēs,* notantissimè à LXX. de ipsomet regno in statera appenso, & minùs quàm par erat habente sic leguntur: *Appensum est regnum tuum in statera, & inuentum est minùs habens.* Sed idémne fuerit (inquis) Regem, regnumque appendi? vt quod Hebræi, & Latini Codi- [LXX.] ces de Rege, LXX. de regno accipiant; aut æquúmne fuerit, vt quòd regnum minus in statera habeat, infelix Rex plectatur, & deficientis stateræ pœnas det? Ita planè, nec vna ab alia lectio vel hilum differt. Nimirùm cùm statera duas lances habeat; in quarum altera Rex, in altera commissum sibi regnum ponderentur, Regem in trutina suspendi, & minus habentē inueniri, quàm regium munus, & pōdus postulabat, idem omnino fuerit, ac regnum appendi, vt appareat, an eum Regem habeat, qui muneri omnino satisfaciat, easque virtutes afferat, quæ Regem efficiunt. Vnde regni lancem plus momenti in statera habere, idem est, ac Principem minus habentē inueniri. Hæc [Isai.40.12] mirificè firmat Isaias cap. 40. 12. de Deo inquiens: *Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera:* siue vt ex Hebræo fonte [Pagnin.] vertit Pagninus: *Quis ponderauit mensurâ puluerem terræ, & librauit in regula mōtes, & colles in statera:* vbi primùm montes cum puluere, aut mole terræ conferri, vt supra ipsum efferantur, Reges ac Principes adumbrate, tum ea Domini locutio ad Iehu indicat 3. Reg. 16. 2. *Pro eo quòd exaltaui te de puluere, & posui te ducem super populum meum Israel:* tum etiam frequentissima apud scripturam, & Patres aptata Principibus montium [Psal.71.3.] imago demonstrat: sic enim Psalm. 71. 3. apertissimè: *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam:* vbi Agellius: *mōtium appellatione (inquit) regna maiora Regésq; potentiores rectè intelligimus: collium verò submißiora imperia, & humiliores Principes qui populo Dei muneris loco pacem, & iustitiam ferent.* Deinde dum hi, in statera certo pondere atque mensura librari, & ponderari dicuntur; regiis quidem dotibus, atque virtutibus institui, vt debita muneri momenta habeant, & imperij capaces sint, ne regni lance præponderante minus habentes inueniantur: manifestum videtur: sic elegan- [Nouatian.] tissimè hunc locum explicante Tertull. siue Nouatiano lib. de Trinitate cap. 3. inquiente: *Quis expendit montes in pondere, & nemora in statera: id est, certo diuinæ dispositionis examine, ne facilè in ruinam procumberet magnitudo inæqualiter iacens, si non paribus fuisset librata ponderibus.* Vides hanc Isaiæ stateram eamdem cum illa Danielis esse? eamdemque vtriusque rationem, vt Princeps pro suo fastigio ponderetur, ne magnitudo inæqualiter iacens facilè in ruinam procumbat. Planè quasi regium fastigium iniuriâ affectum alium sibi Principem, qui debitas muneri virtutes afferat querulis vocibus continuò exposcat, ad eum planè modum, quo Tertull. li. *de corona militis*, dicebat illustriores, & honorificentiores coronas, maiora, & digniora capita perquirere, vt aptè sibi inuicem vtraque responderent: *Sunt & prouinciales coronæ aureæ* (ait) *imaginem iam, non virorum capita maiora quærentes,* ac proinde minoribus minimè quidem contentæ. Cui sanè cogitationi omnino subscribit Theodoricus [Cassiod.] Rex apud Cassiodor. lib. 5. variarum epist. 40. apposita gemmę annulo inclusæ imagine sic id explicans: *Gemmarum diuites venæ auri fulgore pretiantur, & gloriam pulchritudinis capiunt, quia nulla degeneri vicinitate sordescunt. Sic bona merita splendidis dignitatibus sociata alternis præmiis adiuuantur, & vnius rei facies de addita sibi venustate pulchrescit.* Pulchrè quidem: vt adstruat omnimodam proportionem, & cōuenientiam inter Regni fastigium, & Regem ipsum pręrequiri, vt vtraque & honoris, & virtutis laus ad æqualitatem honoratę sint: nō secus ac auri annulus non nisi pretioso lapide contētus erit: quòd si pro gemma, vitrum, aut triuialem lapillum illi incluseris, adeò non ornatus fuerit, vt degeneri vicinitate sordescat, ac proinde debitam sibi gemmam mutis vocibus indesinenter exposcat. Ad quem etiam modum ipsemet Rex libr. 1. epistola 4. cùm eumdem Cassiodorum ad Patritiatus suggestum eueheret, Senatumque vrbis Romæ hac de re admonēs dixisset: *Hinc est quòd Cassiodoro illustri & magnifico viro præcipua in Repub. claritate notißimo Patritiatus dedimus pro remuneratione suggestum, vt per honorem magni nominis declarentur merita seruientis.* Subiicit: *qui nō fragili felicitate prouectus fortunæ ludo ad apicem fascium repentinis succeßibus euolauit, sed vt crescere virtutes solēt, ad fastigiū preconij conscendit gradibus dignitatū:* meritis videlicet, & virtutibus gradatim fastigiis respondētibus.

3 Hæc mirè firmat Michæas cap. 6. 2. vbi eâdem [Michæa 6.2.] mōtium imagine vsus Principes sic omnino alloquitur: *Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamēta terræ.* Vbi si sermonis seriem attēdis, & S. Cyrilli Ale- [Cyrill. Alex.] xand. & aliorū PP. explicationi hęreas, videris Vatem vtrâque montium, & fundamētorum imagine Principes significasse. *Vt per colles* (inquit Cyrillus) *Principes populorum quasi in fastigio locatos aliis eminere, eosdem quoque fundamēta intelligamus.* Sed quid rogo montium, & fundamentorum imagini commune fuerit? cùm illi à culmine, hæc à basi in imo stratâ suam habeant vim, & significationē? Num hæc id portendunt, quod alibi dicemus ex Augustino, *mensuram dignitatis sumendam* [August.] *à mensura humilitatis*: sic ipsemet alio loco ait: *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis.* Benè id quidem dixeris, sed opportuniùs modò montis imaginem ad honoris fastigium, fundamenti verò ad meritorum firmitudinem, quibus illud inniti debet, *ne facilè in ruinam procumbat magnitudo inæqualiter iacens,* omnino retuleris: vt quemadmodū non aliter intelligitur mōtis altitudo, quàm supposita illi concipiatur fundamenti sui basis, ita nec Regia possit dignitas pro dignitate consistere, quin firmissimis virtutum meritis innitatur, tantumq; virtutis Principi, quantùm honoris subsit. Ita hęc inibi sic monente Cyrillo: *Qui enim regionibus præsunt, sicuti sunt gloriâ alacres, & in honorum culmen sublati: sic etiam sunt fundamenta hoc est firmamentum, & basis.* Et verò, vt in monte: siue in ædificio priùs fundamentum, quàm altitudo cogitatur: ita planè non priùs honoris culmen, quàm meritorum dignitas in Principe concipi debet: pulchrè huic cogitationi non semel subscribēte Theodorico Rege apud Cassiodorum: quippe lib. 1. [Cassiod.] epist. 4. Romano Senatui hunc in modum rescribebat: *Hos viros nostra perscrutatur intentio, in quibus velut figuratis honorum vultibus, clementia vestra serenitatis exprimitur.* Pēde illud *figuratis honorum vultibus*: quę eo quidem eunt, vt altitudo, & fundamentum: honor scilicet, & meritum se mutuò respiciant, & alterum in altero figuratum sit: isque Princeps dignè existimetur, in quo Principum virtutes delineatę, & suis veluti vultibus figuratę conspiciantur. Ad quem etiam modum idem Rex libr. 1. epistola 13. cùm illustrē virum Eugenitem Magisterij honore ornaret, inquit: *Atque ideò Eugenitem illustrem virum literati dogmatis opinione fulgentem magisterij honore subueximus, vt gereret nomine, quam poßidebat meritis dignitatem.* Optimè id, *quam possidebat meritis dignitatem.* Vt adstruat duplex regnum, duplicem Principatum, duplicem dignitatē, alteram à meritis, alteram à munere, ne hanc sine illa subsistere, priusque meritis Principem, quàm honoris fastigio esse debere. Vnde sapienter subiicit; *Dedimus itaque*

Velasquez in Psalm. centesimum.

I 2

qui personam tanti honoribus parem, vt alterutro decore A *fulgentes mutuâ se gratiâ qualitatis ornarent.* Montis scilicet culmine eius fundamento, necnon fastigio basi ad inuicem respondentibus: aliter sanè omnino structura Magnitudine inæqualiter iacente. His verò mirum est, quàm disertè adstipuletur Gētilis Plutarchus Plutarch. in Commētario, *in Principe requiri doctrinam.* Vbi cùm Principes improbos, atque superbos cum ingentibus statuis, & Colossis composuisset, qui cùm foris heroïcam, ac diuinam quamdam speciem præ se ferant, intus pleni sūt terrâ, lapide, plumbo; subiicit: *Nisi quod istud Colossorum pondus rectitudinem illorum stabilem, & immotam seruat, at ineruditi Duces ac Principes propterea quòd intus malè librati sunt, sæpenumerò vacillant, ac subuertuntur: etenim cùm basi non rectè posita sublimem superstruunt potestatem, simul cum ipso pondera nutant; & ad ruinam inclinantur.* Sic ille. Quid opportunius?

Huc aduoco celebrem Crucis Christi Titulum super eius caput signarè positum, quâcumque illum ex B parte legeris: *Et imposuerunt* (ait Matth. c. 27. 37.) *super caput eius causam ipsius scriptam. Hic est IESVS Nazarenus* Matt. 27. 37. *Rex Iudæorum*, Nam etsi, vt duabus insque diuersissimis manibus fuit conscriptus, ita duplici obiectus luci, duos & quidem inter se omnino diuersos sensus habeat: at nostro instituto æquè vterque opportunus est: & sensu quidem Pilati in sequentē adnotationem transmisso, quid Dei manus, iudicis manum dirigens Maldon. significare voluerit, sic optimè expendit Maldon. in cap. 27. Matthæi versu 37. *Non dubito quin Pilatus his verbis:* Hic est IESVS Nazarenus Rex Iudæorum *nihil aliud significare voluerit, quàm quod scribi Iudæi postulabāt. Hic est IESVS, qui se Iudæorum Regem fecit: sed diuina effecit prouidentia, vt id illis diceret verbis, quibus Christus verus Rex Iudæorum esse significaretur. Extorsit Deus ab inuito iudice veritatem.* Vbi omnino obserua, veri Regia maiestatem suam implentis titulum non alibi quàm supra ipsius Regis caput positum fuisse. Sed quò mysterio? C Planè vt inde admoneantur Principes, magnam se suo muneri, regioque fastigio reuerentiam debere, nec nisi super caput suum gestare illud posse: quod videlicet ab ipsa dignitate tum ne aliquid committāt, quod à vitæ p[...]te exerret, velut manu teneantur, tum ad egregia virtutum opera regiâ maiestate digna indesinenter exercenda stimulentur. Sic id disertissimè commouente Gregorio Nazianzeno orat. 27. Nazianz. *Imperatores purpuram reueremini, cognoscite, quantum id sit, quod vestræ fidei commissum est, quantumq́; circa vos mysterium Orbis vniuersus manui vestræ subiectus est diademate paruo, atque exiguo panno retentus.* Pende illud: *Purpuram reueremini.* Vt dixerit Theologus, eamdem Principes muneri suo, quam ipsis subditos, reuerētiam debere, vt quemadmodum hi nihil in eos, nec verbo, nec facto committunt, sed summâ eos in veneratione, & in oculis habent, ita Principes purpuram, siue tamquam pædagogum, siue tamquam superiorem D alium Regem reuereantur: quasi ex munere, & regiâ magnitudine ad prauos affectus comprimendos, & virtutem pro viribus sectandam premantur. En regni titulum supra caput positum. Quod etiam significauit præfato loco Agapetus post allata verba, hæc In- Agapet. stituendo Principi subiiciens: *Vt igitur à Deo, quasi per præconem Victor declareris, coronâ inuicti Imperij tuo capiti impositâ, coronam etiam ex promerendis adquirito.* Vt nimirùm meritorum, virtutumq́ue corona, regiæ capitis coronæ respondeat, & merita fastigio adæquentur. Nec minus opportunè locutus videtur Ambro- Ambros. sius libro de dignitate Sacerdotali cap. 3. inquiens: *Magna sublimitas magnam debet habere cautelam. Honor grandis grandiori debet sollicitudine circumuallari. Cui plus creditur, ab eo plus exigitur.* Vides, vt purpuræ magna reuerentia, magna cautela, magnaq; sollicitudo debeatur?

AD EADEM VERBA,

Regiam dignitatem à Principe virtutem supra humanam exposcere.

ADNOTATIO VI.

1 ENIMVERÒ pergit citato loco Nazianz. & Nazianz. quantam suo muneri Reges reuerentiam debeant sic omnino aperit: *Subditis vestris deos vos præbete, liceat enim audacius aliquid dicere:* Quod perinde est, ac si dicat: Quando Dei vicem, & imaginem ea regio munere in terris geritis, atque eius in homines potestatem exercetis, diuinos etiam mores æmulamini, ac perfectam Dei imaginem virtutibus expressam in vobis ostendite, vt honoris coronæ, meritorum corona respondeat. Quò rursus facit Ambrosij obseruatio de titulo Crucis, ideò videlicet super caput Christi signarè positum (ait ille lib. 10. in Lucam) *quia caput Christi Deus*, 1. ad Corinth. 11. 3. quasi ad Nazian- 1. Cor. 11. 3. zeni sensum, sic purpuram suam, & regiam dignitatem Rex Regum fuerit reueritus, vt non tantùm humanam innocentiam, quæ omnibus numeris absolutissima extitit, sed ipsammet diuinitatem suo muneri addicere, & veluti oppignorare voluerit. Quare non abs re eum dicendi modum, *& imposuerunt super caput eius*, sub eo sensu acceperis, quo forensi locutione cùm quis censum vendens, siue cōstituens certa bona sua, puta domum, agrum pro solutionis securitate hypothecæ addicit, *super* ea bona, quæ vt pignus, & hypotheca debito obligata sint, *imponere* dicitur, vt dixerit Matthæus *super caput*, id est, super diuinitatem Christi tamquam super hypothecam, titulum regni eius inniti, vt ipsa diuinitas Regis titulo, & nomini obligata, & oppignorata sit. Iam cum hoc Regni Christi titulo compone illa verba Saluiani: *Quid est aliud Prin-* Saluian. *cipatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine?* Quippe regni Christi titulus adeò non est sine homine, vt simul etiā cum Deo sit: notanter enim Dominus suæmet diuinitati regnum suum substrixum esse voluit, vt Principibus exemplo, & documento esset, debere illos moribus deos siue diuinos sese præbere. Cui sanè cogitationi omnino subscribit Moyses Num. 11. 14. dum sese regendo populo imparem agnoscens sic Deum precabatur: *Non possum solus sustinere omnem hunc populum: quia grauis est mihi:* siue vt legit Paguinus: *Quia supra vires meas est.* Sed obserua hæc à Chrysostomo Hom. *de Spiritu sancto* tomo 3. sic efferri: *Non possum ferre pōdus huius populi, ordina alium temetipsum.* Notatissimè quidem, quasi regendis hominibus non alius quàm qui Dei mores habeat, & Deus quodammodò fuerit suppar esse possit. Quare compone ea verba *supra vires meas est*, cum his, quæ pro il- D lis reponit Chrysost. *Ordina alium temetipsum*, is enim ex vtrisque resultat sensus: hominis virtutem regno imparem esse: nam si aliquis homo regno foret idoneus: is quidē Moyses esset. Vnde opus fore vt Deus seipsum gubernationi accommodet, siue diuinam virtutem Principi tribuat. A quo sanè sensu, nec illi Ammonitæ à Dauide expugnati abibant, qui eâdem coronâ vtrumque & Regis, & Dei sui Melchom caput ornabant. Etenim pro iis verbis quæ de Dauide habentur lib. 2. Regum cap. 12. 30. *Et tulit diadema Re-* 3. Reg. 12. 30. *gis eorum de capite eius pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, & impositum est super caput eius*, apud Paralipomenon lib. 1. c. 20. 2. est: *Tulit autem David coronam* 1. Paralip. 20. 2. *Melchom de capite eius*, &c. Nimirùm non aliud caput censebant coronæ suæ Regem afferre debere, census scilicet, dotes, atque virtutes, quàm quod Dei caput, census, atque virtutes æmularetur: id quod etiam immensum

immensum illud auri pondus, & pretiosissimæ gemmæ adumbrare videbantur, vt corouam Imperij sicuti dicebat Agapetus meritorum corona metiretur. Quo forsan acumine punctus Dauid eam etiam capiti suo coronam aptauit, vt quamuis à cultu Melchom esset alienissimus, Ammonitarum tamē sensum in diuinis motibus imitandis exprimere, & qui Dei personam, & vicem se gerere in terris cognoscebat ad Dei etiam virtutes exhibendas, & ostendendas se teneri profiteretur.

Ioan. 15. 24. 3 Huc quidem signatissimè facit ea Domini de impiis Iudæis fidem sibi non habentibus querimonia; Ioan. 15. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem excusationem de peccato suo non habent.* Vbi primùm vt huius sententiæ vis omnino subsistat, pende cum Chrysostomo *(Chrysost.)* inibi illud: *Quæ nemo alius fecit*: id est, quæ à sæculo, nec visa, nec audita fuerant: nam *à sæculo non est auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati.* Ioan. 9. 32. *(Ioan. 9. 32. Matth. 9. 3.)* similiter, linguâ muto restitui; *nunquam sic apparuit in Israel.* Matth. 9. 3. vt & quatriduanum Lazarum ab inferis exsuscitari, via in hominum cogitationem cadere potuit. Iam de toto Christi sententia meritò ambigas, quonam modo ij, qui in eum credere noluerunt, *peccatum non haberent*: si Dominus opera non fecisset in eis quæ nemo alius fecit? Etenim, si is qui Moysi, aliive ea Prophetis Dei nomine loquentibus non credidisset, dubio procul peccasset, quo pacto immunis à peccato esse posset fidem non faciens Christo etiamsi æqualia tantùm opera ac Moyses fecisset? Sed facilis est & ad manum ex Christi mente responsio, ideò illos peccatum non habituros nisi Dominus, *ea in eis opera fecisset, quæ nemo alius fecit*, quod ipse multò plus ab eis, quàm Moyses, & alij Prophetæ exegerit, nimirum vt eum pro Dei Filio haberent. Quare iure eum maiora quidem, ac illustriora quàm omnes miracula exhibere debuisse, qui maior illis haberi voluit, vt eminentioris honoris fastigium eminentiori meritorū basi responderet. Secus verò aliqualem impios illos excusationem habituros, si ei æqualia ac Moyses, & Elias opera perficiēti præmia ipsi meritis coæquantes æqualem ac illis honorem deferrent. Hæc sic adnotante Chrysostomo *(Chrysost.)* in Catena Græca: *Omnem eis auferendo excusationē hæc dixit*: Nunc autem excusationem de peccato non habent: *Nec enim simpliciter signa dixit, sed quæ* nemo alius fecit, *& ipsi horum testes sunt, cùm dicant: Nunquam sic apparuit in Israel, nec auditum est à sæculo quod quis aperuit oculos cæci nati.* Vides, quomodo Princeps pro sublimiori dignitatis suæ gradu ad illustriora virtutū opera debeat contendere? quando ipsemet Dei Filius debitum sibi aliàs honorem non nisi ex illustrioribus operibus sibi vindicare voluerit, *personam*, vt dicebat Theodoricus, *tantis honoribus parem* afferens. Sanè hîc non omnino abs re aptaueris eam rationē, quam vrgebat Tertull. *(Tertull.)* in Scorpiaco cap. 6. vt Christianos ad perfectionem indefesso studio arripiendā, quin vllam sibi lineam præfinirent, sumpta argumentatione à mundanis hominibus, qui in sæculi honoribus adipiscendis nullâ mediocritate contenti maiora, & splendidiora quotidie ornaméta desiderant, stimularet. Sic enim ille: *Nonne oportebat, Christianorum fidē habere aliquem spei cumulū, cui studium suum cogeret, votumq; suspenderet, quo eniteretur ascendere, cùm terrena quoque officia in gradu æstuent.* Hæc siquidé ratio æquè Principem stringit. Etenim dum Tertullianus ait, minimè licere fidelibus in gradu hærere, cùm prophani in gradu æstuēt, & ignita crescendi appetitione inflammentur, simul adstruit, Principi, qui non in gradu, sed in supremo culmine atque fastigio est, tantâ contentione ad perfectionem eundum, vt in gradu illius semper æstuet. Quomodo enim ei secundus locus non omnino displiceat: qui ex munere ad primum regio fastigio respondentem aspirare deberet?

4 Præfatam verò Domini sententiam egregium Ipsius factum omnino firmat, cùm videlicet, iis qui ipsum sequebantur magnificum illud in deserto conuiuium instruxit: nec enim contentus fuit esurientium hominum millia exsaturasse, duodecim etiā fragmentorum cophinos superesse voluit, Ioan. 6. 13. *(Ioan. 6. 13.)* Quod si ad hanc tam coagitatam, & supereffluentem mensurā aliquis mussitauerit Iudas: *Vt quid perditio hæc?* Nónne satis fuerit, dedisse quod singulorum necessitati congruebat? nec miraculum, supra id quod opus erat, quasi ad ostentationem, & iactationē extendere; scité occurrit Victor Antiochenus in c. 6. Marci respondens, non frustra, & sine causa, sed iusta ratione, & de industria tantâ populis liberalitate à Domino annonam fuisse diuisam, quæ præsentis necessitatis terminos excederet, vt quò ipse & Moyse, & Elia maior haberi volebat, eò illustrios, quàm illi ederet miraculum, cùm eorū alter populū mannâ, alter viduam farinâ non nisi iusta necessitatis terminos sustentassent. Audi Victorem *(Victor.)*: *Tantam reliquiarum vim facere visum fuit: nimirùm quò publicè hinc constaret, tantam rerū abundantiam magis prouenisse ad ostentandam facientis virtutem, quàm ad explēdam præsentem populi necessitatē. Moyses quondam manna Israelitis suppeditabat. verùm id tantùm ad necessarium vitæ vsum, siquidem quod plus eo colligebatur, hoc statim in putredinem vertebatur. Sic Elias quoque viduæ farinam, & oleum multiplicauit verùm tantisper hoc solum, &c. Quò ergo discrimen inter hos & illum appareat, magnam residuorum copiam reliquam fecit, ita vt illi etiam, qui saturati fuerant, reliquiarum vim admirarētur.* Obserua illud: *Quò ergo discrimen inter hos, & illum appareat*: Vt videris ad honorum discrimen, virtutum etiam, & clariorum operum discrimen esse debere, vt pro fastigij eminentia, virtutis etiam præstantia sit.

5 Sed & alibi idem Dominus egregiè in hanc rem emphasi locutus videtur, cùm importunissimam calumniam, quam ei Sabbato curanti importabant Iudæi, sic ex summi Patris exemplo repellebat: *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Ioa. 5. 17. *(Ioan. 5. 17.)* ac si diceret: Ego ad Patris mei imitationem me compono: cumq; ipse omnibus diebus operetur, quin vnquam à benefaciendo se contineat, cur non & ego omni etiam die non benefaciam, & ægris sanitatē reddidero? At enim vt huius sententiæ acumen nostro instituto opportunum subsistat, obserua, quid idem Dominus iisdémet delatoribus eamdem calumniam Apostolis inferentibus, quod suo victui Sabbato vellerent spicas apud Lucam c. 6. respondeerit: *(Luca 6. 3.)* *Nec hoc legistis quod fecit Dauid cùm esuriret ipse, & qui cum illo erant? quando intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, &c.* Idest, vt inquit ad ea verba Remigius *(Remigius.)*: *Si Dauid sanctus, & Abimelech Summus Pontifex non reprehenduntur à vobis, quare discipulos meos reprehenditis?* Vbi mirum alicui videatur, quàm aliter se, ac discipulos suos in eademmet causa, & accusatione operandi videlicet in Sabbato Dominus excusauerit: dum illos Dauidis, & militum eius facto protexit: se verò nonnisi summi Parentis exemplo communiuit. Sed non quidem immeritò: nam vt eadem Domini, & discipulorum causa, & accusatio fuerit; at non eadem, sed lōgè alia personarum dignitas erat; ille siquidé in altissimo diuinitatis subsistebat fastigio. hi verò in seruorum ordinē censebantur: ideò pro sublimiori personæ dignitate, maior, nec aliunde quàm ab ipsiusmet Dei Patris exēplo petita debuit adhiberi defensio: tantùm non dicens Dominus: Cùm ego, quòd cæli & terræ Rex sim, grauioribus vinculis tenear, ne ab omnimoda puritate nec latum vnguem discedam, egregiaq; opera perficiam; non opportunè iis rationibus quibus se mei

discipuli à coxa vindicabant, mea facta cómoniam, sed iis omnino quæ meæ dignitati, atque diuinitati respondeant. Hæc sic præstringente Chrysostomo Hom. 57. in Ioan. *Quando pro discipulis respondebat, eorum conseruilis Dauid testimonio vtebatur.* Numquid legistis, quid fecerit Dauid quando esuriit? *Pro se verò ad Patrem confugit, cui se in omnibus similem indicat.* Altius ergo fastigium, perfectiora ornamenta exigit, & quod in cæteris excusabile censetur, excusationem in Principe non habet.

Chrysost.

AD EADEM VERBA,

Principem debita Regiæ dignitati merita non afferentem, vt maioris criminis reum esse, ita certissimo, & seuerissimo supplicio manere obnoxium.

ADNOTATIO VII.

AD eò quidem Principatus fastigio excelsa virtutum merita debētur, quò ipse vi subditis maior, ita melior sit, & quantùm dignitatis vertice ad auras tendit, tantùm meritorum radicibus innitatur: vt si ab virtutis studio, & contentione deficiat.

Monstrum horrendum ingens

Bernard. Bernardo auctore, vt iam vidimus, esse videatur: nimirum ille disertissimè dicebat: *Monstruosa res, gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otiosa; sermo multus, & fructus nullus: vultus grauis, & actio leuis, ingens auctoritas, & nutans stabilitas.* Vt dicerit, vt à natura hæc sibi omnino respondēt, gradui summo, summus animus; sedi primæ, vita maximè perfecta; linguæ leges danti manus legibus implendis diligenter operam nauans; graui vultui, egregia morum grauitas; ingenti auctoritati, firmissima virtutum stabilitas: ita quidquid ab hac naturæ regula deflectit, monstrum esse, non secus ac hominem capite, pedibus, ac manibus truncum. Quod quidem nec geotilem latuit Satyrographum: Principem virum virtute destitutum cum trunco simulachro ita componentem Satyra 8.

Iuuenal.

Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Herme,
Nullo quippe alio vincis discrimine, quàm quod
Illi marmoreum caput est, tua viuit imago.

2 Firmat hæc primùm dutissima illa increpatio, seuerissimumq; supplicium de infelici illo sumptum, qui ad regales epulas inuitatus, nuptialem vestem non attulit. Matthæi 22. 12. *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Et statim: *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Nimirum, qui antequam regiam aulam ad nuptiale conuiuium intraret, minimè fuerat increpitus, quòd splendidam, & pretiosam vestem non gesserit, nec vllas eam ob causam pœnas dederat; in nuptiarum tamen locum semel introductus, grauissimè punitur, quod vestē loco opportunam, & conuenientem, id est, ea virtutum ornamenta, quæ celsiorem locum, & dignitatē summum decent, non attulerit: quippe vt vestis, siue indumentum ad mores, & virtutes omnino refertur: *Indumentum enim* (inquit Chrysostomus homil. 70. in Matthæum) *virtutis actio est*: ita, alia quidē priuati hominis, alia Regis indumenta, siue animi ornamenta sunt; quippe ea monere, & professione ad excelsius vitæ genus, & clariora opera vocatur. Hæc ita obseruante Auctore Operis Imperfecti apud Chrysostomum homil. 41. vbi cùm allatis Pauli verbis ad Ephesios 4. 24. *Induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est, in iustitiā, & sanctitate veritatis*: dixisset: *vestimenta vnius homini sum fortia, & decora opera spiritus incorruptibilia, & sancta.* Inde sic admonet: *Homo itaque,*

Matth. 22. 11.

Chrysost.

Auct. Op. Imperf.

Ephes. 4. 24.

aut secundùm locum eligat vestem, aut secundùm vestem eligat locum: id est, aut secundum vestem eligat professionem, aut secundum professionem faciat opera. Optimè. Quomodo enim acri reprehensioni, seueroque supplicio obnoxius non sit, qui inter ignobiles hæret, cùm primo loco natus ad omnia magna legitur, & tot muneris auspiciis, tot adiumentis, praesidiis ad perfectiorē vitam incitatur, & instruitur? A quo non iniret ea militiæ lex, cuius meminit gentilis Themistius oratione 7. *Neque chlamyde, & zona tenus quis miles habetur, sed aut sem præstare debet ordine, ad quem seipsum aggregauit, aut ab illo arcetur.*

Themist.

3 Dixit id magno verborum pondere Salomon Sapientiæ 6. 7. vt Principes, & Magnates ad omnimodam puritatem, & sapientiæ amorem vrgeret. Etenim cùm præmisisset: *Quoniā iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Subdit: *Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur:* vbi & pro exiguo benè vertit Vatablus *plebeio*: & pro *conceditur misericordia* Græcè propriè habetur: *dignus est veniā misericordi*, siue vt legit S. Macharius Senior homil. 29. *Minimus misericordiā, veniàque dignus est.* Planè quasi Princeps illā dignus non sit, sed accuratā, & seuerā inquisitione, & punitione. Vnde S. Antonius Abbas in Melissa libr. 2. serm. 2. *de Rege iniquo*, & eodem ductu Procopius in c. 2. Isaiæ sic hæc efferunt: *Iudicium seuerè fit in eos, qui præcellunt aliis: minimus enim veniā, & misericordiā dignus est, sed potentes potēter examinabuntur.* Planè quasi Regis, & plebeij paria ex genere suo, vt aiunt, peccata, impatia quidē ratione muneris, atque dignitatis sint: maiori omnino examinationi, acriori reprehēsioni, & seueriori supplicio Principe manente obnoxia. Ita vrgentibus hæc verba Hieronymo, Procopio, illo in Iudam Apostolum, & Principes Sacerdotū, hoc verò in Reges Israel. Sic namq; ex Hieronym. lib. 2. aduersus Iouinianum: *Eiusdémne tibi sceleris videtur reus Annas, & Caiphas, & Iudas proditor, cum & Pilatum, qui nolens compulsus est contra Dominum ferre sententiam? Quantò maiora meriti fuit Iudas, tantò maioris criminis est; & quantò maioris criminis, tantò maioris & pœnæ.* Potentes enim potenter tórmenta patientur. Ita Hieron. Ad quem modum Procopius, cùm comprobasset hæc verba cum illis Domini apud Lucā 12. 48. *Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Principibus grauiores ob peccata sua pœnas dandas sic accommodat: *Cùm enim multa in illos Deus contulisset beneficia, illi sese indignos præstitêre.* Vbi omnino vides, potentiam siue regiam dignitatē, quam virtutes, & merita non implent, & supplicio & pœnā impleri, & dū plebeij, & obscuri homines veniā misericordi digni habentur, potentes, & magnates, quòd rerum potentes fuerint, potenti examine, & punitione plectū: quasi in ipsis potentia, & dignitas puniatur, siue potiùs ipsamet potentia potenter eos puniat: id est, grauioris punitionis occasio fit. Ita hæc verba premente indicato loco, S. Machario: *Pro modo beneficiorum collatorum tam corporis, quàm spiritus, siue scientia, siue intellectus, siue discretionis indicaturus vnumquemque virtutis fructus exiget, ac pro dignitate cuiusque reddet iuxta opera eius,* &c.

Sap. 6. 7.

Vatabl.

Lect. Græc.

S. Macha.

S. Anton.

Procopius.

Hieronym.

Procop.

Lucæ 12. 48.

S. Macha.

4 Cui cogitationi disertissimè subscribit Chrysostomus elucidās ea Vatis verba Psal. 11. 9. *Secundùm altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*: vbi cùm verbum, *multiplicasti* intellexerit, *magnificasti* (quæ est significatio Hebræi, & Chaldæi verbi) eam his verbis reddit sensum: Deum Principes viros suæ quodammodò altitudini in terris exæquasse, sibiq; similes effecisse, diuinam videlicet imaginē magnificè gestantes, suasq; vices, & potestatem splendidè gerentes. *Similes tui* (inquit) *effecisti, quatenus fieri potest, vt homo sit similis. Quod ipse enim est in cælo, nos in terrā: & quemadmodum*

Psal. 11. 9.

Lect. Heb.

Chrysost.

dum supernè nullus est eo superior, ita nullus in terrâ est huic similis. Ex his verò ad regiam dignitatem cõmendandam, atque extollendam speciosè dictis, illa grauissimum timorem incutientia infert: *Cùm ergo considerauerimus honoris magnitudinem, quam par est, prabeamus pro eâ remunerationem, ne nobis habitus honor insigna, sit nobis viaticum futuri supplicij.* Vt dixerit fastigij altitudinem, aut virtutibus, & egregiis operibus à Principe exhibitis, aut seueris suppliciis à Deo illi inflictis omnino fore remetiendam. Sed expende egregium dicendi modum: *sit nobis viaticum futuri supplicij*: nam in primis viaticum iuxta magnorum Scriptorum vsurpationẽ idem est, ac magnus apparatus: sic dixit Qu. Claud. in Annal. *Simul formâ, factis, eloquentiâ, dignitate, acrimoniâ, confidentiâ, pariter pracellebant, vt facilè intelligeretur magnum viaticũ.* Vt dixerit Chrysost. Principes, & potentiores, non qualuis pœnas, sed grauissimas, quibus magnus apparatus subsit, subituros: vt potẽtiæ, & dignitatis apparatus, quem habuerunt, suppliciorum, & tormentorum apparatus, & pompa sit, siue vt vacuam meritorum altitudinẽ pœnæ grauitas repleat. Quam planè emphasim habens illa verba, *potẽtes potenter tormenta patientur*: potentiâ pœnarum, potentiæ regiæ respondẽte. Sed enim, si viatici vocem pressè, & propriè acceperis: omnino significas subsidium pecuniæ, & instrumentorum, quod nobis ad cõficiendum iter necessarium est. Vnde sanctissima Eucharistia cùm morituris communicatur, quæsito, & accurato vocabulo *viaticum* appellatur, tamquam magno illi itineri conficiendo egregium, diuinumq; subsidium, quod futuræ gloriæ pignus sit, iuxta quam significationem emphaticè dicitur à Chrysostomo eum qui dignitati, quam gerit, debita merita non affert: adeò sibi noxium, & infensum esse, vt videatur sibi supplicij viaticum, certissimum videlicet pœnæ pignus accipere, atque ad mortem per proprios pedes ire: vt meritò illum, non secus ac infirmum, qui viaticum iam accepit, in summo vitæ æternæ discrimine indesinenter versari existimaueris. Caue Princeps à tali viatico.

Q. Claud.

5 Dixeris quidem Moysem hoc sibi viaticum supplicij sumpsisse, cùm à Deo in Principem populi electus, pergensq; in Ægyptum, vt cõmissum sibi munus exerceret: *Cùm esset in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Exodi 4.24. Enimverò dũ ad hunc locum PP. & interpretes ambigunt, cur Angelus Dei nomine Moysem vellet occidere, cùm nulla ibi mortis causa, aut occasio manifesta sit? Aliique eò referunt, quod vxorem ipse suam secum duceret, alij verò ideò euaginato gladio Angelum mortem intentasse velint, vt maiori hoc timore incusso Pharaonis metum, vt clauum clauo truderet: probabilius, & textui vndequaque maximè opportunum est, quod Tertullianus, Isidorus Pelusiota, Rupertus, Lyranus, Abulensis, & Caietanus apud Pereyram, & Cornelium aiunt, non alia ratione Angelum illum interficere voluisse, quàm quòd filium suum iuxta Domini præceptum Genes. 17.12. nõ circumcidisset. Quæ ratio inde omnino subsistit, quod subiiciat statim Scriptura, Sephoram arreptâ acutissimâ petrâ filij circumcisionẽ perfecisse, moxq; Angelum, quasi iam sibi esset satisfactum, Moysem liberum dimisisse. Sed enim rursum hîc iure dubitaueris, cur antea hæc culpa Moysi obiecta non fuerit, nec mors ei ob illã intentata, cùm iam diu id facere, neglexisse videatur, qui tunc infantulum iam adolescere incipientem circumcidit? Sed ad manum est responsio ex Salomonis verbis: exiguum siue plebeium veniâ misericordi dignum esse; potentem verò potenter examinari, atq; puniri. Nimirum dum Moyses exiguus, siue priuatus erat, vt rem debitã neglexerit: facilè à misericordi Deo veniã donabatur: at, cùm secundùm Dei altitudinem magnificatus est,

Exod. 4. 24.

Tertull. Isid. Pel. Rupert. Lyra. Abulens. Caietan. Pereyr. Cornel.

vt Deus Pharaonis esset, accuratissimè examinari, & puniri debuit, qui altitudinem dignitatis, quam accepit, omnimodâ diligentiâ, & studio puritatis non impleuit: ita id monentibus ex Tertulliano Cornelio, & Pereyra. Pergit verò S. Anast. Nicæn. q. 35. in Scripta & hac eâdem de causâ, ipsum ingressu terræ promissionis ob leuius verbi erratum fuisse prohibitũ, quod aliis non eueniat Num. 20.12. Deut. 1.37. ex eisdẽ Salomonis verbis sic firmat: *Per hoc nos docet Deus, quod ab his, qui sunt in virtute perfecti, Deus exigit perfectionẽ & in alios homines, qui magna admittũt scelera, est lenis, & clemens: sanctis non dat hanc veniam. Hoc enim dixit sapiens;* nam minimo quidem concedenda est misericordia.

Anastas.

6 His illa omnino persimilia sunt, quæ tã de Angelis apostatis, quàm de viris Principibus maiestatem suam virtutibus nõ implentibus dixit Apostolus Iudas, tũ de illis sic in primis v. 6. *Angelos verò qui non seruauerunt suum Principatũ, sed dereliquerunt suum domiciliũ in iudiciũ magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Notanter illud: *non seruauerunt suum Principatũ*: eâq; de causa durissimũ iudicium subituros: & verò non frustrà ambigas, quid fuerit, Angelos desertores suũ non seruasse Principatum? qui illi adeò tenaciter adhæserunt, vt vel eâ ratione euanuerint in cogitationibus suis, vt quẽadmodum Bernardus serm. 17 in Cantica ait: *Homini in lucere suo inuidit, & molestum est habere subiectos socios dedignatus.* Subsistit verò Iudæ locutio: perinde enim fuit dicere, suũ illos Principatum nõ seruasse, ac digna Principatu merita nõ habuisse: nec aliud tinnit suum domicilium dereliquisse, ac, nõ pro fastigij sui magnitudine, se fuisse dimensos, supernæ scilicet aulæ superna etiam opera non afferentes. Quod inibi sic attigisse visus est Oecumenius: *Eos verò qui Angelica dignitatis præstantiam fuerant consecuti, vbi ex negligentiâ in suo Principatu non permanserẽ, sed datam sibi Dei benignitate cœlestẽ vitam reprobarunt, Deus in iudicium magni diei supplicij intolerabilis reseruauit.* Vt dixerit volebant quidem illi Principes cæli esse, & supremum domicilium perpetuò retinere; sed nullo adhibito egregiorum operum, & cælestis vitæ studio. At enim cùm id nõ benè se gerat cum Principatus ratione, ab illo meritò exturbati sunt: illumq; ipsi non seruasse, sed dereliquisse dicuntur. Habet verò peculiarẽ emphasim, quod ait Thadæus Angelos signatè iudicãdos reseruari in diem iudicij, quod etiam affirmauit Petrus epist. 2. c. 2. 4. Quod eò placet referre, vt quod Paulus inquit 1. ad Corinth. 6.3. ab hominibus superbissimi illi spiritus iudicentur. *Nescitis (inquit Apostolus) quoniam Angelos iudicabimus?* Sed cur, inquis, homines Angelos iudicaturos esse, præscriptum sit à Deo? An quod homines boni, illi verò mali fuerint? Non opinor: cùm & plures etiam Angeli optimi extiterint, qui de suis in natura sociis opportunum ferre possent iudicium. Cur igitur? Dixerim, causam esse: vt Deus cõmerito ignominiæ supplicio magnos illos spiritus verberet, atq; traducat: dum ab inferioris naturæ hominibus tanquã inferiores iudicantur, damnantur, & pœnis addicuntur. Grauissimus planè dolor: intolerabilis ignominia, excellentissimam illam mentem à Prudentio in Hamartigenia suis sic coloribus depictam:

Iuda 6.

Bernard.

Oecum.

2. Pet. 2. 4.
1. Cor. 6. 3.

Horum de numero quidam pulcherrimus ore,
Maiestate ferox, nimius dum viribus auctus
Inflatur, dum grande tumens sese altiùs effert,
Ostentatque suos solito iactantius ignes
Persuasit propriis genitum se viribus, et se
Materiam sumpsisse sibi.

Prudent.

Vilissimæ materiæ homuncioni iudicandam, & condemnandã sisti. Quæ benè diffudit Iobius Monachus in comment. de Verbo incarnato lib. 3. cap. 15. apud Photium in Bibliotheca vbi cùm dixisset: *Et nobis quidam nostro cum corpore coniunctio veniæ causam præbet; illis*

Iobius.

Digitized by Google

verò quantò corpore præstantiores habentur, tantò etiam minus deprecabilis castigatio infligitur. Postmodum adductis præfatis Pauli verbis: *Quoniam Angelos iudicabimus*, Subiicit: *Eos qui, aut non parta nostris, aut peiora etiam patrant: iudicamus, atque compescimus minores eam potestate, quod melius erat perficientes præ tu, qui maiorem facultatem obtinebant.* Hæc ille.

7 Hæc Principibus opportunè accommodauerit ex eiusdem Apostoli verbis, qoibus aberrantes à sua dignitate Principes errantium siderum appellatione, sic pungit vers. 13. *Sidera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.* Quod si in hæc Planetarum imagine dubites (quod planè perdifficile videtur) quid pulcherrima sidera in splendorem, & vtilitatem orbis à Deo creata, ideoque à gentilibus pro diis habita aliquando peccauerint? quidve ipsis mali subsit, vt de ipsorum naturâ mali Principes traducantur? Respondet sapienter S. Isidorus Pelusiota li. 4. epist. 58. inde ab illorum motu Principes argui, quod cùm proprium cursum ab occasu in ortū naturâ sua conficiant, contrario tamen inerrantium siderum motu quondie victi in occasum ferantur: *Quemadmodum si rota vehementi feratur impetu, formica contrario ipsi motu ingrediens nihil tantoperè promouet; nam rota celeritate, rapidissimoq; motu superatur) ita & errantia sidera si habet, si cum inerrantium motu comparentur.* Vnde obiter falsa illa Numina scitè perstringit Isidorus, quod à suis cultoribus iam pro Numinibus extollantur, iam verò cum formicis comparentur. En Principes debitâ dignitati suæ merita non afferentes eodem tendere, ac infelices illi spiritus: *Qui non seruauerunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium*: quippe qui in virtutis cursu, & perfectionis stadio, quod fastigij sui dignitate adacti percurrere debent, non alacrius, aut fortiùs, quàm ignauæ formicæ se gerant, cùm à minoribus stellis, à priuatis videlicet hominibus, quibus tantæ perfectionis cura, & studium non incumbit, in cursu vincantur. Quid iam turpius? quid monstruosius excogites? Numina, munere, & dignitate; formicas, meritis, & cursu esse. Quæ videtur etiam perstrinxisse Oecumenius dum ait: *Non ideò stella erratica dicuntur, quod fidei nostræ firmamento correspondentes Solem iustitiæ Christum habeant per ipsas progredientem, & quatuor virtutum horas, & tempora perficientem: sed quia cùm in Angelos lucis transformari videantur, & seipsos obscurant, & sibi caliginem æternam comparant.* Vt indicet Principes dignitatis quidem splendore ad faciem colluceres, moribus tamen obscuros, eâque de causâ grauiores, quàm alij pœnas dantes.

Iudæ 13. Isid. Pelu. Oecumen.

AD EADEM VERBA,

Principem debita Regio muneri merita non afferentem æquè illud ignominiâ afficere, atque ab ipso ignominiâ affici.

ADNOTATIO VIII.

1 TETIGIT omnino Regiæ dignitatis dignitatē Nazianzenus præcedenti adnotatione citatus, cùm Principes de reuerentiâ purpuræ exhibendâ admonens subiiciebat: *Subditum vestrum deus vos prabets, licet enim audacius aliquid dicere: vt quā Dei imaginem, & vices in terris gererent, eius etiam mores exprimerent.* Hinc planè, & Reges super solium Domini sedere dicuntur, vt 1. Paralipom. 29. 23. videre est, sic enim ibi: *Sedit Salomon super solium Domini in Regem*: Dei scilicet personam gerens, atque eum quodāmodo humanis oculis videndum obiiciens, dum Dei virtutes in subditos exercet, id quippe Dei munus est: & ipsemet Dominus de cælis ad terras adueniens super solium Dauidis Regis sedere etiam notanter dicitur, Isaiæ 9. v. 7. ad hunc modum: *Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit.* Quod videlicet pro bono Rege è viuis sublato vix alius quàm Deus suppleat; & regio muneri satisfaciat: ergo & homo super solium Domini, & Dominus super solium hominis sedent, et argumento fuerit, regium munus, diuinum quid esse, cui pro dignitate administrando diuinas virtutes à Principe afferri necessum sit. Quod si secus fuerit, non leuem ei inferet ignominiam. Cui cogitationi opportunè subscribit rursum Nazianzenus in oratione *ad centum, & quinquaginta Episcopos*, sic capiens Habacuc verba in Cantico v. 14. *Maledixisti sceptris eius*: pro quibus ipse ea lectione LXX. reponit: *Diuisisti in stupore capita Potentium*: vt improbos atque indignos Principes Dominus Principatu exturbet, quod Regio muneri diuinos, & cælestes mores efflagitanti, ipsi humanos, & terrenos attulerint, ac proinde diuinitatem turpiter affecerint. Audi illum, dum diuinitatem hac de re excandescentem sic facit: *Desinant diuinitatem non sedi diuinus cohibituram, quin Procerum capita, vt Habacuc loquitur, cum stupore dissecet: nimirum ipsa quoque dissecta, & malè diuisa in id quod præst, & quod subest, vt sic maximè, & Deitas contumelia afficiatur.* Scitè, vt diceret: ingens Deitati à malis Principibus irrogatur ignominia, dum illam ij terrenis moribus exprimunt, & prauis actionibus pensitant, vilem scilicet, & contemptibilem inde omnino reddentes, nimirum, si (vt suprà allatus dicebat Theodoricus) ij viri dignitatibus quærendi sunt in quibus *figurati ipsorum honorum vultus conspiciantur*: moribus honori, & honore moribus mutuò respondentibus: quomodo non praui Principum mores Principatum dedecore afficient?

Isaiæ 9. 7. Habac. 3. 14. LXX. Nazian.

2 Fuit quidem hæc meus Salomonis in regiâ arte sapientissimi, Prouerb. 26. 8. affirmantis: *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem*: & verò vt locus hic egregio interpreti P. Martino del Rio difficillimus, & nondum satis elustratus esse videatur, atque is sit, qui plures scopulos quàm verba habeat, ac proinde meritò de illo diceris interpretum potiùs naufragiis, quàm explicationibus celebre esse; tamen duo ea Hebræo fonte obseruez, duplicem ei sensum qui non minus faciles, quàm nostro instituto opportuni sint, reddideris: alterum Hebræam vocem, pro quā noster posuit *lapidem*: apud nonnullos Auctores quibus adstipulatur S. Thom. 2. 2. quæst. 63. art. 3. in corpore, significare calculum Arithmeticum: quo ratione computantur, qui modò centum, modò mille, modò vnum valet; apud peritissimos verò linguæ Hebraicæ Pagnium, & Forsterū in Dictionariis esse lapidem pretiosum, siue gēmam; alterum, itidem in Hebræo pro aceruo Mercurij esse vocem מרגמה *Marghemah*, quam non ignobiles Auctores exponunt *Bustuarium*, siue locum funestum, in quo cadauera sepeliebantur, maximè damnatorum; etenim Iudæi cum morte punitorum cadauera lapidibus obruere, tum in vrbium anathemati traditarum siue funditus deletarum monumentum aceruos lapidum erigere solebant: de primo vide Iosue 7. 26. & c. 10. 27. de secundo Iosue 8. 28. & Ieremiæ 26. 18. & Michææ 3. 18. *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem in aceruum lapidum erit.* His sic obseruatis: ex priori lapidis pro calculo Arithmetico significatione, dum sic iustè instituitur comparatio, vt is lapillus dignitati, & honori, aceruos verò Mercurij siue lapidum, insipienti respondeat, hic elicitur sensus, vt quēadmodum numerarorius, siue Arithmeticus calculus in rationibus dati, & accepti plurimi fit, valet enim aliquando, v. g. mille, siue decem millia, siue centum millia: in communium verò lapidum aceruum proiectus nihil omnino valet, qui à munere, & officio suo deflectit,

Prouerb. 26. 8. Mart. del Rio. Lect. Heb. S. Thom. Pagnin. Forster. Iosue 7. 26. & c. 10. 27. Iosue 8. 28. Ierem. 26. 18. Michææ 3. 18.

Nazianz. 1. Paralip. 29. 23.

fecit, ita omnino honos, seu dignitas in indigno posita, cùm in suo loco non sit, à ratione honoris, & dignitatis cadat, & nihili deinceps valeat, aut fiat. Quæ etiam imago in ipsis tantùm calculis numeratoriis perbellè subsistit, vt enim ex iis vnus in rationum supputatione modò centum, modò mille, & millia mille: modò vnum dumtaxat, aut duo valet, prout Arithmeticis notò. Hispanè *Ceros*, aut præponitur aut postponitur: ita planè honor, præfectura, aut Principatus in suo loco positus ingentem habet splendorem, & dignitatem: in indigno verò collocatus suam sic gloriam, & dignitatem videatur amittere, vt quasi non esse videatur. vnde quidem Dominus apud Ezechiel. 21. cùm de impio Rege Sedeciâ dixisset: *Tu autem prophane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinitâ.* Subiicit vers. 26. *Hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam*: id est, regia iam depone insignia, ac si iam tibi amplius non sit in regio ordine viuendum. Sed quâ rogo ratione, cùm ipse Rex legitimus, legitimi Regis filius esset? Subdit: *Nõnne hæc est quæ humilem sublenauit, & sublimem humiliauit?* Vbi in Hebræo, vt legit ibi doctissimus Prado, omnino est, *Hæc, non hæc*; sed quæ hæc tautologia fuerit: nam si *hæc*, quomodo *non hæc*? Planè vt dixerit, aufer coronam, quã gestas: quia hæc corona, non est corona, cùm tu bonus Princeps non sis: esset quidem hæc honoris insigne, & regia corona si in suo loco: hoc est, in optimi Regis capite esset, at dum suo in loco non est, hæc quæ videtur corona, non est corona, nec regius illi splendor, & dignitas inest.

Ezech. 21. 26.

P. Prado.

3 Sed enim ex posteriori Hebrææ vocis acceptione, quâ lapis ille in aceruum immissus pro gemmâ, & pretioso lapide sumitur, necnon ex propria significatione reddita voci מַרְגֵּמָה *Marghemach*, vt sit suo estus locus, in quo damnatorum cadauera sepeliuntur: acriorem quidem hanc, & vehementiorem innuit sententiam Salomon, dignitatem in indigno collocatam non modò esse desinere, siue euanescere, sed etiam, quod peius est, pollui, & ignominiâ affici: imò verò damnatam, & morte mulctatam, atque etiam turpiter sepultam esse, ad eum planè modum, quo turpissimus Imperator Heliogabalus, tum Præfecturas, & dignitates, indignis, & vilibus hominibus tribuens, illas polluisse scribitur apud Lãpridium in Heliogabalo, c. 11. *Præsides, Legatos, Consules, Duces, omnesq́; dignitates polluit, ignobilitate hominum perditorum*: tum etiam Augustum Antonini nomen quod ab egregiis Imperatoribus Antoninis sanctum erat, vitæ suæ impuritate omnino commaculasse, ac deturpasse apud eundem Scriptorem dicitur in Alexandro Seuero: dum bono huic Principi cùm in impuri illius locum suffectus est, Senatum sic acclamasse ait: *Antonini nomẽ suscipias rogamus, præsta bonis Imperatoribus, vt Antoninus dicaris. Nomen Antoninorum tu purifica. Quod ille infamauit tu purifica. Redde in integrum nomen Antoninorum.* A quo non it quod in egregio illo sacerdote Eleazaro mortem fortissimè obeunte, ne gloriæ suæ infamiam inferret, 2. Machab. 6. 24. excogitauit Ambrosius lib. 2. de Iacob cap. 10. cùm illum ad mortem per proprios pedes euntem hæc inter alia loquentem facit: *Non te negabo lex patria, non adiurabo vos sancta instituta maiorum, non decolorabo vos infula sacerdotales.* Pulchrè *non decolorabo vos* prudenter innuens regiam dignitatem ab indignis moribus decolorari, splendoremq́; suum, ac gratiæ, & honoris munus amittere.

Lamprid.

Ambros.

4 Iam his Salomonis verbis: *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij*, &c. committe illa Domini apud Matth. 9. 17. à prouerbio triuiali, vt videtur, desumpta: *Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt*: nam his communem cum illis, vt à nobis sunt exposita, sensum esse omnino existimat Maldonatus quasi munus in homine indigno collocatum ignominiâ afficiatur, & deturpetur. Quod infelicis Iudæ exemplo Apostolicum munus dedecore afficientis sic confirmat: *Vinum exemplum Iudas præbuit, cui cùm non satis idoneo Apostoli cõmissum esset officium, & quasi veteri vtri nouum vinum infusum, non solùm moribus, sed corpore etiam ipso tanquam nimis inflatus vter crepuit medius, & perditum est, id est, quodammodò ignominiâ affectum Apostolorum officium.* Cui obseruationi placet adiungere, quod Seneca *in consolatione ad Marciam*, mordaci acero desiccans Seianum occasione statuæ illius, quæ in Theatro Pompeij inter clarissimorum virorum imagines ponebatur, ex sententia Cordij inquit hunc in modum: *Decernebatur illi statua in Pompeij theatro ponenda, quod exustum Cæsar reficiebat. Exclamauit Cordius. Tunc verè theatrũ perire*, vt dixerit, peius Pompeianum theatrum ab statuâ Seiani, quàm ab incendio à quo malus ille ipsum seruauerat periisse, quippe si fuisset combustum, cum suo quidem honore, ac dignitate sepultum videretur: at dum in illo Seiani statua nobilissimis ducibus adiungebatur: suum omnino decus, & honorem amittebat, & turpiori incendio cum dedecore absumebatur. *Quis ergo* (pergit Seneca) *non disrumperetur supra cineres Cn. Pompeij constitui Seianum, & in monumentis maximi Imperatoris consecrari pessimum militem?*

Matth. 9. 17.

Maldon.

Seneca.

5 Sed & ipsos improbos Principes ex fastigio suo ignominiæ, atque dedecori obnoxios omnino videris, Salomone itidem dicente *Stultorum exultatio, ignominia.* Prouerb. 3. 35. Quod perinde dictum videtur, ac, stultos, id est, improbos, & indignos in sublimi dignitatum fastigio collocasse: nihilo melius fuerit, quàm eos traducere, atque ignominiæ exponere. Quam sanè mentem videtur Sapiens Rex à parente suo accepisse, dum Psal. 11. 9. inquit: *In circuitu impij ambulant, secundùm altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Quæ ex Hebræo Pagninus sic omnino vertit: *In circuitu impij ambulant: cùm exaltati fuerint, vilitas est filiis hominum*: vt dixerit, improbos anxiè omni modo Principatum ambire, sed illum consecutos, vilitatem, & maculas suas ostendere, seseque infamiæ, & ludibrio exponere. Quod si rationẽ huius, modumq́; inquiras; Respondet pro Salomone gentilis Plutarchus venustâ hac & opportuna imagine: *Si quis statuas paruulas, atque ridiculas pedamentis, & basibus magnificis, atque sublimibus imponeret multo minores ad aspectum proponeret, multoque magis ridendas, ita sanè qui indignos dignitate, & honore, atque virtutis merito pusillos in sublime extollit.* A quo nec hilum iuerit Bernardus libr. 2. de Consideratione cap. 7. vbi Eugenium Pontificem Summum ad summũ virtutis studium vrgens sic ait: *Credo erubescens in summo positum apice videri hominem nudum, festinauit induere insignibus suis. Absque iis nempe eò deformior, quò illustrior pares. Numquid potest abscondi ciuitatis supra montem posita desolatio, aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum?* Concludit pungenti stimulo: *Simia in tecto Rex fatuus in solio sedens*, Sapienter illud: *eò deformior, quò illustrior.* Quod eodem sensu sic diffudit sub Præfecti Prætorio personâ Cassiodorus libr. 12. variarum, epistola 2. *Clari enim suas maculas reddunt, si illi ad quos multi respiciunt, aliquâ reprehensione sordescunt. Alioqui expedit non videri, quàm cunctorum irrisione signari*: Ita ille, vt simiam in tecto, quam dicebat Bernardus omnium sibilis expositam indice designare videatur: vnde rursus Plutarchus: *Fortuna cùm ingenium vile magnis, & splendidis rebus extollit: ideò magis demonstrat, atque infamiæ exponit.*

Prou. 3. 35.

Psal. 11. 9.

Pagninus.

Plutarch.

Bernard.

Cassiodor.

6 Quem etiam sensum opportunè reddideris præfatis Domini verbis apud Ezechielẽ de prophani Sedeciæ coronâ: *Hæc non est hæc*: vt emphaticè dixerit.

Ezech. 21. 26.

Hæc

Hæc corona, non est corona, id est non honoris insigne; sed ignominiæ, & irrisionis occasio est: dum eò deformior, quò illustrior appares, cùm in fastigio positus claras tuas maculas reddideris, quæ priuatus facilè absconderis. Quò primùm videtur adspexisse iniustus ille Præses Pilatus cùm super veri Regis cæli, terræque caput apposuit titulum; *Hic est IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.* Matthæi 27.37. vt impiam quam aduersùs Dominum sententiam tulerat denuò hi-

Matth. 27.37. mans, non sine morsu, & irrisione diceret: Hic est, qui se Regem Iudæorum fecit, vti mihi sic expendit Maldonatus: *Non dubito, quin Pilatus his verbis nihil aliud significare voluerit quàm quod scribi Iudæi postulabant. Hic est IESVS, qui se Iudæorum Regem fecit.* Planè vt ignarus ille, siue malignus ciuitatis supra montem positæ desolationem, siue lucernæ extinctæ super candelabrum fumum ostenderet: & honoris titulum, vacuum, nullisque fundamentis subnixum traduceret: dicente Saluiano lib. Quarto de Prouidentia: *Quid est aliud Principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas indigno, nisi ornamentum luto?* Cùm reverà adeò non esset ibi titulus sine homine, vt etiam cum Deo esset, vt iam vidimus.

AD EADEM VERBA,

Ideò Principes virtute plurimùm præstare debere, quòd fastigij locus lubricus sit, & eos qui non maximè attendunt, facillimè subuertat.

ADNOTATIO IX.

1 ILLVD omnino in virtutis disciplina siue à Patribus, & vitæ spiritualis Magistris, siue ab ipsismet Philosophis Ethnicis obseruatum, & admonitum est; adeo totum illum hominem, omnes scilicet animi conatus, & vires exigere, vt qui in eius studio alacriter currere non contenderit, retroire, & qui non profecerit, deficere necessum fuerit. *Tamdiu non relabimur*

Hieronym. *retro* (inquit Hieronymus siue Auctor epistulæ ad Demetriadem) *quamdiu ad priora contendimus, at vbi cœperimus stare, descendimus.* Apponit pulchram ima-

Idem. ginem idem Hieronymus lib. 3. aduersus Pelagianos: *Quomodo qui aduerso flumine lembum trahit si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis, quò non vult ducitur, sic humana conditio, si paululum se remiserit, discet fragilitatem suam.* Ad quem sanè sensum, & loquendi

Seneca. modum iam pridem dixerat Seneca epist. 75. *Imperfecta necesse est labent, & modò prodant, modò sublabantur: sublabentur autem nisi ire perseuerauerint: si quidquam ex studio, & fideli intentione laxauerit: retro eundum est.* Nec

Plutarch. minus opportunè, & eleganter Plutarchus in libro, *Quemadmodum te sentias in virtute proficere:* id firmat his verbis: *Ceterùm inconstantia, & tarditates Philosophorum non tantùm remoras faciunt, sicut in itinere progressus, sed etiam regressus, quod semper cedenti immineat vitiositas, facileque ea transuersum abripiat.* Subdit egregias similitudines: *Nam Planetas tradũt Mathematici, vbi est procursus eorum adstrictos consistere, in philosophando verò non est subsistentis interuallum, aut statio progressionis: ceterùm, quia nunquam non aliquas habent motiones natura ipsa, quemadmodum in trutina fieri solet, iam propensa ad id, quod est melius, inclinari, modò labi in deterius.* Hactenus ille.

2 Quæ sanè doctrina, cùm generaliter, atq; vbilibet vera, & firma sit, in Principibus, qui in altissimo potestatis fastigio sunt constituti, signatissimè locum habet, & certior esse creditur: etenim cùm locus ille maximè lubricus ac præceps, & ingentibus periculis, quæ à nimia licẽtia, & rerum copia necessariò oriuntur, vndequaque obnoxius sit, nisi Princeps omninò attentus, & magnæ, atque probatæ virtutis fuerit, facili negotio subuertetur, & à virtutis tramite in vitiorum abyssum incidet: omnibus fermè Patribus, atque Scriptoribus id certatim commonentibus, & ex omnium sæculorum exemplis commonstrantibus.

Chrysost. Audi nonnullos, & primò Chrysostomum hom. 42. in Matthæum, sic disertissimè monentem: *Dignitates profectò ad multa, quæ Deo minimè placent, hominem inducunt. Quapropter etiam valde magno animo, sublimique opus ingenio est, vt dignitate vti, non abuti possis.* Illustrat id opportunissimâ ad magnitudinem periculi indicandam similitudine hunc in modum: *Qui dignitate caret, volẽs, nolensque, philosophatur. Qui verò potestate floret, ei similis est, qui cum puella formosa cohabitans, legem, atque præceptum suscepit, ne unquè lasciuientibus eam oculis videat. Talis quippe res, dignitas, atque potestas est.* O maximum, & vix superabile discrimen nisi heroicam virtutem, & Herculeas imò diuinas vires habueris! in tuto vix humana fragilitas firmiter steterit, & in loco tam lubrico, & ad præcipitium omnino decliui subsistere valebit.

S. Thom. Adiungit aliam imaginem S. Thomas lib. 1. *De eruditione Principum* cap. 1. quæ periculi magnitudinem æquè demonstrat, cineris nimirum, in edito & superiori loco ventorum statui vndequaq; expositi, quem quis speret dispersum non iri? Etenim ibi cùm post

Isai. 14.14 multa in hanc rem dixisset; *Quid est potestas culminis? Tempestas mentis: specialiter perflat ibi Aquilo, iuxta verbum Luciferi: dominans sedebo in lateribus Aquilonis?* Statim hunc in modum concludit: *Ex dictis patet, quòd potestas temporalis non est propter se appetenda, sed est multum timenda: locus verò humilis est eligendus secundum consilium Saluatoris: recumbe in nouissimo loco. Hic est locus congruens homini, qui est terra & cinis,* Ecclesi. 10. 9. *Terra*

Eccl. 10. 9. *enim non congruit esse in alto, quæ est infima elementorum. Cineri etiam expedit, ne in alto sit, ne dispergatur à vento.* Sic sanctus Thomas. Quod si cinerem à vento dispersum, & mentem à tempestate iactatam videre velis,

Nazianz. audi primùm Nazianzenum in Apologetico vbi, cùm Principem à suis cupiditatibus, non secus ac à vento cinerem captatum sic descripsisset: *Fastuosè sedet, atque aduersùs meliores supercilium attollit, nec thronum intremiscit, nec aspectu cohorrescit, cùm moderatũ hominem cupiditatibus imperãtem inferiori loco stantem intuetur, verùm simul cum imperio, & dignitate sapientiorem quoque sese existimat.* Tot malorum radicem ita designat, *à potestate, & auctoritate dementatus,* quippe vt aiebat Angelicus Doctor, potestas culminis est tempestas mentis: deinde

Chrysost. quid post præfata verba subiungat Chrysostomus: pergit ergo: *Quocirca multos etiam inuitos ad contumeliandum intrusit, iram plerumque accendit, linguæ frænum abstulit, & ianuam oris reserauit, quasi magnâ procellarum vi animum subuertens, & ad profundum malorum omnium nauiculam submergens.* Hæc Chrysostomus.

3 Quod si tibi præfata formosæ puellæ imago, cum qua quis cohabitans legem acceperit, ne eam lasciuientibus oculis viderit, à Chrysostomo adducta, nimis stricta, siue scrupulosè conficta tibi videatur,

Ambros. scito, rem auxisse Ambrosium, & certius à regia potestate, & ineuitabilius quam ab illâ puellæ formâ subesse discrimen, periculosiusque telum à fastigio, quàm ab amore in animam intorqueri ex Dauidis exemplo sic affirmat in Apologia posteriori de Dauid capite 3. *Bonus ergo Dauid, & multò admirabilior, qui potestatem vicit, quàm qui amorem, & facilius reperias, qui se in amore cohibeat, quàm qui in potestate moderetur.* Sanè quasi ex vna parte nihil sit, quod excelsiorem mentem, maioremque animi fortitudinem exigat, quàm potestas: ex alia verò nulla res fuerit, quæ ac ipsa hominum animos infringat, atque corrumpat. Id quod sanctus Petrus

Damia-

Pet. Dam. Damianus tomo 2. serm. 5. qui est 2. de S. Seuero pulchrâ imagine sic adstruit, & illustrat: *Velut mali remigis, cùm ad alta pelagi vento impellente deueniūt, quando scilicet maiori conamine opus est, in somnum se mortiferâ securitate resoluunt.* Vides ad difficiliorem prouinciam minores animi conatus admotos? Adstipulatur his *Vopiscus.* ea exemplis vndequaque firmans Gentilis Vopiscus in Aureliano, vbi cùm huius thesis occasione publicum Cæsarum indicem recensuisset, inter tot Imperatores, adeò raros extitisse, qui boni, ac probi euaserint, vt vno in annulo ij omnes perscribi, atque depingi posse omnino affirmet. Nec fuerint eius verba omittenda, vel ea ratione, quod egregiæ Tertulliani sententiæ statim adducendæ viam sternant; ait ergo: *Quid hoc dicam, tam paucos bonos extitisse Principes, cùm iam tot Cæsares fuerint? Nam ab Augusto ad Diocletianum, quæ series purpuratorum sit, index publicus tenet.* (Nimirum vt ex omnibus Scriptoribus liquet, tres & quadraginta ad minus intercesserè.) *Sed in his optimi, ipse Augustus, Vespasianus, Titus, Nerua, Traianus, Adrianus, Pius, & Marcus Antonini, Seuerus Afer, Alexander Mammeæ, Claudius, & Aurelianus. Vides, quàm pauci sint Principes boni, vt bene dictum sit, à quodam mimico scurra Claudij huius temporibus. In vno annulo bonos Principes posse perscribi, atque depingi.* Hactenus ille. His assentirène, an dissentire *Tertull.* dixeris Tertullianum? qui ne vnum quidem Cæsarem ad sua vsque tempora (cùm videlicet Septimius Seuerus imperabat) bonum facit, quasi maxima imperatoriæ maiestatis supremique fastigij cum Christiana disciplina, & recta viuendi ratione lis, & pugna esset. Sic enim ipse in Apologetico aiebat cap. 21. *Sed & Cæsares credidissent super Christo, si aut Cæsares non essent sæculo necessarij, aut Christiani potuissent esse Cæsares.* Sed cur Cæsares, Christiani esse non poterant? Quia Cæsares necessarij, siue amici sæculi ab illius illecebra allecti, qui in illo fastigio se minimè moderari nosset: vnde quidem Cæsares, quà Cæsares, Christiani esse non poterant: quia vt forent, primùm quidem fuissent à sæculo, hoc est ab Imperio auellendi.

4 At enimverò nullâ fuerit ratione mirandum Cæsares sæculo addictissimos Christianos esse non potuisse, siue egregium viuendi institutum non fuisse amplexatos, *Pet. Dam.* cùm Sancto Petro Damiano præfato *Gregor. M.* sermone de Sancto Seuero, necnon Gregorio Magno prima parte Pastoral. capite 3. fuerit obseruatum, sæpius eosmet, qui virtutibus conspicui cunctos in se vitiorum motus censurâ rigidæ seueritatis frænauerant, post susceptam aliorum gubernationem, *Quidquid sanctitatis habuerant* (sic Petrus Damianus) *vt ita proh dolor! dicam concambio miseræ permutationis amisisse, & decurrentium more fluminum ad ima absque vllo retentionis obstaculo deuolui, & non solùm alios non custodire, sed semetipsos etiam infeliciter perdere.* Apponit inibi Gregorius Magnus Dauidis, & Saulis exempla, quæ ex ipso nos alibi expendisse meminimus. Quare mo- *Philip. Ab.* dò quid in Saulis ruinâ obseruauerit Philippus Abbas lib. de dignitate Clericorum cap. 18. placet animaduertere: ipsum nimirum, qui in plano feliciter decertauerat, in montis Gelboë fastigio, notanter periisse, quòd in lubrico (sic enim interpretatur Gelboë) potestatis vix pedem figere valuerit; sed decurrentis fluminis more ad ima absque vllo retentionis obstaculo fuerit deuolutus. Audi illum non ad Saül tantùm, sed ad plerosque hæc accommodantem: Ait ergo: *Mors quippe Saül casum illorum, & ruinam significat, qui cùm adepti fuerint dignitatem, nec nouam adquirunt, nec saltem antiquam sanctitatem retinent, sed quantò sublimiùs cæteris præferuntur, tantò grauiùs prosternuntur. Hostis enim antiquus, quos cæteris videt præferri, studet ampliùs impugnare, & plerūq; lenocinio dignitatis expugnare præualet. Vnde mons in quo Saül occidit, mons Gelboë appellatur: Gelboë verò interpretatur* lubricum: *quia videlicet in sublimi fastigio dignitatis non figit gressus stabiles nisi matura sanctitatis grauitas.* Vides fastigij lubricum ruinæ opportunum, quod ad malum lenocinari non cesset, nec infimos solùm, sed fortes robustosq; subuertat? plorante indidem Dauid: *Quomodo ceciderunt fortes?* Cui *1. Reg. 1. 2[?]* facilè respōdet statim Philippus Abbas: *Quia plerumque quis in plano, & humili videbatur securiùs stare, & stabiliter ambulare, cùm ad arduum, & lubricum venerit, aduersario fortiùs impugnanti non resistit, nec persistit in ea, quâ cœperat sanctitate. Quod intuens mysticus Dauid miserabiliter lamentatur, & eos cecidisse, qui priùs fortes fuerāt, lachrymabiliter admiratur.* Quomodo *inquit* ceciderunt fortes? *Fortis quippe fuerat Saül, cùm in planitie decertaret, & hostes populi Israel manu inuicta expugnaret fortiter: cùm verò montem Gelboë prælaturus ascendit, non solùm non potuit victoriam consequi fugitiuam, sed nouo more stare non præualens, miser in laqueum incidit, & ruinam.* Hæc ille, & multò plura in hanc rem.

5 Possis quidem hinc non omnino errante vestigio deprehendere, quis ille apud Matthæum 18. *Matth. 18.* vers. 24. seruus fuerit adeò ingenti æris alieni debito *24.* obnoxius, vt non minùs quàm decem millium talentorum pondere premeretur: sic enim ibi: *Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.* Enimverò id debitum veteribus Patribus, & recentioribus interpretibus adeò insolens, & enorme videtur, vt vix aliquem in Scriptura inueniāt, cui possint illud opportunè accommodare. Vnde ad id loci Hieronym. affirmauit: non defuisse au- *Hieron.* ctores, qui eam parabolam de dæmone acceperint, quasi is vnus tanto oneri obnoxius esse posset. Verùm præfatâ nos Saülis historiâ manuducēte, hunc decem millium talentorum debitorem non omnino abs re eundémet cum illo esse coniectaueris, qui alibi *Quinque talenta accepit, & lucratus est alia quinque*, Matthæi *Matth. 25.* 25. 16. eaque de causâ, quod tam fideliter, & strenuè *16. & 21.* se gesserit, supra multa à Domino fuerit constitutus, ad regni scilicet culmen euectus: nam si hancmet parabolam apud Lucam legeris: his verbis Matth. vers. 21. *Supra multa te constituam*, illud ibi respondet: *Eris potestatem habens super decē ciuitates*, Lucæ 19. 17. Quod *Lucæ 19.* si ambigas, quomodo hæc inter se conuenire possint? *17.* cùm ille quinque talentorum negotiator bonus fidelisque fuerit: hic verò decem millium talentorum debitor omnium hominum pessimus habeatur? nihil aliud tibi respondere opus fuerit, quàm Saülem iam in plano, iam in lubrico Regiæ dignitatis fastigio decertantem indice demonstrare: *Nam cùm priuatus viueret* (sic præfato loco Philippus Abbas) *humilem* *Philip. Ab.* *eum fuisse in oculis suis Propheta Samuel protestatur, cùm verò Rex factus esset, contumacis inobedientiæ condemnatur. Sua ergo ei humilitas inexpugnabile contulit munimentum: superbiam verò dignitas gignens, mortis detrimentum intulit. Propter quod monti Gelboë, in quo Saul ceciderat, Dauid quasi stomachans maledicit: imò maledicta, quæ plerisq; prælatis irrogantur, spiritu prophetanti prædicit.* En præfati nodi solutionem! En Regiæ dignitatis lubricum, & scopulos, ad quos ij etiam qui egregiis tum erant virtutum talentis ditati infeliciter impingant! Nec ab hac cogitatione latum vnguem discrepauit Origenes *Origen.* in eius parabolæ expositione: etenim ille homil. 7. in Matth. tum parabolam Matth. & Lucæ vnam, eandemque esse adstruit: tum enim qui apud Lucam super decem ciuitates constituitus dicitur, cum hoc decem millium talentorum debitore, componit additque: *Vnus est iste cui commissa fuit quædam villicatio magna, & quia non bene villicauit, sed dispersit omnia sibi commissa, quasi factus est debitor talentorum multorum.* Hæc ille, quæ in seqq. magis elucidabimus.

6 Iam verò si immanis huius discriminis rationē,

& quid

& quid tandem sit, quod regium fastigium adeò lubricum reddat, perquisieris: eò illam libentiùs assignauerim, quò inde euidentiùs appareat, magnâ Principi virtute, & præstanti opus esse, vt ex hac Scylla, siue Charybdi incolumis euadat: *Quia videlicet (vti dicebat Philippus) in sublimi fastigio dignitatis non figit gressus stabiles nisi matura sanitatis grauitas.* Ergo ei interrogationi sic respondet citato loco Ambrosius: *Lubrica enim in bonis moribus licentia potestatis, & oblatio facultatis.* Nec aliter Cornelius Tacitus lib. 12. Annalium, cùm ait: *Principes indulgentiâ fortunæ, & prauis exemplis discunt, audentq́.* Sed disertissimè citatus Vopiscus: *Quæritur, quæ res malos Principes faciat? Nimia licentia, rerum copia, amici improbi.* En lobricum regiæ potestatis in quo, qui egregiâ non sunt virtute præditi, stabiles suimosque gressus non figunt, sed decurrentium more fluminum ad ima deuoluuntur. Vnde huc intentus Chrysostomus libr. 3. de Sacerdotio sic opportunissimè inquit: *Caput valentissimum esse oportet, vt prauas exhalationes ab inferiori reliqui corporis parte sursum ascendentes dispensare, easq́, ritè, & ordinatè componere possit. Cùm enim per se caput infirmũ est, ac fumorum insultus illos morbificos repellere minimè potens, tandem fit, vt ipsum etiam infirmum in dies reddatur, sìm autem reliquum corpus secum perdat.* Quid enim praua exempla? Quid nimiæ facultates? Quid occasionum frequentia? Quid ciborum copia? nisi prauæ exhalationes fuerint, quæ caput non valentissimum oppleant, & à statu dimoueant suo: ideò scitè dicebat Petrus Damianus: *Velut mali remiges cùm ad alta pelagi vento impellente deueniunt, quando scilicet maiori conamine opus est, in somnum se mortiferâ securitate resoluunt.* Capite videlicet noxiis exhalationibus oppleto.

Ambros. *Corn. Tac.* *Vopiscus.* *Chrysost.* *Pet. Dam.*

7 Certè hac ratione, vt omnimoda puritas, & sanctitas Dei Filio necessariò inhærens à Salomone adstrueretur, accuratâ locutione de ipso dixit: *Speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius:* Sapientiæ 7.26. vbi iterum non immeritò ambigas circa illa verba, *sine macula*, cur potiùs speculo diuinæ maiestatis, quàm imagini bonitatis attributa fuerint: cùm huic aptius conuenire videatur, nimirùm macula cum bonitate, siue cum pulchritudine potiùs pugnat: ideò dosponsa cùm omnium pulcherrima, siue optima asseritur, ait idem Salomon: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Canticorum 4. 7. Subsistit tamen opportunè Sapientis locutio: vt summa diuinæ sapientiæ sanctitas, quæ nulla ratione, nullo modo notam aliquam possit contrahere (hæc enim Salomonis mens inibi it) ostenderetur. Quod inde adstruit, quod in summa potestate, & potentissima maiestate absque vlla omnino labis macula fuerit. Vnde si verè æstimas epithetum illud, *sine macula*, multò significantius, & opportuniùs maiestati, quàm bonitati adiunctum fuit: nam vi frigidè de Dei Filio diceretur, esse bonum *sine macula*, ita emphaticè, & cum magna energia asseritur in summo dignitatis fastigio, nullam posse labem incurrere: vt viderit Princeps, quàm magna, & excelsa ipsi virtus necessaria sit, ne à prauis exhalationibus inficiatur: & à fastigij lubrico supplantetur.

Sap. 7. 26. *Cant. 4. 7.*

AD EA VERBA,

Quando venies ad me.

Principem in virtutem maximè incumbere debere, quòd Reipublicæ gubernatio arduum, & difficile onus sit, quod Deo adiutore omnino opus habeat.

ADNOTATIO X.

1 EXSTIMVLET denuò Principis animum, vt in virtutem, & exactissimam innocentiam totis neruis incumbat, ipsamet tantæ dignitatis moles, eam arduam difficilisque prouinciam, perpetuæque ne sibi succedentes curæ animum indesinenter pungentes, ac dilacerantes: etenim si ad externum tantùm Regiæ coronæ, ac purpuræ splẽdorem, & amœnam, lætamque Principatus faciem delicias, & licẽtiam promittentem contempletur, quin laborum & curarum aspera introspiciat, ridiculus omnino sit: vel illi ad hunc modum à Mamertino in Panegyrico Iuliani depinguntur tyranni, qui propter cœcam imperandi cupiditatem in mortem ruerunt: existimantes Principatum rem non modò facilem, sed etiam blandam, & deliciis plenam esse. De quibus, & cum quibus ipse ad hunc modum locutus: *Non paucos eiusmodi furore vecordes, & nostra ætas tulit, qui propter cœcam imperandi cupiditatem in ferrum ruerunt. Si quos Deus paulisper vitæ redditos alloquatur: Heus (verbi gratia) Nepotiane, atque Syluane per infestos gladios præsentesq́, mortes Imperium petiuistis. At nũc vltrò vobis potestas regnandi datur, vt ea, quâ Iulianus conditione regnetis, vt pro omnium otio die noctuq́, vigiletis: & cùm domini vocemini, libertati ciuium seruiatis, sæpiùs prælium, quàm prandium capessatis: nihil cuiquam auferatis, & vltrò omnibus largiamini: nulli gratificemini, in neminem sæuiatis, tota in orbe terrarum nullius virginis fama violetur. Sit lectulus etiam sine inconcessis, sed legitimis voluptatibus, Vestalium toris purior: æstate Alemanicum puluerem, hyeme pruinã Thraciæ, mediis verticibus perferatis.* Sic statim opportunè subiicit: *Profectò verborum ipsorum molestiam delicatæ aures non poterunt sustinere. Tantis negotiis territi non modò imperium, sed etiam vitam perosi ad inferiores aliquos inferos redire properabunt. Videbunt enim iustum Principatum laboribus, curis, vigiliis inquietum, cuius illi faciem amœnam, & amabilem contemplantes laborum aspera non videbant.* Hæc ille. Quæ breuissimè complexus est Synesius oratione sæpiùs laudatâ de Regno inquiens: *Felicitas enim onus quoddam esse videtur plumbo grauius, humeros subuertit, ac deprimit, qui id humeris imposuerit.* Vnde quidem à sancto Iob Principes, etsi magnis viribus præditi, & huic oneri ferendo pares sub gubernationis tamen onere perpetuò gementes inducuntur: *Ecce* (inquit) *gigantes gemunt sub aquis*: sic hæc verba pensicante Gregorio Magno libr. 17. Moral. cap. 12. *Si autem gigantium nomine potentes huius sæculi designantur, in aquis possunt populi figurari Ioanne attestante qui ait:* Aquæ enim sunt populi: *Quantò quis hîc altiùs erigitur, tantò curis grauioribus oneratur: eisq́, ipsis populis mente, & cogitatione supponitur, quibus superponitur dignitate.* Ita Gregorius.

Mamert. *Synesius.* *Iob. 26. 5.* *Gregor. M.*

2 Legimus quidẽ sub hoc sensu diligenter à sacro Scriptore denotandum fuisse locum in quo Regum potentissimus, & sapientissimus Salomon à Propheta Nathan Rex inauguratus, & inunctus fuit, nempe *Gihon.* 3. Reg. 1. 45 *quod interpretatur* (sic id obseruante Venerab. Stephano Cantuariensi ad id loci in allegoriis Gotfridi Tilmani) *luctatio, ad notandum quod maxima lucta in dignitatibus sit, & magnus labor.* Vt Prophetam

3. Reg. 1. 45. *Stephan.*

phetam illum in Regem iungere, nihil aliud fuerit (A) quàm prophetico ipsi ore prænunciare, perpetuam ipsi in Principatu laborum, difficultatum, atque curarum luctam fore, quin maxima eius sapientia siue potentia ad obtundendos tot stimulos satis esse posset: sed hæc opportunius in vero Salomone adumbrata videris, dum inter grauissimas passionis suæ pœnas, atrocia illa pertulit ludibria quibus verus ipse Rex Regum tamquam nugator aliquis, & fictus Princeps à militibus fuit illusus, omnia ei regia insignia, coronam, sceptrum, & purpuram imponentibus; & quidem cum peracta illa veluti scenâ, ad seria, & vera ventum est: regiaque ipsi ablata fuêre indumenta, spineam ipsum coronam de industria retinuisse, quin à capite auelli pateretur, constans PP. sententia est, vt ab Origine sic obseruauit Paschasius lib. 12. capite 27. in Matthæum: *Sed mirum, quid voluerit Euangelista, cùm ait, quia exuerunt eum rursùs chlamydem coccineam. De corona verò spinea, quod deposuerunt eam à* (B) *capite semel illi illatam tacuit, & non est scriptum, neque quia detraxerint eam: & hoc non absque magno mysterio.* Planè vt manifestum Principibus fecerit Dominus, curarum aculeos, & sollicitudinum spinas à regiâ dignitate diuelli numquam posse, sed tamdiu in Principe durare, quamdiu durauerit & regnum, quamdiu durauerit & vita: vt regnare sit, quàm maximis gubernationis curis, & sollicitudinibus indesinenter affligi. Cui cogitationi subscribit Chrysostomus homilia 66. ad populum Antiochenum, vbi cùm præmisisset: tribulationem vbique in Scriptura laudari, passimque assumi tamquam rem nobis omnino necessariam, subiecissetque ductâ similitudine ab externis certaminibus neminem absque labore, & vigiliis coronam capere posse, à Principum vitâ id ita confirmat: *Quem enim vis dicere? Regem? Sed nec ille procul à curis vitam agit, sed multis plenam tribulationibus & curis. Ne namque diadema respicias, sed curarum tempesta-* (C) *tem per quam ipsi corona paritur. Neque purpuram intuere, sed animam, & ipsâ purpura magis nigrescentem. Non ita corona caput circumdat, sicut animam sollicitudo: nec in satellitum catervam, sed in molestiarum multitudinem spectes.*

Paschas.

3 Et verò, vt has pungentium sollicitudinum spinas ad alia possemus reuocare, modò tantùm referre placet ad ipsummet regendi onus mille curis, & difficultatibus obnoxium sub eo sensu, quo callidus ille Tiberius Imperator apud Cornelium Tacitum libro primo Annalium dicebat: *Se in partem curarum ab Augusto vocatum experiendo didicisse, quàm arduum, quàm subiectum fortunæ regendi cuncta onus*: vt diceret, eiusmodi quidem onus esse, quod validissimi gigantis humeri vix ferre queant. Quid namque tam arduum? quid tot casibus, & variis discriminibus expositum, quàm vnum hominem in puppi ad gubernacula collocatum eam nauim regere, quâ generis humani salus vehitur? nam id quidem Principatum (D) esse, & Philo libro *de legatione ad Caium*, & quotquot pleno pectore sapiunt, omnino censent, sic namque ille Caium Imperatorem ibi alloquebatur: *A natura in puppi celsa collocatus ad gubernacula, rege nauim, quâ generis humani salus vehitur.* Et verò rei difficultatem ex hac imagine nullus, opinor, elegantiùs, opportuniùsve demonstrauit, ac Maximus Tyrius oratione 3. inquiens: *Vides humanam vitam esse quasi Rempublicam quamdam, quæ numquam stabilis sit, nec in continenti constituta, sed quæ paruâ nauiculâ immensum mare traiicit. Hanc non Gubernatoris tantùm ars conseruat, sed & ventorum commoditas, & ministerium singulorum, & instrumentorum agilitas, & natura maris.* Hæc Maximus. Quæ ab imaginum translatione in pro-

Corn. Tac.

Maxim. Tyr.

(A) prias voces rem, vt verè est, significantes videtur transtulisse Marc. Tullius lib. 2. epistolarum, cùm ait: *Vides enim, quanta vis sit temporum in Republica, quanta varietas rerum, quàm incerti exitus, quàm flexibiles hominum voluntates, quid insidiarum, quid vanitatis in vita sit.* Planè, vt vterque cum Stephano Cantuariensi dixerit: ideò inunctum Regem Salomonem in Gibon: *Quod interpretatur luctatio, ad notandum, quòd maxima lucta in dignitatibus sit, & magnus labor.* Quæ enim maior? quæ difficilior luctatio excogitari possit, quàm cum ventorum impetu, cum insaniâ maris: cum varietate scilicet temporum, cum hominum voluntatibus congredi, atque luctari? Sit gubernatori quanta quanta industria, & artis peritia, num maris naturam, & ventorum commoditates in manu habebit? Quis fuerit hic, *quia venti, & mare obediunt ei?* Quot, quæso, Principes, & gubernatores, gnauos, industrios, callidosque vidisti, qui tandem infelicem (B) nauigationis suæ exitum habuerunt? velut ille Tiberius ciuilis doctrinæ peritissimus, *qui post tantam experientiam* (sic Aruntius apud Cornelium Tacitum lib. 6. Annal.) *vi dominationis conuulsus, & mutatus fuit*, & quod hanc nauigationem omnino infamat, quoties ipsamet secunda aura naufragium spirauit? vt prudentes Reipublicæ naucleri non minùs ab ea, quàm ab aduersâ, & in contrarium flante timere didicerint, Principis Apostolorum exemplum secuti, qui cùm felici aliquando iactu copiosam piscium multitudinem extraxisset, tum ipsummet *rumpebatur rete*: tum tantâ prædâ *ambæ penè nauiculæ mergebantur*. Lucæ capite 5. vers. 6. & 7. vnde ipsi tanta copia cœpit esse suspecta, ita id adnotante ad hunc locum Ambrosio lib. 5. in Lucam, dum Petrum sic loquentem inducit: *Sed mihi cumulus iste suspectus est, ne plenitudine sui naues penè mergantur.*

M. Tull.

Stephan.

Corn. Tac.

Luc. 5. 6. & 7.

Ambros.

4 Vides quàm arduum, quàm subiectum fortunæ (C) regendi cuncta onus? Vides felicitatem onus esse plumbo grauius? nec sine arte, eâque perfectissimâ Principatum suscipi non secus, ac labyrinthum adiri posse. Benè quidem Chrysostom. hom. 52. in Acta hac de re aiebat: *Princeps est non qui vocatus est, sed qui verè est. Sicut enim Rex neque Medicum, neque Rhetorem facit, ita neque Principem: non enim litera, vel nomen Principem faciunt. Insuper si vis, extruat quis officinam Medicorum, habeat etiam discipulos, habeat & instrumenta, & pharmaca, & ingrediatur ad ægrotos, numquid sufficient hæc, vt præstent nobis Medicum? Minimè, sed opus est arte, & sine illa non solùm hæc nihil prosunt, sed etiam sunt damnosa. Et enim qui non est Medicus, melius fuerit, neque pharmaca habere: nam qui non habet, neque seruat, neque perdit, qui autem habet pessundat, nesciens illis vti: Quoniam non in natura pharmacorũ est salus solùm, sed etiam in arte adhibentis. Hoc enim nisi fit, omnia corrumpuntur. Talis etiam Princeps est, habet instrumenta, vocem, iram, lictores, proscriptiones, mulctas, dona, laudes, habet discipulos, milites, at sine medica arte illa ei non prodes-* (D) *sunt*, &c. Sed quæ hæc tandem regia ars fuerit? Pertinet id quidem ad totos lib. 3. & 4. in quibus de regia Arte pensiculatiùs agendum nobis est: pertinet & ad monita politica, quæ Principi nemo non scripsit: at enim talisue hæc ars fuerit? qualis generaliter ars definitur à M. Tull. lib. 1. de Oratoribus, dum ait: *Ars est, quæ cognitis, penitus vsq; perspectis, & in vnum exitum expectantibus, & numquam fallentibus rebus continetur.* Non opinor, quippe vt bene dicebat Maximus Tyrius nauiculam hanc immensum mare traiicientem: *Non gubernatoris tantùm ars conseruat, sed & ventorum commoditas, & ministerium singulorum, & instrumentorum agilitas, & natura maris*: id est, postquam artis consilio, prouidentiâ, labore, & egregiis adiutoribus Princeps vsus fuerit, adhuc ei cum ventorum impetu, & cum

Chrysost.

M. Tull.

Max. Tyr.

K natu-

M. Tull. naturâ maris, de quibus Cicero lib. 2. de Natura Deorum ſcitè ait: *Mare, & venti res violentiſsimæ*, concertandum eſt. Quibus ergo fundamentis hæc ſecurè firmiterque nitatur? Facilis omnino reſponſio, virtute, Deoque: ita quidem Chryſoſtomus, & Gregorius Magnus: ille enim in cap. 7. epiſtol. 1. ad Corinth. cùm dixiſſet: *Agricultura imitatur Principatum, eſt enim Princeps quidam plantarum cultor, alia quidem amputans, & prohibens: alia verò fouens, & excreſcere faciens.* Subiicit: *Hæc autem ars magis quàm alia à diuinâ gratiâ dependet, & ferè tota è cælo perficitur: nam neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Ita Chryſoſtomus. Chryſoſt. Greg. M. Ad quem modum Gregorius cùm gubernandi rationem ſic perſtrinxiſſet: *Vt Principes animaduertentes culpas corrigant, nec tamen per vim eius animaduerſionis intumeſcant, vt quadam leniter correpta tolerent, nec tamen diſciplinæ vincula eadem lenitate diſſoluant, vt quadam tolerando diſsimulent, nec tamen ea creſcere diſsimulando permittant.* Subdit: *Laborioſa ſunt iſta, & niſi diuina gratia fulciat, ad cuſtodiendum difficilia. Rectè verò de aduentu diſtricti iudicis per Sapientiæ librum dicitur. Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam iudicium duriſsimum in, qui præſunt fiet.* Hæc Gregorius.

August. 5. Sed illud maximè opportunum, quod Auguſtinus libro 2. de ordine cap. 20. tomo 1. Reipublicæ gerendæ, non niſi ſapiente perfecto, beato, & penè diuino gubernante contentus ex Pythagoræ ſenſu id luculenter adſtruit: nimirum eum ille Philoſophum miris laudibus efferet, quòd doctrinam de Republica adminiſtranda auditoribus ſuis non antea tradere ſolitus fuerat, quàm eos omni ex parte perfectos animaduertiſſet: vt inter proſperæ, & aduerſæ fortunæ fluctus, inter tot rerum mutationes, & varietates: inter tot caſuum diſcriminumque ſcopulos nauim, in qua humani generis ſalus vehitur non caſu, aut temerè, ſed diuinâ quâdam ratione dirigere poſſent: ſed id ab Auguſtino audire, operæ pretium fuerit: ait ergo: *Quod autem Pythagoræ mentionem feciſti, neſcio, quo illum diuino ordine occulta tibi in mentem veniſſe credo. Res enim multum neceſſaria mihi prorſus exciderat, quam in illo viro mirari, & penè quotidianis, vt ſcis, efferre laudibus ſoleo, quod regendæ Reipublicæ diſciplinam ſuis auditoribus vltimam tradebat, iam doctis, iam perfectis, iam beatis.* Sed quam ob cauſam? Subdit Auguſtin. *Tantos enim ibi fluctus videbat, vt eis nollet committere niſi virum, qui & in regendo penè diuinè ſcopulos euitaret, etſi omnia defeciſſent, ipſe illis fluctibus quaſi ſcopulus fieret: de ſolo enim ſapiente veriſsimè dici poteſt:*

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit.

Sic Auguſt. verum iis quàm appoſitè diuina concinnant, omnino obſerua: quippe *fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Lucæ 12. 42. Luc. 12. 42. Dei ope, & virtutis vi, atque auctoritate ſubnixus violentiſſimos ventorum (tales enim ſunt Aquilo, & Auſter) hàc illac ad nutum ducit,

Sceptra tenens, mollitq; animos, & temperat iras,
Imperio premit, ac vinclis, & carcere frenat.

Cant. 4. 16. Vel audi ſponſam Cantic. 4. 16. *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata eius*: vbi non immeritò dixeris: *Quis eſt hic quia mare, & venti obediunt ei?* Matth. 8. 27. Mat. 8. 27 Nec enim precibus, aut votis, ſed vi, & imperio ventorum impetum frangit; eoſque quò vult ducit. Magnum quidpiam certè ſe fuiſſe conſecutum exiſtimabat Salomon, quod ſapientiâ humanam excedente vim ventorum mente cognoſceret, vt illis leges imponere, & ſeuero imperio regere diuinæ ſolius eſſe videtur poteſtatis, quæ *fecit ventis pondus*: Iob 28. 25. Job. 28. 25. Verùm enimverò virtutis hæc via, & auctoritas eſt: quippe is, *qui virtute adhæret Deo, & vnus ſpiritus fit cum eo*, 1. Corinthiorum 6. 17. 1. Cor. 6. 17. Ita Dei vices gerit, & quà fidelis & prudens ſeruus Dei eſt, ita ab eo ſuper omnia bona ſua conſtituitur, vt ad inſtar eius omnia moderetur: ſic namque præfato Lucæ loco ſubiicit Dominus: Luc. 12. *Amen dico vobis ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* Ita omnino hæc omnia obſeruante, monenteque Gregorio Nyſſeno ad ea Canticorum verba homilia 10. ad hunc modum: Nyſſen. *Aſpice Reginæ poteſtatem, ex rebus tùm virtutem conſiderans, quanta per ſe imperans cernatur auctoritas in iis, quæ dicuntur. Non enim precibus, & votis id quod vult, efficit, ſed conuenienter vocatum, qui promiſit, quæ quidem dicit:* Fidelem, & prudentem diſpenſatorem factum eſſe dominum omnium, quæ habet Dominus: *Hac accepta poteſtate, Regis inſtar duos ventos regit, & diſpenſat, vt ſibi videtur, Aquilonem quidem à ſe iuſſu ſeparans, Auſtrum autem benignè vocans, & vrgens vt ad ſe veniat.* Sic Nyſſenus. En principem Deo duce, virtuti ſubnixum *in regendo penè diuinè ſcopulos euitantem*, quippe imperat ventis, & mari.

6 Apparet quidem id manifeſtiſſimè in Moyſe Iſraëliticum populum multum nimis ſicut arenam maris hàc illac facilè circumducente, ſiue tanquam nutrice infantem baiulante, imò verò tamquam Deo ventis, mari, terræ abſolutiſſimè imperante: ſic enim ipſi ſuammet auctoritatem, & poteſtatem commodaſſe Dominus dicitur, Exodi 7. 1. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*: Exod. id eſt, inquit Hilarius lib. 7. de Trinitate: Hilar. *Data eſt Moyſi auctoritas, & poteſtas, quâ velut Deus Pharaonem terreret, puniret, & nolentem cogeret dimittere Hebræos.* Luculentiùs Rupertus, qui perinde id eſſe ait, ac ſi dixerit Dominus: Rupert. *Ecce ego ſuſtollam te ſuper altitudinem nubium, faciamq; te Deum, non quem ille fideliter adoret, ſed quem ſeruiliter formidet, vt imperes aquis pro poteſtate Dei, vt ranas creent: vt imperes terræ, ac cineri, faciasq; in Rege, & in exercitu eius cyniphes, vt imperes aeri, & peſtem admodùm grauem generet, vt imperes igni, & cum grandine mixtus feratur ſuper peccatores. Sic imperando elementis, Deus eris Pharaonis.* Vide Moyſem tantâ auctoritate, & potentiâ tam in Reges, quàm in omnes creaturas pollente vt ipſum cuncti quaſi Deum reuereantur? Comminiſcere modò, quid ipſi paulò antè euenerit, Exodi 2. 13. via illum videlicet duos omnino è ſuis omni ſtudio, & diligentiâ adhibitâ regere, & ſedare potuiſſe, quin alter non ſine morſu ei reſtiterit, & impendentes inſultauerit: ita enim ibi: *Et egreſſus die altero conſpexit duos Hebræos rixantes, dixitq; ei, qui faciebat iniuriam. Quare percutis proximum tuum? Qui reſpondit. Quis te conſtituit principem, & iudicem ſuper nos? Num occidere me vis ſicut heri occidiſti Ægyptium?* Committe ergo Moyſem cum Moyſe, vt animaduertas, quid interſit inter Principem Deum adiutorem habentem, & non habentem: hic quippe etiamſi *inſtrumenta, vocem, iram, lictores, proſcriptiones, mulctas, dona, laudes, milites* (vt aiebat Chryſoſtom.) *habeat, ſine regiâ arte nihil eproderunt*: ille Chryſoſt. verò, & hominibus, & mari & ventis ad Dei inſtar imperabit: *Hæc namque ars magis quàm alia à diuinâ gratiâ dependet: & ferè tota è cælo perficitur. Nam neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Quæ quidem omnia noſter Vates opportunè firmat Pſalmo trigeſimo ſecundo, 16. Pſ. 32. 16. dum ait: *Non ſaluatur Rex per multam virtutem, & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ. Fallax equus ad ſalutem*: præſertim ſi iis addideris, quæ de florentiſſimo hoc Moyſis imperio inquit Philo libro de præmiis: Philo. *Regnauit Moyſes non more aliorum fretus copiis equeſtribus, & pedeſtribus, ſed Deo autore auctoritate regnum acceperat.* Ideò ſanè qui antea vel duorum motum compeſcere non valuit, infinitam poſtmodum multitudinem feliciſſimè rexit, fouit, & tutatus eſt: ſi namque Deus ventis, & mari impe-

imperare solet, vt non modò venti, & maria sedentur, sed ipsimet fluctus placidissimè componantur, *fiatq; tranquillitas magna.* Matth. 8. 26. pulcbrè id adnotante Chrysostomo hom. 28. in Matth. hunc in modum: *Non ventos solùm & tempestatem, sed quod inauditum omnino erat, fluctus, vndasq; statim composuit. Nam etsi ex ventorum cessauerit, permanent tamen fluctus vndarum diutius, sed non ita hic: non enim naturâ duce, aut arte fiunt, quæ à Christo fiunt, sed simul omnia finem suum assequuntur.* Ita Chrysostomus.

Matth. 8. 26.

Ad eadem verba,

In innocentia cordis mei in medio domus meæ.

Principem maximè perfectum esse debere, quòd totum regni pondus super eum incumbat, & de cunctis subditis singillatim rationem Deo redditurus sit.

ADNOTATIO XI.

1 SI regni felicitas, vel ipsismet ethnicis oculis pensitata, *Onus est plumbo grauius, quòd tam subuertat, ac deprimat, qui illud humeris imposuerit, nisi planè sit robustus*: dicebat quippe Tiberius ille Princeps ciuilis doctrinæ apprimè gnarus, *se in partem curarum ab Augusto vocatam experiendo didicisse, quàm arduum, quàm subiectum fortunæ regendi cuncta onus.* Quid rogo de hoc nunc diceret, qui illud spiritualibus, & Christianis oculis pensitauerit, minimè ignarus Principem in puppi celsa ad gubernacula collocatum, nauem in quâ generis humani salus vehitur, tamquam fidei & industriæ suæ commissam eâ ratione regere, vt de cunctis subditis suis summo omnium mortalium Iudici rationem sic omnino redditurus, apertissimè dicente Paulo: *Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*: ad Hebr. 13. 17. Quod si æternatum rerû curæ, ac difficultates pungentes spinæ sunt, regium caput, vt vidimus, stimulantes, quod quæso, indicium tuletis de ea ingenti sollicitudine, quæ Principis animum coquere, & versare debet in pectore eius fixa, quòd in extremum animæ periculum ob Principatum vocatus videatur, *nisi planè sit robustus*: cùm totum regni pôdus super ipsum incumbat? quasi vnusquisque è subditis peculiaris quædâ spina sit, quæ Principis caput, animumque lancinet atque compungat. Vnde non inter præfato loco Paschasius, in quo de spineâ Domini coronâ ei vsque ad mortem inhærente agebat, subiecit: *Porrò spinas, quas in capite gestauit, non mutauit, neque alicubi transposuit.* Vt dixerit, hanc curam, sine onus, quod Principi incumbit reddendi rationem pro subditis, spinam esse, quæ semel infixa, nec diuelli, nec in alium transferri, siue in alia bona operâ commutari queat; sed ei quâ Princeps est, necessaria ratione hærere debeat. Iam verò huius doctrinæ vim sic in præfata verba ad Hebræos vrget Chrysostomus: *O quantum est periculum! Quid miseris illis dixerim, qui se conicunt in tantam abyssum suppliciorum? Omnium, quos regis, mulierum, & virorum, & puerorum à te reddenda est ratio.* Audis tot spinas, quot subditos Principis animum lancinaté? Vide iam hæc omnia reapse expressa.

Corn. Tac.

Hebr. 13. 17.

Paschas.

Chrysost.

2 Peccauit quidem Israeliticus populus in Moabitarum feminarum pulchritudine offendens, Numeror. 25. 3. *Initiatusq; est Israël Beelphegor.* Quid tunc primùm Dominus? Audi: & iratus Dominus ait ad Moysen: *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis.* Quid? Credibile ne fuerit, Principes à Deo ad populi gubernationem electos, primos ad turpissimum illud scelus proruisse? Non opinor: cur igitur è vestigio contra Solem in patibulis suspensi? Occurrunt LXX. & ab illis Origenes: dum præfata verba ad Principum examen, & quæstionem de ipsis sumptam potiùs quàm ad punitionem, sic referunt: *Accipe omnes Principes populi, & ostruta eos Domino contra Solem*: vt sensus sit: Suspende illos in equuleo, & quæstissimâ disquisitione, & seuerissimis quæstionibus illos examina, vt de populi peccato rationem cum primis reddant: vtrùm videlicet muneri suo inuigilauerint? opportunas leges, & salutaria subditis monita, cùm adhuc integra res erat, dederint? subinde verò an cùm ad peccandum illi proni labebantur, debitis eos castigationibus cohibuerint? Deniq; an peccatum in paucos primùm serpens ferro excindere, ne ceteros contagio corrumperent diligenter studuerint? De his namque omnibus Domino ostentati, mihi scilicet rationem reddere, me videlicet interrogante, iisque mihi, quem minimè fallere poterunt, respondentibus: ita omninò hæc verba premente Origene, homilia vigesima prima in Numeros: *Populus peccat, & principes ostentantur contra Solem, iidem ad examinandum producuntur. Vides, quæ sit conditio Principum populi? Non solùm pro suis propriis arguuntur delictis, sed & pro populi peccato coguntur rationem reddere, ne ipsorum sit culpa, quod populus deliquit: ne fortè non docuerint, ne fortè non monuerint, neque solliciti fuerint arguere eos, qui initium culpæ dederint, vt ne contagio dispergeretur in plures. Hæc enim omnia facere, Principibus imminet.* Hæc Origenes. Quibus illa sunt annectenda ea Chrysostomo homil. 2. in epist. 2. ad Timoth. *Iam verò considera, quantum periculum sit, per singulos subditorum discuti, rationemq; pro omnibus reddere.* Quò omnino faciunt Salomonis verba Sapientiæ 6. 9. vbi cùm præmisisset: *Potentes potenter tormenta patientur.* Subiicit: *Fortioribus autem fortior instat cruciatio.* Quod si ambigas: in quo hæc ab illa sententia differat? facilis est ex Græco fonte responsio; quippe ibi pro *cruciatio* ea vox est, quam opportunè vertas *scrutatio*. Vnde is, valde quidem minas Principibus sensus subest: eos non vtcumque siue perfunctoriè, sed fortissimâ, & acutissimâ disquisitione fore examinandos, qui non modò de propriis reatibus, sed de omnium subditorum peccatis rationem sint reddituri: *Ne ipsorum sit culpa, quod populus deliquit, ne fortè non docuerint, ne fortè non monuerint, neque solliciti fuerint, arguere eos, qui initium culpæ dederint*, &c.

LXX.

Origen.

Chrysost.

Sap. 6. 9.

3 Huc valde opportunè aduoces illum tam ingentis, siue enormis summæ debitorem, cuius meminit Matthæus 18. 24. dum ait: *Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.* Quem eundem esse cum illo, qui quòd decem mnas egregiè administrasset, decem ciuitatibus præpositus fuisse sic dicitur Lucæ 19. 17. *Quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates*: siue vt habet lectio Syriaca: *Dominaberis super decem ciuitates*: vt superiùs ex Origine tractatu septimo in Matthæum adstruximus. Quòd si denuò ambigas, quonam modo *vnus* homo tam immane æris alieni debitum contrahere potuerit, quale quidem nec decem millia hominum vix contraxerint? cùm apud Lucam Dominus sese cum fœneratore componens, debitoresque suos recensens, eum qui maiori summæ erat obnoxius, quingentorum tantùm denariorum debitorem fecit, inquiens: *Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta.* Lucæ 7. 41. Respondet Origenes, eam causam esse quòd non pro se tantùm, sed pro omnibus etiam, sibi in decem illis vrbibus subditis rationem reddere coactus sit: bene omnino decem vrbibus respondente enormi illo decem millium talentorum debito: nam cùm millenarij numero vniuersitas

Matth. 18. 24.

Luc. 19. 17.

Luc. 7. 41.

Greg M. uerſitas deſignetur, vt ex Gregor. Magno Adnotat. 3. A numero 4. vidimus: decem millia talenta debere, perinde fuerit, ac omnibus decem vrbium peccatis obnoxium eſſe, ac de illis rationem reddere, omnia *Origen.* hæc admonente ibi Origene: nam primùm quidem ſic ait: *Iſte nihil modicum, ſed omnia magna, & peſſima peccauit, qui oblatus eſt Regi, qui forſitan tot talenta perdidit, quantos perdidit homines, qui receperunt eum in ſe talia operantem peccata.* Deinde verò dum obſeruat, de hoc tam ingentis ſummæ debitore notanter dici, quod haberet vxorem, & filios, atque id capit, ac ſi Principem, ciuitates, & ſubditos habere dicatur, ait *Galat. 4.* enim: *Sicut enim Hieruſalem, quæ ſurſum, eſt Pauli, & omnium ſimilium ei, ſic mater eſt quorundam quidem Syene Aegypti, vel Memphis, aliorum autem Tyrus, & Sidon: & ſicut Hieruſalem ſponſa eſt ornata viro ſuo Chriſto, ſic & illa matres virorum quorumdam poſſidentium eas coniuges ſunt, vel ſponſæ, & ſicut ſunt quidam filij Hieruſalem quaſi matris, & Chriſti quaſi Patris, ſic ſunt quidam filij Syenes, vel* B *Memphidis, vel Tyri, vel Sidonis, & præpoſitorum eis Principum quaſi patrum.* Inde ſic infert: *Vnuſquiſque ergo habentium ſecundùm quod diximus vxorem, vel ſponſam, vel filios daturus eſt rationem, cùm venerit Rex ponere rationem. Vnuſquiſque enim eorum habet, & debitores quaſi Principes aliquos, vel Syenes, vel Memphidis, vel Tyri, vel Sidonis.* Hæc ibi Origenes.

Chryſoſt. 4 Vides, quantum ſit periculum, vti dicebat Chryſoſtomus: *per ſingulos ſubditorum diſcuti, rationemq́ pro* *Origen.* *omnibus reddere?* Meritò ergo clamat Origenes præfato loco in Numeros: *Hæc ſi cogitarent homines, nunquam cuperent, nec ambirent ad populi Principatum. Sufficit enim mihi pro meis propriis argui delictis: ſufficit mihi pro memetipſo, & peccatis meis reddere rationem. Quid mihi neceſſe eſt, etiam pro populi peccatis oſtentari? & oſtentari contra Solem, ante quem nihil poteſt abſcondi, nihil obſcurari.* Sanè hac ratione myſticæ illæ Ezechielis rotæ quibus Principes, ac Duces populi deſignantur, C *Ezec 1.18.* plenæ oculis notanter eſſe dicuntur: ſic namque Ezechiel 1.18. *Statura quoque erat rotis, & altitudo, &* *Lect. Heb.* *horribilis aſpectus, & totum corpus oculis plenum in circuitu* *Pagnin.* *LXX.* *ipſarum*: vbi lectio Hebræa apud Pagninum, & LXX. notantes reponunt: *Et dorſa earum plena erant oculis.* Quod ſi inquiras: Cur oculis à facie reuulſis in dorſo fuerint collocati? Quid enim oculis, & dorſo, quæ ferendo oneri deſtinata corporis pars eſt? Reſpondebo per partes huic dubitationi. Et quidem in primis Principē oculos à facie effoſſos habere, eò non incongruè retuleris, quòd cùm neceſſe ſit, aliquos ex hominibus ad Rempublic. gerendam aſſumi, ij qui eius onus tandem ſuſcipiunt, oculos tunc quibus oneris enormitatem, & periculi magnitudinem vndequaque obſeruent, quodammodò non habere videantur, vti inquit Origenes: *Hæc ſi cogitarent homines numquam cuperent, nec ambirent ad populi Principatum.* Diuinâ quidem Prouidentiâ ad hanc non adeò exactam obeundi muneris conſiderationem quodammodò conniuente, imò verò accurato D ſtudio, & pulcherrimo artificio, ſiue bono dolo (de quo Prætor non dat edictum vt inquit Conſultus in *L. 1. D. de dolo.* lege 1. *D. de dolo*) eos quos nouit munere rectè functuros, ſi ſic loqui fas eſt, capiente. Vel vide quonam modo ſe geſſerit cum Iſaiâ, dum populi curam atque inſtitutionem ei mandare voluit. Nimirùm vt ſibi di- *Iſai. 6. 8.* centi: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Vates annuerit illis vocibus: *Ecce ego mitte me*: cum priùs fragorem, & terribilem in templo ſtrepitum præmiſit, vt cælum ruere, fractuſq́ue illabi orbis videretur: ſic quippe ibi: *Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta eſt fumo.* Firmiſſimas nempe templi columnas quatiens, totamq́ue domum velut à fundamentis conuellens, ſimulq́ue denſiſſimis tenebris implens, vt bonus Vates non alio tunc tremore, ſtuporeq́ue perterritus, quàm ſi fractus ſuper ſe orbis dilaberetur, ſiue ſuæ quodammodò infirmitatis immemor, ſiue ponderis immenſitatem nō omnino librans, & cū ſuis humeris cōponens, fumo eius oculos occupante, cæco quodam, ſed diſerto obediendi impetu oblatum ſibi munus ſuſcipere non recuſauerit: ſic pulchrè id ibi adnotante Foretio, dum primùm *Foreriuſ.* Iſaiam, *metu correptum, & propè attonitum* facit: deinde verò ſubiicit *cùm hac Prophetam quoque ſtupefeciſſent, ne fortè agnoſcens imbecillitatem ſuam munus detrectaret.* Ita ille. Nec aliam quidem Gregorio Nazianzeno men- *Nazianz.* tem fuiſſe dixeris cùm in Pontificatum, vel inuitus ſuffectus, vt infixum cordi ſtimulum obtunderet, curamq́ue quæ illius animam perpetuò torquebat, tantiſper alleuaret, hanc Iſaiæ in ſuſcipiendâ populi curâ promptitudinem ob oculos ſibi proponebat, ſecumq́ue ſubinde ad hunc modum ratiocinabatur: *At enim rurſus ad hiſtoriam feror, ac veterum probatiſſimos quoſque conſiderans, eos omnes, quos diuina gratia vel ad gubernandam plebem, vel ad Prophetiæ munus vmquam elegit, partim alacri animo vocationi paruiſſe, partim oblata gratia moram iniecîſſe reperio; nec vel eorum qui pedem ſubduxerunt culpandam timiditatem, vel eorum, qui ad impoſitum ſibi munus obeundum impigrè ſe accinxerunt, reprehendendam alacritatem. Illi quidem miniſterij magnitudinem extimuerunt, hi contrà vocantis ope confiſi paruerunt. Aaron promptus erat, Moyſes autem repugnabat: Iſaias impigrè obediuit, at Ieremias iuuenilem ætatem metuebat.* Sed enim hæc ſecum collocutus, ſiue meditatus Gregorius, ſtatim ſeſe diſertiſſimè ſugillabat, quaſi ad Pontificatum ſuſcipiendum, à culminis illecebrâ blandè decipi ſe ſineret, aiebat quippe: *His rationibus meipſum incanto, ac mihi animus ferri inſtar paulatim cedit, ac emollitur.* Vbi omnino obſerua pulcrum, & emphaticum dicendi C modum *meipſum incanto*: id eſt, mentem meam veneficis carminibus turbo, & veluti amatoriis poculis intellectus aciem, ſenſuſq́ue meos ſuauiter conſopio, atque decipio, ne ſcopulos, ſaxa, charybdim, ſcyllam, totq́ue vitæ diſcrimina, in quę præceps feror, animaduertam. Vnde illico notanter ſubiicit: *Propterea non repitor, neque contradico, vt loquebatur Dominus meus, cùm non ad præfecturam vocaretur, ſed tamquam ouis ad occiſionem duceretur.* Vbi, ſi tantiſper attendis, ſeipſum ad Præfecturam euntem cum oue ad occiſionem ductâ non obſcurè componit: vt perinde fuerit Principatum, ac mortem obire. At enimverò rem omnino auget Moyſes, qui mortem non modò præ Principato optabat, ſed vt rem ſibi grauiſſimam ſic à Domino petebat, Numer. 11. 14. & 15. *Non poſſum ſolus ſuſtinere* *Nu. 11. 14.* *omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi, ſin aliter tibi videtur, obſecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis affligar malis.* Vbi Hebræa & LXX. *Lect. Heb. LXX.* D diſertè habent: *Si autem ſic tu facis mihi, occide me interemptione, ſi inueni miſericordiam apud te.* Quid verò fuerit mirandum, aut Moyſem diuino lumine afflatum, aut Gregor. Nazianzen. limatiſſimi iudicij virum ad hunc modum de Principatus diſcrimine cenſuiſſe, cū Gentilis Demoſthenes apud Stobæum ſer. 43. nec *Demoſth.* hilum ab iſtis magnis viris diſcrepans dixerit: *duabus viis propoſitis, alterâ ad tribunal, alterâ ad inferos, prudentem virum præoptaturum eſſe eam, quæ ad inferos ducit.*

5 En quid ſignificet. Rotis hiſce effoſſos à facie oculos fuiſſe. Iam verò illos ipſis in dorſo in ea ſcilicet corporis parte, quæ ferendo oneri facta eſt non duplicatos modò, ſed multiplicatos collocari, atque infigi, non tantùm portendit, bonum Principem ſubditos ſuos vnicè diligere, & in oculis ferre debere, ſed etiā ſignatè, & peculiari ratione ſubditorū onus ſuper

ipſius

ipsius oculos immediatè imponi: tam vt attentissima de illis cura, maximaque sollicitudo atque molestia illius animum indesinenter vrgeat, quàm vt multos illi hac de re gemitus, & magnam lacrymarum vim ab ipso exprimat, quemadmodum quidquid in oculos incidit, quamuis leuis festuca fuerit, lacrymas ab illis excutit. Etenim quantumcumque sibi Princeps arroget, & prudentiâ, atque virtute nubes transcendere, & cælum ipsum capite pertingere præsumat, nũ in *nubibus æquabitur Domino, aut similis erit Deo in Filiis Dei?* Enimverò quale hac de re ipsamet Dei Sapientia iudicium tulerit, quamque immensi discriminis negotium, vel vnius quidem hominis gubernationem esse censuerit, facilè conieceris, si cum ipso ad mortui Lazari sepulchrum ac exsuscitationem ieris: ibi enim modestissimum Dominum non modò lacrymas fundere, ardentiaque suspiria, & cetera mœstissimi animi signa dare, sed altiùs etiam ingemere; quodque à tanta maiestate quodammodò videbatur alienum, diros leonis instar fremitus edere, & quod plus est, sedatissimum illud, ac placidissimum pectus, quod Olympo au[illegible]s excedente, imò cælo ipso cùm maximè serenum existit, multo altius erat, turbari, & velut æquor agitatis fluctibus, & reciprocantibus vndis vehementiùs commoueri videris, hæc omnia singillatim obseruante Ioann. cap. 11. nam de lacrymis vers. 33. ait: *& lacrymatus est Iesus*: de
Ioa. 11. 33. & 35. & 38. fremitu vers. 35. *infremuit spiritu.* & vers. 38 *rursum fremens in semetipso*: de turbatione verò v. 33. *& turbauit seipsum.* Iam meritò ambigis, quò ierint, tot tã magna, tam insolita, doloris, & anxietatis argumenta præsertim cùm maximè lætandum, atque plaudendum videbatur? Benefacere siquidem, & morsuo vitam dare, vt facinus Principis magnitudine vndequaque dignum, ita gaudij occasio, & profusæ lætitiæ materia meritò fuerit. Sed enim diuinæ sapientiæ aliter visum: & Lazarum ad vitam reuocare non mediocris sibi curæ occasionem censuit, eâ omnino ratione, quòd eum, quem turbulenti maris fluctibus ereptum in tuto, ac fido littore collocauerat, denuò gubernandum, & per huius vitæ scopulos ducendum
S. Isid. Pel. rursus susciperet. Sic id expendente S. Isidoro Pelusiotâ lib. 2. epist. 173. *Cùm autem institià (Lazarus) præditus esset, atque ex huius vitæ stadio cum laude, atque gloria excessisset, non est dubium, quòd in requie, & honore esset. Quoniam igitur ob suam gloriam à morte ad vitam excitaturus esset, collacrymauit, his propemodum verbis vtens: Eum qui portum iam appulerat, rursus ad fluctus, & procellas voco, eum qui iam coronam consecutus erat, ad certamina rursum duco;* vt dicere Dominus videatur: Redditeram ego iam de Lazari anima rationem, manu duxeram illum peculiari curâ, ac prouidentiâ: ac dum ipsum extra telorum iactum constitueram, eam à capitis corona, siue ab animo ipso pungentem spinam vlceram, quid noua ipse discrimina modò subeat, & difficile stadium humeris meis denuo impositus percurrat? *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur*
Psal. 35. 4. *spina.* Psalm. 31. 4.

6 Sed enim illam tandem nostro instituto opportuniorem reddideris rationem, cur Principum *dorsa plena oculis* esse debeant. Quod videlicet eorum vita quatenus ei oneri ferendo, & Reipub. gerendæ addicta est, innocentissima, ac purissima, non secus ac oculi, siue oculorum pupillæ, quibus nihil in toto corpore purius, aut delicatius inuenitur, omnino esse debeat. Quod omnino expressit noster Rex, qui vt hic viam suam vndequaque immaculatam, & exactissimam cordis innocentiam proponit, ita albi quo regio muneri idoneus videatur obnixè à Deo efflagitat, vt tamquam oculi pupillam, ipsum custodiat.
Psal. 16. 8. Psalm. 16. 8. inquiens: *Custodi me, vt pupillam oculi: sub*

P. Velasquez in Psalm. centesimum.

vmbra alarum tuarum protege me. Quam oculorum imaginem omnimodam puritatem denotare optimè huc intentus expendit Ambrosius lib. 6. in Hexamer. c. 4. Ambros.
vbi cùm dixisset: *tutum auxilium postulam Propheta ait:* Custodi me Domine, vt pupillam oculi; *vt protectionis diuina fieret ei tam sollicita, & tuta custodia, quàm pupillam oculi tutissimo quodam natura vallo munire dignatus est.* Subiicit: *Quia innocentia, & integritas leui sorde aspersa violatur, & gratia suæ munus amittit, & ideò perspiciendum est, ne quis eam puluis erroris oblimet, aut vlla vexet festuca peccati.* Nimirùm tali innocentiæ puritate ornatus, imò verò munitus esse oportet, qui alios à peccato defendere, ac munire tenetur, & de illis rationem redditurus est; tam assiduâ & pungente curâ illorum saluti, & integritati operam nauare debet, vt tot oculos huic rei intentos, atque vigilantes habeat, quot ei subditi sunt. Quò maxime facit, quod Augustinus adnot. Augusti.
præced. adductus de Pythagora aiebat: Regendæ Reipub. disciplinam non nisi *auditoribus iam doctis, iam perfectis, iam sapientibus, iam beatis*, tradere solitum: *tantos enim ibi fluctus videbat, vt eis nollet committere nisi virum, qui & in regendo penè diuinè scopulos euitaret, & si omnia defecissent, ipse illis fluctibus quasi scopulus fieret.* Virtute scilicet, constantiâ, iustitiâ, fortitudine, & integritate. Nec minùs opportunum fuerit quod idem met Augustinus epist. 148. cùm in consortium Episcopatus vocaretur à Valerio de Pontificatus munere censebat ad hunc modum: *Nihil apud Deum miserius, tristius, & damnabilius Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè res agatur*: id enim Principi suo etiam modo aptari potest. Nam vt terror Dominicæ vocis: *Si dicente me ad impium: Morte morièris: non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Ezechiel. 3. 18. querulosas, & vberioribus lacrymis interlitas voces has excussit Augustino, ita & Principem virtuti, & Regni gubernationi perfunctoriè incumbentem maximè premere, & vrgere debet. Ad quem planè modum Gregorius Greg. M.
Magnus lib. 24. Moral. cap. 30. sapienter monet: *Necesse est vt is, qui præest, quæ exempla subditis præbeat, solerter attendat, & tantis se sciat viuere, quantis præest. Non autem debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines benè viuendo præire, ne qui ad hoc eligitur, vt aliorum culpas corrigat, quod resecare debuit, ipse committat.* Quare post nonnulla sic tandem concludit: *Vnde magnoperè curandum est, vt qui regendis hominibus præfertur apud se intra secretum mentis in cathedra præsideat humilitatis. Cumq; indsicantis et à ceteris foris assistitur, vigilanti oculo incessanter aspiciat, cui quandoq; Iudici ipse de his iudicandus assistat, vt quantò nunc ante eum, quem non videt solicitus trepidat, tantò eum cùm viderit securior cernat.* Hæc Gregorius, Rotarum oculis opportuna.

Ad ea verba,

Quando venies ad me?

Principi virtute conspicuo felicem rerum exitum, fortunatamq; Regni Administrationem à Deo obtingere.

ADNOTATIO XII.

1 HVc planè si attendis, Ethnicorum hominum vota, consilia, voces, querelæ perpetuò ibãt, vt fortunam sibi amicam & propitiam exoptarent haberentque: nimirùm quã vitæ siue sæculi huius nauim gubernãtem, hominesq; siue fortunatos, siue infelices facientẽ omnino confingebant. Sic enim illam in primis apud Dionem Chrysostomũ orat. 64. Dio. Chry.

& clauum tenentem, & collectos fructus spargentem A depictam videris, quippe illam facit: *Dexterâ manu clauum tenentem, vt quis dicere possit nauem regere, quod vitam nobis, quasi nauem magnam gubernet, omnesq́; saluet nauigantes. Alterâ autem manu partos, collectosq́; tenere fructus, atque indicare bonorum, quæ ipsa dare soleat, multitudinem:* *Plutarch.* deinde apud Plutarch. lib. *de Fortuna Romanorum.* Amaltheæ cornu itidem, vt Dion, in eius manus dantem his verbis: *Illud omnium sermonibus celebratum: Copiæ cornu in manu habet non frugibus semper florentibus refertum, sed largissimè omnia profundens, quæ omnis terra, omne mare, omnia flumina, metalla portusq́; ferant.* Ergo in hanc cæca gentilium auiditas, siue ambitio, vota, preces, & voces suas dirigebat: & siue benignâ, siue auaram experti, de eâ aut laudes, aut conuitia adornabât. *Plinius.* Pulchrè Plin. lib. 2. nat. hist. c. 7. discordantes hominum de Dei Prouidentia sententias componeos, eos in Fortunam omni modo, & tempore intentos sic irrider: *Inuenit tamen inter has vtrasq́; sententias medium sibi ipsi mortalitas Numen, quo minùs etiam plana de Deo coniectatio esset. Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusq́; horis, omnium vocibus Fortuna sola inuocatur, vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vnà cogitatur: sola laudatur, sola arguitur, & cum conuicijs colitur: volubilis, à plerisq́; verò, & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix.* Pergit eleganter: *Huic omnia expensa, omnia feruntur accepta, & in totâ ratione mortalium sola vtramque paginam* (Hispanè diceris *el debe, y el ha de auer*) *facit.* *Seneca.* Ad quem planè modum Seneca cum varijs in locis ex suo ingenio Fortunam æstimet, vt in consolatione ad Polybium c. 21. inquiens: *Quò melior enim est quisque, hoc sæpiùs ferre te consueuit, sine vllo delectu furentem, & inter ipsa beneficia metuendam:* & in Consolatione ad Marciam cap. 10. *Vt varia, & libidinosa, mancipiorumq́; suorum negligens domina, & præmijs & pœnis errauit:* C & epist. 75. Illam ludos facientem sic inducens: *Hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum honores, diuitias, gratiam excutere.* Quid homines de illa sentiant, siue quo modo cum ipsâ se gerant, sic argutè aperit epistol. 22. vt affirmet, de eâ illos quomodo de amicâ queri solitos: *id est, si verum affectum eorum inspicias, non oderunt, sed litigant;* vt ex amicarum siue pellicum imagine, cum quibus miseri amatores ob difficile, & morosum, siue etiam stomachosum earum ingenium acerbasque repulsas, & quotidiana iurgia, & quotidiana pacis fœdera *Terent. in Eunuch. Scen. 1.* habent? nam vt ille dicebat: *In amore hæc omnia insunt, iniuria, suspiciones, inimicitiæ, inducia, bellum, pax rursum:* dixerit Seneca, quod Plinius fortunam ab hominibus cum conuicijs coli, & simul argui, siue ream agi, & inuocari, atque laudari, nec tam ab eius D complexu velle diuelli, quàm queri & litigare, quod non benigniùs eos respiciat, & tenaciùs stringat: imò & ipsemet rigidissimus Philosophus ex suo sensu virtutem illâ tantisper indigere affirmauit; sic namque ait lib. de vitâ beatâ cap. 16. *Sed ei, qui ad virtutem tendit, etiamsi multum processit, opus est tamen aliquâ fortunæ indulgentiâ adhuc inter humana luctanti.* A *Seneca. Plutarch.* quo nec iuit Plutarchus cùm in commentario de virtute morum ait: *Prudentia fortunâ opus esse, vt quæ se in res dimittat plenas erroris, atque tumultus, propterea q́; necesse sit, sæpenumero cum fortuitis casibus rem habere.*

2 Hæc planè Gentilium de Fortuna mens: nec gentilium tantùm: cùm suis etiam cultoribus aliquando (vtinam non etiam modò) Dominus obiecerit: *Qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis super* *Isai. 65. 11* *eam.* Isaiæ 65. 11. vt dixerit, qui ad morem gentilium compositi, facitis Fortunam deam, cæloque locatis, qui ore, & opere, non à me, & à recta viuendi ratione, sed à casu, & Fortunâ vestram felicitatem siue in pace, siue in bello vndequaque speraris. Quare obserua vocem גד *ghad*, quæ in Hebræo *Fortunæ* respondet ancipitem esse, & ideò præterquam quod coniunctionem planetarum, aut sidus faustum nec non bonum euentum potèst significare vt auctores Hæbræi admonent, à Bibliâ Regiâ signarè accipi de *Stel-* *Bibl. Reg.* *lâ Iouis:* à quo regna, Principatus, & egregios honores *Furster.* perebant Ethnici, à Furstero autem, & Foretio de *Fore.* stella Martis, à quo belli fortunam peodere credebant gentes vt exprimatur illud Tragici:

Senec. Tra.

Licet omne tecum Græciæ robur trahas,
Licet arma longè miles, ac latè explicet,
Fortuna belli semper ancipiti in loco est.

Iul. Cæsar. vti & Iulius Cæsar bellorum peritissimus li. 6. Comment. dicebat: *Etsi multùm cùm in omnibus rebus, tum in re militari potest Fortuna:* itidem verò vocem מני *mini*, B quæ est in sequenti hemistichio, *& libatis super eam* eosdem mer Auctores ad stellam Mercurij referre, vt idem sinistrorum Fortunam coleotium sensus ac illius *Plautus.* qui apud Plautum dicebat:

Centum doctorum hominum consilia, hæc diuitit dea
Fortuna, atque hoc verum est, vt quisque Fortunâ
Ita præcellere, atque sapere omnes dicimus.

Quò pulchrè facit quod Plutarch. supra citatus ait: *Sapientia in hunc vsque diem templum non est, neque temperantia, aut tolerantia, aut magnanimitati, aut continentiæ. Fortunæ verò templa sunt splendida, & antiqua, ac tantùm non cum primis Romæ fundamentis posita:* vt appareat opportunè dixisse Plinium de Fortunâ: *Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusq́; horis, omnium vocibus Fortuna sola inuocatur:* quando tam ad Principatus, & honores, quàm ad felices belli euentus, & quod C plus est, ad sapientiam, siue ad sapientiæ munera obtinenda imploratur, & ab eius ope siue Principes siue belli duces, siue litterati, & sapientes homines, siue quotquot felices euentus quâuis in re habere cupiunt, pendere videantur. Quod benè expressit Dio Chrysostom. orat. 63. inquiens: *Ipsa bella ge-* *Dio Chry.* *rentium est Victoria, & pacem agentium concordia, & nuptias contrahentium beneuolentia, & amantium voluptas: & breuiter bonus in omni re successus.* Quæ sanè omnia vt ex horum sensu, qui faciunt Fortunam deam, cunctis mortalibus communia sunt ad Principes quidem signatè pertinent, quod pro maiori, quàm inuenit materia, in Principum rebus, aut maiores, & periculosiores ludos faciat, aut eos impensiùs adiuuet, vti inquit Thucyd. lib. 3. *Eò magis, quò de maioribus agitur,* *Thucyd.* *de libertate, aut imperio in alios obtinendo.* Vnde ipse lib. 4. ait, *multos ex antiquis Imperatoribus quidquid prosperè gessissent, Fortunæ attribuisse, illamq́; ipsam Fortunam,* D *quâ aspirante res prosperas gesserunt veriti esse.* Cui sententiæ vel ea ratione se subscribere affirmat Q. Curtius *Q. Curt.* lib. 15. Quod nemo vmquam fuerit peritus Faber suæ fortunæ: addens: *& quod aliquando vrbes ab hostibus expugnatæ non fuerint, Fortunæ adscribendum videtur.*

3 Verùm enimuerò iis ignorantiæ, siue erroris tenebris eam lucis siue Solis lanceam tam Christiana religio, quàm recta ratio infernnt, quæ Fortunam cælo, solioque sic deiicit, atque proturbat, vt non modò ipsius Numen sed nomen ipsum etiam auersetur, & quidquid ipsi à cæcutientibus hominibus adscribitur, ad vnam Dei Prouidentiam penes quam rerum omnium, bonorumque, ac malorum euentuum sit, omnino referat, Sapiente in primis disertissimè prædicante: *In manu Domini prosperitas hominis, & super faciem scribæ imponit honorem suum* Ecclesiastici *Eccl. 10. 5.* decimo, 5. Vbi in primis non dubium, quin de Principum prosperitate agatur, vt ex præcedentibus apparet, quod omnes adnotarunt interpretes, &

ex

Eccles. 1. 3. ex voce *hominis* iam dudum me obseruasse memini Salomonis meorem secotus Eccles. 1. 3. *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub Sole?* & Cancit. 8. 7. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ:* vtrobiqne hominia oomine, hominem potentissimum denotantis: deinde dum Principum felicitatem regnorum negotia prosperè administrantium, & felicea rerum exitus obnoeorium signatè *in manu Dei* constituit Sapiens, clauum, quem naoi huius vitæ segendæ Ethnici suæ Fortunæ in manus dabaot, vti ex Dione vidimus, ab illa extorquet, & ad Dei manum traosfere, vt ipse omnino tanquam supremus rerum humanarum arbiter, & peritissimus gubernatur nauim dirigat: *formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* Isai. 45. 7. Isai. 45. 7. varias scilicet rerum mutationes boooſque malos euenrus pro Priocipum meritis perficiens: sic hæc omnia disertissimè confirmante Philone lib. *de diuina immutabilitate*, vt ipsummet Fortunæ nomen de medio opportunè auferat: ait enim: *Totus orbis habitabilis, more nauis susque deque iactata alternis fluctibus nunc secundis ventis, nunc aduersis vtitur: nam Verbum diuinum choreas in orbem ducit, quod vulgus hominum Fortunam nominat, & cùm perpetuò feratur per ciuitates, gentes, regionesque res aliorum aliis, omnium omnibus tribuit subinde variantibus apud singulos temporibus, vt totus terrarum orbis, tamquam vna ciuitas optimo Reip. genere administretur populari regimine.* Pende hæc extrema, *optimo Reip. genere administretur.* Quale verò id fuerit, nisi cùm vnicuique pro meritis aut præmia, aut supplicia deceronntur? Eo ergo & Regum prosperitatem in manu Dei positam, & Principes peritos (si velint) fortunæ suæ fabros, quod negabat Curtius: cùm virtute, cui auxiliaris Dei manus perpetuò adest, possint, quò contenderint feliciter peruenire. Id quod & ipsemet Gentilis Tullius in orat. pro M. Scauro sic sapienter confirmat: *Posse virtutem sine præsidio fortunæ, quò contendisset, labore, & constantiâ peruenire:* & Seneca disertissimè mooet epistola 98. his verbis: *Errant, mi Lucili, qui aut boni aliquid nobis, aut mali iudicant, tribuere fortunam, materiam dat bonorum, ac malorum, & initia rerum apud nos in malum, bonumve exiturarum. Valentior enim omni fortunâ animus est, in vtramque partem res suas ducit, beataque ac misera vitæ sibi causa est.* Deo videlicet clauum nauis hâc illâc pro meritis dirigente & malos, bonosque rebus exitus dante.

Philo. M. Tull. Seneca.

Psal. 74. 4. 4 Iam hæc egregiè confirmat Noster Vates Psal. 74. vers. 4. & sequentibus, fortunę, & eius cultoribus egregiè insultans ad hunc modum: *Dixi iniquis: Nolite iniquè agere, & delinquentibus: Nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatē.* Sed quâ ratione? *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus. Quoniam Deus iudex est: hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto.* Pende singula, sed illa primū: *Quia neque ab Oriente, neq; ab Occidente,* &c. Quæ Dauidis iostituto Principes, ne potentiam suam iosolenter iactarent, neque ei coofiderent admonentis non videntur adeò opportona. Quorsum enim hæc Orientis, ac Occidentis mentio? Planè vt falsam ipsorum opinionem Fortunæ potentiam suam attribuentium, quasi ipsa clauum tenens secundâ aurâ nauim dirigat, & prosperos successus tribuat, sapienter confutet: taorùm ooo dicens: O vos qui regiam potestatem, & secundas res tam ardenter amatis, iisque raotâ contentione adhæretis; animaduertite, hæc noo à fato, prosperâue Fortuna, aut fausto sidere, siue fauente astrorum posituâ hominibus aduenire, quasi ab Oriente, aut ab Occidente secunda aura spiret, sed à Dei fauore, & gratiâ imò ab æquissimo eius iudicio pro singulorum meritis hunc exaltante, illum deprimente: ideò nihil vobis tam salutare, & ex vsu vestro fore, quàm ipsum virtute, & egregiis operibus omnino conciliate, vt ab eo clauum nauis tenente volubilis fortunæ tota clauo tanstigatur, quò vestra potentia vndequaque constet, atque subsistat. Ita hæc inibi optimè penitrante Antistite Agellio ad hunc modum: *Ne putetis hæc mala aduersisque casus aut è contrario bona commodaque casu, aut temerè, & nulla vi intelligente contingere, ideòque licere vobis, sine vllo metu securè delinquere quasi hæc ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, hoc est, è fatis, cælestibusque, causis pendeant cùm Deus ipse sit iudex, & æquissimo iudicio pro meritis cuique tribuat.* Quàm opportunè! quàm verè! Deo quippe res humanas iustissimè pro bonâ voluntate suâ dispensante, & felicitatem, victorias, triumphos Priocipibus tribuente, quis furor mortalium fuerit, de diuino eos fauore promerendo nihil curantes prosperos euentus ab Oriente, aut Occidente, siue à sideribus aut etiam ab humanis præsidiis sperare? quasi hinc secunda aura, vel inde serenior spirent. Concinit huic sententiæ ipsemet Dominus septem in manu suâ stellas tenens, sic enim Apocalyps. 1. 16. *Et habebat in dextera sua stellas septem,* & cap. 2. 1. *Qui tenet septem stellas in dextera sua:* quibus tam spirituales, quàm temporales Principes significari, omnes penè Auctores censent. Sed ei expositioni id videtur addendum, notanter Principes sub stellarum imagine Dei manu stantes significari, tum vt innuatur, ideò inibi felicissimè tamquam sub Dei vmbrâ auxiliantique Dei manu ipsos fulciente stare, quia ipsi velut stellæ, virtutis claritate lucentes sint; secus verò peccato obscurati inde præcipites ruituri, ita id ad ea verba adnotante Ruperto: *dicendo qui tenet septem stellas in dexterâ sua, simul terribiliter innuit, vt qui se existimat stare, videat, ne cadat: non enim stat suâ virtute sed dexterâ Dei continente.* Quam omnino expositionem Gentilem Themistiū reddidisse iis Salomonis verbis Prouerb. 21. 1. *Cor Regis in manu Dei est*, quæ ipse in Assyriorum libris inuenisse scribit, seq. libro, cùm de Castitate Principis agitur, videbimus: tum ab hac vitæ puritate sanctum Principum sidus, siue felicem Planetarum coniunctionem, secundamve fortunam non ab Oriente, neque ab Occidente fore desumenda: inde quippe, & lucidissimæ ipsi stellæ sunt, & felicissima sors faustūque sidus illis obtingit, imò adhæret: nam *in manu Domini prosperitas hominis.*

Agellius. Apoc. 1. 16. Apoc. 2. Rupert. Prou. 21. 1. Themist.

5 Quare plusculum preme præfatam Dauidis rationem: *Quoniam Deus iudex est: hunc humiliat, & hunc exaltat;* quàm opportunissimè elucidant prima sacræ paginæ verba: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Vbi nemo est qui nesciat; voci *Deus*, in Hebræo respondere vocem אֱלֹהִים *Elohim*, numero multitudinis & quæ *iudices* sonet, vt à primis ipsis cæli, & terræ fundamentis hominibus fiat manifestum, quidquid cæli terræque ambitu continetur, siue irrequieto axe in orbe voluitur; quidquid in stellis faustum, felixque aut fingitur, aut subest; quidquid in terrâ fortunatum, aut infelix euenit, à Deo iudice rerum humanarum curam gerente hominibus aduenire, qui pro meritis, *hunc humiliat, & hunc exaltat.* Quò ire diceris vetustum Athenagoram in lib. de *Resurrect. mort.* gentes admonentem: *Aequum est, vt nihil existiment, neque terrestrium, neque cælestium rerum cura, & prouidentiâ destitutam esse, sed in omnia æquè tum quæ in aperto sunt, tum quæ latent, in magna item, & parua penetrare Creatoris sollicitudinem.* Sed iam pensiculariùs obserua vocem אֱלֹהִים *Elohim* plurali numero signatè positam, vt pluralitatem deorum, iam inde euerteret Moyses, & contra cœcam de Fortunâ, & fortunatis sideribus opinionem diuinam adstrueret Prouidentiam. Nimirum vt miseræ illæ, & miserandæ nationes sic *Fortunæ mensam* adornabant

Gen. 1. ver. 1. Athenag.

(sicut nũ.2.vidimus) vt illam in plura Numina diuideretes, & Regnis Iouem, & bellis Martem, & scientiis Mercurium præficerent, quò singillatim coleretis id quo maximè indigerent, suam quisque Fortunam, & felicitatem ab iis sideribus sibi fingeret, spectaretque: quod & ipsemet Gentilis Plinius, & retulit, & irrisit præfato cap.7.lib.2. inquiens: *Innumeros (deos) quidem credere, atque etiam ex virtutibus vitijsque hominũ, &c. aut (vt Democrito placuit) duos omnino [...]am, & Beneficium, maiorem ad socordiam accedit. Fragilis, & laboriosa mortalitas in partes ista digessit infirmitatis suæ memor, vt portionibus quisque coleret, quo maximè indigeret.* Ita hac voce אלהים *Elohim* siue *iudices* Moyses pulcherrimè snooet, & verum; vnicumque Deum ea omnia efficere, atque præstare, quæ infelices illi à falsis diis siue felicibus stellis singillatim exoptabant: quippe qui *septem stellas in manu sua tenet:* eam scilicet felicitatem, quam septem illis Planetis inesse Gentiles credebant, B & Principatus, honores, victorias, bellique & pacis munera æquissimè hominibus distribuere. Quæ sanè omnia egregiè firmata videris à Gregorio Nysseno, atque à Cyrillo Alexandrino, dum alter Patriarchæ Iosephi, alter Imperatoris Theodosij iunioris felicitatem, & prosperos euentus persequuntur. Sic namque Nyssenus pendens Iosephum in castitatis, & virtutis præmium, dignitatem penè Regiam à Deo accepisse; eleganter exclamat: *O insignem quam Deus Iosepho curã gessit! Anti tentationes Iosephum non honorauit, & c. peruersit autem tentationibus probare aliolesientem aures accludentis iis qui delectantur probin, ac maledictis. Si enim non dedisset Iosepho probationem, dixissent maledici, à cæcâ hæc fieri fortuna.* Pende illa: *O insignem curam*, nec non & *hæc à cæca hæc fieri fortuna*. Quæ vt velit Nyssenus, signatè Deum in Iosepho summis honoribus ornando, & tegnum Fortunæ euertere, & se iudicem, qui præmia pro meritis iustè reddat, ostendere voluisse. *O insignem* (inquit) *curam*, iustè videlicet clatam hanc stellam tantuque virtutis splendore collucentem manu Dei retentam, & ab eâ fausta omnia quæ à sideribus venire dicuntur, accipientem. Sed Cyrillus Alexandrinus Theodosij virtutem, & prosperitatem luculentius persequitur. Sic namque lib. 5. *de recta fide ad Theodosium:* eum his verbis allocutus: *Supremum autem piissimi, & clarissimi Imperij vestri firmamentum est Dominus Iesus Christus. Per hunc enim vt scriptum est,* Reges regnant, & Potentes decernunt iustitiam: *Cuius voluntas est potentissima, omnisque boni, si semel annuat, copia.* Ita in primis Cyrillus. Apud quem observa quæsititum dicendi modum *Imperij vestri firmamentum:* nam prætetquam, quod constabilitatem, diuturnitatem, & felicitatem Imperij declarauit, ad firmamenti stellas videtur allusisse, tantùm non monens sub vnico hoc diuini Numinis afflantis sidere nauigationis cursum secundâ aurâ confici, quòd ipse verum fuerit firmamentum in quo fixæ, & feliciter permanentes stellæ sint, id est, à quo quotquot orbi felicitates firmæ, ac stabiles adueniunt, omnino dimanant. Vbi simul etiam innuit Cyrillus quamcumque aliam nauim, quæ à potentissimo hoc gubernatore non dirigitur, & sub hoc sidere, siue firmamento non nauigat, cursum feliciter conficere non posse, quippe quæ erraticis & instabilibus, fallentibusque sideribus ducitur, atque ideò huc omnes Principum cogitationes, atque consilia esse dirigenda, vt Dei fauorem per virtutes sibi concilient, vt nauim in qua humani generis salus vehitur feliciter in portu collocare valeant: *Eius siquidem voluntas* (ait ille) *est potentissima, omnisque boni copia si annuat.* Quare pergit Cyrillus. *Dilargitur is ergo amicis suis munera in primis præclara, & quæ in pretio habeantur quàm maximè idonea, & id quidem alacriter, & promptè.* Quod statim vel ab ipsa

Plinius.

Nyssen.

Cyril. Alex.

A Theodosij felicitate sic firmat: *Quod hic dicimus, vel ea sola, quæ Maiestati vestræ ab eo donata sunt, & olim adhuc, quemadmodum confidimus, donabuntur, verum esse euidenter ostendunt.* Hæc modò Cyrillus. Vides sapienter dictum à Tullio, *posse virtutem sine præsidio Fortunæ, quò contendisset, peruenire?* M. Tull.

6 Iam verò de seipso Noster Vates in hanc sententiam sic loquitur Psalm. 7. 12. *Iustum adiutorium meum à Domino, qui saluos facit rectos corde:* Notetur illud adiutorij diuini epithetum, *iustum*, quod non tam opportunum videri dixeris, quàm benignum aut misericors; quid enim fuerit adiuuare, manumque & opem ferre, nisi misericordiæ opus? Sed occurrit Augustinus ex ipsis Dauid verbis: *Qui saluos facit rectos corde:* duplex Dei adiutorium designans, & quod peccatori, sine ipso datur, quod ad misericordiam omnino pertinet, & quod iustò ex retributione in pietatis præmium dilarguitur Deus, vt res ipsi ex animi sententiâ fluant: *Itaque* (ait ille) *ibi misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc iustificari desiderat. Hic autem iustum auxilium est quod iustis tribuitur.* Cui cogitationi opportunè applaudit Gregorius Nazianzenus, epist. 78. Olympium virum Principem sic affatus: *Qui etiam hoc pietatis præmium accepisti, vt tu tibi ex animi sententia fluant: solusque ea assequi possis, quæ aliis negata sunt.* Sed iis Dauidis vocibus, illæ ipsissimet mirè concinunt, quibus Deum ad hoc modum, velut quetibundus compellabat: *Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum*, Psalm. 118. 39. Vbi non immeritò dubites; cur tantoperè curaret Dauid, ne hominibus opprobrio esset, vt vel ipsam suspicionem opprobrij amoliri efflagitaret, qui alibi eligebat *abiectus esse in domo Dei sui*. Verùm obserua Anastasium Græcum, vt alibi monui non legere *suspicatus sum*, sed *suspicati sunt*. Quod planè ipse de Babylonijs exponit, Israelitis exprobrantibus Deum res humanas nihil curare, & quæ bona, aut mala viris bonis accidunt, non Dei consilio, sed fortè fortuna euenire; sic namque ille: *Quodnam opprobrium dicat? & quinam suspicati sunt? Cogitata Babyloniorum exponit, quasi illi suspicati sint, nihil de viris pijs curare Deum, adeò vt ex hoc Israelitis exprobraretur tanquam Deum, qui se respiceret, non haberent.* Sed quodnam hoc Dauidis opprobrium fuerit? cùm id potius in Deum ruerit: sanè quod inde tum Dauidis felicitas, & felicitatis firmamentum vndequaque labefactaretur, cùm iustu Dei adiutorio non esset subnixum, tum eius virtus, & in Deum fides, in cuius præmium ipse acceperat, vt res sibi ex animi sententia fluerent, omnino obscuraretur; dum eius prosperitas, & regnum casui, & fortunæ videretur ascripta: iure ergo ait: *Amputa opprobrium meum quod suspicati sunt.* Vt enim te Domine impensè colere, eaque ratione prospera mihi cuncta euenire, eximium ornamentum & regia corona est, ita probrum mihi probrosissimum fuerit, in manus fortunæ variæ & libidinosæ, & mancipiorum suorum negligentis dominæ, pœnis, & præmiis errantis positum confingi.

Psal. 7. 12.

August.

B

Nazianz.

Psal. 118. 39.

C

Anastas.

D 7 Sed quæ præfato Psalm. 74. subiicit Dauid: *Quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fex eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ:* ex interpretatione Origenis Homil. 9. in Ieremiam, huic instituto peropportuna sunt: perinde enim à hæc Vate dicta esse censer, atque à Sapiente: *In manu Domini prosperitas hominis:* ac à Salomone: *Cor Regis in manu Dei;* siue etiam à Dione Chrysostomo, Fortunam siue diuinã Prouidentiam oauis sibi regendæ clauum in manu habere: quippe duos hic calices in manu Dei à Dauide proponi ait, alterum misericordiæ, alterum iræ, certam aut felicitatis, aut infelicitatis mensuram continentes, ad eum planè modum, quo ex Humero Ethnici, duo in Iouis Aulâ

A Aulâ dolia, quorum alterum bonis, alterum malis siue ærumnis plenum esset, confingebant. Quorum quidem sic meminit Gentilis Themistius Homerum cum stomacho insectatus; vt præfatus Dauidis calices mirè illustret: ita namque ait orat. 16. *Ceterum Homerum hoc non rectè est opinatus, duo in domo Iouis dolia iacere satu plena, vnum boni, alterum aduersi. Neque enim malorum in cælo vllum est penu, sed hinc illa huius dolij confusio, à luto nimirum, terraq; in qua versamur, nosque illud implemus, & euacuamus, neque prorsus finimus fluere fontes illorũ cælestium bonorum, quæ assiduè, & indefatigabili animo suppeditat bonorum ille largitor.* Hæc ille benè omnino, & contra Homerum; & pro Homero ad rem nostram. Contra Homerum quidem: quia *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Impij autem manibus, & verbis accersierunt illam.* Sapient. 1. vers. 13. & 16. Pro Homero autem si hæc ærumnarum & felicitatum dolia, vt æquissimo humanarum mentium iudici ipse adscribat, quasi nostris nos meritis ærumnarum dolium *impleamus, & euacuemus*: nobisque Deus siue felicitatem, siue ærumnas, pro virtutibus, siue pro vitiis rependat. Iam audi Origenem hæc Dauidis verba cum illis Ierem. 13. 12. *Omnis lagancula implebitur vino* pulchrè componentem hunc in modum: *Quæ quidem sic poterunt interpretari, si priùs vini differentias perspexerimus, vt tunc consequenter tractemus*, quia omnis vter implebitur vino. *Siue enim quis bonus est (vt ita loquar) inter vtres vter: implebitur vino bonitatis suæ. siue malus iuxta hoc, quod malus est, malo vino implebitur*; & cùm de singulis calicibus longiùs disseruisset, subiicit: *Agnoscamus quomodo omnis vter implebitur vino. siue autem seu nequitiâ, siue virtutibus impleantur vtres: consequens est, vt suppliciis impleantur ob nequitiam, benedictionibus ob virtutem.* Ergo

Ierem. 13. 12.

Origen.

C Principum, & regnorum exaltationes, siue humiliationes non *ab Oriente, neque ab Occidente* veniunt, sed ab eorum siue virtutibus, siue vitiis, calicem vel benedictionis, vel maledictionis implentibus. Vnde quidem post ea Ieremiæ verba, hæc subiicit Dominus: *Ecce ego implebo omnes habitatores terræ huius, & Reges, qui sedent de stirpe Dauid super thronum eius ebrietate*: & v. 18. *Dic Regi, & dominatrici: Humiliamini, sedete, quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ. Ciuitates Austri clausæ sunt, & non est qui aperiat. Vbi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?* Quæ omnia plus exprimens, subiicit vers. 22. *Quod si dixeris in corde tuo. Quare venerunt mihi hæc? Propter multitudinem iniquitatis tuæ.* Quid clariùs? quid illustriùs? Rideat ergo Fortunam Princeps; & in vnius Dei manu Reip. clauum, & suam, Regnique sui prosperitatem consideret cum Cyrillo Alexandrino citato superiùs loco, ex penè omnium

Ierem. 13. 18. & 22.

D Israëliticæ plebis Regum historiis constanter pronuntiante à iustitiâ, & pietate in Deum florentem Principum, & Reip. statum extitisse, contrà verò ab impietate, siue Regum, siue Regnorum excidia dimanasse. *Nam quotquot ex illis* (inquit Cyrillus) *cultu, & obseruantiâ, quæ Deo debentur, impiè contemptis, legibusq; iustitiæ administris pro nihilo ductis suo fastui, suisq; libidinibus liberè indulgendum esse putauerunt, omnes hi mali, & miseri, malè, miserèq; perierunt. Est enim res periculosissima quippiam in Deum committere, proculcataq; æquitate quocumque modo in illius offensam incidere. Contra verò quicumque se pios in illum declarauerunt, quæque illi placitura credebãt, omni ope præstare elaborarunt, citra sudorem, & puluerem hoste deuicto, debellatoq; triumphum cecinerunt.* Appingit peculiaria bonorum Principum exempla tandemque concludit. *Hi pietatis sunt fructus: hæ merces.*

Cyrill. Alex.

Ad eadem verba,
Intelligam in via immaculata: Quando venies ad me.

Optimam Rationem Status (vt aiunt Politici) ad omnia belli pacisq; negotia, in eo cardine versari, vt Princeps virtute, & egregiis moribus placatum, atque beneuolum Deum habeat.

ADNOTATIO XIII.

1 ERGO nullus omnino è cunctis mortalibus Rationem Status Principum felicitati, & Regnorum stabilitati, atque tranquillitati omnino aptam, & conuenientem adeò percalluit, atque penetrauit, ac

B Noster Psaltes, cùm auxiliatem Dei manum, quæ ipsum indesinenter curaretur, & omnimodâ felicitate cumularet à via immaculatâ, & innocentiâ cordis speraret; certò persuasus fortunatissimum Regum, Regnorumque statum, prosperos belli, pacisque successus in hoc vno virtutis cardine versari, ceteraque alia humanæ potentiæ præsidia, consilia, industriam, vires, nisi Deum adiutorem habeant: infirma ac nullius momenti esse. Quod Domino domum non ædificante *in vanum laborent, qui ædificant eam*, ipsoque non custodiente ciuitatem *frustra vigilet, & in vanum ante lucem surgat, qui custodit eam.* Quem equidem sensum tunc optimus Rex opportuniùs aperuit, cùm se in ipsomet discrimine, à quo & vitæ, & Regni momentum dependebat, constitutum animaduertit: cùm videlicet filio Absalone, acerrimo optimi parentis ho-

Ps. 126. 1.

C ste eius Regnum armatâ manu inuadente ipse cum exercitu in pugnam aduersùs illum exiuit, 2. Reg. 18. 1. tunc enim cùm iuxta bellicam disciplinam ordinem bellatorum, suo loco, statione que digessisset, & in tres acies, quibus totidem egregios duces, atque Magistros præfecit, aptè distribuisset, viribus suis expensis, & minimè periculo imparem, neque ad pugnam imparatum sese considerans, præsertim verò cum electissimis consiliariis signatè verò Chusi Arachite, cuius consilia quasi oraculi responsa habebantur optimè esset munitus: generalem Belli Ducem, militiæque Magistrum sibi designauit. Sed quem? illum omnino, qui tanto discrimini aptissimus, & validissimus esset, nempe Deum. Sic enim ipse Psalm. 7. 1. *Domine Deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.*

Psal. 7. 1.

D Sed Psalmo præfixum titulum, qui eius clauis esse videtur, priùs audire est operæ pretium: est hic: *Pro verbis Chusi filij Iemini.* Iam quid sibi hoc loco velit Dauid imbi Chrysostom. premens priora verba: *In te speraui:* sic aperit: *Non in Chusi, neque in humanâ sapientia, nec in illius prudentiâ, nec in meo consilio, sed in te*: vt dixerit: Hæc vna mihi salus, à te vno sperare salutem, qui optimè noui æquè te Domine ad salutem, vitam, & victoriam afferendam potentè esse, ac cuncta humana præsidia, imbellia, infirma & nullius momẽti sunt. Cui sanè sententiæ sic opportunus accedit S. Isidor. Pelusiota li. 1. epist. 294. Principem ad victoriam de hostibus referendam instruens: *Si hostes vincere cupis, Dei metu exercitum ducito. Iustitia enim hoc affert, vt quis strenuè, ac feliciter pugnet. Contra iniustitia nostra hostium est auxilium.* Pulchrè ad Dauidis mentem illud *Dei metu exercitum ducito*: quasi hic egregius belli dux, Magisterque militiæ fuerit, ab hoc pugnæ strenuitas, & omnis pacis bellique felicitas veniat. Quæ sanè omnia ob oculos habuisse dixeris Regem Athalaricum apud Cassiodorum lib. 8. epist. 26. Reatinis, & Nursinis rescriben-

Chrysost.

S. Isid. Pel.

Cassiodor.

tem

rem: etenim cùm dixisset: *Hoc est enim quod nostrum comit Imperium, quòd opinionem nostram inter gentes amplificat, si talia geratis, quæ nobis accepta, & diuinitati possunt esse gratissima*, subiicit aptissimè, & sapientissimè: *Robustius enim inimici nostri vincuntur moribus bonis.* Sed quare *robustiùs*, atque valentiùs? Num boni mores quibus nihil mitius, & modestius, fulminare, aut alienum sanguinem profundere solent? respondet Athalaricus? *Quia quos superna protegunt felices aduersarios habere non possunt.* Quomodo enim felices eorum aduersarij sint, qui felicitatem Deum scilicet illos protegentem secum habent?

2 Sed quid sibi vult Dauid, cùm præfato loco subiicit: *dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat:* hæc enim verba non ab eo dicta esse videntur, qui maximo & fortissimo exercitu munitus, & totâ regnorum suorũ fortunâ subnixus erat, sed ab illo, qui solus inermis, absque viribus, & vllo humano præsidio in summas angustias adductus esset, vti ad hunc modum

B

Chrysost. pendit Chrysost. *At qui collegit exercitum, & multos secum habuit: quomodo ergo dicit? Dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.* At enimverò ad manum est responsio, adeò totum potentiæ, viriumque momentum ad vnam Dei opem à Dauide referri, vt ab illa aut præsente, aut absente, siue vndequaque munitum, licet solus esset: siue omnino solũ, & inermem quamuis totus illi terrarum orbis adesset sese ipse consideraret: sic id expendente Chrysostomo. *Quoniam ne vniuersum quidem orbem terrarum auxilij loco habet, nisi opem diuinam fuerit assecutus, nec se esse ducit in solitudine, licet solus sit, si sit illius auxilij particeps, & ideò dicebat, Non saluatur Rex per multam virtutem.* Vides totum belli, pacisque momentum ab vna virtute, cui auxiliaris Dei manus semper adest, omnino dependere; quin totus terrarum orbis ad eum saluandum, quem Deus oppugnat, siue ad illum expugnandum pro quo ipse pugnat, vel hilum valeat. Sed id rursus

C

Chrysost. accipe à Chrysost. indidem in Psalmi argumento commonente: *Vitium enim, etsi secum habeat vniuersum orbem terrarum, est omnium maximè imbecillum. Virtus autem etsi sola sit, est omnium potentissima: habet enim Deum secum stantem. Quis ergo seruare potest eum, qui à Deo oppugnatur? Quis autem potest perdere eum, cui ipse fert auxilium.* Ita ille. Quod quidem rursum in nostro Dauide videris, cùm aliquando & solus, & fugitans, & desertus ab ipsomet Rege Saule & infensissimo eius hoste, & rerum omnium tunc potente, & Victor &

1. Reg. 24. 21. Rex clamatus est: sic namque 1. Reg. 24. 21. illum allocutus dicitur: *Et nunc quia scio, quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tuâ regnum Israel: iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me.* Ad quæ sanè verba Chrysostomus Hom. 3. de *Dauide & Saule*: sic sciitè cum Saule agit: *Dic ergo obsecro; Vnde istud scis: penes te sunt exercitus, penes te sunt pecunia, arma, ciuitates, equi, milites, breuiter vniuersa vis apparatus regij: hic contrà desertus, ac nudus, nec ciuitatem, nec domum, nec familiam habens. Vnde igitur te quæso ista loqueris?* A cælone didiceris? Scilicet is superis labor, vt impio, & feroci homini arcana, & futura prædicent! Sed satisfacit sibi

D

Chrysost. plenè statim Chrysost. inquiens: *Nimirùm ex ipsis Dauidis moribus. Neque enim nudus, & inermis, ac desertus me armatum, tantaq; circumuallatum potentiâ superasset, nisi Deum haberet adiutorem. Porrò qui Deum habet fauentem, omnibus est potentior.* Quò sanè opportunè aptauesis regium factum, & egregia verba, quæ Imperator Antoninus, Ethnicus quidem, sed pius ac moderatus Princeps apud Vulcatium Gallicanum in Auidio Cassio dixisse fertur. Nimirùm illo cum liberis, & rebus Auidij Cassij, qui in eum rebellauerat, clementissimè agente; eaque de causâ amicis eius indignantibus, atque obiicientibus: *Quid si ille vicisset?* ipse non

A

tam superbè, quàm virtuti, & diuino Numini fidens respondit: *Non sic deos colimus, nec sic viuimus vt ille nos vinceret:* Sapienter planè ac religiosè victoriam, prosperos successus, & vitæ incolumitatem pietati in Deum, & optimis moribus assignans. Vnde statim (vt indidem pergit Vulcatius) *enumerauit omnes Principes qui occisi essent, habuisse causas, quibus mererentur occidi, nec quemquam facilè bonum vel victum à tyranno, vel occisum: dicens meruisse Neronem, debuisse Caligulam, Othonem, & Vitellium, nec imperare debuisse, &c. Denique non Augustum, non Traianum, non Hadrianum, non patrẽ suum à rebellibus potuisse superari, cùm multi fuerint ab ipsis, vel inuitis, vel insciis extincti.* Vulcatius.

3 Hæc ergo optima, certissima & diuina ratio status non inopi consilio, & infirmis terræ fundamentis, sed Deo, & veræ sapientiæ, & toto cælo innixa. Veniant iam Politici sæculari, siue carnali prudentiâ vndequaque instructi, & vt Regna tut vndique periculis obnoxia constare faciant, & Principes suos incolumes, inuictos, ac florentes reddant, suas status

B

rationes, & cõsilia acuant, & in iis strenuè assidueque se exerceãt: cõgerant omnia pacis, bellique instrumẽta, milites, arma, duces, pecunias, auxiliares sociorum copias; afferant fictas illas suas personatasque virtutes: addant calliditatem, astum, simulationem, dissimulationem, & quæcumque alia, quæ aut sæcularis sapientia excogitare, aut humana potentia parare possit, & cùm Principem suum tot exercitibus, & præsidiis munitum, & circumuallatum reddiderint, illud, velint nolint, pro comperto habeant ex omnia; nec *eum qui à Deo oppugnatur seruare poss.*: nec illũ *perdere cui ipse fert auxilium*: Virtutemque etsi sola sit, omniũ esse potentissimam: *habet enim Deum secum stantem*: ac proinde ipsam stare necesse est: vel videant obsecro, attentiusque perpendant celebrem illam scalam, dormienti Iacob ostensam: sic enim Gen. 28. 12. *Et vidit in* Gen. 28. 12.

C

somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes super eam, & Dominum innixum scalæ. Nimirum portendit hæc scala rerum humanarum inconstantiam, alternasque vicissitudines, siue ludibria, inæqualem, incertum, instabilem earum cursum, & reciprocantes æstus, dum maris instar eodem loco, ac eodem penè momento vbi luserunt nauigia, sorbentur, ita id considerante Philone lib. *de somniis*, his verbis: *Res humanæ habent naturalem quodammodò scalæ imaginem propter cursum inæqualem inconstantemque; vna enim, vt ille ait, dies alium de fastigio detrahit, alium tollit in altum, cùm nihil in eodem statu apud nos perpetuò maneat, sed cuncta variis, omnifariisque mutentur vicissitudinibus. An non ex plebeiis Principes: plebeij fiunt ex Principibus: pauperes è diuitibus, è pauperibus locupletissimi: honorati è contemptis, ex obscuris clarissimi mutatione pulcherrimâ?* & post pauca: *Hæc est via rerum humanarum accliuis, decliuisque incertis obnoxia casibus.* Sed meritò ambigis, qui hæc sca-

D

læ significatio accliuem decliuemque viam rerum humanarum adumbrantis subsistat? cùm ipsa firmiter stare dicatur: *vidit* (inquit) *scalam stantem.* An quia vitæ cursus siue (vt vulgus ait) Fortuna stabilis in instabilitate, hoc est perpetuò instabilis, & volubilis sit? Non equidem, sed quòd Deo innixa fuerit, ait enim, *& Deum innixum scalæ*, ac proinde ab eo firmitudinem, & constantiam acceperit, quin res mortales naturâ suâ inconstantes, & incertæ alternis motibus obnoxiæ nutent, sed firmiter, & immobiliter consistant, vt inibi sic sapienter admonuit Philo: *Cùm autem dicitur innixus scalæ, nemo intelligat Deum laborare, vt eam molem stabiliat, illud potiùs cogitet his verbis significari, Deum esse robur, firmitatemq; rerum, quibuscumque vult assignare stabilitatem perpetuam: tantisper enim dum ab illo sustentantur, inconcussæ manent, atque integræ.* En vnicum Philo.

robur,

robur, solidamque stabilium, & incertarum rerum firmitatem, atque durationem. En veram germanamque fortunæ manentis picturam, quam sibi somniabant Romani apud Plutarchum lib. de *Fortuna Romanorū*: quasi destructis Persis, & Assyriis, Macedoniaq; tê celeriter peruolitatâ, excollatoque protinus Alexandro, Ægypti & Syriç regnis peragratis identidemque succollatis Carthaginēsibus, *postremò in Palatiū se conferens* (inquit ille) *traiecto Tyberi, positis (vt credere par est) alis, excussis talaribus, abiectâ instabili, vestigioq; fallente pilâ, ita Romam ingressa fuerit, vt constanter permansura*: quippe ab vno Deo Regnorum, Imperiorum, rerumque omnium constantia, & stabilitas: *tantisper enim dum ab illo sustentantur inconcussa manent, atque integra.*

Plutarch.

4 Sed hanc Philonis expositionem vt ipsemet Dominus confirmauerit dum statim dormienti Iacob hunc in modum locutus est: *Ego sum Dominus*
B
Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. Terram in qua dormis tibi dabo, & semini tuo. Eritq; semen tuum quasi puluis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem, &c. *Et ero custos tuus quocumque perrexeris*. Vbi primùm obserua lectionem LXX. atque Philonis, qui post illa verba: *Ego sum Dominus Abraham*, &c. adiiciunt: *Noli timere*: vt dicere ei Dominus videatur: securè dormi, me enim pro clypeo, sine præsidiario milite habes: vt appareat fortiorem, robustiorem, munitiorem, & securiorem esse iustum Principem dormientem, quàm eum qui peccato obnoxius est mille oculis vndequaque prospicientem, & magnis ac fortissimis exercitibus vallatum, atque munitum, quòd hic tot præsidiis instructus Deum adiutorem non habeat, imò infensum habeat, ac proinde incertis casibus obnoxius sit, ille verò Deum
C
habeat pro clypeo omnes metus depellentem & robur ac firmitatem rebus suis dantem. Quod sic inibi obseruat Philo: *Ille igitur cælesti scala innixus sic dormientem in somnis alloquitur*. Noli timere: meritò. *Quomodo posthac timere possumus cùm habeamus te pro clypeo depellente omnes metus?* Ad hæc itidē obserua, quomodo virtute & pietate, optimam rationem status fuerit assecutus Iacob, quando in ipsius dormientis sinū vtriū Orientis, & Occidentis Imperiū Dominus ingesserit: *Terrā* (inquit) *in qua dormis tibi dabo, dilataberis ad Orientem, & Occidentem*. En nouam fortunati hominis picturā, quam confingebant gentiles, in dormientis scilicet sinum opes, honores, & imperia ingesta. Sed hæc iam Religiosissimis Impp. Theodosiis, Seniori videlicet, à nostra Hispania orto, & Iuniori ætate quidem non meritis omnino contigisse, audi: quippe huoc Cyrill. Alexand. superiori adnotatione adductus sic alloquitur: *Nimirum cohortes vestra bellicosissima militarisq;*
D
disciplina peritissima, ac triumphis agendis nunquā non assuefacta terrarum orbem subiugarunt. Vos proinde totus Oriens: vos totus canit Occidens omnique laudum genere prosequitur. Vos qui ad Austrum vergunt, miris encomiis extollunt. Vos qui ad Aquilonem pertinent, festiuis gratulationibus exornare nunquam desinunt. Sed vnde tot Imperiorū moles, tam florens mansuraque Theodosij in sinum ingesta Fortuna? Subiicit: *Supremum autem piissimi, clarissimique Imperij vestri firmamentū est Dominus Iesus Christus*: tantùm non dicens hanc regnorū scalam Deo esse subnixam à quo firmitatem, & robur accipiat. Nec minora, aliáve sunt quę de Seniore Theodosio ab auctoribus dicuntur: sed satis fuerit vnum adire Latinū Pacatum in Panegyrico: dum primùm audias Card. Baron. eam quam ille Theodosio adscribit felicitatē ad ipsius pietatem omnino referentem. Ait namque Baronius ad annum Christi 381. qui est tertius Theodosij: *Quod rursus spectat ad felicitatem Theodosij ex pietate comparatam præstat audire Pacatum, quam feliciter sub piis*

Genes. 28.

LXX.

Philo.

Cyril. Alex.

Card. Bar.

A *Principe barbari orbis Orientalis coluerint, obedierint, vel saltem timuerint Theodosium imperantem*. Ergo ait Pacatus: *Si qui fortè sunt Barbarorum qui nondum virtutis tuæ fulmen exceperint, nominis terrore perculsi, & velut afflati quiescant. Tua enim Imperii auspicia non hæ tantùm gentes tremunt, quas ab orbe nostro syluarū interualla, vel flumina, montesve distinguunt, sed quas æternis ardoribus inaccessas, aut continua hyeme separatas, aut interfusis æquoribus abiunctas natura disterminat. Non Oceano Indus, non frigore Bosphoranus, non Arabs medio sole securus est: & quò vix peruenerat nomen antè Romanum, accedit Imperium*. Ecce dormienti bono Principi Deum inuigilantem, & prosperos successus, victorias, triumphos in eum cumulantem, quando vel solo eius nominis terrore perculsi sese illi hostes dedunt: vt *citra sudorem, & puluerē* (vt ad calcem præcedentis adnotationis dicebat Cyrillus) *hoste deuicto, debellatoq; triumphum canat*. Quod
B
sursum ille agens de florenti fortunâ Theodosij iunioris ex pietate, & virtute comparatâ nullo negotio hostis debellantis præfato loco, sic confirmat. *Tandem quidquid vsquam est gentium, hoc totum Regni vestri solio substratum est. Quod si qui sunt, qui iugum detrectant, illi vestrâ potentiâ nullo penè negotio superati succumbunt. Imò verò si regium scutum, vel semel concussum micuerit, vana illorum consilia, atque studia in ventos mox abeunt, quippe qui amentiam suam missam facientes ad genua vestra se prouoluant, supplicesq; veniā exposcant*. Hactenus ex Cyrillo.

Pacatus.

Cyril. Alex.

5 Sed nihil huic rei fuerit opportunius quàm quod ipsemet Dominus apud Zachariam cap. 2. 4. de vrbe siue de Rep. sibi dilecta sic testatur: *absque muro habitabitur Hierusalem præ multitudine hominū*: siue vt LXX. reponunt: *frugifere habitabitur Ierusalem*. At quomodo (inquis) frugifera, siue incolumis, & secura ea vrbs fuerit, quæ mœnibus cincta, atque munita fuerit? Sa-
C
lomone Prouerb. 25. 28. hominem consilij expertem, ac proinde mille obnoxium periculis cum vrbe murorum præsidio orbata sic componente: *sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum*: vel vt transferunt LXX. *qui non cum consilio quid agit*. Certè ne ea vrbs vastationi, & prædæ omnino fuerit obnoxia: vix maximorum & fortissimorum exercituum præsidio cōmunietur. Verùm occurrit statim Dominus omnemque huic vrbi timendi occasionem sic adimit: *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu*. O fortissima, & adamantina, pluſque quā triplici ære munita mœnia! Quid enim auxiliari Dei manu, atque præsentia tutius, quid adeò munitum valeat excogitari? Audi Cyrill. Alexand. ad id loci: *Habitamus ciuitatem, quam munit ipse Christus viribus: quantas oratio complecti nulla potest, vrens aduersarios, & gloriâ suâ implens*. Sed preme murorum materiam
D
siue structuram: *ero* (inquit) *murus ignis in circuitu*. Cur verò murus ignis? Nonne satis fuerat, murum siue ex lapidibus, siue ex adamantibus construi? Quid necesse fuit, igneum esse? Sanè vt incredibile vrbis munimentum, atque securitatem: easque vires quantas oratio nulla complecti potest, significaret Dominus. Etenim si muros ille aut aheneos, aut adamantinos esset: hærere illi hostium scalæ saltem possent, ipsisque aliqua spes inuadendæ, occupandæque vrbis forsan subesset: at igneo muro quæ scalæ adiungi? per ignē, quis esset tam temerarius vt ingredi posse præsumeret? Beata ergo & impenetrabilia ea Reip. mœnia cui adest Dominus felix, augustus, & inuictus is Princeps: *qui habitat in adiutorio Altissimi, & sub protectione Dei commoratur*: quippe qui ad instar paradisi flammeo Angeli gladio communiti non modò impenetrabilis, & extra telorum iactum, sed hostibus terrori, & exitio est, vt dicebat ibi Cyrillus: *vrens aduersarios*: siue vt paulò antè ipsemet ingerebat Theodosio: *Si regium scutum, vel semel concussum micuerit vana illorum consilia,*

Zach. 2. 4.

LXX.

Prou. 25. 28.

LXX.

Cyril. Alex.

consilia, atque studia in ventos mox abeunt: vel etiam vt A Senior Theodosio, & eius filio Honorio disertissimus Claudianus canebat in tertio cõsulatu Honorij: Claudian.

——————*Victoria velox*
Auspiciis effecta tuis: pugnastis vterque,
Tu fatis genitorq; manu, te propter & Alpes
Inuadit faciles: cauto nec profuit hosti
Munitas haesisse locis, spes irrita valli
Concidit, & scopulis patuerunt claustra reuulsis:
Te propter gelidus Aquilo de monte procellis
Obruit aduersas acies, reuolutaq; tela
Vertit in auctores, & turbine reppulit hastas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hyemes, cui militat aether
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Vis videre huuc murum igneum *in circuitu eius* Principis, qui Deo charus est? adeo de ergo sanctum Iob, Iob.1.2. & pende quàm magnus ille, quàm florens & augustus Rex esset: *Erat (inquit) vir ille magnus inter omnes Orientales*: Pagnin. siue vt habent Hebraea apud Pagninum: B *Erat vir ille maior omnibus filiis Orientis*, quippe, cui siue à diuitiarum amplitudine ad vsum, siue ab opibus splendoreque familiae ad cultum, siue ab honoribus & gloria ad laudes, siue à numerosa filiorum prole ad delicias, & nominis posteritatem omnia ei omnino ex voto euenerant: *Nati sunt ei* (inquit beatus Sacer) *septem filij, & tres filiae. Et fuit possessio eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quinquaginta quoque iuga boum, & quingentae asinae, ac familia multa nimis*. Num audisti? ouem ei aliquam, bouem, aut camelum aliquando periisse? aut infelix aliquid ei aliquando obtigisse? Non opinor. Quid? casune id? aut mali daemonis conniuentia accidit? Minimè quidem, sed quòd igneo Dei muro vndequaque munitus, & circumuallatus esset, ipsomet hoste sic attestante vers. 10. *Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum?* Quae LXX. sic efferunt. *Nonne tu muniisti ea, quae extra ipsum, & quae intra domum eius, & quae extra ex omnibus, quae sunt in circuitu eius?* Pagninus C verò ex Hebraeo opportunissimè: *Nonne tu sepem posuisti circa eum, & circa domum eius, & circa omne quod est ei vndique?* Audis sepem, & murum, quo Dominus eum Iobum, quàm omnia eius bona (sic ibi Olympiodorus) *quasi quodam vallo, ac muro firmissimo communiuit, periculisque liberauit*. Sed vnde ergo Iob.1.10. hic morus malo daemoni innotuit? vnde ipse Dei cõsilia nouit? & Iobum ab eo munitũ, & vallatum penetrauit? Planè quòd aliquando Iobi bona & regnũ Olymp. temerarius inuadens ad haec moenia offendit, ita id obseruante eodem Olympiod. *Sed tamen, ô scelestè, vnde nosti Iobum septum esse ac munitum? nisi quia saepius te id faciundi libido incessit, quod postea potestatem nactus facere non dubitasti*. Vnde quidem facilè elicies rationem, ob quã malus ille sanctum virum, & tantopere subinde metueret, & tã diro odio vsque ad internecionẽ persequeretur? Nimirùm in igneum circumiectum illi murũ priùs irruens, non potuit non denuò incẽsus, & D vstulatus euadere: eaque de causa malo accepto sibi cauere, necnon inde odij sui auctorem odisse.

Ad eadem verba.

Vt ab vna virtute, & Regum, & Regnorum stabilitatem subsistere; ita à Principum peccatis florentissima imperia labefactari, atque corrumpi.

ADNOTATIO XIV.

1 PLACAT dictis haerere, Regnaque, ac Reges à virtute stare, & florere, vtpote Dei praesidio pullentia, denuo ostendere, contrà verò florentissima imperia à vitio deleta, prostrata, & obliuioni tradita ob oculos ponere: & vtraque quidem sententia omnino subesse videtur Salomonis verbis Prou. 25. 4. Prou 25. 4. *Aufer rubiginem ab argento, & egredietur vas purissimum. Aufer iniquitatẽ de vultu Regis, & firmabitur iustitiâ thronus eius*: nam, si attendis, iniquitas in ibi eum rubigine, quae metallum nonmodò inficit, sed etiam erodit, omnino componitur: innuente Salomone à iustitia & sanctitate regium thronum firmum, stabilemque subsistere, à peccato verò paulatim debilitari, imminui, tandemque prosterni. Vnde quidem in primis de felicissimo Christi Regno notanter dictum à Daniele Dan.7.14 7. 14. videris: *Potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur*. Sed quare Christi regnum corruptum non iri dicitur? Quia videlicet, *mundauit ipse sibi populum acceptabilem sectatorẽ bonorum operum*: ad Titum 2. 14. *Et dilexit Ecclesiam, &* Ad Tit. 2. 14. *seipsum tradidit pro eâ, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi*. Nec aliunde quàm à peccati rubigine regna, & throni corrumpantur. Vnde florente iustitia & sanctitate Principes & regna non possunt non firmari, atque florere. Sed iam Christi thronum firmum, munitumque cõsidera: ipsomet Salomone sic illum depingente Cant. 3. 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes am-* Cant 3. 7. *biunt ex fortissimis Israel. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi*. Preme verbum *ambiunt* quod LXX. & alij LXX. legunt *in circuitu*, vt videris vallatum, & circumseptum Regnũ. Sed vt eius firmitatẽ, & inexpugnabile monimentum à Principum meritis, egregiisque virtutibus aduenire videas, obserua quid de auxiliaribus copiis, praesidiariisque militibus ipsum subinde custodientibus dixerit postmodum Salomon Cant. Cant. 8. 12. 8. 12. *Vinea* (inquit) *mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius*. Siue vt habent LXX. LXX *Mille Salomonis*: aut vt Pagninus *Mille tibi, ô Salo-* Pagnin. *mon, &c.* Vbi si ad horum custodum siue praesidiariorum militum numerum dubites: quã ratione, siue decẽti proportione ipsimet Salomonis lectulo, cui maior satellitum numerus debebatur, sexaginta solummodo assignentur: vineae verò custodiendae Ambros. mille ad minus adscribantur? occurrit sapienter Ambrosius ea ipsamet & lectuli, & vineae imagine, quasi haec maiora merita, & vberiores virtutum fructus, quàm lectulus adumbret, maiora autem Salomonis siue Principis virtuti, & sanctitate firmiora praesidia & potentius satellitium debeantur. Audi illum lib. 2. de Virginibus ad finem, sic haec pulcherrimè diffundentem. *Ipse pacis Dominus postquam validioribus brachiis commissam sibi vineam complexus, palmites suos gemmare conspexerit, vultu prasule nascentibus fructibus auras temperat, sicut ipse testatur dicens*: Vinea mea est in conspectu meo. Mille Salomoni, & ducenti his qui seruant fructus eius. *Suprà ait*: Sexaginta potentes in circuitu propaginis eius strictis armatos telis, & eruditos praeliaribus disciplinis: *hic mille & ducenti. Creuit numerus, vbi creuit & fructus: quia quò sanctior quisque, eò munitior: sic Eliseus Propheta exercitum Angelorum praesidio sibi adesse monstrauit*. Haec Ambros. Apud quem notetur ille dicendi modus: *validioribus brachiis*. Quid? fueruntne minus valida Dei brachia aliquando? Non equidem in seipsis; at vt illis Principes propugnat, maius quidẽ robur, à maioribus ipsorum virtutibus accipere videtur, vt *quò quisque sanctior, eò munitior sit*.

2 Sed vt hęc in vtramque partẽ omnino subsistãt, quãdo Christi Regno nonnisi augusta omnia possunt obtingere, ad Israeliticam Remp. felicem aliquando, & fortunatam, posteà verò omnium miserrimam, & calamitosissimam oculos conuerte: atque illam in primis muro igneo munitã Deo scilicet praesidiario milite

Exod 34. 23. milite excubias agente, omnino vide: sic enim Exod. A 34.23. cuncto populo præscribebatur: *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel.* Et quid inquis superesset præsidij vrbibus, viris & viribus vacuis, Philistæis signatè semper infensis? Audi Dominum igneo muro ipsas vndequaque circūdantem: *Nullus* (inquit statim) *insidiabitur terra tua ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.* Quasi dicat (inquit *Abulens.* Abulens. q.22. in Exodū) licet in circuitu tuo sint hostes tui multi; tamen non erit aliquis, qui insidietur tibi ad capiendam terram. Sed enim, parum fuerit hostes ei vrbi, cuius Deus igneus murus est, non insidiari. Adeò quidem non inuadent illam, vt nec inuadere concupiscant: ita omnino ibi asseuerante Domino: nam pro iis verbis: *Nullus insidiabitur terra tua:* *Lect. Hebr. LXX.* tam in Hebræo, quàm apud LXX. magnâ cum emphasi est: *Non concupiscet vir terram tuam.* Vides ignea mœnia, quæ nec cogitatione ipsa expugnari possent, quippe quæ terrori hostibus essent. Audi Abulensem B ita indidem hæc latiùs explicantem: *Imò dato quod esset inceptum bellum inter Hebræos, & hostes suos, & obsedissent hostes ciuitates Iudæorum, & ipsi eas solas desererent euntes in locum sanctuarij, hostes nullo modo intrare possent in eas ad possidendum, vel prædandum, imò nec desiderarent introire. Fiebat autem hoc, quia Deus immittebat quemdam terrorem in corda hostium, ita vt non auderent inuadere terram Iudæorum. Vel quia voluntatem suam ad alios distrahebant, ita vt ne cogitarent aliquid de terrâ illâ.* Hæc ille. Quibus sanè *Abulens. 1.Reg 7. 10.* mirè congruit quod 1.Reg.7.10. de iisdem Israelitis simul cū Principe suo Samuele sacra aliquando agentibus, repentino bello à Philistæis, Tyriisque intercepti sic habetur: *Factum est autem cùm Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniêre prælium contra Israel:* armati scilicet, & totas vires suas explicantes aduersus imparatos, inermes, & absque muro. Quid tunc? Adfuitne de nouo Dominus præsentissimum afferens auxiliū? imò verò igneum murum quo iam pridem suos inuisibiliter cōmuniebat, non tam scintillas, quàm ful- C gura, fulminaque terribiliter emittentem omnino patefecit: sic namque ibi: *& intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israel.* Sic ibi Sacer Scriptor breuiter, quem ita *Ioseph.* euoluit, atque diffundit Iosephus lib.6. Antiquitat. c. 2. tam diuini præsidij magnitudinem, quàm hostium stragem elegantissimè describens: *Nondum sacro peracto hostis in conspectu aciem explicat, rem factam se habere putans interceptis Iudæis, imparatis ad pugnam, & tantùm non inermibus, vt qui in eum locum ad hoc conuenerant. At longè aliter accepti sunt quàm crederent, etiamsi quis prædixisset. Primum enim terra, iubente Deo, sub pedibus eorum intremuit, & vacillante vestigio nutabant: nonnulli etiam in improuisos hiatus prolabebantur: deinde fulminibus crebrò attoniti, & ignitis fulgoribus oculos, ac manus semiustulati, vt ne arma quidem retinere possent, in fugâ spem totam ponebant:* vt dixerit Iosephus quod superiùs Claudian. *Claudian.* dicebat:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther
Et coniurati veniunt ad classica venti.

En Rempub. virtute, & Dei præsidio subnixam, habitatione fortunatam, florentē, & aheneo muro circū- *Oleast.* munitam: benè id & Oleastro ad priorem Exodi locum, & Patre Sanctio ad hæc libri Regum verba expendentibus: ita enim ille: *Ne timeas ô homo pusilli animi aliquid tibi sinistrè accidere, cùm te in operibus occupaueris pietatis. Qui enim solicitus est in his, quæ sunt Dei sui, arbitretur Deum erga se, & sua sollicitum ita vt nihil sibi defuturum putet, cū curauerit quæ sunt Dei sui.* Nec minus op- *Sanctius.* portunè Sanctius inquiens: *Vnde prudens quisque facilè cognoscet, inuictas esse acies quas armat & moderatur Deus;*

P. Velasquez in Psalm. centesimum.

& murum esse aheneum, cùm nulla in castris culpa grassatur.

3 Enimverò vt Israeliticum regnum à virtute cōstans, munitissimumque vidisti, ipsum iam à peccato, totâ licet mundi potentiâ vallatum maximè imbecillum, aheneosque & adamantinos eius muros luteos, & papyraceos ad resistendum hostium incursibus ex egregio Amos vaticinio disce. Is enim impio Regi Amasiæ, eiusque Regno extremam cladem Dei *Amos 7. ver. 7.* nomine ita prædicit cap. 7. v. 7. *Hæc ostendit mihi Dominus. Et ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Amos? & dixi: Trullā cæmētarij. Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel: non adijciam vltrà superinducere eum: & demolientur excelsa idoli, & sanctificationes Israel desolabuntur, & consurgam aduersus domum Ieroboam in gladio.* Vbi etiam sine expositore facilè videris, Deum qui prius, ad instar cæmentarij, qui murū à se factum cōtinuâ subinde curâ trullâ suæ artis denuo incrustare, tectorioque solidare non desinit, B quo firmior indies sit ad ferendos hostium incursus, nimborūque iniurias, Hebræorum Remp. non modò ornauerat, sed etiam velut aheneo, & igneo muro ita communierat, vt in eius hostes terrorem immitteret, vt eam nec cogitatione inuadere auderent, iam Principū populique peccatis exacerbatū, à peculiari ipsosū custodiâ de industriâ supersedere, regnūque velut vrbē patentē absque murorū ambitu, hostiū armis, & fortunæ casibus diripiendum, vastandūque relinquere, nō secus ac cæmētarius ille si animaduerteret, opus non procedere sed in molitione tempus, sumptusque perire, trullam artis cum stomacho proijceret, & à muris amplius instaurandis manum submoueret. Sed enim nonnulla quibus peculiaris subest epitasis obseruare placet. Et primum quidē huius loci lectiones quę ad faciē discordare videntur: dū vnâ ex parte Noster Vulgatus habet *murū litum*, & eodem sensu lectio *LXX.* Tigurina *murum ad normam extructum*, nec non LXX. *Lect. Tig.* aucto sensu *murum adamantinum*, quibus summa muri *Theodor.* C siue Republic. illius firmitas, & securitas exprimitur: ex alia verò Theodotion contrariâ quidem phrasi legit: *murum tabescentem, & pronum ad ruinam.* Quæ meritò ambigas, quomodo coire, & hærere inuicem possint? Quid enim magis diuersum siue contrarium quàm eumdem murum, & adamantinum, & tabescentem dici? Sed ad manum est responsio: eum quidem murum, iam adamantinum, iam ruinosum esse, prout illi Deus aut adest, aut abest, quippe à Dei præsidio igneo muro Rempub. ambiente ipsa velut adamantinus murus inexpugnabilis, & impenetrabilis est; hac verò singulari Dei curâ destitutâ non secus ac luteus, & tabescens murus ad ruinam omnino propendet: Domino sub hoc sensu, & hâc ipsissima de re disertissimè dicente: *Auferam sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem.* Isaiæ 5. v.5. & nostro Vate iam tunc *Isai. 5. v. 5.* pronuntiante: *Vt quid destruxisti maceriam eius, & vin-* D *demiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?* Psal. 79. 13. *Psal. 79.* Quæ de præcipuâ custodiâ, qua populum illum è multis electum Deus protegebat, nemo non è PP. & interpretibus accipit: totum verò rem viuaci Tertul- *Tertull.* liani penicillo depictam accipe: sic namque ille in Apologetico cap.21. *Iudæis erat apud Deum gratiâ vbi & insignis iustitia, & fides originalium auctorum, vnde illis & generis magnitudo, & regni sublimitas floruit, & tanta felicitas, vt Dei vocibus, quibus edocebantur de promerendo Deo & non offendendo præmonerentur. Sed quanta deliquerint fiducia patrum inflati ad declinandum, deriuantes se à disciplina in profanum modum, & si ipsi non confiterentur, probaret exitus hodiernus ipsorum, dispersi, palabundi, cæli, & soli sui extorres vagantur per orbem sine homine, sine Deo Rege, quibus nec aduenarum iure terram patriam saltem ve-*

 stigio

fugio salutari conceditur: Hæc ille opportunissimè. Vides Israeliticæ Reip. murum ex Dei gratiâ adamantinum, generis magnitudine, & regni sublimitate florentem, vbi insignis illi iustitia adfuit: subinde verò ob illius delicta non modò tabescentē, atque ruinosum, sed etiā expugnatū, atque destructū: ablato quippe igneo Dei muro, omnia perditum iri necesse est: nam *vbi non est sepes, diripietur possessio*. Ecclesiast. 36.27.

4 Sed & alio sensu huic proximo murum illum & *adamantinum*, & *tabescentem* in concordiam rediges: vt videlicet Hebræa Respub. quæ tot humanis præsidiis, exercitibus, Ducibus, rerumque omnium copiâ erat instructa, vt murus adamantinus esse videretur, Dei auxilio, & protectione nudata, omnium infirmior, & imbecillior foret, quòd vbi Deus auxiliatem manum non porrigit, nihil firmum, aut constans sit: nec quod adamantinum, adamantinum: nec quod forte, forte: nec quod sapiens, sapiens inuenitur, sed omnia lutea, debilia, ruinosa, tabescentia, & infatuata miserrimos, & infelicissimos exitus habeant. Quæ

Nicephor.

totidem quidem verbis sic dixit egregius Scriptor Niceph. Gregor. lib. 7. historiæ. *Vbi diuina Prouidentia non cōmilitat consiliis, actionibusque hominū, malus ha exitus aduenit, & cogitationibus valdè aduersus: nam tunc neque vir consultus, consultus, nec fortis, fortis sed etiam sapientissima consilia insipienter desinunt, & generosa maximè, & fortia facta turpem, & infamem exitum consequuntur*. Vt dixerit, muros qui se ipsis spectati, adamantini videntur: reipsa luteos esse & papyraceos. Pro quâ sanè cogitatione opportunè fidem iubet Roboami historia: ipse enim regiæ potentiæ operam impensè nauans Regnū vndequaque firmum, atque munitū reddere curauit: sic namque 2. Paralip. 11. 5. *ædificauit ciuitates muratas in Iuda*: & vers. 10. *Saraa quoque, & Aialon, & Hebron ciuitates munitissimas. Cumque clausisset eas muris, posuit in eis Principes, ciborumque horrea, sed in singulis vrbibus fecit armamentarium scutorum, & hastarum, firmauitque eas summâ diligentiâ*. Audis firmissima præsidia? ciuitates munitissimas, summamque Principis in firmando, & constabiliendo regno diligentiam? Quid id fuerit, quàm muro adamantino ipsum circumcinxisse? sine murum adamantinum illud esse? Vide ergo nec forte, forte, nec consultum, consultum, nec summam diligentiam, alicuius momenti fuisse, sed sapientissima consilia & generosa maximè, & fortia facta turpem & infamem exitum habuisse. Addit enim Sacer Scriptor c. 12. 1. *Cumque roboratum esset regnum Roboam, & confortatum, dereliquit legem Domini*. En murum adamantinum, luteum, ruinosum, & tabescentē redditum, quin aliud aliquid subiicere fuerit necesse: sed maioris explicationis gratiâ subditur: *Anno autem quinto regni Roboam ascendit Sesac Rex Aegypti in Ierusalem (quia peccauerant Domino) cepitque ciuitates munitissimas in Iuda, & venit vsque in Ierusalem*. Vides quid sit Principes peccare Domino? nec eum adiutorem, & propugnatorem habere? omni videlicet præsidio, & robore sese ipsos nudare, & hostium prædæ & direptioni sese inermes exponere: *Recessit itaque* (pergit diuinus historicus v. 9.) *Sesac Rex Aegypti ab Ierusalem sublatis thesauris domus Domini, & domus Regis, omniaque secum tulit, & clypeos aureos quos fecerat Salomon*. Planè vt Regem non tam spoliaret, quàm institueret, atque moneret, vbi diuina Prouidentia non commilitat, aureos clypeos, hastas, & munitissima quæque nullius roboris ad protegendum esse.

LXX.

Preme verò rursum Lectionem LXX. In præfatis verbis Amos: *Et ecce Dominus stabat super murum adamantinū, & in manu eius adamas*. Quæ sanè imago, appositè illâ elucidante P. Sanctio, perinde accipienda videtur, vt Deus muros ex adamante confictos diruat, atque dissoluat, ad eum planè modū, quo is qui A mœnia diruit, singulos ex illis lapides manu reuellit, & proiicit, quippe adamas, quem Dominus in manu habebat, non nouus censendus est, quasi adamantinos ipse muros adamanteis appositu promoueret, atque instauraret, sed vetus omnino ex muris sublatus, atque diuulsus, vt reuulsis singulis lapidibus circumductæ vrbi mœnia, sensu dato, paulatim dissolueret, quod videtur explicasse lectio Theodotionis Græca voce,

Theodot.

quam propriè legas, *adamas qui soluebatur, & diffluebat*. Quod quidem non iam ad Regni, sed ad Principum res, & stabilitatem placet accommodare. Do ergo tibi hunc adamantinum priùs murū, diffluentem subinde, & tabescentē pluribus ex illo lapidibus ob peccatum reuulsis in Dauidis familia, & regno. Ipso etenim iustitiam colente, & Deo fidem seruante, quàm florens, quàm inuictus, quàm felix & fortunatus erat? pulcherrimis quidem, & benè moratis filiis circumdatos, fidelissimis ciuibus fultus, fortissimo exercitu B stipatus! At vbi sanctitatem deseruit, vide vt diffluere cœpit muros; dum primū Thamar ab Amnone violata est, qua de re grauiter Theodoretus quæst. 29. in lib. 2. Regum inquit: *Quod in Thamarem autem est perpetratum, est quoddam principium, & radix calamitatum domus Regiæ*. En vnum ab adamantino muro sublatum lapidem: deinde cum ea de causa ipse Amnon primogenitus, & summè dilectus à fratre Absalone occisus est: en alium lapidē reuulsum: denique cùm tam filius Absalon, quàm populus in ipsum Regem rebellauit. Vides tabescentem ac diffluentē murum? Audi ergo Theodoretum q. 32. in lib. 2. Reg. sic id obseruantem: *Sciendum est autem, quod non diuina sit operationis neque Amnonis nefarium concubitum, neque Absolonis fraterna cædes, nec furor in patrem: sed domus nudata diuina prouidētia fuit instar scaphæ carentis gubernatore, & sustinuit vehementes C fluctus insanorum dæmonum*. Erant sanè priùs fortissima, & adamātina Dauidis mœnia, cùm Deus pro illis excubabat: à quo habebant, vt essent adamātina, & aheneа, sed cùm peccato diuinū à se patrocinium aueterit, diffluere, & hostium incursibus patere cœperunt. Sanè huic cogitationi ipse omnino Dauid applaudere videtur, cùm è peccati barathro tandem emergens, & afflictis rebus prospiciens enixè Dominum orabat:

Ps. 50. 19.

Benignè fac Domine in bona voluntate tuâ Sion, vt ædificentur muri Ierusalem. Sed qui tunc (inquis) Ierusalem muri destructi erant, qui instauratione, & reædificatione indigerent? Difficilis interpretibus nodus, quem alio, & alio modo expedies; primùm si obserues Hebræum verbum quod respondet verbo *ædificentur*: propriè significare *stabiliri, firmari*: quasi Dauid propter cōmissa à se peccata Ierosolymitanos muros iam notantes, tabescentesque animaduerteret: vel prophetico spiritu D ob suum etiam peccatum in posteros (noua etiam illis ipsis addētibus) translatū, collapsos, & destructos à Chaldæis iam videret: vti Agellius ibi ex aliorum

Agellius.

sententiâ sic obseruat: *Quidam putant hæc prophetice spiritu dici, quòd prauideret Dauid, ciuitatem illam longo post tempore à Chaldæis euertendam. Eius igitur euersionis, & ruina præscium orare, vt Dei benignitate illa vrbs iterum ædificetur, & instauretur, quod sub Cyro factum est*, Ita ibi.

Sed & primo omnium Principi idem accidisse, animaduerte. Enimverò vt ille ante peccatū, Principatum suum, adeo firmum & florentē habebat, vt ipsamet animantia rationis experia feritatis oblita ipsi ad nutum obedirent: ita postquam iustitiam reliquit, illa eius iugo excusso ferocia, & indomita ab eius Imperio discessêre. Quid verò id fuisse dixeris nisi ob Principis flagitium, eius Regnum imminui, & ditionē detruncari? Quod sanè vel ea iusti Noë historia facilè conuincitur, illum enim insigni pietate virū, sanctitatis vi feras mansuefecisse, & ad arcam euocasse omnino nouimus: vt imminutum videlicet ob Adami peccatum

eorum imperium à Noe iustitiæ pristinæ amplitudini A restitueretur: scitè hæc omnia considerante S. Isidoro Pelusiota lib. 3. ep. 95. ad hunc modum: *Quod si dixerint: Qui fit igitur, vt cum homo rerum omnium, quæ terra complexu continentur, imperium acceperit, feras pertimescat? &c. Recta via respondebo, atque illud dicam, quod primùm quidem cum diuina imago in eo elucerct, et omnia subiecta erant: vnde etiam ipsis nomina imposuit: at postquam à diuino mandato recessit, optimo iure imperium ipsi mutilatum, atque imminutum est.* Et statim: *Quod autem hoc verum sit, hinc constat, quod cum Noe iustitiam colendo & amplectendo hanc imaginem repurgasset, feræ omnes ad eum se contulerunt, veterem seruitutem confitentes, atque eum, qui primùm peccauerat, atque imperij parte mulctatus fuerat, propemodum accusantes.* Ergo cùm Regnum aliquâ ex parte imminuitur, cùm defloret, & ærumnis premitur; timeat bonus Princeps, ne fortè quòd ipse à diuino mandato recesserit, imperium sibi attenuatum, atque imminutum fuerit: similiter cùm illud florens, & fortunatum; & velut adamantinum murum inexB pugnabile, & firmum, vndequaque conspicit, iustitiam firmiùs colat, & amplectatur, cùm non nisi à Dei patrocinio, & ope eum illud firmitatem, & florentem statum habere, certum sit.

Isid. Pelu.

Ad eadem verba,

Quando venies ad me?

Deo Principi infenso, ipsumque premente, contraniti neminem posse; sed miserorum rebus, ipso, & solo ad restitutionem opus esse.

ADNOTATIO XV.

1 VIDISTI iam adamantinum illum Principatus, & Reip. Iudæorum murum, æquatumque machinam cælo, tabescentem, atque ruinosum? Quid iam sperares, ni Deum placatum, atque beneuolum reddere studeas, nisi omnimodam ruinam, atque exitium? Dicente Ecclesiastico c. 14. 20. *Omne opus corruptibile* (siue vt alij *putridū*: vel vt Vatablus: *marcori obnoxium*) *in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cum illo*: & Paulo ad Hebræos 8. 13. *Quod antiquatur & senescit, prope interitum est*: at enim illa *fiduciam habens in malitia sua*, Isai. 47. 10. tantùm non inquit:

Ecclesiast. 14. 20.

Ad Hebr. 8. 13.

Isai. 47. 10.

Flectere si nequeo superos Acheronta mouebo:

tam videlicet propriâ, quàm amicorum Principum manu murorum ruinas instaurare, & rimas vndequaque explere studens, nullum non lapidem mouens, vt quidquid Dei manus iratæ demolitur, & diruit, humana potentia, & sapientia instauret, ne vllus hosti ad direptionem aditus sit: vti apud Malachiam 1. 4. Idumæa iactasse dicitur: *Destructi sumus, sed reuertentes ædificabimus, quæ destructa sunt.* Quibus Dominus: *Hæc dixit Dominus exercituum. Isti ædificabunt, & ego destruam, & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus.* Vbi obserua primùm phrasim, quâ D vastatam, & eueisam terram signatè appellauit, *terminus impietatis*, vt ostendat vnam impietatem esse, quæ mala accersat, ædificata euertat, ac vastet, eosdemque peccati, ac euersionis terminos esse: tamdiu clade, & vastatione durante, seseque extendente, quamdiu peccatum durat, & quà sese extendit. Iam emphasim quâ Deus iis, qui humana industria ea excitare adnituntur, quæ ipse ob peccata destruit, indignatus occurrit, perpende. *Ipsi* (inquit) *ædificabunt, & ego destruam*: vt ironicè dicere videatur. Eia certemus ambo, ille vt rursus excitet, & instauret; ego vt rursum destruā, atque euertam: vter, rogo, potentior fuerit? Quod si id non mysticè, aut spiritualiter, sed ad literam, vt sonat, oculis ipsis videre velis: audi quid de Iuliano Imperatore prauo, & ficto animo templū sanctis Martyribus exigere moliente referat Greg. Nazianz. orat. 1. in Iulian. *Eius autem munus (probi impiorum in hac quoque vita ignominiam futuris rebus testimonium præbentem, ac per parua indicia res magnas prænuntiantem) non secus ac Caini sacrificium Deus Martyrum repudiabat. Ita, ille quidem laborabat, sed terra quod elaboratum fuerat, excutiebat. Ille vehementius adhuc obnitebatur, hæc hominis ægra pietatis prædita fundamenta capere detrectabat.* Deinde, quid Deo destruente Ierosolymitanum templum iuxta illatam prius minas, Matth. 24. 2. *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur*: Iudæisque eiusdem Imperatoris Iuliani in odium Christianæ fidei concessione illud instaurare molientibus acciderit: vide apud Chrysostomum orat. 2. & 3. aduersus Iudæos, & Theodoretum lib. 3. historiæ c. 20. Nimirum cùm illi incredibili alacritate veteris templi fundamenta effodissent, vt noua reponerent, vehemens ex imis fundamentis ignis exiliuit, qui & lapides, & plures ex B iis, qui ædificationi operam nauabant, consumpsit. Audis? *Ipsi ædificabunt, & ego destruam, & vocabuntur termini impietatis.*

Greg. Naz.

Matth. 24. 2.

Chrysost.

Theodor.

2 Cui sanè rei opportunam emphasim habent ea Domini apud Ieremiam verba cap. 13. 19. quæ in præcedentibus cursim tetigimus: *Ciuitates Austri clausæ sunt, & non est qui aperiat.* Quibus significat Vates, nullum afflictis Iudæis ad illas vrbes commigrandi, vt geniales ibi, & hilares dies haberent, locum, siue aditū aperiri posse: at enim, cum iis illa eiusdem Domini Apocal. 3. 7. de seipso: *Qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit*: omninò componenda sunt, & vtrobique clauis imago sic premenda, vt quemadmodum cùm ianua semel clausa est, nisi proprium, atque germanum seræ clauem attuleris, etsi mille aliæ ad manum sint, quibus recludere coneris, frustrà omnino niteris: ita Deo destruente, siue Rege & Republicâ ob peccata pœnas dantibus, nulla caterua amicorum Principum auxilia, nulla sapientissimorum hominum C consilia, nulla politicorum excogitata inuenta, ad pristinum splendorem florentemque afflictis rebus statum reddendum, vel hilum valere, quod aliæ quidem, & alienæ ad aperiendā ianuam claues, hæc omnia sint: imò verò iis remediis, siue adiumentis vetus Prouerbium in malum Medicum iactum vndique quadrare: *Pharmacum tuum morbum auget.* Sed illam vnicam occlusæ ianuæ superesse clauem, vt Principes iratum sibi Deum omnimodo placare, & conciliare studeant: quippe si *ipse claudit, nemo aperit.* Ita quidem Regem Manahen, eiusque regnum, cùm à Deo ille ob peccata vexatus auxiliares sibi aliorum Regum copias mercede conducebat, satis sibi præsidij in illis contra omnes euentus fore existimans, per Oseam submonebat Dominus cap. 5. 12. *Et ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Iuda. Et vidit Ephraim languorem suum, & Iuda vinculum suum, & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad Regem vltorem, & ipse non poterit sa-* D *nare vos, nec soluere poterit à vobis vinculum. Quoniam ego quasi leæna Ephraim, & quasi catulus leonis domui Iuda: ego, ego capiam, & vadam, tollam, & non est, qui eruat.* Vt dicere Dominus videatur: Quæ tanta insania, ô Principes? vt in mero meridie cæcutientes, hæc tot infortunia à mortali modo vobis aduenire, eâque humanis rationibus, atque præsidiis, quæ nihil adiumenti præter inanem strepitum, & noua expensarum impendia afferunt, depelli posse credatis: Ego, ego ob peccata vestra vos afflixi, ego vestrarum cladium auctor extiti: ideò nisi de me placando cogiteris, oleum, & operam perditis. Sed audi hæc à Theophylacto ibi sic appositè elucidata: *Vos quidem tanquam vindicem accersistis Aegyptium: enimverò ipse seu imbellis inuentus est, vnde maiores vos tempestuerunt cruciatus. Iam quisquis Deum*

Ier. 13. 19.

Apo. 3. 7.

Osea. 5. 12.

Theophyl.

offenderit, vnicam opem reliquam sibi tenet, vt reconcilietur denuo ei. Pulchrè id *imbellis inuenit est.* Est quippe imbellis, & infima humana potentia, debilia & nullius frugi fortissima quæque præsidia, vt pro eo pugnent, quem Deus oppugnat. Pulcherrimè illud: *Vnicam opem reliquam sibi tenet, vt reconcilietur ei:* vnica enim ablatæ salutis clauis hæc est, ceteræ inutiles sunt, aliæ sunt. Ad hæc, sub hoc sensu obserua extrema illa verba: *Ego, ego capiam, & vadam,* &c. Quæ pulchrè illustrantur

Cyril. Alex. Osee. 5. 1.

à S. Cyrillo Alexandrino dū priora eius capitis Osee verba: *Ipse cepit, & sanabit nos,* sic premit: *Simul & illud intelligemus, Deo quosdam premente, contrarium neminem posse, sed miserorum rebus ipso, & solo ad restitutionem opus esse:* obserua hæc, *ipso & solo*, quod sine ipso nihil auxilij miseris adesse: & cum ipso, nihil felix, faustumque deesse possit.

Ezech. 1.

3 Hinc opinor dexter auriga celebratissimi currus Ezechielis, germanum, & litteralem illius sensum tam huic instituto, quàm formandis Regum moribus vtilissimum elicies: enimverò eum currum, bellicum siue triumphalem esse, quo Deus perditis, & debellatis suis hostibus egregium de ipsis triumphum referens inducatur, penè quidem certum est, vt egregij commentatores PP. Hieronymus Prado in commentario de prima visione parte 2. sect. 6. & Gaspar Sanchez ibi n. 94 necnon Magister meus Ludouicus del Alcazar in c. 1. Apocalypsis vers. 15. in commentario, & in cap. 4. comment. 2. sect. 1. sapienter monent. Et verò vt Prado de victoria tempore Moysis de Ægyptiis reportata capiat, multò tamē opportunius, & litere congruentius Alcazar, & Sanctius ad vastationem Ierosolymæ, & Israeliticæ Reipub. per Babylonis Regis exercitum factam referunt, Vate adstipulante cū c. 43. 3. inquit: *Et vidi visionē secundū speciem, quam videram iuxta fluuium Chobar, quando venit vt disperderet ciuitatem.* Quod verò tam magnifico curru, regia pompa conspicuo illustrium animalium Aquilæ, Leonis, bouis, & hominis Deus veheretur, sic perinde accipiendum est, quasi Deus, qui potissimus eius belli dux fuit, trophæa iisdem armis, atque apparatu vestita quibus victoria parta est ostentare voluerit: vt optimè obseruauit vetustus auctor Apollinaris apud Prado hunc in modum: *Vt in triumphis curru magnifico vehi solet Imperator sublimi sedens throno; circumstare solent hastati, præcedere captiui, ostentari trophea iisdem armis, atque apparatu vestita, quibus victoria parta est, eodē modo quoniam triumphans per visum ostenditur Deus, in curru equitare, & solio sublimi insidere describitur, insigniaq; victoriæ proferuntur, atque solemnis comitatus multorum millium Angelorum memoratur.* Quo pulchrè faciunt ea verba quibus Traianū Plinius in Panegyrico triumphum referentem sic confingit: *Videor iam cernere non spolijs prouinciarum, sed hostilibus armis captorumque regum catenis triumphum grauem. Videor intueri immanibus ausis barbarorum onusta fercula, & sua quemque facta victis manibus sequentem: mox ipsum te sublimem, instantemque curru domitarum gentium tergo: ante currum autem clypeos, quos ipse perfoderis.* Porrò trophæa iisdem armis, atque apparatu vestita quibus victoria parta est, nullis aptioribus imaginibus, quàm Aquilæ, Leonis, hominis, & bouis adumbrari potuisse ex ipsorum natura facilè cognosces, quæ eò quidem erant, vt denotent humanam potentiam, sapientiam, industriam, consilia, & vires, quibus aduersus diuinam iram, & comminationes Iudæorum Principes sese communiebant quasi suis, sociorumque præsidiis Dei vindictam, & captiuitatem possent effugere, à Deo deuicta, atque triumphata, & in victoriæ trophæa currui adiecta.

Prado

Sanchez. Alcazar.

Apollina.

Plin. iun.

4 Sanè Aquila cuius *clarissima oculorum acies* (vt ait

A Plinius lib. 10. c. 3.) vehementissimusque volatus, mirè adumbrat acutissimam rerum cognitionem, & singularem prouidentiam, qua Israelitæ imminentia pericula præuidere, eaque non difficilè se effugere posse iactabant: sic Isaiæ 30. 15. monente illos Domino: *Si reuertamini, & quiescatis, salui eritis,* siue vt habent LXX. *Cum reuersus ingemueris, tunc saluus eris;* ipsi non acquiescentes respondent: *Nequaquam, sed ad equos fugiemus, & super veloces ascendemus.* Similiter Leo *fortissimus bestiarum, qui ad nullius pauet occursum.* Prouerb. 30. 30. denotat ingentem animi fortitudinem & robur, pectusque triplici ære munitum (sic 2. Reg. 17. fortissimum cor, *sicut cor leonis* dicitur) tam ad pericula, mortemque ipsam contemnenda, quàm ad quorumcumque hostium vires infringendas, & victoriā

Plinius.

Isai. 30. 15.

LXX.

Prou. 30. 30.

B de illis reportandam. Ita Isaiæ 28. 15. iactantes inducuntur: *Percussimus fœdus cū morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Homo verò sociabile animal mutuum præsidium auxiliaresque finitimorum Principum manus, qui pro eis contra Assyrios pugnaturi erant, omnino significat, sic de illis Isaiæ 30. 2. dicitur: *Qui ambulatis, vt descendatis in Aegyptum sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti,* & cap. 31. 1. *Væ qui descendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis quia multa sunt, & in equitibus quia prævalidi nimis, & non sunt confisi super sanctum Israel.* Bos denique, qui & frugum, abundantiæque typus est apud Pierium Valerianum in boue, & lassus melius figit pedem, tum diuitias, vbertatemque annonam, & cibaria, vt ab hostibus obsessi commodè sustentari possint, indidem

Isa. 28. 15.

Isa. 30. 2.

Isa. 31. 1.

C Isaias 30. 12. *Sperastis in calumnia, & in tumultu, & innixi estis super eo:* vbi lectio Hebræa Pagnini: *Sperastis in dolum ex rapina congregatum:* tum etiam assiduum, indefessumque laborem ad obsidionis ærumnas, bellique difficultates superandas, portendit, vt apud eundem Isaiam dicebant: *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus, sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus,* cap. 9. 10. Vides apud Iudæorum Rempub. potentiā, sapientiam, fortitudinem, diuitias, & quidquid validum est, ac opportunum ad Regem, regnumque ornandum, & omnino communiendū inuenit? Quantum hæc ad effugiendam eorum captiuitatem, & infortunia credis fuere valitura? Audi quid Dominus post citata Isaiæ verba capitis 31. 3. subiecerit hunc in modum: *Aegyptus, homo, & non Deus, & equi eorum caro, & non spiritus: Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & cadet, cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur.* Vt notantissimè dixerit: Ecqua tanta amentia, quæ humanas vires, fluxas, debiles,

Isa. 30. 12.

Pagnin.

Isa. 9. 10

Isa. 31. 3.

D & perituras cum diuinis viribus, immensis, & omnipotentibus committit? Stultissimi mortalium: carne, luto, equis, & humanis præsidiis contra Deum innitimini? Cui satis est leuiter tantùm manum inclinare: vt & eos qui vobis promittunt auxilium, & vos qui illud speratis omnino perdat? Dixerim, neutiquam vos Deum cognouisse. Accipite iam, quis tandem is sit, contra quem humana sapientia, fortitudo, velocitas, & potentia sese armare student. *Solus quippe* (inquit Gregorius Nazianzenus orat. 1.) *ex omnibus rebus Deus est, qui nec fuga vitari, nec superari potest, cum aliquem arripere, ac sub manum, & potestatem arripere voluerit, celeres anteuertit, prudentes decipit, fortes subuertit, audaciam mitigat, potentiam premit.* Ita Nazianzen. Quæ non tantùm à ratione & fide, sed ab infinitis historiarum successibus sic firmat Sozomenus lib. 9. histor. Ecclesiasticæ cap. 1. *Mihi sanè videtur*

Nazianz.

Sozomen.

detur ostendere Deus, solam pietatem Regibus, atque Imperatoribus sufficere ad salutem, & sine hac nullum esse momenti exercitus, robur imperij, & reliquum apparatum.

5 Vehitur ergo magnifico Aquilæ, Leunis, buuis, & hominis curru Deus: exarmata videlicet à superiori potentia, ea omnia quibus Principes innitebantur, superata, atque in trophæum deducta gestans: sicut ante currum clypeos, quos ipse perfoderat; tantùm non clamans: *Non est prudentia, non est sapientia,*
Prou. 21. 30. *non est consilium contra Dominum*, Prouerb. 21. 30. qui celeres aquilas anteuertit, fortes Leones eneruat: potentes auxiliatures premit, audacesque & viribus siue corporis, siue pecuniarum innixos mitigat, & nihili facit: nam præterquam quod, *Vbi diuina prouidentia non commilitat consiliis, actionibusque hominum* (vt supra
Niceph. allatus dicebat Nicephorus Gregor.) *neque vir consultus, consultus; nec fortis, fortis: sed etiam sapientissima*
Cyril. Alex. *consilia insipienter desinunt susfirmis* (inquit S. Cyril. Alexandr. in cap. 2. Amos) *neruos subministrat, & enervat,* B
Ierem. 9. 23. *à quibus est offensus*. Iam huius cogitationis ipsummet Dominum auctorem habemus, apud Ieremiam cap. 9. 23. vbi de hoc Hebræorum excidio agens, inquit: *Non glorietur sapiens in sapientia sua: & non glorietur fortis in fortitudine sua? & non glorietur diues in diuitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me: quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra*. Quæ verba sic optimè explicat P.
Sanchez. Gaspar Sanchez. *Persuaserant sibi Iudæi, satis sibi paratum esse præsidij, quia homines habebant sapientes, quorum consilio res administraretur bellica, & viros strenuos, ac fortes, quos in aciem producerent, & Chaldæorum viribus, & castris apponerent, ac denique satis sibi diuitiarum suppetere, vt externum militem mercede conducerent. Quorum stultam cogitationem Dominus coarguit, ostenditque à se solum sperandum subsidium, reliqua, qua comparari potest hominum industria, esse prorsus inania, esse sus quippe Deus vires addet & audaciam infirmis, fortibus verò robur, & sapientibus sapientiam eripiet, efficitque vt ciuitas, qua consiliariis prius, & strenuis militibus abundabat, ab omni consilio maneat, atque præsidio vacua*. Hæc ille opportunissimè. Sed & huc poreò non abs re adnoces somnium illud Domitiani Imperatoris ob immanitatem, & flagitia iam
Sueton. iam perituri, cuius sic meminit Suetonius in eius vita cap. 15. *Mineruam, quam superstitiosè colebat, somniauit, excedere sacrario, negauitque vltra se tueri eum posse, quod exarmata esset à Ioue.* Nec somnium quidem id repures, sed ipsissimam veritatem: exarmat quippe Deus humanam sapientiam, humanamque potentiam, & sapientissimi Achitophelis consilium infatuat, cùm Principem ob peccata perdere statuit. Quò
Tertull. refero Tertulliani in Apologetico cap. 25. de Iunone Iouis coniuge, & sorore irrisionem dum illa D Carthaginem florentissimum gentium regnum esse contendens fatis obsistentibus non obtinuit: enimverò ipse adductus iis Vergilij carminibus.

——Hoc regnum Dea gentibus esse
Si qua fata sinant, iam tum tenditque fouetq.

Sic insultat. *Misera illa coniux, & soror aduersus fata non valuit.*

Ier. 9. 23. 6 Quare pende, & illa Domini verba: *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me: quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra*. Quibus ipse ve rotum felicium euentuum, siue in pace, siue in bello momentum ad vnam diuini timoris, & virtutis, quâ ipsius fauor, & gratia conciliatur, omnino reuocat, quòd ab ipso siue misericordiam, siue iudicium faciente omnium rerum, siue prosperè siue aduersi successus proficiscantur, ita humanam, & carnalem, siue politicam sapientiam, quæ

P. Velasquez in Psal. centesimum.

Dei timore ablegato terrenis tantùm, & sæcularibus consiliis innititur, à vero scopo aberrantem
Prou. 30. 21. facit. Cui cogitationi sic subscribit Salomon Prouerb. 30. 21. *Per tria mouetur terra* (vbi LXX. concu-
LXX. Lect. Heb. *titur terra*, Hebraicè verò *tremuit terra*) *& quartum non potest sustinere. Per seruum cùm regnauerit: per stultum, cùm saturatus fuerit cibo: per odiosam mulierem cùm in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam, cùm fuerit hæres dominæ suæ*: siue vt reposuerunt LXX. *per famulam cum eiecerit dominam suam*. Vbi obserua illud inter omnia mala peius terræ signatè euenire: Ancillam dominæ suæ hæredem fieri, quasi id terram à suis sedibus remoueat, & intolerabilium malorum causa sit. *Mouetur* (inquit) *terra, & non potest sustinere*: id est impellitur, tremit, nutatque Respub. & exitio vicina est. Sed cur tantum id malum ab vna ancillulâ in dominæ locum substitutâ toti aduenit regno? Vis nosse? Disce, quæ hæc ancilla sit, ex Venerabili
Galfrid. Galfrido in allegoriis Gotfridi Tilmani ad id loci sic interpretante: *Sapientia huius mundi, quæ stultitia est apud Deum, quando ei, quæ de sursum est pudica, & pacifica subripit, & subducit possessionem mentis humanæ*: Iam compone hæc cum Domini verbis? *Non glorietur in sapientia sua, &c. sed in hoc glorietur scire & nosse me*: vt inde colligas: sicut ab vna sapientia, quæ Dei timori innititur, Rerum publicarum, & regnorum firmitudinem, & felicitatem aduenire, cùm Deus sit qui pro meritis, & præmia, & supplicia decernat: ita hac eiectâ, & politicæ; & carnali sapientiæ, quæ ad terrena tantùm adspicit, postpositâ, regna moueri, nutare, & labefactari sicut terra à suo centro commota, atque diuulsa. Quò mirè facit egregia victoria, atque triumphus, quem Christiani humiles, abiecti, atque contempti, sed diuinâ omnino sapientiâ C innixi de superbissimo Imperatore Iuliano, qui tam politicis artibus, & sæculari prudentiâ, quàm orbis terrarum imperio, & viribus fretus eos mirum in modum contemnebat, ac pro nihilo putabat, gloriosè retulêre, ipso infelicissimè extincto, & suæ perfidiæ diuinitus pœnas dante: vti eleganter hæc Gregorius Nazianzenus iisdem locutionibus, quibus impius ille Christianos lacerabat hunc in modum ob oculos posuit, & pensitauit oratione 4. *Hæc nostra, hoc est Galilæorum, hæ contemptorum, & abiectorum hominum narrationes. Hæc nos qui Crucifixum adoramus: hæc piscatorum, & ex ipsi atque, imperitorum discipuli. Hæc nos, qui cum vetulis sedemus, & psallimus. Hæc*
Nazianz. *nos longis ieiuniis confecti, ac semianimes. Hæc nos qui frustra vigilamus, atque noctuenis stationibus nugamur, & tamen vos prosternimus.* Pulchrè, vt videtur Principes quantu maior, quanto potentior fuerit, siue D ad Reges seruandos; & stabiliendos, siue ad regna communienda Christiana sapientia, quæ Dei timore, & pietate innititur licet imbellis, & exarmata, quâ mundana sapientia, & potentia tot bellicis legionibus, & auxiliaribus copiis munita. Quare pergit Gregorius, sic prostrato Imperatori, & fusis illius exercitibus, dissipatisque consiliariis insultans: *Vbi sunt grammatici? vbi consiliarij? libet enim ab inductorum nostratium quodam, vt quidem nobis videtur, triumphalem hymnum mutuari, vbi sacrificia, & sacra mysteria? vbi victimæ tam apertè, quàm occultè? Vbi aruspicina ars, quæ laude, & prædicatione efferetur? vbi præscientia vanitas, & ventriloquorum signa: vbi clara illa Babylon sermone celebrata, & orbis vniuersi terrarum per exiguum, & execrandum sanguinem cogitatione perceptus? vbi Persæ illi, & Medi, qui manibus tenebantur? vbi dij illi, qui deducebantur, ac deducebant? & propugnabant, simulque pugnabant? euanuerunt omnia: falsa sunt, diffluxerunt, somno similes extiterunt impiorum iactationes.* Deu videlicet

L 3 aquilas,

aquilas, leones, Reges, & eorũ potentiam in triumphum ducens, humanamque ſapientiam infatuans: nec aliunde ſiue robur & vires, ſiue conſilium quàm à diuino timore ſubſiſtere, manifeſtè commonſtrans.

Ad ea verba.

In innocentia cordis mei in medio domus meæ.

Principi, vel ea ratione perfectam virtutem eſſe neceſſariam, quòd ab ipſa, & bona fama, & proſpera memoria, ſine qua optimi Principis forma non commendatur, omnino ſubſiſtat.

ADNOTATIO XVI.

B EN nouam ſubinde rationem, cur Princeps virtutem ſuſcipere, & ad eam omnes neruos contendere debeat, quòd ab ipſa nominis claritas, & egregia *M. Tull.* fama, præcipua quidem Principis dos, omnino adueniat: enimverò vt Ethnico ſenſu M. Tullius libro de Republica monuit, *Principem gloriâ alendum*, & cal*Cor. Taci.*lidus ille Tiberius Cæſar apud Cornelium Tacitum lib. 4. Annaliũ gentili ore pronuntiauit: *Omnia Principibus ſtatim adeſſe, vnum inſatiabiliter parandum, proſperam ſui memoriam*, & paulò pòſt: *Cæteris mortalibus in eo ſtare conſilia, quid ſibi conducere putent: Principum diuerſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* Ita Chriſtiano pectore, & diuino ore Paulus optimi Principis formam adornans ad Philippenſes 4. 8. in*Phili. 4. 8.*ter alia dicebat: *Quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, *Paſchaſ.* quæcumque bona fama, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate.* Quæ ſic expendit, & noſtro inſtituto aptat Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Duobus verbis cuncta concluſit dicens.* Si qua virtus, ſi qua laus: *ad virtutes nempe pertinet bona C conſcientia, ad laudem verò fama vita proficit: ſine quibus ſanè veri Principis forma non commendatur.* Nec aliter Rex ille inter mortales ſapientiſſimus, cùm ſe vnam ſapientiam, virtutē ſcilicet, vehementer optaſſe, & de ipſa adepta ſummoperè lætatũ hunc in modum præmiſiſſet: *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus: inuocaui, & venit in *Sap. 7. 7.* me ſpiritus ſapientiæ, & præpoſui illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.* Sapientiæ 7. verſ. 7. cur ipſam tam in optatis haberet, & tanquam bonorum maximum regnis, atque diuitiis antepo*Sap. 8. 13.*neret: poſtmodum cap. 8. verſ. 10. & 13. aperit hanc aliis rationem adnumerans: *Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores iuuenis. Præterea habebo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam his, qui poſt me futuri ſunt, relinquam.* Sanè quaſi à bona fama, & nominis claritate egregium Principis lu*Polybius.*crum, & ſplendidiores diadematis gemmæ ſubſi*Euſebius.*dant. Quod dixeris auſcultaſſe tum Polybium, tum D Euſebium (vt ambo Ethnici fuerint) dum ille ſic admonet: *Argentum quidem, & pecunia eſt communis omnium hominum poſſeſſio, at honeſtum, & ex eo laus, & gloria, deorum eſt, aut eorum, qui à diis proximi cenſentur.* Hic verò apud Stobæum ſerm. 44. Principis maieſtatem ſuam æſtimantis proprium id lucrum eſſe hunc in modum adſtruit: *Boni Principis hoc vnum proprium eſt lucrum, & inſtar infinitorum aliorum, omnia ſic facere, vt & in ipſo imperij tempore, & poſt id, inſtitia, & bonorum omnium à ſubiectis teſtimonium habeat.* Video, vt vel ipſimet gentiles Salomoni nominis ſui claritatem diuitiis, & regnis anteferenti ſubſcribant: dum hoc vnum Principis lucrum, quaſi eo maieſtatis ſuæ ſorte eſſe volunt.

Eccleſiaſ. 7. 2. 2 Applaudit ſibi ipſi Salomon Eccleſiaſtes 7. 2. inquiens: *Melius eſt nomen bonum, quàm vnguenta pre-* A *tioſa.* Quod ſi dubites, quæ hæc boni nominis cum vnguentorum pretio, ſiue præpoſitio fuerit? Aperit Paraphraſis Chaldæa reponens: *Melius eſt nomen bonũ, quod comparabunt iuſti in hoc ſæculo, quàm vnguentum vnctionis, quod fuerit inunctum ſuper capita Regum*, vt dicere *Chald.* videatur: Melius eſt nomen bonum habere quàm Regem eſſe, ſiue nihil adeò in Rege ſplendet, quàm bona fama. Vnde eâdem, imò maiori cura Principi de bono nomine, ac de regia fortuna curandum eſt, id enim maius, illuſtrius, atque ſuauius quàm quidquid in regio faſtigio floret, omnino fuerit: & verò ſi imaginem vnguenti quo inungebantur Reges pluſculum premis, videris Salomonis mentem eſſe, à bono nomine Principem inaugurari, & in regni faſtigio conſtitui, ſiue Regis charactere inſigniri; quaſi is ſolùm verè Rex dicendus fuerit, qui bonum nomen, & famam habet, eamque cæteris rebus, ſedibus, regnis atque diuitiis anteponit. Porrò ſi verè æſtimas, hac potiſſimum inter alias de cauſa, dum Saul ad regni faſtigium Deo auſpice euocatur, Rachelis ſepulchrum pro regiæ dignitatis teſſera, ſiue fideiuſſore datum eſt: Samuele, cùm eum in Regem inungeret, ſic ei dicente: *Et hoc tibi ſignum, quia vnxit te Deus in Principem. Cùm abieris hodie à me inuenies duos viros iuxta ſepulchrum Rachel.* 1. Reg. 10. 2. Sed quid, inquit, *1. Reg. 10. 2.* Regi ad fortiter, & prudenter gubernandum electo, & pulcherrimæ, atque delicatiſſimæ fœminæ? eratne robuſtiſſimus bellator ad inſtar illius efformandus, aut ad ſpeculi arbitrium effingendus? aut ab ipſa ciuilis prudentiæ, aut bellicæ gloriæ exempla petiturus? Non opinor. Quorſum ei ergo in exemplar ipſa proponitur? Planè, vt illi inueneretur Principem, vt aliis in rebus à fœminea natura toto cælo diſceſſurus eſt: ita in diligentiſſima cura quam de bono nomine, & exiſtimatione, quâ ſolâ fœminæ ſydera adeunt, & à qua omnis earum decor, honorque dependet, habere debent, nec hilum differre, & ad Rachelis morem quidquid pretioſum, aut ſuaue in rebus humanis eſt præ fama, & bono nomine contemnere debere. Quare pende egregiam fortitudinem, quâ delicatiſſima Rachel coniugales delicias quæ ei liberos tanto animi ardore, atque auiditate exoptanti, vt marito aliquando dixerit: *Da mihi liberos alioquin moriar*: Gene*Gen. 30. 1.*ſis 30. 1. quaſi ea fuerit *naturæ auiditas* (vt alicubi inquit Plinius) *vt parere malit, quàm viuere*, in ſummo pretio erant, ſorori ſuæ Liæ pro mandragoris, quas illa à filio ex agro redeunte acceperat: libens commutauerit Geneſis 30. 15. omnino ſignificans nihil ſibi *Gen. 30. 15.* iam pretioſum, aut ſuaue, quàm boni nominis odorem, integramque, & illæſam famam ſic mandragoræ naturam, & Rachelis factum rimante, atque expendente Auguſtino libro vigeſimo ſecundo contra Fau*Auguſt.*ſtum cap. 56. *Proinde rem temperi pulchram, & ſuaueolentem*, &c. *Cur verò ipſam rem geſtam ſancta Scriptura tacere noluerit, quæ non vtique talia deſideria mulieccularum nobis pro magno inſinuare curaret, niſi aliquid in eis magnum quærere commoneret, nihil amplius conijcere valeo, quàm ex illo communi ſenſu mihi ſuggeritur, vt illo mandragorico pomo figurari intelligam famam bonam, non eam, quæ confertur, cum laudant hominem pauci iuſti, atque ſapientes, ſed illam popularem, quâ etiam maior, & clarior notitia comparatur, non ipſa per ſeſe expetenda, ſed intentioni, quæ generi humano conſulunt peruneceſſaria: vnde dicit Apoſtolus: Oportet etiam teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt.* *1. ad Ti. 3.* Hæc Auguſt.

3 Nec pigebit Racheli Suſannam adiungere, quæ falsò criminis accuſata fleuiſſe, & voce magna exclamaſſe, Deumque obnixè obteſtata dicitur: ſic enim Daniel. 13. 35. *Flens ſuſpexit ad cælum*, & v. 42. *Exclamauit* *Dan. 13.* au-

autem voce magna Susanna, & dixit: Deus æterne qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant. Tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me, & ecce morior. Sed cur, ô feminarum lectissima, exclamas? cur defles? cur innocentiam repetitis vocibus testatis? Quid enim pulchrius? quid pretiosius, quàm pro Iustitia, pro veritate mortem oppetere? Quid securius quàm bonæ conscientiæ tacendo fidere? Sed respon- *Ambros.* det Ambrosius lib. *de fuga sæculi*, cap. vlt. *Plorauit cùm crimen obiiceretur, plorauit cùm sibi de pudica, & casta adulterij iudicium vendicaretur, non mortem deplorans, sed castita-* *Cassiodor.* *tis calumniam.* Ergo quæ non mortem, non extinctum pudorem deplorabat, famam tamen,

Quæ sola sydera adibat,

non poterat, non mulier castissima deflere. En Regem iusta similitudine cum femina compositum, vt famæ suæ quantum valeat, omnimodis prospiciat, & eam omnibus rebus, deliciis, opibus, atque thesauris anteferat, & quidquid pulchrum, dulce, atque pre- B tiosum cum ipsa decertat, non dubiâ, aut ancipiti consilij lance; sed certissimâ ratione absque vlla ambiguitate reiiciat, omnino persuasus non anteà imperij capacem, gubernationique idoneum futurum, quàm cum præclara apud omnes de illo fama fuerit, non secus ac femina cetera felix, pulcra, ac diues, si famam, & existimationem amiserit, nec connubio, nec vlli honesto vsui habetur opportuna, vt meritò *M. Tull.* dixerit M. Tullius lib. 2. de legibus: *Famam mulierum ve multorum oculis lux clara custodiat, diligentissimè sanciendum est.* Quam sanè cogitationem à Domino non *Luc. 16. 1. & 2.* obscurè firmatam videris: cùm apud Lucam 16. 1. & 2. se cum villico suo (quem Principem omnino adumbrare sæpius adstruximus) disceptantem facit: nimirum cùm præmisisset: *Homo quidam erat diues, & habebat villicum. & hic diffamatus est apud illum.* Subiicit: *& vocauit eum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare:* vbi, si C attendis, reo indefenso, & inaudito villicatio, siue Principatus ex solo famæ iudicio aufertur, vt scitè *Chrysolog.* hunc in modum pendit Chrysologus ad ea verba sermon. 125. *Tam pius tam seuera coniungit? Cur ante à villicatione submouet, quàm rationem agnoscat?* Planè, quòd qui famæ suæ prouidere, & consulere nesciuit, quisquis is fuerit, Principatui, atq; gubernationi idoneus non est, & ratione non reddita, nec causa omnino discussa, reus criminis habetur.

4 Enimverò non tantùm hoc in Psalmo; sed & alibi à suo parente edoctus, & admonitus hac de re Salomon fuit: sic namque ei, siue quà Regi Israël, *Psal. 44. 5.* siue quà Regis Regum typum præferebat Psalm. 44. 5. suggerebat Regius Vates: *Specie tua, & pulcritudine tua intende, prosperè procede, & regna.* Sed prius quouam *Cyprian.* modo hæc efferat Cyprianus obserua: sic namque ipse libro tertio ad Quirinum legit testimonium: *Decori tuo, & pulcritudini tuæ intende:* vt non longius abiens D à præfata imagine feminæ decori, & pulcritudini honoris, & famæ suæ externæ, non minus quàm vultus inuigilantis Principem suum moneat Dauid, vt summam de fama, & existimatione curam habeat: nec illam vlla ratione commaculari sinat. Sed cui, inquis, bono tam accuratum de fama studium? Aperit id nostra lectio cum Cypriani lectione conciliata: dū Principi qui decori, & famæ suæ intendit prospera, & fausta Regni gubernatio promittitur, prosperè inquit procede & regna. Nimirum primùm qui decori suo intendit, virtuti etiam, & iustitiæ accuratè aduigilat: quippe vt grauiter in Panegyrico ad Iulia- *Mamert.* num dicebat Mamertinus: *Non potest quidquam abiectum, & humile cogitare, qui scit de se semper loquendum,* contra verò, callido Tiberio, apud Tacitum citato loco, auctore: *contemptu famæ contemni virtutes.*

A Deinde cum oraculum sit, tum quod dixit ille:

Moribus, & fama conciliatur amor: *Ouidius.*

tum Regis ad exemplum totum componi orbem, Princeps qui famæ suæ consulit, necessaria ratione prospero, & felici successu regnum gubernabit: dum subditis amori, & exemplo est. Quo mirè facit Principi à Nazianzeno appositum cum primis datum do- *Nazianz.* cumentum his verbis: *Quippe cui primum illud curandum erit, vt argenti, atque auri ad instar, omni ex parte versatus, atque in omnibus temporibus, ac rebus nusquam adulterinum, aut subæratum quiddam tinniat.* Obsecro quæsitum illam locutionem: *adulterinum, aut subæratum quiddam tinniat,* quâ Gregorius æquè ad vitæ puritatem, quæ instar auri defæcati sit, & ad famæ sonum, atque tinnitum adspexit: *sine quibus veri Principis forma non commendatur:* vt dicebat Paschasius, quod ab eius sonitu, & fama, qui indiuiduus vitæ comes est, subditorum vita, moresque dependeant.

B 5 Iam hæc omnia optimè suo exemplo patientissimus Iob confirmat, qui labiis suis non peccans *Iob 3. 1.* coram Domino diris maledictionibus diem in qua natus fuit diris maledictionibus deuouit, sic enim ibi cap. 3. 1. *Post hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, & locutus est. Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine.* Sed qui, inquis, cum rectis sermonibus, maximè verò cum temporis opportunitate hæreant hæc lamenta, atrocesque querelæ? Hæccine patien- *Iob 1. 4.* tiæ quæ *opus perfectum habet* Iob. c. 4. lingua est post tot acerbissimos dolores diuturno silentio exceptos, eorumque acerbitate tantisper sedatâ (nam recentis plagæ multò acerbior dolor est) postque amicorum aduentum: signatè verò post hostem prostratum, adeptamque de illo victoriam, cùm triumphus ab illo canendus erat, vitæ suæ statum & afflictarum re- C rum conditionem maledictis lacessere. Auget dubitationis materiam Chrysostomus in Pauli Comitoli *Chrysost.* catena in Iob, dum egregiam victoriam, quâ tunc temporis Iobus perfruebatur, locupletissimè persequitur: sic enim primum: *Diabolus omni comparato instrumento, cunctis emissis sagittis, atque vniuersis malis mortalium mirãdum in modum in iusti domo, corporeq; exprompt is virum hunc nulla re tamen violauit, sed potiùs adiuuit.* Deinde alibi in eadem Catena: *Oculos diaboli confixit, cunctasq; ab eo emissas sagittas excipiens pharetram exinaniuit vniuersam.* Et tandem: *Qui gladiatorum certamen experiuntur, vbi aduersariorum caput præciderint, tunc ob victoriam coronâ donantur. Iobi verò aduersarius, vbi illius corpus conscidit, & languore confecit, tùm demum superatus est, fugæq; se dedit.* Audis Iobi victorias, triumphos, & hostem oculis confixis fugatum? Qua ergo ille opportunitate

Horrendis fertur cælum pulsasse querelis.

D Vis nosse? Sanè quod vt corporis sedatus dolor fuerit, sæuior subinde pectus eius coquebat, acriorque dolor lacerabat animum, & qui de hoste adeptus fuerat victoriam, maiori denuo discrimini se videbat obnoxium: quippe metuebat, ne illum ea de causa à Deo tam seuerè flagellatum subditi sui crederent, quod impius, & exlex esset, eaque ratione bona ipsius fama denigraretur: ita ibidem non semel pensitante Chrysostomo. Sic enim primum inter grauiora mala, quæ Iobus patiebatur id recensum: *Voces audire amicorum crimina per calumniam exprobrantium.* Postmodum verò ad ea verba capite 2. vers. 11. *Audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei:* hunc in modum: *Maximè verò lacerabat eum non vis sanè malorum, sed quia tamquam in hominem impium, & exlegem, tamquam in Dei hostem, & qui virtutem anteà esset ementitus, calamitas illa incidisse videretur. Nec ita de corporis lue,*

vt is de nominis existimatione laborabat. Vt illa videlicet præ valetudine, opibus, & regno ipsi fuerit. Nec prætermisit eam rationem quam num. præced. afferebamus Chrysostomus, quòd à Regis sonitu, & bona nominis existimatione subditorum vita, moresque formaretur, pergit enim: *Non ambitione quidem vlla, siue quod ad vulgi opinionem vitam instituerat, sed ea re potissimum, quia suis illis erumnis plerosq; offendi animaduertebat.* Quod Regi ob oculos ne fœdum aliquid committerit semper esse debet.

6 En quomodo prudens Princeps summam de fama sua, & boni nominis existimatione curam habet, sicque illi consulit, vt cetera externa bona minoris facere non dubitet. Ita sanè apud Cassiodorum lib. 8. epist. 9. Athalaricus Rex dum egregium quemdam procerem, qui apud Theodoricum Principem plurimùm gratia valebat, ei pro veritate, & iustitia, ac proinde pro ipsiusmet Principis fama obsistentem sic facit: *Et quod ratum confidentia genus est interdum resistebat contra vota Principis, sed pro opinione Rectoris.* Prudentiam Regis famæ suæ, plus quàm propriæ voluntati morem gerentis hunc in modum commendat: *Patiebatur enim inuictus ille prælio pro sua fama superari, & dulce erat illo Principi rationabilis contrarietas obsequentis.* Macte Princeps, cui fama sua tam chara, & pretiosa est, vt pro illa superari, quod Regibus acerbissimum esse solet, non modò libenter patiatur, sed tamquam rem dulcem in deliciis habeat? & quidem meritò, tunc etenim pulcriùs, atque gloriosiùs vincitur, quàm cùm infensissimos sibi hostes in prælio vincit, & proterit. Sed enim si verè æstimas non tamè Theodotici pharetra, quàm ex ipsiusmet Dei sensu deprompta hæc dixeris, quippe in cuius decorem, & pulcritudinem nullus nævus, *Nihilq; inquinatum potest incurrere.* Sap. 7. 25. Famam tamen ipse suam sic amat, & bonæ existimationi apud homines adeò prospicit, vt inuictus ille præliis pro fama sua superari patiatur, dulcisque ipsi sit quà iustus, & optimus Princeps est, rationabilis contrarietas obsequentis. Vel Moysen cum eo super pœnis, quas rebelli illi populo ob atrox idololatriæ facinus fuerat minitatus, hunc in modum disceptantem audi, Exod. 32. 11. *Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Aegypti in fortitudine magna, & in manu robusta. Ne quæso dicant Aegyptij: callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret de terra. Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui.* Vides miram Moysis solertiam, & industriam, qua decurrenti magnæ iræ Dei fluuio, famæ & nominis aggerem tanquã extremo malo extremum remediũ opposuit? Attende iam Deum laqueo quasi innexum, & pro fama sua se superari sinentem: sic namque subiicit Sacer Scriptor. *Placatusq; est Dominus, ne faceret mali, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Quod benè obseruatum est Philippo Abbati lib. *de silentio Clericorũ*, cap. ttt. his verbis: *Vult Moyses iratũ iudicem non inferre populo tristia iuxta propositum, vult peccantem populum non sufferre digna pro meritis: ne ad ruinam eius hostis insidus exultare timeatur, & auctori tanquam seductori plausu irrisorio nequiter insultare.*

7 Concludam, si monuero, ne Principes, quòd rerum omnium potentes sint, quodque ab atrocibus suppliciis, quæ suis ipsi subditis, vel pro libito infligunt immunes, & extra telorum iactum, (vt est in Prouerbio) sese videant, adeò securi, & omnis mali experies sibi videantur, vt nihil à subditis timendum credant: quippe vt Regis sui omnine scitè inquit Cassiodorus lib. 6. epist. 23. *Habet vltionem suam hominum frequentia si loquatur aduersa, & de sudus indutum esse creditur, quod à multis stipulantibus personatur:* ac si dicat; Regem etiam suum subditi regunt, iudicant, plectunt, & incruentã manu supplicio afficiunt, & de eius criminibus vindictam sumunt. Nec leuis quidem sed immanis, atroxque vindicta, quæ honorem famamque, quã Principes sidera adeunt, grauiter lædit, præsertim cùm improba Regum facta à populis notata stylo ferreo in vngue adamantino notitiã de manu in manum acceptã per acerbos iocos traducantur, & ab historicis celebri ignominiũ velut longã, ac apud posteros semper duraturã morte literis mandentur: nam teste Sidonio Appollinare lib. 9. epist. 8. *Improborum probra æquè vt præconia bonorum immortalia manent.* Vnde sapienter inquit Tacit. lib. 4. Annal. *Quò magis eorum socordiam irridere licet, qui fama præsentis potentia credunt posse extingui futuri æui memoriam.* Iam verò ecquis ab hac vltione metus? quæ Principi aduersùs hominum linguas, maximè verò aduersùs Scriptorum calamos reuerentia adhibenda sit, satis superque docet profanus ille Baltassar, cui inter mensæ flagitia *Apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ,* Daniel. 5. 6. Quid enim tunc? *Facies Regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur.* Sed quamobrem? Vidistine vibratum in se fulmen? tormenti bellici laxatam totam? districtumque in caput ensem? Minimè quidem. Quid ergo? instructam calamo armatamque manum. O iustissimam improbo Principi timoris, tremorisque & collisionis genuum occasionem! etenim cùm stylus in gladium distringitur, siue gladius in stylũ efformatur flagitiosos Principum mores conscribens, siue traducens, vt eorum famam commaculet omni telo, gladio, igne, fulmine atrocius ferit, ea quippe omnia vno ictu corpus absumunt, at scriptoris manus perpetua vulnera æternùm infligit: dum apud posteros acerbã morte semper duraturã improbitatem traducit, atque represertat. Quod præcipuum historici munus est, vti inquit Cornel. Tacit. lib. 3. Annal. his verbis: *Exequi sententias haud institui, nisi insignes per honestum, aut notabili dedecore, quod præcipuum munus Annalium reor, ne virtutes sileantur, vtque prauis dictis, factisque ex posteritate, & infamia metus sit.* Iure ergo improbus Rex ad scribentis manus conspectum turbatur, horret, tremit, qui ad districtum in se gladium timere non debuit, cùm ipsi peius molto fuerit, turpissima flagitia atque dedecora omnibus hominibus per ætates, & sæcula nota, sine notata fieri. Nec dubitauerim in eo sensu omnes omnino Principes fuisse. Quidni? Nônne acerbios mortes Neroni videatur, ferocissimos eius mores, belluinamq; feritatem, & impudicitiam indesinenti apud homines infamiã notari? Num aliquod vmquam Tiberius, aut Caius miseris reis tam atrox excogitauêre supplicium, quàm fuerit id, quod de ipsis Scriptorum manus perpetuò sumunt, dum ipsos vt vitiorum portenta omnibus exosos, & inuisos faciunt? Fuitne turpior Heliogabali illius in cloacã abiecti mors, quàm semper fœtens eius monstruosæ impuritatis memoria, quã non mudò Romanam Rempubl. sed omne hominum genus infecit? Nimirum, vt grauiter dixit Quintilian. declamat. 274. *Ad cogitationem post se futurorum plerique grauiùs mouentur.* Benè quidem Seneca lib. 3. de Benef. cap. 17. *Quid ergo impunitus erit ingratus? quid ergo impunitus erit impius? quid malignus? quid auarus? quid impotens? quid crudelis? Impunita tu credis esse, quæ inuisa sunt, aut vllum supplicium grauius existimas publico odio?* Sic ille.

AD

Ad eadem verba,

Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.

Principis famam, rem delicatissimam esse: ideò oportere, vt ipse non solùm extra vitium, & vitij speciem, sed etiam cum ingentibus virtutibus sit.

ADNOTATIO XVII.

1 SVccedit iam aliud strictius quidem & scrupulosius, sed necessarium omnino circa Principis famam monitum, quod eximiam vitæ puritatem, quam in Principe desideramus, signarè exigit: nimirum, vt quoniam ipse in omnium oculis agit, & dum considet super gemmatum tribunal, tot testes patitur, quot ipsum agmina circumdant: non modò à malo, atque *ab specie mali* se contineat, sed etiam aduersùs malignas hominum linguas, maligniores sensus, & promptas abditarum rerum in peiorem partè interpretationes egregiis virtutum ornamentis, imò verò præsidiis sese vndequaque communiat, quibus honestissimam sibi famam anticipato remedio aucupetur, siue præoccupet, quæ nullum malignis rumoribus locum permittat. Quæ sanè ipsissima Pauli mès fuisse videtur, cum 2. ad Corinth. 8. vers. 21. accuratâ locutione dicebat: *Prouidemus bona non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Vbi si verè æstimas prouidendi phrasim, eâ in primis innuit Apostolus, Principibus viris siue Prælatis peculiarem erga famam suam prouidentiam, hoc est, sedulam, & gnauam industriam, quæ in futurum fertur, & aduersos incurrentia mala anticipato consilio sese armat, subesse debere. Vt sapienter & opportunè admonet S. Athan. *in exhortatione ad Monachos*, ad hunc modum: *Vt ex abundanti sic omne quod fingi potest, tamquam possit, & credi, caueamus, ne in nullo famæ nostræ vulnere serpat nota ab occasione suspicio. Ipsa fama semina priusquam lingua nutriantur, intereant. Non tantùm nobis fides facti, sed possibilitas etiam releganda mendacij. Beata enim vita est præclara, de quâ nihil licet falsitati. Neque enim ego hoc iudicium meũ austerus censor arripui, sed cæleste imperium monitor blandus assumpsi. Nam, & sic ait Apostolus: Prouideamus bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Hæc Athan. Quâ sanè ratione Dominus legi adimplendæ adeò accuratam, & sedulam operam indesinenter nauauit: vt ea etiam ad quæ minimè tenebatur, exactissimo studio fuerit executus, vt in ipsius Circumcisione, & Baptismo manifestè liquet: nec contentus quidem legem diligentissimè seruasse, sic etiam auditores suos admonebat apud Matthæum, c. 5. vers. 18. *Nolite putare quoniam veni soluere legem, non veni soluere, sed adimplere:* vbi dũ inquiritur: quorsum hæc dixerit Dominus? cùm nemo tunc aliqua ratione putare posset ipsum ad soluendam legem venisse? Respondet Auctor operis Imperfecti hom. 10. de industriâ quidem id fuisse à Domino dictum iam tunc occurrente iis, qui postea putaturi erant, ipsum legem soluere, cùm in Sabbato curabat: sanè vt opportunè, quâ Princeps erat, calũniatoribus satisfaceret: obmutescere faciens ignorantium hominum linguas antequam in calumniam incurreret: sed audi illum: *Quia futurum erat, vt Iudæi calumniarentur eum in Sabbato operantem, & lepram tangentem, tamquam soluentem legem: ideò priusquam incurrat in calumniam, calumniatoribus satisfacit dicens:* Nolite putare, *quoniam veni soluere legem*, &c.

1. Cor. 8. 21.

Athanas.

Matth. 5. 18.

Auct. Imp.

2 Sed & subinde eam prouidentiam non eò solùm referre videtur Apostulus, vt ab omni specie mali Principes, atq; Prælati se abstineant, sed etiam vt veras solidasq; virtutes, quæ hominum oculos, iudicia, atque linguas occupēt, omnino exerceant, eodē prorsus sensu, atque dicebat Petrus ep. 1. c. 2. 15. *Sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentiũ ignorantiam*: quasi virtutum actiones, & rectè facta frænum, idq; præualidum fuerit, quo imprudentia, & ignorantia, quibus nihil vocalius, nihil impudentius est, coërceatur. Firmat hæc opportunè Hieron. ep. 2. dum sic primùm admonēs: *Habeto Prudentiã, Iustitiam, Temperantiam, Fortitudinem, hu cali plagis includere: hæc te quadriga velut aurigam Christi ad metam cōcita ferat: nihil hoc monili pretiosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius.* Hæc subinde subiicit: *gemmæ vertuntur in scuta.* Pulcrè: at quid fuerit inquis, gemmas in scuta verti? an sensum communem hæc habent cum iis Salomonis verbis: *Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia?* Eccl. 7. 13. Non opinor, sed ea Hieronymi sententia est, egregias virtutum actiones Principi primum decori, atque ornamento, deinde verò scuto & munimento esse, vt in hoc circumdantium agminum certamine (vti huc intentus dicebat ille) buna fama ex virtutibus orta victoriam aureâ præoccupet, quàm maledicæ linguæ aliquam ad detrahendum ansam arripere, siue rimam inuenire possint.

1. Pet. c. 2. 15.

Hieron.

Eccl. 7. 13.

3 Explicat seipsum disertissimè Paulus, dum Titum discipulum tamquam Principem, atque Prælatum sic instruens: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorũ operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensibile:* sobdit: *vt is qui ex aduerso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis.* Ad Titum cap. 2. v. 7. & sequentib. Vides vt præscribat Apostolus prouidere bona, vt gemmæ in scuta vertantur: quasi Principi ad bonam famã parandam, atque tuendam, siue etiam ad illam ex malignis linguis, & opinionibus vindicandã satis non fuerit vitiis non succũbere, nisi etiam egregia virtutũ exempla iustitiæ, & probitatis radios circumquaque vibrantia, quæ in hominũ oculos, & animos sese ingerant, & insinuent, antè præmiserit: tunc enim *qui ex aduerso est*, (hoc est, subditi, qui aduersùs Principes plerumque ex aduerso sunt, suamq; vltionē habent, vt dicebat Cassiod. *Si loquantur aduersa*) vereatur obtrectare, dum à virtute prælucente bonâ famâ occupatâ nullã ille potest arripere occasionē, vt maledicta cōfingat: sic hæc ibi obseruãte Hieron. *Vt aduersarij vita & doctrina nostra sanitate perterriti non audeãt accusare, hoc est nihil verisimile in accusatione confingere: nemo est enim tam immoderatæ impudentiæ, vt Solis radios possit accusare tenebrosos, & clarum lumē caligine noctis offundere.* Vbi si attendis, non aliâ ratione à malignitate, & contradictione linguarum Principem securum fore sperauit Hieronymus, quàm si eas virtutum gemmas, quæ solaribus radiis, & meridianâ luce clariores essent, in hominum animos præmitteret: quasi hæc lumina si minora aut subobscura, & sub luce maligna forent, malignioribus hominum iudiciis manerent obnoxia: sed enim hanc in rem adeò opportunè locutus est Rex Athalaricus apud Cassiodorum libro 9. epist. 24. vt accuratus Pauli interpres fuisse videatur: dum ibi egregium procerem Præfectum prætorio ad hunc modum commendabat: *Nesciuit quisquam de te submurmurare contraria, cùm tamen de principali gratia sustineres inuidiam. Derogare cupientes vicit integritas actionis: aduersarij tui sæpè locuti sunt coacti, quod animus non habebat. Nam qualibet malitia formidat contra manifesta bona aliquid profiteri, dum generalibus odiis videtur exponi.* En, nonnisi à manifestis bonis inuidorum ac detrahentium linguis frænum inesse: ea verò obmutescere facere imprudentium hominum ignorantiam: vt vereatur, qui ex aduerso est, maledicta confingere: ne generalibus odiis exponatur, dum aut virtutem ipsam, aut communem de ea sensum labe-

Ad Tit. 2. 7.

Cassiod.

Hieron.

Cassiod.

labefactate contendit: pende verò illud: *Aduersarij tui sæpè locuti sunt coacti, quod animus non habebat*: vt videris subditorum animum ad maledicendum semper procliuē, linguam verò nonnisi à manifesta virtute velut fræno coërcitam. Cui sententiæ omnino concinit, quod de M. Antonio Philosopho optimo Principe tradit Iulius Capitolinus, adeò videlicet vitæ sancti- *Iul. Capit.* tate, & egregiis virtutibus fuisse munitum, vt eius fama, nec ab impuris vxoris suæ moribus denigraretur: *Tantùm sane valent (ait ille) boni Principis vita, sanctitas, tranquillitas, pietas, vt eius famam nullius proximi decoloret inuidia.* Ergo alius Principis, alius priuati in fama prouidenda, & curanda modus, & ratio esse debet: priuatus siquidem dummodò manus ab iniustitia, impuritate, & turpitudine contineat, nec auaritiæ sordibus commaculet, benè omnino apud suos audiet, Princeps verò nisi excellenter iustus, castus, liberalis, beneficusque fuerit, iisque virtutum radiis suorum oculos priùs illustret, quàm aliqua de illo vitij suspicio in ipsorum cogitationem possit cadere, famam suam non integrè, nec pro dignitate tuebitur.

4 Quò quidem non obscurè iuerit illud Dominicum monitum discipulos suos tam ad castitatem, & continentiam ab amore rerum sæcularium, quàm ad omnimodam puritatem vrgentis apud Lucam 12. 34. *Luc. 12. 34* *Sint lumbi vestri præcincti.* Sed enim priùs inibi ambigas cum Philippo Abbate lib. de continentia Clericorum cap. 78. cur illos non cinctos solùm, aut accinctos, siue etiam pòst cinctos, quod lumborum imago, & situs exigebat, sed signatè præcinctos esse voluerit? Sic enim Philippus Abbas: *Philipp.* *Cùm lumbi non antè, sed retrò sint, quid sibi vult, quod non iussit, & simpliciter cingi, vel accingi, vel vt ita dicam post cingi, quod expressius posset dici, sed diligenter præcingi mandauit?* Sanè quod Dominus non ad quosuis homines, sed notanter ad Ecclesiæ Principes, & Prælatos loqueretur, eâque illos quæsitâ locutione admoneret, non aliter famæ suæ prouidendum, quàm ex præmissâ virtutis suæ luce, quæ anticipato fulgore prælnceret, & subditorum oculos, atque iudicium præoccuparet: sic hæc diffundente Philippo: *Qui enim ad hoc sunt electi, vt & Deo per continentiam complacere, & ad complacendum alios exemplo sui debeant commonere, necesse habent, vt non solùm vita, sed & fama eorum nullâ læsione corrumpatur. Lubrica est fama pudoris, & citò quium corporis lubricum creditur intuerisse, quamuis constet eum multis retrò diebus tenuisse continentiam. Quod attendens Dominus Apostolis suis non solùm continentiam imperauit, sed & famam eiusdem continentiæ seruandam diligentiùs intimauit, ne lumen eorum tamquam sub modio lateret, sed expositum, & latum longè, latéq; emicaret ad profectum omnium.* Sic ille. Quod plus explicans subiicit: *Imponens itaque cingulum lumbis eorum, in quo nulli dubium, quin continentia designetur, iussit eos præcingi, in quo continentiæ quædam ostensio videtur signari.* Opportunè quidem, vt nouerint Principes tunc eorum famam nullâ læsione corrumpi, cùm ipsorum virtutis, & probitatis lumen non solùm sub modio conscientiæ latet, sed per egregias actiones expositum longè, latéque emicat, & ostenditur. Ad quem sensum reuoco, quod suprà adductus dicebat Gregorius Nazianzenus, vt Princeps, *Nazianz.* *Argenti, atque auri ad instar omni ex parte versatus nusquam adulterinum, aut subæratum quiddam tinniat*: quasi vix possit Princeps mediam ad famam viam inuenire: nam nisi aurum examinatum, aut exploratum argentum fuerit, nisi eximiâ, inquam, vitæ puritate, & aureis virtutibus splenduerit, subæratum quid, aut ferreum apud hominum ora, & iudicia tinniat, necesse est.

5 Hæc sanè, si rectè sapis, *Victoria virgo* est, germana scilicet, atque perfecta, quam de hominum linguis, & opinionibus optimus Princeps referre debet: quippe Principi victoria, non secus, ac virgini cuius fama delicatissima est, sera quidem, & obscura post murmurationum maculas & maledictorum certamina venit. Quare vt virgini, ita & Principi non alia quàm victoria virgo cuius meminit Philo in libro *Philo.* *de opificio mundi* exoptanda est, ille etenim de septenarij numeri excellentia disserens sic inibi ait: *Quam ob causam ceteri quidem Philosophi numerum hunc assimilant natæ sine matre virgini victoriæ, quam ex Iouis capite exstitisse narrant fabulæ.* Quod si nosse cupias ecquæ hæc virgo victoria fuerit? omnino dixerim id Mineruam virginem è Iouis cerebro armatam salientem significare, quod dicebat Hieronymus gemmæ *versantur in scuta*: dum eæ, quæ virginem decent, virtutes, & probatissimi mores sic illam ornant, vt simul tam aduersùs impuras lasciuientium hominum cupiditates, quàm aduersùs malignas suspiciones, & detrahentium susurros communiant, & impenetrabilem reddant, vt æquè is, qui eius formâ captus est, ipsam alloqui vt alliciat, ac ille qui ei aduerso est, eius famam arrodere vereantur. Planè vt virgo quantumuis pulcra sit ac decora non feminam, sed virum aspectu præ se ferat, vti eam admonet Clemens Alexandr. libro 3. Pæda- *Clem. Al.* gogi capite 11. quasi virili aspectu, & feminam se esse quæ oppugnari queat neget, & videnti etiam timorem incutiat. Huic cogitationi sic subscribente sancto Isidoro Pelusiota libro 3. epistola 287. *Isid. Pelus.* *Pudica anima virtutis tesseras in sensibus ferens, eorum, qui in ipsius pulcritudinem irrumpere cupiunt, spes exscindit.* Vt dicere videatur, virginem quæ sensus suos pudicitiæ aliarumque virtutum professione, & armis (id enim tesseræ phrasis innuit) munitos habet: virginem de aduersariis suis reportare victoriam, dum eorum spes sic exscindit, vt nec taciti intra se illam expugnaturos fore sperent, ac proinde exterius tamquam impenetrabilem numquam oppugnare tentent, ne oleum, & operam perdant: *Quisnam enim* (pergit Isidorus) *huiusmodi oculum suauitate, & ingenuitate temperatam conspiciens propiùs accedere audeat? Quisnam autem linguam, quæ honestatis, & grauitatis delubrum sit, intuens, non sibi aditum omnem interclusum arbitretur? Quisnam denique reliquos sensus virtutum instrumenta esse animaduertens, præposterum consilium dare non pertimescat?* Certè ea virgo, quæ pudicitiæ tesserâ, virtutúmque munimine armata tantam sui reuerentiam hominum animis nō iniecit, vt eorum spes exscinderet, animosque cupidine incensos, linguasque ad maledicendum procliues frænaret, sed aliquam victoriæ spem fecit, ita vt ipsam alloqui, aut de ipsa loqui illi auderent, quamuis strenuè subinde, ac fortiter in certamine, & luctâ se gesserit, non eam est adepta victoriam, quæ virginem decet. Nec enim victoriam virginem obtinuit, sed dubiam, & sudore, ac sanguine coëmptam, cùm videlicet in oppugnantis saltem cogitatione, & spe victa fuit. Quò opportunissimè facit, quod de Claudia Vestali virgine stupri suspicionem ingenti miraculo patrato amoliente refert ex Seneca Hieronymus *Hieron.* lib. 1. aduersùs Iouinianum cap. 26. etenim cùm dixisset: *Claudia virgo Vestalis cùm in suspicionem venisset stupri, & simulacrum matris Idææ in vado Tyberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse nauem, quam multa millia hominum trahere nequiuerant.* Subiicit sapienter: *Melius tamen, inquit Lucam poëta patruus, cum illa esset actum, si hoc quod euenit, ornamentum potiùs exploratæ fuisset pudicitiæ, quàm dubiæ patrocinium.* Quippe virginis victoria virgo esse debet, quin vel ipsam alloqui, vel de ipsa loqui, aut suspicari quiduis minus honestum aliquis audeat.

6 Certè hac ratione eximia sponsæ pulcritudo, simul-

simulque impenetrabilis pudicitia à Salomone, sic describitur: *Pulcra vt Luna, electa vt Sol, terribilis* (siue vt *LXX. Cant. 6. 9.* LXX. habent *pauor*) *vt castrorum acies ordinata*, Cantic. 6. 9. At mirum, tantæ pulcritudini, ac splendenti decori, qui nonnisi cum Solis facie componitur, tantam terribilitatem, & plusquam Herculeas vires, & tam insuperabile robur, quod pro acie ad irrumpendum parata sit, adiungi. Quid delicatissimæ formæ, & suauissimæ venustati cum durissimis lacertis, & robustissimis viribus, quibus nihil suppar possit excogitari? An quòd in pulcritudine nescio quid forte, ac spi- *Basilius.* nosum desideretur: vti in rosa de qua Basilius homilia de peccato: *Rosa à principio sine spinis prodierat, sed post ad pulcritudinem floris vepres accessêre.* Siue etiam quòd trãquillior pulcritudo, & magis affabilis facies acriùs stimulet, & vehementiùs incendat, ad eum modum *Claudian.* quo ille bello victus apud Claudianum in 6. Consulat. Honorij in laudem Stiliconis dicebat:

——— *Expugnat nostram clementia gentem,*
Mars grauior sub pace latet.

Non equidem eò it Salomonis mens; sed potiùs vt *Tertull.* eam adstruat pulcritudinem, cui rigida seueritas, & seuerus rigor simul insit, vti à Tertulliano describitur in lib. de patientia cap. vlt. vbi cùm dixisset: *Vultus illi tranquillus, & placidus: frons pura nullâ mœroris, aut iræ rugositate contracta, remissa æquè in latum modum supercilia,* subijcit *minax risus*: non tamen vt austeritate amantẽ *Senec.* vehementiùs irritaret: scitè enim dictum est à Seneca lib. 4. de benef. c. 14. *Non dicã pudicam, quæ amatorem, vt incenderet repulit*: sed vt nullã sui spem faceret, quæ vel ipso risu minas intentat. At inquit, quid opus fuit Sapienti ad hunc terrorem explicandum nouâ aciei instructæ, & ad prælium ordinatæ imagine vti, qui Solis, & Lunæ similitudines ad exprimendam pulcritudinem vsurpauerat? Nonne sua etiam Lunæ vrens seueritas, suus Soli igneus rigor, qui audaces oculorum *Ps. 120. 6.* pupillas feriat, subest? nec enim frustrà dixerit Vates: *Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem.* Psal. 120. 6. Sed facilis, & ad manum responsio est, aliam omnino virginis pulcritudini seueritatem, alium rigorem, & terrorem desiderari, eum videlicet, qui virginem *Tacit.* non tam inexpugnabilem, aut impenetrabilem, vti de Agrippina Germanici vxore dixit Tacit. lib. 4. Annal. quàm inaccessibilem reddat. Certè ipsimet Soli quantumuis igneos radios iaculetur, aliqua tam audacis, ac vehementis visus fuerit aquila, quæ obuiam iuerit: castrorũ verò aciei ordinatæ, & mucronibus ad feriendum districtis, ecquis vnquam adeò temerarius mi- *Senec.* les occurrere ausus est? *Nullus quippe metus tam gratus est finis* (inquit Senec. lib. 6. de benef. c. 28.) *vt non gratior sit solida, & inconcussa securitas.* Ad quem planè modum ea virgini seueritas, is rigor esse debet, qui non modò velut spina rosæ innata audacem manum arceat, aut velut Solaris radius intrepidos, & inuerecundos hominum oculos, & temerarias cupiditates retundat, atque castiget; sed etiam nihil audax, & impurum in intuentis animo nasci, & pullulare sinat, vt vel is qui eam ardentius amauerit, sic adoriri, & alloqui timeat, & ad illius conspectum paueat, ac si armatam aciem horribili ensium, telorum, bellicarum machinarum, & igneorum tormentorum stridore irrumpentem esset aggressurus. Tam longè scilicet ab illius cogitatione sit, virginem adoriri. Nam quisquis eam aliquãdo vel aggredi, & oppugnare ausus est, non mediocrem ipsi irrogauit iniuriam, dum vincendam sperauit. Hac *Matth. 5. 28.* forsan de causa dicente Domino Matthæi c. 5. v. 28. *Qui viderit mulierẽ ad concupiscendum eam iã mæchatus est eam in corde suo.* siue vt lectio Syriaca habet: *Quisquis* *Lect. Syr.* *aspexerit mulierem, vt eam concupiscat, illico adulterauit eam in corde suo.* Notetur dicendi modus, *mæchatus est eam,* siue *adulterauit eam,* quia non tantùm indicatur, turpis, & impudicus concupiscẽtis animus, sed etiam ipsiusmet conspectæ feminæ quædam constupratio, & de ea relata victoria: sicad ea Domini verba affirmante *Tertull.* Tertulliano lib. de Pœnitentia cap. 3. *Adulterum non solùm eum definit, qui contactu in alienum matrimonium cecidisset: verùm etiam illum, qui aspectus concupiscentiâ contaminasset.* Audis à solo irreuerenti aspectu contaminatam?

7 Hac quidem ratione Paulus suæ carnis certamina edisserens (vt Greg. Magn. li. 8. Moral. c. 20. & alij *Greg. M.* volunt) accuratâ & difficili locutione dixit: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satana, qui me colaphizet.* 2. Cor. 12. 7. vbi vt bene monet Iustinianus: *Verba sunt* *2. Cor. 12. 7.* *plena metaphoris, quæ obscuram reddunt sententiam.* Sed ille signatè statim occurrit nodus: cur qui stimuli, siue etiam teli corpori inhærentis, aut sagittæ carni infixæ, vel spiculi, aculei, & surculi, quæ non molestiam solùm, sed dolorem afferunt, imaginem vsurpauit (nam *Lect. Græc.* Græca vox ea omnia significat) acutæ huius similitudinis acumine obtuso, stimuliq́; mucrone perfracto, vt carnem stimulo transfixam exprimeret, impacti sibi colaphi imagine explicauit? cùm stimulus quidem pugnus non sit, qui faciem cædat, sed aculeus, qui feriat, atque compungat? Tam citò ne eius imaginis, quã in manibus habebat, siue etiam doloris, ac vulneris à stimulo inflicti calore scribendi oblitus est? Nõ equidem, sed sensum doloris altiùs extulit, dum ad contumeliam sibi ab Angelo Satanæ ipsum adorientis, & ad impudicitiam pellicientis, quæ illi omni dolore, & acerbitate grauior erat, illatam referre maluit: quippe Paulo, qui tesseras virtutis in sensibus ferebat, non alia, quàm virgo victoria debebatur, vt pulcher tamquam Luna, atque vt Sol electus, *Terribilis vt castrorum acies*, hostibus existeret, eorumq́; spes omnino exscinderet, quo ipsum aliquando fore expugnãdum in eorum cogitationem caderet. Vnde cùm Satanæ Angelum non sine spe victoriæ se adorientem animaduertit, non mediocrem sibi iniuriam irrogatam existimauit, & indoluit: atque eâ ratione Angeli Satanæ de industriâ commeminit, cùm carnis luctam alijs mille modis posset explicare: tantùm non dicens: Tanta impudentia in vnum Satanam cadere potuit. A quo sanè non it summum illud castissimæ Susannæ in obiecto sibi impudicitiæ crimine silentium: dum non minus sibi de suâ defensione in pudicitiæ causâ, quàm de hostili accusatione erubescebat, metuebatque: *Ambros.* pulchrè id ad hunc modum considerante Ambrosio lib de Tobia c. 9. *Tacuit apud homines, locuta est Deo. Erubescenda erat in plebe ipsa defensio muliebris, & dum pudor defenditur, impudentia prætendebatur.*

8 Longior forsan quàm debui in victoria virgine explicanda fui, non equidem vt virginei pudoris adstruendi oblatâ occasione perfruerer, sed vt hac imagine optimi Principis famã opportuniùs adornauerim, vt nimirum ipse pulcherrimis virtutum gemmis, imò scuto sic protectus sit, vt qui earum splendore velut Sol, ac Luna emicat, subditorum suorum iudicijs, ac linguis terribilis tamquam castrorum acies ordinata occurrat, famam suam non modò illæsam, sed etiam impenetrabilem, ac irreprehensibilem, victuriâque virgine conspicuam seruans: *Vt qui ex aduerso est, vereatur nihil habens malum dicere de illo.* Nemo *est enim tam immoderata impudẽtia* (vt dicebat Hieron.) *Hierony.* *vt solis radios possit accusare tenebrosos*: & de Principe castissimæ integritatis, & magnanimæ liberalitatis, siue egregiæ fortitudinis exempla præbente aliquam turpitudinis, auaritiæ, aut ignauiæ suspicionem habere. Vnde notantissimè Paulus 1. ad Tim. 3. 2. de Prælato *1. ad Tim. 3. 2.* aiebat: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* Notetur dicendi modus, quo non tam inculpatum, & vitij expertem, quàm peccato non obnoxium, quod contra huma-

humanæ fragilitatis naturam est, Prælatum velle videtur Apostolus. Quare Hieron. ep. 83. ad Oceanum admirabundus ait: *Ferè rem contra naturam exigit, quis est enim ille, qui absque peccato, & reprehensione viuit?* Sed si benè æstimas, nec rem contra naturam, nec Principē alterius naturæ quàm alij homines habent, vult Paulus, sed eum adeò virtutibus instructum, atque ornatū esse admonet, vt ab illarum splendore hominum iudicia, & linguæ præoccupatæ, nullā vitij suspicionē habere, nihil in dubium vertere possint, ita penè difficultati occurrente Chrysost. dum Pauli verba sic capit: *Hoc vnico verbo genus omne virtutis expressit: eum quippe qui regendos alios suscipit, tantâ decet gloriâ virtutis excellere, vt instar Solis ceteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret.* Vnde sese explicans Paulus postmodum subdit: *Oportet autem illum, & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* Quæ verba præfato loco Hieron. cum iis, quæ in manibus habemus sic componit: *Quale principium, talis est & clausula. Qui irreprehensibilis est, non solū à domesticis, sed ab alienis consono ore laudatur.* Enimverò nisi egregia hæc virtutū exempla in Principe præcesserint, quæ hominum animos, linguasq; præoccupēt, etsi extra vitia esse sibi Princeps videatur, famam tamē suam (quod hominum ad maledicendum, & in peiorem partem res accipiendas ingenium est) nec integram nec virginem fuerit habiturus: malitia enim non nisi *contra manifesta bona* (vti dicebat Cassiodorus) *loqui formidat*: iam verò vbi de Principis moribus subditi mussitare & malignos rumores spargere inceperint, quantumuis ipse ab illis sese purgare contendat, & in sui defensionem prodigia, atque miracula (vt ita dixerim velut Vestalis illa Virgo) fecerit: non eam, quæ Principem decet, famam videtur adeptus, victoriam scilicet non virginem, sed præliis, & sanguine coëmptam nactus.

Hieron. *Chrysost.*

Ad ea verba,
In via immaculata.

A Principis probitate, aut prauitate temporalem eius vitam, siue extendi, siue imminui, & decurtari.

ADNOTATIO XVIII.

1 IAM si Principes pretiosissimam animæ salutem, vitamque negligant: si fastigij dignitatem despiciant, si famam, prosperamque memoriam contemnant, vitæ saltem suæ, quæ omnibus quidem hominibus, Regibus verò signatè, rebus omnibus charior est, omnino prospiciant. Nimirum Principum dies, aut à virtute firmantur, & promouētur, aut ab improbitate imminuuntur, ac decurtantur: diuinâ lance, siue sententiâ pro hac cogitatione singillatim fidem iubente, dum Regi Baltassari, cùm sibi maximè sospes, incolumis, & longæuus futurus videbatur, lethalis illa scriptura in pariete proposita est *Mane, Thecel, Phares*: id est, vt Dei interpres Daniel exposuit, Mane, *numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud*: Thecel, *appensus es in statera, & inuentus es minus habens*, Phares: *diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis*: Daniel. 5. 25. Sed ad ea verba: *Mane, numerauit Deus regnum tuum*, cum primis obseruā LXX. reposuisse *mensus est*. Deinde hunc numerum siue mensuram mysterij, & arcanæ significationis plenum esse cum in lectione Hebræa, & Chaldæa vox *mane, numerauit*, duplicata ad hūc modum sit. Mane, Mane quod in aliis eius Scripturæ verbis factum non est: vnde Hebræi translatores eodem ductu in Danielis expositione reposuerunt: *Numerus, Numerus*, siue *Numerauit, Numerauit*. Quod, mihi quidem sic sapit, vt iam diu in epistol. ad Philip. cap. 2. vers. 13. adnotat. 5. num. 10. obiter adnotasse me meminī, vt hac numeri, siue mensuræ geminatione prophano illi Regi non tantùm voluerit Deus denuntiare numeratos completosque iam vitæ illius, ac regni annos diesque esse; sed etiam ipsum, diuturniora sibi vitæ spatia peccandi licentia succidisse: breuioremque alium dierum numerum complesse: quasi *Numerus*, & *Numerus*, siue mensura, atque mensura duplicem apud Deum modum numerandi, siue dimetiendi vitam Principum omnino indicet: alterum, cùm iuxta eius bonitatis beneplacitum, & secundarum causarum exigentiam diem suum quis obit: alter, non ad voluntatis suæ placitum, quæ *mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*: nec ad causarum secundarum exigentiam; sed ad clamorem scelerum, qui ascendit semper exactus, qui multò breuior, & contractior esse solet, dum in peccatorum pœnam ipsa mes temporalis vita decurtatur. Quod quasi acu tetigisse videtur ibi Hieronymus inquiens: *Quod scilicet numerasset Deus regnum illius, atque complesset, & appendisset in staterâ iudicij sui, vt antè eum iugularet gladius, quā natura dissolueret.* Vides duplicem numerum, alterum à natura, alterum à gladio, siue à peccatis: dum hæc Principi mortem tendentem importunè attrahunt?

Dan. 5. 25. LXX. *Lect. Heb. Lect. Chal.* *Hieron.*

2 Nec aliud nouit Eliphaz Iobum sic de virtute benemerentem alloquens: *Ingredieris in abundantiâ sepulchrum sicut infertur aceruus tritici in tempore suo.* Quæ LXX. sic explicatiùs diffundunt: *Venies in sepulchrum tamquam frumentum maturum, quod in tempore messuerūt, vel sicut aceruus areæ in tempore comportatus.* Vt dum iusta & appositâ imagine homo à conceptu suo, vsque ad mortem cum tritico componitur: nam concepto semine intra matris viscera nascitur infans, herbescit in pueritia, adolescit in iuuenta, explicat profertque spicas in virili ætate, maturescit in senectā; albescit, arescit, canescit, & suo pondere ad terram inclinatur donec mortis falce demetitur: hinc signatè inter cetera virtutis præmia Principi iusto, qualis Iob erat, ea vitæ diuturnitas promittatur, vt non demessua in herba, aut conculcatus ante spicam, & granum, vt inauspicata, aut damnata seges sed tamquam triticum iam maturum, quod spicâ iam aridâ, & canâ atque sua sponte curuescente iustâ falce demetitur, mortalitatem ad naturæ leges, & iuxta exigentiam causatū plenus dierum expleat, quin propera, & immatura mors, aut subitus aliquis casus velut in herba conculcatum, aut succisum triticum naturali vitæ cursui suffuretur: vti de Abrahamo notanter dicitur Genes. 25. 8. *Mortuus est in senectute bona prouectaq; ætatis, & plenus dierum*: siue vt ex Hebræo Pagninus: *Senex, & saturus*, adeò scilicet non imminutus ætate, vt sat illi superque dierum vsque ad satietatem fuerit: & similiter de Isaac, Genes. 35. 29. Contrà verò de Rege impio, & tyranno indidem ipsemet Eliphaz cap. 15. 32. eâdem dictionis serie ait: *Antequam dies eius impleantur, peribit*: siue vt Hebræa habent: *In non die suo succidetur*: vel vt reponunt LXX. *Præcisio eius ante horam*: imagine, siue à tritico, siue à pomo immaturo succiso, siue auulso. Quod sic rursum exprimit cap. 22. 16. *Qui sublati sunt ante tempus suum*, siue vt Pagninus transtulit: *Sublati sunt, & non erat tempus*: quod ita explicarunt LXX. *Qui capti sunt immaturi*: peccatis videlicet ipsos ætate immaturos succidentibus, & præproperè maturantibus, & pœnæ omnino maturos reddentibus. Sic id pensitante ex Domini sensu Ioële c. 3. 13. ad hunc modum: *Mittite falces, quoniam maturauit messis: venite, & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum*: siue vt est apud LXX. *Quia repleta sunt mala eorum.* Pende illa *quoniam maturauit messis*: sed quomodo *maturauit*? Si *immaturi* (vt dicebat Eliphaz) *capti sunt*: aut quâ ratione, tam diuersa, siue contraria prædicata *maturum*, & *immaturum*

Iob 5. 26. *Gen. 25. 8.* *Pagnin.* *Gen. 35. 29.* *Iob 15. 32.* *Lect. Heb.* *LXX.* *Iob 22. 16.* *LXX.* *Ioël. 3. 13.*

pro

pro eodem temporis instanti eidem omnino tritico, siue messi conueniat? Planè, quod vt *Numerus Numerus*, siue duplex modus numerandi dies, siue duplex vitæ mensura est: Ita duplex vitæ humanæ subiest maturitas, altera ab exigentia causarum, & cursu naturali rerum, cùm spicæ sua inest ariditas, siue canities, quâ sua sponte in terram inclinatur, falcemque oppetitur: altera à peccatis, quæ præpropere vitam maturant, & celeriùs quàm causæ exigebant, claudunt: sic id inibi obseruante Vate: *Quia multiplicata est malitia eorum*, siue *quia repleta sunt mala eorum*: ac si diceret, ideò immatura in se messis maturauit, quia ex tempore diem, quem non exigebant naturales causæ, supplicium iniquitatibus debitum omnino exegit: ideò maturi, & *immaturi sublati sunt*: immaturi vitæ, maturi pœnæ.

3 Sed iam à nostro Vate hancmet numerandæ, siue mensurandæ vitæ rationem audi: sic namque ille
Psal. 38. 6. Psalm. 38. 6. cum Deo colloquebatur: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Noteturdicendi modus *mensurabiles*: quem si premis, non tam significat, quod frequentius aiunt interpretes, certam, statutamque vitæ mensuram à Deo positam, quam nemini excedere liceat (id enim, vt indubitatum, & certo certius sit, potiùs exprimendum erat voce *mensuratos*) quàm Dauidis vitam ad duplicem mensuram, siue periodum, quarum altera productior, & diuturnior: altera contractior, & breuior fuerit: omnino indifferentem esse (eam siquidem vim habet nomen *mensurabile*, ex Grammaticorum regulâ nominibus finitis in *bile* non actum, sed potentiam assignante) queque ab eius probitate, siue improbitate certum terminum, & finem
Chald. acciperet. Quod planè videtur indicare Chaldæa le-
Lect. Græc. ctio, & è Græcis plures codices reponentes *palmo, siue manu mensurabiles posuisti dies meos*: vt diceret: mortem, & vitam meam, siue vitæ meæ mensuram, manui meæ commisisti: vt me rectè, & iustè agente fixum à diuinâ prouidentiâ vitæ terminum iuxta naturalem rerum ordinem impleam, & *plenus dierum* mortem obeam: contrà verò, si à iustitiæ tramite recessero, immaturus euellar, & *ante tempus*, siue *in dimidio dierum meorum moriar*. Vis id expliciatiùs audire? & vtramque mensuram oculis videre? accipe ergo, quid ipse de primâ
Ps. 118. 37. mensurâ dixerit Psalm. 118. 37. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me*: ac si dicat, auerte ab idolis, siue peccatis oculos meos, ne ad instar primæ parentis mortem oculis hauriam, & vitæ meæ terminum succidam: imò potius mandata tua exequens dierum meorum mensuram impleam: sic extremus hæc
Agellius. verba elucidante Agellio ad hunc modum: *Nam eam tenendo* (viam tuam) *& mihi vitæ dies augebuntur, & lætus viuam, ac sospes ero*. Planè, vt viam Dei tenere, vitam viuere, & implere sit. Iam verò secundam mensuram, quâ ob peccata prior illa decurtatur, atque imminuitur, omnino expressit Nathan Propheta, cùm missus à Domino vt Dauidi, & peccatum, & peccati pœnam denuntiaret, eam induxit parabolam peccatum illius in alieno exprimens, vt Rex artificij ignarus, in eo quem reum capitis esse iudicabat, seipsum neci addiceret, inquiens: *Viuit Dominus, quoniam filius mortis est*
2. Reg. 12. 5. *vir, qui fecit hoc.* 2. Reg. 12. 5. Regi planè innuens Vates, temporali etiam morti ob ingens illud flagitium à Deo esse addictum. Quod inde expressiùs collige, quòd cùm Dauid peccatum suum statim agnosceret: eiusque animum vehemens dolor, & pœnitentia subiret: tùm dimissum peccatum, tum etiam remissam sibi mortis pœnam audiuit: sic namque Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* 2.
Theodor. Regum 12. 13. Sic hæc verba, & premente Theodoreto qu. 25. *Mortis sententiam soluit peccati confessio*: &
P. Sanchez. diffundente P. Gaspare Sanctio: *Quasi diceret, moriturus quidem eras inimico ferro in domo tua liberè bacchante; sed tu pœnitendo illius obtudisti aciem, & à tuo iugulo maturè repulisti.* Hæc ille quæ postmodum numer. 34. latiùs confirmat: *Moriturus erat Dauid, quod fortasse illi Nathan inter alias obiecerat minas, licet expressè in historiâ sacrâ non habeamus (neque enim, quæ dicuntur, aut fiunt, narrantur omnia) sed concessa vita fuit, quâ se priuatum iri formidabat; ita tamen, vt pro suo infantis caput supposuerit.* Vides, *manu* aut *palmo mensurabiles* Dauidis dies? virtute, aut improbitate eos mensurante: illâ quidem promouente, hac verò decurtante?

Velasquez in Psalm. centesimum.

4 Iam hanc doctrinam generali ipsemet Dauid
oratione ad omnes Principes extendere videtur Psal. Psal. 81. 6.
81. dum ait: *Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini*: periode enim id fuit, ac si diceret: Existimabam vos Deo & Angelis dignitate, & felicitate persimiles, cùm ad instar Dei vniuersum regeretis, & administrantis mundi partibus præsitis: at vos (malum) vestrâ culpâ sicut homines moriemini. Vbi dum meritò ambigis, quæ hæc Dauidis ratio siue sententia fuerit, cùm omnes Principes, tam iusti, quàm iniusti morituri sint? neque sit tam stultus quisquam, vt putet hominem, quamuis regiâ potestate subnixum, imò verò quamuis magna sanctitate præditum non moriturum, nedum Propheta prudentissimus potuerit suspicari? Respondebo ex He- Lect. Hebr.
bræa lectione, in quâ pro illis verbis, *sicut homines moriemini* signatè est, *sicut Adam moriemini*: non de communi hominum morte, sed de ea quæ in pœnam peccati Principibus, sicut Adamo irrogatur, signatè sermonem esse: etenim vt *ante hominem vita & mors* posita sunt Eccli. 16. 15. vt ad quod ipse voluisset, *porri-* Eccl. 16. 15
geret manum: vt videlicet si Domini præceptum obseruaret, immortalis duraret, sin autem ab eo deflecteret, mortem in pœnam subiret, quod ei tandem accidit, cui mors pro pœnâ irrogata est: ita & Principibus mors, & vita, siue duplex vitæ mensura, alia longior, alia breuior proponatur, quæ ipsorum virtuti, aut improbitati respondeat; atque ideò improbis immatura, & præpropera mors pro improbitatis pœna sicut Adamo obueniat. A quo non
is Agellij commentarius: *Aliter se res habet atque ego pu-* Agell.
taram: vos enim quos putaui deos esse, vestrâ culpâ sicut Adam moriemini, cui mors irrogata pro pœna est.

5 Firmat id ipsemet Dominus Regi Iechoniæ
hæc denuntians apud Ieremiam cap. 22. 24. *Viuo ego* Ier. 22. 24.
dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde euellam eum. Ad quæ verba duo omnino obserua, alterum in Hebræo, vt adnotauit Hieronymus, non esse *Iechonias*, sed *Chonias* demptâ primâ syllabâ *Ie*, quæ à sanctissimo Dei nomine *Iehoua* desumpta est, & propriè significat *esse*: vt argumento, & magno Principibus documento sit: illis à Deo recedere: perinde omnino esse, atque à suo, vt sic dixerim, esse siue vitâ recedere, tamdiuque ipsis vitalem spiritum, seu vitam inesse, quamdiu in ipsis Deus est: siue illis signatissimè minacem Dei sententiam denuntiari: *In quacumque die comederis, morte morieris.* Genes. 2. 17. Gen. 2. 17.
morti videlicet destinatus, & addictus manebis: sic
hæc omnia ad id loci perstringente Hieronymo: *Ie-* Hieron.
chonias interpretatur Domini præparatio, *cui in præsenti loco prima syllaba, idest, Domini nomen aufertur, & dicitur Chonias: vt subaudiatur perditioni, & interitui præparatus.* Alterum, verbum *euellam*, omnino significare mortem violentam, & immaturam: nam, vt ipso etiam commodè significentur, qui huic sæculo plus iusto addicti, inuiti, & reluctantes moriuntur, vt Gregorius Nazianzen. orat. 10. piè & eleganter Domino dicebat: *Suscipe ob metum tuum paratos, & non turbatos, neque in extremo die terga vertentes, atque inuito*

animo, *quemadmodum solent qui mundo & carni addicti sũt, hinc abstractos, & auulsos*: at hoc in loco potius est, vt ad vim, quâ aliquid ab itato extrahitur, referatur, vnde potiùs conuenit imagini pomi immaturè ab arbore auulsæ: dixit siquidem M. Tull. in lib. de Senectute immaturam adolescentium mortem à matura senum discriminans: *Itaque adolescentes sic mihi mori videntur, vt cùm aquæ multitudine flammæ vis opprimitur; senes autem sicut, cùm sua sponte nulla adhibita vi consumptus ignis extinguitur, & quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi auelluntur; si matura, & cocta, decidunt*: & non dissimiliter de Basso Aufidio iam senescente, Seneca epist. 31. *Non dubitare autem se, quin senilis anima in primis labris esset, nec magnâ vi distraheretur à corpore*. Ergo Rex Iechonias quòd à Domino recesserit, ante tempus suum immaturus vi auellendus dicitur, & *in dimidio dierum suorum reuocandus*.

M. Tull.

Seneca.

6 Adsimilis Sedeciæ, qui Iechoniæ in regno successit, facta comminatio apud Ezechielem ca. 21. 25. *Tu autem profane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita*. Vbi primùm obserua phrasim illam *venit dies*, quæ extremum supplicium captiuitatis, mortisque designat, vt sine ex lectione LXX. apparet: sic namque illi repoluerunt: *cuius venit dies finis in tempore iniquitatis*: cui consonat Hebræa quam elicit Pradoibi: *in tempore iniquitatis finis*: siue ex communi modo loquẽdi, tam apud Latinos quibus *diem obire* idem est, ac mori, siue apud nos, qui mortem alicui aduenientem, sic omnino exprimimus *llegòsele su dia*. Deinde preme illud *in tempore iniquitatis*: vt videris duplex vitæ tempus, siue duplicem vitæ terminum, alium illi à cursu naturali, alium ab iniquitate præfixum, dum hæc mortem immaturè accersit. Ergo ait illi Principi Deus. Infelix qui tam in me, quàm in propriam vitam impius fuisti, dum tuis iniquitatibus tempus viuendi decurtasti, & celerem interitum tibi superinduxisti. Ita hæc firmante versione Pagnini, quæ habet: *In tempore iniquitatis propter quam venit finis*: vt manifestè indicet, ideò Principi illi mortem, finemque aduenisse, quod ipsum velut renuentem iniquitas illius adduxerit, aliàs planè minimè tunc obuenturum. Quare vlteriùs in hanc rem obserua quid paulò antè præmiserit Dominus: sic enim primùm v. 3. *Et eiiciam gladium meum de vagina sua*: vbi pulchrè adnotat Theodoretus, gladium indicare supplicium, vaginam verò Dei patientiam, atque longanimitatem quæ iram, & indignationẽ velut vagina gladium continet, siue coërcet, ac proinde euaginare gladium perinde esse, ac terminum patientiæ ponere, siue præcidere: subinde autem quasi Dominus intempestiuæ huius mortis rationem reddat, ostendatque: *sine pœnitentia dona sua esse*, nec sua sponte, sed peccatis Sedeciæ exigentibus præfixum à natura vitæ illius tempus succidisse, subiicit v. 12. *Clama, & vlula fili hominis, quia hic (gladius) factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israel*: vt omnino dixerit, se non vltro gladium euaginasse, quippe qui *nec mortem fecit, nec lætatur in perditione viuorum*, sed impios Principes gladij siue mortis suæ artifices fuisse: qui vt imbi subiicit Sapiens: *manibus & verbis accersierunt illam*: Sapientiæ 1. v. 13. & 16. *Superinducentes sibi celerem perditionem*, vt inquit Petrus epist. 2. c. 2. 1.

Ezech. 21. 25.

Lect. Hebr. LXX.

Ezech. 21. 3. Theodor.

Ezech. 21. 12.

Sap. 1. 13. & 16. 2. Pet. 2. 1.

7 Pro qua sanè cogitatione, & tota hac re tot Principes fideiubent, quot ob suam vitæ improbitatem diem suum violento fine clauserunt, & illi in primis Romani Imperatores, de quibus huc intentus Ambr. epist. 31. quæ est respõsio ad Symmachum ait: *Quid dicam bimestres Imperatores, & terminos Regum cum exordiis copulatos?* Quibus adde illos quorum meminit Ælius Lampridius in vita Alexandri Seueri ad finem vbi occasione boni illius Principis qui ob egregiam vitæ & morum moderationem diutius in Imperio

Ambros.

A vixit, sic ait: *Hactenus Imperium P. R. eum Principem habuit, qui diutiùs imperaret, post eum certatim irruentibus, & aliis semestribus: aliis annuis, plerisque per biennium, ad summum per triennium imperantibus*. Tam verò hos quos Lampridius, quàm illos quos Ambrosius indicauit, disertissimè nominauit, numerauitque S. Petrus Damianus opusculo 86, cap. 7. ac si illorum indicem, albumque texeret hunc in modum: *Baltassar nempe ipso die, quo vasa templi Domini iam temulentus concubinarum labiis fœdare præsumpsit: Medorum gladiis Dario victoriam obtinente, subiacuit. Galba Roman. Imper. quatuor dumtaxat mensibus imperauit; & in Roma foro gladiis percussus occubuit. Taceo Neronem, prætereo Ottonem, quos à semetipsis interfectos, Romanæ Reip. testantur historiæ. Nonne Vitellius interemptus est à ducibus Vespasiani? Nonne & Pertinax occisus est à militibus Prætorianis? Macrinus, Antonius, Alexander, Philippus, Galienus, nonne omnes hi Imperatores militaris impetus gladios pertulerunt? Domitianus præterea suorum coniuratione confossus est. Probus, dum castra supra Tigridem haberet, cælesti fulmine repentè peremptus est. Sed* B *qui vult pleniùs nosse, seriatim Romanæ antiquitatis percurrat historias: ibiq; liquidò videbit, quàm pauci Reip. Principes communi morte defecerint. Nam & Gordianus, & Philippus, Decius, Gallus, Volusianus, Gallienus, Quintilius, Aurelianus, Numerianus, Licinius, Constantius, Constantinus iunior, Iulianus Apostata, Valens, Gratianus, Valentinianus Iunior, Ioannes Valentinianus tertius, Maiorianus, Anthemius, Nepos, omnes isti Romani Imperij Rectores nõnne vel in otio seditiosâ suorum sunt fraude necati; vel in procinctu hostibus perierunt gladiis interempti?* Hæc & multò plura ibi S. Petrus Damian. nec tamen omnes suo aut nostro instituto opportunos recensens. Quare his possis addere Commodum, Heliogabalum, Maximinos, & alios, sicuti & demere Valentinianum iuniorem, qui etsi ferro interemptus: bonus tamen Imperator est habitus: & ab Ambrosio ideò mirè laudatus. C

Lamprid. S. Pet. Da.

Ad eadem verba.

Malos Principes meritò immaturos, & ante tempus suum à Deo auferri ne subditos suos perniciosis exemplis corrumpant.

ADNOTATIO XIX.

1 Iam verò: cur Principes signatè potiùs quàm alij homines ob peccata ante tẽpus suum immaturi tollantur, quin præfixum sibi à naturalibus causis periodum vitæ impleant, exactam rationem reddere, fuerit operæpretium. Et quidem id institutum tam Salomon, quàm Ecclesiasticus sic vrgent, vt rem velut acu (vt dicitur) tetigisse videantur. Hic enim cap. D 10. 10. cùm absolutissimè dixisset: *Omnis potentatus, vita breuis*: per potentatum intelligens tyrannum siue Regem malum, & iniustum vt Carthus. Iansenius, Martinus Del-Rio, Paulus de Palacio, & alij interpretes accipiunt: vt eadem sit hæc sententia ac illa quâ Claudianus in Consul. 4. Honorij dicebat:

Eccl. 10. 11 & 12. Carthus. Iansen. M. Del-Rio. Palacio. Claudian.

Prodigio par est in nobilitate senectus

Et alij Poëtæ, imagine à montibus desumptâ, in quorum iuga maior soleat vis fulminum desæuire, diram Nemesim in Principum capita frequentiùs animaduertere, soliti sunt canere: vti Horatius:

Horat.

——— Celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulgura montes.

Et Lucretius lib. 6. de rerum natura:

——— Plurimaque huius
Montibus in summis vestigia cernimus ignis:

Lucret.

eius

eius vitæ breuitatis hanc subiicit causam: *Languor prolixior grauat medicum. Breuem languorem præcidit medicus: sic & Rex hodie est, & cras morietur.* Vbi, quod bonis interpretibus obseruatum video, Sapiens Principem componit cum morbo, & quidem pestilente per totum corpus sæuiente: Deum verò cum Medico solerti, qui morbum dum initio serpere incipit, diligenter præcidit, ne ingẽs ipsi postea negotium facessat: omnino his affirmaos, ideò malorum Principum breuiorem vitam esse, quòd à Deo humanis rebus prouidente citiùs de medio tollantur, ne orbem inficiant, & subditis suis impedimento ad virtutem sint: nimirùm eodem cap. vers. 2. dixerat: *Qualis Rector est ciuitatis: tales & inhabitantes in eâ:* & paulò antè: *Secundum iudicem populi sic & ministri eius:* quòd flexibiles quamcumque in partem subditi ducantur à Principe: sed hæc accipe à P. Del-Rio ibi: *Sunt tyranni* (inquit) *pestes, & carcinomata generis humani, quod, illis non minus grauatur quàm corpus gangræna. Deus itaque se gerit more prudentis Medici, qui malum prostirpem resecat, & exurit, & omni conatu nititur efficere, ne per moram longiorem agritudo inualescat.* Sic ille. Quibus nihil explicatius hanc in rem afferri potest.

Eccli. 10. 2.

M. Del-Rio.

2 Sed non minus opportunè Salomon Sapientiæ 6.6. cùm Reges iniustos his monitis, atque increpationibus cõuenisset: *Audite ergo Reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cùm essetis ministri regni illius non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis:* hinc in illos grauissimas hasce minas statim intorquet: *Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt fiet:* Preme hæc: *Horrendè & citò apparebit:* quibus non solum violentas & horribiles impiorum Principum mortes prædicit: dum Constantius morbo violento inter gemitus & querelas excessit è vitâ, Iulianus desertor in expeditione Persicâ fulmine ictus occubuit, Valẽs à Gothis viuus comburitur, Leo Isauricus ex intestinis laborans animam efflauit. Armenicus verò in ipsa Ecclesia necatus est, Constantinus Copronymus, Mauritius, Phocas, Nicephorus, & alij quàm plures Imperatores ferro, aut veneno sunt extincti, Michaël Balbus grauissimo intestinorũ dolore absumptus est, Heraclius fœdissimam mortẽ obiit, Theodoricus Gothorum Rex subito atque horribili morbo fuit confectus, Theodahadus, Vitiges eius successores, nec non è Visigothis, & Ostrogothis Atulphus, Geisericus, Theodoricus, Alaricus, Thurismundus, Amalaricus, & ex omnibus gentibus tot alij, vt eos ad numerum velle redigere, otio abuti esset, miserandos exitus habuerunt: sed etiam notanter monet, *citò*, siue celeriùs, hoc est ante tempus suum mortẽ illis obuenisse (ideò in Græco fonte pro *apparebit* notanter est *superueniet*, id est inopinatò, & ante tempus veniet) quòd *cùm ministri regni Dei essent*, nec legem iustitiæ custodierint, nec secundùm volũtatem Dei ambulauerint: ac proinde qui subditis ad virtutem adiumento esse debebant, impedimento, ac scandalo fuerint. Quò mirè faciunt præfatâ Domini de Iechonia verba, quibus se illum violentâ, & immaturâ morte de medio ablaturum dicebat: *Si fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda annulus in manu dexterâ meâ, inde euellam eum:* ideò enim & signatè illum cùm annulo signatorio composuit, & demptâ syllabâ *Ie*, quâ antea de Dei nomine appellabatur, Choniam tantùm nominauit, vt significaret, minimè illum munus suum implere, quippe qui cùm suis subditis exemplo sui tamquam signatorius Dei annulus diuinam imaginem ex Dei consilio imprimere deberet, illos potiùs tanquam pestilens inficiebat moribus, & à recto virtutis tramite seducebat. Hæc omnia in Iuliano illo desertore, cui horrendè, & citò superuenit Dominus pulchrè pensitante Gregorio Nazianzeno: orat. 4 quæ est 2. aduersùs Iulianum, hunc admodum: *At proinde finem quoque amentiâ suâ dignum tulit. Deo hîc solum consuetâ patientiâ suâ vti non sustinente, vbi multis perniciosa futura erat benignitas.* En peremptoriam rationem, nec Dei solùm sapientiâ, & prouidentiâ, sed & benignitate dignam cur ipse in Principes iniustos gladium è patientiæ suæ vagina celeriùs educat, & è viuis auferat, ne longior siue Dei patientia, siue eorum vita multis perniciosa sit.

Sapient. 6. vers. 6.

Lect. Græc.

Vt Lasquez in Psalm. centesimum.

Nazianz.

3 Nec aliud quidem tinnit Dominus apud Matthæum c. 24. 48. vbi cùm de seruo fideli & prudente à Domino toti familiæ proposito (quod Chrysostomus æquè de sæcularibus ac de Ecclesiasticis Principibus accipiendum monet) egisset: subiicit: *Si autem dixerit malus ille seruus in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis. Veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum,* &c. Vbi si attendis, subitus hic, & inopinatus Domini aduentus, siue mali serui interitus non absolutus simpliciter, vt dicitur, sed conditionatus omnino est, à prauitate nimirum illius dependens, etenim cùm de illo virtuti studente nihil tale dixisset, notanter adiecit: *Si malus ille seruus dixerit in corde suo,* &c. Iam quid mali Dominum ad veniẽdum, siue ad mortem malo Principi citiùs inferendam pertraxerit, disertè expressit illis verbis Dominus, *cœperit percutere conseruos suos.* Sed quis, ais, vnquam Princeps tam atrox siue amens fuit vt cum Aulicis siue subditis suis irati, eosque percutere sit solitus? Respondet Rabbanus, & alij non de corporis, sed de animæ vulneribus, quæ ille prauis exemplis subditis infligit, sermonem esse: *Conseruos percutere* (ait ille) *est, conscientias infirmorum verbo, vel exemplo vitiare.* Quibus assonat illud Augustini lib. de Pastoribus: *An frustra dictum est seruo Dei:* In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, & forma esto fidelibus: *ad Titum 2. 7. Attendenda enim ouis fortis etiam plerumque Præpositum suum malè viuentem incipit dicere in corde suo, si Præpositus meus sic viuit. Quis ego sum, qui non faciam quod ille facit? Ecce accidit ouem fortem.* Vides Principem percutientem, imò occidentem subditos? Iure ergo: *Dominus in die quâ non sperat, horâ quâ ignorat horrendè & citò superueniet ei, hîc solùm consuetâ patientiâ suâ vti non sustinens, vbi multis perniciosa futura erat benignitas.* Nec omittam componere hæc Domini verba: *cœperit percutere*, cum illis Ecclesiastici: *Breuem languorem præcidit medicus, sic & Rex hodie est, & cras morietur.* Vtraque enim eò eunt, vt Principem citò à Deo tamquam à Medico incipientem morbum præcisum faciant, ne in totum corpus immedicabiliter serpat.

Matth. 24. 48.

Chrysost.

Rabban.

August.

4 Firmat hęc egregia illa Nabuchodonosori Regi oblata per quietem visio apud Danielem cap. 4. 8. in quâ sub imagine arboris proceræ, atque robustæ, patulis explicatæ ramis, & ad vltimos vsque terræ terminos diffusæ, quæ omnes vndequaque belluas ad vmbram, & fructus, ac cunctas volucres ad ramos admittebat, à quibus vtraque sibi caperent alimentum, ipsemet sibi primùm propositus est ad hunc modum: *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in eâ: subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur*

Dani. 4. 8.

volucres cæli, & ex eâ vescebatur omnis caro. Deinde verò dum ille in semetipsum cogitans intueretur. Ecce sanctus, & excubitor spiritus de cælo se in terram festinus demittens acri, atque robustâ voce clamauit: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius: fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius:* tantùm non inclamās: ideò iustissimâ Dei prouidentiâ Regem illum succidi, quòd subditi sub vmbra illius degerent, & de illius fructibus escam sibi carperent, noxios scilicet ipsius mores imitarentur, & ad eius exempla sic se vndequaque componerent, vt ea velut cibum in seipsos traiicerent; ad eum modum quo ille dixit:

Martial. lib. 9. epist. 82. *Nemo suos (hæc est Aulæ natura potentis)*
Sed domini mores Cæsarianus habet.

Quare obserua quid inibi subdat Vates versu 14. *In sententia vigilum decretum est & sermo sanctorum, & petitio:* ac si dixerit: lethalem hanc in Regem prolatam sententiam in vigilum spirituum, hoc est Angelorum (B) S.Thom. custodum (vt exponit ibi S.Thomas) consessu decretam fuisse: atque à Deo vt executioni mandaretur, summis fuisse precibus à sanctis illis exoratum. Sed quid, inquis, Angelis custodibus ad indefensas excubias pro hominum salute destinatis cum seuerissimo illo maturatæ Regis mortis decreto? Quid spiritibus ad vitam datis cum mortiferis securibus vitam immaturè truncantibus? Scilicet id Custodum Angelorum munus est, vt Principes succidant, atque confringant, & non potiùs incolumes seruent? Ita planè, spectat enim omnino ad vigiles Angelos quà hominum custodes sunt, & eorum bono vigilant, vt perniciosa Principum exempla, quantò citiùs de medio tollantur, ne animas, quas ipsi custodiunt, corrumpant, ac perdant: benè id adnotante ibi optimo Scholiaste P. P. Sanctius. Gaspar Sanctio his verbis: *Grauis est sententia pro moribus. Inuigilant Angeli, ne quid animæ suo patrocinio, ac fidei commendata ab improborum exemplo detrimenti capiant. Cùm autem virorum illustrium, atque potentium perniciosa sint exempla, quia non solùm ipsi pereunt, sed quasi spiritum inhalant pestilentem, in idem alios exitium trahunt, clamant contra illos Angeli de animabus suæ tutelæ creditis solliciti, dicuntque: succidite arborem.* Hæc ille & alia. O miserum & infelicem Principem, cuius vitæ ipsimet custodes, & salutares Angeli exitiales sunt! Quem tot omnino cælestes spiritus, quot sunt subditorum animæ malorum exemplorum ipsius discrimine obnoxiæ, acribus ante Deum vocibus, de medio tolli, indesinenter clamant.

5 Iam id ipsi Domino assertum videtis sub assimili arboris fici parabola, quæ similiter iussa est præcidi, quod terram occuparet: sic namque Dominus Luc.13.7. Lucæ 13.7. *Dixit autem ad cultorem vineæ: ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* (D) Nimirùm per ficum hanc Principem improbum signatè designari, Gregorius Magnus Homil. 3. in Euang. & alij Auctores volunt, quod nos hoc in libro Gre. Mag. sæpius probamus. Sed preme illa: *vt quid etiam terram occupat?* etenim dum ait *etiam* duplici illam culpâ onerat, & quod fructus non ferat, & quod subiectæ sibi terræ noxia sit: nam si obieceris, cur ad mortem peccasse ficus dicatur, quòd terram occupet, cùm aliæ etiam quàm plures plantæ infrugiferæ terram occupent, quin statim succidantur? Respondebo, aliam ficus, siue Principis, aliam ceterarum arborum, siue priuatorum hominum naturam esse: quippe ficus quæ succulenta est, omnem circà terræ humorem exsugit, & quidquid propè est soli aliorum seminum sterile facit: vnde Maldonatus, à quo hæc obserua- Græc.Lect. mus Græca verba his respondentia omnino legit:

(A) *Quorsum etiam terram infrugiferam reddit?* quæ sic efferenda esse optimè subiicit: *quasi dicat, quorsum eam relinquimus, cùm non modò fructum nullum ferat, sed etiam* Maldon. *quod peius est, terram exsugat, & exhauriat, impediatque quominus vites, & aliæ plantæ ferre fructum suum possint?* Ad quem prorsus modum priuatus, si malus est, sibi tantùm malus fuerit; Princeps verò non sibi tantùm, sed subditis etiam noxius, & exitialis est, qui vitia sua in subditos suos ita infundit, vt nemo suos, sed Domini mores habeat: hęc est quippe Regis natura potentis, vt quidquid in subditis humoris, viriumque ad virtutem, & rectitudinem est, ipse prauis exemplis exsugat, & exhauriat, impediatque quominus illi virtutum fructum ferre possint. Hæc fermè admonente ad id loci Gregorio Magno citata Homil. 3. in Euangel. ad hunc modum: Gre. Mag. *Sed in hoc sæculo potens quilibet, si fructum non habet operationis bonæ, etiam impedimentum præstat ceteris, quia quicumque sub ipso sunt, exemplo prauitatis illius quasi vmbrâ peruersitatis eius premuntur.* Et post pauca: *Sed de hoc peruerso quolibet penè iam requisitio Dei non est. Postquam enim se perdidit, quærendum solummodò est, cur alios premat, vnde vineæ eiusdem Dominus dicit:* Vt quid frustra terram occupat? *terram enim occupat, qui mentes alienas grauat.* Hæc Gregorius. Clamant ergo Angeli Domino, clamat & ipse Dominus Angelis, succidite arborem, præcidite mali Principis vitam, educite maturè gladium è vaginâ, vt immaturus succidatur. *Deo his solùm consuetâ patientiâ suâ vti non sustinente, vbi multis perniciosa futura erat benignitas.*

Ad illud tituli verbum,

IPSI.

A Principis virtute, aut improbitate successorum Principum vitam, moresque formari.

(C)

ADNOTATIO XX.

1 QVOD Bernardus in sermone *de conuersione ad clericos* sapienter monebat: *Non transeunt opera* Bernard. *nostra vt videntur, sed semina sunt æternitatis*, non eâ solùm ratione in Principe locum habet, quod *quæ seminauerit* in hac vita *homo, hæc* in alia æternùm duraturâ *& metet*, ad Galatas 6. vers. 8. (quæ Bernardi Ad Galat. 6.8. quidem mens erat) sed etiam quod tam in præsentium, quàm in futurorum hominum memoriâ quidquid Princeps gesserit, & immortale maneat, & posteros suos ad sui imitationem indesinenter vrgeat, ne dixerim impellat: vt in argumento huius Psalmi manifestè liquet dum quod sibi ipsi præscripsit faciendum Dauid: successori suo Iosiæ adeò fideliter, & ad amussim fuerit obseruatum, vt vix valeas statuere, vtri eorum Psalmi huius verba fuerint aptanda: vt suo loco vidimus: sic Hebræus Philo à nobis non semel adductus dicebat: *Vitas Patrum, posterorum leges esse*: anteriorum Principum exemplis in successorum mores adeò efficaciter influentibus, vt ipsis leges, & pręcepta ad quas se componant omnino esse videantur. Vnde quidem in Scriptura Principes qui tamquam trabes domum, regna sua humeris sustinent, notanter cedri esse dicuntur, ad hunc modum in Canticis 1.16. loquente Sponsa: *Tigna domorum nostrarum* Cant. 1. 16 *cedrina:* siue vt clarè efferunt LXX. *Trabes domorum* LXX. *nostrarum, cedri.* Quia videlicet eorum memoria ad instar cedri, quæ minimè corrumpitur, aut carie veterascit: quæcumque illa fuerit, viridis, & integra ad suorum institutionem perpetuò durat: id sic obseruante, & elucidante Ambrosio serm. 4. in Psalm. Ambros. Psal. 118.

318. *Cedri specie maiorum, qui iusti futurum, gloria declaratur:* iustus enim vt palma florebit, & sicut cedrus, quæ in Libano est, multiplicabitur: *sicut enim cedrus non putrescit, ita nec maiorum gloria vlla vetustate corrumpitur.* Vbi premas velim Psaltis verba & imaginem *sicut cedrum multiplicabitur*, ab Ambrosio in hanc rem adducta: non enim abs re ad illa ambigas: quæ hæc iusti laus fuerit, vt multiplicetur? Etenim si de eo filiis aucto sermo sit: impiis etiam Principibus id euenit, vt per longam filiorum, ac nepotum seriem multiplicentur: sin autem de ipsius personâ agatur: vix valet intelligi quonam modo vnus, & multiplex ipse sit? Verùm enimverò opportunè hæc iusti Principis excellentia subsistit, vt vnus eùm sit, multiplex in virtutis suæ hæredibus fiat, quin eius institiæ memoria aliquando corrumpatur: sed in suis successoribus adeò florens & viuida permaneat, vt ipse in illis semper viuere videatur.

2 Fuerit hæc sanè Ecclesiastici mens c.30. 4. dicens: *Mortuum est pater, & quasi non est mortuus: similem enim (filium) reliquit sibi post se:* ac si diceret: vt origo & fons, ita & riuulus qui ab illo vix variare sciat: sed excipe id à Rege Theodorico apud Cassiod. lib. 2. epistol. 15. sic dicente: *Prouidentia nostra ratio est, ex parentum virtutibus prolis indicare successum. Quia bona certa sunt, qua fidem ab exordio trahunt, dum origo nescit deficere, qua consueuit radicitus pullulare. Fertur etiam cursu perenni fontium vena vitalis, & hanc conditionem continent cuncta manantia, vt sapor qui concessus est origini, nisi per accidentia fuerit fortè vitiatum, nesciat riuulis abnegari.* A quo sanè non iuerit Cornelius Tacitus, qui dum & se Magni viri Iulij Agricolæ soceri sui omnia dicta, factaque secum perpetuò reuoluturum, famamque illius, ac animi potius quàm corporis figuram complexurum pollicetur: & in eam rem sapienter subdit: *Non quia intercedendum putem imaginibus, qua marmore, aut ære finguntur: sed vt vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla, ac mortalia sunt forma mentis æterna, quam tenere, & exprimere non per alienam materiam, & artem, sed tuis ipse moribus possis;* hinc Agricolam suo filueri superstitem futurum, in suorum animis moribusque viuendo: sic tandem concludit: *Quidquid ex Agricola amauimus, quidquid mirati sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum fama rerum. Nam multos veterum velut inglorios, & ignobiles obliuio obruit, Agricola posteritati narratus, & traditus superstes erit.* Hæc ille.

Eccles. 30.

Cassiodor.

Tacit.

3 Enimverò hac ratione non modò in Iosia Rege sese nostrum Dauidem superstitem considerabat, ideoque quæ in illo futura prænuntiabat sibi ipsi adscribebat: sed quod plus est in ipsomet Christo Domino viuere, etiam & regnare is dicitur: nam præterquam quòd hunc Psalmum de Christo frequentiùs PP. accipiunt, vt superiùs vidimus, tum Ieremiæ 23. 5. & cap. 33. 14. Christus germen Dauidi iustum perhibetur eodem ac ille virtutum fructus tamquam radici suę respondeat, ferens, ideoque signatè iudicium, & iustitiam facturus dicitur: vti de Dauide inquit textus Sacer 2. Reg. 8. 15. *Faciebat quoque Dauid iudicium & iustitiam:* Sic namque Ieremias: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex: & sapiens erit: & faciet iudicium & iustitiam in terra:* tù vel maximè Ezechiel 34. 23. eodemmet Dauidis, & nomine, & pastoritio munere Christus insignitur, vt in eo ipsemet Dauid viuere, & regnare dicatur: *Suscitabo (inquit) super eas pastorem vnum, qui pascat eas; seruum meum Dauid: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.* Preme verbum *suscitabo*; planè quasi in Christo ad vitam denuò redire videatur Dauid, & sibi ipsi superstes esse, dum

Ierem. 23. 5. & c. 33. 14.

Ezech. 34. 23.

Velasquez in Psalm. centesimum.

A Christus eius mores, mansuetudinem, clementiam, benignitatem, & iustitiam luculenter expressit. Vides Principem iustum tamquam cedrum multiplicari: sicque multiplicem esse; dum sibi superstes in suis successoribus viuit, quibus egregia virtutum exempla nullà obliuione obruenda imitanda proposuit? Certè, quod alibi etiam obseruasse me memini. Candaces Orientalium Æthiopum Regina illustrem quemdam è suis familiaribus in Hierusalem religionis causà mittere solebat, Actuum 8. 27. quod sanè incomparabili bono illi fuit, dum hac occasione Eunuchus ille à Philippo baptizatus Christianam Religionem, veramque felicitatem in illam regionem innexit. Quod si egregiæ, sanctæque huius consuetudinis ab infideli illa Regina obseruatæ originem quæsieris, nullam quidem aliam inueneris, quàm Reginam illam Saba cui hæc longo pòst tempore successit velut ferrum à magnete tractam Ierosolymam aduenisse, vt audiret Sapientiam Salomonis 3. Reg. 10. 1. & Matthæi duodecimo, vt iam de illa meritò dixeris, quod de illustri viro Cassiodoro dicebat Theodoricus Rex libro primo, epistol. quarta. *Qui licet se moderande gloriosum fecerit, hoc tamen maius tumulis, quod bene actionis exemplum sequentibus dereliquit:* subiicit egregiam rationem: *Pudet enim eum peccare, qui laudatis veris videtur potuisse succedere:* vnde quidem fratres illos de monte Dei: sic absolutè ex posterorum profectu ad virtutem capessendam vrgebat Bernardus: *Non quales fuit alij sed quales ex vobis fiant, quantum in vobis est, cogitate, non solummodò, qui modò sunt, sed & qui pòst futuri sunt, quos in proposito sancto estu habituri imitatores: ex vobis enim, ex vestro exemplo, & vestra auctoritate in religione hac pendere debet tota posteritas.* Quæ Principi peculiariter aptauit gentilis Plinius in Panegyrico, vbi cùm dixisset: *vt enim ceterorum hominum, ita Principum illorum, etiam qui diu sibi videntur, auum omne & breue, & fragile est,* subiicit: *ita optimum quemque niti, & contendere decet, vt post se quoque Reipub. prosit, moderationis scilicet, iustitiaq; monumentis:* in æuum quidem in posteris duraturis. Nimirùm *virtutis id agunt* (sic Seneca lib. 4. de benef. cap. 30.) *vt non in vnam ætatem prosint, sed beneficia sua etiam post ipsas relinquant.*

Act. 8. 27.

B

3. Reg. 10. 1

Matth. 12.

Cassiod.

Bernard.

C

Plinius.

Seneca.

4 Sed enim cùm Dominum, *iustum Dauidi germen:* ipsumque Dauidem in se repræsentantem ex Scriptura fecerimus, nefas quidem existimamus eum fortiore omnino ratione ad sanctissimæ Matris exemplar non itidem componere, quasi ad egregias, & incomparabiles tantæ parentis virtutes effigiatus fuerit: sic ipsomet attestante Psalm. 138. 15. *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terra:* id est in ventre matris meæ, quam honestissimâ periphrasi significare voluit. Sed D doas ad hæc verba lectiones obserua: alteram ex Hebræo fonte à quo pro extremis illis verbis *substantia mea in inferioribus terra*: omnino legeris (benè id adnotante & eum voce *substantia* componente Agellio) *altitudo: seu statura erecta, & sublimis mea:* alteram, quam affert Aquila pro iisdem verbis notatet reponens: *effigiatum sum in inferioribus terra*, siue in vtero matris. In qua omnino preme vim locutionis *effigiari*, vel *effigiem esse*, quæ dubio procul denotat imaginem siue materialem, siue spiritualem ab exemplari transsumptam, sic namque de materiali imagine expiens vocem *effigiem*: dixit Tull. act. 4. in Verrem: *effigies simulacrumq; Mithridatis*, lib. 1. epistol. ad Quint. fratr. epist. 3. *effigies spirantis mortui:* de spirituali vero idemmet lib. 2. da fiorb. *Qui hunc nostrum reliquit effigiem & humanitatis & probitatis sua filium:* & pro Archia: *Consiliorum relinquere, & virtutum nostrarum effigiem multò malle debemus summi ingenij*

Pf. 138. 15.

Lect. Heb.

Agellius.

M. Tull.

expressam & politam. Vnde quidem ea vtraque lectione hic prodit sensus, Dei Filium Almæ Virginis Matris effigiem, & imaginem esse, qui in ipsius ventre ad eam non quoad corporis lineamenta, quàm ad animi mores efformatus: egregias & incomparabiles illius virtutes expressit, quasi hoc insuper peculiari stimulo ad omnimodam sanctitatem quodammodò actus, se non tantùm summi Parentis, sed etiam Sanctissimæ Mariæ germanam prolem ex altitudine & sublimitate staturæ spiritualis etiam ostenderet. Sic id annuntiâte, & Virgini Dei nomine promittente Gabriele, Lucæ 1. 35. *Spiritus sanctus superueniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi*: siue vt habet lectio Syriaca *obumbrauit super te*, vt diceret: tantâ sanctitatis, & spiritualium donorum plenitudine superueniet in te diuinus Spiritus, quâtâ præditam esse oportet eam, cuius vmbram ipsemet Dei Filius exprimens, Diuinitatem etiam suam ex maternâ imitatione quodammodò etiam demonstraturus est. Quam sanè cogitationem egregium Patrum par Athanasius, & Gregorius Nyssenus bellè adstruunt: dum prior obumbrandi phrasim in sermone *de Sanctissima Deipara*: sic capit: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus, & obumbrauit virtus Altissimi corroborans eam, & diuinæ vmbræ imaginem induxit, vt inde lineamentis collectis videre posset, quatenus possibile est, Deum formæ expertem in se copiâ.* Quibus tantùm non diair Athanasius, Virgini in Filij sui conceptione eam Diuinitatis vmbrâ non modò menti obiectam, sed animo inductam, ex quâ ipsa illa corporis, & animi lineamêta colligeret, quæ & Dei Filium hominem factum habere decebat, & ipse ad Matris vmbram se componens habituras erat: Nyssenus verò vmbram eò refert, vt Christus Matris suæ effigies, & vmbra fuerit: ita enim ille Orat. *in Natiuitate*: eadem verba premens: *Quid significat arcanus hic sermo? Christus Dei virtus est, & sapientia, vt ait Apostolus. Virtus igitur Altissimi, quæ Christus est, per aduentum Spiritus sancti formatur in Virgine. Quemadmodum enim vmbra ad præcedentium corporum figurâ effingitur: sic forma & indicium diuinitatis Dei in virtute ipsius, qui paritur, ostêdetur, & imago, & signum, & adumbratio, & splendor exemplaris per admirabilem verum effectionem demonstrabitur.* Ita Nyssenus. Sed & iis ea adiungenda sunt, quæ lib. 3. cùm de Principis ad Dei imitationem beneficentiâ agimus, latiùs in hanc rem persequimur Sanctissimam Virginem vt Dei Matrem, ita & formam adstruentes: vide ibi. Modò audi quid in hanc rem Virgini statim subiecerit Angelus: *Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*: Vbi expende particulam *ideò* quasi Gabriel quæsitâ & accuratâ locutione diceret. Non equidem *ideò*, id est, quòd sicut vmbra ad corporis figuram effingitur, ad præclarissimas, & penè diuinas virtutes tuas Dei Filius homo factus effigietur, inde Dei Filius erit, qui iam & ante sæcula Deus de Deo erat: sed *ideò vocabitur Filius Dei*: hanc significatiôe inter alias viam ad Diuinitatis suæ ostensionem in terrum mirabilium effectione apud homines sternens, quod ex te effigiatus, & delineatus homo fuerit.

4 Et quidem hæc, & de Rege sicut cedro æternùm durante, & sese in successoribus multiplicem efficientem diximus, in vtramque omnino partem vera sunt: Sic nimirùm prana vitiorum exempla in successores suos iniusti Principes transmittunt, vt hi quasi hæreditario ipsa iure accepisse videantur. Quod sanè magno terrori Principibus esse debet, ne à diuinæ legis præscripto recedant, dum prauis moribus infecti suis etiam filiis, & hæredibus impietatis suæ semina quodammodò relinquunt. Vnde quidem de populi sui Principibus agens Dominus Osee 6. 7. difficili, sed eleganti locutione dicebat: *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum.* Sed quare signatè sicut Adam, cùm quotquot Dei legem transgrediuntur, primam Adæ inobedientiam imitentur? Referunt id Ruffinus, & alij ad eorum ingratitudinem dum non secus ac Adam qui *in Paradisum, vt in laboratis copiis vteretur inductum, nullâ angoris materiâ, nullâ conquestione exortâ sidaritio malnit, quàm Creatoris implere mandatum, plusque apud eum valuit blanda de falsitate promissio, quàm muneribus, tot miraculis Creatoris stipata præscripta*: ita illi omnium bonorum copiâ suffulti gratis Dei mandata transgrediuntur. Sed opportuniùs credo dixeris, Principum flagitia cum Adæ peccato componi, quod vt hic originariam labem in posteros transmisit, sic ipsi pranè agêtes successoribus suis nequitiæ semina cum regia hæreditate relinquant, sic de Salomone à lege Dei recedente, & impuris voluptatibus sese contaminante notantissimè dixit Ecclesiasticus c. 47. 14. *Profanasti semê tuum inducere iracundiam ad liberos tuos.* Pro me phrasim *profanandi semen*, siue compone eam cum Adæ peccato quod semê eius infecit, vt videtis, quàm noxia sint praua Regum exempla, quæ eorum etiam successores, quibus pro legibus sunt, inficiunt, atque corrumpunt, *Profanasti* (inquit) *semen tuum*: non modò viuos subditos exemplo ad peccandum trahens: sed defunctos etiam deprauatorum exemplorum vitus in posteros transmittens, vt in Regibus peculiariter locum habeat, quod de Basilisco venenatorum animantium nocentissimo ideoque de Reguli nomine appellato dicitur, non viuum modò, sed etiam defunctum eam taliem habere vim: ita enim de ipso Solinus cap. 30. cùm dixisset: *Extinguit herbas, necat arbores, ipsas etiam corrumpit auras, ita vt in aëra nulla alitum impunè transuolet infectum spiritu pestilenti*: subicit: *Vis tamen ne defuncto quidem deest.* En praua Principum exempla viuacissimo penicillo ad viuum depicta, quæ omnia corrumpant: omnia perdant, & illis etiam defunctis pestiferam suam vim ad nocendum habeant.

5 Pro quâ sanè cogitatione plenissimè nostet Vates fideiubet Psalmo 2. vers. 2. cùm de Principibus aduersus Dominum conuenientibus, & morti eum addicêtibus inquit: *Adstiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*: sic sub hoc sensu hæc verba accipientibus discipulis apud Lucam Actuum 4. 24. *Domine, tu es qui fecisti cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, qui Spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti. Quare* fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnû aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius: *Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersùs Sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israel.* Vbi ab omnibus interpretibus meritò ambigitur: quonam modo dixerit in plurali Vates *Reges terræ*: cùm vnus tantùm Rex Herodes Christum læserit, & irriserit? & verò dum vnusquisque in suum abit, alius Pilatum sub Regis nomine, alius singulare pro plurali accipientibus: expeditissimam dubio huic solutionem attulit Auctor Incognitus nô ad vnum Herodem, qui Dominum in Passione sua irrisit: sed ad duos, ad huius scilicet etiam patrem, qui Christum recenter natum ad mortem conquisiuit scitè referens: etenim cùm dubitasset de horum verborum sensu; *cùm non legatur aliquem Regem Christum in passione fuisse persecutum*: sic postalia respondet: *dicitur quòd duo Reges Christum ad mortem sunt persecuti, scilicet Herodes senior tempore natiuitatis, qui innocentes occidit, & maior eius filius, qui tempore Christi passionis ipsum visit alba indutum irrisit, & spreuit.* Sed quomodo inquis, Herodes senior qui iam erat defunctus Christum in passione persecutus est? Sanè quia *ne defuncto quidem vis deest*: malum enim illius exemplum Christum recenter natum ad necem conquirentis, & innocentes

Luc. 1. 35.
Lect. Syr.
Athanas.
Nyssen.
Osee 6. 7.
Ruffinus.
Eccles. 47. 14.
Solinus.
Psal. 2. 2.
Act 4. 24.
Incognit.

nocentes pueros trucidantis, filij animum ad sui imitationem permouebat, seuusque in successore suo superstes erat. A

6 Nec omiserim hîc expendere, quàm similis patri filius, & (quod prouerbio dicitur) *mali pulli peius ouum* fuerit: etenim de illo Christum ad irrisioné excipiente, sic inquit Lucas c.23. vers. 8. *Luc. 23. 8.* *Herodes autem viso Iesu gauisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Vbi maximè adnotanda fuerit summa mali Principis in re salutis suæ negligentia, & incuria, *qui ex multo tempore erat cupiẽs eum*, aliquodque ipsius *signum videre*. Sed quare non viderat? Quare voti compos non euaserat? Num Regum voluntates frigidæ, & non potiùs ardentes, & vehemẽtissimæ sunt? Num Dominus in desertis, & non potiùs mediâ in vrbe morabatur? Aut signa ipse rarò, & non potiùs singulis diebus, singulis horis, atque momentis faciebat? Quid ergo fuit in causa, quod Herodes nec Dominum, nec egregia ipsius signa aliquãdo viderit? Sanè quod Rex ceterâ diligentissimos, & pro rebus corporis nullum non lapidem moturus, ea quæ ad animam spectabant, minimi faceret, minimeque curaret. Sed vnde pessimam hãc virtutis incuriam didicerat? B aut quo de fonte biberat? Acceperat quidem cum regno veluti hereditario iure à patre, ab illo scilicet Herode, qui in purissimum innocentium gregem ferali gladio ferociuit. Nam si meministi, vt à Magis accepit, verum Iudæorum Regem, qui mundo salutem, & vitam afferret, natum fuisse; summam adhibuit diligentiam, vt rem, tempus, locum exactissimè inquireret: dicente Matthæo cap. 2. vers. 4. *Math. 2. 4. 7. & 8.* *Coagregans omnes Principes sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur*: & statim vers. 7. *Clàm vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis.* Ad hæc: nouam curam, nouamque ille diligentiam adhibens, dicebat Magis: *Ite, & interrogate diligenter de puero*: At enim de Saluatore mundi suscipiendo, inuisendo, aut cognoscẽdo vix, aut ne via quidem cogitauit, nec vt eum videret, pedem domo extulit, vt totam videlicet diligentiam in rebus temporalibus, nullam verò in iis, quæ ad animum conducerent, collocaret: corporisque illi summa cura, virtutis summa incuria esset. En igitur vestigia senioris Herodis, quæ Herodes iunior premenda accepit, quasi Basilisco illi nec defuncto sua vis deesset, sed prauo suo exemplo vestigia, quæ ad Deum ducerent, filio velaret, atque confunderet.

7 Quò planè cum Hieronymo, siue in sensu litterali, vt ipse ex Magistro suo Hebræo existimat, siue per allegoriam opportunè referas duodecim Seraphinorum alas, quibus illi apud Isaiam, & volare, Deum summis laudibus afficientes, & simul Domini faciem, & pedes obtegere, & velare dicuntur, sic enim ibi cap. 6. vers. 2. *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* *Isai. 6. 2.* Nimirùm censet Hieron. hisce duodecim alis duodecim Iudæorum Reges ab Ozia, sub quo Isaias orsus est prophetare, vsque ad Sedeciam, qui extremus regnauit, si iis Godoliam, quem post legitimos Principes Rex Babylonis captâ vrbe terræ illi præfecit adiungas, omnino significari, qui quidem pro vitæ ac morum diuersitate, aut Deum glorificarent, aut è contra ipsum obtegerent, atque successoribus suis absconderent, ne eum colerent, nec in mandatorum ipsius viâ diligentiùs incederent. Audi Hieronymum in epist. ad Damasum Pontificem, *Hieron.* *de visione Isaiæ*: qui cùm præmisisset: *Nullũ Prophetarum extra Isaiam vidisse Seraphim circa Deum stantia, & præfatos Reges esse has duodecim alas.* Subiicit: *Ex his quippe duodecim Regibus tantùm quatuor iustos fuisse Oziam, Ioatham, Ezechiam, & Iosiam, qui sublimes per singulas captiuitates audeant glorificare Deum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Reliquos verò propter peccata sua velare faciem, & alios qui in captiuitatem ducti sunt, pedum velare vestigia.* Sanè quasi mali Principes tam Dei faciem, quàm eius pedes, vestigiaque velent, atque abscondant, quin suis successoribus aliam viam, quâ ad virtutem ire possint, præter praua ipsorum exempla, quæ illi auidissimè imitanda suscipiunt, quodammodò derelinquant. Hæc enim illis & lex, & præceptum, & norma viuendi sunt. Vnde quidem in Scripturis Deo Principes adhortante, vt in viis suis ambulent: vt 3. Reg. 2. 4. *Si custodierint filij tui vias meas*: & cap. 3. 14. *3 Reg. 2. 4.* *si ambulaueris in viis meis*: & alibi sæpiùs, mali Reges *3 Reg. 3. 14.* notantissimè in viis malorum parentum ambulasse dicuntur: sic enim 3. Reg. 15. v. 26. de Nadab filio Ie- *3. Reg. 15. 26.* roboam: *Fecit malum in conspectu Domini, & ambulauit in viis patris sui, & in peccatis eius*: & 3. Reg. 22. v. 53. de *3. Reg. 22. 53.* Ochozia filio Achab: *Et fecit malum in conspectu Domini, & ambulauit in via patris sui, & matris suæ*: & 4. Reg. *4. Reg. 8. 18.* 8. v. 18. de Ioram: *Ambulauitque in viis domus Israel*: & pluribus aliis in locis: vides improbos Reges vestigia pedum Dei, ipsiusque vias obtegentes? eaque filiis suis è medio quodammodò tollentes, ne aliâ quàm per praua ipsorum exempla iuerint.



DE OPTIMO PRINCIPE LIBER SECVNDVS.

De peculiaribus virtutibus, quæ ad Principis personam spectant.

Ad ea verba vers. 2. & 3. *Psallam, & intelligam in via immaculata*: & ad illa *In innocentia cordis mei*: necnon ad vers. 4. & 5. *Non adhæsit mihi cor prauum. Superbo oculo & insatiabili corde*, &c.

PROOEMIVM.



LITER quidem seruiunt Principes Deo (sic Aug. epist. 50.) *quia homines sunt, aliter quia etiam Reges sunt: quia homines sunt, Deo seruiunt viuendo fideliter: quatenus verò Reges sunt, Deo seruiunt, quando in suo Regno bona iubent, mala prohibent, & corrigunt non solùm, quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam, quæ ad diuinam Religionem, leges iusta prædicentes, & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo.* Et verò cùm de singulis seorsim monendus sit Princeps, liber hic ad illum, dum quà homo est, Deo seruit, singillatim pertinet. Idcirco tum internos eius mores, qui ad eximiā animi puritatem, & noxiorum affectuum vacuitatem spectant, instituit, & de Religione, & pietate in Deum admonet, quòd vt ingentes in Principe animos esse oporteat, tamen quantùm quantùm ingentes sint, Deo, & rationi obedientes esse debeant: tum etiam externam vitæ rationē peculiariter ordinat, vt singularem modestiā, excelsam animi demissionem, regiam affabilitatem, debitum in rebus omnibus modum, atque moderationem siue in sermone, siue in vultu, siue etiam in sumptibus faciendis seruet. *Nam quotquot ad magnitudinem quandam* (verba Gentilis Themistij in oratione quâ Imperatorem Valentinianum triennem puerum instituebat) *animum extollunt, ac maiestatem, & grauitatem ingenerant, sui priùs illum Regem faciunt, quàm sit aliorum futurus.* Iam hæc sequentibus Adnotationibus complexa videtis. August. Themist.

INDEX

INDEX ADNOTATIONVM LIBRI SECVNDI

ADNOT. I. PRINCIPEM *mortalitatem ſuam præ oculis habere debere.*
II. *Principum animos ab vnâ mortis meditatione ad virtutem inflecti.*
III. *Princeps quò Deo, & cæleſtibus rebus ſe dedat, terrenis hiſce ne adeò ſit addictus, vt de illis tanquam de immortalibus cogitet.*
IV. *Optimus Princeps Deo, & cæleſtibus addictus ipſum in corde, & in oculis fert.*
V. *Optimum Principem ſummam Religionis curam ſuſcipere debere.*
VI. *Egregiam Religionis atque optimæ gubernationis partem eſſe, ſanctiſſimam Deiparam à Principe ſummo animi affectu, ac deuotione coli.*
VII. *Bonus Princeps [illegible] eiuſdem cum ſubditis maſſa, ſiue conditionis eſſe exiſtimet, vt humanæ [illegible]ra ærumnas, & obedientiæ labores, ac difficultates experiatur.*
VIII. *Optimus Princeps ſui primùm Rector noxios affectus comprimit, ne illis obnoxius à rectâ gubernandi ratione erret.*
IX. *Principem non tantùm à malo, ſed ab omni etiam ſpecie mali abſtinere debere.*
X. *Propriam Principis virtutem caſtitatem, & regiâ maieſtate dignam.*
XI. *Ideò optimo Principi turpitudinem maximè fugiendam, quòd mentem eripiat, animumq; à negotiis abducat.*
XII. *A caſtitate Principum victoriæ, & triumphi, & auxiliaris Dei manus.*
XIII. *A caſtitate peculiarem Principis faciei decorem, ac pulchritudinem accedere, à turpitudine obſcurari, atque corrumpi.*
XIV. *Principi ex Regiæ dignitatis naturâ egregiam animi demiſſionem, atque modeſtiam conuenire.*
XV. *Eximium Principis ornamentum ab humilitate, atque modeſtiâ deſumi.*
XVI. *Principi arrogantiam turpem, inuidioſam, atque lethalem eſſe.*
XVII. *Magni Principis eſſe: affabilem, & humanum ſeſe ſubditis exhibere.*
XVIII. *Optimus Princeps hilarem, & amœnum vultum ſine faſtus, aut faſtidij ſupercilio ſuis ſubditis oſtentat.*
XIX. *Sermo Principis opportunus primùm, & parcus, & à cenſura ſilentij decoctus.*
XX. *Principis ſermonem non arrogantem, ſed modeſtum eſſe debere.*
XXI. *Optimi Principis verba non dura, & ardentia, ſed mitia, atque benigna eſſe.*
XXII. *Regium os candidum, ſimplex atque ſincerum eſſe, quin fallax illi ſubſit ſimulatio, atque vafrities.*
XXIII. *Auaritiæ ſordes à Regia eſſe dignitate alieniſſimas.*
XXIV. *Auaritiam eximium Principis ſplendorem corrumpere, quæ Regiæ dignitatis vſum adimit.*
XXV. *Regiam virtutem eſſe, ſumptibus, qui neceſſarij omnino non ſunt, modum imponere.*

AD

AD EA VERBA,

VERSVS II.

Quando venies ad me.

Principem, mortalitatem suam præ oculis habere debere.

ADNOTATIO I.

1 NIHIL omnino mortali vtilius, & ad immortalitatem opportunius, quàm suam præ oculis mortalitatem circũferre: hinc signatè homines Angelis fortiores, atq; tutiores, siue à diuino artifice hac ratione firmioris, ac solidioris materiæ facti: quippe Angeli puluere, & luto mortis exempti sese Immortales, & æternùm victuros considerantes adeò infeliciter euanuerunt, vt lapsu irreparabili in (A) præceps acti sint: vti ipsorũ Primati obiiciebat Isaias cap. 14. 12. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer* (siue vt ex (B) Hebræo Pagninus *Fili Auroræ*) *qui manè oriebaris?* Benè quidem *Fili Auroræ*, necnon *manè oriebaris*, vt occasus, siue lapsus eius causam ad perpetuum illius ortum reiiciat Vates, vt dixerit: Hæc prima mali labes quod Auroræ filium, & non semel, sed perpetuò orientem, cui nullus casus, nullus occasus posset succedere, immortalem, incorruptibilem, æternum, quem nullus mortis, atque sepulchri metus pungeret, te intuebaris; ab hac quippe perpetuâ aurorâ irreparabilis tibi casus obrigit. Vnde quidem sapientissimus, æquéque amãtissimus hominis molitor Deus, vt illum firmiorem & solidiorem faceret, ex imbecilliori materiâ, terrâ, & puluere scilicet, ipsum formauit, vt occasum (C) suum in ipso oriente, mortẽ videlicet, & sepulchrum ob oculos habens, aduersùs elationem, & carnis concupiscentias se muniret, ne in peccatum caderet, & si caderet, ab hac mortis memoria excitatus, compunctusque statim resurgeret: sic hæc adnotante Iobio Monacho lib. 9. de Verbo Incarnato cap. 40. apud Photium in Bibliotheca, dum ait: *Nos colligamt quidem carni ad coërcendam superbiam, per quam ipsi Angelorum ordines irreparabili lapsu in præceps acti sunt.* En ex nobiliori, & firmiori materia infirmiora quidem & fragiliora vasa constructa, nempe Angelicos spiritus, eò quòd vndequaque spiritus, vndequaque fortes, vndequaque mortis, & sepulchri expertes, casui, & ruinæ irreparabili multò magis obnoxios: contrà verò lutea vasa, quòd terrena, fragilia, & corruptioni obnoxia, (D) eò duriora, atque fortiora, & velut triplici ære munita: vti id optimè diffudit S. Gregorius Nazianzenus orat. 16. vbi hominis, animâ, Dei scilicet flatu, corporeque hoc est puluere, cœno, luto constãntis formationem, & structuram contemplatus, sic primum miram hanc adeò diuersissimarum rerum vnionem, & mixturam admiratur: *Corpori quonam modo coniunctus sim, haud equidem scio, quòque pactò simul, & imago Dei sim, & cum cœno voluter. O miram coniunctionem, & alienationem!* Deinde verò magno, & arcano consilio Deum hoc egisse ait, vt pulueris, mortisque memoria superbos spiritus domet, frænetque: sic pergens: *atque ita imbecillitas ea quæ nobis copulata est, dignitatem fræ-* (A) *net, atque coërceat: vt intelligamus nos maximos simul, atque abiectissimos esse; terrenos, & cælestes, caducos, & immortales.* Vnde sic statim concludit: *Hæc nostra temperatio est, vt cùm imaginis dignitas nobis animos extulerit, puluis eosdem deprimat, contrahatq;.* Quam enim animi intẽperiem, & elationem non deprimat, contrahatque humanæ naturæ puluis, [...] mortem, inhiansq; sepulchrum, ad quod homo indesinenti cursu per proprios pedes eat, ob oculos iaciens?

2 Quò mirè facit cœco illi à *natiuitate*, qui primi hominis per elationem lapsi typum seruat, vt omnes admonent PP. adhibita à Domino curatio, dum luto illito illius oculos inunxit, vt lucem illis, & claritatem (B) redderet: dicente Ioanne cap. 9. 6. *Fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.* Sed quod, quæso, collyrium humanis oculis ex luto fiat? obnubilandos potiùs, siue occœcandos imò obstruendos, quàm aperiendos eâ medicinâ diceret: at Domino aliter [...]sum nihilque salutarius, nihil efficacius ad visum homini reddendum afferri posse censuit: quippe ille ideò cecidit, & cœcus factus est, quia à mortalitate suâ oculos auertens, sese Deo supparem existimauit, serpenti qui successit: *eritis sicut dij*, fidem faciens: vnde ea ipsi opportunissima medicina, quæ natiui pulueris, lutique admoneret: sic hęc pensitante Ambrosio epist. 75. *Quod autem lutum fecit, & superunxit oculos cæci, quid* (C) *aliud significat nisi vt intelligeres, quia ipse hominem luto illito reddiderit sanitati, qui de luto hominem figurauit?* Opportunè id *luto illito reddidit sanitati*, quòd primùm formatus cecidit, fractusque est, dum luti & pulueris oblitus, nimiâ claritate occœcatus est: ideò qui mirabiliter condiderat, mirabiliùs reformans, vt oculatissimũ denuò faceret, luteos oculos dedit, quibus puluis suus ob oculos semper versaretur, mortemque in oculis ferens, sese mortalem indesinenter intueretur. Nimirum alia interioribus animę, alia exterioribus oculis corporis imbecillitas subest: hi enim tunc maximè imbecilles videntur cùm hominem sese ipsum videntem, siue ante oculos ferentem faciunt, sicuti & Seneca alibi à nobis adductus meminit libr. 1. natural. qq. c. 3. *Quidam hoc genere valetudinis laborat, vt ipsi* (D) *sibi videantur occurrere, vt vbique imaginem suam cernat. Quare? quia infirma vis oculorum non potest, ne proximum quidem sibi aërem perrumpere, sed resistit.* At interiores animi oculi, quibus illuminandis medẽdisque Dominus operam dabat, tom maximè acres, & perspicaces sũt, cùm hominem mortalem, & luteum sese videntem reddunt. Sic hęc firmante Ambrosio lib. 3. de Virginibus ad finem: *Contemplationem tui corporis velut nauis saburram suscipe, ne in tantis mundi fluctibus iactantia aurâ circumferatur.* Hæc Ambrosius. Quæ sic diffundit Augustinus in lib. cui titulus: *Speculum peccatoris*, c. 1. *Consideratio huius sententiæ destructio est superbiæ, extinctio inuidiæ, medela malitiæ, effugatio luxuriæ, euacuatio vanitatis, & iactantiæ, constructio disciplinæ, perfectio sanctimoniæ, prępara-*

Isai. 14. 12. Pagninus. Iob. Mon. Ioan. 9. 6. Gen. 3. 5. Ambros. Seneca. Ambros. August.

præparatio salutis æternæ. Hæc ille. Tanti planè referre lo- teos oculos habere. Sed nec ob his latum vnguē discessit Gentilis Epictetus in Enchiridio velut Christiano ore monens: *Mors, & exilium, & omnia, quæ in malis habentur, ob oculos tibi versentur quotidie: omnium verò maximè mors, sic nihil vnquam humile cogitabis, nec impensè cupies quidquam.* At enimverò præfatæ subuli, seu saburræ imagini, quam vsurpauit Ambros. illa vt omnino adsimilis adiungenda est, quæ subesse videtur iis Ecclesiastici verbis cap. 7. 40. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*: quasi mortis memoria à Sapiente cum nauis gubernatore in puppi ad clauum sedente, ibique eam hâc illac contra maris fluctus, & ventorum flatus dirigēte, componatur: sic id imbi observante Nicolao de Lyra, dum vim facit in nouissimorum nomine ad hunc modum: *Sicut nauta sedet in vltima parte nauis, vt dirigat eam ut velit.* En quantum interest inter eum, qui in nauis prorā, & sese semper in ortu, siue manè orientem, atque illum qui in occasu, & in vltima parte nauis se intuetur, atq; considerat: hic enim nauim aduersùs maris impetum certâ ratione, quā vult, dirigit, ille verò quasi gubernator amisso clauo ad certum interitum ire necesse est.

Epictet.

Ecclesi. 7. 40.

Lyra.

3 Iam verò hæc, quæ omnes generaliter homines tangunt, ad Principes quidem signatè, & peculiari ratione vigente omnino spectāt, vt in assidua humanæ mortalitatis contemplatione seipsos indesinenter exerceant, & contra immanes magnitudinis suæ fluctus, & diros prosperitatis flatus se communiant. Nimirum Regibus hic mos, hæc conditio est, vt omnia ex fortunæ suæ magnitudine, & regij fastigij splendore pensitantes extra humanos casus, & mortis lus atque imperiom se effingant, atque ad instar illius Luciferi, siue Auroræ filij *manè* semper orientis, nullum splendori, & luci suæ terminum, siue occasum præfigant, quasi alterius naturæ, alterius cōditionis, & melioris firmiorisque iuri, ac alij homines fuerint. Planè vt ab vno Persarum Regum ingenio, discas omnium mores, quippe, vt de illis hæc scribit eleganter S. Petrus Chrysologus serm. 120. *Persarum Reges subiectâ nunc pedibus suis sphærâ, vt polum se calcare nicei mentiantur, nunc radiato capite, ne sint homines, Solis residens in figurâ, nunc impositis sibi cornibus, quasi viros se esse doleant, effeminantur in Lunam, nunc varias velut siderum sumunt formas vt laminum perdant figuram, & nihil superna claritatis acquirant.* Ita de seipso Sapor apud Ammian. Marcel. lib. 7. cùm ad Constantium Imperatorem scriberet, sic ait: *Rex Regum Sapor, particeps siderū, & frater Solis, & Lunæ, Constantio fratri meo salutem.* Vides illos siderum formas sumere, & fratres Solis & Lunæ sese effingere; vt sese *manè* orientes faciant, & radiatum caput attollere, ve homines, & mortales se esse abnegēt? Audi iam, quomodo hæc sibi omnino persuaserit insanus ille Rex Nabuchodonosor Danielis vaticiniis, & scriptis notissimus: viderat quippe ille in somnis celebrem illum statuam à Daniele sic descriptam. *Ecce quasi statua vna grandis. statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te. & intuitus eius erat terribilis: Huius statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento: porrò venter, & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ: pedum quadam pars erat ferrea: pars autem fictilis.* Et statim: *Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento.* Et verò cùm à sacro Vate didicisset hanc statuam tam illum, quàm omnes Principes, & Regna innatæ suæ inconstantiæ, & instabilitatis admonere, aliam sibi ipse fortunam fingere, aliam sibi statuam erigere, & fabricare decreuit. Ergo non multò pòst *Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream al-*

Chrysolog.

Ammian.

Dan. 2. 31.

Dan. 3. 1.

A *titudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, &c.* Ad quæ verba dum & Hieronymus, Theodoretus, & ceteri interpretes obseruant, Regem hanc statuam eracitantem in suimet monimentum, suæque fortunæ imaginem, ad statuam, quam in somnis priùs viderat, allusisse, & omnes omnino ambigunt, quâ ratione statuæ quam pro idea sibi sumpsit, magnitudine retentâ, ab illius materia discessit, nec solùm fictiles, & testaceos digitos, quibus incumbebat; sed alia etiam aut pretiosa, aut non ignobilia metalla de medio sustulit, totam suam statuam à capite ad summos vsque pedum digitos ex auro conflans: sapienter quidem P. Sanctius vim faciens in illis verbis, quæ de priori statuâ in somnis visâ dicta fuerant: *& intuitus eius erat terribilis*, respondet; eo quidem consilio id effecisse, vt sua diuinis consilia opponens, quod in somniatā horruerat statuā, omnino deleret: *Fatuus ac barbarus* B *Princeps (ait ille.) statuam opposuit statuæ, id est, sua consilia diuinis, quâ aut delere voluit, aut illudere, quod in altera statua prius horruerat.* Sed quid ille in alterā potuit statuā horrere, quæ nō nisi ad ipsius gustū constructa videbatur, cùm in illa ipse inter omnes terræ Principes, qui erant futuri, notanter aureum caput esset, quo nihil ad fastigium illustrius, aureūq; ornamentum maius potuit excogitari: præsertim cùm iam tunc ipsummet Regem Regum, & Dominum Dominantium aureum caput habiturum à Salomone sic fuisset prædictum Canticorum 5. 11. *Caput eius aurum optimum.* Sanè quod vt Dei Filius aureum caput habens, marmoreis columnis super bases itidem aureas innitebatur, subiiciente Salomone vers. 15. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Ita se ipsum testaceis pedibus, quibus vel exiguus quidā lapis illisus totam illam molem momento temporis disiecit, sobnixum vidit. En intuitum statuæ Regi terribilem, suum videlicet casum, & mortem, quæ omnium terribilium terribilissimum est, vt ait Philo- C sophus, aliquando obuenturam videre. Ergo vt statuam opponeret statuæ, sic eum ex toto totam conflauit, vt æquè pedes ac caput aurei forent; ne videlicet mortalitatem ipse suam fateretur, nec se terribili, qui aufert spiritum Principum, obnoxium agnosceret. Enimverò huic cogitationi mirè congruit auri natura: nam si illam accuratiùs examinaueris, eatenus illud ceteris metallis præstantius inuenietis, quatenus firmius, & aduersùs ignis vim fortius, & potentius est, sic id obseruante Plinio lib. 33. cap. 3. *Præcipuam gratiam huic materiæ fuisse arbitror, non colore, qui in argento clarior est, magisque diei similis. Et ideò militaribus signis familiarior; quoniam is longiùs fulget (manifesto errore eorum, qui colorem siderum placuisse in auro arbitramur, cùm in gemmis, aliisque rebus sit præcipuus) nec pondere, aut facilitate materiæ prælatum est ceteris metallis, cùm cedat per vtrumque plumbo, sed quia rerum vni nihil igne deperit: tutò* D *etiam in incendiis, rogisque durante materiâ. Quinimò quò sæpius arsit, proficit ad bonitatem, aurique experimento ignis est, vt simili colore rubeat, quo ignis, atque ipsum obryzum vocatur.* Sed enim vt statuam statuæ; & regis consilia diuinis ex diametro opposita videris, simul etiam obserua; Deum, iam dudum à Moyse ignem fuisse appellatum. Deut. 4. 24. *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Ecce iam tibi quomodo fatuus Rex delere, aut illudere voluit, quod in alterā statuâ prius horruerat, dum non modò testaceos, & fictiles pedes quibus à morte capiebatur à se remouit, sed etiam aurum sibi vsurpans sese igni consumenti non subditum, ac proinde minimè pereuntem, sed *simili colore rubentem quo ignis*, immortalem, & æternum, & de igne triumphantem cogitauit, atque effinxit: quippe Plinius lib. 9. cap. 36. aurum *triumphale* appellauit.

Hieronym. *Theodor.*

P. Sāctius. *Ps. 75. 12.*

Cant. 5. 11.

Plinius.

Plinius.

4 En Regum ingenium, qui *nunc radiato capite* ne

sint homines, Solis resideant in figurâ; nunc impositis sibi cornibus: *quasi viros se esse doleant, effœminantur in Lunam.* Nec mihi obiecetis id insani vnius Nabuchodonosoris figmentû fuisse: nam vt ille mente, & intellectu, ita aut verbis, aut rebus ipsis ceteri Principes mortalitatem suam abnegare solent de mortalibus rebus tanquam de immortalibus cogitantes (vt Gregorius Nazianzenus insequent. adducendus ait) vel (vt taceam malum Imperatorem Constantium *Ammian.* apud Ammianum Marcellinum lib. 15. *Immunem se deinde ab omni mortalitatis incommodo fidenter existimantem, & æternitatem meam aliquaties afferentem:*) audi bonum aliàs Imperatorem Iustinianum in l. vlt. §. vlt. C. *de Episcopis, & Clericis*, optimas, & salutares leges, quas dederat, superbis hisce verbis fœdantem: *Hac igitur omnia quæ pietatis intuitu nostra sanxit æternitas:* audi etiam vt egregij Principis Gratianus, *Gratian. Valentin. Theod. Archad.* Valentinianus, Theodosius, & Archadius sese vno ore *perennes*, hoc est, perpetuos, & per omnes annos durantes appellauerint in lege Nemo, C. *de Episcopali audientiâ*: quippe aiunt: *Nemo deinceps tardiores fortassis afflatus nostræ perennitatis expectet*, & in libr. 2. C. de fabricis: *Æternitatem nostram adoraturus dirigatur*, quæ ibi scitè Glossa sic castigat: *Non sunt æterni, nec adorandi.* Ad quem planè modum plerique Principes, licet se perpetuos, & æternos ore non iactent, taciti tamen secum mortales esse, aut nolunt credere, aut volunt obliuisci. Quod quidem si verum esse vis, non tam fuerit radiatu capiti Solis in figurâ residere, quàm *effœminari in Lunam*: ioue videlicet animi sui non tantùm prauitatem, sed etiam paruitatem, & imbecillitatem maximè ostendentes, cùm sese immortales, & diuinos esse volunt, quippe qui vel à somniatâ sibi morte deterriti, & consternati in eam intendere, aut de eâ cogitare non audent: minimè *Gen. 23. 15* id dissimulante Scripturâ, Genes. 23. 15. dum Principem Ephron sepulchrum Abrahamo vendentem, & mortis memoriam à se abdicantem inducit: si tamen ex Hieronymo obserues notanter ei Principi post perfectam venditionê in Hebræo textu ademptum virile nomen, & in fœmininum fuisse commutatum: sic namque Hieronym. *Hieronym.* *In Hebræo, sicut hic posuimus, primum nomen eius scribitur* Ephron, *secundum* Ephran. *Postquam enim pretio victus est, vt sepulchrum venderet argento, vau litera, quæ apud illos pro o legitur, ablata de eius nomine est, & pro* Ephron, *appellatus est* Ephran, *significante Scripturâ non eum fuisse consummatæ, perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum.* Vides Principes viros mortalitatis à se oblegatâ memoriâ effœminari in Lunam? Muliebrem scilicet, & pusillum animum vilibus his seculi bonis addictum, & cælestium, ac supernorum oblitum ostendere? *Seneca.* Nimirum vel ipsemet Gentilis Seneca de humano pectore sapienter dixit epist. 120. *Nunquam magis diuinum est, quàm vbi mortalitatem suam cogitat & scit in hoc natum hominem, vt vitâ defungeretur:* & statim: *Maximum, inquam, mi Lucili, argumentum est animi ab altiore sede venientis, si hæc in quibus versatur, humilia iudicat, & angusta, si exire non metuit.* Vbi simul indicat Philosophus nihil in homine minus diuinum, nihil abiectius, & indignius esse, quàm à mortalitatis suæ cogitatione fugere: atque à terrenis hisce næniis exire metuere. Vnde ipsemet in consolat. ad Polybium cap. 30. scitè ait: *Vtrùmne stultius sit nescio, mortalitatis legem ignorare, an impudentius recusare.*

5 Sed bis omnino concinit Danielis de eodem Nabuchodonosore vaticinium, dum illum inter alias bestias, Reges & regna adumbrâtem sub leænæ imagine sic depingit c. 7. 4. *Dan. 7. 6.* *Et quatuor bestiæ grandes ascendebãt de mari diuersæ inter se. Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ: aspiciebam, donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* En primùm ipsissimam barbari Principis faciem, qui sese velut immortalem de morte triumphantem, & cum superis ipsis componentem effingebat, huc enim leonina fortitudo aquilæ pennis instructa, vt in cælum ipse conscenderet inter sidera connumerandus ire videtur. Quid enim aliud fuerit præferocem hunc leonem alis vti, quàm pedum vsum omittere, siue fictiles illos, & testaceos pedes, quibus à morte capimur, abnegare, mortemque non tam velis, remisque, vt aiunt, quàm alis fugere? Sed vide vt id Sacer Scriptor fœmineæ imbecillitati omnino adscribat, dum notanter primùm eum leænâ non verò cum leone ipsum composuit, non secus ac Principi Ephron femininam dedit appellationem, quòd mortuis memorias vendidisset: deinde verò dum adiecit, illum subinde cùm *super pedes quasi homo stetit* cor hominis recepisse. Verùm priùs pende pulchram Vatis in his verbis *super pedes quasi homo stetit*, allusionem ad fictiles, & testaceos pedum digitos, quos ille priùs tantoperè horruerat, & auersatus fuerat, necnon obserua verbum *stetit*, quod propriè firmiter & fortiter ad instar militis strenuè dimicantis subsistere significat, vt ad id Pauli ad Philipp. cap. 4. 1. *Sic state* multis *Philipp. 4. 1.* adducimus, vt videris ignaui quidem, & tergiuersantis animi esse mortem horrere, illam verò cogitare, & mortalitatem præ oculis habere, imò & illi inniti, strenuum quid, forte, & diuinum sapere, ergo eùm Rex luto & terrâ innixus *didicit* (ita ibi Theodoretus) *humana cogitare, neque mentis cogitatione naturæ terminos transgredi*, cor hominis, magnum scilicet, atque robustum accepit, qui antea aureo capite eleuatus, & sidera vertice pertingere cupiens fractû & fœmineum pectus habuerat. A qua planè huius loci explicatione non abit Eucherius, quamuis ipse hæc Magno potiùs Alexandro, & Græcorum regno aptare maluerit, sed vt vt id fuerit, sic ille Alexandri elationem, quâ se priùs & immortalem, & Deum cogitabat, præstringens, opportunè ait: *Stetit autem super pedes quasi homo, quia se tandem mortalem intellexit, & cor proprium recepit, vt magis de morte, quàm de honoribus cogitaret.* Ita ille.

6 Ergo noxiæ huic inconsiderantiæ, siue obliuioni, assiduè, ac solerter Princeps occurrat, & rerum humanarum inconstantiam propriamque mortalitatem animo, & oculis infixam habeat, dicatque cum sapientissimo æquè ac potentissimo Rege Salomone: *Sum quidem & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est. Nemo enim ex Regibus habuit aliud natiuitatis initium. Vnus ergo est omnibus introitus ad vitam & similis exitus.* Sapient. 7. 1. ac si *Sap. 7. 1.* dixerit cum Seneca epist. 91. *Seneca.* *Æquat omnes cinis, impares nascimur, pares morimur. Conditor ille iuris humani non natalibus nos, nec nominum claritate distinxit, nisi dum sumus. Vbi verò ad finem mortalium ventum est: Discede, inquit, ambitio, omnium quæ terram premunt, siremps (id est similis) lex esto. Ad omnia patienda pares sumus, nemo altero fragilior est, nemo in crastinum sui certior:* aut cû Chrysostomo hom. 2. de incomprehensibili Dei naturâ: *Chrysost.* *Si homo formosior, & luto nobilior apparet, hoc non diuersitate naturæ, sed ingenio artificis prænitet: nam materia quidem tamen nihil inter lutum & illum interest, quod si non credis, sepulchra, & monumenta inspice maiorum, illa enim facilè suo exemplo possunt tibi persuadere, puluerem & lutum te esse.* Quod sanè monitum egregiè sibi aptauit inclytus ille Israëlitici populi Princeps Moyses, qui cùm primùm faciem suam supra humanam fulgidam, & diuinos penè radios vibrantem agnouit, velamine ipsam obtegere, atque obnubilare curauit, Exodi 34. 33. *Exod. 34. 33.* Quod si ab Hebræorum doctissimis perquiras, quale id velamen fuerit? Respondent: non aliud

fuisse,

fuisse, quàm sudarium defunctorum faciei imponi solitum. O pulchrum, atque sapiens velamentum regiæ claritati, & splendori obiectum! O necessariam Principi mortis memoriam, & assiduam funeris meditationem! quæ ardentes altissimi fastigij radios obtundat, siue temperet, vt sese æquè ac subditos suos mortalem moriturumque, imò iam iam morientem agnoscat, vti Vespasianum Principem totius orbis dominum mortalitatis suæ sapienter admonebat Plinius libr. 7. natur. histor. cap. 7. vbi cùm de humanæ vitæ vanitate tot periculis obiectæ differens dixisset: *Miseret, atque pudet æstimantem quàm sit friuola animalium superbissimi origo, cùm plerumque abortus causa sit odor à lucernarum extinctu. His principiis nascuntur tyranni, his carnifex animus.* Inde Imperatori communem naturam, commune discrimen ipsi non secus, ac aliis præsens sic obiicit: *Tu qui corporis viribus fidis, tu qui fortunæ munera amplexaris, & te ne alumnum quidem existimas, sed partum: tu cuius semper in victoriâ est mens: tu qui te Deum credis aliquo successu tumens, tanti perire potuisti, atque etiam hodie minoris potes quantulo serpentis ictus dente, aut etiam vt Anacreon Poëta acino vuæ passæ: vt Fabius Senator poto in lactis haustu vno pilo strangulatus.* Ita ille. Multò opportuniùs S. Petrus Damianus regiæ claritatis radios ab hoc obiecto velamine salubriter temperari ita commonefacit opusc. 56. ad Pulcheriam Augustam: *Erubescat ergo cordis elati superbia, & qui se considerat inter ortum, & obitum communi cum ceteris naturæ lege constringi, desinat de sublimioris gloriæ singularitate iactare.* Ita ille.

S. Pet. Dam.

7 Iam verò quàm vtilis, ac fructuosa Principi hæc mortis memoria sit, & quàm multas siue ad se, siue ad regendos populos opportunitates habeat, ex eodẽ Moyse disce, cui non anteà Dominus gubernandam plebem commisit, quàm hanc mortis meditationem sic insigeret, vt vix manum siue priuatis, siue publicis rebus admoueret, quin mortalẽ se esse comminisceretur, eâ verò cogitatione armatus talem se Principem, ac gubernatorem virtute, prudentiâ, dexteritate, fortitudine, & rebus in bello, & pace egregiè & fortiter factis exhibuit, vt non è terra mortalis homo, sed è cælo delapsus videretur. Enimverò cùm ille à Domino Princeps designatus delatum sibi munus multiplici tergiuersatione diffugeret, sese illi omnino imparem agnoscens, hoc illum à Domino facto portento animatum atque munitum videris: *Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cùm intulisset in sinum, protulit leprosam instar niuis.* Exodi 4.6. Quod sanè eò omnino iuit vt communis & mortalis naturæ conditionem (vt Ambros. in symbolo capit. 27. obseruat) ei ob oculos Dominus poneret, siue in eadem potiùs manu sub quâ subiectum populum habiturus erat. Nimirùm Regis manus Imperij symbolum est, quippe quæ populi habenas, vt illum hâc illac flectat habere videtur, vti considerabat Gregor. Nazianzen. orat. 27. dum Principes allocutus dicebat: *Orbis vniuersus manui vestræ subiectus est.* Sanè vt hac mortis imagine Moysis manui affixâ dixerit ei Dominus: Vade iam, & deposito metu Principis munus suscipe, mortis enim, & mortalitatis memoriâ armatus admiranda proculdubio patrabis opera, & communis cum subditis conditionis memor à virtutis tramite vix latum vnguem deflectes, nam qui mortem in manu habet, mundum quidem sub manu, imò sub pedibus habet, illumque hâc illac velut subditum mancipium transfert. Hæc omnia omnino admonente Theodoreto hunc in modum quæst. 10. in Exodum: *Dextera porrò Moysis, quæ admiranda in Aegypto prodigia perpetratura erat, facta priùs est leprosa, & posteà diuinis miraculis inseruiuit & elementa mutauit. Quæ res Moysem etiam admonuit, non debere ipsum superbire, sed agnoscere naturæ suæ humilitatem, perpetuam habens recordationem dexteræ suæ leprâ priùs infectæ.* Hæc Theodoretus opportunissimè. Pende illud *priùs & posteà*: quasi à præeunte mortis memoriâ egregia posteà facta, imò, & prodigia subsequantur. Nam princeps qui moriturum se meminit, & facilè omnia contemnit, quin à Principatus gloria abripiatur, & vni Deo, cui muneris sui rationem est redditurus, placere studet, minimè nescius, *quoniam iudicium durissimum iis, qui præsunt, fiet.* Sapient. 6. versu 6. quippe *quantò nunc gloriosius est* (ita S. Petrus Damian. opusculo 57. cap. 1.) *in obtinenda dignitate fastigium, tanto durius erit in reddenda ratione iudicium.*

Nazianz.

Theodor.

P. Velasquez in Psal. centesimum.

8 Neque hinc quidem discedendum putauerim, quin vt insanum illum & exitialem eorum Principum errorem, qui sese extra mortis iura constituentes, siue mortalitatem suam, & communis naturæ debita, siue mortis memoriam abnegant, & immortalitatẽ, perẽnitatem, & æternitatem cogitant, imò & iactant, opportuniùs traduxerim, moneam siue obseruem, adeò illos dum hæc cogitant, toto cælo aberrare, vt potiùs, vel eâ ipsissimâ ratione, vt alia non esset, quòd Reges sint, certissimæ morti obnoxij, siue etiam addicti esse videantur, vt dum ceteri homines vno solùm ex capite, ex humanâ nimirùm conditione, mortales, & morituri sunt, Principes quidem non vnâ tantum, sed duplici ratione, tam scilicet ex priuata fastigij lege, quã ex humanæ cõditionis naturâ, morti subditi maneant. Id non obscurè innuente Samuele, cùm Dei nomine Saulem populi Principem designans, vt diuinæ electioni fidẽ faceret, sic eum allocutus est: *Hoc tibi signũ, quia vnxit te Deus in Principem, cùm abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel.* 1. Reg. 10. 2. quibus, si benè æstimas, tantùm non dixit, à morte, & sepulchro ob oculos posito certissimum capies signũ, & experimentum Regij culminis, & fastigij à Deo tibi delati. Vt sapiens Vates Principem recenter inauguratum non modò admoneat, æquè tunc ac anteà mortalem esse, quin regium diadema à mortis spiculo ipsum valeat eripere, sed etiam vt signatissimè ingerat, nouâ exinde & peculiari ratione à noua scilicet dignitate morti manere obnoxium, quasi nouum ipsa ius in illum ex regia conditione iam habeat. Quò sanè videtur facere Hebræorum Lectio, quæ inibi habet: *Occurrent tibi in finibus Beniamin duo viri qui modò sunt iuxta sepulchrum Rachel*: vbi, si attendis, simul proponitur Regi mors, atque sepulchrum, certo loco, & terminis confixum, quasi finem & terminum suprema illa dignitas habitura sit, eique innuitur ab ipso inaugurationis suæ momento mortem peculiare in illum ius adeptam ei obuiam aduenire, id enim sonat: *occurrent tibi qui modò sunt iuxta sepulchrum*, à sepulchro videlicet ei obuiam euntes, & in illius occursum non vocati procedentes. Quod equidem communi hominum sensu firmatum videris qui purpuram regium insigne semper censuerunt, & de ea Reges noscendos, & ornandos esse existimarunt. Nimirùm ipsa inter omnes vestes tineis, & vermibus ex propriâ naturâ peculiariter est obnoxia, & eorum iniurias magis, quàm alia indumenta sentit, vt ex Plinio obseruat P. Salazar ad cap. 15. Prouerb. 126. Planè vt documento fuerit ceteris hominibus à naturæ conditione mortem pullulare, atque idcirco eorum carnem vermes gignere, Principibus verò & ab interna natura, & ab externâ dignitate, quæ ipsorum velut vestis est, mortem oriri, ideò tam eorum purpuram, quàm cadauer vermes progignere, siue mortem, vt omnibus hominibus certa, & statuta sit, Regibus tamen certo certiorem esse, quæ ipsos non solùm ex communi lege, sed etiam ex purpurâ adoritur. A quo non it Seneca

1. Reg. 10. 2.

Lect. Heb.

Salazar.

N

Seneca. neca in consolatione ad Polybium c.35. inquiens: *Ibit violentior per omnia sicut semper ista solita, easq; domos ausa iniuria causâ intrare, in quas per templa aditur, & atram laureatis foribus inducere vestem.* Notanter illud *ibit violentior*: quasi vt potiori iure, ita maiori impetu.

9 Quod si his non facilè assentiatis, ambigasque, cur Principes non modò ex communi humanæ naturæ conditione, sed etiam ex Principatus & fastigij lege certissimæ morti sit obnoxius, non pigebit peculiarem tibi huius rationem tam ex gentili Seneca, quàm ex S. Petro Damiano reddere. Sic enim vterque censet, accuratissimo quidem Deum iudicio Principes certo certiùs, & aliis celeriùs, mortales, morientesque ostendere, vt ab illis ceteri certissimum mortis experimentum sumant, eâque etiam ratione subditis suis non tantùm viuentes, sed etiam morientes prosint. Sed

Seneca. præstat eos audire, & primò Senecam in consolatione ad Marciam ita loquentem: *Quid aliorum tibi funera Cæsarum referam? quos ita hoc mihi interim videtur violare fortuna, vt sic quoque humano generi prosint, ostendens ne eos quidem qui dij genitì, deosq; genituri dicantur, sic suam fortunam in potestate habere, quemadmodum alienam.* Nimirùm aliena, siue orbis vniuersi eorum manui subiectus est, ipsa verò manus mortem ipsi gignit, patitque: tam quæ Ethnicis vocibus dixit Seneca, Petrus

S. Petr. Dam. Damianus Christianâ fecisse videtur epist.17. ad Alexandrum Pontificem, vbi dum quæsisset, qui fieri posset afferri ratio, cur summi Ecclesiæ Principes, Romani Pontifices ad annos Petri in Pontificatu non perueniant, sed cuncti ante quinque lustra diem suum obeant, ita respondet: *Idcirco hoc iudicij cælestis ordo disponit, vt humano generi metum mortis incutiat, & quàm despicienda sit temporalis vitæ gloria in ipso gloriæ Principatu euidenter ostendat, quatenus dum præcipuus hominum tam angusti temporis compendio moritur: tremefactus quisque ad præstolandam sui obitus custodiam prouocetur, & arbor humanæ generis, dum cacumen, ac verticem suum facilè corruisse considerat, statu concussa formidinis in suis vndique ramusculis contremiscat.* Ita ille. Ergo quod à Principum morte erudiuntur subditi, & corruente arboris vertice ramusculi contremiscunt, certior aliis ipsorum interitus est, dum signatè per illum humano generi Deus prodesse studet.

Ad eadem verba,

Quando venies ad me?

Regum animos ab vnâ mortis meditatione ad virtutem, & temporalium rerum contemptum inflecti.

ADNOTATIO II.

Oseæ 10. 1 BENE omnino apud Oseam cap.5. 10. superbum Principum ingenium reprehenditur, dum concessis sibi honoribus, regioque splendore minimè contenti, impositos sibi limites transgredi, & supra mortalem conditionem haberi velle describuntur, dicente Vate: *Facti sunt Principes Iuda quasi assumentes terminum*, siue vt habent LXX. *transferentes*

LXX. ad aliena videlicet & maiora, quàm humana conditio fetar semper anhelantes. Vnde quidem & Leoni ceterarum belluarum non tam Regi, quàm tyranno; & Aquilæ omnium volucrum audacissimæ, notanter comparantur, & quidem meritò: nam Leonem in

Basilius. primis sic describit Basilius Magnus hom.9. in Exameron: *Vnà cum leone animositas, & ad excandescentiam ira propensio illi agnata est, vita solitaria expers societatis ad ea, quæ genus subeunt idem. Velut enim tyrannus quidam animantium rationis expertium pares honores, congressionisq;* A enim ceterù non acceptat, sed aspernatur. Aquilam verò quis nesciat tum adeò regium, atque superbum inter alias aues obtinere fastigium, vt vel ipsius pennæ mixta

Plinius. reliquarum alitum pennas deuorent, vt inquit Plinius lib.10. capit.3. tum etiam in sublimem aëris regionem tantâ temeritate irrumpere, & cum ipsissimet Solis radiis tam audacter pugnare, vt inconniuenti ipsum pupillâ intueatur: quippe hæc Principum conditio est, vt veluti leonino rubore, aut aquilinis pennis instructi adeò superbus & præferoces sibi spiritus sumant, vt supra ceteros mortales sese efferentes, vt nuper vidimus, eximium aliquid, atque diuinum peculiariter sibi ioesse credant, ideoque quod

Prou.30. 30. de leone inquit Sapiens Prouerbior.30.30 *ad nullius* nec ipsiusmet quidem Dei, *paueant occursum*: vti Ægyptius ille barbarus dicebat: *Quis est Dominus vt audiam vocem eius, nescio Dominum, & Israel non dimittam.*

Exod. 5.2. Dan. 3.15. Isa. 14.13. B Exodi 5.2. & Babylonius apud Daniel. 3. 15. *Quis est Deus, qui eripiet vos de manu meâ*, & apud Isaiam 14. 13. alter: *In cælum conscendam, similis ero Altissimo.* Vidisti leoninos, siue aquilinos Regum spiritus, qui nec Deum timeant, nec homines reuereantur. Iam si ipsos vndequaque mutata rerum facie pauentes; tremente sque, oculis, animoque demissis, ceruicibusque inclinatis, *pares* cum ceteris *congressiones* acceptantes videre velis, conice oculos in celebratissimum Ezechielis currum, ibique intueberis leonem illum, cui ob animositatem, atque superbiam iræ propensio agnata est, quique societatis expers pares honores cum aliis aspernatur, nec non tam aquilam, quæ vehementiùs volans inter sidera ponebat nidum suum, frænatâ vtrumque regiâ potentiâ, confractis, siue implicatis alis æquo, ac pari passu cum tardo, atque hu-

C mili boue, siue cum quouis è plebe homine humi incambulare, Ezechiel.1.10. Principes scilicet, & dynastas duros virtutis labores submisso animo suscipere, atque humilem virtutibus operam, non secus ac alios infimos homines, sedulò nauare. Iam si

Vnde hæc monstra tam mansuet quo de fonte requiris

non difficilè cognosces, si obseruaueris quo flante vento ea regia animalia iter faciant. *Et ecce ventus turbinis* (ait Vates ibi vers.4.) *veniebat ab Aquilone.* Sed quid tantæ Regum mutationi, & vento Aquilonari? Sanè quòd is vivam illis mortem ob oculos ponebat, nimirùm in porta Aquilonari, à quâ spirabat ventus, formosissimus ille Adonis in medio iuuentæ flore extinctus à mulieribus plorabatur, sic namque idem Vates cap.8.14. *Et introduxit me per ostium portæ domus Domini quod respiciebat ad Aquilonem, & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* Quasi id regiis ani-

D mantibus ventus ille inspiraret, quod disertissimè

S. Ephræ. expendit sanctus Ephrem homilia in eos, qui in Christo obdormierunt: *Quid enim est homo? nihil. Quid homo? vermis. Quid homo? cinis & puluis. Quid homo? fœnum. Quid homo? vmbra. Ecce iam transiuit. Ecce ascendit. Ecce præterit. Ecce cessauit. Ecce requieuit. Ecce defunctus est. Ecce desiit, & finem accepit magnus ille, & inuictus leo, tyrannus fortis, potens, atque elatus. Qui cunctis formidabilis erat, nunc iacet quauis oue mitior, atque mansuetior. Recessit, abiit, & præterit qui apparebat, qui natus quasi non natus. Qui magnus videbatur super multos, factus est tamquam nullus, qui alios tenebat, detentus est; qui ligabat, iam vinculis constrictus est.* Ad hunc verò flatum, siue ad hanc mortis cogitationem, & de ea factam ratiocinationem & magnos ille leo, & aquila volucrum regina, maximi videlicet, & potentissimi Reges elatas ceruices, & superbos animos diuinæ legis iugo humiles, trementesque subiciunt, & pares cum infimis hominibus congressiones non aspernantur, vt hic omnino vehemens ille spiritus sit, in quo conteruntur *naues Tharsis.*

Psalm.47.

Psalm.47.6. hic ille minutissimus arenæ puluis, ad quem tumentes maris fluctus illiduntur: hæ illæ pedum sordes, ad quarum conspectum superbi, tumidique pauones gemmatā, & cultissimam caudam, quā aduerso Sole explicabant, vt fulgentiùs radiaret, timidi, fugacesque contrahunt, atque implicant, & se mortales cogitantes immortalia cogitant. Hæc ita præstringente Chrysostomo hom. de fide, & lege naturæ tomo 3. *Non vidisti sæpè audaces viros, & superbos, quomodo sæpè consternati, & humiliati sunt in mortibus. Nuntiatur mori, & toto corde contremiscunt, menteq; eorum nihil est abiectius, ita sanè & circa sepulchra philosophamur videntes ossa nuda, & humana, naturam corrosam, & dissolutam, cogitamus statim, & inter nos disputamus dicentes: Ecce quid tandem ex nobis fit, & quò abimus.* Sic Chrysostomus. (Chrysost.)

2 Meritò ambigat non nemo, cur Moysi ad Domini conspectum properanti *calceamenta de pedibus soluere* præscribatur, Exodi tertio, vers. quinto, Abrahæ verò, & filio eius Isaac, montem ad sacrificandum Deo euntibus nihil tale fuerit præscriptum? Sed facilis est responsio, Moysem ex Ægypto, signatè verò ex Pharaonis aulâ venientem mortalitatis sordes, & secularis vitæ puluerem secum deferre, qui necessariò erat excutiendus, vt diuinis obtutibus dignus sisteretur: Abrahamum verò & Isaac, quibus in morte, & mortis meditatione animus, & mens erat, ex suæ mortalitatis cogitatione, mortalitatis vincula excussisse, seseque purissimas Deo victimas præparasse, vt benè expendit Origenes homil. 8. in Genesim inquiens: *Moyses cùm venisset ad locum, quem ostendit ei Deus non permittitur ascendere, sed antè ei dicitur:* Solue calceamenta de pedibus tuis. *Abraham nihil horum dicitur & Isaac, sed ascendunt, nec calceamenta deponunt. In quo illa fortassis est ratio, quod Moyses, quamuis esset magnus, tamen de Aegypto veniebat, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus innixa. Abraham verò & Isaac nihil horum habent, sed veniunt ad locum, ædificant altare. Abraham colligat puerum, & præparat se ad iugulandum.* Vt dicere videatur, qui mortem ob oculos habent, mortalitatis vincula, & secularis vitæ impedimenta nesciunt, nec nisi de altaris ædificatione, & Dei obsequio cogitant, mortis videlicet præsentiā animum pungente, & à noxiis desideriis abstrahente, imò verò ipsam naturam immutante, & supra humanam conditionem euehente. Vel vide nostrum Dauidem vnā ex parte, quàm acri corporis siti, quàm ardenti cupiditatis æstu aquam ex cisternā Bethleem desideranit: *O si quis (inquit) mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleem iuxta portam* 1. Reg. 23. 15. ex aliâ verò quàm sedato, & composito animo aquam à suis militibus summo vitæ discrimine per tot tela, per tot mortes adductam reiecerit, quin illam vel summis labris admouere voluerit: *Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum* (subiicit textus sacer) *& hauserunt aquam de cisterna Bethleem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid, at ille noluit bibere, sed libauit eam Domino.* Quid, sitisne, quæ plus per momenta crescit, nullâ potione adhibitâ sedata iam erat? aut ad aquæ præsentiam cùm videlicet sitiens maiore æstu inardescit, subitò extincta fuit? Ita planè. Quod cum aquâ mortis cogitatio siue etiam imago Regi tunc ad viuum obiecta est, vel cùm vitæ suorum discrimen animaduerteret, vel cùm illos irruentium hostium cædes à se factas, quas milites libentiùs iactant, audiuit. Vnde ipsum sic clamasse videris: *Propitius sit mihi Deus, ne faciam hoc, num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibā?* Sed hæc ab Ambrosio pulchrè expensa accipe in priori Apologia de Dauide capite septimo, vbi cum primùm dixisset

Margin notes: Exod. 3.5. — Origen. — 1. Reg. 23. 15. — Ambros.

P. Velasquez in Psalm. centesimum.

Vicit ergo naturam, vt sitiens non biberet: subiicit postmodum: *eò quod aqua tot virorum quæsita sanguine suauitatem bibendi habere non posset, quæ propositæ mortis horrore constaret.* Preme illa: *Vicit ergo naturam.* Vt noueris, mortis memoriam supra sitim, supra cupiditates, supra naturam ipsam esse, quæ sitim extinguit, cupiditates sedat, dulcibus suauitatem tollit, denique naturam immutat. Quod planè adeò est verum vt de Nerone Imperatore ad cadauer Agrippinæ stante admirabundus scripserit Suetonius in eius vita cap. 34. *siti oborta bibisse*, vt insanam Principis intemperantiam notaret, qui ad viuam mortis imaginem, vel sitire potuerit, vel sitiens potu non abstinuerit, cùm ab illâ, & humanos affectus extingui, & ipsæmet naturales passiones quasi eradicari videantur. (Sueton.)

3 His illud adsimile, & pari admiratione dignum existimabis; Principes maiestati suæ, & consetuandæ, & amplificandæ, regiisque iuribus extendendis adeò anxios, & addictos, ad mortis conspectum nihil de iis curare, & imperium suum imminutum iri penè libenter aspicere. Equidem cùm lucis, & tenebrarum, imperium certā sit lege inter Solem & Lunam, siue inter diem, & noctem alternis vicibus distributum, quin aut Sol siue dies nocti præesse, aut nox in Solem diemve irrumpere possint (sic namque Moyses, Genes. c. 1.14. *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem. Fecitq; Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti*) in Passione Dominica firmissimam hanc legem violaram, & noctem ipsi præsidentem diei, Solemque imperium, & ius suum deserentem omnino vide: dicente Matthæo c. 27. 43. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram*, idque sic expendente Chrysostomo serm. 3. de Passione, tom. 3. *Dies medius tenebrarum tyrannide discluditur, & perdidit cursum fugitiuâ luce fraudatum Sol abscondit radios suos, & orbem globus luminis obscurauit, atque incubatricem noctem dissimulato iure contradictionis admisit. Dies enim non dies est, & nox repentina, nox non est. Importuna tenebra aliena tempora peruaserunt.* Scitè omnia Chrysostom. Sed obserua illud: *Incubatricem noctem dissimulato iure contradictionis admisit:* vt dixerit: Ius suum dies, Solque contempsit, nec hilum de imperio, potestateque curauit, sed inferiorem Principem ditionem suam peruadere neglexit. Sed vnde iam hæc tam insolita iuris dissimulatio aduenit? Sanè à Christi Principis, & veri diei morte conspectâ, sic inibi subiiciente Chrysostomo: *moriente verò die nouum dies sensit occasum:* vt dixerit: Quid fuerit mirandum, à Sole & die suum ius dissimulatum, neglectumque fuisse, qui verum diem morientem conspiciebat? Quæ iuris, aut potestatis cura Principem, quantumcumque imperij sui zelores fuerit, præsente possit morte compungere? (Matt. 27. 45. — Chrysost.)

4 Porrò cum omnibus generaliter hominibus à quibusuis vitiis ægris, non ideò desperatum iri suggesserit Sapiens, si modò aliquid de morte cogitare velint, aiebat quippe: *Non te reputes in numero indisciplinatorum, memento iræ quoniam non tardabit.* Ecclesiastic. 7. 17. vt dixerit, quantumuis grauia fuerint animæ tuæ vulnera, ne illa omnino immedicabilia esse existimes, cùm Dei ope interueniente vna mortis, & iræ diuinæ meditatio, ad bonam frugem te reuocare possit: *Facilè enim contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum:* vt ait Hieronymus in epistola ad Paulinum, hanc signatè medicinam ab ipso mundi exordio Principibus applicatam videris, cùm Adamo mundi Principatu sese efferenti, & amissâ iustitiâ ad malum iam procliui, non contentus Dominus, & mortem & gehenam interminasse, ipsammet externis (Eccl. 7. 17. — Hieron.)

oculis videndam mortem obiecit, non frustra immaturam Abelis ante diem Adami necem permittens, vt ab illâ, filijque cadauere modestiam ipse, & humanarum rerum contemptum perdisceret, atque humanæ conditionis, fragilis, caducæ, & flori marcescenti persimilis admoneretur, sapienter id obseruante Chrysostomo homil. 11. ad populum Antiochenum, vbi cùm de Adamo mortali facto dixisset: *Postquam verò non moderatè felicitatem tulit, sed benefactorem homo contumeliâ affecit, & Deus fieri sperauit, & maiorem propriâ dignitate concepit opinionem, tunc profectò tunc, & per ipsa Deus opera ipsum erudiens corruptibilem, & mortalem reddidit, non perosus, neque auersatus, sed consulens, & improbam pestilentemq; illam ab initio nascentem superbiam prohibens:* Subiicit opportunè: *Et considera mihi Dei prudentiam, non ipsum primùm mori permisit, sed hoc eius filium pati, vt ante oculos tabescens filij corpus intuitus, & marcescens, magnam ex hoc aspectu philosophiæ disciplinam caperet.* Vbi benè quidem diuinæ prudentiæ opus fuisse, ait Chrysostomus, quòd non priùs Adam, quàm Abel obierit, quamuis ad speciem prior parens quàm filius mori debuisset, quia tam forti illâ & efficaci medicinâ obiectæ videlicet ante oculos mortis, non æquè pastor ouium Abel, ac potentissimus ille orbis monarcha indigebat. Vt tabescens & marcescens ante parentis oculos pulcherrimum illud olim filij corpus, quod à rosa quæ inter flores pyropus, hortorum purpura, odorum sapphirus, Aprilis oculus, veris phœnix, naturæ pôpa est, vix differebat, egregius ipsius, necnon Principum omnium Doctor esset, qui vt ad Hebræos 11. 4. ait Paulus, *defunctus adhuc loquitur:* tantùm non dicens id ipsum quod Imperatori Vespasiaoo ingerebat elegantissimè Plinius lib. 7. natur. histor. c. 7. *Tu qui corporis viribus fidis, tu qui fortunæ munera amplexaris, & te ne alumnum quidē existimas, sed partum: tu cuius in victoriâ semper mens est: tu qui te Deum credis aliquo successu tumens, tanti perire potuisti, atque etiam hodie minoris potes quantulo serpentis ictus dente.* En magnam philosophiæ disciplinam viuo parenti à mortuo filio traditam nam (vt ibidem subiicit Plinius:) *Is demum profectò vitam æquâ lance pensitauit, qui semper humanæ fragilitatis memor fuerit.*

Chrysost. *Hebr. 11. 4.* *Plinius.*

5 Quò possis non importunè referre Iurisperitorum axioma, cuius aliò intentus meminit Baldus ad leg. 3. Cod. de manumiss. *Rex mortuus aperit oculos viuentis.* Nimirùm vt viuus morientis oculos sugillat, & claudit, ita mortuus viui oculos excitat, aperitque, vt fragilitatis suæ memor vitam æquâ lance pensitare, mortalia contemnere, & virtuti incumbere studeat. Certè Salomon vbi se mortalem, & à mortali genitum cogitabat inquiens: *Sum quidem, & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est. Nemo enim ex Regibus habuit aliud natiuitatis initium: vnus ergo introitus est omnibus ad vitam & similis exitus.* Sapient. 7. 1. inde id omnino inferebat: *Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me spiritus Sapientiæ, & præposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius: nec comparaui illi lapidem pretiosum, quia omne aurum in comparatione illius arena est exigua.* Vides viui Regis oculos à mortuo apertos? vt videret res, quales re verâ sunt, non vt apparent, atque ea omnia, quibus insana hominum ambitio pretium fecit, nihili pendens, ab illis animum abducat, & ad cælestia transferat. Benè ergo Chrysostomus aiebat, magnam ex mortui filij aspectu philosophiæ disciplinam, quæ infusâ sibi scientiâ potior, & vtilior fuerit, cepisse Adamum, cùm & sapientissimus idem Salomon spiritum Sapientiæ huic mortis meditationi adscribat. Vnde quidē Bernardus Eugenij Pontificis oculos à mortuis prædecessoribus apertos iri studebat, hæc illi scribens epist. 237. *In omnibus operibus tuis memento te esse hominem, & timor eius qui aufert spiritum Principum semper sit ante oculos tuos. Quantorum in breui Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? ipsi te prædecessores tui tuæ certissimæ, & citissimæ decessionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi.* Et statim in eandem sententiam: *Iugi proinde meditatione inter huius præsentis gloriæ blandimenta,* memorare nouissima tua, *quia quibus successisti in sede, ipsos sine dubio sequeris ad mortem.* Hæc Bern.

Baldus. *Sap. 7. 1.* *Bernard.*

6 Ergo ab hac vna mortalitatis & mortis vel iugi meditatione, vel considerantiâ, & obliuione Princeps, aut in indisciplinatorum seu desperatorum numero, aut extra illum reputandus, quippe qui hunc oculus Dei timori, atque [illegible]turi aut apertos, aut omnino clausos habeat. Pro quâ quidem cogitatione apposita sacræ paginæ monumenta non obscurè fidem iubent. Nimirum Lucæ 13. 7. in ficum fructus per triennium non ferentem, hoc est in Principem improbum, & multis vitiis affectum, hæc excisionis à vineæ Domino interminatur sententia: *Succide illam, vt quid etiam terram occupat?* Ad quem planè modum in superbum illum, ac sceleratum Regem Nabuchodonosor cælestis iudicij vox etiam intonuit: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius.* Daniel. 4. 11. & quidem similis iudicij interminationis in persimiles arbores siue Principes factæ, valde fuit absimilis exitus, dum pro ficu sub ictu securis iam positâ sic bonus vineæ colonus intercessit, vt quòd fructus illa non tulerit culpam ipse potiùs, quàm in illam quodammodò coniecerit, ita enim dicebat: *Domine dimitte illam, & hoc anno vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum, sin autem, in futurum succides eam.* Quare nihil ampliùs de illius excidio legimus, imò verò asseruatam illam, & fœcundam redditam fuisse, sic videtur innuere Gregorius Nazianz. in Catenâ S. Thomæ: *Igitur nec nos fodiamus subitò, sed præualeamus misericordiâ, ne secemus ficum potentem adhuc fructum facere, quam forsitan curabit periti custodis studium.* Cùm è contra alteram arborem, quæ Nabuchodonosoris imaginem præferebat, rigidi diuinæ sententiæ executores statim seuerè exciderint, quin vllus omnino hominum pro eâ fuerit deprecatus, aut fideiusserit, quasi nulla quidem curationis, nulla fœcunditatis in posterum spes fuerit. Vnde ibi notanter subiicitur vers. 25. *Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor Regem.* Quod si inquiras, quod fuerit vnius arboris ab alterâ discrimen, siue quale fuerit ficui adhibitum remedium, quo peritus vineæ colonus omnino iuuandam; fœcundamq; reddendam sperauit? inquiens: *vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora.* Facilè, vel ex ipso fossæ nomine cum Beda, vel ex stercoris significatione cū Ambrosio respondebimus, ad mortis memoriam, atque meditationem, hæc dubio procul fore referenda, quasi hæc non secus ac fossa ad radicem arboris facta, vt in eam aqua colligatur, quò plus humoris radices trahant, ac stercus ad illas circumpositum quod fieni, arbori naturâ suâ frigidissimæ, calorem & pinguedinem addit, Principum animum, aut ad cælestes res expetendas frigidum, aut peccatorum frigore torpentem maximè iuuet, vt tam propriæ fragilitatis, quàm diuinæ vltionis admonitus resipiscat, & ad bonam frugem se recipiat. Audi Ambrosium, ad hunc Lucæ locum, hæc sic sapienter diffundentem: *Cophinum quoque stercoris dicit esse mittendum. Magna profectò vis stercoris, quæ tanta est, vt de infœcundis fœcunda, de arentibus virentia, & sterilibus faciat fructuosa. In quo sedit Iob cùm tentaretur, & vinci nequiuit, &*

Luc 13. 7. & 8. *Dan. 4. 11.* *Naziana.* *Dan. 4. 25*

Paulus

Paulus æstimat stercora, vt Christum lucrifaciat. *Denique cùm antè Iob plurima perdidisset, postquam sedit in stercore, non habuit quod ei diabolus posset auferre. Bona ergo terra, quæ foditur, bonum stercus quod mittitur.* Hæc Ambrosius, sed vt nostro instituto clariùs opportuniusq; subsistant, illis, quæ de hoc Iobi sterquilinio habet Gregorius Magnus omnino sunt adnectéda, sic enim ille lib. 3. Moral. cap. 22. *Beatus Iob vt considerationem suæ fragilitatis, etiam ex circumstantibus traheret, & ante oculos suos rem suæ despectionis augeret, non qualibet in terrá, quæ penè munda vbique reperitur, sed in sterquilinio sedisse perhibetur. In sterquilinio ponebat corpus, vt ex terrá assumptâ quæ esset carnis substantia benè proficiens perpenderet animus. In sterquilinio ponebat corpus, vt etiam ex loci fœtore caperet, quòd festinè corpus ad fœtorem rediret.* Sic Gregor. Ergo opportunè dixeris cum Nazianzeno: *Ne secemus ficum potentem adhuc fructum facere.* Id est, ne Principem quãtumuis fuerit à pietate, & probitate alienus, in indisciplinatorum numero ponamus, siue de eius salute desperemus, cùm bonus ille cultor ex cophino stercoris fore fructuosum speret. Amet verò hunc cophinum Princeps, æstimet, & magnificiat stercora, vt Christum lucrifaciat.

Ambros.

Greg. Ma.

7 Iam quod subiicit colonus: *Sin autem, in futurum succides eam*: oraculum sanè est, & perinde dictum videtur, si à mortis memoria, atque meditatione æger à viriis Princeps non cõualescit, nec fructus iustitiæ facit, desperata, occisaque salutis eius res est. Quod planè vel ab altera arbore seuerè, & sine venia excisâ facilè colliges. Quam enim causam fuisse existimas, cur in illam prolata sententia illicò executioni mandata fuerit nullo pro ipsa interueniente, aut deprecante, nisi quod is ille Princeps fuerit qui cũ morte, & mortis memoria bellum perpetuò gesserit; & mortalem se esse abnegauerit, dum ab statuâ, quæ illius typum gerebat, fictiles, & testaceos pedes remouit, atque illam ex auro totam conflauit, quòd nihil eius in igne depereat, & de mortis securi triumphum agere videatur, vt præcedent. adnot. n. 3. iam vidimus. Ab eo ergo Principe, qui sese extra mortis ius ponebat, nec de morte, ac mortalitate aliquid cogitabat, quid boni sperari poterat? Certè vt Constantius ille, cuius præcedẽti adnot. ex Ammiano Marcellino meminimus, ab omni mortalitatis incõmodo sese existimauit immunem, in omne scelus abiecto pudore prorupit, sic namque ibi Marcellinus, *quo ille studio blanditiarum exquisito sublatus, immunemq; se deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter existimans, confestim à iustitia declinauit.* Sed enim desperatorum esse, mortis memoriam abiecisse: ex Iuda desperatorum antesignano planè nouimus. Et de illo quidem quis iure non miretur, & ambigat: quomodo qui in Christi schola tot erat diuinis exemplis institutus, tot egregiis donis & beneficiis affectus, tot cælestibus doctrinis eruditus, tot æternis Domini monitis, & internis inspirationibus stimulatus, aduersùs hæc omnia ad flagitium omnium flagitiosissimum, tam impudenter, tam pertinaciter animum proiicere potuerit? At enimverò ipsemet suo tantùm cognomine cognito, explicatoque respondet. Nimirùm duplex vocabulo *Iscariotes* significatio subest à Paschasio duplici in loco obseruara, altera videlicet *memoria mortis*, altera *suffocata*: primũ namque Paschas. lib. 6. in Matth. ad illa verba c. 10. 4. *Et Iudas Scariothis, qui & tradidit eum*: sic ait. *Porrò Scariothes, memoria mortis sonat.* Deinde ad id cap. 16. 14. *Et tunc abiit vnus de duodecim qui dicitur Iudas Scarioth*, hæc habet: *Legi Scarioth iuxta Hebraicam interpretationem à quodam exsuffocatam vocari debere.* En ergo non modò primam mali labem, sed totam tantæ obdurationis, & obstinationis causam, quod in illo mortis memoria exsuffocata fuerit: vbi enim memoriæ mortis suffocatio est, ibi animæ, non tantùm interitus, sed etiam desperatio adest. Vnde quidem accuratè ab Euangelista adnotatum est, tunc signatè ad proditionem Magistri abiisse, cùm ipse Dominus de sua morte, & sepultura longiùs dissereret, vt suffocatam in illo memoriam mortis excitaret: etenim cùm de Maria Magdalena alabastrum vnguenti super caput Domini effundente ille Iudæ murmuranti dixisset: *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.* Subiicit Matthæus: *Tunc abiit vnus de duodecim qui dicebatur Iudas Iscariothes ad Principes Sacerdotum*, &c. Vt dixerit: En quàm suffocatam infelix ille memoriam mortis haberet; qui nec ad has Domini voces resipuit, vtpote qui ad indisciplinatorum, & desperatorum numerum pertinebat.

Ammian. Marcell.

Paschas.

Matt. 26. 14.

Ad ea verba,

Tibi Domine.

Optimus Princeps quò Deo, & rebus cælestibus se dedat: terrenis hisce ne ita sit addictus, vt de illis tamquam de immortalibus cogitet.

ADNOTATIO III.

1 Nescio quidem quæ potentiæ, & regij culminis labes sit, dum quò plus Deo & cælestibus rebus Principes obsequio & amore inhærere deberent, eò ab illis magis disiuncti totos sese in terrenis, & inferioribus effundunt, quasi illarum contemplationi penitus addicti, Salomone eius rei petito notanter affirmante: *Cælum sursum, & terra deorsum, & cor Regum inscrutabile.* Prou. 25. 3. Quæ Biblia Complutensis sic omnino exulit: *Cælum sursum, & terra deorsum, & non est Regis scrutari supradicta.* Obserua extrema hæc, quibus is sensus fuerit: Reges sic esse addictos iis bonis, quæ sunt inter cælum & terram, vt vix sensum, & cogitationem aut cælo inferant, aut infra terram ad considerandа ea, quæ post mortem eueniunt, abdant, nec aliquid aliud ipsos in pretio habere præter hæc, quæ oculis vident, & suæ dominationi subiecta sunt. Planè quasi terminus scrutationis, siue cogitationis Regum sit *cælum sursum, & terra deorsum*, quin vlteriùs pergant, iis omnino mortalibus, atque caducis mente, animo, sensibus affixi: *sub Sole* quidem laborantes, vt idemmet Salomon tam de se, quàm de aliis Principibus dicebat Eccles. 1. 3. Quod sic pulchrè explicuit Greg. Neocæsar. ibi: *Humi reptantes corporibus, & animis, generoso autem animæ oculo supra sidera ne tantillũ quidem aspicere valentes.* Qui quidem videtur esse aculeus, quo eos pungebat Nazianz. orat. 27. monens: *Proceres, ac sublimibus thronis, & dignitatibus insignes ne ob potentiã magnoperè animos efferatis, nec de mortalibus rebus tamquam de immortalibus cogitetis.* Scitè, dum innuit, sic hisce mortalibus rebus Principum animos addictos; & sua vota defixa esse: ac si illæ immortales essent, atque diuinæ, in quibus vera, & tota felicitas constituta foret: ac proinde hæc scrutari, hæc exquirere, hæc curare, & inter cælum, & terram totum animum, & studia sua habere, quin oculos ad superna extollant, nec cælestia dona, ac virtutes in pretio habeant.

Prou. 25. 3. Biblia Compl.

Eccl. 1. 3. Gregor. Thau.

Nazianz.

2 Et verò illud hac in re signatè fuerit dolendum, hunc tam ardentem, tamque pertinacem terrenarum rerum amorem diuinis, & cælestibus sese vltrò infũdentibus donis aditum, & rimas obstruere. Etenim vt Cyprian. epist. 2. dixerit, quod res ipsa est: *Vt sponte Sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat, ita se spiritus cælestis infundit*: at vt rectè admonet Bern. ser. 6. de Ascensione Domini: *Profectò nec auarus, nec inops est gratia distributor, sed vbi vacua vasa desunt, oleum stare necesse est.* Quod videtur sic etiã expressisse Gẽtilis Seneca

Cyprian.

Bernard.

Seneca

ca epist. 88. *Magna & spatiosa res est sapientia, vacuo illi loco opus est.* Et statim: *Hac tam multa, & tam magna vt habere possint liberum hospitium, superuacua ex animo tollenda sunt. Non dabit se in has angustias virtus, laxum spatium res magna desiderat, expellantur omnia, totum pectus illi vacet.* Pergit opportunè Bernard. serm. 3. in Ascensione Domini: *Impleri autem visitationibus Domini anima non potest, qua his distractionibus subiacet, & quanto magis illis euacuabitur, tanto ampliùs istis implebitur, si multùm, multùm; si parum, parum. Vel certè si magis probas, numquā ista illis misceri potuerunt in aeternum.* Et paulò pòst: *Praeoccupatum nempe secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vera vanis, aeterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis.* Preme illa ex Bernar-

Bernard. do: *Vbi vacua vasa desunt, oleum stare necesse est.* Et haec Senecae: *Vacuo illi loco opus est.* Quae quidem in Principum animos tot secularibus desideriis distractos, tot terrenis curis plenos omnino iaciuntur, vt Deo sese illis infundenti, & insinuanti aditum ipsi patefaciant, ad eum planè modum, quo tum Noster Vates animi, ac corporis sui vasa euacuabat, vt caelesti oleo locum

Ps. 131. 18. Ambros. faceret, ipsomet dicente Psal. 131. 18. *Paraui lucernam Christo meo*: quae Ambros. ser. 14. in Ps. 118. sic exponit: *Corpus suum quod erat antè limosum, & coeno hereditaria colluuionis obstructū, vt oleum spirituale recipere possit, Christo parauit, vt luceat.* Sic videlicet regni occupationibus intentus, vt simul diuinis rebus locum faceret, sic animum, & corpus secularibus cupiditatibus vacuans, vt oleum spirituale, quod sese animis infundere gestit,

Ferrand. patulo corde susciperet. Tum etiam Ferrandus Carthaginensis Rheginum Comitem, & belli Ducem his verbis admonebat in lib. ad Rheginum Regula 5. *Sacerdotum postulationibus liber patescat aditus, frequentetur oratio: lectionis studium quāuis vndique occupationibus inundantibus igne desiderij spiritualis remotā cupiditate ferueścat.* Verùm enimverò occupata Principum pectora vacuum hoc caelestibus donis excipiendis pernecessarium non admittunt, imò verò, quod in rerum naturā vacuum respuente (iuxta Philosophos) euenit, nēpe vt omnia corpora, ne illud detur, sese mutuò adiuuent, & tantā inuicem contentione conspirent, vt potiùs à propriis sedibus euelli, hac de causā libenter velint: id omnino apud ipsos contingere videmus, aliis nimirùm occupationibus alias, his desideriis illa, nouis cupiditatibus veteres inuicem prementibus, illisq; succedentibus, quin animae respirandi spatium, diuinisque donis vacuum locum relinquant, ad instar Pseudo-Vatis illius Balaam, de quo pulchrè Philo lib. *Quod Deus sit immutabilis*: ait, *Nam & hic est terra progenies, non caeleste germen, argumēto certissimo, quod ne animae quidem oculo recluso vidit resistentem sibi Angelum Dei, sed ita se commisit imprudentiae fluctibus inundantibus, vt obrueretur ab eis.*

3 Videris hac de causā quàm aliter se habeat Dominus, siue cùm ad Reges, siue cùm ad alios homines est verba facturus. Nam Prophetas allocuturus sese illis in visione frequentiùs communicare dicitur, vnde

1. Reg. 9. 4 ipsi *videntes* appellantur, Dei scilicet verba adeò integro animo & sensibus excipientes, vt Deum praesentissimū habere, & eius sermonē non tam audire, quā oculis summè & vigilantissimè intentis excipere videantur: toti videlicet ad diuina attenti, prompti, auidi, solliciti, occupati, quin ad alia distrahantur. At verò cùm Regibus innotescere, siue suam illis voluntatem aperire vult, vix aliter quā dormientibus per somniū

Gen. 20. 3. sese manifestat, siue illabitur: vt in Abimelech Gen. 20.

Gen. 41. 1. 3. ad quem *venit Deus per somnium nocte*, & in Pharaone

3. Reg. 3. 5. Gen. 41. 1. & in Salo. 3. Reg. 3. 5. & in Nabuchodonosore, Dan. 4. 2. & aliis frequenter videre est. Sed quā obrem? (inquis) Nū quòd illi totos dies, totas noctes dormire soleant? aut quod somniorum, & vaticiniorū

A percupidi ea libentius auscultent? aut etiam, vt ostendat ipsos caelestium oblitos, per somnium vitam trāsigere? Dixeris (credo) opportunius eā signatè de causā Principibus somno deditis sese Deū ingerere, eosq; tunc alloqui, quod vnū id tempus in quo liberi sui ipsorum arbitri esse non possunt, Deo maneat exceptū, omnibus diei horis in terrenis rebus vigili curā, adeò vndique collocatis, vt vllā vix Deus rimam, quā illabi possit, inueniat. Nāque vt benè Senec. lib. de Breuitate Senec. vitae c. 10. *Secura, & quieta mentis est, in omnes vita sua partes discurrere: occupatorū animi velut sub iugo sunt, flectere se ac respicere non possunt.* Sed haec à Tertull. bellissimè in Nabuchodonosore obseruata accipe, sic enim ille li. de Anima c. 67. *Imbres etiam & soles suos peraequante Deo iustis, & iniustis. Siquidem & Nabuchodonosor diuinitus somniat, & maior penè vis hominū, ex visionibus Deum discūt.* Audis ceteros homines ex visionibus Deum discentes? Reges verò in somniis signatè admonitos? Per-

B git ergo opportunè Tertull. *Vt vel dormientibus obrepat* Tertull. *quà potest: si vigilantibus non potest.* Ita ille. Quod si haec Regum ingenia suis coloribus depicta, simulque ipsissimam rationem, cur caducis, & terrenis rebus velut trabali clauo sint affixi, videre velis, audi Gregorium Naz. in carmine cui titulus: *Praecepta ad virgi-* Nazianz. *nes* pulchrā & eleganti imagine, haec sic elucidantem:

Vt Sol in nitidis, Phabeq; & sidera lymphis
Piscibus irradiant, quamquam non illa, sed vmbras
Vanaq; prospiciunt veri simulachra remoti
Laetanturq; vmbris, & imagine lucis inani
Non etenim ex salsis emersi fluctibus vmquam
Lucida carulei spectarunt sidera cali
Namque aliàs illis esset dignoscere promptum
Quodnam sit verum lumen, quae ludicra lucis.

Nimirum dum *caelum sursum & terra deorsum, & non est Regis scrutari supra dicta*, sic laetantur vmbris, & imagine lucis inani, vt nullum diuinae sapientiae locum

C faciant. Sed ò mirum! Principes vt sanguine, & natalibus clariores, atque ex regio culmine caelestibus proximiores, ita viuaciorem Dei imaginem praeferentes ad infimas, & perituras res sic totos auidos, totos promptos, totos sollicitos, vt illis omnino distenti, & occupati sint, quin ad caelestem originem ne tantillum quidem aspicere valeant.

4 Firmant hanc cogitationem duo Principum somnia aliter quidem, & aliter ab illis excepta, Pharaonis videlicet Genes. 41. 19. & praefati Nabucho- Gen. 41. 19. donosoris Daniel. 2. 1. Quorum alter dum vidit in Dan. 2. 1. somnio septem, & septem vaccas, alias quidem *pulchras nimis, & obesis ceruicibus*, alias *deformes, & macilentas*, necnon *septem spicas plenas, atque pulcherrimas*: & *septem tenues, & vredine percussas*, somnium memoriā tenacissimè retinuit, alter verò cùm in somnio vidit ingentem illam statuam portendentem quatuor imperia mundi, quae à lapide de monte absciſſo, id est, à

D Christo Domino contrita est, *somnium eius fugit ab eo*, quin eius reminisci vlla ratione potuerit. Et verò si inquiras, quid fuerit in causa, quod Pharao acceptas in somnio imagines memoriā fideliter custodierit; Nabuchodonosor autem somniatae statuae statim fuerit oblitus? facilis est ex vtriusque somnij significatione responsio, nimirùm in vaccis illis, & spicis nihil spirituale & caeleste, sed totum terrenum ad prosperitatem, & conseruationem regni pertinens portendebatur: ideò somnium animo firmiter haesit: at in statuā à lapide contritā Christi regnum praefigurabatur, quod vt spirituale, & diuinum est, ita mundi pompis, & terrenis, ac fallacibus bonis aduersatur. Huius autem *veritatis velox obliuio est*, ait ibi Hieronymus. Planè vt immissū Regi de caelestibus rebus somnium iustā similitudine cum semine illo verbi Dei composueris quod *cecidit supra petram, & natum aruit, quia non* Luc. 8. 6. *habebat*

habebat humorem Lucæ 8.6. qui videlicet *non habet in se* A *radicem*, (id est vt habet Lectio Syriaca. *Non agit radicem in ipsum*) *sed est temporalis*. Matth. 13. 21. quippe temporalis animus, & terrenis rebus addictus non habet humorem ad cæleste semen nec per somnium excipiendum, ideò *somnium eius fugit ab eo*: scitè id expendente Ruperto lib. 6. de Victoria verbi Dei c. 12. to. 2. Vbi cùm de Nabuchodonosore dixisset: *Est autē & erat in illo tali somno verbum verum, & consilium Dei profundum. Quomodo ergo anima stulti, & impij, anima discissa, & nullâ saltem diuini numinis religione composita continere posset rem tanti sacramenti, quam viderat?* Subiicit: *Non quisquam illud obiiciat, quod Pharao somniū vidit, & memoria retinuit, quia somnium eius præsagium futura famis nullo modo pertinuit ad somnium Nabuchodonosor, quod præsagium fuit æterni Regni Dei. Igitur quodammodò vidit quidem somnium, sed mente* (inquit) *confusus, ignoro quid viderim*. Hæc Rupertus.

Lect. Syr. Matth. 13. 21.

Rupert.

5 Quòd si rursum inquiras, quæ tandem huius tam præposteræ rei ratio fuerit? facilis sanè responsio à pretio quod hisce mortalibus rebus ipsi faciunt, siue à tenebris, quas ille suo commercio ipsorum oculis offundunt: *de mortalibus* (vt dicebat Nazianz.) *tanquam de immortalibus cogitantes*. Nam hæc externa bona, quæ spiritualibus viris ventus, & *vanitas vanitatum* sunt, apud illos summo in pretio habentur. Sin minus, quale ipsi de temporalibus regnis iudicium vnâ ex parte, quale verò ex aliâ Vates qui Dei spiritu imbuti sunt tulerint, attende. Sic namque in primis Danieli quatuor florentissima mundi regna Dei sapientia cognoscenda proposuit: *Ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se*. Daniel. c. 7. 2. etenim hac ventorum & belluarum imagine quatuor orbis imperia vario ingenio, & diuersis moribus constantia indicari, tam ex antiquis Rupert. lib. 1. in Danielem c. 12. quàm ex recentioribus optimi interpretes Maldon. & Gaspar Sanctius necessariis argumentationibus confirmant. Pro qua explicatione, vt benè aduertit Sanctius, omnino fideiubet Zach. c. 6. 5. vbi cùm eadem quatuor mundi regna sub quatuor quadrigarum similitudine Vati fuissent proposita ipseque ignoraus, quid ille quadrigarum cursus portenderet, ea de re Angelum rogaret, ipse quasi frequenti, & visitata apud Vates locutione respondit: *Isti sunt quatuor venti cæli*, de quorum videlicet arcanâ significatione non dubitabat Zacharias, regna scilicet, & imperia denotare, quia aut sæpè id legerat, aut ab ipso Daniele acceperat. Quod si ambigas, quid venti, qui mare conturbant, & exagitant, quid præferoces belluæ cū imperiis habeant commune? ipse tibi respondebit Regum florentissimus Salomon: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* D *Quid amplius habet homo de vniuerso labore suo quo laborat sub Sole?* Eccles. 1. vers. 2. & 3. aliter Isaias 41. 29. *Ventus & inane simulachra eorum*: vt hac imagine regnorum, & externorum bonorum inanitas, vilitas, inconstantia, & insuauitas signatissimè ostendantur: nam vento quid inanius? quid vilius, & abiectius? quid inconstantius, aut instabilius? quid tandem ipso insuauius turbines, & procellas cientes? Audi non modò patienter, sed etiam libenter, & iucundè longum hac de re magni Gregor. Nazianz. excursum orat. *de vita itineribus*, cui vt nihil addere, ita nihil demere possis: *Multa* (inquit) *ærumnosa vita huius via sunt, nec vllum bonum apud homines est, quod non aliquid vitij admixtum habeat. Atque vtinam non maiorem quoque partem mala sibi vendicarent. Insidia sunt opes, sublimiumq; honorum, & dignitatū fastus mera sunt insomnia, &c. Pulchritudo porrò breuis atque fulgetri similis; iuuentus nihil aliud quàm temporis feruor; canities tristis vitæ occasus; sermones verè alati; gloria,*

Dan. 7. 2.

Rupert.

Maldon. Sanctius.

Zach. 6. 5.

Eccl. 1. 2. Isai. 41. 29.

Naziang.

A *aër; nobilitas, vetus sanguis, robur cùm apris commune; satietas petulans; liberorum copia, cura necessaria mater; orbitas, morbus: forum, vitiorum sibola; quies, imbecillitas; artes abiectorum hominum, angustus alienus panis; agricultura labor: nauigantium maior pars in orco: patria proprium barathrum & extranea regio, probrum. Omnia denique mortalibus laboriosa sunt, omnia humana, meus risus, lanugo, vmbra, ros, flatus, volatus, vapor, insomnium, fluctus, nauis vestigium, aura, puluis, orbis quidam perpetuâ conuersione similia omnia voluens, nunc stabilis, nunc rotans, nunc labilis, nunc fixus. Anni temporibus, diebus, noctibus, laboribus, morte, mœroribus, voluptatibus, morbis, calamitatibus secundisque rerū successibus.* Vides à sapientissimo Theologo regnorum, & sæculariū bonorum vanitatem, vilitatē, inconstantiam, & insuauitatem, siue molestiam adeò B elegantissimè descripta, & viuacissimo penicillo ob oculos posita, vt ea plus explicare, aut elucidare opus non sit? Sed enim non omittam obseruare extrema verba quibus vt obscuriùs, ita elegantiùs mundum insimulauit, quòd *nunc stabilis, nunc rotans, nunc labilis, nunc fixus* esset: nam si dubites, quid mali habeat, cum fixus & stabilis est? aduerte ad ea quæ orbi huic adnectit Gregor. nempe ex vna parte labores, mortes, mœrores, morbos, calamitates, ex alia verò voluptates, & secundos rerum successus. Quare tantùm non dicit, illum vt in voluptatibus, & secundis rerum successibus labilem, & rotantem: ita in laboribus, mœroribus, & calamitatibus fixum, & stabilem esse.

6 En Dei, & hominum qui Dei spiritu, & sapientiâ afflati sunt de mundi regnis, & imperiis iudicium, vt nihil aliud illis quàm ventus, vanitas, lanugo, vmbra, ros, flatus, volatus, vapor, insomnium, fluctus, aura, puluis sint. Quid iam hac de re Princi- C pes, & Reges sentiunt? Aperit quidem id nobis ipsummet Nabuchodonosoris somnium à nobis modò expensum: dum eademmet illa quatuor Imperia, siue monarchias sic sibi videre videbatur expressa in eâ statuâ variis metallis conflatâ. cuius *statua caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porrò venter, & femora ex ære, tibia autem ferrea, pedum quadam pars erat ferrea, pars autem fictilis.* Sanè quasi de industria suam ipse sententiam, & sensum Danielis iudicio opponeret: vt sicut ille in ventis regnorum, & sæcularium rerum inanitatem, vilitatem, instabilitatem, & molestiā significauit, ita ipse in variis hisce metallis, & pretium, & iucunditatem, quæ in auro benè adumbrantur, & constantiam, siue durationem, necnon fortitudinem, quibus exprimendis æs, & ferrum apprimè inseruiunt, omnino excogitauerit. Sic optimè hanc cogitationem aperiente Eusebio Cæsariensi in Catena in Lucam ad cap. 2. n. 3. his verbis: *Regi itaque per modum imaginis somnium apparebat.* D *Propheta verò belluarum sub formis ostendebatur*: vt dixerit: Res splendorem, maiestatem, honores, pompam, atque diuitias, Propheta verò nihil nisi vanitatem, & molestiam in regnis considerabant. Audi quàm aliud sit Regum de mortalibus rebus iudicium, vt quod Daniel inanem, fugacem, vilem, ac molestum ventum censuit, Principes pretiosum, forte, firmum, stabile, & iucundum existiment, illo nimirùm Dei oculis, sensu, atque spiritu iudicium ferente (nam Daniel Hebræâ linguâ *iudicium Dei* sonat) & quod suis etiam oculis intuebatur, ac proinde quod res ipsa erat, & quem exitum erat habitura anounciante, Rege verò sententiam ex spectris, quæ somnianti obiiciebantur, de quibus opportunè dixeris:

——— *Velut ægri somnia vana*
Finguntur species, vt nec pes nec caput vni
Reddatur forma ———

proferente. Ecce ergo tibi rationem, cur Principes humi reptantes corporibus, & animis generoso ani-

Dan. 2. 31.

Euseb.

mæ oculo ſupra ſidera, ne tantillum quidem aſpicere valeant. *Nazianz.* Nimirùm vt præfato loco Nazianzenus egregiè penſitauit, diuino quidem conſilio, hæc omnia terrena, breuia, fugacia, vilia, & moleſta ſunt, ne animis ipſa noſtris inhæreant, imò eorum paruitate, & vilitate cognita, illis omnino neglectis, cæleſtia vera & manſura apperamus. Sic enim ille: *Nec enim ſine magna ſapientia hæc à te Chriſto, conſtitutum eſt, vt res omnes huius vitæ incerta, atque inſtabiles ſint, nempe vt rerum firmarum ſtabiliumq́, amore, ac deſiderio inardeſcamus.* Vnde de ipſo huic conſiderationi innitente ſubiicit: *Omnia enimverò tam priſca quàm recentia animi penitus perluſtraui, nec tamen quidquam hominibus imbecillius vſquam inueni, vnum hoc hominibus bonum, ac firmum eſt, nimirùm ſublatâ cruce, hinc pedem efferre, lachrymas etiam fundere, atque ingemiſcere, mentem diuinarum rerum ſtudio mancipare, cæleſtium bonorum ſpem pectore fouere.* At enim eùm Principes, nec incerta, nec inſtabilia hæc iudicent, ſed firma & immortalia, nec pedem terrâ efferre, nec cæleſtium amore inardeſcere curant.

7 Sed ego quidem vel hac ratione Regibus de mortalibus rebus tanquam de immortalibus cogitātibus vehementer indignor, quod nullis omnino hominibus hæc mortalium rerum incertitudo, & mors, necnon inſuauitas, & moleſtia æquè ac ipſis certa, & nota eſſe debeat, cùm & ipſi eas cominus videant, in iiſque plus ſeſe exerceant: & ea quidem ſit illarum conditio, vt (quemadmodum de mendacio dixit Seneca, *tenue eſt mendacium, perlucet, ſi diligenter inſpexeris*) *Seneca.* quo plus tanguntur, atque tractantur, plus ſuam inanitatem, & inſtabilitatē prodant, vt in Salomone manifeſtè liquet, cui ideò inter omnes mortales rerum omnium vanitas magis perſpecta, & velut de facie nota fuit, quod Regum potentiſſimus, & florentiſſimus plus quàm omnes delicijs, & omni rerum copiâ abundauerit. C Vnde tum ſignatè ipſe tam emphatica, & ſignificante locutione, *vanitatem vanitatum*, hæc omnia dixit, tum etiam in horum commemoratione longiùs ſic immoratus: *Ecclef. 2. 21.* *Coaceruaui mihi argentum & aurum, & ſubſtantias Regum, ac prouinciarum; feci mihi cantores, & cantatrices, & delitias filiorum hominum. Et ſupergreſſus ſum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ieruſalem. Et omnia quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis.* Subiicit: *Cumq; conuertiſſem ad vniuerſa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus fruſtra ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi*: vt claris iam luminibus, quæ cœcus antè amor obſcurauerat, dixerit, tantùm mihi vanitatis, afflictionis, atque moleſtię acceſſit. Ad quem etiam modum maximus ille mundi Imperator M. Aurelius, apud M. Antoninum Philoſophum illius generum lib. 4. dicebat: *M. Anton.* *Quæ ſum expertus liberè proferam, licet tum mei nominis nota, ſed olim* D *forſitan futuro ſæculo profutura. Per omnia me vitia exercui periculumque feci, poſſétne ſeipſam exſaturare humana malitia. Deprehendi, quo plus cibi ſumo, famem acriorem, quo bibo magis, ardentiorem ſitim; quò ſum in ſomno indulgentior, maiorem ſomni cupiditatem; quò plura mihi ſunt, adhuc bis plura concupiſcere; quò quæro diligentiùs, minus inuenire: nihil demum vnquam obtinuiſſe, quod appetitum ſedaret, at non aliud habendi potius, libidinem prouocaret.* Quod equidem vel inuito, & renuenti Nabuchodonoſori, & in eo cæteris Principibus ipſamet ſomniata illis ſtatua cum tota regnorum ſuorum magnitudine, & fortuna oſtendit. Quid enim aliud pretioſis illius metallis pars fictilis adiuncta portendat? Nonne florentiſſimam quamcumque fortunam neceſſariâ ratione altero, imò vtroque pede claudicare, nec firmiter pedē figere valere? nonne aurum, argentum, & pretioſiſſima quæque in puluerem, & fauillam tādem deſinere? Nec aliud quidem innuit quadrigarum imago, quâ eadem, quatuor mundi imperia in præfato Za-

A chariæ loco ſignificantur: nam noſtro Vate teſte Pſal. 32. 17. *fallax equus ad ſalutem.* *Pſal. 32. 17.* Vnde pulchrè Ambroſ. ſerm. 5. in Pſalm. 118. ait: *Ambroſ.* *Equos currentes aſpicis, vanitas eſt, quia vanè currunt qui aſcendentem ſaluare non poſſunt. Denique recurſus ipſe te doceat, quia vanè currunt, qui non directum conſtituunt iter, obliuiſcentes ſuperiora, & ea quæ anteriora ſunt appetentes. Ante nos eſt Chriſtus, ante nos brauium eius ad quod peruenit, qui non in incertum currit, nec reuocauit curſum ſuum, ſed incitauit.* Opportunè *recurſus te doceat*: quid enim aliud ſæcularis vita quàm curſus, & recurſus fuerit, vt *cùm multum laboraueris, itidem vt antea ſit*, vt eſt in Prouerbio. Currunt quidem Principes, vt verum gaudium, veros honores habeant, ſed fruſtrà ſæpiùs currunt, vnde ſtatim recurrunt, & ab incepto deſiſtunt: nam vt alia monet parœmia, *melius eſt recurrere, quàm malè currere.* Cur ergo (malum) adeò inaniter decipi Principes gaudent, ſiue ſtudent, B nec ſaltem malo accepto ſe aliquo modo illuminari patiuntur, vt externarum rerum vanitatem agnoſcāt, atque inde cæleſtium amore inardeſcant?

8 Sanè quòd Principes ſe ſuamque fortunam extra communem hominum conditionem ponant, quin mortalitatis, & vanitatis caſibus ſubiecta ſit non modò quod:

——— *Tu gallinæ ſis filius albæ*
Nos viles pulli nati infelicibus ouis.

Sed quod omnino ſperent ſuâ ipſius maieſtate, atque potentia quidquid in rerum natura infirmum, ſiue inſtabile, aut moleſtum eſt, fore emendaturos, & quæcumque ſeſe oppoſuerint incommoda, aut difficultates ſuperaturos. Quocirca attende, quam ſibi ſtatuam Nabuchodonoſor in regni, & fortunæ ſuæ monumentū erigere decreuerit. Dan. 3. 1. *Dan. 3. 1.* *Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam auream altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex.* C Et verò cùm tam Hieronymus & Theodor. quàm reliqui PP. & interpretes eò incumbant, *Hieron. Theodor.* vt velint, & ſibi ipſi illum Regem hanc ſtatuam conſectaſſe, & in eius fabricatione ad illam ſtatuam, quam per ſomnium viderat, alluſiſſe, obſeruatione dignum eſt, quàm alium modò artificem in huius ſtatuæ excitatione à ſe ipſo ſomniante exhibuerit: dum in ea nihil fictile, aut alterius metalli admiſcuit, ſed totam à capite ad ſummos vſque pedum digitos ex auro conflauit. Quod ſi ambigas, cur qui priorem illam ſtatuam pro idea ad hanc efformandam habuit, ab illius materia diſceſſerit? Ad manum eſt reſponſio, vt quidquid in priori ſtatuâ infirmum, & inſtabile viderat: fictiles videlicet digitos, quibus exiguus lapis, quem aura tenuis excuſſit è monte leuiter illiſus totam illam vaſtam, atque proceram molem momento temporis deiecit, ac perdidit: omnino D ipſe auferret, ſiue corrigeret. Obſeruauit plura ex ijs ad id loci P. Gaſpar Sanctius ad hunc modum: *Sanctius.* *Aliorum aſſentationibus, quibus ſe Principes nimium credulos præbent, qui diuinum aliquid ſe videre dicebant in regiis moribus, at vultu adductus fatuus, ac barbarus Princeps ſtatuam appoſuit ſtatuæ: id eſt, ſua conſilia diuinis, quâ aut delere voluit, aut illudere, quod in altera ſtatua prius horruerat.* Et poſt nonnulla: *Fecit autem auream, quia pars alterius aurea Babylonici imperij ſignum erat. Vt verò oſtenderet Imperium illud fore perpetuum, neque peregrini capitis coronâ interrumpendum, nihil admiſcuit peregrini metalli, totam ad pedes, ſummoſque digitos conflauit ex auro.* Hæc ille. En omnino regium ingenium ſuperbamque plurium Principum mentem, qui ſic ſe totos aureos cogitant, vt nihil terreni luti admixtum ſibi eſſe credant, qui videlicet nihil in ſuis imperiis fluxum, inconſtans, aut moleſtum fore exiſtimant, quod potentiæ ſuæ vi, auroque corrigendum, ſuperandumque non ſperent. Vnde dum auream ſibi valetudinem, auream vitam, auream potentiam, aureas voluptates, auream domina-

dominationem, omnia videlicet pretiosa, iucunda, & perpetuò duratura (nam in auro id omne censetur) sibi pollicentur, oculos suos sic statuunt declinare in terram, vt generoso animæ oculo, supra sidera ne tantillum quidem aspicere velint.

Ad eadem verba,

Tibi Domine.

Optimus Princeps Deo, & cælestibus addictus, ipsum in corde, & in oculis fert.

ADNOTATIO IV.

1 ALIA quidem Dauidi, vt optimo Principi mens, alius animus erat, ac iis Principibus, *quibus cælũ sursum, terra deorsum*, ipsorum verò animus supra hæc nihil *scrutatur*, sed fixis sibi cogitandi terminis cælo sursum, & terra deorsum, totas suas cogitationes, & curas in iis, quæ inter cælum, & terram sunt, collocãt: nimirùm ipse sic vni Domino addictus erat, atque deuotus, eique *misericordiam iudiciumque* cantabat, & in ipsius honorem cuncta referebat, vt appositâ locutione Deo diceret: *Quid enim mihi est in cælo? aut à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Psalmo 72.25. Sic enim primum hæc capit Augustinus, quasi pœnitentis animi sint, sibi ipsi vehementer displicentis, quòd ad cælestia vocatus, terrena desiderauit, iisque sese immiscuerit, vt dolens, & admirabundus dixerit: *Quid est illud quod habeo in cælo? Quantum est? quale est? quid est? Et cum non transit, quod habeo in cælo, à te quid volui super terram? Seruas mihi tu in cælo diuitias immortales, te ipsum, & ego volui à te in terra quod habent & impij, quod habent & mali, quod habent & facinorosi, pecuniam, aurum, & argentum, gemmas, familias, quod habent & scelerati multi, quod habent multæ fœminæ turpes, multi viri turpes. Hæc pro magno desideraui à Deo meo super terram, cùm seruet se mihi in cælo Deus meus.* Adstipulatur Lectio Hieronymi pro illis vocibus, *pars mea*, &c. reponentis *robur cordis mei*, vt emphaticè dixerit tota animi sui fortitudine in Deum rapi quin illi robur aliquod, aut vires ad humana & terrena appetenda superesset, ad eum modum, quo Psam. 41. 2. cùm dixisset: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.* Subiecit: *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum.* Vbi signatè Deum *fortem* appellauit, quod summum robur, & fortitudo æquè ad excitandam, atque ad explendam suorum sitim ipse subsit, vnde totum etiam cordis sui robur ad se raperet. Quod cerui imago bellè exprimit, vt ex Gregor. Nysseno tractatu 1. in Psalmos copiosiùs ostendimus in epistola ad Philippens. cap. 1. vers. 3. num. 4. & verò huic sensui ille, vt omnino consonans adnectendus est, quem eiusdem Vatis verbis Psalm. 118. 37. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem*, elegantissimè adhibet Hilarius, vt Dauidem terrena omnino contemnentem, solaque diuina in pretio habentem hunc in modum faciat: *Orat autem auerti & animi, & corporis oculos, eos scilicet, qui in theatralibus ludis captiui incubant, eos qui in Circensium certaminibus feruunt, eos, qui vestium pretia mirantur, eos, quos auri splendor & gemmarum varietas occupat. Nisi fortè non magis equorum cursu astrorum cursus est gratior, & obscœnis illis spectaculorum turpium fabulis non amœniùs diuina illa humanæ spei eloquia cantarent. Nisi fortè huic terrenorum metallorũ vsui non magis æternitatis reposita diuina honor, & gloria præferetur, & blandior mihi erit auri species, quàm hominis, & terræ, & lucis, & cæli?* Hæc Augustinus, & Hilarius dignã Principe mentem delineantes: quid enim qui summus est nisi summa? quid qui supra omnes est nisi cælestia & diuina? quid qui supremo inhæret culmini nisi ea bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderũt, expetat? Quid is qui Dei imago, & simulachrum est, nisi ipsummet Deum amet, atque suspiret? Vnde sic deinde explicat ea verba opportunè Agellius: *Quia neque in cælo neque in terra quidquam sit, quod sibi cupiendum, colendumque putarit:* notanter *sibi cupiendum, colendumque*, suam videlicet maiestatem æstimanti, vt dixerit, obtendant alij suis cupiditatibus velaméta, quòd ab illis augeantur, ornentur, mihi quidem regio in culmine constituto nulla terrenis cupiditatibus ansa, nullum velamen relinquitur. Nec enim *aquila capit muscas*: sed magnum magna, Regem diuina decent.

Ps. 72. 25.

August.

Hilarius.

Agellius.

2 Ita quidem alibi ipsemet signatè dicebat: *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Psalm. 26. 10. obserua singula, & illud quidem *tibi* benè hunc in modum penditur à Lorino: *Obserua cum dicitur simpliciter* tibi *absque vllo epitheto indicare flammam amoris, qui non sinat in his cogitationem hærere, sed impetu rapiat ad amatum.* Quod mirè firmant, quæ sequuntur: *Exquisiuit te facies mea:* illud enim his verbis inter Principem, & cæteros homines constituitur discrimen, quod vt his solemne est, faciem Regum quærere, tum vt iis omnino perplaceant, & ab illis honores & bona temporalia obtineant, tum etiam vt ad ipsorum mores se componant, egregium facinus arbitrati, si exempla eorum, quos summus censent imitentur dicente Salomone: *Multi requirunt faciem Principis* Prou. 29. 26. ita Principem non nisi faciem Dei expetere, vt & ipsius mores, atque virtutes imitetur, & quod est omnium optimum, & pretiosissimum diligat, omnino deceat. Quod sic ibi videtur dixisse Augustinus: *Quæsiui non à te aliquid, extra te præmium, sed vultum tuum. Hanc inquisitionis perseueranter instabo, non enim vile aliquid, sed vultum tuum Domine requiram, quia pretiosius aliquid non inuenio:* vt dixerit, eam esse Principis conditionem, & munus, vt non nisi quod pretiosius est, & excogitari potest, ac proinde non nisi Deum exquirat. Benè verò hæc Dauidis facies faciem Domini exquirit, quia Dei facies non aliam quàm hanc Dauidis faciem ad Regnum quærit, & diligit: vel audi quid ipse Samueli ea de re dixerit: *Prouidi (inquit) in filiis Isai mihi Regem.* 1. Regum 16. 1. Sed quem? Num Eliab primogenitum, virum eleganti, atque procero corpore cuius facies imperio erat non indigna? Minimè: sic enim Dominus ad Samuelem: *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico.* Quæ sic diffundit Iosephus lib. 6. Antiquitat. cap. 9. *Ego regiam dignitatem non constituo in præstantia, & elegantia corporum, sed in animi virtute, atque quæro: qui perfectè sit illustris in pietate, iustitia, fortitudine, & in obedientia diuinis mandatis præstanda, in quibus constituta est animæ pulchritudo.* Ergo ab hac pulchritudine facies Dauid regia maiestate digna visa est, quippe quæ faciem Domini tantùm exquirebat.

Ps. 26. 10.

Lorin.

Prouer. 29. 26.

August.

1. Reg. 16. 1.

Ioseph.

3 Sed & id in Dauidis filiis omnino etiam obserua: dum Absalom quamuis natu maior, & cui tantus erat à natura decor, ingensque species, vt nihil in toto illius corpore esset, quod intuentium oculis miruum in modum non placeret (ita enim de illo Sacer Scriptor 2. Regum 14. 25. *Porrò sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israel. A vestigio pedum, vsque ad verticem non erat in eo vlla macula*) à regia dignitate, quam mille modis affectauit, depulsus est. Salomon verò natu minimus non modò ex omnibus fratribus Rex constitutus est, sed Regum omnium florentissimus Regumque parens extitit. Nimirùm Absalom omnia vota, & cogitationes suas *pondere publico*, mundi scilicet

2. Reg 14. 25.

cet trutinâ ponderabat, se totum terrenis cupiditatibus, & sæcularibus bonis deuouens referente Scripturâ: *Et quando tondebat capillum, semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries. Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* Ideò à Deo animæ pulchritudinem spectante, quæ in obedientia diuinis mandatis præstanda constituta est, regno minimè idoneus iudicatus est, quod pulchrum illud caput cerebrum siue virtutem non habetet: id ita expendente S. Paulino epistola 4. ad Seuerum: *Neque Absalon quamuis decoro, & corpore superbus & capite poterat dicere quod Samson dixit. Si tonsus fuero, recedet à me virtus mea: quia non habebat illam in pulcherrimo licet crine virtutem, quia non corporalium capillorum, sed gratia spiritalis erat, quam impius habere non poterat. Virtus enim & sapientia Dei Christus est, qui in parricidalem animâ non adibat, quia non habitabat in corpore subdito peccatis.* Et statim in eamdē sententiam: *Quo apertius exprimi potest pro operibus numerari capillos, cum in impij capite non aliquam virtutem, sed tantum sarcinas capillorum scriptura signarit?* Ergo vt hominum pulcherrimus, vt omnium callidissimus, vt tanta fuerit affabilitate præditus, quanta ad subditorum animos sibi demerendos, imò verò fucandos opus erat, regnum tamen Deo iudice obtinere non valuit, quia Dei virtutem, & sapientiam non curabat, sed pondere publico cogitationes, & curas expendebat, terrenis potiùs artibus, & politicis rationibus, quàm Deo, & virtute innixus.

S. Paulin.

4 Contrà verò Salomon omnes capitis capillos siue cogitationes, & curas in vna Dei sapientia, & amicitia collocauit. Etenim cùm Deus in eum maximè pronus optionem illi dederit, cùm primùm regnū accepit, vt quod ipsi magis esset in votis ab eo peteret, ille rerum omnium terrenarum omnino immemor Dei virtutem, atque sapientiam, qua se, suæque fidei creditum populum rectè ac sanctè moderaretur à Domino petiit his verbis: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare posit, & discernere inter bonum & malum.* 3. Regum 3. 9. Quæ quidem ipse in libro Sapientiæ venustissima Sponsæ à se ardenter amatæ imagine elucidauit: sic enim primùm capite 7. versu 7. *Optaui & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me Spiritus Sapientiæ, & præposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam.* Reddit rationem: *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Vnde postmodum c. 8. 17. *Hæc cogitans apud me & commemorans in corde meo, quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ, & in amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuum illius honestas sine defectione, circuibam quærens, vt assumerem illam mihi.* Vbi vides quanto in pretio Dei sapientia, & virtus à Rege sapientissimo habeteretur, quamque externis bonis, quibus hominū opinio, aut libido pretium fecit, anteferret, quando ipsam indefessio studio circuibat, vt sibi in charissimam sponsam assumeret. Sed omnino obserua tum rationem, cui innixus in Sapientiæ partes trāsibat Salomon, tum modum quo ipsam colere, & retinere curabat. Vtrumque enim ionuitur illis verbis quibus hunc thesaurum sic commendat: *participes facti sunt amicitiæ Dei.* Nimirum Græcum verbum ἐσύστησαν, pro quo Noster posuit *participem fieri* propriè significat, *contrahere, reprimere, compescere:* eo quippe Homerus Iliade 5. & Aristoteles in Mechanicis dixerunt, *contrahere*, seu *legere vela:* ipsoque vius est Philo lib. 1. & 3. de vita Moysis, vt significaret quemadmodū equites currentium equorum impetum adstrictis frænis inhibeant, atque coërceant, similiter, & apud Medicos, vti apud Alexandrum Aphrodisium hoc verbo dici solet, *reprimere, compescere, sistere*, quod nimis impetuosè fluit. Vnde omnino legeris, *ad Deum contraxerunt*, siue *repressērunt amicitiam*, à quo non longè it lectio Bibliæ Regiæ quæ habet: *ad Deum sepsuerunt amicitiam.* Vt velit Salomon eam inesse diuinæ sapientiæ vim, vt hominis animum, sic vni Deo despondeat, & aptet, vt florenti, ferentique fortunæ vela contrahat, & tam cupiditatum impetum cohibeat, & reprimat; quàm illicientium bonorum aculeum obtundat, contracta, & seposita amicitia ad Deum: eo planè sensu, quo cælestis sponsus ab sponsæ crinibus in vnū collectis, hoc est à cogitationibus, & curis à seculi rebus in vnum Deum translatis se captum iri sic dicebat: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum* (siue vt legit Ambros. serm. 16. in Psalmo 118. *cor meum cepisti*) *in vno oculorum tuorum, & in vno crine collis tui.* Cantic. 4. 9. vti ad hæc verba sic inquit Venerab. Gillebert. *Non dicit in oculis, & crinibus quasi in pluribus, sed quasi in vno, si plures habet oculos, omnes alios claude, vt hoc vno vtaris, quo solo dilectum intueri solet, & quo solo vales.*

3. Reg. 3. 9.

Sap. 7. v. 7.

Græc. Lect.

Homer. Arist. Philo.

Lect. Græc. Bibl. Reg.

Cant. 4. 9. Ambros. Gillebert. Basilius. Chrysost.

5 Quod si nimis seuerum Principi florenti fortuna vtenti, & qui omnia potest, id monitum videatur, ut omnino is audiat Basilium ad præfata Sapientiæ verba, sic accommodatissimè loquentem hom. 8. in diuites auaros: *Ne cuncta voluptati tribuas, nonnihil animæ tua reserua. Duasque tibi puta esse filias, mundana conuersationis prosperitatem & vitam cælestem. Si vtrique cuncta dare nolueris, diuide saltem ex æquo, intemperanti filia, & modesta: ac videlicet præsentem vitam, ita opibus, ac delicijs affluentem reddas, vt alteram inopem, ac laceram operiam vestibus relinquas:* Pergit opportunè, præfatam Sponsæ imaginem impēns, atque vrgens: *Vt si te oporteat in conspectum Dei nostri, ac iudicis Iesu Christi sponsa formam, & vitam secundùm virtutem habentem venire, noli sponsam inornatam sponso offerre: ne conspiciens ille, vultum auertat, despiciat, complexum neget, sed eam decenti veste ornatam nuptiarum tempori seruabis, vt vnà cum ceteris prudentibus virginibus habitatis perpetuum ignem, ac lampada oleo continuo refectam habens in thalamum recipiatur.* Hæc luculenter Basilius. Sed iis illa adiunge ex Chrysostomo hom. 12. ad Roman. *Quis tandem consulsi, mise, & vsque infelici fidere natam esse queat, vt nec studij quidem tantundem Christi, quàm peccati, ac diaboli seruituti impendat.*

6 Vides vt Salomon aliter quidem ac frater eius Absalon fluentem cupiditatum impetum, velut sparsam crinium cæsariem illigans omnino represserit, atque ad vnum Deum amicitiam contraxerit? Ea igitur ratione regio solio dignum sese exhibuit: nam vt ipse Sapientiæ pulchritudine captus *circuibat quærens, vt assumeret eam sibi*, ita ipsa corde captā sese affirmabat, *in vno crine colli* ipsius, vt ipsamet supersus, apud Iosephum dicebat: *Ego regiam dignitatem non constituo in præstantia, & elegantia corporum, sed in animi virtute & in obedientia diuinis mandatis, in quibus constituta est anima pulchritudo.* Vnde indidem Gillebertus ea verba, vulnerasti cor meum, &c. sic cursum premit: *Aspectum aspectum prouocat, ideò tuo illum tenta vulnerare prospectu. Oculi tui semper ad Dominum, vt amor in tui nutibus capiatur, illaqueetur crinculo.* Sed enim ipsum captum, iam & illaqueatum audi: sic enim præfato cap. 3. lib. 3. v. 10. *Placuit ergo sermo coram Domino, quòd Salomon postulasset huiuscemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium. Ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retrò diebus.* Vbi omnino obserua ob hoc sapientiæ studio, & cælestiū rerum amore regni coronam, & sceptrum, optimam, in-

Ioseph.

Gillebert.

3. Reg. 3. 10.

inquam, regiæ dignitatis administrationem, atque felicem gubernationem aduenire. Vnde indidem ipsemet Salomon subiicit: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa & innumerabilis honestas per manus illius.* Sapien, 7.11. siue (vt Græcè est) *in manibus illius*, omnino affirmans sapientiæ & virtutis manibus florentissimam felicitatem se fuisse complexum. Quod sic diffudit Scriptor Sacer 3. Regum 4. 21. *Salomon autem erat in ditione habens omnia regna à flumine terræ Philisthiim, vsque ad terminum Aegypti offerentium sibi munera, & seruientium ei cunctis diebus vitæ eius.* Vbi in omnibus antiquis Codicibus notanter habetur: *omnia regna secum*: id est in manibus suis, ad suum arbitratum, & nutum, tamquam animorum etiam, siue voluntatum subditorum dominus: Hispanè significanter diceremus, *tenia el Reyno en su mano, tenia a todos en el puño, tenia ganados los coraçones, y las voluntades.* Quod videntur etiam expressisse LXX. qui reponunt: *Erat Princeps in omnibus regnis*: siue vt habet Lectio Complut. *Erat dominans in omnibus regnis*, quod perinde est ac si diceretur: *era dueño de los suyos, era de veras Principe, y Rey de sus Reynos*: quibus sanè locutionibus omnino innuitur, eos Reges qui à virtute regnum non habent, corporum potiùs, quàm voluntatum dominos esse, quibus subditi, inuiti, & reluctātes obsequantur. Vnde accurato ibi verbo dicitur *offerentium sibi munera*, tanquam Regi sapientissimo sponte, & ex animo donantium, non verò tanquam debitum iure regio soluentium (nam regiorum vectigalium solutionē non offerendi, sed afferendi, verbo sic expressit Scriptor 3. Reg. 10. 14. *Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos sexcentorum sexaginta sex talentorum auri*) vt Rex sapientiæ, & virtutis studiosus, tam subditos, quàm cuncta ipsorum bona in manibus habere videatur.

Sap. 7. 11. — 3. Reg. 4. 21. — LXX. — 3. Reg. 10. 14.

7 Iam hæc omnia ipsemet Dauid, qui cùm tot haberet filios natu maiores, Salomonem tamen Regem designauit, mirè confirmat Psalmo 5. cui hunc titulum præfigens, *in finem*, siue *ad victoriam pro ea, quæ hæreditatem consequitur*, vel vt Chrysostomus legit, *pro hærede*, Absalonem, vt plerique interpretes volunt, ab hæreditate eiectum eiusque consiliariū Achitophel, aliosque illius fautores, sic notauit vers. 11. *Decidant à cogitationibus suis, secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos.* Ad quæ verba Hieronymus sic ait: *Propterea expelle eos. Vnde? Ab hæreditate*: vis videre ab hæreditate depulsum quòd in capite non virtutem, sed sarcinam capillorum habuerit? Audi: *Accidit autem, vt occurreret Absalom seruis Dauid, sedens mulo: cumq; ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnā, adhæsit caput eius quercui: & illo suspenso inter cælum & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit.* 2. Regum 18. 9. Quæ verba sic elucidat Venerabilis Drogo de Sacramento Dominicæ Passionis: *Qui autem sibi comam nutriunt, cæcitatis, & grauitatis sibi damnationē acquirunt. Propterea lucis huius beata visionem perdidit Absalom, quia grauabat eum cæsaries, & non nisi semel in anno tondebatur: & crines suos ponderabat ducentis siclis pondere publico. Vnde in eodem crine suspensus ad arborem interiit.* Et post nonnulla idem argumentum vrgens subiicit: *Pendet adhuc Absalom per comam capitis sui, & mulus, cui sederat pertransiit: quia mundus transit, & concupiscentia eius*: Vt dixerit, meritò hæreditatem, & regnum is perdidit, qui virtutis immemor in amore terrestrium bonorum totus erat: non enim capiti sarcinā sæcularium curarū grauato regia corona opportunè insideret. Sed obserua ea sacri textus verba: *illoque suspenso inter cælum, & terram*: vt videris quomodo ille, qui iis, quæ sunt inter cælum, & terram, totum animum addixerat, ab illis & coronam amiserit, & suspensus perierit, quin voti compos euaserit. Pergit verò Dauid, & quā ratione

Psalm. 5. — Chrysost. — 2. Reg. 18. 9. — Drogo.

A motus regiam Salomoni hæreditatem Dei nomine designarit, sic causam, & carmen concludens omnino declarat v. 15. *Domine vt scuto bonæ voluntatis coronasti nos*: pro quibus ex Hebræo Hieronym. & plures, necnon Paraphrasis Chaldaica reponunt: *vt scuto bonā voluntate coronabis eum*: vt à bona voluntate, quā Deo inspirante virtutem terrenis bonis prætulit, coronā regni scuto adsimilem, quæ stabilis firma, & perpetuò duratura sit, tanquam quæ Deo, diuinisque promissionibus innitatur, acceperit: Absalone, & Principibus illis similibus conclamantibus: *Cecidit corona capitis nostri, væ nobis quia peccauimus.* Thren. 5. 16. sic hæc verba accipiente Paschasio lib. 5. in Threnos: etenim cùm priùs dixisset: *Humiliationem, atque deiectionem à regno designat, quando honor Regis, & gloria deperit*: postmodum subiicit: *corona capitis nostri tunc perit, cùm bona voluntas amittitur: de qua sanè Propheta gratulabundus ca-* B *nit*: Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos Domine. Ita ille.

Hieronym. Para. Chal. — Thren. 5. 16. — Paschas.

8 Ergo à bona voluntate corona, & optima Regis, Regnique gubernatio: quòd vt is, qui solùm ea quæ inter cælum, & terram sunt, sectatur, decidit à cogitationibus suis, ita qui cælum mente scandit, in virtute & regiam coronam, & inexpugnabile scutum circumfert: sed de hoc alibi: modò nostrum Vatem ab hac aliquando doctrina aberrantem, qui malo accepto, & ad bonam frugem sese receperit, & Principibus viam commonstrauerit, videre erit operæpretium: ipsi etenim eam malus dæmon mentem iniecit, vt populum numeratum in censum redigeret: sic nāque 2. Reg. 24. 2. *Dixitq; Rex ad Ioab Principem exercitus sui: Perambula omnes tribus Israel à Dan vsque Bersabee, & numerate populum, vt sciam numerum eius: deditque Ioab numerum descriptionis populi Regi, & inuenta sunt de Israel* C *octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium, & de Iuda quinquaginta millia pugnatorum.* Res quidem, quæ Domino adeò vehementer displicuit, vt non aliter peccatum illud expiari voluerit, nisi Dauid, aut septem annorum famem amplecteretur, aut tribus mensibus malè ab hoste iactatus indecorè fugeret, aut tribus diebus pestilentiam in populo grassari vellet. Sed qua ratione? Adeóne malum in Principe fuerit, subditorum numerū, regnique vires perquirere? terram suam lustrare? vt nouerit, quid proprij, quid subditorum humeri valeant, quid ferre recusent? Quale ergo id Dauidis peccatum tam seuero dignū supplicio fuit? Sanè quòd is qui Deo antea verè & ex animo dicebat: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Terrenis iam addictus felicitatem suam ex adaucto, & multiplicato populo pensitare cœpit: *Felicitatē suam* (inquit Ambr. lib. de Pœnitent. c. 9.) D *popularibus extulit incrementis, & lucra multiplicati exercitus inter principalia gaudia numerauit.* Et qui nonnisi Deū exquirere, faciemque eius obseruare solebat, ardenter ipsi inquiens: *Tibi dixit cor meum*, conuerso ad mundanam potentiam animo non tam Deo, eiusque fauori, & auxilio, quàm hominum viribus, & subditorum multitudini inniti vellet. Benè id adnotante Seuero Sulpitio lib. 1. histor. his verbis: *Quasi Dauid regni sui potentiam ex suorum potiùs multitudine, quàm ex fauore diuino æstimaret.* Iis quidem, quæ inter cælum & terram sunt, plusquam spiritualibus intentus, & fiduciam suam non tam in diuinæ protectionis scuto, quod sibi semper paratum fuerat expertus, quàm *in arcu suo, & gladio*, in multorum scilicet militum robore collocans; è spirituali nimirum Rege diuinā prudentiā imbuto, temporalis, & politicus factus. Vnde in se tandem reuersus, & à proprio corde percussus hac in re nimis stultè se gessisse confessus est: si enim ibi vers. 10. *Percussit autem cor Dauid eum postquā numeratus est populus, & dixit Dauid ad Dominum: Peccaui*

2. Reg. 24. — Ambros. — Sulpitius.

valde

cet trutinâ ponderabat, se totom terrenis cupiditati- A bus, & sæcularibus bonis deuouens referente Scripturâ: *Et quando tondebat capillum; semel autem in anno tondebatur, quia granabat eum cæsaries. Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondero publico*. Ideò à Deo animæ pulchritudinem spectante, quæ in obedientia diuinis mandatis præstanda constituta est, regno minimè idoneus iudicatus est, quod pulchrom illud caput cerebrum siue virtutem non baberet: id ita ex- *S. Paulin.* pendente S. Paulino epistola 4. ad Seuerum: *Neque Absalon quamuis decoro, & corpore superbus & capito poterat dicere quod Samson dixit*. Si tonsus fuero, recedet à me virtus mea: *quia non babebat illam in pulcherrimo licet crine virtutem, quæ non corporalium capillorum, sed gratia spiritalis erat, quam impium babere non poterat. Virtus enim & sapientia Dei Christus est, qui in parricidalem ani- B mã non adibat, quia non babitabat in corpore subdito peccatu*. Et statim in eamdẽ sententiã: *Quo apertius exprimi potest pro operibus numerari capillos, cùm in impij capite non aliquam virtutem, sed tantum sarcinam capillorum scriptura signarit?* Ergo vt bominum pulcherrimus, vt omnium callidissimus, vt tanta fuerit affabilitate præditus, quanta ad subditorum animos sibi demerendus, imò verò furandos opus erat, regnum tamen Deo iudice obtinere non valuit, quia Dei virtutem, & sapientiam non curabat, sed pundere publico cogitationes, & curas expendebat, terrenis potiùs artibus, & politicis rationibus, quàm Deo, & virtute innixus.

4 Contrà verò Salomon omnes capitis capillos siue cogitationes, & curas in vna Dei sapientia, & amicitia collocauit. Etenim cùm Deus in eum maximè pronus optionem illi dederit, cùm primùm regnũ accepit, vt quod ipsi magis esset in votis ab eo peteret, ille rerum omnium terrenarum omnino imme- C mor Dei virtutem, atque sapientiam, qoa se, suæque fidei creditum populum rectè ac sanctè moderaretur à Domino petiit his verbis: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bo-* *3. Reg. 3. 9.* *num & malum*. 3. Regum 3. 9. Quæ quidem ipse in libro Sapientiæ venustissimâ Sponsæ à se ardenter *Sap. 7. v. 7.* amatæ imagine elucidauit: sic enim primùm capite 7. versu 7. *Optaui & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me Spiritus Sapientiæ, & proposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam*. Reddit rationem: *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei*. Vnde postmodum 8. 17. *Hæc cogitans apud me & commemorans in corde meo, quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ, & in amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuum illius honestas sine defectione, circuibam quærens, vt assumerem illam mihi*. Vbi vides quanto in pretio Dei sapientia, & virtus à Rege sapientissimo D haberetur, quamque externis bonis, quibus hominũ opinio, aut libido pretium fecit, anteferret, quando ipsam indefesso studio circuibat, vt sibi in charissimam sponsam assumeret. Sed omninu obserua tum rationem, cui innixus in Sapientiæ partes trãsibat Salomon, tum modum quo ipsam colere, & retinere curabat. Vtrumque enim innuitur illis verbis quibus hunc thesaurum sic commendat: *participes facti sunt* *Græc. Lect.* *amicitiæ Dei*. Nimirum Græcum verbum ἐσυλλαντο, pro quo Noster posuit *participem fieri* propriè significat, *contrahere, reprimere, compescere*: eo quippe Home- *Homer. Arist.* rus Iliade 1. & Aristotelea in Mechanicis dixerunt, *contrahere*, seu *legere vela*: ipsuque vsus est Philo lib. 1. & *Philo.* 3. de vita Moysis, vt significaret quemadmodũ equites currentium equorum impetum adstrictis frænis inhibeant, atque coërceant, similiter, & apud Medicos, vti apud Alexandrum Aphrodisium hoc verbo dici solet, *reprimere, compescere, sistere*, quod nimis impetuosè fluit. Vnde omnino legeris, *ad Deum contraxerunt*, siue *represserunt amicitiam*, à quo non longè it *Lect. Græc. Bibl. Reg.* lectio Bibliæ Regiæ quæ habet: *ad Deum seposuerunt amicitiam*. Vt velit Salomon eam inesse diuinæ sapientiæ vim, vt hominis animum, sic vni Deo desponset, & aptet, vt florenti, ferentique fortunæ vela contrahat, & tam cupiditatum impetum cohibeat, & reprimat; quàm illicientium bonorum aculeum obtundat, contracta, & seposita amicitia ad Deum: eo planè sensu, quo cælestis sponsus ab sponsæ crinibus in vnũ collectis, hoc est à cogitationibus, & curis à secoli rebus in vnum Deum translatis se captum iri sic dicebat: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum* (siue vt legit Ambros. serm. 16. in Psalmo 118. *Cant. 4. 9. Ambros. Gillebert. Basilius. Chrysost.* *cor meum cepisti*) *in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*. Cantic. 4. 9. vti ad hæc verba sic inquit Venerab. Gillebert. *Non dicit in oculis, & criniculis quasi in pluribus, sed quasi in vno, si plures habes oculos, omnes alios claude, vt hoc vno vtaris, quo solo dilectum intueri soles, & quo solo vales*.

5 Quod si nimis seuerum Principi florenti fortuna vtenti, & qui omnia potest, id monitum videatur, at omnino is audiat Basilium ad præfata Sapientiæ verba, sic accommodatissimè loquentem hom. 8. in diuites auaros: *Ne cuncta voluptati tribuas, nonnihil animæ tuæ reserua. Duasque tibi puta esse filias, mundana conuersationis prosperitatem & vitam cælestem. Si meliori cuncta dare nolueris, diuide saltem ex æquo, intemperanti filia & modesta: ne videlicet præsentem vitam, ita opibus, ac delicijs affluentem reddas, vt alteram inopem, ac laceris opertam vestibus relinquas*: Pergit opportunè, præfatam Sponsæ imaginem implens, atque vrgens: *Vt si te oporteat in conspectum Dei nostri, ac iudicis Iesu Christi sponsa formam, ac* C *vitam secundùm virtutem habentem venire, noli sponsam inornatam sponso offerre: ne conspiciens ille, vultum auertat, despiciat, complexum neget, sed eam decenti veste ornatam nuptiarum tempori seruabis, vt vnà cum cæteris prudentibus virginibus charitatis perpetuum ignem, ac lampada oleo continuo refertam habens in thalamum recipiatur*. Hæc luculenter Basilius. Sed his illa adiunge ex Chrysostomo hom. 12. ad Roman. *Quis tandem vsq; miser, & vsque infelici sidere natus esse queat, vt nec studij quidem tantundem Christi, quàm peccatis, ac diabolis seruituti impendat*.

6 Vides vt Salomon aliter quidem ac frater eius Absalon fluentem cupiditatum impetum, velut sparsam crinium cæsariem illigans omnino represserit, atque ad vnum Deum amicitiam contraxerit? Ea igitur ratione regio solio dignum sese exhibuit: nam vt ipse Sapientiæ pulchritudine captus *circuibat quærens, vt assumeret eam sibi*, ita ipsa corde captũ sese affirmabat, *Ioseph.* *in vno crine colli* ipsius, vt ipsamet superius, apud Iosephum dicebat: *Ego regiam dignitatem non constituo in præ-* D *stantia, & elegantia corporum, sed in animi virtute & in obedientia diuini mandatis, in quibus constituta est animæ* *Gillebert.* *pulchritudo*. Vnde indidem Gillebertus ea verba, vulnerasti cor meum, &c. sic sursum premit: *Aspectus aspectum prouocat, ideò tuo illum tenta vulnerare prospectu. Oculi tui semper ad Dominum, vt amoris tui nutibus capiatur, illaqueetur criniculis*. Sed enim ipsum captum, iam & illaqueatum audi: sic enim præfato cap. 3. lib. 3. v. 10. *Placuit ergo sermo coram Domino, quòd Salomon postulasset* *3. Reg. 3. 10.* *huiuscemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium. Ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, vt nullus ante te similis tibi fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retrò diebus*. Vbi omnino obserua ab hoc sapientiæ studio, & cælestiũ rerum amore regni coronam, & sceptrum, optimam,

in-

inquam, regiæ dignitatis administrationem, atque fœlicem gubernationem aduenire. Vnde indidem ipsemet Salomon subiicit: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa & innumerabilis honestas per manus illius.* Sapien, 7.11. siue (vt Græcè est) *in manibus illius*, omnino affirmans sapientiæ & virtutis manibus florentissimam fœlicitatem se fuisse complexum. Quod sic diffudit Scriptor Sacer 3. Regum 4. 21. *Salomon autem erat in ditione habens omnia regna à flumine terræ Philisthiim, vsque ad terminum Aegypti offerentium sibi munera, & seruientium ei cunctis diebus vitæ eius.* Vbi in omnibus antiquis Codicibus notanter habetur: *omnia regna secum*: id est in manibus suis, ad suum arbitratum, & nutum, tamquam animorum etiam, siue voluntatum subditorum dominus: Hispanè significanter diceremus, *tenia el Reyno en su mano, tenia a todos en el puño, tenia ganados los coraçones, y las voluntades.* Quod videtur etiam expressisse LXX. qui reponunt: *Erat Princeps in omnibus regnis*: siue vt habet Lectio Complut. *Erat dominans in omnibus regnis*, quod perinde est ac si diceretur: *era dueño de los suyos, era de veras Principe, y Rey de sus Reynos*: quibus sanè locutionibus omnino innuitur, eus Reges qui à virtute regnum non habent, corporum potius, quàm voluntatum dominos esse, quibus subditi, inuiti, & reluctâtes obsequantur. Vnde accurate ibi verbo dicitur *offerentium sibi munera*, tanquam Regi sapientissimo sponte, & ex animo donantium, non verò tanquam debitum iure regio soluentium (nam regiorum vectigalium solutionem non ostendi, sed afferendi, verbo sic expressit Scriptor 3. Reg. 10. 14. *Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos sexcentorum sexaginta sex talentorum auri*) vt Rex sapientiæ, & virtutis studiosus, tam subditos, quàm cuncta ipsorum bona in manibus habere videatur.

Sap. 7. 11.

3. Reg. 4. 21.

LXX.

3. Reg. 10. 14.

7 Iam hæc omnia ipsemet Dauid, qui cùm tot haberet filios natu maiores, Salomonem tamen Regem designauit, mirè confirmat Psalmo 5. cui hunc titulum præfigens, *in finem, siue ad victoriam pro ea, quæ hæreditatem consequitur*, vel vt Chrysostomus legit, *pro hærede*, Absalonem, vt plerique interpretes volunt, ab hæreditate eiectum eiusque consiliarium Achitophel, aliosque illius fautores, sic notauit vers. 11. *Decidant à cogitationibus suis, secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos.* Ad quæ verba Hieronymus sic ait: *Propterea expelle eos. Vnde? Ab hæreditate*: vis videre ab hæreditate depulsum quòd in capite non virtutem, sed sarcinam capillorum habuerit? Audi: *Accidit autem, vt occurreret Absalom seruis Dauid, sedens mulo: cumq; ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnâ, adhæsit caput eius quercui: & illo suspenso inter cælum & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit.* 2. Regum 18. 9. Quæ verba sic elucidat Venerabilis Drogo de Sacramento. Dominicæ Passionis: *Qui autem sibi comam nutriunt, cæcitatis, & grauitatis sibi damnatione acquirunt. Propterea lucis huius beata vitiorum perdidit Absalom, quia grauabat eum cæsaries, & non nisi semel in anno tondebatur: & crines suos ponderabat ducentis siclis pondere publico. Vnde in eodem crine suspensus ad arborem interiit.* Et post nonnulla idem argumentum vrgens subiicit: *Pendet adhuc Absalom per comam capitis sui, & mulus, cui sederat pertransiit: quia mundus transit, & concupiscentia eius*: Vt dixerit, meritò hæreditatem, & regnum is perdidit, qui virtutis immemor in amore terrestrium bonorum totus erat: non enim eapiti sarcinâ sæcularium curarū grauato regia corona opportunè insideret. Sed obseruâ ea facit textus verba: *illoque suspenso inter cælum, & terram*, vt videris quomodo ille, qui iis, quæ sunt inter cælum, & terram, totum animum addixerat, ab illis & coronam amiserit, & suspensus perierit, quin voti compos euaserit. Pergit verò Dauid, & quâ ratione

Psalm. 5.

Chrysost.

2. Reg. 18. 9.

Drogo.

motus regiam Salomoni hæreditatem Dei nomine designarit, sic causam, & carmen concludens omnino declarat v. 15. *Domine vt scuto bonæ voluntatis coronasti nos*: pro quibus ex Hebræo Hieronym. & plures, nec non Paraphrasis Chaldaica reponunt: *vt scuto bonâ voluntate coronabis eum*: vt à bona voluntate, quâ Deo inspirante virtutem terrenis bonis prætulit, coronâ regni scuto adsimilem, quæ stabilis firma, & perpetuò duratura sit, tanquam quæ Deo, diuinisque promissionibus innitatur, acceperit: Absalone, & Principibus illis similibus conclamantibus: *Cecidit corona capitis nostri, væ nobis quia peccauimus.* Thren. 5. 16. sic hæc verba accipiente Paschasio lib. 5. in Threnos: etenim cùm priùs dixisset: *Humiliationem, atque deiectionem à regno designat, quando honor Regis, & gloria deperit*: postmodum subiicit: *corona capitis nostri tunc perit, cùm bona voluntas amittitur*: *de qua sanè Propheta gratulabundus canit*: Scuto bonæ voluntatis suæ coronasti nos Domine. Ita ille.

Hieronym. Para. Chal.

Thren 5. 16. Paschas.

8 Ergo à bona voluntate corona, & optima Regis, Regnique gubernatio: quòd vt is, qui solùm ea quæ inter cælum, & terram sunt, scrutatur, decidit à cogitationibus suis, ita qui cælum mente scandit, in virtute & regiam coronam, & inexpugnabile scutum circumfert: sed de hoc alibi: modo nostrum Vatem ab hac aliquando doctrina aberrantem, qui malu accepto, & ad bonam frugem sese receperit, & Principibus viam commonstrauerit, videre erit operæpretium: ipsi etenim eam malus dæmon mentem iniecit, vt populum numeratum in censum redigeret: sic nāque 2. Reg 24. 2. *Dixitq, Rex ad Ioab Principem exercitus sui: Perambula omnes tribus Israel à Dan vsque Bersabee, & numerate populum, vt sciam numerum eius: deditque Ioab numerum descriptionis populi Regi, & inuenta sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium, & de Iuda quinquaginta millia pugnatorum.* Res quidem, quæ Domino adeò vehementer displicuit, vt non aliter peccatum illud expiari voluerit, nisi Dauid, aut septem annorum famem complecteretur, aut tribus mensibus malè ab hoste tactatus indecorè fugeret, aut tribus diebus pestilentiam in populo grassari vellet. Sed quâ ratione? Adeóne malum in Principe fuerit, subditorum numerū, regnique vires perquirere? terram suam lustrare? vt nouerit, quid proprij, quid subditorum humeri valeant, quid ferre recusent? Quale ergo id Dauidis peccatum tam seuero dignū supplicio fuit? Sanè quod is qui Deo antea verè & ex animo dicebat: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Terrenis iam addictus fœlicitatem suam ex aducto, & multiplicato populo pensitare cœperit: *Fœlicitatē suam* (inquit Ambr. lib. de Pœnitent. c. 9.) *popularibus extulit incrementis, & lucra multiplicati exercitus inter principalia gaudia numerauit.* Res qui nonnisi Deū exquirere, faciemque eius obseruare solebat, ardenter ipsi inquiens: *Tibi dixit cor meum*, conuersso ad mundanam potentiam animo non tam Deo, eiusque fauori, & auxilio, quàm huminum viribus, & subditorum multitudini inniti vellet. Benè id adnotante Seuero Sulpitio lib. 1. histor. his verbis: *Quasi Dauid regni sui potentiam ex suorum potiùs multitudine, quàm ex fauore diuino æstimaret.* Iis quidem, quæ inter cælum & terram sunt, plusquam spiritualibus intentus, & fiduciam suam non tam in diuinæ protectionis scuto, quod sibi semper paratum fuerat expertus, quām *in arcu suo, & gladio*, in multorum scilicet militum robore colloeans; è spirituali nimirum Rege diuinâ prudentiâ imbuto, temporalis, & politicus factus. Vnde in se tandem reuersus, & à proprio corde percussus hæc in re nimis stultè se gessisse confessus est: si enim ibi vers. 10. *Percussit autem cor Dauid eum postquā numeratus est populus, & dixit Dauid ad Dominum: Peccaui valde*

2. Reg 24.

Ambros. c. 9.

Sulpitius.

valdè in hoc facto, ſed precor Domine, vt transferas iniquita- A *tem ſerui tui, quia ſtultè egi nimis.*

Ad ea verba, Tibi Domine.

Optimum Principem ſummam Religionis curam ſuſcipere debere.

ADNOTATIO V.

1 DIVINVM Numen, eiuſque caſtiſſimam Religionem ſibi cum primis in Reſpub. adminiſtratione ob oculos ponere, non modò optimi, ſed etiam prudentiſſimi Principis eſſe, nemo mortalium vnquam reuocauit in dubium: *Hæc eſt vita æterna* (aie- Ioan. 17. 3. bat Dei Sapientia, & virtus apud Ioan. c. 17. 3.) *vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Vbi cùm cognitio ad fidem, & pietatem omnino referenda ſit ex Cyrillo & aliis PP. magnâ B id emphaſi vitam æternam appellauit: non eâ ſolum Cyril. Alex. ratione quod vt imbi Cyrillus ait, *fides & veræ pietatis virtus radix, & origo æternæ vitæ ſit:* ſed etiam quod puriſſimus Numinis cultus ad inſtar beatitudinis omnium bonorum cumulus ſit verum, ſolidam, & ſtabilem felicitatem in hominem conuehens. Quod ſanè Princeps Apoſtolorum ſic ſapienter admonuit epiſt. 1. Pet. 4. 7. 1. c. 4. 7. *Omnium autem finis appropinquauit.* Quis? Nam ſi iam finis aduenit, quomodo incipiemus viuere? Audi Oecumenium de Dei Filio, qui nobis felicitatis ſcopus, & cogitationum omnium finis eſt, ita explicantem: *Omnium ſiquidem perfectio ipſe eſt, & non vt Græci nugantur, quorum alij voluptatem, alij ſcientiam, aut contemplationem eſſe finem, ac ſummum bonum aſſerunt.* Vt ergo finis Principis Chriſtus, & in eum pietas, fideſque; ita huius finis aſſecutioni omnis humana felici- Auguſt. tas, & beatitudo ſubeſt. Sic ſapienter cenſente Auguſtino lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 24. *Illos felices Reges, &* C *beatos indicat Chriſtiana Religio, qui ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum maieſtati eius famulam faciũt, qui Deum timent, diligũt, colunt, hos enim appellat felices, non autem qui diutius imperarunt, vel morte placidà filios reliquerunt, vel hoſtes Reipub. domuerũt.* Sed cur illos præ his felices potiùs quàm probos appellat? etenim diutius imperare, morte placidâ filios Regni hæredes relinquere, hoſtes perdomare, quis neget egregiæ cuiuſdam felicitatis eſſe? regiam verò poteſtatem ad Dei cultum dilatandum maieſtati eius famulam facere ad pietatem, & probitatem potiùs, quàm ad felicitatem referendum videtur. Sed ſubſiſtit Auguſtini ſenſus, atque locutio: quòd ab vnâ Principis Religione, & pietate in Deum ea omnino accedat felicitas, quâ & diutius imperatur, & imperiũ in filios tranſmittitur, & hoſtes expugnantur, & quidquid in rebus humanis Auguſt. præclarum eſt. Vnde indidem cap. ſeq. Auguſtinus de florentiſſima Conſtantini Magni ob aſſertam Chriſtianam Religionem fortunâ ſic fatur: *Conſtantinum* D *Imperatorem non ſupplicantem dæmonibus, ſed ipſum verum Deum colentem tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet, cui etiam condere ciuitatem Romano Imperio ſociam velut ipſius Romæ filiam, ſed ſine aliquo dæmonum templo, ſimulachroq; conceſſit. Diu imperauit, vniuerſum orbem Romanum vnus Auguſtus tenuit, & defendit: in adminiſtrandis, & gerendis bellis victorioſiſſimus fuit: in tyrannis opprimendis per omnia proſperatus eſt. Grandæuus ægritudine, & ſenectute defunctus eſt, filios imperantes reliquit.* Hæc Auguſtinus. Ad quem omnino modum Leo Magn. Magnus Leo, Marcianum Auguſtum ita alloquitur epiſtola 42. *Studioſiſſimos vos Eccleſiaſticæ pacis agnoui: tuis ſancto deſiderio dignâ æquitate conſeritur, vt quem ſtatum eſſe cupitis Religionis, eundem habeatis & regni.* Dignâ quidem æquitate, ſed ingenti planè felicitate, Princeps quem Religioni felicem ſtatum cupit, eundem reapſe ſibi & regno à Deo accipit, qui pro bonis deſideriis ac votis egregia beneficia refert.

2 Mirum quidem cuiuis rectè æſtimanti eſt, quàm fluxa ſit, & inſtabilis mortalis potentia, quamque fortunæ caſibus obnoxia,

——— *Sic omnia verti* Ouid. Metamorph.
Cernimus, atque alias aſſumere pondera gentes;
Concidere has.

Ideò ſcitè Seneca hoc vnum monendos eſſe Princi- Seneca. pes dicebat, multis, & fidis manibus ad continendã ſuam felicitatem opus illis eſſe: *Dic illis* (aiebat lib. 6. de beneficiis cap. 33.) *non quod volunt audire, ſed quod audiſſe ſemper volent. Plenas aures adulationibus aliquando vera vox intret. Da conſilium vtile. Quæris, quid felici præſtare poſſis? Effice, ne felicitati ſuæ credat: vt ſciat illam multis, & fidis manibus continendam. Parum in illum contuleris? ſi illi ſemel ſtultam fiduciam permanſuræ ſemper potentiæ excuſſeris,* B *docuerisque mobilia eſſe, quæ dedit caſus, & maiore curſu fugere, quam veniunt: ſæpe inter fortunam maximam, & vltimam nihil intereſſe.* Sed enim huic fortunæ inſtabilitati, & lubrico ac fluxo regnorum ſtatui præſentiſſimum remedium, & ſolidiſſimum firmamentum in Religione, & vero Dei cultu eſſe, quæ Regum felicitatem multis, & fidis manibus contineat, diſertiſſimè quidem docuit Iſaias Chriſtianam Eccleſiam ſic deſcribens cap. 33. 20. *Oculi tui videbunt Ieruſalem habita-* Iſa. 33. 20. *tionem opulentam: tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur, quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter.* Vbi primùm obſerua, optimo merito à Vate regna comparari tabernaculis quibus paſtores vtuntur: quæ & inſtabilia vtpote ex vnius noctis vſu ſunt, hinc illuc transferri ſolita, & mille diſtenta funibus, & confixa clauis vix conſiſtant: nam vt benè iterum Seneca in conſolatione ad Polybium Seneca. cap. 28. *Lubrica, & incerta ſunt, nunquam benè tenentur.* C Deinde verò, quanta huius vrbis tabernaculo fortitudo, & firmitas ſubſit, quod è ſuo loco conuelli, aliòque transferri nullâ ratione queat: illis videlicet firmatum clauis, quos humana vis minimè poſſit reuellere, illis diſtentum funibus, qui rumpi nequeant. Iam vnde hæc tam perpetua fortitudo adueniat, luculenter aperit Vates dum ait: *Quia ſolùm ibi magnificus eſt Dominus Deus noſter:* id eſt, quia ibi vnicè, & magnificè colitur, eaque ratione perpetuum robur, & fortitudinem ſuis cultoribus afferat: vt videris *mutuum auxilium* (vt prouerbio dicitur) dum Princeps Religionem roborando ab eâ vnicè roboratur. Ita planè Gregorius Nazianzenus oratione 21. cùm de Nazianz. inclyto Imperatore Ioniniano dixiſſet pulcherrimũ Imperij ſui fundamentum ieciſſe, fidei veritatem à multis laceratam fortiter propugnando, ſubiicit: *Vt ſimul & ei robur afferret, & ab eâ viciſſim acciperet excelſè ſimul, & magnificè de rebus maximis cogitans.* Tot videlicet manibus regiam felicitatem retinens, tot adamantinis clauis, & fortiſſimis funibus Regni taberD naculum affigens, quot veram Religionem aſſerere, & fulcire ſtudebat. Vnde quidem tam Iſidorus Pe- Iſidor. Pelu. luſiota, quàm Syneſius Antiſtes, Religionem Regni baſim omnino eſſe aſſeruerunt. Hæc enim oratione Syneſius. de Regno ad Arcadium Auguſtum, cùm veri & legitimi Regis ſimulacrum ei obiiciens dixiſſet: *Ea verò magis amplectere, quaſi citra omnem controuerſiam Regem apprimè deceant, de quibus idem eſt cùm antiquorum, tum nouiſſimorum iudicium.* Subdit: *Religio autem, & pietas, firma in primis eius baſis ſubiiciatur, in quâ ſtabile, & inconcuſſum ſimulachrum perſtet.* Iſidorus verò lib. 3. epiſtola 249. cùm ea Danielis verba cap. 9. 27. *deficiet hoſtia, &* Dan. 9. 27. *ſacrificium*, de extinctione Sacerdotij regni Iſraelitici

accepiſſet,

accepisset, addit: *Ac maximè quidem per Sacerdotij extinctionem, Regni quoque, & aliarum rerum euersionem simul demonstrabat, nam Regni quoque basis pietas erga Deum erat.*

3 Quò signatè facit igneus ille, & adamantinus Regnorum murus, quem lib. 1. Adnotat. 13. & 14. construximus: cui modò nouum alium lapidem, siue adamantem adiicimus, nimirum 1. Regum 7. 12. cùm Israelitæ Dei veri cultum verè, & ex animo suscepissent, Deumque sibi ieiunio, precibus, & peccatorum confessione placassent, Philistæi verò interea ascito externo Tyriorum Principum auxilio in illorum fines irrupissent, vt sæuum inermibus bellum inferrent, Deus quem Religione, & sacrificiis sibi demeruerant, totam illam belli molē repentè sic disiecit, vt vno illo congressu plus honoris, & virium amiserint Philistæi, quàm multis antea bellis cum hoste collatis. Porrò tam ad perpetuam rei memoriam, quàm in Principum documentum *Tulit Samuel lapidem vnum, & posuit eum in Masphath & inter Sen, & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij. Dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.* Vt dixerit, eatenus vndequaque munitos, victores, & felices Principes futuros, quatenus Deum verè, & ex animo coluerint, ipsum pro muro inexpugnabili, qui illis subsidio, & decori sit, circumquaque habentibus. Quæ sic diffundit Venerab. Odonius in allegoriis Goffridi Tilmanni in lib. 1. Reg. cap. 4. *Lapis iste fortitudo castrorum est, & pulcritudinis ornatus, & in circuitu sese ducens non solùm se murum, sed etiam antemurale constituit: legitur enim*: Et Dominus in circuitu populi sui: *Benè autem* lapis adiutorij, *quia non solùm munimentum tribuit, sed & adinnat, & defendit.* Obserua illud: *fortitudo castrorum, & pulcritudinis ornatus*: æquè enim à Christi Religione, & fulget, & firmatur Princeps, æquè clarus, ac munitus est. Audi Ioannem Romanum Pontificem Iustiniano Imperatori sic scribentem: *Nihil est quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in Principe: nihil est, quod ita nequeat occasui subiacere, quàm vera Religio. Hoc est enim quod vestrum firmat Imperium, hoc quod vestra regna conseruat. Nam pax Ecclesiæ, Religionis vnitas auctorem facti in sublime prouectum gratâ sibi tranquillitate custodit.* Subiicit opportunè: *Neque enim ei parua vicissitudo à potentia diuina tribuitur: per quem nullis rugis Ecclesia diuisa secernitur, nullis insertis maculis variatur.* Pulchrè *vicissitudo à potentia diuina tribuitur.* Quod pro Principe Religioni studioso Deus potentiâ suâ signatè militet, vt pro pace, quam ille Ecclesiæ dare nititur, pacē ipsi & incolumitatem firmius, & securius reddat: cui sententiæ omnino subscribit Ambrosius in Prologo ad librum 1. de Spiritu sancto. Vbi Constantinopolitanum Imperium à Religione stetisse, cùm ab hæresi priùs penè fuisset collapsum, Theodosio Imperatori sic refert: *Etiam Constantinopolis iam verbum Dei recepit, & euidentia meruit tui documenta iudicij, etenim quamdiu venena Arrianorum suis fouebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta, murus armis circumsonabat hostilibus. Postea verò quàm fidei exples abdicauit, hostem ipsum iudicem Regem, quem semper timere consueuerat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obtinuit, sepultum possedit.* Vides vt vrbium, & Regnorum muri, aut Religione pacificè, & firmiter cōsistant, aut perfidiâ armis circumsonent hostilibus, prout lapis adiutorij, aut in circuitu sese ducit, aut subducit.

4 Est quidem solemne politicis Principes admonere, vt magnorum, & potentium Regum affinitates ineant, quibus nouum potentiæ suæ robur adiiciant: at enimverò præterquam quod istis regiis affinitatibus non benè creditur, & sæpiùs, *Quod vinculum amoris esse debebat* (Seneca libro 1. de Clement. cap. 34.) *seditionis, atque odij causa est.* Vti de Principibus Arminio, & Segete Cornel. Tacit. lib. 1. Annalium inquit: *Gener inuisus inimici soceri, quæque apud concordes vincula charitatis, incitamenta irarum apud infensos erant.* Quantò opportunius, quantò felicius Princeps, vt verum, & inexpugnabile robur potentiæ suæ adiiciat, affinitate cum Deo sese deuinxerit: quippe id Religio, & purissimus Numinis cultus signatè præstat, vti sapienter admonet Synesius præfatâ oratione de Regno hunc in modum: *Neque à ratione alienum est, Diuinum quoque Numen Religiosi Principis cultu, venerationeq; lætari, eumq; arcanâ quadam necessitudine sibi conciliare.* Quasi à Religione Princeps Deo affinis, & veluti sanguine coniunctus imo idem cum ipso euadat. Certè Israeliticâ plebe Regem sibi iuxta morem gentium postulante, idque Samuele, qui Dei nomine populum regebat ægrè ferente, sic illi Dominus locutus dicitur: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*, 1. Regum 8. 7. Vbi si inquiras cur populus Regem postulando Deum dicatur abiecisse? Respondebimus: Samuele à gubernatione amoto, & temporali regno à Sacerdotali dignitate diuulso, Deum quodammodò abiectum fuisse, quòd sese ipse cum Samuele, qui & Rex simul, & Sacerdos erat, omnino coniunctum, & velut eandem personam duceret: quippe Religio arcanâ quadam similitudine Deum sibi conciliat, & totas eius vires ac robur sibi vendicat. Cui rei opportunissima fuerit ea oratio, quâ Regem Asa Dei nomine allocutus est Hanani Propheta, quòd fœdere cum Rege Syriæ inito potiùs in eo, quàm in Deo vero spem suam reposuerit: quippe inquit: *Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco euasit Regis Syriæ exercitus de manu tuâ. Nonne Aethiopes, & Lybies multò plures erant quadrigis, & equitibus, & fortitudine nimiâ? Quas cùm Domino credidisses, tradidit in manu tua: oculi enim Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem iis, qui corde perfecto credunt in eum.* 2. Paralip. 16. 7. & seq. obserua hæc extrema, *& præbent fortitudinem iis*, &c. pro quibus ex Hebræo notanter reponit Pagninus, *vt roboret se cum corde eorum perfecto ad se*: vt innuatur tum Deum fideles Principes roborando, seipsum quodammodò roborare, quòd cum illis non modò affinitatem habeat, sed eam etiam coniunctionem, quâ idem cum ipsis quodammodò sit: tum etiam nihil ipsis adeò munitum, & inexpugnabile excogitari posse, qui Deum suas ipsis vires, & robur commodantem habeant.

5 Sed enim vt Christianam Ecclesiam, siue regna, & Principes ei subditi, & Catholicam Religionem colentes perinde esse, ac tabernaculum, quod nequaquam transferri possit, fortissimis funibus, & adamantinis clauis confixum eâ peremptoriâ, & necessariâ ratione vidimus: *Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster*: ita si semel vera Religio à Regnis exulet, nihil illis infirmius aut fluxius esse: ruptis videlicet funibus, & reuulsis clauis quibus detinebatur, iam vide apud Ieremiam cap. 25. 38. vbi de Deo Israeliticæ plebi ob idololatriā infenso, eamque proiiciente sic notanter ait: *Dereliquit quasi leo vmbraculum suum*: siue vt Chaldæus vertit, *dereliquit Rex arcem suam*, vt pulchrâ leonis imagine, qui maximo robore, & fortitudine, quâ præditus est, vmbraculum in quo cubare solet, non minùs munitum, quàm inexpugnabilem arcem reddat, eo autē illud deserente nihilo firmius, aut munitius sit, quàm vmbratile tugurium, cuiusuis violentiæ expositum, innuat Vates, regnum illud quod antea Dei præsentiâ, & ope munitissimum erat, subinde ob perfidiam à Deo derelictum omniū prędę, & vastationi mansisse obnoxium, sic id explicante Hieronymo: *Reliquit autem quasi leo cubile suum vt omnes bestiæ vastandi terram eius habeant potestatem.* Compo-

1. Reg. 7. 12.

Odonius.

Ioan. PP.

Ambros.

Seneca.

Corn. Taci.

Synesius.

1. Reg. 8. 7.

Ierem. 25. 38.

Hiero.

A ne tabernaculum, in quo *solummodò magnificus est Dominus*, cũ vmbraculo à leone derelicto: vt videas Principem Religioni præsidium, & robur afferentem, ab eâ vicissim accipere, illum verò, qui Dei cultum abiicit, nihil firmum, & forte in suo Regno habere, sed nihilo melius quàm fragili vmbraculo protectum omnium prædæ esse expositum. Quod sanè, quàm sit verum, omnium ætatum, omnium gentium docemur historiis tam sacris, quàm prophanis, quæ nemini non peruiæ, & notissimæ sunt, in quibus pro cuiusque Principis Religione eius fortunam videmus. Certè hac mente imbutus noster Vates amicis suadentibus è terra Israelitica fugam, quòd Saul ei maximè infensus, tum Achimelech, & omnes alios Sacerdotes, quòd ei opem tulissent, impiè & feruciter trucidasset, tum eum ad mortem studiosissimè quæreret,

Psal. 10. sic obuiam ibat Psalm. 10. *In Domino confido quomodo dicitis animæ meæ: transmigra in montem sicut passer*: hoc

B est, me diuina fretum ope hæc ferocia Saulis facta minimè terrent: imò verò hinc animum induco ipsum exitio vicinum esse, ac proinde in me Regnum citò transferendum. Quod si aliquis, vnde id coniectem, perquirat; respondebo: *Quoniam quæ perfecisti destruxerunt, iustus autem quid fecit*? Vbi obserua pro duabus illis vocibus *quæ perfecisti*, Pagninum, Vatablum,

Pagnin. *Vatablus.* *Caietan.* *Rab. Salo.* *Lyra.*

Caietanum, & omnes penè quotquot ex Hebræo transferunt, reponere *fundamenta*: quod Hebræorum Magister Rabbi Salumon, Lyra, & alij de Sacerdotibus à Saule occisis, omnino capiunt, sic reponentes: *Quoniam per manum vestras occisi sunt Sacerdotes, qui sunt fundamenta mundi: iustus autem Achimelech quid fecit*? Vt dixerit, cùm Regni, & Regis basis Religio sit, eaque tam impiè fuerit à Saule violata, quis dubitet subductis fundamentis Regnum fore tuitutum?

C 6 Subesteriam is sensus illis Domini verbis apud

Osee 8. 5. Oseam cap. 8. vers. 5. Regno Samariæ veram religionem deserente, & post vitulos aureos abeunte: *Proiectus est vitulus tuus Samaria*, quæ ex Hebræo planè legeris: *Proiecit te vitulus tuus Samaria*: vt magnâ illi emphasi dixerit: En iustissimas violatæ fidei, & desertæ Religionis pœnas, vt ab ipsomet à te adorato vitulo proiecta, & velut vtroque impetita cornu, à florente Regni statu deturbata in captiuitatem abducaris, sic

Arias Montan. hunc locum explicante Aria Montano his verbis: *Significat Israelem, cuius Regia Samaria fuit, cornu petitum, & proiectum esse ab eo vitulo, quem ipse sibi aluerat, translatione ad rem accommodatá pulcherrimè vsus: Significat autem abductionem, & captiuitatẽ Israelitarum, qui propriâ idolomania culpâ à suis sedibus eiecti sunt, perinde ac si cornibus vituli, quem ipsi nutrierant, expulsi, & exturbati fuerint.* Deus bone! quot Principibus! quot Regibus! quot

D Imperatoribus! quot Regnis à vera Religione deflectentibus, & post vitulos profanæ Religionis, & hæresis abeuntibus iure inclames: *Proiecit te vitulus tuus*, & suis sedibus cornu eiecit, dixeris id è Regibus Hebræis Salomoni: cui Dominus inquit: *Quia non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo*

3. Reg. 11. 11. *tuo*. 3. Reg. 11. vers. 11. Dixeris primis vitulorum cultoribus Ieroboam, & Nadab filio eius quem interfecit Baasa: *Et percussit omnem domum Ieroboam, non dimisit ne vnam quidem animam de semine eius donec deleret eum iuxta verbum Domini: propter peccata Ieroboam, quæ pec-*

3. Reg. 15. 28. *cauerat, & quibus peccare fecerat Israel*. 3. Reg. 15. 28. Vt hic omnino locum habeat, quod de Perillo, qui proprio ænei tauri ad cruciandos homines inuento periit, pulchrè cecinit Claudianus libro 1. in Eutropiũ:

Claudian.

Quàm benè dispositum terris, vt dignus iniqui
Fructus consilij primis auctoribus instet.
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor
Qui funesta nouo fabricauerat æra dolori,

A *Primus inexpertum Siculo cogente tyranno*
Sensit opus, docuitque suum mugire iuuencum.

Dixeris impio Achab, & impiissimæ vxori Iezabel: dixeris ipsorum filiis, qui omnes suum docuêre mugire iuuencum dum proditæ fidei meritissimas pœnas dederunt. Ad quem etiam modum è Græcis, & Romanis Imperatoribus quotquot à verâ Religione pedem retulerunt ab aureis suis vitulis omnino proiecti sunt, Constantius, Iulianus, Valens, Zeno, Basiliscus, Anastasius, Heraclius, Constans, Philippicus, Leo, Constantinus Copronymus, Nicephorus, nec non alius Leo, & alij quàm plures: dixeris, & id florentissimis olim regnis: modò aut extinctis, aut de gente in gentem translatis: *Proiecit te vitulus tuus* Africa. *Proiecit te vitulus tuus* Persia, Germania, Hungaria, Bohemia, Hollandia: ne alia quæ lapsare, & vacillare dolemus, nominem.

B 7 Et verò vt appateat, quomodo oculi Domini præbeant fortitudinem his, qui corde perfecto diligunt eum: accipe modò peculiarem expositionem, quam præfatis Ieremiæ verbis: *Dereliquit quasi leo vmbraculum suum, quia facta est terra eius in desolationem à facie iræ columbæ*, optimus Scholiastes P. Sanctius reddit. *Ier. 25. 38.* *P. Sanct.* Nimirum ille aliter ac Hieronymus num. 5. adductus per leonem vmbraculum suum derelinquentem non Deum, sed Israelitici populi Principes, quorum terra à Chaldæis vastata fuerit, omnino capiens, pulchrè leonem, & columbam sic explicat, & inter se committit, vt ex Vate moneat, fortissima quæque ab infirmis, & imbellibus duce Deo facilè superari. Enimverò cumprimis in leone, & columba aduersas acies Hebræorum, & Assyriorum, quæ propriis signis collatis congrediãtur, scitè, & eruditè intelligit, quòd in vexillis Chaldæorum columba præferretur, vt cõ-

C munis interpretum in Ieremiam Maldonati, Castri, Capellæ, & Alfonsi de Mendoza, quæst. 2. expositiua. P. Prado in cap. 17. Ezech. & aliorum sententia *Maldon.* *Cast.* *Capell.* *Mendoza.* *Prado.* fert: in castris verò Iudæorum leones, propria scilicet, & antiquissima gentis illius insignia, in signis, & vexillis spectarentur, vt ex Hebræorum Magistris docent Abulensis in cap. 2. Numerot. quæst. 5. & Prado in cap. 1. Ezech. in visione 1. sect. 2. deinde quomodo in hoc tam inæquali ad speciem leonis, & columbæ certamine leo ab imbelli columba fuerit superatus, sic elegantèr pendit, & totam sententiam illustrat: *In vexillis ferebat Babylonius columbam, Iudam leonem, inter leonem igitur, & columbam committebatur certamen, quod, si rerum naturam contemplêre, inæquale est. Quid enim columbæ timiditas ad leonis audaciam? quid lenitas innoxia, ad sæuitiam sanguinariam? quid ad rugitum gemitus? At fugiet leo, derelinquetq́; terram à facie iræ columbæ, cuius im-* *P. Sanctius.*

D *petum sustinere non poterit.* Hæc ille. Quæ quidem tantò aptiùs, & veriùs videntur exposita, quantò magis opportunè tam illius populi, quàm omnium gentium historiis omnino conueniunt: & ne longiùs eamus, quis, cùm inclytum nostrum Pelagium in extremis Hispaniæ oris cum paucissimis militibus in specu velut prædam ad occisionem inclusum, ab ingenti Maurorum multitudine, natutâ & victoriis insolente vndequaque circumseptum videret, non dixerit columbam cum leone certamine maximè inæquali congredi? At fugit leo, & imbellis columba Pelagius perexiguâ manu Victor non semel stetit, & penè infinita Maurorum millia fudit, & profligauit. Cuius vestigiis insistentes gloriosi Pelagij hæredes Alfonsi, Ferdinandi, Ramirij viribus quidem, si cum Mauris potentiâ, & ferocia composueris, columbæ, clypeo fidei muniti, & religionis zelo armati Lybicos leones fugauerunt, & Hispanorum Imperium ad altissimum potentię, & felicitatis fastigium euexerunt.

8 Sed

Thom.Bos. 8 Sed hæc aucto sensu ab illustri Scriptore Thomâ Bosio lib.24. de signis Ecclesiæ audire fuerit operæpretium, dum ipse non modò hæc Hispani Imperij ob purissimum Religionis, & Numinis cultum incrementa, sed etiam Græcæ Monarchiæ olim maximæ, & potentissimæ extremam cladem, & ruinam hanc vnam ob causam, quòd à recta fide defecerit, sapienter persequitur. Nam cùm præmisisset: *Nunc admiremur incredibile Dei iudicium. Anno septingentesimo decimo octauo Græci Imperio tenebant maximam Italiæ partem, Siciliam, Cretam, Cyprum, Illyricum, finitimasque Græciæ regiones multas: minoris similiter Asiæ plurimas regiones, denique rebus omnibus florebant. Hispani contrà eodem tempore totâ ferè Hispania à Mahometanis fuerant spoliati: reliquum duntaxat illis factum nescio quid in extremis Hispaniæ locis ad nihilum propè sunt redacti: nihilominus postea resumptis viribus eò ventum, vt innumera prælia commissa, & tandem fuerint ab Hispanis Mahometani è tota prouincia exacti anno 1492. Nunc verò Hispani potiuntur omnium, quæ fuerint vnquam, amplissimum Imperium: Græci verò ab altissimo Imperij gradu deiecti ad extremam, vt maximo nostro dolore videmus, miseriam deuenêre.* Certissimam, & irrefragabilem horum causam sic subiicit: *Hispani namque regnantibus Vvitiza, & Roderico ad tantam calamitatis ruinam sunt prolapsi, quòd illi ab obedientiâ Romani Pontificis defecissent, sed mox in sublatis Regibus ad fidem redeuntes in eâ perstiterunt. Contrà Græci omnino à nobis discedentes tot, ac tanta infortunia quæ ingemus subierunt, vt sciamus, quæ pœna maneat hæreticas nationes, quod præmium Catholicas.* Pergit multis, quæ omnino videne nos plus iusto longiores simus.

Ad eadem verba,

Tibi Domine.

Egregiam Religionis, atque optimæ gubernationis partem esse, Sanctissimam Deiparam à Principe summo animi affectu, ac deuotione coli.

ADNOTATIO VI.

Sylvius. 1 MORDACI quidem aceto omnes omnino Principes persudit ille Imperatoris Alberti primi concionator (apud Æneam Syluium lib.3.comment. in Panormit.) qui aliquando Imperatorem, & Proceres oscitanter, qui illorum mos est, concionem audientes conspicatus, contentâ voce exclamauit: *Quæritur, saluarine Principes possint?* cumque rem in vtramque partem sic agitasset, vt audientium somnum excuteret, & arrectas habere aures faceret: sic tandem falsè conclusit: *Quidni possint? si modò baptismo suscepto in cunis vagientes moriantur.* O acerbos sales, odiosissimasque Principibus facetias! Itáne occisa res est Regum salus, vt nisi à conatum vagitu subsilire illos in cælum liceat? Adeóne, quæ videntur excelsa, prærupta sunt, vt illis necessarius insit, & subsequatur casus? Mitiora sanè, & molliora illis ingerebat Isaias, cùm Regem Achaz salutis suæ signum, siue fastidiosè, siue inuidè accipere recusantem (dixerat quippe ei Vates: *Pete signum à Domino Deo tuo, siue in profundum inferni, siue in excelsum supra*) sic blandè demulcebat: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet Filium.* Isaiæ 7.14. Tanquam omnibus omnino Isa.7.14. Principibus diceret: sunt quidem periculosissima vestra fastigia: excelsa vestra prærupta sunt, vita vestra licentiæ plenissima variis est vitiorum discriminibus obnoxia, ac proinde inferni profundo appropinquare videtur: at enimverò confidite: licet enim vobis, non modò si in cunis vagientes suscepto baptismo

P.Velasquez in Psal. centesimum.

moriamini, sed etiam per Regiæ felicitatis lubricum incedentes in cælum subsilire, si ad Virginis vmbram, & patrocinium confugiatis, eamque in corde & in oculis feratis: ita hæc pensitante Ambrosio serm. 8. in Psalmo 118. *Habet in* Ambros. *Isaia ad Regem Achaz*: Pete signum à Domino Deo tuo, siue in profundum inferni, siue in altum: *Respondet ille:* Non petam, & non tentabo Dominum. *Mysticum illi propositum est, sed non intellexit, & veritus est, ne tentare Dominum videretur, signum si peteret in altum, aut in profundum. Dominus autem volens grauia tentamenta remedio supplantare diuino, ait*: Ecce Virgo concipiet in vtero. *Hoc est magnum signum, quod altitudinis, & profundi tentamenta destruxit.* Pulcherrimè, sed pende illa: *volens grauia tentamenta remedio supplantare diuino*: quæ saluberrimum, & efficacissimum Principibus Virginis patrocinium adstruunt: venustâ quippe supplantandi imagine vsus Ambrosius, omnino ait, fortissima quidem, & veluti insuperabilia tentamenta Principes adoriri, quibus vix pares, & velut iusto in certamine ipsi valeant occurrere, at verò quemadmodum vbi necessariæ luctatori vires non omnino suppetunt, industria succurrit, quâ aduersarium inopinatò supplantat, ita Virginis auxilium, diuinum quidem remedium illis aduersùs tot, tantaque discrimina præsto esse, vt quod ipsorum lacerti, viresque non obtinēt, eius meritis, & intercessione donetur. Enimverò concionator ille, quantumuis deperditos Principum mores, quantumuis desperatam eorum salutem censeret, meminisse tamen debuerat, Mariam, velut alteram Ruth relictas à messoribus spicas col- Ruth.2. ligentem, peculiari curâ eos qui velut incurabiles, & incorrigibiles relicti iam esse videntur, recolligere, & ad saniora consilia, atque ad cælestem vitam traducere solitam: vti S. Bonauentura in *Speculo Virginis* Bonauent. cap. 5. hunc in modum contemplatur: *Ruth in oculis Booz, Maria in oculis Domini hanc gratiam inuenit, vt ipsas spicas, id est, animas à messoribus derelictas colligere ad veniã possit. O verè magna Mariæ gratia, quâ multi ex ea ad misericordiam colliguntur, qui à Doctoribus, & Rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur!* Hæc ille. Quibus ea principes adnectant: Virginique humiliter suggerant ex Anselmo libro de *excellentia Virginis* cap. 12. Anselm. *Benignissimus Filius tuus ad concedendum quidquid voles, promptissimus erit, & exaudibilis. Tantummodò itaque velis salutem nostram, & re verà nequaquam salui esse non poterimus.* Sic Anselm.

2 Hinc notantissimè Regibus Deum apud Mariam quærere, vt per illam tandem inueniant, cælitus præscribitur. Nimirùm cùm Reges Dei Filium recenter natum perquirerent, ab stella hunc ad modum manu ducti perhibentur: *Ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra vbi erat puer.* Matthæi 2.9. Preme illud *suprà vbi erat puer*: Matth.2.9. & cur rogo non dixit Matthæus suprà puerum? Sed *suprà vbi erat puer.* Sanè vt ostenderet Matrem in cuius sinu puer erat, innuens stellam Reges ad Mariam adduxisse, illisque linguâ suâ inclamasse: Hanc sibi viam, hanc portam, hanc vmbrã suscipiendam: vt ad Christum inoffenso pede per tot fastigij sui discrimina peruenire possent: ita id obseruante Eusebio Emis- Euseb. seno, siue Gallicano in Catena in Lucæ capite 2. in supplemento ex Matth. his verbis: *Stat stella supra stellam: Maria enim stella maris interpretatur, non dixit supra puerum, sed quid dixit? suprà vbi erat puer: Vbi enim erat puer, nisi in sinu Matris? Stabat igitur stella, & clamabat. Habet enim linguam suam: sic illa loquebatur Magnificat ista littera loquuntur nobis. Sed quid significabat? quid dicebat? vis audire quid? Hic est puer, hic est Mater pueri: hic eum quærite: hic eum inuenietis.* Hactenus Eusebius. En faustam, & felicem Regum stellam, en benignum

sidus illis affulgens. En Mariam, à quâ omnis Principibus felicitas, siue cælestis, siue terrena, aduenit: vt meritò dixeris, sub Mariæ sidere Principes viuere, regnare, & ab ea regnum, & coronas accipere, quod ipsis illa signatissimè à Deo præposita, & in Reginam data sit. Quod planè Nostrates Hispaniæ Reges, vt omnes verè Catholici, & religiosissimi, ac proindè in Deiparam singulari affectu, & studio deuoti, ita prudentissimi, & felicissimi optimè intellexisse videntur, qui in Regiis Diplomatibus, atque rescriptis gloriosâ confessione perpetuò profitentur, sic se sub vmbra culminis Deiparæ requiescere, vt ipsam omnium factorum, & consiliorum suorum ductricem, & adiutricem habeant.

Prou. 8. 15. & 16. 3 Sed iam id ab ipsamet Dominâ audire operæpretium fuerit: sic enim illa Prouerbiorum 8. 15. & 16. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Vti de ipsâ hunc locum frequentiùs capiunt interpretes edocti à Ruperto libro 2. in Cant. Vbi si inquiras, quâ ratione per Virginem Reges regnent, & Principes imperent; cùm signatè dixerit Paulus non esse potestatem nisi à Deo, ad Roman. 13. 1. [Rom. 13. 1.] facilis est in primis responsio, eâdemmet ratione, quâ *omnis potestas à Deo est*, à Virgine etiam omnino esse, quòd vna vtriusque potentia, & gloria inseparabiliter sit: vt bene idem Rupertus, [Rupert.] & Arnoldus Abbas expendunt: sic enim ille in 4. Cantic. *Hæc in cælis Regina Sanctorum, & in terris Regina Regnorum est, quandoquidē est mater Regis coronati, quem constituit Dominus super opera manuum suarum, ac proindè Regina constituta totum iure possidet Filij regnum.* Optimè id *iure possidet*, quia vt Creatoris Mater, ita rerum omnium domina effecta est, & vt Filium possidet, ita ius ad omnia Filij bona habet: [Arnold.] viget hanc rationem Arnoldus in tractatu *de laudibus Mariæ*, inquiens: *Nec à dominatione, vel potentia Filij Mater potest esse seiuncta: vna est Mariæ, & Christi caro, vnus spiritus, vna charitas: & ex quo dictum est:* Dominus tecū: *inseparabiliter perseuerauit promissum, & donum, Vnitas diuisionem non recipit, nec secatur in partes, & licet ex duobus factum sit vnum, illud tamen vltrà scindi non potest.* Vnde legitimè quidem infert: *Et filij gloriam cum matre non tam communem indico, quàm eamdem.* Nec adnotare hîc omiserim, adeò firmum id in Regna, & Reges Mariæ ius, dominiumque subsistere: vt si aut Theologorū subtilitas omnia discutiens, aut causidicorum malignitas ad lites, & contentiones omnia teuocans: Vtrū Filij ius an Matris potiùs in hæc fuerit? disquirere tētauerit: non omnino abs re ex iisdem legibus potiores quodammodò partes iuri Virginis fore deferendas ex Epiphanio responderi posse, quippe ipse Virginem dotis nomine cæli, terræque dominium à summo rerum Conditore, & Domino accepisse sic affirmat in sermone de Laudibus Beatæ Mariæ: [Epiphan.] *Virgo inuenitur esse cælestis Sponsa, & Mater, quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum sanctum accepit: dotis verò gratiâ cælum, & terram.* Sic ille. Quis verò nesciat, quantum doti feminarum leges, & iura tribuant; & quàm longè cæteris dotale ius anteferant? Ergo, vt ipsa omnia mundi regna iure possidens Principes, & Reges vicarios suos facit, qui tam eius, quàm Filij sui nomine illa moderentur, & regant, ita ipsos potentissimâ erga Deum intercessione eximiè, & singulariter fouet, atque ipsis, vt in Regnorum, & Reipublicæ administratione rectè, & laudabiliter se gerant, peculiarem opem, & subsidium affert.

4 Habere id quidem Principes, si pleno pectore sapiant, in oculis, & in animo debent, siue vt egregiā laudem, & gloriā verè regiam deputent, tantæ huius Reginæ vicem gerere, ipsique ex animo inseruire: [Anselm.] *Nam seruire huic reginæ* (inquit Anselmus libro de excellentia Virginis) *regnare est, & inter illius mancipia numerari plus quàm regnum*, siue etiam, vt in ipsius gloriam, & obsequium coronas suas, & regnandi gloriam omnino referant, vti veros, & sapientes Reges fecisse legimus Apocalypsis capite 4. vers. 10. dicente [Apoc. 4. 10.] Ioanne: *Procidebant viginti quatuor Seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum*: vbi si attendis: *qui ante sedentem in throno* procidebant, & adorabant: subinde coronas suas signatè ante thronum ipsum, hoc est ante Deiparam (quæ indubitatò Dei thronus est, in quo ipse singulariter sedet, & quiescit, esse perhibetur) supplices, venerandique abiiciebant: tum vt ingenuè, & regia submissione, manifestum facerent, regium munus, quod habebant peculiari Deiparæ beneficio sibi obtigisse, ipsique tanquam eius vicarios acceptum habere, necnon quidquid sibi regni, siue regiæ magnitudinis, ac potentiæ inerat, in illius cultum, & venerationem libentissimè conferre: tum vel maximè, vt Virgini summet coronam reddentes, ab illius manibus splendidiorem, & solidiorem acciperent: dum eius videlicet precibus, & meritis, quidquid humanæ fragilitati casū, non modò subsistit, sed etiā in altius surgit. Id quod sapiens Imperator Iustinianus [Iustinian. Imperat.] publico edicto, & lege verè regiā professus dicitur egregiis his verbis: *Hoc te precantes exoramus Sancta, & gloriosa semperque Virginis, & Dei genitricis precibus, vt quidquid minus est Reipublicæ nostræ per nos indignos seruos tuos restituat in suo nomine Deus.* Sic ille.

5 At enim ea peculiari ratione per Virginem Reges regnare dicuntur, quod diuinis eius exemplis, & protectione muniti legitimè, & feliciter regnent: munerisque sui partes vndequaque impleant. Quod quidem egregiè confirmat optimi Principis Moysis facta à Deo electio: Exod. 3. 2. [Exod. 3. 2.] Dum eum Dominus inauguraturus sic ei in rubo apparuisse dicitur: *Apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi, & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur.* Sed quale id rogo, solij genus strauit sibi Dominus? quâve ratione Moysem in Principē electurus rubum ei potiùs quā aliam proceram, & amœnā arborem ob oculos posuit? opportunène ad rubum velut ad aram ille inauguratus est? Ita quidem omnino, vt ad Deiparæ simulachrum populi Princeps optimâ ratione, & felicissimo omine fieret. Audi hac de re S. Ioan. Damascenum [Damasc.] apud P. Salazar ad prædicta Prouerb. verba: *Per me Reges regnant*, ita loquentem: *Per simulachrum quoddam, & vmbram Mariæ tantum legislator, & Princeps creatus est.* Vt dixerit: tum sub hoc felicissimo Mariæ climate, & pulcherrimo diuini huius influxu, tum etiam illâ vmbram faciente, ad quam Moyses se componeret, ipse Regium munus diuinis virtutibus omni ex parte perfectissimè impleuit: nihil enim ipso iustius, clementius, patientius, continentius, prudentius, & ad misericordiam, & benignitatem pronius, nihil tandem inter homines diuinius. Sic namque illi Dominus: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Exod. 7. 1. [Exod. 7. 1.] Sed quare Deus Pharaonis, & non potiùs eius Rex, Princeps, aut gubernator effectus est? Equidem vt Moysis gubernatio omnibus numeris absolutissima, & diuina potiùs quàm humana censeretur iuxta legem quam Principibus præscribebat Nazianz. lib. 1. adnotat. 6. n. 1. [Nazianz.] adductus, *Subditis vestris Deos vos præbete, liceat enim audacius aliquid dicere.* Parùm siquidem erat Moysem ad virginis vmbram, & simulachrum Principem factum, hominem sese in populo gubernando exhibere, nisi etiam diuinas virtutes sic exprimeret, vt Deus quodammodò haberetur: vnde de eo Ambros. [Ambros.] lib. 1. de Abel, & Cain c. 2. *Humanæ dignitatē conditionis excessit eousque vt Dei donaretur nomine sicut habemus scriptū dicēte Domino:* posui te Deū Pharaonis. *Etenim victor*

victor passionum omnium, nec villis captus sæculi illecebris, qui omnem istam secundùm corpus habitationem cælestiu puritate conuersationis obduxerat, mentem regem, carnem subiectis, & regiâ quadam auctoritate castigans nomine Dei vocatus est, ad cuius similitudinem se perfectâ virtute vberta te formauerat.

6 Quare obserua, quid ei postmodum dixerit Dominus: *Ecce percuties virgâ, quæ in manu mea est aquã fluminis:* Exod. 7. 17. Ad quæ verba benè quidem ambigit Caietanus, quâ ratione Moysis virga, quam in manu ipse habebat, in manu Dei esse dicatur? *Mirabilis* (inquit) *loquendi modus: nam nec Moysi, nec Deo quadrant hæc verba simul: Nam nec Moyses percussit virgâ aquas, nec virga erat in manu Dei sed Moysis.* Sed respondet opportunè, virgam quidem in manu Moysis esse, sed eam quidem manum, iam non Moysis, sed Dei dici, quod diuinâ ipse manu sioe vitâ, diuinis scilicet virtutibus Principis munus, acceptumque Dei nomẽ impleret: *Contextus tamen sonat,* (inquit Caietanus) *quod sunt verba Dei: itaque manum Moysis appellat Deus manum propriam, quia iam constituerat eum Deum Pharaonis.* Vides Principem per Deiparam regnantem, & ad eius vmbram, & lineamenta Regem factum, qui videlicet subditis suis Deum se præberet, qui *Principum Princeps, & legislatorum illustrissimus* esset, vt inquit Nazianzenus oratione 6. qui gubernatorum *prudentior, & instructior,* vt ait Ambrosius in epist. ad Simplicianũ, mirabili solertiâ, & cognitione clarissimus, & præsentia componeret, & singulari quodam acumine prospiceret in futurum, qui vt diuinum Numen, & sanctissimam eius voluntatem ferebat in oculis, atque ad illam omnia referebat, ita tãrâ in suos esset charitate, vt deleri de libro Dei peteret, quò illi salui esse posset, qui tantâ fuerit mansuetudine, & lenitate præditus, vt mitissimus hominũ dictus sit, tãrâ rursus auctoritate, vt ad illius vocem terra dehisceret, quò rebelles, & impij obruerentur. Hæc omnia multò meliùs & copiosiùs tradente Augustino libro 22. contra Faustum cap. 69. his verbis: *Moysem famulum Dei fidelissimum, humilem in recusando tam magnum ministerium, subditum in suscipiendo, fidelem in seruando, strenuum in exequendo, in regendo populo vigilantem, in corrigendo vehementem, in amando ardentem: in sustinendo patientem, qui pro eis, quibus præfuit, Deo se interposuit consulenti, opposuit irascenti: hunc itaque talem, ac tantum virum absit, vt ex maledico Fausti ore pensemus, sed ex ore planè veridico Dei.* Sic Augustinus. En quid sit à Mariâ Principem efformari, manum scilicet Dei non modò adiuuantem, & sideutem, sed etiam velut propriam habere, dum egregia, & penè diuina ille opera exercet: cùm non sit *abbreuiata manus Domini* in Moyse.

7 Et quidem optimæ huic gubernandi rationi, quæ à Deiparæ vmbra, & ope Principibus obtingit, florens itidem fortuna, constansque gloriæ, & felicitatis cursus, omnino adhærent, vel io tot egregias victorias, & triumphos à Moyse de hostibus relatos, quibus sacræ paginæ plenæ sunt, oculos conuerte. Sed enim iis, quos ipse gloriosè retulit non contentus, tam successoribus suis, quàm omnibus Principibus hanc vincendi artem in Arcâ testamenti, quæ Sanctissimæ Virginis typus, & imago fuit, quasi testamento cum Principatu reliquit. Nimirùm ipsam tam Principum, quàm Reipublicæ aduersùs hostes cunctaque discrimina firmissimũ præsidium, & monimentum perpetuò extitisse omnes sacri libri loquuntur, vt de ipsâ eleganter dixerit Athanasius libro de Interpretatione Psalmorum ad Marcellinum: *Si bellũ populo ingrueret, Arca in quâ erant tabulæ legis ante omnes præcedebat: hoc sufficiebat illis pro quauis acie in subsidium.* Quod quidem Deiparæ adeò conuenit, vt de ipsâ primariò dictum fuisse videatur. Nam si historiarum,

P. Velasquez in Psal. centesimum.

Exod. 7. 17.
Caiet.
Nazianz.
Ambros.
August.
Athanas.

A siue veterum, siue recentiorum libros diligentiùs euolueris, vix aliud frequentiùs inueneris, quàm Christianis Principibus in summo rerum discrimine Diuinam hanc Arcam pro quauis acie in subsidium satis superque fuisse, eiusque ipsos ope egregias de Christiani nominis hostibus victorias reportasse. De quo signatè multus est in suis Ecclesiasticis Annalibus Illustrissimus æquè ac eruditissimus Cardinalis Baronius: ad annum quippe Domini 625. ex Theophane, Anastasio, & Cedreno refert Heraclium Imperatorem de Cosroë Persarum Rege toti regnorum suorum, & victoriarum fortunæ inixo, atque superbiente egregiè triumphasse non suis quidem copiis, sed Deiparæ auxilio, quo factum est, vt grando miræ magnitudinis hostes contriuerit, & præcipites in fugam dederit exercitus. Similiter apud eundem ad annum 886. Basilius Imperator Virginis opem implorans Saracenorum Principem, qui illam impiis fuerat conuitiis lacessitus, bello superauit. Iridem, & Ioannes Zemisca Imperator Græcorum, ingentes Bulgarorum copias fudit Mariæ auxilio, quippe ipsa

B Sanctum Theodotum Martyrem, ad opem Imperatori ferendam misit, illeque equo albo insidens in primâ acie pro Cæsarianis pugnate, & hostium vires infringere visus est. Quamobrem Imperator accepti beneficij memor, & debitam gratiam persoluens in Virginis honorem amplissimũ ædificauit templum. Illud verò omnino mirabile, quod ad annum 568. ex Procopio, & Euagrio idem Baronius de Narse, vt præstantissimo belli duce, ita Beatæ Virginis egregio cliente, atque cultore sub Imperatore Iustiniano refert, ipsum nimirùm non modò crebras, & illustres ope Deiparæ contra Totilam, & Gothos obtinuisse victorias, sed ipsam pro Duce, & Magistra habuisse,

C quæ ei pro se nata sese conspiciendam offerens tempus & modum, quo prælium esset ineundum, præscribebat. Vnde ipsum non priùs in aciem descendere solitum quàm à Virgine opportunum tempus cognouisset. Nec huic dissimilis Stephani Hungarorũ Regis, & pietas, & felicitas, cuius meminit Anton. Bonfin. libro 1. de Reb. Hungariæ decade 2. Qui in prælium nunquam ibat, quin supplex priùs Sanctissimæ Virginis opem imploraret: vnde palmam de hostibus semper referebat: similia de Imperatore Ioanne Comneno Nicetas Choniates, & alij referunt.

8 Sed enim nostram Hispaniam hac signatè de causâ dixeris fortunatissimam, quòd eius Reges Deiparæ studium, & venerationem adeò impensè semper susceperint, vt sub hoc felicissimo sidere nati, & inaugurati esse videantur: indeque siue in bello,

D siue in pace tot facinoribus egregiè, & fortiter gestis clarissimi perpetuò extiterint: inde tot de fidei hostibus victorias, tot triumphos retulerint, quot sunt oræ, partesque terrarum. Et, si benè æstimas ipsummet Hispanum Imperium Vvitizæ, & Roderici piaculis deperditum ex Maurorum manibus extorserint, & aucto censu recuperauerint, duce gloriosissimi facti Pelagio, qui in summo rerum discrimine cum parua, & inermi manu, & ipso timore fluctuante in spelunca Sanctæ Mariæ de Cobadonga inclusus, præsentissimâ ipsius ope, quã obnixè efflagitauerat, adeò confirmatus atque erectus est, & viribus, & potentiâ ferociori hosti infinito interuallo impar, & inferior: repentè fortitudine, & fortunâ superior factus illum omnino fregerit, atque prostrauerit: sic rem siue miraculum referente nostro Scriptore libro 7. de Rebus Hispaniæ: *Spelunca aditus telorum omne genus, & lapidum procella quassatur, in quo vi Numinis apparuit nostris propitiũ, infensũ hostibus. Sagitta & lapides missi reflecti in iacientes visi sunt, ipsosque barbaros vulnera-*

Car. Baro.
Procop. Euagr.
Ant. Bonf.
Nicetas.
P. Maria

ta in auctores tela magno numero vulnerare, trucidareq́. Tanto miraculo hostes attoniti Christianis tum spe victoriæ pugnandi ardor incessit. Erumpunt ex latebris pauci numero, illuuie corporum fœda acies, pugnam magnis animis inuadunt, tumultus persimilis dimicatio fuit. Hostes incussa diuinitus formido debilitauit, continuoq́; in fugam versi, cæsi supra viginti millia. Hæc ille & plura, quæ totidem penè verbis scripsit Baronius ad annum 718. Vt Pelagio

Cant. 7. 8. Virginis patrocinio innixo ea ex Canticis cap. 7. 8. verba: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ*: à commentario trium PP. sic expensa, *sicut botri præbentes mihi gratiam diuinitatis, quæ vini more à naturâ mentem dimouet, & supra naturam transfert*: omnino aptaueris, ipsum enim ad Deiparæ opem confugisse, in palmam ascendere, & victoriam reportare fuit: militum animis hoc cælesti lacte, siue vino mirificè erectis, & supra naturam translatis.

Ad ea verba,

In medio domus meæ.

Bonus Princeps sic se eiusdem cum subditis massæ, siue conditionis esse existimet, vt humanæ naturæ ærumnas, & obedientiæ labores, ac difficultates experiatur.

ADNOTATIO VII.

1 NEc hæsit quidem in suæ mortalitatis consideratione Salomon, quin etiam à parente edoctus ex eodem luto, quo subditi sui constarent, se itidem formatum, ac proinde illis persimilem omnino C agnosceret: sic quippe iam citatus dicebat: *Sum quidem & ego mortalis homo similis hominibus, & ex genere terreni illius, qui factus est*: vt diceret: Non equidem ex meliori luto confictus, sed ex eâdem quâ alij constant massâ, æquæque ac illi conditionis, & vt iisdem elementis atque principiis, ita iisdem affectibus, ac passionibus, iisdem etiam proculdubio promissionibus, minis, præmiis, atque suppliciis, vt ceteri obnoxius, ac proinde qui eosdem virtutis, & humanæ conditionis labores suscipere non recusem. Quod noster Vates exprimebat, inquiens se *in medio domus suæ* perambulare, hoc est tanquam vnum ex domesticis suis, vt in commentario vidimus. Hæc Principi legitimè, & ex arte Regnum gubernaturo quàm sint consentanea, vel ea opposita gubernandi ratione disce. Equidem Luciferum illum de mane orientem, superbissimum omnino monstrum, & *inter vniuersos filios superbiæ*, Regem (caputque extitisse, Iob c. 41. vers. 25.) ex Scriptura, & Patribus abundè nouimus. At enim verò quem D tam insani conatus scopum sibi ille præfixerit, quóve adeò audax, procaxque superbia iuerit, non satis inter Theologos liquet. Porrò Bernardus opportunè, ac sapienter rem expendens, insanam illius cogitationẽ super altitudinem nubium conscendere cupientis eò reuocat, vt qui Angelorum iam Primas & Princeps erat, altiùs subinde sedere, & homines pro libito mo-

Bernard. derari, & gubernare ambierit. Audi illum sermone 17. in Cantica: *Ascendam (inquit) super montem excelsum, & sedebo in lateribus Aquilonis, quo Altissimi quandam proinde similitudinem obtineret, si quemadmodum ille super Cherubim sedens gubernat omnem Angelicam creaturam, ita, & ipse altiùs sederet, regeretque genus humanum.* Sed enim in hac Bernardi ratiocinatione non immeritò dubites, qua de causa grandi elationis vitio Lucifero tribuatur, vt qui *nouem Angelorum ordines sub suâ habuit dominatione*, (vt inquit Hieronym. in Psalm. 23.) *siue bonus,*

Greg. M. *siue malos*: vel vt inquit Gregorius Magnus libro 4.

A Moralium capite 13. *Qui ita conditus erat, vt Angelorum cæteris legionibus emineret*: inferiorum creaturarũ, nempe hominum caput esse concupierit? Cur enim id, vel ipsi magnum, vel nobis minus, aut indecens videatur? Sanè si homo, qui *paulò minùs ab Angelis* formatus est: Angelorum Principatum, & gubernationẽ ambiisset, optimo illum merito arrogantem, & temerarium ego nominarem, quippe qui naturâ, & dotibus inferior excellentiores, atque meliores se, ratione, & rerum naturâ repugnante ducere, & moderari vellet: at Angelum homine naturâ, dignitate, sapientiâ, & cæteris dotibus præstantiorem illum gubernare voluisse, cur potiùs elationi, & insolentiæ, quàm modestiæ, & submissioni adscribatur? Certè Plato Plato. antea illius, & florentissimæ Reipublicæ formator, &

B Doctor pro Angeli voto suffragium tulisse dicetis: tanti siquidem gubernandi alios munus fecit, vt non alium gubernationi opportunum censuerit, nisi eum qui iis, quos regendos susceperit, non meritis solùm, sed naturâ longè excellentior, ac diuinior fuerit: etenim lib. 16. *de regno*, siue *de Republica*, id quod sub Saturni regno de aureo illo sæculo fertur, ideò dictum putat, quòd *Deus ipse homines pasceret, ipse illorum custos, & pastor, quemadmodum homines, quorum natura diuinior, brutorum pastores sunt.* A quo quidem non multùm distare videtur ab Stephano Cantuariensi in aquarum Stephan. ab aquis diuisione medio interiecto firmamento ex- Cantuar. cogitata allegoria, quasi Principum vita à subditorũ moribus, non minùs quàm cælum à terra exaltari debeat: ita enim ille in allegoriis Gotfridi Tilmani ad Gotfrid. cap. 1. Geneseos: *Ecclesia est firmamentum quasi in bono* Gen. 1. 6. *confirmata, quæ habet aquas superiores, id est, Prælatos: & inferiores, id est, subditos*: & diuisit aquas ab aquis: *quia vita* C *Prælatorum longè debet esse à vita subditorum.*

2 Verùm enimverò præfata Bernardi cogitatio mirè subtilis: si obserues, quàm fuerit à natura, & ratione alienum, vt Lucifer, qui Angelus, spiritualis videlicet substantia erat, laboris, & defatigationis vndequaque expers, & quæ carnis affectibus, & necessitatibus minimè tangatur, homines corpore constãtes, & carnis infirmitatibus obnoxios, siue circumdatos regere, ac moderari, eisque leges illorum viribus pares, & opportunas dare, & præscribere vellet. Quænamque rogo, insanior præsumptio? Quæ immanior elatio, & insolentia fuerit? quàm eum hominibus dominari, qui hominũ labores, & humanæ vitæ onera, atque obedientiæ difficultates expertus non fuerit? Qui enim is congrua hominibus præcepta, opportunave remedia dare, debita virtutibus præmia, iusta peccatis supplicia decernere valeat, qui ipsorum vires minimè expertus, illas cum iniuncto pondere librare non nouit? aut quo pacto ad humanam imbecillitatẽ D subleuandam, fessis, ac fatigatis opem ferendam facilis, ac propensus, vt omnino expedit, ille fuerit, qui humanæ carnis fragilitatem, terrenumque figmentũ prorsus nescit? Meritò ergo superbum, & turpissimè superbum, & arrogantem eum dicito, qui supra cardines cæli perambulans, & regali supra nubes strato solio incubans, humanæ conditionis ignarus leges hominibus dare, & præmia, atque supplicia illis decernere volebat. Nimirùm ea legitima regendi conditio, & iustissima lex fuerit, vt pari obedientiæ disciplinâ imbutus, & eâdem quâ subditi laborum perpessione edoctus ad eos gubernandos Princeps accedat: vti accuratâ locutione à nobis alibi expensâ, Heliam populi ductorẽ sic compellabat Heliseus 4. Regum capite 2. versu 13. *Currus Israel, & auriga eius*: id est, vt pendit Venerabilis Drogo sermon. 4. Reg. 2. 13. de Dominicæ Passionis Sacramento: *qui portas, ac regis, sustines, & gubernas*: & notanter quidem priùs *cur-* Drogo. *rus* ferendis scilicet oneribus factus, quàm *auriga*

rigæ eius, aliorum videlicet ductor, & gubernator, vt dixerit: Qui aliter quidem ac Lucifer populi gubernationem suscipis: ille quippe aurigam tantùm, & ductorem, qui alios pro libito moderaretur, quin currum sese priùs exhiberet, & communia cum subditis onera portaret, esse volebat, tu verò *sustines, & gubernas*, dum priusquàm subditis imperes, & leges feras, atque eorum humeris onera imposueris, experientiâ doctus dignoscis: quid humani humeri valeant, quid ferre recusent. Enimverò hanc cogitationem bellè expressisse videtur Hebræus Philo libro *de Ioseph*, siue *de viro ciuili*, vbi de Principe legibus cumprimis non obediente ait: *Seipsum afficit pœnâ grauissimâ videlicet inscitiâ, quippe qui non didicit id quod in omni vitâ vtilissimum est, imperata facere: vnde imperandi quoque scientia discitur.* Obserua illud, *qui non didicit imperata facere.* Sed quod malum imperanti id fuerit, qui non imperari, sed imperare debet? Magnum quidem, ait Philo, pœnaque grauissima, quòd qui non didicit imperata facere, ne imperare quidem didicit, sed nec discere potest, cùm imperandi scientia ex obedientiâ discatur.

Philo.

3 Sed enim temeraria Luciferi præsumptio à nemine opportuniùs quàm ab ipso Dei Filio, & verbis, & factis ipsis conuellitur, & verberatur, cùm de ipso dixerit Paulus ad Hebræos capite 10. versu 5. *Ingrediens in mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*: vbi obseruatione cumprimis dignum est verbum Latinum, *aptare*, & Græcum καταρτίζω illi respondens; quod propriè significat, vt bene ibi adnotat P. Ribera: *Suo quidvis loco congruenter aptare, ita vt partes inter se, & cum toto congruant*: vnde alij legunt, *corpus autem perfecisti mihi*: eodem planè sensu, quia tunc res perfecta, & omnibus numeris absoluta censetur: cùm concinnè, & congruenter composita est. Deinde non immeritò dubitet non nemo: quâ opportunitate hoc verbo vsus sit Apostolus, siue etiam Dei Filius? nam cùm humana Christi natura, & corpore, & animâ constaret, quâ ratione animæ, quæ summè gloriosa Dei conspectu fruebatur, concinnè, & congruenter aptatum id corpus esse possit, quod laboribus, curis, fatigationibus, & ipsi morti obnoxium, atque subiectum erat? cōgruentius sanè atque concinnius ei animæ aptatum Adæ corpus in sui formatione dixeris, quod impassibile quidem & morte valentius fuit: subinde verò si ad Christi Domini diuinitatem, hæc concinnitas, siue aptatio referatur: quomodo ei concinnum, & aptum, siue non omnino dissonum, & disconueniens fuerit mortale corpus, ærumnis, & infirmitatibus circumdatum? Sed facilis omnino, & expedita responsio est, si obserues pronomen illud *mihi*, quod emphaticè positum videtur ad significandum Dei Filium muneri suo intentum, illudque implentem, ad eum omnino modum, quo de se ipso dicebat Apostolus Paulus: *Nec facio animam meam pretiosiorem, quàm me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi quod accepi.* Actuum cap. 20. v. 24. vbi notanter *animam*, id est, vitam suam non tanti, quàm *seipsum* facere, dixit Apostolus, quasi ipse non tam vitæ suæ, quàm muneri suo prospiceret, siue etiam non tam vitâ, quàm munere constaret: tum verò non tam homo, aut Paulus, quàm Apostolus, & Princeps esset, munere quidem personam quodammodu absorbente. Vnde planè is omnino Dei Filij sensus esse videtur: Quamuis aut diuinitati, aut animæ gloriosæ meæ, gloriosum etiam corpus, immortale, & infatigabile aptè conueniret: *Mihi* autem qui, quantus quantus sim, Principis, & hominum ductoris personam gero, hoc maximè concinnè, & congruenter aptatur corpus, quòd eiusdem massæ, ac figmenti sit,

Heb. 10. 5.
Lect. Græc.
P. Ribera.
Actuum 20. 24.

A passionibus, doloribus, frigori, æstui, siti, ac fami obnoxium, vt videlicet aptè, & conuenienter populi *currus & auriga* sim, *sustinens, & gubernans*, tam subiectionis, & obedientiæ difficultates quàm humanæ vitæ labores, & ærumnas persentiens, vt possim & ipse *consolari eos, qui in omni pressura sunt*, aliàs mihi munus meum aptè, & concinnè non aptabitur. Quæ sanè omnia disertissimè firmauit Paulus in eâdem epistola non semel: sic enim capite secundo vers. 17. *Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum*: pende verbum *debuit*, & si ambigas, quare non dixit Paulus *voluit*, sed *debuit*? cùm gratis & liberaliter ipse pro sua benignitate nostram carnem susceperit? Respondebimus, ita quidem omnino esse, Dei Filium sponte, & gratis nulla necessitate, aut obligatione adactum humanam naturam pro nostrâ salute suscepisse; at enimverò quòd noster Pōtifex, & Princeps esse voluit, vt suum munus impleret, B *debuit per omnia fratribus assimilari*, hoc est, ea ratione, quâ hominum caput esse voluit, consequens profectò fuit, vt ceteris mortalibus omni ex parte similis esset, iisdemque ærumnis, & calamitatibus subiaceret, quibus ceteri mortales obnoxij degunt. Sed quare? Pergit Apostolus: *In eo enim in quo passus est ipse, & tentatus, potens est, & eis, qui tentantur, auxiliari*: vbi lectio Syriaca pro *eo enim*, benè reponit, *Ex hoc enim*: vt sensus sit: quia ille mala nostra expertus est peculiari quâdam sententiâ Principi pernecessariâ scit subditis compati, & misereri, tum vt non maius illis laborum onus iniungat, quàm quod humana imbecillicitas ferre queat: tum vt eorum vicem moderatè ferat, qui vel ignoratione, vel errore aliquo prolabuntur.

Hebr. 2. 17

4 Sed hæc rursum Paulus opportunissimè firmauit cap. 5. eiusdem epistolæ dum generali illa ratione præmissa: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur.* C Id est ex hominibus eâdem cum illis naturâ constans necessariò assumitur: *Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant, quoniam circumdatus est infirmitate*: hæc Christo accommodans subiicit: *Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam [illegible] & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi [illegible]sa salutis eternæ.* Egregia planè ac diuina verba; se[illegible]æ Angelico interprete indigeant: nimirum cùm illud *didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam*: æquè sit difficile, ac illustre, quî enim is, in quo sunt *thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*, aliquid didicisse potuerit? aut quomodo obedientia tamquam ars aliqua, aut facultas addisci dicatur? multi hac re multa dicunt: aliis asserentibus, perinde esse, obedientiam didicit, ac obedientiam exercuit, aliis verò, vt sensus sit, obedientiæ præstantiam, & quàm sit Deo grata cognouit. Sed enim vnus Sanctus Thomas ibi, & Anselmus scopum videntur collimasse, sub hoc sensu D Christum obedientiam didicisse capientes, ac si dixerit Paulus, quid sit obedire, siue quàm graue fuerit subditum Principis imperio premi, & quos labores vita humana contineat, experientia didicit: sic enim Angelicus Doctor: *Didicit, id est expertus est. Didicit obedientiam id est, quàm graue sit obedire: quia ipse obediuit in grauissimis, & difficillimis.* Ad quem modum Anselmus: *Expertus est in se ipso laborem obedientiæ, quia omnes labores obedientiæ sustinuit, & sensibiliter pertulit.* Planè quasi hæc obedientiæ, & laborum experientia, quâ Princeps ea propriis humeris oneri subiectis, quid obedire, quid labores perpeti, quid sitis, quid fames sit, nouit, ei pernecessaria sit: quippe *didicit* (vt dicebat opportunè antea Philo, iam verò opportunissimè) *id quod in omni vita vtilissimum est, imperata facere, vnde imperandi scientia discitur.* Quare subiicit notanter Paulus: *consummatus factus est*: siue vt lectio Syriaca, Ambrosius,

S. Thom.
Anselm.
Philo.

& alij id Græcâ voce suo iure poscente legunt : *&* A
sic perfectus est: vt dixerit hanc obediendi experientiam
Lect. Syr. Ambros. Dei Filio principatum gerenti omnimodam perfectionem, siue coronam quodammodo attulisse, quòd is omnino Princeps gubernationi opportunus assurgat : *Qui condolere possit iis qui ignorant, & errant, quoniam circumdatus est infirmitate* : qui imbecillitatis humanæ gnarus, & quid obedire sit expertus regiam illam exprimit vocem:

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Bernard. Sed Bernardum hæc omnia diffundentem *in libro de gradibus humilitatis* iam audi: *Benedictus* (inquit) *Deus: Benedictus Dei Filius in forma Dei impassibilis, priusquàm exinaniuisset se formam serui accipiens : sicut miseriam & subiectionem expertus non erat, sic misericordiam, & obedientiam experimento non nouerat. Sciebat quidem per naturam, non per experientiam. At vbi minoratus est, non solùm à seipso, sed etiam paulò minùs ab Angelis vsque ad illam formam, in quâ pati, & subiici posset; in passione expertus est misericordiam, & in subiectione obedientiam.* Subdit appositè: *Per quam tamen obedientiam non illi scientia, sed nobis fiducia creuit, dum ex misero genere cognitionis is, à quo longe errauerannus, factus est nobis propior, &c. quem in eo quod passus est ipse, nobis compati posse non dubitamus.* Obserua illud *ex misero genere cognitionis factus est nobis propior* : quasi Dei Filio, Æterni Patris sapientiæ, cuncta scienti, penetranti, comprehendenti miserum cognitionis genus coronam quodammodo attulerit, vt perfectus & consummatus Princeps *nobis propior* esset, qui veluti de proximo res nostras cognoscens, benignior, humanior, & ad indulgendum procliuior accurreret, dum & humanæ imbecillitatis vires, & obedientiæ pondus expertus est.

5 Vnde quidem idemmet Dominus sub parabola C
Principis seruis bona sua ad negotiandum tradentis
Matt. 25. 15. apud Matthæum cap. 25. vers. 15. se ipsum omnino descripsit hoc misero cognitionis genere instructum ad iniungenda singulis subditis obedientiæ onera accessisse : *Sicut enim homo peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum : vnicuique secundùm propriam virtutem.* Sed enim duo vbi sunt in primis obseruanda : alterum, hæc commissa seruis bona, siue ministeria pecuniæ comparata non nullius pretio, sed in pondere censeri, nimirum talentum non tam à numero, quàm à pondere æstimatur : vt bene ibi
Paschas. adnotauit Paschasius lib. 11. in Matthæum inquiens: *Idcirco non ad numerum referenda est ratio talentorum, verùm etiam ad pondus.* Alterum, notanter à Domino exprimi : id maius, minúsve pondus singulorum viribus, & fortitudine fuisse commensuratum: id enim D
fuit dicere *vnicuique secundùm propriam virtutem*: quippe Græca vox δύναμις, quæ respondet virtuti, propriè
Hierony. significat *Vires fortitudinem, robur* : vnde lectio Syriaca habet, *Secundùm propriam facultatem*, & Hieronymus disertè explicuit his verbis : *Non quasi pro largitate, & parcitate alteri plus, & alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus* : & eodem modo Paschasius dum ait: *Vnicuique autem, qui vires conspicit singulorum secundùm propriam mensuram dispertiuit pecuniam talentorum.* Iam illud hinc elicitur, idcirco hæc onera tanta æquitate librata, & commensurata humanis viribus fuisse, quòd ea ipsemet, qui illorum humeris imponebat, in se ipso priùs fuisset expertus : eam quippe vim habet imago talenti, quod pondere non numero æstimatur : nam qui illud alteri tradit, necessaria ratione eius pondus priùs sustinet, & experitur, vt omnino
Drogo. exprimatur, quod de Helia dicebat Venerab. Drogo: *Portas, ac regis : sustines, & gubernas.* Quare iterum
Hebr. 4. 15 in hanc sententiam Sanctus Paulus ad Hebræos capite 4. vers. 15. vt adstruat quàm salutaris nobis Domini Principatus sit, eam reddit rationem : *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia, pro similitudine absque peccato:* vbi lectio Syriaca disertè : *Sed qui tentatus est per omnia sicut & nos.* Lect. Syr.
Optimi Principis formam ex illo eliciens Apostolus quòd laborum, & onerum talenta non priùs suis subditis traderet, quàm prius ipse sustineret; hinc namque esse quod Princeps æquissimo iudicio, & ingenio ad miserendum, & opitulandum maximè prono subditorum res libret, atque disponat : benè hæc expendente ibi Primasio his verbis: Primas.
Multi Pontifices ignorant eos, qui in tribulatione sunt constituti, neque quæ sit tribulatio in quolibet sciunt. Impossibile est autem, afflictorum afflictiones nosse ei, qui experimentum afflictionis non habuit, & sensibiliter omnia non sustinuit. Pontifex autem noster competenter omnia sustinuit, quæ fuerunt illata humanæ miseriæ post peccatum. O bonum, æquumque Principem qui ideò talenta, & pondera vnicuique secundùm propriam virtutem iniungat, quod ipse priùs sustulerit! B

6 Vides iam superbi illius insaniã, qui malorum nostrorum vndequaque ignarus, & misero cognitionis genere omnino carens, nec obedientiæ labores, & difficultates vnquam expertus, quid fames, quid sitis, quid æstus, quid frigus, quid fatigatio, & dolor, quantumque hæc vrant, & crucient planè nescius, sed iuxta cæli cardines perambulans, & suauissimis gaudiis madidus miseros homines tot ærumnosæ vitæ fluctibus immersos, & terrenæ inhabitationis laqueis implicitos pro libito regere, & moderari, illisque præmia, ac supplicia decernere volebat : eò scilicet totum gubernationis munus referens, vt voluptates, & vtilitates sibi ipsi priuatim vendicaret, labores subditis nullo virium ipsorum experimento sumpto mandaret. Quam sanè gubernandi rationem mali illi Principes sequebantur de quibus Dominus apud Matthæum cap. 23. vers. 4. dicebat : *Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Vbi omnino obserua, Matt. 23. 4.
quę subditis onera ab iis Principibus imponi dicantur : nempè *importabilia* : quæ videlicet humeris hominum imparia ipsos frangerent, quin illa ferre possent vti enucleatiùs habetur apud Lucam ca. 11. vers. Luc. 11. 46.
46. Oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt. At quæ, rogo tam inhumana, & ferrea : imò verò tam vesana, & stulta eius mens fuerit, qui importabile, & supra vires onus, vel infelici iumento imposuerit, cùm dorsum oneri impar illi cedere necesse sit? Vnde ergo his Prælatis insanus hic onerandi, siue gubernandi subditos modus fuerit? Vis nosse? quia onera, quæ imponunt, nunquam ipsi sustinuerunt: *Digito enim suo nolunt ea mouere.* Cùm ergo onerum pondus atque momenta non propriis humeris, sed oculis solùm (quod Hispanè dicimus *a buen ojo*) expenderint, inde fit, illa imparia, & *importabilia*, & quæ subditorum humeros frangant: vnde ad hæc verba sanctus Chrysostomus in Catena : *Intende autem qualiter, & eorum reprehensionem aggrauat. Non enim dixit : non possunt, sed nolunt : neque dixit portare, sed digito mouere : id est, neque prope fieri neque tangere.* Quid ergo pro muneris sui ratione ij Principes faciebant? sedere quidem & iubere, nec aliquid ampliùs : vel audi quid præmiserit Dominus vers. 1. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi* : en Luciferi ingenium *sedebo in lateribus Aquilonis*: leges feram, iubebo, supplicia inferam : quin à solio exurgam, nec miserum cognitionis genus vnquam habeam. Aliter planè Dominus de quo notantissimè Paulus ad Hebræos 1. vers. 3. Hebr. 1. 3. Chrysost.
Portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. Primùm videlicet omnia portans, & portatis iam omnibus sedens:

dens: tunc scilicet opportunè gubernans, & regens (nam sedere, regnare est) cùm omnia priùs humana onera portauit: *Et omnia sustinuit, quæ fuerunt illata humanæ miseriæ post peccatum.*

7 Nec discedendum hinc, quin superbum illum cunctis suis telis omnino exarmemus: ergo aiebat ipse. Quidni munus regendi homines ad me pertineat, qui illis naturâ, & moribus non minùs clarior, & excellentior sum, quàm terræ cælum antecellit? Núnne imperium præstantiori, atque excellentiori conuenit? Sed hæc tela vel amictu possis repellere: sic namque ei satisfeceris. Benè quidem, ô Princeps, hæc se habent: nec tuam tibi claritatem, & eminentiam denegamus, verùm, vt tua tibi cogitatio succedat, è solio te primùm demittere, & humanæ carnis infirmitatem tibi circumdare, ferre famem, sitim, cæterosque labores, æmorum pondus sustinere, atque vnum è nobis *tentatum per omnia sicut & nos*, nihil à cæteris nisi virtute, & fortitudine differentem fieri, operæ pretium est. Nam, ne tibi toties Christum obiiciam, de

Plinius. Gentili Imperatore Traiano sic Plinius in Panegyrico: *Quid apud milites? quam admirationem? quemadmodum comparasti? cum tecum inediam, tecum ferrent sitim, cum in illa meditatione campestri militaribus turmis Imperatorum puluerem, sudoremq; misceres, nihil à cæteris nisi robore, ac præstantia differens.* En præstantiam, atque excellentiam, quam præ subditis Princeps potissimùm habere debet. Neque enim is munus regium implet, qui naturâ tantùm & sanguine clarior, atq; illustrior, & veluti à diis genitus (vt aiebant gentiles) est, sed qui & laborum tolerantiâ humanus, & moribus excellentior, atque diuinior emicat, vt quemadmodum vitæ probitate superior, subditis exemplar, quod imitentur se præbet, ita ab ipsis obedientiæ, & humanæ infirmitatis labores suscipientibus exemplum sumat, vt cum illis inediam, cum illis ferat sitim, & militaribus turmis imperatorium puluerem, sudoremque misceat. Sed vt id plus plus appareat, regredere ad Dei Filium (vt dicebat Paulus) Pontificem *tentatum per omnia*: atque vt videris quomodo per omnia tentatus fuerit, reminiscere quomodo *ductus sit ab spiritu,*

Matt. 4. 3. *vt tentaretur à diabolo*. Matthæi cap. 4. vers. 3. sed ô rem stupore dignam! Quid enim Dei Filio, & tentationibus diaboli? tentari enim à diabolo colaphizari est, dicente Paulo de Angelo Satanæ, qui ipsum ad peccandum illiciebat *Angelus Satanæ, qui me colaphizet,*

2. Cor 13. 7. 2. Corinth. 13. 7. Iam quid à diuina Christi natura, & dignitate magis alienum excogitari possit. Certè Ioannem quà egregius Diuinitatis Christi Domini assertor fuit, ipsius tentationes quodammodo describere piguisse, quasi hæc cum illa non benè hærere viderentur, sic coniectauit Origenes homilia 35. in

Origenes. Matthæum: *Notandum est autem, quoniam Marcus quidem, & Lucas hoc ipsum* (id est sicut Matthæus, in cuius elucidatione ipse erat) *scripserunt, qui & tentatum exponunt à diabolo* IESVM. *Ioannes autem Passionem quidem exponit quemadmodum alij, orantem Iesum, vt transiret ab eo calix, non introducit, sicut nec tentatum exponit à diabolo Iesum. Causam autem hanc arbitror esse, quoniam hi quidem magis secundùm humanam naturam exponunt de eo, quàm secundùm diuinam: Ioannes autem magis secundùm diuinam, quàm secundùm humanam interpretabatur naturam.* Vides Ioannem minimè erubuisse Passionem Christi copiosiùs scribere, in tentationibus verò eius referendis hæsisse, quasi hæ longius morte ipsa à diuinitate irent? Quare ergo extremam hanc tentationum ignominiam pati ipse voluit? Nónne satis fuerat exinaniri, formam serui accipere, tamquam malum seruum venundari: vapulare, ludibrio haberi, & contumeliosissimè maledici, nisi etiam à diabolo tentaretur? Vis nosse? vt qui homines diuinos, ad sui exemplum reddere volebat, ad eorum exemplum humanus priùs per omnia fieret, sic id expendente Augustino libr. 9. de Ciuitate Dei capite 25. *Quantum se tentari permisit,* August. *vt hominem, quem gerebat, ad nostra imitationis temperaret exemplum.* En optimum Principem tunc efficacissimum diuinitatis exemplum dantem: cùm ipse humanitatis exemplum prius sumit, & homines in tentationibus, & afflictionibus per omnia imitatur: diuinus quidem moribus, & dignitate, humanus verò tentationum, & laborum participatione.

8 Dixeris non omnino abs re Domini exempla ad diuinitatem imitandam vrgentia, non æquè efficacia futura fuisse, si sic ipse id humanæ naturæ subtraxisset exemplum, vt solus inter homines intentatus abire voluisset, nunc verò, quomodo molestè ferre possint, qui inter ipsius membra numerantur, assiduas diaboli tentationes perferre, qui sciunt, illum nec à Domino tentando temperasse? quomodo non omnia eius dicta factaque imitari non contendant, qui illum tentatum per omnia vident, *vt hominem, quem gerebat, ad nostra imitationis temperaret exemplum.*

Pulchrè Gregorius Nazianzenus hac de re orat. 40. Nazianz. ait: *Simus sicut Christus, quoniam ipse sicut nos, efficiamur dij propter ipsum, quoniam ipse propter nos factus est homo:* vt dixerit, nulla nobis excusatio subest, si diuina Christi vestigia premere recusamus, quando ipse omnia fragilitatis humanæ vestigia pressit. Hæc ob oculos habuisse videtur Ioannes, cùm sacra Apocalypseos ar- Apoc. 1. 9. cana scribens, & Asiæ Episcopus, imò vniuersæ Ecclesiæ fideles admonens, sic se illorum animis insinuabat, & ad cælestem doctrinam, & monita suscipienda vrgebat: *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu.* Vbi si inquiras: cur is, qui Princeps Ecclesiarū Asiæ, & Episcoporum Magister erat, debitos sibi honoris titulos ad subditorum gratiam, plausumque sibi conciliandum opportunos omnino omiserit, siue cum illis potiùs commutauerit, qui carnis quidem fragilitatem, & humanæ vitæ ærumnas sapiebant? Nónne vt subditos alliceret, Christi discipulum quem ipse vnicè dilexit? Apostolum? Doctorem? Patrem potiùs se quàm fratrem appellaret? Itane generosæ Aquilæ naturæ, quæ in arduis posuerat nidum suum, cælestibus scilicet mysteriis imbutæ, tribulationum & laborum participatio conueniebat? Ita quidem, vt dum hinc planè, plenèque Principem atque Prælatum sese ostenderet, qui eadem conditione, ac subditi, miseroque cognitionis genere æquè ac illi constaret, subditos suos ad doctrinam suam capessendam acriùs vrgeret, egregiè id ad eum locum obseruante Richardo de Richard. S. Victore singula Ioannis verba sic opportunè premente: *Et notandum quòd cum posset dicere Magister propter prælationem, dixit Frater, propter humilitatem. Tacuit ergo Magister, ne videretur per prælationem terrere: dixit Frater, vt per humilitatem faciliùs persuadere posset.* Particeps in tribulatione: *ac si patenter dicat. Si propter illa, quæ superiùs de mea scribo persona prophetiam istam non dignamini audire, saltem propter ea, quæ sequuntur, illam audite. Tanto namque libentiùs me audire debetis Doctorem, quantò ampliùs me auditis in his, quæ dicta sunt, vobiscum esse participem.* Hæc Richardus.

Ad ea verba,

Intelligam in via immaculata.

Optimus Princeps, sui primum Rector noxios affectus comprimit: ne illis obnoxius à recta gubernandi ratione erret.

ADNOTATIO VIII.

1 AVDIVIT Princeps in ipso huius institutionis limine *August.* Augustinum monentem: *Reges à regendo dictos, & quid magis quàm carnis concupiscentias? ne regnet peccatum in eorum mortali corpore ad obediendum concupiscentiis:* B quòd regium & excelsum Principis fastigium non à florenti fortunâ, aut ab auri, & gemmarum splendore, aut à fortissimis exercitibus orbem illis debellantibus, sed ab affectuum vacuitate, & libidinum contemptu, quo sui ipsius in primis Rector, regiâ & amplissimâ animi sui possessione regnet, omnino *Hildebert.* pensitetur. Sic S. Hildelbertus Cænomanens. Episcop. Principem non ab aliorum obsequio ipsi exhibito, sed à sui in se ipsum dominatu hunc in modum describebat epist. 25. *Bonus Princeps sibi dominatur, populo* *Synesius.* *seruit.* Luculentiùs verò Synesius in oratione de Regno ad Arcadium inquiens: *Illud profectò primarium, ac summè Regium est, sui ipsius esse Regem, mentemque, domesticæ belluæ quasi moderatricem præficere, neque cùm infinitis propemodum hominibus dominari velis, ipsum turpissimis dominis seruire, voluptati, dolori, & quæcumque his affines belluæ suum in animali domicilium habent.* Quod equidem ipsosmet ethnicos minimè latuit, hac omnino regulâ C Reges, Regiamque dignitatem dimetientes. Ita & *Isocrates.* Nicoclem Regem egregius Philosophus Isocrates, in libello *de Principis institutione*, sic admonebat: *Tibi ipsi non minùs, atque aliis imperato, idque maximè Rege dignum esse ducito, si nulli seruieris voluptati, sed cupiditatibus tuis,* *M.Tull.* *magis quàm ciuibus domineris.* & M. Tullius in oratione *pro Sylla* iisdem penè verbis dicebat: *Regium est, ita viuere, vt non modò homini, sed ne cupiditati quidem seruias, contemnere omnes libidines, non auri, non argenti, non cæterarum rerum indigere.* Vides vt ab affectuum vacuitate Rex apud hos auctores nominetur, & siteve id & *primarium ac summè regium*, & *Rege maximè dignum* esse dicatur? Certè hoc sensu imbuta prudens Regina Amalasuentha Senatui Romano scribebat apud Cas-*Cassiodor.*siodorum lib. 10. variar. epist. 3. se Theodahaldum in regni consortium ad populos digne regendos delegisse, quòd à noxiis affectibus liber sui ipsius Rector esset, sic enim ibi: *Reseruauimus itaque, Deo iuuante, palatia viro nostri generis claritate conspicuo, qui à maiorum stir-* D *pe progenitus regalem habeat in actibus dignitatem, patiens in aduersis, moderatus in prosperis, & quod difficillimum potestatis genus est, olim rector sui.* Pulchrè: *regalem in actibus dignitatem*, inde eruens, quòd *sui* cum primis *rector* ille fuerit.

2 Incusabat Dei bonitatem insanus hæreticus Marcion, quòd qui Adamum vnâ ex parte orbis Principem, & rerum omnium dominum fecisset, ex aliâ sic liberi arbitrij potientem, vt legi diuinæ esset adstrictus, vnde & dignitatis imminutio, & lapsus discrimen oriebatur, reddidisset. Cui insaniæ Tertul-*Tertull.*lianus egregiè pro Dei bonitate fideiubens, sic occurrit lib. 2. contra Marcion. cap. 6. vt adstruat, inde hominem maximè excelsum, & Deo adsimilem factũ, quòd illinc ingentem potestatem, ingentesque animos haberet, hinc verò ipsos Deo, & rationi subiiceret præclaram animi sui possessionem nactus. Enimverò eum dixisset: *Oportebat igitur imaginem, & simili-*

A *tudinem Dei, liberi arbitrij, & suæ potestatis institui, in hoc ipsum imago, & similitudo Dei deputaretur, arbitrij scilicet libertas, & potestas:* postmodum hanc Dei imaginem ex boni tantùm appositione, quin secus agat quàm honesti dictet ratio sic adornat: *Sed & aliàs quale erat, vt totius mũdi possideus homo non in primis animi sui possessione regnaret, aliorum Dominus, sui famulus?* vbi, si attẽdis illud primarium, & vt summè regium ita diuinitatem referens adstruit Tertullianus, quod animi sui possessione Princeps regnet, nec cupiditatibus suis seruiliter sit obnoxius, ad eum modum quo Gentilis The-*Themist.*mistius oratione 9. Valentem Imperatorem magis adulabundus quàm verus demulcebat, inquiens: *Hoc enim optimè intellexisse videris, etsi ingentes in Principe animos inesse oporteat, tamen ingentes illos animos obedientes es-* B *se debere rationi.* Secus quidem si non rationi, sed cupiditatibus seruiliter obediat, quo subditis præstantior, aut quomodo non illis inferior, & abiectior fuerit? nónne tunc sub iugo seruus? benè monente Claudia-*Claudian.*no in quarto Consulatu Honorij:

Si metuis, si praua cupis, si duceris irâ,
Seruitij patière iugum, tolerabis iniquas
Interiùs leges.

Nec vtcumque quidem seruus, sed verbero & infimæ sortis, læuis scilicet, & præferocibus dominis subditus, vti Neronem mundi dominum sic tacitus submonebat Persius satyra 5. *Persius*

——— *Sed si intus & in iecore ægro*
Nascuntur domini qui tu impunitior exis
Atque hic, quẽ ad strigiles scutica, & metus egit heriles?

Iam verò quàm dissonum rationi sit, vt sui famulus aliorum dominus sit, sic monet Gregor. Nyssenus in *Nyssen.* id *faciamus hominem*, oratione 1. *Turpe enim est, vt qui domi suæ seruus est, gentibus dominetur, is Rempub. tractet gu-* C *bernacula, qui scorti nutum obseruat, qui meretricis arbitrio regitur.*

3 Quò planè inerint quæ Salomon Ecclesiast. 10. *Eccl. 10. 7* 7. sic dolenter aiebat: *Vidi seruos in equis, & Principes ambulantes super terram quasi seruos.* Sed quæ hæc doloris causa fuerit, aut cur sapiens Rex Principibus probro vertat, quod super terram pedibus incedant? commonente Chrysostomo homil. 40. in epist. 1. ad *Chrysost.* Corinth. *Quando enim affectus modestus humi incedes, sedebis in curru humilitatis, qui te in cælum sustulit, qui equos habet alatos.* Et eodem sensu Plinio in Panegyrico ex *Plinius.* Traiani exemplo summè id gloriosum Principibus, sic adstruente: *Ante te Principes fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu vsum pedum amiserant: illos ergo humeri, ceruicesque seruorum super ora nostra: te fama, te gloria, te ciuium pietas, te libertas super ipsos Principes vehunt, te ad sydera tollit humus ista communis, & confusa Principis vestigia.* Atenimverò aliò Salomonis mens, aliò eius querelæ erunt, D quippe qui omnino adstruit, Principes, quò dignitate seruis præstantiores sunt, eò morum candore, & affectuum vacuitate excellentiores esse debere. Ergo non in corporis, sed in affectuum pedes intentus eos Principes carpit, qui terrenis cupiditatibus inseruientes à regio culmine, & dignitate, quæ equitandi imagine in scriptura exprimitur, abiecti & viles in terram, non secus ac è plebe homines, aut externæ sortis mancipia delabuntur. Sic hæc expendente Venerab. Galfrido in allegoriis Gotfredi *Galfrid.* Tilmani ad cap. 30. Prouerb. his verbis: *Extolluntur inaniter, & ignauiter submittuntur, siquidem tumiditas, & timiditas, pondus & pondus, & vtrumque abominabile apud Dominum. In equis iniqui superbiunt, sed suis prauitatibus humiles & deiecti non nituntur manibus, vt morentur in domibus Regum, sed vt serui pedibus ambulant super terram, sola suis affectibus & terrena sectantes.* Scitè illud *extolluntur inaniter*, Quæ enim sublimitas, & exaltatio fuerit, quæ non morum præstantiâ, sed solâ

externâ

Digitized by Google

aaternâ dignitate innititur? planè inanis, & falsa. Vnde reapse ea quæ Regia videtur sors, & conditio, abiecta & vilis est, & quæ nihil differat, imò verò Princeps vitiosarum affectionum seruiens, iure seruorum seruus dici possit, qui post ipsos tamquam famulus, siue ante ipsos velut anteambulo eat. Quam vim omnino habet ea Salomonis locutio, *ambulantes super terram quasi seruos*, & acutè ibi expendit ad hunc modum Pineda: *Periphrasis seruilis conditionis fortè anteambulones seruorum equitantium, lacayos de sus lacayos.* Sed hæc à Basilio disertissimè obseruata accipe. Sic enim ille homil.10. in Hexamer. *Herum tuum si quando fœda voluptati subseruientem animaduerteris, ipse tibi temperans, tum in mentem veniat, nomine quidem seruum te dici, illum contrà nomenclaturam domini obtinere, cùm interim opere ipso perpetem, & solidam seruiat seruitutem. Vt à complexu pendeat vilissima cuiuspiam meretricula, nimirum perspicis huius ipse contemptor. Quo quæso te, pacto non tu iam præ illo es dominus istius obscuræ affectionis, ille è diuerso tarum serum, quæ à te velut calce proteruntur illicitum voluptatum?* Hæc Basilius: pende id, *Solidam seruiat seruitutem*, & compone cum illis Galfridi *extolluntur inaniter*: vt videris inaniter Regem, solidè seruum, & seruis turpiorem esse. Benè quidem Seneca epist.47. *Nulla seruitus turpior est, quàm voluntaria.*

Pineda. *Basilius.* *Seneca.*

4 Regiam maiestatem quâ Princeps vniuersæ terræ imperat: apprimè depictam videris in illis Domini ad Iob verbis capit.40. 20. *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Numquid pones circulum in naribus eius, aut armillâ perforabis maxillam eius? Numquid multiplicabit ad te preces? aut loquetur tibi mollia? Numquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis.* Quod enim aptius regiæ magnitudinis & fastus symbolum fuerit, quàm cete siue balæna, eius & prodigiosa proceritas, & inter reliquos pisces imperium formidabile, præsertim cùm Hebræum verbum à radice לוה *Lauah* deriuatum propriè significet, is cui alij tamquam inferiores adhærent, & quem honorificè comitantur, soleatque ad coronam, & regium ornamentum referri. Sed enim simul obserua, quàm eleganter ostendat Dominus, quomodo vt ab hamo escâ instructo semel deuorato ea tam vasta moles hâc illac deducitur, atque ligatur, ne abeat quò velit; ita à concupiscentiis omnisque affectibus Regia illa & formidabilis maiestas in omnem partem subiecta, abiectaq; ad nutũ vilis scorti, siue ancillulæ trahatur. *Alius libidini seruit* (ait de Principibus, & magnis viris præfata ep.47. Seneca) *alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Dabo consularem anulæ seruientem, dabo ancillulæ diuitem, ostendam nobilissimos iuuenes mancipia Pantamimorum.* Vel vide magnum illum Regem Herodem, non modò ad scorti nutus, sed etiam à pedibus puellæ ad numeros saltantis hâc illac cum tota regnorum suorum fortuna trahi, dicente Marco cap 6.22. *Cumq; introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi. Et iurauit illi. Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Quid enim aliud id fuerit, quàm immanem balænam hamo & fune ligatam multiplicare preces, & mollia loqui, & ad pueriles & ancillares vsus adhiberi? Audi Chrysostomum orat.2. in decollationem S. Ioannis Baptistæ apud Photium in Bibliotheca. *Tripudiauit filia Herodiadis. Regalem auctoritatem puella pedibus stultus subiecit, permisit regiam dignitatem conculcari, sub quâ se iuramento constrinxit, qui cupiditate cæca captus erat, inuitus posteà puellæ nutui obsecundauit, quin potiùs Eua iterum vir esca capitur.* Ita ille. Sed & Herodi adiunge impudicam illam Iosephi heram illum ad peccatum continuò ac seruiliter pelli-

Iob 40. 20. *Ecct. Heb.* *Seneca.* *Marci 6. 22.* *Chrysost.*

A B C D

cientem: *Iniecit* (inquit Sacer Scriptor Genes.39.7.) *domina sua oculos suos in Ioseph, & ait: dormi mecum. Huiuscemodi verbis per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.* Etenim ad illud *domina sua*, opportunè Iosepho ingeras cum Basilio: *Quo, quæso, te pacto non tu iam præ illa es dominus, huius ipse contemptor?* Verùm omnino ad rem ea verba tractans Nyssenus oratione in illud Apostoli *omne peccatum, quod fecerit homo, &c.* Sic ait: *Temperantia serui magna est auctoritas. Dominam fecit seruam. Nam illi quidem supplicabatur, hæc vero supplicabat*: Imò verò tamquam balæna hamo ad mortem capta mugiebat. Pergit enim Gregorius: *Quæ fornicatione circumdata erat, impudentia clamabat*: Dormi mecum: *Fornicatoriꝫ desideriꝫ mugit famem.*

Gen 39.7. *Nyssen.*

5 Sed enim huic alia ratio accedit, quæ Principem ad noxios affectus comprimendos vehementiùs vrget, quòd à vitæ puritate, & vacuitate affectuum egregia quædam, & penè diuina lux eius intellectui suboriatur, quâ inclytum in Reipub. administratione, & subditorum causis expediendis iudicium ferre, & vero ac certo sensu res populi tractare valeat Qui omnino horum verborum: *Intelligam in via immaculata* sensus est, vt vidimus, & Hugo Cardin. hunc in modum explicat: *Id est, via immaculata dabit mihi intellectum magis quàm studium secundùm illud Ecclesiastici 30. Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso, scilicet in cathedra*: contrà verò ab affectuum obscuritate eæ nebulæ siue etiam tenebræ menti offundantur, quæ verum à falso, turpe à decoro, siue tenebras à luce discernere, & cognoscere impediant. Vnde rursum Noster Vates Psal.118. vers.104. & 105. aiebat: A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis: *& iterum*: lucerna pedibus meis verbum tuum: *& lumen semitis meis.* A Patre verò edoctus Salomon notantissimè In hanc rem inquit: *Diuinatio in labiis Regis, in iudicio non errabit os eius.* Prouerb.16.10. Sed quid est? *Diuinatio in labiis Regis.* Num? quod Rex quispiam fuerit, diuinationem siue diuinitatem habebit? quippe Tertulliano auctore in Apologetico cap.20. *Idoneum diuinitatis testimonium, veritas diuinationis.* Respondent quidem interpretes, velle Salomonem, Regem legitimũ iura dantem, & causis dirimendis iudicium proferentem adeò certò, vero sensu iudicare, vt eius labia sint ad instar oraculi, quæ non modò certum renuntient, & causæ iugulum premant, sed etiam vim præsagam abscondita rimandi, siue futura cognoscendi habere videantur. Sed vnde Principibus diuinandi ars, siue excellentia obueniat? Primum planè à peculiari, atque eximia luce, quam illis tamquam suis Vicariis, & vicem suam gerentibus Deus impertitur, ita quidem Imperator Iustinianus ex Iuliani Iure Consulti sensu in l.2. C. de *veteri iure enucleando*, cùm sapienter ac religiosè dixisset: *Sed quia diuina quidem res perfectissima sunt, humani verò iuris conditio semper in infinitum decurrit, & nihil est in eo, quod perpetuo stare possit, non desperamus, quædam postà emergi negotia, quæ adhuc legum laqueis non sint innodata.* Subiicit: *Si quid igitur tale contigerit, Augustum imploretur remedium, quia ideò imperialem fortunam rebus humanis Deus præposuit, vt possit omnia, quæ nouiter contingunt, & emendare, & componere, & modis ac regulis competentibus tradere.* Audis, Principem non Inter humanas res, quæ incertæ, & ambiguæ sunt, sed Inter diuinas, quæ perfectissimæ sunt censeri? vt ipse velut diuinationem, siue diuinitatem assecutus mortalem conditionem transcendens humanæ naturæ incertum repleat. Iam id in Salomone apertissimè vide. Etenim cùm aliquando coram ipso ius dicente duæ mulieres de infantuli cuiusdam possessione iudi-

Hug. Card. *Prou.16. 10.* *Iustin. Imp.* *3. Reg 4. 24.*

cio contenderent; vnaquaque suum esse filium præfractè affirmante, nullæque ad eruendam veritatem coniecturæ, nulli testes essent, ipse quidem in re vsque adeò implexâ, & obscurâ eam veluti diuinatione permotus, imò verò diuini spiritus lumine illustratus adinuenit rationem, quæ veram proderet matrem, & simulatam conuincere: mendacij ream. Sic hanc rem expendente Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 7. *Denique nobile illud Salomonis iudicium, quod inter dubia certantium, cum vna appresso paruulo, quem ipsa susteperat, vendicare vellet alienum, altera proprium filium defensaret, & fraudem in ipsis cogitationibus occultam, & pietatem in ipsis maternis visceribus deprehendit, vtique per Spiritus sancti munus emicuit. Neque enim latentem conscientiam feminarum alia aliqua potuit nisi Spiritus sancti machara detegere, de quâ ait Dominus*: Non veni pacem mittere, sed machæram: *quia non ferro, sed spiritu mens interna penetratur*. Hæc ibi, & eodem sensu lib. 2. officior. cap. 8. *Non immeritò* (inquit) *æstimatus est intellectus Dei esse in illo in quo occulta sunt Dei Quid autem occultius quàm internorum viscerum testimonia, in qua sapientis intellectus velut quidam pietatis descendit arbiter.* Ita Ambrosius optimè firmans, quod dicebat Iustinianus ideò imperialem fortunam à Deo rebus humanis præpositam, vt diuinâ illi offulgente luce, *possit omnia, quæ nouiter contingũt, & emendare, & componere.* Et si attendis opportunius certè, vt obiter dixerim, quàm ipsamet iurisperitorum, & legislatorum responsa, de quibus bonus Imperator plus, meliusq; rem exprimens, quàm ipse volebat, inquit, *quæ adhuc legum laqueis non sunt innodata*, vt dixisse videatur, eosdem penè in legibus, atque in fraudibus laqueos, & nodos, nec minùs à remediis quàm à morbis timeri posse.

Ambros.

6 At enimverò iure ambigis, an hæc tam splendida lux Principi semper affulgeat? siue an eo ipso quòd Princeps sit, diuinatione, siue diuinitate polleat? quâ in reddendo iure incertum naturæ repleat, & causarum iugulum semper premat? Sed respondeo quidem nihil magnum sine arte, & virtute, quæ cum Deo opem serente coniungatur, ab homine præstari posse, ideoque præter diuinam lucem, quæ Principi splendet, aliquid in quo ipsa splendeat omnino desiderari, vt hinc diuinationis siue augurij ars vndequaque subsistat, vel quid de optimo illo Principe Ioseph, qui diuinandi artem nactus Ægypti regnum diuinis consiliis suis stabile & florens reddidit, Gen. 44. 5. dicatur, audi: *Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet*: siue vt LXX. *augurio auguratur in eo*. En aureum scyphum, in quo diuina lux fulgeat, sine qui Dei luce vibrans diuinationes imò diuinitatis radios iacularetur. Sed quid (inquis) is scyphus portendit? respondet Venerab. Petrus Cellensis Abbas libro de conscientiâ: *Conscientia bona scyphus est Ioseph. in quo augurari solet animus*, ac si cum nostro Dauide iuxta expositionem Cardinalis Hugonis superiùs adductam dixerit: *Via immaculata dabit mihi intellectum magis quàm studium, quia anima viri sancti annuntiat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso*: siue cum Gregorio Nysseno oratione 6. de beatitudinibus: *Puritas & vitiorum affectuumq; vacuitas, & ab omni malo alienatio Deitas est*. Quippe vt *idoneum diuinitatis testimonium, veritas diuinationis est*, ita idoneum diuinationis testimonium veritatis diuinitatis fuerit. Iam verò quomodo diuina lux in aureo bonæ conscientiæ scypho fulgeat, facilè intelliget, qui Paulum audierit 2. ad Cor. 3. 18. monentem: *Nos autem gloriam Domini speculantes*, vbi quod omnes explanatores adnotarunt, cùm Græcum participium passiuæ significationis fuerit, omnino legeris: *Nos autem gloria Domini speculi vicem gerentes*: planè quod in bono conscientiæ scypho tamquam in mundissimo speculo diuini Solis radij splendeant, isque in illo sese cognoscendum, atque videndum exhibeat, pulchrè id rursus admonente Gregorio Nysseno hom. 3. in Cant. dum sub hoc sensu capit ea Sponsæ verba: *Nardus mea dedit odorem suum* ad hunc modum: *Mihi videtur philosophando dicere, quod si quis omnem bene olentem florem, aut aroma collegerit ex variis pratis virtutis, & ea ratione per omnia fuerit perfectus, ad ipsum quidem Dei Verbum tamquam ad orbem Solis defigere oculos, suâ non potest naturâ, sed in se ipso tamquam in speculo Solem aspicit. Illius enim veræ, & diuinæ virtutis radij pura vita illucescentes permanātem ex illis patibilitatem efficiunt nobis aspectabilem, qui est inaspectabilis, & comprehensibilem eum, ad quem non patet aditus in speculo nostro describentes*. Hæc Nyssenus. At enim verò, adeò mundum atque immaculatum speculum, vacuum scilicet affectionibus, atque perturbationibus animum, hæc diuina lux prærequirit, vt si hæ adsint, illis tamquam impuris exhalationibus inficiatur & obscuretur, quin in eo Sol splendeat, vt hic peculiariter locum habent quod Aristoteles lib. *de insomniis*. de speculis sic ait: *Specula non secus ac mundissima vestes celerrimè notam aliquam contrahunt, quod enim mundum est, atqui purum exactè commonstrat quidquid excepit*. Vnde quidem ad præfatum Prouerbiorum locum obseruasset Pater Salazarius Veterum Impp. responsa, quæ in Codices coniecta sunt, tacito omnium gentium consensu recepta esse, quòd nihil rationi aduersum præscribant, Deo in ipsis imperante, & iusta decreta condente: subiicit opportunus: *Quod si nonnumquam aliquid rationi, ac iustitiæ contrarium cautum ab illis est, id quidem ideò contigit, vel quia temerè, & inconsultè agebant, vel quia à communi Reip. bono minimè spectantes priuatis commodis studebant*: noxiis videlicet affectibus ipsorum mentes obscurantibus, & ne diuinam lucem exciperent impedientibus. Benè siquidem monebat Boëtius de consolatione metro vltimo:

Gen. 44. 5. *Petr. Cell.* *Nyssen.* *2. Cor. 3. 18.* *Nyssen.* *Cant. 1. 11.* *Aristot.* *Salazar.*

Tu quoque si vis lumine claro
Cernere verum, tramite recto
Carpere callem: gaudia pelle,
Pelle timorem, spemq; fugato,
Nec dolor adsit. Nubila mens est,
Vinctaq; frenis: hæc vbi regnant.

Boëtius.

Quo mirè facit Isidis apud Trimegistum oraculum, cuius meminit Stobæus eclog. phys. pag. 526. etenim cùm ab ea perquisiisset Sapieos Horus: *quo pacto prudentes gignerentur animæ?* respondisse fertur; *euenire id in mente quod in oculis, qui tunicis circumambiuntur. Quæ si densæ, crassæq; fuerint, tacitum oculi: tùm tenues, & raræ, acutissimè cernunt: ita mens si terrenarum rerum, atque vitiorum velut tunicis densioribus, & obscuris inuoluta fuerit, prudentiæ lumen amittit*. Hæc ibi. Quæ omnino probauit Gregorius Magnus homil. 4. in Ezech. cùm dixit: *Scimus quia vehementer claudit oculum cordis amor priuatus*.

Stobæus. *Gregor. Mag.*

7 Hinc notantissimè infelices illi æternis suppliciis addicti sese ipsos grauiter accusantes apud Salomonem Sapientiæ 5. 6. dicebant: *Ergo errauimus à viâ veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis*. Sed quæ, rogo, hæc accusatio fuerit, à quâ potiùs delictis velamentum obtendi, siue excusatio & apologia adornari videtur? Nam quomodo is errare potuit, cui lumen non illuxit, nec Sol intelligentiæ ortus fuit? Ergo istos Deum potiùs, quod ipsos non illuminauerit, quàm seipsos accusare dixeris. At enim inclamat Dauid pro Dei luce fideiubens: *Signatum est* (siue vt est in Hebræo *expansum est*) *super nos lumen vultus tui Domine*. Psalm. 4. 7. vt dixerit: non lucis malignæ spiculo, sed totâ Solis lanceâ nos circumquaque ambiente, siue potiùs stimulante ad vir-

Sap. 5. 6. *Psal. 4. 7.* *Lect. Heb.*

virtutis cognitionem deducimur. Quod si his iterum illi repugnare videantur dum aiunt, *non est ortus nobis*, quasi non tam negent Solis ortum in omnes terrarum oras lumen suum spargentis, quàm sibi ipsis salutares illos radios emicuisse, reclamat Ioannes c.1. Joann. 1. vers. 9. *Erat lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Vnde illis S. Bonauentura ibi pro Sole instituæ respondens sic occurrit: *Non est defectus iste ex parte Solis, sed ex parte ipsorum in tenebris iacentium.* Sed iam quâ ratione (ais) ea damnatorum locutio subsistat? Psal. 57. 9. Respondet Noster Vates Psalm. 57. 9. *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* August. Ignis imaginem interprete Augustino, ad concupiscentias, quæ velut ignis fumum exhalantes intellectum obscurant, omnino referens. Sic enim ille ad hæc verba: *Videtis quomodo dicit quamdam pœnam obscurationis? Ignis supercecidit, ignis superbiæ, ignis fumosus, ignis concupiscentia, ignis iracundia. Quantum ignis est? super quos ceciderit non videbit Solem. Quem Solem? Non istum quem vident, & pecora, & muscæ, & boni, & mali, est & alius Sol, de quo dicturi sunt illi:* Et Sol non ortus est nobis, &c. *Quare? nisi quia* supercecidit ignis, & non viderunt Solem? Hæc August. Ergo dum *lux vera illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, infelicibus istis *Sol intelligentiæ ortus non est*, quia *vehementer claudit oculum cordis amor priuatus*: nec lumine claro cernere verum potuerunt, qui nubilam à concupiscentiis mentem habebant, quippe hæ intellectui, dum tamquam iudex iudicium vult ferre, falsitatem semper renunciant, sed hæc audi Chrysolog. à Chrysologo serm. 135. liuoris affectum ita perstringente: *O qualiter oculos claudit Liuor! quantum iudicium cordis nequitia præiudicata confundit. O quàm durè amputat obstinatio rationem. Hinc est quod homines mendaces cognoscere nequeunt veritatem. Iudex animi inuenire verum non potest inter nuntia falsitatum.* Sic Chrysolugus, & quidem rectè: dum vnâ ex parte intellectum veritatis inueniendæ auidum facit, ex aliâ illum cum iudice componit, qui non nisi à falsis, & mendacibus testibus rē perquirit, vnde necesse est vt veritatem ab eo minimè inuenerit; quando *nequitia præiudicata* quæ videlicet præoccupat iudicium, mentem necessariò obscurat, atque subuertit. Quare pulchrè concludit: *Quod vult, non quod est, audit semper qui decreuit errare.* Vt dixerit: non intellectus, non mens, sed voluntas omnino fuerit, quæ præoccupato iudicio audit, videt, decernit, sed de hoc iterum, atque iterum redibit sermo.

Ad ea verba,

In innocentia cordis mei in medio domus meæ.

Principem non tantùm à malo, sed ab omni etiam specie mali abstinere debere.

ADNOTATIO IX.

1 EGREGIVM illud monitum quod Paulus omnibus omnino fidelibus 1. ad Thessalon. 5. 22. 1. Thess. 5. 22. sic præscribebat: *Ab omni specie malâ abstinete vos*: siue vt legit Oecumenius *ab omni specie mali*, vel vt S. Cle- Oecumen. Clem. Ro. mens Romanus lib. 2. constit. Apostolicar. *Fuge malū, & quidquid speciem, & similitudinem mali habet.* ad Principem signatissimè pertinere, extra omnem dubitationem est, quippe ipse, vel eâ ratione (præter eam quam lib. 1. adnotat. 5. num. 4. adduximus) *purpuram venerari debet, quòd fastigio suo affixus est, nec illi magis, quàm Soli latere contingat, habet enim hoc primum magna fortuna, quod intimos recessus recludit, omniaq; arcana noscēda satius proponit, atque explicat* (vt libro præced. ex Se- Seneca Plinius. neca, & Plinio vidimus) vnde quidem tum ne famam suam quæ ipsi maximè chara esse debet vllo modo lædat, nam *reo iam vicinus est* (vt scitè Cassiodorus monet Cassiodor. lib. 11. variar. epist. 9.) *qui malus putatur, quia tunc aliquid persuadetur animo, cum intrauerit pectus apta suspicio*: tum etiam, ne infirmam oculorum aciem qui in illum toti conuersi sunt, & sese illi conformare gestiunt, mali specie offendat. *Quia nihil interest* (sic Tertullianus statim integrè adducendus) *vtrum sit quid, aut non sit, si cùm non sit esse præsumitur*: ab illâ summâ debet curâ abstinere:

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.

Claudian. Vt apud Claudianū bonus Princeps ab optimo monebatur. Quam sanè rationem huic instituto disertè accōmodasse visi sunt Sallustius, & Seneca: Sallust. Seneca. ille enim cùm dixisset: *Qui magno imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales nouêre*: inde sic infert: *ita maxima fortuna, minima licentia*: vt dixerit, ei minimum licet, qui omnia potest, cùm omnium in illum oculi conuersi, non tantùm à malo, sed ab ipsa externa mali specie, siue cure præstringantur. Quo sensu Seneca Polybium Imperatoris Claudij administrū, & qui apud eum plurimum gratiâ valebat, in fratris nece nimis dolentem, sic amicè vellicabat: *Multum à te homines exigunt, multum expectant, si volebas tibi omnia licere, ne conuertisses in te ora omnium: nunc autem tibi præstandum est, quantum promisisti omnibus.* Ita ille in consolat. ad Polyb. cap. 26.

2 Et verò Regem Regum, & dominantium Dominum ad hanc omnino legem compositum videris, dicente de eo Vate Psal. 92. 5. *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Etenim dum Christus Dominus à regia dignitate laudatur quasi eam omnino impleuerit, duplici quidem vestimento decoris, & fortitudinis amictus, imò verò præcinctus dicitur: fortitudine videlicet omnimodæ innocentiæ, & rectitudinis: decore autem & splendore bonæ opinionis, quæ nulla culpæ suspicione infuscari posset, vbi duo velim obserues: alterum, pulchrè quidem tam decore, quàm fortitudine præcinctum Principem dici, quòd non minùs fortiter decoris custodiis vinctus & inclusus, atque cōstrictus vndequaque sit, vt maxima fortuna sit minima licentia: alterum opportunè hanc minimā licentiam Principis decorem appellari: nihil enim hac circumspectione pulchrius, nihil gloriosius est. Quæ sanè omnia sapienter diffundit Bernard. lib. 3. de consideratione Bernard. c. 4. Eugenium Pontificem Summum, tam ea iis verbis, quā ex præcedentibus, quæ ex Paulo adduximus, sic admonens: *Sanè interest tua perfectionis, & malas res, & malas pariter species deuitare. In altero cōscientiæ, in altero famæ cōsulis. Puta tibi non licere (etsi aliàs fortasse liceat) quidquid est malè coloratum. Denique interroga maiores tuos, & dicent tibi:* Ab omni specie mala abstinete vos. *Sanè minister Domini Dominum imitetur, quia ipse ait;* Qui mihi ministrat, me sequatur, *& habes de illo:* Dominus regnauit, decorem induit, induit Dominus fortitudinē, &c. *Tu quoque esto fortis in fide, decorus in gloria, & probasti te imitatorem Dei. Fortitudo tua fiducia fidelis cōscientia, decor tuus splendor bonæ opinionis. ita quæso induere fortitudinē, etenim gaudium Domini fortitudo tua. Porrò specie tuâ, & pulchritudine tuâ nihilominus tamquam propriâ similitudine delectatur.* Hæc Bernard. Apud quem pende illud: *Puta tibi non licere, & si alias fortasse liceat quidquid est malè coloratum.* Quod Principi non liceat, quod aliis licet, nec minùs colori, siue decori, quàm fortitudini prospicere debeant, cùm ab ipsorum colore colorentur & subditi, ac proinde quod in aliis defectus tantùm coloris, seu decoris est, in ipsis, malum quidem reapse sit. Ita quidem Augustum Imperatorem prudentissima

P. Velasquez in Psal. centesimum.

Dio. Cass. vxor Liuia apud Dionem Cassium submonebat: *Oportet vos nihil mali facere videri: nam priuatis quidem hominibus satis est nihil delinquere; Principibus ne quidem suspectis esse licet.* Cui fanè monito bonum illum Principem acquiescere, & inniti folium fuisse, auctor est Seneca *Seneca.* lib. 1. de Clement. c. 15. vbi eum egregium eius facinus quo famæ suæ cautè & scrupulosè cōsuluit, retulisset, subiicit de suo, non equidem pusillo illum animo aduersus hominum suspiciones anticipata excusatione sese communisse: nam *vt quilibet nostrū debuisset (inquit) aduersus opiniones malignas satis fiducia habere in bona cōscientia; Principes multa debent etiam fama dare.* Sic ille, & rectissimè sanè dixit *debent fama dare*: nā & si aliud fuerit *debere*, quod ad ius legitimum, & obligationem ex iustitiā promanantem refertur: aliud *dare*, quod liberalitatis est, & ad gratiam, & benignitatē spectat, Principes tamen, quibus non licet, quod licet, si sit malè coloratum, non tam gratis & liberaliter, quàm ex iure & iustitiā multa famæ dant, dum ab omni specie malā abstinent.

3 Aliter quidem, atque aliter eadē Dei Sapientia, *Prou. 3. 21.* & apud Salomonem Prou. 31. 21. & apud Matth. 10. *Matt. 10. 10.* 10. discipulos & domesticos suos vestire dicitur. Nā vt illic duplicia illis vestimenta tribuit: *Omnes* (inquit) *domestici eius vestiti sunt duplicibus*: ita hic vnicā eos tunicā contentos esse præscribit, ait enim ibi: *Non peram in* *Marc. 6. 8.* *via, neque duas tunicas*: & Marci 6. 8. *& præcipit eis ne induerentur duabus tunicis*. Quid? mutauitne pro temporum, aut regionum diuersitate propositum? Minimè quidem, sed apud Salomonem de animæ vestibus, apud Matthæum de corporis indumento sermonem facit, quasi animus plus quàm corpus algeat, & maiori aduersus frigus munimēto opus habeat. Ergo vt corpus vnicā tunicā contentū, quā externū frigus depellatur: ita animā interius, exteriusque vestiam & munitam, interna scilicet iustitiæ fortitudine, & externo boni coloris decore esse vult. Audi præstito loco Ber- *Bernard.* nardum Pontificem Eugenium itidem adhortantem. *Indutere vestimentis gloria tua, vestire duplicibus, quibus domesticos suos fortis illa mulier induere consueuit. Non sit in conscientiā nutans infirmitat modica fidei, non sit in famā neuus mala speciei, & vestieris duplicibus, & gaudebit sponsus super sponsam animam tuam, & gaudebit super te Deus tuus.* Sic Bernardus. Quòd si sapientiæ discipulos duplicibus vestitos velis videre, quid ipsa de illis dixerit au- *Matth. 6. 28.* di. Sic enim Matth. *Considerate lilia agri quomodo crescūt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis*: hæc oamque lilia ve illamet sunt, inter quæ sponsus pascitur Cant. 2. 16. ita à S. Nilo in Ascetico de iustis, & *Cant. 2. 16.* *S. Nilus.* perfectis sic omnino cōpiuntur: *lilium enim in Euangelio quætum animum, & minimè sollicitum significat. Non laborant, inquit Dominus, nec nent*: Sed quid lilio, & duplici vestimento? Nam illo nihil candidius, nihil simplicius. Occurrit opportunè Gregor. Nyssenus hom. 7. *Nyssen.* in Cant. inquiens: *Habet enim flos lilij duplicem à natura gratiam, vtpote suaui odore simul mistio cum colore, adeò vt in eo vtroq; sit gratus & amabilis hominibus, vt qui simul mentantur olfactu siue oculis eius se posint abundè oblectari pulcritudine.* Quid autem his sibi velit Nyssenus egregiè ex- *Bernard.* plicat, diffundit que Bernardus serm. 71. in Cant. *Habent & mores colores suos, habent & odores. Neque enim in spiritibus idipsum est color, & odor non magis quàm in corporibus. Ergo de colore conscientia consistitur, de odore fama, &c. Quod ergo de corde puro & conscientiā egreditur bonā candidum est, & est virtus: si autem & bona fama sinuta fuerit, & lilium est, quippe cui nec candor lilij desit, nec odor.* En regium lilij ornamentum duplici vestimento constans: etenim lilium apud Valerianum lib. 35. & alios regius flos est, Principes adumbrans, qui-

bus conscientia bona non sufficit si bona fama non fuerit secuta.

4 Ideò notanter adiecit Dominus: *Nec Salomon in omni gloriā suā vestitus est sicut vnum ex istis*: vt tacitè Salomonem reprehenderit, qui lilij vestimentum commaculauit dicente de eo Ecclesiastico c. 47. 22. *dedisti* *Eccl. 47.* *maculam in gloriā tuā*: dum æterna illius salus sub luce malignā, & in dubio, ac bona eius opinio suspensa est, alijs quidem ex Patribus ipsum æternæ damnationi obnoxium affirmantibus: alijs benigniùs cum illo se habentibus. Enimverò vt vt id fuerit, regiā ipse dignitatem non impleuit, quippe cui lilij odor defuit, & vnicā contentus veste, decori & famæ suæ consulere nesciuit, subditorumque oculos læsit. *Certè vel si mente recti conscia* (sic Ennodius opusculo 7.) *vindictā dignus* *Ennod.* *est, qui alij extitit causa periculorum enim suspicionibus patefecit accessum, fit fraterni origo discriminis, &c. Multi non dederunt errori locum, & dederunt suspicioni. Suspicio ista est* B *meritum suspicantis, & quam non caret periculo qui dederit.*

Quantò quidem fortior, quantò pulchrior Salomone eius parens Dauid cùm iam iam moriturus ipsi Salomoni demandauit, ne Ioabi flagitia impunita esse sineret, sed illum è medio tolleret, & vt fecit illius crimina, & damnationis summam sic expressit: *Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Israël Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether, quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace*, lib. 3. Reg 2. 5. Sed quare inter ea crimina; Absalonis mortem, quæ Dauidi summo doloris fuit non recensuit, cū ipse iussisset belli ducibus ne illum vllo modo interficerent? Respondet Abulensis primū quidem locum *Abulens.* apud Dauidem, vt capitis damnaret Ioab, Absalonis necem fuisse, quod tacitus innuit cùm dixit: *Quæ fecit mihi*: at verò disertè id exprimere noluisse, ne conscientiæ fiduciam suo decore spoliaret, & gloriæ suæ maculam inferret: audi: *Dicendum (inquit) est quia non* C *expressit Absalon, quia volebat elidere Salomoni, se procedere ex solo zelo iustitia si tamē occidisse Absalonem dixisset Ioab, videretur procedere ex zelo vindictæ.* En illum duplicem à naturā gratiam habens, Dauidem scilicet non minùs decori, quàm conscientiæ prospicientem, teipsoaliquò suum non tantùm à malo, sed etiam à mali specie purgantem, ad eum fanè modum, quo Principem admonebat Nazianz. epist. 71. *Purga Tribunal tuum, ne duorum* *Nazian.* *alterum tibi accidat, aut vt malus fias, aut existimeris.*

5 Sed & inde etiam facilè videris, quàm sit Deo grata hæc lilij pulchritudo, quod ipse Deuter. 7. 25. populo eiusque Principibus prophanas nationes debellantibus, sub interminatione indignationis suæ præcepetit, ne auren earum idola bello capta aut quidquam ex illis sibi reseruarent: *Sculptilia (inquit) eorum igne combures, non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, &c. Nec inferes quidquam ex idolo in domum tuam.* Etenim dum ibi à PP. & interpretibus meritò ambi- D gitur, quā ratione victoribus fuerit id à Deo prohibitum? præsertim cùm liceret, hæc omnia in domum Dei inferre, sic enim Iosue 6. 19. de præda Iericho *Iof. 6. 19.* præscriptum fuit: *Quidquid auri, & argenti fuerit, & vasorum æneorum, ac ferri Domino consecretur repositum in thesauris eius.* Secuti, & de luco alienarum deorum ligna ad holocausta ex Dei præscripto adhibebantur, Iosue 6. 26. Nec in eorum responsione quiescent *Iof. 6. 26.* animus, qui nunt ideò hæc ab oculis, manibus, & vsu nullatum amota fuisse, ne quòd semel idolis fuissent dicata, eos ad idololatriam pellicerent. Nam præterquam quòd ex idolorum frusta in templum illata, par imò maius idololatriæ periculum hominibus in eam pronis afferrent. Et vt id in integris, & suā statutā, & figurā constantibus idolis timeri posset;

io

in ipsis iam confractis, truncatis, & ludibrio expositis minimè timendum fuisset, quis enim adeò vecors esset, vt à semetipso victum, confractum, & in frusta discissum idolum, *truncoq; simillimum Hermæ*: siue potiùs aureum illius pedem, aut crus denuò pro Numine haberet? & non potiùs irrideret, atque exsibilaret: expeditissima dubij solutio est, quam affert Augustinus epistola 154. ideò signatè vetitum fuisse quippiam inferri in domum ex idolo, vt manifestum fieret, non auaritiâ, sed pietate idolis bellum infligi: sic enim ille: *Cùm templa, idola, luci, & si quid huiusmodi data potestate euertuntur, quamuis manifestum est, cùm id agimus, non ea nos honorare, sed potiùs detestari, ideò tamen in vsus nostros priuatos dumtaxat, & proprios non debemus inde aliquid vsurpare, vt appareat nos pietate ista destruere, non auaritiâ.* Sic Aug. omnino ex Dei sensu astruens, sapientiæ discipulos duplicibus vestitos esse debere, ne in conscientiâ nutās infirmitas, nec in famâ næuus malæ speciei sit, ne licere, & si fortasse liceat quidquid fuerit malè coloratum.

August.

6 Verùm enimverò ad verum Salomonem regredi fuerit opportunius? & de ipso rursum Noster Vates disertissimè inquit: *In Sole posuit tabernaculum suum.* Psalmo 18.6. Quod perinde fuit, ac si dixerit, in ipsâmet Solis totâ suam sedem, & Aulam constituisse, tum quòd lux altissima regiæ dignitatis occultum nihil in Principe esse sinat, sed cubicula ipsa, intimosque recessus recludat, omniaque arcana noscenda famæ proponat: quòd videtur innuere Lectio Chaldæa, quæ pro *in Sole* reponit, *ad Solem*, imagine ab architecto sumptâ, qui domum constructurus, quò ipsâ vndequaque clarior euadat, fenestras constituit ad Solem, qui eam lumine impleat, tum vel maximè, quod cælestis huius Regis vita, & gubernatio solaribus sit radiis purior, & illustrior, in quâ nihil sub luce maligna, quod in dubium verti possit, aut mali speciem habere lyncei oculi potuerint vmquam inuenire. Sed enim ad rem præsentem plus est, quod in his verbis obserues. Certè vt tabernaculum in Scriptura humanum corpus adumbrat, vt secundæ ad Corinthios capite 5. versu 4. & secundæ Petri capite 1. versu 14. & 15. Ita Sol appositus diuinitatis typus est. Vnde *tabernaculum in Sole* constitutum, perinde esse dixeris, ac Christi humanitatem non modò in diuina persona subsistentem, vt inquiunt sancti Patres, sed etiam diuinitati subnixam, vt omnimoda puritate, & sanctitate vndequaque splendeat, & emicet. Iam verò dissimilem sub eodem sensu hac de re Ioannis locutionem audi, dum ipse de Dei Verbo capite 1.14. ait: *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius.* Vbi Græcum verbum pro quo Noster reposuit *habitauit* propriè significat *in tabernaculo habitare*, vt bene ibi obseruat Maldonatus, cuius sanè locutionis sensus omnino aperitur ex sequentibus verbis: *& vidimus gloriam eius*, ac si dixerit Ioannes, Verbi maiestatem non penitus obscuratam, quòd caro factum fuerit cùm ad instar Solis per nubem irradiantis sese multis indiciis, miraculis scilicet, prædictionibus, cognitione cogitationum discipulis patefecerit, ad eum modum, quo Exodi vltimo versu 33. dicitur: *Nube operiente omnia, & Maiestate Dei coruscante.* Compone ergo vtramque locutionem, siue potiùs vtramque lucem, vt videris Dominum, & quà Deus, & quà homo erat, adeò eximiâ puritate conspicuum, vt tam quæ diuinitatis, quàm quæ humanitatis erant, exactissimè perficeret: quin aut diuinitate ab humanitate retardatâ, aut humanitate ob diuinitatem ab humanâ obedientiâ exemptâ, siue iis, qui diuinam naturam contemplabantur, siue qui ad humanitatem tantummodo adspiciebant, aliquam criminandi ansam relinque-

Psal. 18. 6.

Lect. Chal.

2. Cor. 5. 4.
2. Pet. 1.

Exod. vlt. 33.

· *P. Velasquez in Psal. centesimum.*

ret. Hinc quidem ipsum & circumcisionem patientē, & baptismum suscipientem, & Cæsaris edicto obtemperantem videris, sed quamobrem? nū quod ipse qui legis Dominus erat, humanis, siue diuinis legibus ad hæc teneretur? Minimè quidem, sed ne iis, qui hominem tantùm esse putabant, legum contemptor videretur, quasi putaret, vti dicebat Bernardus, sibi non licere, & si aliàs liceret omnino: *quidquid malè fuisset coloratum*, sic sapienter id expendente Tertulliano lib. *de carne Christi c. 3. Itaque quod noluit esse, nec videri omnino voluisset. Omnis rei displicentis etiam opinio reprobatur. Quia nihil interest, vtrùm sit quid, an nō sit, si cū nō sit, esse præsumitur.* Similiter vt suos discipulos, quibus tamquam Dei Filius innotuerat in huius fide altitudine confirmaret, eos diuinitatis radios in tabernaculo inhabitans emittebat maiestate Dei egregiis signis & miraculis coruscante, vt ipsi omnino viderint gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, quin vllus de diuinitate fuerit illis ambigendi locus.

Tertull.

7 Sed ecce tibi scopulum ad quem siue diuinitas, siue humanitas ipsius necessariâ ratione offendere videatur, & vel discipulos eius diuinitatem considerātes, aut vulgares homines ad humanam naturam attendentes scandalum pati: cùm videlicet *accesserūt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma.* Matth. 17. 24. Nimirum, Domino tributum illud non soluente exactores dubio procul scandalizarentur, vt ipsemet Dominus statim affirmauit num. 26. *vt autem non scandalizemus eos:* cùm tamen è contra in eâ tributi solutione discipulis, qui Dei Filium esse profitebantur, non minor esset scandali occasio, vt inibi Hieronymus, & Paschasius adnotarūt. Quid enim à diuinitate magis fuerit alienum, quàm homini tributa persoluere? Quid ergo tum faceret, qui vt *in Sole posuit tabernaculum suum:* ita *in tabernaculo habitabat* maiestate Dei coruscante? Sanè, quæ diuina eius sapientia & puritas erat, diuinitatem cum humanitate sic temperauit, vt & tributi exactoribus innocentissimus, & discipulis verus Deus esse videretur, quippe didrachma vna ex parte, vt exactoribus satisfaceret, omnino pendere voluit, ex alia verò, vt discipulis pro sua diuinitate plenè fideiuberet, tum illud non ex loculis, quos è discipulis vnus gestabat, sed ex ore piscis ingenti miraculo extracti: tum etiam antequam hac de re à Petro admoneretur, vt ostenderet, se tamquam Deum secreta cognoscere signatè persoluit. Ita id omne adnotantibus Hieronymo, & Paschasio. Quorum prior ait: *Qui didrachma exigebant, seorsum conuenerant Petrum: Cumq; intrasset domum, antequam Petrus suggereret, interrogat Dominus, ne scandalizarentur discipuli ad postulationem tributi, cùm viderent eum non nosse, quæ gesta sunt.* Paschasius verò cùm totidem verbis hæc dixisset, subdit: *Vt cum vidissent eum nosse, quæ in secreto dicta sunt, crederent Deum esse, ac sic diceret: Ego secundùm carnem filius Dauid Regis, & secundùm diuinitatem Filius Dei viui:* & post nonnulla: *Non quod eum deberet* IESVS, *sed ne scandalizaret eos, & nobis daret exemplum, quatenus ex nobis est, vt nullum scandalizemus.*

Matt. 17. 24.

Hieron.

Paschas.

8 At enimverò cùm scandalum illud non tam datū, quàm acceptum fuisset, sitque recepta Theologorum regula, cuius ad id loci meminit Maldonatus, datum, non acceptum scandalum in culpa esse, foreq; vitandum, iure ambigas, cur tanto studio Dominus acceptum scandalum vitare voluit? siue quod magis pungit, cur ipsemet Dominus id scandalum, *datum*, siue actiuum potiùs, quàm acceptum, aut passiuum (vt aiunt) fore significauit? dū non inquit, vt non scandalizentur: sed notanter, *vt non scandalizemus eos.* Dixerim omnino id ad Principis personam & dignitatem spectare, vt maxima fortuna, minima licentia fuerit, quin

Maldon.

sibi licere existimet, etsi reapse fortasse liceat quid-quid sit malè coloratum, vt monebat Bernard. Quo quidem mitè facit eiusdem Bernardi obseruatio sermone 1. de Aduentu: etenim dum inquirit; quid aliis etiam Patribus ambigere solemne est: *Cur è tribus personis, quas in summa Trinitate credimus, confitemur, & adoramus, non Pater, non Spiritus sanctus aduenit, sed Filius?* acutè respondet, causam fuisse, vt tam Angelo, quàm homini ad Dei sapientiæ, siue Filij pulchritudinem, & splendorem impingentibus, dum ille similem Altissimo euadere ambiuit: hic verò instar Dei sciendis bonum, & malum esse appetiit, sic scandali siue ruinæ occasionem in posterum vndequaque auferret, vt tam illius exemplar se componere, æquè ipsis vtile, ac gloriosum esset, sed audi illum sub Dei Filij persona, sic optimè loquentem: *Si propter me tempestas hæc orta est (ait Ionas) tollite me, & mittite in mare. Omnes inuident mihi. Ecce venio, & talem ex-hibeo memetipsum, vt quisquis inuidere voluerit, fiat æmulatio ista in bonum.* Vt dixerit: Ecce isti ad meum splendorem, & pulchritudinem offendunt, & scandalum patiuntur: obtundamus ergo illius radios ne ipsorum acies præstringatur, vt qui modò pulchritudinis apex sum, fiam nouissimus virorum. Quod si obiecerit: Cur Domino tuos tibi splendor, culpæ aut fraudi sit: quòd ad illum infirma oculorum acies cœcutiat? Corrigat sese ille potius, atque castiget, ne deinceps ad hunc lapidem offendat, respondebit ipse, priuatis quidem id fore dicendum at Principis aliam rationem, & conditionem esse, qui talem subditis exhibere semetipsum debet, vt quisquis inuidere voluerit, fiat ei æmulatio ista in bonum, quin vllum ab ipso subditi scandalum accipiant.

9 Videtur quidem hæc diuinæ Sapientiæ vestigia pressisse Moyses, cùm eius vultus consortio sermonis Domini supra humanum fulgidos, cælestes radios, quos inconniuenti pupilla subditorum oculi ferre non poterant, vibrare cœpit; sic enim Exod. 34. 30. *Videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem timuerunt propè accedere.* Vbi LXX. *& erat glorificatus aspectum cutis faciei eius.* Pagninus ex Hebræo: *& resplenduit cutis faciei eius.* Chaldæus, *& multiplicatus erat splendor gloria vultus eius.* Pergit Paulus rem explicans 2. ad Corinthiorum 3. *Ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysis propter gloriam vultus eius.* Sed quasi intendere non poterant? Quia videlicet splendor ille eorum oculos percutiebat: vti inquit Tertullian. lib. 4. contr. Marcion. cap. 23. *oculos percutere filiorum Israel.* Quid ergo tunc iuris? Diceret quidem alius à Moyse: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Aut quid infirma sit tuorum oculorum acies, meum ego splendorem non aliunde quàm à Deo acceptum cohibere, & obscurare debeo? stude, vt sani tibi sint oculi, & meum mihi splendorem relinque. Quid verò Moysi visum? *Posuit* (inquit scriptura Exod. 34. 35.) *velamen super faciem suam*: ne videlicet subditorum oculos percuteret, nam quamuis splendidam, & gloriosam faciem gestans suo quidem iure, & donis à Deo tributis vteretur, at bonus Princeps diuinis exemplis institutus proprium splendorem, & gloriam iure contempsit, ac subditorum bono postposuit, & ne infirma suorum acies læderetur, quidquid in se augustè diuineque radiabat debere se abscondere, & obnubilare existimauit: quasi is sibi splendor non luceret, qui alicuius oculos repercuteret.

10 Quod si altiora Principi hæc exempla videantur, proponat sibi ad minus ea, quæ de Valentiniano Imperatore scribit Ambrosius in orat. de obitu Valentiniani. Hucenim bonus ille Princeps spectasse videtur, vt in maxima fortuna minima sibi licentia esset, nec sibi liceret, quod reapse licebat, si tamen an malè esset coloratum, aut subditorum oculos læderet. Sed Ambrosium audire fuerit operæ pretium. Ait ergo: *Et quid iam de aliis dicam, qui etiam ludo iuuentutis putauerit abstinendum, resecandam ætatis licentiam, &c.* Ferebatur primò ludis Circensibus delectari: *sic istud abstersit, vt ne solemnibus quidem Principum natalibus vel imperialis honoris gratiâ Circenses putaret esse celebrandos. Aiebat aliquos ferarum eum venationibus occupari, atque ab actibus publicis intentionem eius abduci. Omnes feras vno momento iussit interfici. Iactabatur inuidis, quòd præmaturè prandium peteret, cœpit ita frequentare ieiunium, vt plerumque ipse impransus conuiuium solitæ suis militibus exhiberet, &c.* *Steniata cuiusdam formâ, at decore deperire Roma adolescenti nobilis nuntiabatur. Iussit eam ad comitatum venire. Datus est obtrectandi aliquibus locus, deductam tamen nunquam aut spectauit, aut vidit. Postea etiam recepit, vt & omnes cognoscerent, irritum eius non esse mandatum, & adolescentes doceret, ab amore mulieris temperare, quam ipse qui potuit habere in potestate, despexerat.* Hactenus de Valentiniano Ambrosius. Quæ Principes ob oculos habere, & imitari debent.

Ad ea verba,

Intelligebam in via immaculata.*

Propriam Principis virtutem castitatem esse, & Regiâ Maiestate dignam.

ADNOTATIO X.

1 QVÆ de noxiis affectibus exuendis paullò antè generaliter diximus, castitati modò necessariâ ratione aptanda sunt cùm ab eâ Rex nominetur, & fit, regiamque coronam accipiat: *Rege terram* (suggerit Principi Augustinus in Psalm. 75.) *& eris Rex terræ. Noli ergo auiditate imperandi ponere ante oculos prouincias latissimas, quà tua regna diffundas. Est terra quam portas, rege eam sicut Apostolus inquit: Non sic pugno quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Ita planè Chrysostomus homilia 9. in epistolam 1. ad Timotheum, coronam nonnisi casto, & puro capiti imponendam censet hunc in modum: *Idcircò quippe corona imponantur capiti, vt victoria signa sint. Quod si libidine superatus quisquam seipsam sceleri addixerit, cuius tandem gratia coronatus incedat? qui tam fœdæ libidini colla subdiderit?* obserua illa, *cuius iam rei gratiâ coronatus incedat?* vt dixerit, quamuis in prouincias latissimas imperium suum diffundat, malè eius capiti hærebit corona, qui castitate abiectâ à libidine victus est. Enimverò regiam dignitatem suo id iure à Principe exigere: Imperatoria lege omnino cauetur, sic omnino præscribente Imperat. Iustiniano l. 1. § qua illustris C. ad Orficianum: *Illustribus enim castitatis obseruatio præcipuum debitum est. Imò Imperator perfectam semper colendam censuit:* polchrè illud, *præcipuum debitum est*: vt videlicet regiæ excelsitati atque fastigio animi, ac corporis puritas respondeat. Vnde Agap. Diac. in capitibus parænæticis tom. 2. Bibliothec. Veter. PP. eumdem Imp. Iustin. sic alloquitur: *Ex vero Imperatorem te desinito, quippe regere, & in potestate continere voluptates valeam, & temperantia diadema te redimitum.* Cui quidem sensui adeò subscribit Rex Theodoricus, apud Cassiod. lib. 1. ep. 2. vt non temerè ostimarit, regalem purpuram splendentem illo fuco minimè tingi, nec regium colorem imbibere, nisi ipsemet artifex qui ei operam nauat, corpore castissimus fuerit, nimirum eùm dixisset: *Quod si conchyliorum qualitas non mutatur, sitorcularis illius vna vindemia est, culpa nimirum artifi-*cis

uixerit, cui se copia nulla subtraxit: subiicit: *in illis autem rubicundis frontibus cum albentes comas seriei doctus moderator immixerit: habere debet corporis purissimam castitatem, quia talium rerum secreta refugere decunent immunda.* Planè vt argumento fuerit, Regiam maiestatem à turpitudine modis omnibus refugere, nec cum illa posse aliqua ratione cohærere: & verò vt plura huic veritati firmandæ possint afferri: illud videtur opportunissimum, quod de Victorino Imp. ex Iulio Ateriano affert Trebell. Pollio in lib. cui titulus *Triginta tyranni* eũ videlicet fuisse, qui bellicâ virtute, sapientiâ, clementiâ, grauitate, seueritate militari optimũ quẽque è Romanis Imper. æquauerit; at enim, quòd libidini & intemperantiæ colla subdiderit, cunctas virtutes, & bellicam gloriam ita obscurasse, & corrupisse, vt supplicio potiùs quã Imperio dignus visus fuerit, quin vllus scriptorum honorificam illius mentionem facere ausus sit. Sed ipsummet Trebellium audire erit operæ pretium: ait ergo: *Sed satis credimus Iulij Ateriani partem libri cuiusdam ponere, in quo de Victorino sic loquitur. Victorino qui Gallias post Iunium Posthumum rexit, neminẽ existimo præferendum. Non in virtute Traianum, non Antoninum in clementiá, non grauitate Neruam, non in gubernando ærario Vespasianum: non in censurá totius vitæ, ac seueritate militari Pertinacem, vel Seuerum. Sed omnia hæc libido & cupiditas mulieraria voluptatis sic perdidit, vt nemo audeat virtutes eius in litteras mittere, quem constat omnium iudicio meruisse puniri.* Adeò quidem in Principe castitas desideratur, adeò in castitate omnium *virtutum concentus est* (vt inquit Hieronym. lib. 1. contra Iouinian.) vt qui cunctas præter castitatem virtutes habuerit, Regiam maiestatem non impleuerit: & ipsarum virtutum concentum soluere, & dissipare visus sit.

Trebell. — Hieron.

2 Hinc de Iosepho Ægypti Imperium adepto sapienter inquit S. Zeno Veronens. M. *Rex iure secundum factus est Regni, qui insignis Rex erat ante pudoris.* Obserua eum dicendi modum: *Iure Rex factus est*: quo innuit Zeno, à castitate Iosephum iure & legitimè Regem factum, & in Regiam dignitatem non casu, non fortunæ arbitrio, sed iure & iustitiâ fuisse inductum, regiâ id castitatis virtute exposcente, & iure suo efflagitante. Cui sanè locutioni mirè hæc concinit, quã Sacer Scriptor describit, quomodo eum impura hera ad adulterium indesinenter pelliceret: *Huiuscemodi verbis per singulos dies mulier molesta erat adolescenti.* Gen. 39. 10. quã videtur expressisse Gregorius Nyssenus oratione *de fugienda fornicatione*, inquiens: *Maledicta erat illi acerbior vox domina blandientis, & dicentis, dormi mecum.* Sed quã vocis, sensúsve proprietate (inquis) molestam Iosepho mulierem appellauit Moyses, quæ nihil ei molestum suggerebat, sed voluptatis dulcedinem propinabat, cùm nec de illius fratribus durissimè cum eo agentibus, & ad mortem persequentibus, nec quod plus est, de eodem Ioseph heræ suæ precibus non acquiescente eam vocem vsurpauerit. Molestos quidem Iosepho eius fratres, qui ipsi perpetuò vehementer infensi nullum non lapidem in eius malum, & exitium mouebant, siue potiùs ipsummet Iosephũ heræ suæ molestam imò verò molestissimũ, opportuniùs diceres, dum eam quæ illum tam ardenter deperibat, & quæ pro illius amore pudorem famamque contempsit, nec sine graui molestiâ intimum animi affectum publicauit, totus repulit, & aspernatus est, quid enim molestius quàm repulsam ferre? quæ ab ignominia & infamia, nec hilum differt, vti dixit Marcus Tullius 2. officior. *Qui cùm offensiones, tum repulsas quasi quamdam ignominiam timet, & infamiam.* Subsistit tamen optimâ ratione scripturæ locutio, eam quæ castissimo viro pudoris gemmam auferre conabatur, *molestam* illi esse affirmans, cùm nihilo secius id fuisset, quàm Regni sceptrum, ad quod ille legitimum ius habebat, ab eius manibus præreptâ pudicitiâ velle extorquere, nimirùm cùm Rea esset iure pudoris, inde ad Ægypti regnum non fauore, non casu, sed castitatis iure ferebatur. Compone ergo Moysis locutionẽ *mulier molesta erat adolescenti* cum illa Zenonis *iure rex factus*: quæ se mutuò respicere videntur: dum molestia propriè opponitur iuri. Nam, si verè æstimas, non aliter quispiam molestiam alicui exhibet, siue molestus esse dicitur, nisi cùm contra fas, & iustitiam ius illius lædere contendit, quippe rectus iudex, qui capitalem reum in carcerem trudit, & ferro onerat, aut iuxta legum præscripta plectit, molestiam illi nullatenus exhibere diceris: cùm contra si sons ille donis iudicem corrumpere tentet, vt prodito officio eum absoluat, inimicus, & molestus illi esse omnino dicetur: vel vide vna ex parte Dominum apud Michæam 6. 3. cum populo suo sic disceptantem: *Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.* Nimirũ, si ille tunc Deo obiiceret, quomodo nõ mihi molestus fueris, qui assidua supplicia inferas cùm à plantâ pedis vsque ad verticem non sit in nobis sanitas: ad manũ erat responsio, non esse molestum qui iure vtitur, & iustitiam exercet: ex alia verò Isaiam Regem Achaz, quod nollet signum à Deo petere ita increpantem: *Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo.* Isaiæ 7. 13. vbi signatè Deo molestum Regem appellauit, qui eum gloriâ debitâ defraudabat. En quàm benè se habeat, castissimum iuuenem impudicæ mulieri obsistentem, ei molestum non dici: secus verò illam quæ castitatẽ & cũ eâ ius Regni à Iosepho eripere moliebatur, molestã illi per singulos dies esse.

S. Zen. M. — Gen. 39. 10. — Nyssen.

3 A quâ quidem cogitatione non iuerit, quod de eodem Ioseph quæsita locutione dixit Noster Vates Psal. 104. 18 *ferrum pertransijt animam eius, donec veniret verbũ eius.* Sed vt eius epitasis appareat, cũ Dauid hic de carceris pœna, quã pertulit Ioseph sermonẽ faciat, scire est operæ pretium, totos duodecim annos illum in custodia, & compedibus vinctum perduxisse, vt ad id loci docet Genebrardus: deinde obserua eum dicendi modum, *ferrum pertransijt animam eius*, quo leuis transitus significatur, auctore Aug. q. 73. in nouum testam. tom. 4. vbi eum ea Lucæ verba c. 2. 35. de Deipara, *tuam ipsius animam pertransibit gladius*: ad hunc modum exposuisset: *pertransire dixit gladium non supercadere, aut contingere transeuntem membrum aliquod sicut gladius missus pertransiens iuxta hominem timorem facit, & tamen non percutit.* Subiicit: *Sicut dictum est de Ioseph, ferrum pertransijt animam eius.* Iam meritò ambigis, quomodo subsistat hæc Vatis locutio, quã duodecim carceris annos leuem ferri transitum, & non potiùs longum & diuturnum tempus, & grauissimam pœnam atque molestiam appellauit? Sed facilis est ex dictis responsio, longum quidem atque diuturnum fuisse tempus, quo in custodia asseruatus est Ioseph, grauissimum itidem carceris tædium, at hæc omnia præ molestiâ, quam anteà impudica ei hera exhibebat, dum castitatem præripere moliebatur, leuem omnino transitum & veluti ferri, aut gladij iuxta illum transeuntis vmbram ei visam fuisse. Quod videtur innuere S. Epiph. lib. 3. hæresi 79. ad finem, dũ ait: *In carcerem conuenit, sed præstat in carcere manere, & in angulo sub dio, quàm cum muliere pugnaci, & loquaci*: vt diceret leuiores omnino tam diuturnas carceris molestias, quàm dulces impudicæ blanditias. Ad quem modum S. Zeno M. supra adductus ait: *Quem domini sui vxor peius amare superat, quàm oderant fratres.* Pulchrè, nam vt malum esset fratrum odium, peior multò erat mulieris amor, quippe illud minimè quidem cum regiâ dignitate pugnabat: imò verò ad regnum illum deducebat, at turpes blanditiæ sceptrum ab eius manibus extorquere nitebantur.

Ps. 104. 18 — Genebrar. — August. — Luc. 2. 35 — Epiphan. — S. Zen. M.

4 Sed enim vt ad peculiares rationes accedamus, A quæ pudicitiam propriam omnino Principum virtutem, turpitudinem verò ab illorum dignitate alienissimam esse conuincunt: audi primùm quale in impudicos dicterium castissimus Paulus carnis impuritatē exosus iecerit: sic namque 1. ad Cor. 6. 18. *Omne peccatū quodcumque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Vbi dum frequenter à PP. & interpretibus ambigitur, quâ potiùs ratione fornicator, quàm alius quispiam vitiosus in corpus suū peccare dicatur, cùm multa sint peccata, quæ cū corporis contumelia etiam coniunguntur, & locutionis difficultate puncti vnusquisque in suum abit, perinde id nos accipiendum duximus in nostris in ep. ad Coloss. commentariis, quæ Deo auspice opportunè promemus, vt impurus & libidinosus homo carnē suam turpitudine, & intemperantiâ ita vitiet, atque corrūpat, vt aliam, eamq; degenerem ab eâ, quam in sui primâ cōditione à Deo percepit, omnino reddere videatur. Nimirum, vt idem Apostolus in eadem epist. c. 15. 39. monet: *Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem hominum, alia verò pecorum:* ac si dixerit, alia humanæ carnis, alia belluinæ natura & conditio est, illa quippe, vt informata spiritu & animo rationali ad Dei imaginem facto, ratione & lege ducitur, ac proinde sese continet, & ab illicitis voluptatibus abstinet, hæc autē spiritu & ratione destituta, impetū appetitionis pro lege, & ratione habet, atque ideo libidini inseruit, & in voluptates præceps ruit. Vnde notanter & huic instituto peropportunè Ezech. 23. 20. vt à Propheta insana Ægyptiorum libido, & intemperantia denoteretur, eos non humanam, sed asinorum, & equorum carnem habere sic dicitur: *Et insaniuit libidine super concubitum eorū, quorum carnes sunt vt carnes asinorum:* id est, vt paraphra- C sticè effert P. Sanctius: *Rabie amatoriâ illorum appetebat consuetudinem, qui in omnem se libidinem effusè, atque immoderatè profundunt, quos in eo genere in asinorum, atque equorum numero non immeritò deputes.* Hinc ergo sapientissimè à Paulo turpis, & impuratus homo in corpus suum peccare dicitur, qui nobilem & generosam hominis carnem non nisi spiritu & ratione ducendam, in belluæ carnem nullis rationis frænis coërcitam, sed impetu, & cæca appetitione velut œstro percussam in turpes & spurcas voluptates sese præcipitem dantē commutat. A quâ exponendi ratione non abit Seuerianus apud Photium dum ait: *Scortatorem in propriam peccare substantiam humani corporis, & in ipsam eiusdē corporis formationem, iniuriam exercens in corporis nostri officinam.* Pulchrè *in ipsam corporis formationem*, quod hominis corpus aliter ac brutorum caro formatum fuerit, quippe *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Ps. 4. 7. rationis lumine velut sigillo diuinæ imaginis signati, atque cohibiti, ne à præscripto discedamus vti D Rupertus lib. 2. in Genes. c. 21. ex Dei imagine siue ex rationis ductu hominem à bruto discriminauit. Etenim cum dixisset: *Quid ergo est ratio, quâ solus homo insignitur? Quoddam munus, quoddam talentum à Creatore commissum.* subiicit: *Hoc ergo differt spiritus hominis à spiritu iumentorum, quòd hic rationalitatem accepit munere Dei, ille autem brutus permansit. Hoc inquam differt, quia hic tamquam cera sigilli testatoris imagine signata sit imagine Dei signatus est, ille autem signatus non est. Quam signationem innuit scriptura dicendo:* Et creauit Deus hominē ad imaginem suam. Hæc ille. Quæ sanè omnia ad castitatis signaculū, quo hominis caro signata, Dei scilicet imagine munita sit, scitè reuocauit Ambr. lib. 1. de Virginibus premens sub hoc sensu ea Canticorum verba c. 4. 12. Hortus conclusus, fons signatus hunc in modum: *Fons signatus, ideò quòd expressam imaginem Dei sinceri fontis vnda retineat, ne volutabris spiritualium bestiarum sparsa cœno fluenta turbentur.*

1. Cor. 6. 18. — *1. Cor. 15. 39.* — *Ezech. 23. 20.* — *P. Sanct.* — *Seuerian.* — *Ps. 4. 7.* — *Rupert.* — *Ambrof. Cant. 4. 12.*

5 Igitur in corpus suum impurus & infelix fornicator peccat, qui illud rationali spiritu, Dei scilicet imagine signandum, & velut aureo fræno ducendum, spiritu bruto replet eiq; habenas dimittit, vt belluarum instar effræne, & præceps, spurcum scilicet, turpe, coinquinatum, & inexplicabili fœditate pollutum feratur. Vnde Noster Vates dolēs, & pudore affectus aiebat: *Humiliasti nos in loco afflictionis.* Psal. 43. 20. Vbi Aquila, & ab eo Ambrosius *in loco Sirenum*, blandarū nempe, & turpium voluptatum, à quibus generosum hominis corpus vt turpitudine commaculatur, ita humiliatum, & probro affectum manet: scitè id inibi adnotante Ambrosio dū post plura, quibus adstruit corpus nostrum à turpitudine humiliari subiicit: *Vides ergo, quoniam non natura sui eam, sed is qui ei integrita-* B *tem pudoris eripuit, humiliasse perhibetur? Humilitas ergo operis est, per quod caro ista peccati corpus effecta est.* Et postmodum: *vt intelligas, quia non conditio carnis videatur nos humiliare, sed culpa.* Optimè id: *non conditio carnis*: quippe vt à Deo condita, generosa, & Dei signaculo ornata, excelsa, & maiestatis plena est. Vnde Xistus ille (qui à nonnullis Pontifex & M. dicitur) in lib. *de castitate* fidenter ait: *Paruum bonum putas, hominem sicut à primordio factus est, Dei similitudinem etiam in corporis integritate seruare, & tanta maiestatis simile aliquid habere perpetuum?* at turpitudine corrupta à carne hominis in pecorum carnem transeat, & sinceri fontis vnda volutabris bestiarum sparsa cœno turbetur, quo nihil homini vilius & indignius excogitari valeat. Vnde quidem S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 12. vt homines à libidine deterreret, emphaticè aiebat: *Parcamus corporibus, quæ lucere debent sicut Sol, nec propter paruam voluptatem tantum, ac tale corpus polluamus*: Egregiè quidem, & præter vsitatum loquendi modum, quo humanum corpus probris & maledictis lacessere solemus: *tantum* inquit, *& tale corpus.* Quantum ergo & quale? Dei scilicet manibus formatum, Dei imagine signatum, Sole ipso splendidius, & diuinæ Maiestatis simile aliquid habens perpetuum. Quo nihil maius, & illustrius esse possit.

6 Sed pro regiæ castitatis dignitate preme rursum præfata Xisti verba: *Paruum bonum putas, hominem sicut à primordio factus est, Dei similitudinem etiam in corporis integritate seruare, & tanta maiestatis simile aliquid habere perpetuum:* miram enim huic rei epitasim habent: dum hominis corpus, vt à Dei manibus euasit, omni ornamento pulchrius, omni robore & munimento fortius, nulli maculæ obnoxium, nulli plagæ obuium, omnibus integritatis & fortitudinis numeris cōstans facit. Eò quippe eunt ea Xisti verba: *Sicut à primordio factus est in corporis integritate.* Quid enim fuerit? *in corporis integritate*, nisi in corpore integro antequam ab ipso educta fuisset costa, vt de eâ mulier formaretur, quippe dum os firmum, & durum ab eo ablatum est, & pro eo mollis, & tenera caro supposita: non æquè fortius, ac robustius, vt itidem anteà erat, mansisse dixeris, feminâ iam exinde tam huius imbecillitatis, quàm omnium malorum ob peccatum futurum causâ existente: vt pulchrè contemplatur S. Chrysostom. homil. in quadraginta MM. apud Photium in Biblioth. scitè expendens, hac signatè de causa Martyres frequentiùs siue candentibus laminis admotis, siue cruentis verberibus in costis cruciatos fuisse, vt inibi siue eorum fortitudo probaretur, siue imbecillitas purgaretur. Audi illum: *Prædico beata Martyrum latera, quæ pietatis robur inexpugnabile ostenderunt, pietatē non amisisse. Etenim vt plurimum percussi sunt totis costis, quandoquidem per costam peccatum intrauit. Peccatum enim non est femina, ipsa etenim etiam Dei creatura est, sed quia per eam præuaricatio viā inuenit. Puniuntur igitur Martyres in costis, vnde peccatum irrepsit. Ideò Saluator in latere hastā suscepit:* &

Ps. 43. 20. — *Aquila.* — *Ambrof.* — *Xistus.* — *S. Cyrill. Hieros.* — *Xistus M.* — *Chrysost.*

& exiuit ſanguis & aqua: quo mundus ablutus eſt, & antiquum vulnus depulſum. Hæc ille. En ergò quid ſibi velit Xiſtus, dum ait à caſtitate integrum omnino hominis corpus euadere, ſicut à primordio factum eſt, planè quaſi illa & coſtam ipſi ablatã, & fortitudinẽ priſtinã reſtituat. Quæ quidẽ pulcherrima, & diſertiſſima meus fuit S. Paulini Episc. in ep. 31. quæ eſt 3. *Ad Aprum & Amandã* olim cõiugali, tunc verò ſororio & caſtiſſimo amorẽ coniunctos: vbi, vt oſtendat, quantum matrimonio caſtitas præcellat, quamq́ue fortitudinem & robur homini addat ſic loquitur: *Cui iam* (Chriſto) *in corporis tui naue vectatio, & in tuo corde ceruical eſt, quia inuenit illic paſſer nidum ſibi, & habet in te vbi reclinet caput ſuum. Illic & coniux non ad mollitudinem, aut auaritiam viro ſuo, ſed ad continentiam, & fortitudinem redux in oſſa viri ſui magna illa diuini cum Eccleſia coniugij æmulatione, mirabilis eſt, quam in tuam vnitatem reductam, ac redditam ſpiritualibus tibi tanto firmioribus, quantò caſtioribus nexibus charitas Chriſti copulat, in cuius corpus tranſiſtis à veſtro.* Sic Paulinus. Apud quem obſerua primum illa, *ad continentiam, & fortitudinem redux in oſſa viri ſui*, quæ pulchrè adſtruunt caſtitatem homini os ablatum reddere, eumq́ue in integrum ſtatum reſtituere, ſicut à primordio factus eſt. Deinde hæc, *in cuius corpus tranſiſtis à veſtro*: quibus rationem reddit Paulinus cur à caſtitate homo *Dei ſimilitudinem in corporis integritate ſeruet*: quia videlicet ſpirituali cõiugio cum Chriſto copulatus, & in eius corpus tranſlatus nullũ ibi coſtæ, ſiue fortitudinis ablatæ defectũ ſentiat Chriſti diuinitate pro molli carne olim Adę addita, omnia replente, & in meliorẽ ſtatũ cõmutante.

Ioan. 19. 34.

S. Paulin.

7 Iam verò, vt noſtri inſtituti propria hæc faciamus: vt generaliter quidem cunctos homines hæc conſideratio tangat, quippe qui ad Dei imaginem omnes efformati ſunt, at enimverò ad Principem, qui non tantùm quà homo, ſed etiam quà Princeps Dei imaginem geſtat, ſiue Dei imago eſt, potiſſimùm ſpectat, atque illum officij & dignitatis ſuæ admonet. Nimirum Regis corpus, ſi regium corpus ſit, non animo rationali ſolùm vt cæteri homines, ſed regiâ etiam maieſtate animatum, & ductum, animum habere debet rectorem, vt illibatâ caſtitatis, & integritatis puritate florens impuris carnis concupiſcentiis regiâ maieſtate dominetur, vti aiebat in primo huius libri limine Auguſtinus: *Dicuntur reges à regendo, & quid magis quàm carnis concupiſcentias? ne regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum concupiſcentiis eius.* Ergo vt iuxta Pauli regulam: *alia hominum caro, alia verò pecorum*: ita ſi benè æſtimas, & rem accuratè examinas, alia priuati hominis, alia Regis caro eſt. Nimirum hæc tantò maiori puritate, & integritate priuatorum hominum carni excellere debet, quantò & regia ſublimitas ſubditorum mediocritatem ſuperat, & Rex ipſe viua, & ſpirans Dei imago peculiari ratione eſt. Tam ergo, vt Princeps maieſtatem ſuam retineat & volgo ſeſe eximat quàm vt auguſtam, verendamque Dei imaginem in ſe exprimat, caſtitatem eximiè colere neceſſe eſt: cùm ea in primis Cypriano auctore lib. de ſingularitate clericorum: *claritatis faſtigium, & vulgaritatis deſtructio* ſit, hoc eſt, quæ excellentes viros, & ſummã dignitate collucentes à vilibus, & vulgaribus diſcriminet. Vnde quidem Paulus cùm ad Phil. c. 4. 8. diſcipulos ad pudicitiam hortatur, eam non alio nomine quàm rei auguſtæ, & venerandæ, ſignificauit: etenim vbi nos habemus: *Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, &c. hæc cogitate*, pro voce *pudica*, eam Græcè poſuit Apoſtolus, quæ quid *venerandum, auguſtum, & quadam maieſtate præditum* ſignificat. Deinde verò Dei maieſtatẽ ſuis veluti ſplendoribus collucentem ſignatè exprimat. Certè cùm ſummus parens ſeſe hominibus maximè verendum

August.

Cyprian.

Philipp. 4. 8.

Lect. Græc.

A & præclariſſima maieſtate fulgentem exhibere voluit, non aliam quàm caſtitatis gemmam à quã diuinum caput radiaret, in ſui ornamentum aſſumpſiſſe videtur, quippe cum de eo Ioannes Apoc. 4. 2. & c. 14. 3. dixiſſet: *Et ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſupra ſedẽ ſedens*: vt diuinum ei ſplendorem circumquaque adiiceret, ſubdidit: *Et iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* Quod ſi noſſe velis, quid ſmaragdus præſeferat, ſtatim tibi occurrent ſiue ſacræ, ſiue prophanæ litteraturę Auctores non ignobiles Albertus Magnus, Abulenſis, Vincentius Bellouacenſis, & alij apud P. Alcazar ibi affirmantes ſmaragdum adeò eſſe caſtitatis amantẽ, vt vel aſpectum ipſum turpiũ, ac fœdarum actionum auerſetur, ac proinde egregiũ caſtitatis typum gerere. Vbi primùm vides præcelſum Dei thronum, præclariſſimumq́ue tribunal à caſtitatis gemmâ ornatum & ſplendens: ſubinde verò cum iris ſuâ naturâ multiplici ſit colore prædita:

Apoc. 4. 2. & c. 14. 3.

Abulenſ. Vincent. Alcazar.

B *Mille trahens varios aduerſo Sole colores.*

Hic verò vna ſmaragdi gemma conſtet, non obſcurè quidem innuitur vnũ caſtitatis ornamentum adeò eſſe magnificum, & auguſtum, vt pro mille ſit, eaq́ue ratione ab illo Dominum magnitudinem, & maieſtatem ſuam commendare. Quod planè videtur innuere præfato loco Xiſtus de Caſtitatis excellentia inquiens: *Neque enim dicere audebit, non ſuperiorem ſtatum diuinam illam potentiam obtinere. Hinc primum caſtitatis bonum reſpice quòd illam diuina magnitudo poſſideat. Amplectenda res hominis, quæ Deo digna eſt.* Preme illud: *diuina magnitudo poſſideat*: planè quaſi diuinæ magnitudinis propriũ, eique ſignatè cõueniens. Nec minus opportunè huic rei Lactantius lib. 6. diuinar. inſtitut. c. 23. vbi cùm de caſtitate præmiſiſſet: *Quaſi faſtigium eſt, omniumq́, conſummatio virtutum.* Subiicit: *Ad quã ſi quis eniti, & eluctari potuerit: hic erit conſimilis Deo, qui virtutem Dei cepit.* Planè quaſi in caſtitate ſuã Deus faciem peculiariter oſtendat, qui eam tamquã propriam virtutẽ habeat quâ ſingulariter gaudeat, atque glorietur.

Xiſtus.

Lactant.

C

8 En ergo quàm propria Principis virtus, caſtitas ſit, quæ *in circuitu ſedis* ſplendens ipſum & Regem ſuam maieſtatem implentem, & Dei magnitudinem præferentem oſtendit. Vbi & illud peculiari fuerit obſeruatione dignum ad Regis, & Regiæ Aulæ inſtitutionem: notanter Dei thronum iride ſmaragdinâ circumquaque ornatum & veluti munitum eſſe, vt manifeſtum faciat, aditum in eius Aulam non eſſe niſi iis qui munditiâ maximè polleant, throno & ſede cæleſti immundis ex omni aditu clauſo. Quod & ipſe Dominus monuit cũ inquit: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Matth. 5. 8. & Paulus ad Hebr. 12. 14. *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine quâ nemo videbit Deum*: vbi ſanctimoniæ voce caſtitatem ſignificari nemo non ex interpretibus obſeruat. Quod quidem ob oculos habuiſſe Noſtrum Vatem dixeris, dum non contentus *via immaculata* inſiſtere, ſic ſedem ſuam iride ſmaragdinâ circumdabat, vt non niſi *ambulans in viâ immaculatâ* ei miniſtraret. Preſſerunt ei veſtigia optimi Principes, & de Valentiniano Seniore Ammianus Marcellinus tam exemplo quàm imperio Aulæ ſuæ petulantiam frænaſſe, ſic ſcribit lib. 30. *Omni pudicitiæ cultu domi caſtus, & foris, nullo contagio conſcientia violatus obſcena, nihil inceſtum. Hancque ob cauſam tamquam retinaculis petulantiam frænarat aula regalis, quod cuſtodire facilè potuit.* De Balduino verò Imperatore Nicetas adeò pudicitiæ ſuorum inuigilaſſe refert: *Vt his qualibet ſeptimanâ veſperi proclamare iuberet, ne quis in ſuo Palatio dormiret, qui alienam mulierem attigiſſet.* Vt dixeris itide ſmaragdinâ in circuitu eſſe omnino circumdatum. Sed & hunc morem Chriſtianiſſimos etiam Galliæ Reges, retinuiſſe, & omnem ab Aula impudicitiam extermi-

Matth. 5. 8.

Hebr. 12. 14.

D

Ammian.

Nicetas.

nasse, signatè constituto Præfecto cuius id vnum munus esset, sub vesperam face accensa perlustrare omnes Aulæ angulos, ne quid impudicarum siue meretriciarum sordium illis adhæreret, quibus non statim eam mundaret, graues Auctores meminerunt.

9 Neque illud in huius smaragdinæ Iridis speculatione vlla ratione fuerit omittendum, quòd è primis politicæ, siue optimæ gubernationis fibris est: castitatis videlicet smaragdum cum Iride, quæ certissimum pacis symbolum perpetuò fuit, indiuiduâ consociatione, quæ dirimi, distrahique non possit, esse coniunctissimam, quòd à Principis castitate pacatissima Aulæ, & Regni quies, & alma pax sit, sicuti pluribus & grauissimis Scriptoribus ex omnium sæculorum & gentiũ historiis obseruatum est, ab vnâ Principum incontinentiâ, & plures immaturas & cruentas ipsorum mortes, & plurima Regnorum excidia, regionumque euersiones, quàm ab aliis vitiorum pestibus obtigisse: vide è veteribus Politicis Aristotelem lib. 5. Politic. cap. 10. & è recentioribus Ioannẽ Bodinũ in Methodo Historica c. 6. §. *conuersiones rerũ publicarum*: vt ego hac de re egregia Philonis in lib. de Ioseph verba appingam. Enimverò cum ille alias optimi gubernatoris notas expressisset, subiicit: *Sed temperantia non minùs confert ad tractandam Remp. hæc enim cùm in omni vita salutaris sit, tum maximè in negotiis publicis, vt abundè liquet rem considerare volentibus. Quis enim ignorat gentibus, regionibus, magnis terrarum tractibus terrâ, marique calamitates inflictas ab incontinentiâ? quandoquidem plurima & maxima bella ob amores, adulteria, muliebresque illecebras conflata sunt, quæ potiorem Græci, barbaricique generis partem absumpserunt, & iuuentutem exhauserunt è tot ciuitatibus.* Ex quibus sic infert: *Quod si ex intemperantia tum seditiones ciuium, tum bella, & calamitates cumulatè proueniunt; satis apparet, è sobrietate tranquillitatem pacemque nasci felicitatis integram.* Hæc Philo, & quidem non minus tanquam futurorum Vates, quàm vt præteritorum historicus. Nam, vt multa bellorum, suppliciorum, calamitatum, & necium Principum exempla, euersionesque Regnorum ob oculos ille habuerit, Hemor scilicet Principem Sichẽ ob vim Dinæ illatam vnà cum vrbe sua extinctum, Gen. 34. 26. Samsonem ob Dalilam mente, & oculis captũ, Iud. 16. 21. Amnon Dauidis primogenitũ ob Thamaris stuprum Absalonis gladio trucidatum, 2. Reg. 13. 29. Salomonem quod libidinibus se dederit regno imminutũ 3. Reg. 11. 11. Holophernem sanctæ Iudith pulchritudine captum simulque suæ libidinis pœnas dantẽ, Iudith 13. v. 10. Senes illos populi Rectores ob concupitam Susannã lapidibus obrutos, Daniel. 13. 61. Helenam Troiam euertentem, Lauiniã Italiam: Romanos Reges ob violatam Lucretiam vrbe, & regno pulsos: plura quidẽ sunt huiuscemodi à Philonis ætate, quæ singillatim enumerare, & actũ agere, cũ hac de re nemo non scripserit, & longissimi temporis res sit, satis quidem & plus satis fuerit infelicis Roderici meminisse, cuius libido non modò necem ipsi attulit, & vnâ die septies centena hominum millia absumpsit, sed totum etiã Hispanum regnum deleuit, & in barbaros Dei hostes transmisit.

Aristot. Ioan. Bod. Philo. Gen. 34. 26. Iudic. 16. 21. 2. Reg. 13. 29. 3. Reg. 11. 11. Iudith. 13. 10. Dan. 13. 61.

Ad eadem verba,

Et intelligam in viâ immaculatâ.

Turpitudinem mentem eripere, atque animum à negotiis abducere: ideò Principi omnino fugiendam.

ADNOTATIO XI.

1 AD Felicem Proconsulem regias in Iudæa vices gerentem, concionẽ, eamque pro suo ingenio, & sapientiâ acrem, & opportunam faciens aliquando Paulus, nihil ipsi, vt officij admoneret, potiùs ingerendum putauit, quàm iustitiam, castitatem, & futuri iudicij recordationem; sic concionem præstringente Luca Actuum 24. 25. *Disputante autem illo de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro tremefactus Felix.* Et verò dum hæc audis, & illud tibi Salomonis *sermo opportunus est, optimus*, in mentem venit, illico ambigis, quâ opportunitate Paulus Proconsulem de muneris functione commonefaciens castitatem proposuerit; cùm ea exhortatio ad Virgines, aut ad Sacerdotes, & Religiosos viros omnino spectare videatur; ad Principem verò *bona sed quorsum?* Certè cùm optimi iudicis partes singillatim expenderet sapiens ille Iethro, nulla castitatis mentione facta dicebat: *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* Exod. 18. 21. Similiter prudentissimus Iesus Sirach primas in Iudice partes fortitudini dabat inquiens: *Noli quærere fieri iudex nisi valeas irrumpere iniquitatem, ne fortè extimescas faciem potentis*, Eccl. 7. 6. Ad quem planè modum S. Isidorus Pelusi[ota] lib. 3. ep. 175. nõ nisi à sagacitate, & integritate iudicem commendabat. Etenim cùm idoneum ab inepto discriminans præmisisset: *Sunt homines, qui ob ingenij tarditatem causarum iura consequi nequeunt. Sunt rursus, qui pro ingenij quidem celeritate consequuntur, verùm ob pecuniæ studium cauponariam exercent, auro calculum suum prodentes, ac iustitiæ lancẽ muneribus labefactantes. Sunt denique qui eum pudore blanditiisque, ac terrore corrumpunt.* Optimi iudicis effigiem sic statim delineat: *Quocirca iudicem opus est, & sagacem, & integrum esse, pudoreque ac blanditiis, & metu superiorem. Nam cuius horum affectuum succumbat, totam iudicij religionem obteret.* En quid sapientes de iis quæ in iudice desiderentur censeant. Quâ ergo ratione Apostolus tanto studio Proconsuli castitatem ingessit? Sanè quòd ipsi nõ minùs opportuna ea admonitio quàm cæteræ fuerint. Ego enim sic existimo Principi rem populi tractaturo præter peculiarem Dei protectionem, & auxilium, de quo alibi, eas animi, & corporis dotes omnino esse necessarias, quæ castitati sic incumbunt, vt eâ subductâ illas etiam collabi necesse sit: ingens videlicet in primis mentis acumen, & perspicacitas, quâ ipse res difficiles, atque perplexas penetret, & veluti de facie cognoscat, singularis subinde vigilantia, animique intentio, vt totius orbis negotiis prouideat simul cum magno animi, & corporis robore, quod tantæ occupationum moli par esse, eamque pro virili sustinere possit: necnon assidua temporis redemptio, ne vel minimum temporis instans, quod tuendæ, & gubernandæ Reipub. valeat impendere, ei elabatur. Quæ sanè omnia cũ insani amoris naturâ adeò malè se gerunt, vt necessariâ ratione concludatur, tantum à rectâ gubernandi ratione Principem declinaturum, quantùm à castitate discesserit. Id quod singillatim, & per partes dèmonstrare est animus.

2 Et primùm insanum amorem, siue libidinem eas tenebras, cœcasque nubes animo offundere, vt ei, quem semel occupauerit, intelligentiam, & mentem eripere videatur, satis quidem liquet ex iis Oseæ verbis, quæ in ore omnium natant capit. 4. 11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Sed enim in loco communi duo sunt, quæ peculiariter obserues: alterum, non perinde Vatem fore accipiendum, quasi de vino, & ebrietate directè, & primariò sermonem faciat, vt verba ad faciem sonare videntur, sed similitudinis causâ hæc adhibuisse, vt sensus sit (rectè id obseruante P. Sanctio) non minùs quati, & debilitari, mentis vires à turpitudine quàm à vino, & ebrietate, quæ hominem à mentis statu, atque constantia depellit: alterum, apud LXX. hæc verba sic legi,

Act. 24. 25. Exod. 18. 21. Eccl. 7. 6. Isid. Pel. Osea. 4. 11 P. Sanct. LXX.

legi, vt ent non passiuè, sed actiuè sumatur ad hunc modum: *Fornicationem, & vinum, & ebrietatem suscepit cor*: vt sensus sit, turpis & inhonesti animum obuiis omnibus turpitudinẽ suscipere: & quasi magnum aliquid fuerit adeptus, mirè sibi gratulari, & plaudere, cùm re ipsa tunc à libidine ipse vincatur, & occupetur, quin iam sui compos esse possit, sed ebriusfactus, insipiens, cæcus, insanus, atque furiosus aliuô à se ipso fit. Quæ sanè ratio Ambrosio auctore, casto Ioseph ob oculos erat, cùm impudicæ heræ ad adulterium pellicienti vehementer obsistebat, sic enim ille libro de Ioseph: *Verùm ille abiurat flagitium, dicens, religionem sibi esse, ne ebrius turpi intemperantia, ingratus herili indulgentia, cui obsequium deberet, eo grauem inferret contumeliâ*. Obserua illud, *religionem sibi esse ne ebrius turpi intemperantia*, &c. vt inde ille intemperantiam flagitium sibi flagitiosissimum, & sacrilegij instar duceret, quòd ab illa diuinæ rationis lumen in se ipso obscurandum, siue extincturus foret, nihil aliud subinde visurus, auditurus, siue intellecturus, quàm turpes delicias, insanasque cupidines adeum planè modum, quo Baltassar ille non minus turpis intẽperantiæ, quàm vini ebrius ad eius omnino gustum regia auctoritate fungi se dicitur Daniel. 5. 2. *Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea*, &c. vbi Chaldæus reponit: *dixit Baltassar in gustu vini*. Maldonatus verò, & Sanctius vocem Hebræam exhaurientes: *in decreto vini*: hoc est vino decernente, & imperante: Regeque ei subdito, & obsequente: *Neque enim tunc Rex* (inquit scitè Pat. Sanchez) *quid factum vellet decernebat, sed ore potiùs regio vinum, quod à se decerni voluerit, significabat*: sic ille de Baltassare. Nec aliter de Herode de Ioannis capite in gustu vini decernente Chrysost. orat. 2. in decollationem S. Ioannis Baptistæ apud Photium in Bibliotheca: *Nonum est Herodis iudicium: mensa, ebrietas, & tripudium iudicarunt: ô iniustitiam iniqua audientem!* Concinit huic cogitationi Salomon Prouerb. 23. 31. vbi de libidinis vino mentem ab statu, & enostatu deiicientem sermonem faciens (vt alibi susius monuimus) cùm dixisset: *Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet*. Subiicit: *oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum cogitabit peruersa*. Sed quid est *videbũt extraneas*? aperit Hebræa Pagnini lectio: *videbũt visiones extraneas*: alias scilicet res, ac ipsæ sunt, siue videbit quod cogitat, quod vult, quod amat, non quod re ipsa est: falsum menti, imò ipsis oculis nuntiante affectu: nam vt scitè Ambros. lib. de bono mortis cap. 9. *Errat oculus, vbi errat affectus*. Quid ergo videbit? nihil aliud sanè (inquit Philo) nisi id quod sui delicijs, & turpitudini consentaneum est, ad eam videlicet cuncta reuocando: sic enim ille libro de vita contemplatiua: *Necesse est, vt puellarum amator animum habeat in suis delicijs, & huc antùm acres intendat oculos, cæteris in rebus tum priuatis, tum publicis cæcutiat hebetatus cupidinibus*. His videlicet crassas menti nebulas, retrasque tenebras exhalantibus quibus splendidum rationis lumen obscuretur, & intellectus acumen ad alia omnia præter adamatam formam cæcutiat: num vt Homerus ait Iliade 14.

Illic est amor, & cupido, & colloquium, & deceptio.
Quæ furatur mentem prudentium cogitantium,

Et Claudianus in nuptijs Honorij, & Mariæ:

——Mens omnis oberrat
In vultus, quos finxit Amor.

3 Ita quidem statim Oseas vers. sequent. subiicit: *Spiritus fornicationum decepit eos*, & notantissimè vers. 19. *Ligauit eum spiritus in alis suis*: vbi Hieronymus: *Eum libere volitare non patitur*: sed quomodo non volitet, qui in alis spiritus in omnem partem fertur? Sic enim hæc optimè explicet cum Ribera ibi: *Spiritus ligauit Israelem in alis suis, id est, celerrimè in omnes mundi partes deferet*. Planè, quia [illegible] simul cum amore, siue ab amore est: vnde ab eo vnâ ex parte in omnes mundi partes cæco, & inani impetu obcæcans dicitur, ex aliâ parte ligatus, & affixus hæret, quin ad alia intendere, aut assurgere valeat. Explicat id primũ ille in hac pessima arte peritus, qui apud Comicũ dicebat:

——Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor
In amoris rota miser, exanimor, feror, deferor,
Distrahor, diripior, ita nullam mentem animi habeo,
Vbi sum, ibi non sum, vbi non sum, ibi est animus.

Opportunè importunus sic sese intra amoris affixum faciens, & hinc immotus, & ligatus hæreat: illinc in omnem partem circumferatur, & circumrotetur, ne proinde nullam mentem habeat, sed ibi sit vbi non est. Sed opportunius Ambrosius libro de bono mortis cap. 1. dum vitiorum scrupulos, & peculiaria detrimenta, quæ singula eorum homini inferant, recensens ait: *Laqueus est in auro, viscum in argento, nexum in prædio, clauus in amore*: vbi aliis vitiorum pestibus laqueum, viscum, nexum, amori verò clauum notanter tribuens, tantùm non dicit: aliis noxiis affectibus illigari, & innecti animos, attamen laxam catenam, siue vincula trahentes hac, illac discurrere posse: eum verò quem semel occupauit libido, clauo, & quidem trabali confixum hærere, quin valeat sese expedire, aut mouere in alteram partem, vt alia tractet, curet, attendat, ita se se eodem Ambrosio explicante lib. 4. in Lucam: *Quasi clauis suffigitur anima corporis voluptatibus, & cùm semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis difficilè in altum potest reuolare*. Vbi, si attendis, magnam quidem epitasim habet ad estimãle huius pestis virus cognoscendum, dici ab Ambrosio *animum clauis suffixum*: illum scilicet animum, cuius celeritas incomparabilis, cuius volatus omnium vehementissimus, cuius natura ignea, & sursum tendens dicente M. Tullio Tusculanâ primâ: *Nulla est celeritas, quæ possit cum animi celeritate comparari, qui si manet incorruptus, suique similis, necesse est ita feratur, vt penetret, & diuidat omne calum*. Sed enim dum tantam ei celeritatem tribuit Cicero, itidem cum Ambrosio illum clauis confixum consentit: ait enim *si manet incorruptus, suique similis*: vt simul innuat libidine occupatum, atque corruptum iam sui dissimilem, & alium à se factum sussum manere: nam vt disertus Poeta Ambrosio adstipulatus inquit:

Nulla autem cura est, animum dum figit amoris
Cura.

4 Quo pulchrè retulit per allegoriam Venerabilis Bachiarius in epistola de recipiendis lapsis ad lauatiũ illius adolescentis filij Sunamitidis historiam 4. Reg. 4. 18. qui æstus tempore *cum egressus esset ad patrem suum ad messores*, feruentis solis ardore percussus: *ait patri suo: Caput meum doleo, caput meum doleo*: quasi ea venereæ flammæ iuuenes comburentis natura sit: vt vulnus quàm primùm capiti præfigat, & in illud vires suum exhalet, quo turbetur, atque hebetetur: *Cuim caput* (ait Bacchiarius) *in messe calore percussum est: id est principale mẽtis eius inter ipsam spei libidinis flammam concalint*: benè omnino *principale mentis concalint*: quia flammâ animum adurente principale etiam mentis concutit, fumo opplet, ac entbat, sine caput dolere facit. *Amor quippe ferina* (inquit Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum in fine) *rationis oblitus est, & insania proximus*: vides caput turbatum, ac dolens! Subiicit indidem Hieronymus. *Quis enim cum vtatur voluptate ea, attendere animo quidquam potest?* hebetatis videlicet sensibus, & consepultis, ita id monente Chrysostomus in homiliis: *Quod nemo læditur nisi à se ipso*, hunc in modum: *Hi qui in delicijs, & luxuriâ vitam ducunt, sensim ipsi tardi, graues, obtusi, & quodammodo consepulti*. Quod si

Galenus. Aetius. si PP. diffidis: quid eius rei periti Galenus scilicet, & Aëtius medicorum nobilissimi docuerint, audi: ille quippe lib. 14. de vsu partiũ c. 10. & lib. 2. de tuenda valetudine, veneri *mentis spasmum, sensuum hebetudinem, & mentis torporem*, signatè attribuit. Aetius verò tetrab. 1. serm. 3. c. 8. & tetrab. 2. serm. 2. c. 23. omnino ait: *Neque ad sanitatem conducit, neque ad animæ ratiocinationes, sed congelat quodammodo, ac stupefacit intelligentiã.* *Claudian.* Accinit elegantissimus Claudianus eâdẽ quâ Medici locutione vsus lib. 2. de laudibus Stiliconis, inquiens:

Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine sensus.

5 Es quibus planè aliam, nec minus opportunam espositionem possis adhibere iis Pauli verbis, quæ adnotatione præced. espẽdimus 1. ad Corinth. 6. 18. *1. ad Cor. 6. 18.* *Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Quòd videlicet aciem mentis obscuret, sensus hebetet, & intelligentiam stupefaciat atque congelet; imò verò animam veluti materialem, & corpoream faciat, quasi corpori commixtam, & agglutinatam: sic Paulum capiente Anselmo his verbis: *Anselm.* *In omni appetitu peccati anima est extra naturam corporis, quia in suo sensu remanet. Sed qui fornicatur in corpus suum peccat, quoniam in appetitu, & operatione fornicationis sic peccat anima, vt redigatur in naturam sui corporis, quia nihil tunc cogitat, nihil sapit, nihil intendit nisi quæ carnis sunt. Sic enim totus homo absorbetur ab ipso, & in ipso corpore, vt iam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit caro esse, & spiritus vadens, & non rediens.* Sic Anselmus. Quòd si dixeris, id non tam esse in corpus peccare, quàm in animam, quæ & à propria generositate decidens veluti corporea efficitur, & eius intelligentiâ congelatâ, & stupefactâ, congelatur etiam ipsa, atque obstupefit: respondebo eâdem quidem ratione, quâ in animam libidinosus peccat, in corpus itidem suum peccare, dum illud veluti cadauer, animâ vacuũ, & spoliatum reddit: ea quippe humani corporis natura est, vt animâ ornatum, siue animatum suis functionibus, sensibusque vtatur, nec vtcumque sed rationabiliter videat, audiat, & sentiat. Hæc autẽ quomodo is perficiat, cui sensus tardi, graues, consepulti sunt? Benè ergo ait Anselmus turpem hominem in corpus suum peccare, qui animam in naturam sui corporis redigit nihil sapientẽ, nihil cogitantem, ad nihil attendentẽ, ac proinde quæ corpus suum non animare videatur.

6 Iam vt hæc omnia nostri instituti propria faciamus, obserues, & espendas velim, quàm aptè, quã opportunè, quàm vigilanter, & studiosè is Princeps Reipub. administrationi incumbet, & genus humanum gubernabit? quantâ solertiâ, & diligentiâ consiliis suis prouidebit? quàm salutaria remedia publicis malis afferet, qui cupidinibus hebetatus rationis obliuionem, & mentis spasmum patiatur, qui sensus hebetes, obtusos, & consepultos, intelligentiam stupefactam, & congelatam habeat? Oportebat quidem eum non secus, ac decantatum illum in fabulis Argum, centum oculis præditum esse, atque omnes omnino homines sapientia, consilio, intelligentia, solertia, perspicacitate, acumine, & mentis viuacitate superare, vt omnia pacis, bellique negotia, & cogitatione comprehendere, & iudicio causarum iugulum punctim velut acu pertingente, diiudicare posset, iam à libidine æger, stupefactus, & cæcutiens redditus, opportunus omnino iuri reddendo assurget, & tam sibi quã suis prospiciet, prouidebitque: suscipiat quidem gubernacula, aggrediatur negotiorum espeditionem. Quid? sperasne aliquid forte, decorum, aut excelsum fore editurum? aut vt opportunius dixerim, speras opus aliquod perfecturum, aut ad maturitatem deducturum? *Ambros.* Repugnat sapienter Ambrosius libro 1. de Cain, & Abel cap. 5. de hac animi peste inquiens: *A negotio abducit, à ratione reuocat:* pulchrè *à negotio abduci*, animo videlicet alienato, & aliò respiciente: fideiubent pro Ambrosio tum Tragicus in Hippolyto, cùm sub personâ illius Phædræ insano amore captæ ait:

Inter ipsas pensa labuntur manus. *Seneca.*

Quippe mente omni oberrante in vultus quos finxit amor, nihil serium agere, aut honestis exercitationibus vacare sinit: tum signatissimè Columella libro 9. de re rusticâ cap. 1. vbi agens de œconomo, siue de eo, qui officio villicationis præponẽdus est; dum dotes, & partes ei necessarias accuratè persequitur sic cumprimis ait: *Columell.* *Sit à venereis amoribus auersus, quibus si se dederit, non aliud quidquam possit cogitare quàm illud quod diligit.* Reddit optimam rationem, & causam: *Nam vitiis eiusmodi pellectus animus, nec præmium iucundius quàm fructum libidinis, nec supplicium grauius quàm frustrationem cupiditatis existimat.* Vt dixerit, nihil iam reliquum esse, quo ille amoribus deditus officio inuigilaturus speretur, cùm & præmio, & supplicio, quæ ad cohibendum animum potentissimæ habenæ sunt, viam omnino obstruxerit, dum masimum bonum putat fructum libidinis: & grauissimum malum, eo frustrari: ideoque non mirum si nihil aliud *possit cogitare quàm illud quod diligit*. En omnino quid sibi voluerit Dominus, cum Matthæi 6. 24. & Lucæ 16. 13. diuina sapiẽtia disit: *Matth. 6. 24. Luca 16. 13.* *Nemo potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Obserua illa *vnum odio habebit*, & hæc *alterum contemnet*: vt ambigas, cur is qui duos nactus est dominos, quorum seruus pro indiuiso sit, alterum ex illis necessariâ ratione contempturus, & odio habiturus fuerit? nonne, inquies, sufficiet, non adeò strenuè, & diligenter ac alteri, sed minori studio, & negligenter ei inseruire? Quid ergo vrgeat: vt ille dominum de ipso non malè meritum odio prosequatur, atque contemnat? Vis nosse? quòd alterum diligat: nam amori deditus *non aliud quidquam possit cogitare quàm illud quod diligit*, vt aiebat Columella. Sanè vt id nobis Dominus innueret, eo accurato dicẽdi modo vsus est: *alterum* (inquit) *diliget*, tantùm non dicens, eum qui diligit, & rem in oculis, & in animo habet, à re amatâ sic abripi, vt omnia alia contemnat, & nihili faciat; imò verò odio prosequatur, si illi amanti, & amatæ rei morem gerenti, vel tantillum obstrepere videantur: quò omnino fuerit proposita à Christo imago serui duobus dominis addicti, qui, dum alterum diligit, & ei vni placere studet, & sese in illius obsequium omnino impendere, ab altero interpellatur, vt sibi etiam obsequium præstet: quod quidem seruus ille adeò ægrè fert, vt vel vnâ hac de causâ, quòd se ab amato domino distrahat, odio illum prosequatur. Sed iam hæc non tam audire, quàm oculis videre fuerit operæpretium. Equidem de egregio illo, & belli duce, & pacis arbitro Mar. Antonio postquam Cleopatram deperire cœpit, alia omnia fastidisse, & contempsisse, sic scribit in eius vita Plutarchus? *Plutarch.* *Quamquam dimidium imperij administrandum haberet, & infinita negotia, nulli tamen vacare poterat, nec legatos audire, nec hostium conatus animaduertere, nec res ad bellum necessarias præparare, nec sua pericula prospicere, nec amicorum, & sociorum amicitiam fouere. Quid quærit? nihil animo ipsius obuersabatur diei, noctisq; præter dominam, quæ mentem eius adeò captiuam detinebat, vt ne per horam quidem liberam ad munia publica referri posset.* Audis clauum in amore? Quid iam inde speras? *Itaque hac remissione animi ac mollitie vincitur, & plus tertiam orbis partem amittit, atque ad extremum vim sibi infert malè conscius insanæ turpitudinis suæ.* Vides hominem aliàs sagacem, acutum, intelligentem, industrium, fortem,

à

à libidinis ægritudine capite doleotem, animo stupefactum, congelatumque, sensibus obtusis, & consepultis? Oblectoent ergo hæc Principes, & alieno periculo discant, à malè sano Antonij capite exemplum sumeores vt ab his atrocibus libidinis scopulis sibi maximè caueant, ad quos tam inmane famæ, imperij, atque vitæ naufragium fit.

7 Sed enim illud multò plus mirandom videbitur, quod de Tiberio Imperatore nouimus: ille quippe qui olim nihil in rebus humanis, adeò præclarius, sibique optabilius existimabat, quàm de Reipub. perpetuò benemereri, & ad famam cuncta dirigere, eaque ratione Imperij gubernationi, & publicis curis tantâ solicitudine, & indefessâ curâ erat intentus, vt nec infirmâ valetudine à negotiorum expeditione abduci se fineret, sed ipsa pro solatiis haberet: sic namque de illo Cornel. Tacit. lib. 4. Annaliū: *Tiberius nunquam intermisisâ rerum curâ negotia pro solatiis habebat*: is inquam Tiberius postquam in turpitudinis dedecora prorupit, *Reipub. quidem curam* (verba sunt Suetonij in eius vita cap. 41.) *vsque adeò abiecit, vt postea non decurias equitum vnquam suppleret: non tribunos militū, præfectosque, non prouinciarum præsides vllos mutauerit. Hispaniam, & Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuerit; Armeniam à Parthis occupari, Mysiam à Dacis, Sarmatisque, Gallias à Germanis vastari neglexerit, magno dedecore imperij, nec minori discrimine*. En illum Tiberiū, qui negotia pro solatiis habebat: illum, *qui maioribus suis dignum* (ita ille apud Tacitum libro 4. Annalium) *rerum publicarum prouidum, constantem in periculis, offensionum pro vtilitate publica non pauidum* haberi volebat; quique indidem, & deos, & deas omnes precabatur, *vt vsque ad finem vitæ mentem humani, diuinique iuris intelligentem* darent: itidem vt Antonium libidinis claua confixum, quin ad ea ipsa, quæ in manibus habebat, attendat: *sed inter ipsa pensa labuntur manus*. Nulla olim siue Tiberio, siue Antonio requies, nullum otiū erat, omoem in partem se mouentibus, vt suis armis, atque consiliis Reipub. prospicerent, sed iam à Veneris calore (mirum) congelatos, & stupefactos vides, non secus, ac fluuium ambitiosò potiùs decursu fluentem, postea,

Niuali compede vinctum.

Currebatis benè, quis vos fascinauit? siue congelauit?

8 Iam si ad robur, viresque tam corporis, quàm animi necnon ad opportunā temporis collocationē, quæ in Principe omnino desiderantur, attenderis: improbum hunc libidinis affectum omni ex parte gubernationi repugnantem inuenies. Quare obserua, Ptiocipē hisce de causis iustā similitudine cum nauclero eoque peritissimo, atque vigilantissimo compon: & quoad solertiam quidem, & robur sic de eo loquitur Philo libro de Ioseph: *Sicut gubernator pro ratione ventorum mutat nauigationis subsidia non vno modo nauim dirigens, sic Reipub. moderator debet esse multiformis, ac multiplex vsus in pace, alius in bello, aliter se paucis, aliter multis opponens aduersariis*. Vt dicere videatur, vt reapse vnus omnino fuerit: at virtute, sapientiâ, magnis conatibus, & indefesso studio multiplex, siue pro multis esse debet: vnde alibi idem et Philo absolutissimè affirmat, magnis illum adiutoribus opus habere: *Vnus enim non sufficit, quantumuis alacris, fortisq, corpore simul atque animo in tantâ mole negotiorum, ac multitudine quotidie aliis affluentibus super alia*. Ita ille lib. *de creatione Princip*. Iam verò quàm singulari, imò verò horribili vigilantiâ Princeps plenus esse debeat, vt subditi tutam tranquillamque fortunam trahant ex naucleri imagine facilè apparet: etenim vt Palinurus ille non de die solùm gubernabat, sed totâ nocte:

——*Clauumque affixus, & harens*

Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.

Ita Principem non decet integram dormite noctem, vti ex Homero Dio ille Chrysostomus orat. 1. de Regno sic monet: *Ne somnum quidem per totam noctem Dio. capere se debere putet, vt cui nullum sit otium ad socordiam*: imò verò ne vix quidem somnum videas: vti de bono Consule aiebat Cicero libro 7. epist. 30. *Vigilantiâ mirificâ fuit, qui suo toto consulatu somnum non vidit*. Ve vel hinc videris, quàm strictâ lege teneatur omnes diei partes publicis curis impendere, nūn bonas horas malè, siue inutiliter collocet. Quod omnino obseruauit Ioannes 10. v. 22. cùm Dominum aliquando deambulantem faciens, notanter præmisit *& hiems erat*, vt innueret ipsum non otiosè tempus deambulando consumere, qui eo modo humanæ necessitati consulebat, adeò videlicet debet Princeps totos dies, totasque diei partes in Reipub. gubernatione insumere. Ob quas sanè rationes validius, & robustius corpus, maiores vires, pleniores, & viuidiores sensus quibus tanto oneri par esse possit in Principe desiderantur, vti in Valentiniano Imperatore Valentem sibi in imperij consortium adsciscente scitè obseruauit Themistius orat. 16. eum inde commendans quòd *Themist.* sibi adiutore sumpto: *Aliam animam, aliud corpus, plus videndi, plus audiendi, plus denique administrandi facultatē*, Regio munere totum id exigente, sibi addiderit. Audis quæ in Principe desiderentur? Quid ergo pro his seponit libido? Sanè pro vno Principe, qui vi, atque virtute, industriâ, vigilantiâ, corporis, & animi fortitudine multiplicis, siue multiformis sit, eum supponit, qui cùm iis omnino careat, nullus reapse dici possit: benè siquidem Xenophon in Oeconom. *Corporibus effeminatis animi multo languidiores efficiuntur*: benè Galenus libro citato de tuenda valetudine: *Si voluptate, esca à malorum ad congressum impellamur: futurum profectò est, vt non corporis modò, sed animi vires fraugantur penè omnes, prorsusq, cum vita vna pereant*. En animi & corporis vires tantæ moli pares. Iam qui tempus magno in pretio habere, & illud perpetuò redimere, & conseruare deberet, quin illi vel minimum instans in gratiis defluere: *ut per horam quidem* (vti de M. Antonio dicebat Plutarchus) *liberam mentem ad publica munia* sese ferre vacat, *plura videlicet tempora* (vt inquit Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum) *suspicionibus, lachrymis, conquestionibus perdens*. O bonum gubernatorem, siue Palinurum!

Ad eadem verba.

A castitate Principum victoria, & triumphi, atque auxiliaris Dei manus.

ADNOTATIO XII.

1 SEd & illud *in via immaculata* Princeps intelliget, atque experimento addiscet, rerum bellicarum gloriam, victorias, ac triumphos miram cum castitate affinitatem & coniunctionē habere, castumque Principem, atque pudicum vt de se ipso, ita etiam de hostibus victoriam frequentiùs reportare solitum, quasi ea victoriæ generosa indoles sit, quæ castitatem amet, castisque adhærere velit: ergo vt Principis pudicitiam audis, victorias, triumphos, palmas meditase: Pallas quippe, quæ pudica est, non tantùm armata, sed victrix etiam, & tropæum gerens cernitur. Contra verò vbi turpitudinē videris, fractas copias, superatos populos, subactos exercitus conniecta. Nec enim frustra ipsimet Ethnicis obseruatum est, Venerem in prælio minimè inuocandam, quòd vt alij dij auxilio, ita ipsa exitio foret. Vide Festū lib. 1. c. 26. Iam hæc oraculis simul, atque exemplis sancita vide: certè Israeliticam plebem ex Ægypto recentes egressam, Deum-

Margin notes: Cor. Tacit. — Suetonius. — Philo. — Virgilius. — Homer. — Chrys. — Cicer. — Ioann. 10. 22. — Xenoph. — Hieron. — Festus.

Deumq́ue verum mondo corde, & corpore colenté
Num. 23. 21. bis ad cælum laudibus extulit Propheta Balaam Nu-
mer. 23. 21. *Non est idolum in Iacob, nec videtur simula-
chrum in Israel. Dominus Deus eius cum ipso est, & clangor
victoria Regis cum illo: Deus eduxit illum de Aegypto, cuius
fortitudo similis est rhinocerotis*: vbi obserues velim in il-
lis verbis *non est in Iacob*: non de quocumque, sed tur-
pitudinis idoli signatè sermonem esse, nam in lectio-
ne Chaldæa vox *Gillulim* propriè significat, *idolum sor-
didum, & turpe*: vnde hæc omnino fuerit Vatis ratio-
cinatio. Quaque versatse populus iste, regalis victo-
riæ clangorem audire mihi in illo videor, etenim dũ
turpitudinis idolum non sectatur, gloriosam victo-
riam hostium secum circumfert. Fauet huic exposi-
tioni illud, *cuius fortitudo similis est rhinocerotis*: nam cùm
Greg. Mag. boc animal castitatis mirè amans sit (vt Gregor. lib.
Isidorus. 31. Moral. cap. 13. Isidor. lib. 12. Etymolog. cap. 2.
Rupert. Rupertus ad id loci, & alij PP. affirmant) siue ea ver-
Theodor. ba ad populum cum Theodoreto quæst. 44. siue ad
B
Deum cum aliis interpretibus referas, sensus est: po-
pulum pudicum inexpugnabilem, & insuperabilem
esse, vel quòd ipse castitatem sectetur, vel quod à Deo
castitatis amatore impenso studio adiuuetur. Verum
enimverò inde is sensus certissimus apparet, quòd tã
illustrem populi benedictionem Balaac Rege indi-
gnè ferente, & Vati succlamante: *Ad maledicendum ini-
micis meis vocaui te, quibus è contrario benedixisti, reuerte-
re in locum tuum*, capite 24. 10. impius Propheta Regi
Num. 24. 10. morem gerens subiecerit: *Verumtamen pergens ad po-
pulum meum dabo consilium quid populus tuus populo huic
faciat*: ac si dicat: itam tempera, nam qui modò per
auguria, & diuinationes Israelitis nocere non potui,
postea id tibi consilium suggeram, quo ipsi omnino
perdantur. At quale id consilium fuit? Audi Ioanné
Apoc. 2. 14. in Apocalypsi cap. 2. 14. *Habes illic tenentes doctrinam
Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis
Israel, edere, & fornicari.* Vt videlicet populus Deo gra-
tus, ad luxuriam per mulieres Moabitides pellectus,
bellica gloria, & victoriis, quæ ipsi prædictæ fuerant,
Iosephus. orbaretur, vti Iosephus lib. 4. Antiquit. cap. 6. Theo-
Theodor. dot. quæst. 45. August. quæst. 60. Ambros. epist. 37.
August. Nyssenus de vita Moysis, Rupert. & alij tradunt. Au-
Ambros. di vnum pro multis Isidorum Pelusiotam lib. 3. epist.
Nyssen. 159. sic hæc pensitantem: *Quo tempore Madianita He-
Isidor. Pelu. bræis, quibus diuinum auxilium Imperatoris loco erat, occur-
rere constituerunt, de callidi cuiusdam viri consilio armis &
machinis, ac viribus, & robore valere iussis (audierant enim,
ne Aegyptum quidem hac profuisse) pulchras, & elegantes puel-
las non armis instructas, sed ornatas, & excultas ad bellum
omiserunt. Perspectum enim & exploratum habebant, diuinã
opem haud aliter ab ipsis abscessuram esse, nisi in stuprum la-
berentur. Illa igitur ad pugnam egressa aduersus eos velitabã-
tur: non gladium vllum, aut telum vllum secum afferentes, ve-
rùm forma elegantiam, & ornatum bellicarum machinarum
instar obiicientes. Atque hac ratione ipsos vsque adeò supera-
runt, vt abiectis armis palmam eis concederent.* Vides à ca-
stitate clangorem victoriæ, palmam, auxiliaremq́ue
Dei manum? quippe *diuinum auxilium Imperatoris loco*,
aduersus quem nulla humana vis præualere potest,
pudicis adest: contrà verò profligatà castitate pro-
fligatos etiam milites antea fortes atque victores?
Pergit Isidorus, & totã Israelis aciem funditus euer-
sam iri Deo peculiarem opem subtrahente, nisi Phi-
nees serpentem turpitudinis morbum cruento gladio
coërcuisset: sic affirmat: *Postquam autem non gregarios
dumtaxat, verùm etiam amplissimos quosque clypeo abiecto
terga vertisse, atque in fornicationem prorupisse: propterea
diuinum auxilium iam iam auolaturum ab ipsis esse prospe-
xit.* Hæc Isidorus.

2 Hinc notantissimè totum militãtis Ecclesiæ ro-
A bur, atque munimentum in castris, & pudicis militi-
bus censetur: etenim quæ *terribilis vt castrorum acies or-
dinata*, describitur Canti. 6. 9. quæq́ue igneo muro ad Cant. 6. 9.
inexpugnabile munimentum circumdata prædicatur
dicente Domino Zachar. 2. 5. *Ego ero ei murus ignis in* Zach. 2. 5.
circuitu: eadem nullo alio quàm liliorũ vallo munita
sic dicitur: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Cant. 7. 2.
Sed ô mirum, & inexpugnabile florum vallum! Num
ad firmitudinem, & munimentum? an potiùs ad odo-
ris iucunditatem? Quid enim vallu & liliis? quid for-
titudini, & floribus? Multum quidem, & per omnem
modum: nam liliis castitatem, & virgines præferen-
tibus nihil fortius, nihil firmius, aut stabilius est. Quid
enim imprimis eo animo fortius, qui mortem non
metuit, sed contemnit, & vitam pro iustitiâ, pro reli-
gione, pro castitate animosè cupit profundere? quod
planè, & ipsa lilij imago portendit. De quo Plinius Plinius.
lib. 21. cap. 5. cùm dixisset: *Nulli florum excelsitas maior,*
B subijcit, *languido collo est*: vt indicet excelsum castitatis
eiusq́ue sectatorum animum, imò & ipsum corporis
habitum, quo parati sunt mortem pro virtute subire,
languidum scilicet collum habentes, vt ceruicem gla-
dio inclinent, atque subiiciant: & Ambrosius de castis,
& virginibus sapienter monet lib. 1. de Virginibus dũ
ait: *Non enim ideo laudabilis Virginitas, quia & in Martyri-* Ambros.
bus reperitur, sed quia ipsa Martyres faciat: vel vide vnum
pro multis Baptistam, qui à PP. *lilium castitatis* fre-
quentios appellatur, *languido* quidem *collo* caput suũ
pro castitatis decore impudici Herodis ferro mirâ
fortitudine præcidendum offerentem. Contra verò
quid imbellius? infirmius? fugacius? quàm milites tur-
pitudine dediti? Audi eâ de re Petrum Blesensem Petr. Bles.
epist. 94. omnino affirmantem milites crapulæ, &
turpitudini deditos non nisi fugam, & defectionem
cogitare: his verbis: *Qui contra inimicos crucis vires suas
C exercere debuerãt, in potibus, & ebrietatibus pugnant: vacant
otio, marcent crapula, vitamq́; degenerem in immunditiis
transfigentes nomen, & officium militia dehonestant. Hi lau-
dant in pace prædas: inter arma fugas: inter vina victorias:
cum sint in prætorio leones, in prælio lepores.* Ita ille.

3 Quod si subinde ad corporis robur attendas,
quid asseruando, muniendoq́ue opportunius quàm
pudicitia, quæ integra, & robusta corpora facit teri-
oraq́ue? Quod quidem nolim ab alio discas, quàm ab
ipso gentili rei militaris Doctore Vegetio, qui lib. 1. Vegetius.
de re militari, eam potissimùm rationem reddit, cur
Romani exercitus numquam expugnarẽtur, sed sem-
per victores, & triumphatores euaderent: *Quia nullis
voluptatibus, nullis delitiis frangebãtur*: vt dixerit à turpi-
tudine non animum solùm sed corpus etiam ægrum,
imbecilleque reddi. Pro quo audi Senecam, & Sallu- Seneca.
stium fideiubentes: dum de Hannibale armis primũ
vincente, vitiis deinde victo, prostratoque sic ait: *Vna
D. Hannibalem hiberna soluerunt, & indomitum illum niuibus,
atque Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniæ. Ar-
mis vicit, vitiis victus est.* Sallustius verò de L. Sylla mili- Sallust.
tibus nimium indulgente, & laxas libidini habenas
dante ita conqueritur: *Lucius Sylla exercitum, quem in
Asia ductauerat, quò sibi fidum faceret, contra morem maio-
rum luxuriosè, nimisq́; liberaliter habuerat: loca amœna vo-
luptaria facilè in otio feroces militum animos molliuerant.*
Nec Ethnicis tantùm id assertum cùm ipsemet Do-
minus de plebe Israëlitica intemperante, & in libidi-
nem profusâ signatè dixerit Ezechiel. 23. 43. *& dixi ei,* Ezech. 23.
quæ attrita est in adulteriis: preme quæso dicendi 43.
modum *attrita in adulteriis*: vt dixerit, quæ à libidi-
ne, & intemperantiâ non solùm speciem & vires, sed
ipsum etiam corpus amisisse, & exesum potiùs cada-
uer, siue animatum sepulchrum, quàm viuens aliquid
esse videtur: Quàm expositionem meritò tribuens
Chry-

Chrysost. Chrysostomo in homilia *quod nemo laeditur nisi à se ipso* fic hac de re loquenti: *Qui in libidine vitam ducunt, resoluta quidem corpora, & omni cera molliora circumferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta, quibus, ad cumulum malorum podagra tremor, & immatura senectus succedit, & est omnis vita semper cum medicis, & medicamentis.* Sic Chrysostomus. Cui ipsimet Medici, quos citat

Galen. omnino adstipulantur. Galeno præfato loco de tuenda valetud. sic monente: *Frequens Venus corporis habitum soluit, senectutem accelerat, canos maturat, neruorum incontinentiam, podagras, arthritides, tremores, sensuum hebetudinem, mentis torporem, malum corporis habitum, succorum cruditatem, ac virium corporis, omnium functionumque ab his manantium infirmitatem facit.* Vides corpora in impudicitiis attrita? Benè ergo, vt Ecclesiam terribilem, vt castrorum aciem ordinatam, & aheneo, sine adamantino muro circumdata, vel ipsemet gentilis Vegetius describeret: *Liliis vallatam* omnino adstrueret.

B 4 At enimverò inde potissimùm hoc liliorum vallum omnium firmissimum, atque municissimum redditur, quòd idē omnino fit cum muro illo igneo, Zachar. 2. 5. *Ego ero ei murus ignis in circuitu:* sic namque de cælesti Sponso Cantic. 6. 2. *Qui pascitur inter lilia:* suâ videlicet ope, atque auxiliatrice manu castitatis amator lilia sua confirmans, & inexpugnabilia reddens. Idem ergo, si verè æstimas, & liliorum, & ignis murum, quòd castitate florentibus diuinum auxilium, vt murus ahenens, ad firmissimum munimentum adstet. Ergo ponito circum tritici liliorum vallum, & certò tibi persuade igneum sua opis murum statim Deum fore circumpositurum: sicuti è contra tolle liliorum vallum, & eo ipso igneum de medio murum simul aufeses; ab iis enim, qui in turpitudinem prorumpunt, diuinum auxilium auolat. Sed hæc iam non tam rationibus, quàm exemplis firmare fuerit operæpretium: & illa quidem opportuniora, quæ vt

C Saluian. nos omnino tangunt: ita à grauissimo Scriptore Saluiano Massiliensi lib. 7. de gubernatione Dei expensa sunt, nostras videlicet Hispanias olim à Vvandalis signatè ob impudicitiam debellatas: Deo, qui victoriarum æquè ac vltionum Dominus, & arbiter est, barbaros de Hispanis victoriam reportare volente, quodlicet Christianis infirmiores: illis tamen non æquè impuri essent. Audi illum tam nos ob præterita increpantem, quàm in posterum commonentem: *Quid Hispanias nonne vel eadem, vel maiora forsitan vitia perdiderunt? quas quidem cælestis ira etiamsi aliis quibuslibet barbaris tradidisset, digna flagitiorum tormenta tolerarent puritatis inimici. Sed accessit hoc ad manifestandum illic impudicitiæ damnationem, vt Vvandalis potissimùm, id est pudicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hispanorum captiuitate ostendere Deus voluit, quantum & odisset carnis libidinem, & diligeret castitatem, cum & Vvandalos ad solam maximè pudicitiam illis superponeret, & Hispanos*

D *ob solam vel maximè impudicitiam subiugaret.* Pendit plus plus rem, atque impudicitiam omni modo exagitat, dum iam bellicâ gloriâ, & auxiliatri Dei manu sic nudatam facit: *Quid enim? Numquid non erant in omni orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hispania traderentur? multi absque dubio, immò ni fallor, omnes. Sed ideo illa infirmissimis hostibus cuncta tradidit: vt ostenderet scilicet, non vires valere, sed causam; neque nos tunc ignauissimorum quondam hostium fortitudine obrui, sed sola vitiorum nostrorum impuritate superari, vt verè in nos veniret dictum illud, quod ait Dominus ad Iudæos:* Secundùm immunditias suas, & secundùm iniquitates suas feci illis, & auerti faciem meam ab eis, *& alibi ad gentem ipsam:* Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & vngulis equorum suorum omnes plateas conculcabunt, & populum tuum gladio interficient. *Completa ergo in nos sunt omnia, quæ dixit sermo diuinus, & vim verborum*

P. Velasquez in Psal. centesimum.

A *cælestium luit pœna cunctorum.* Hæc & multò plura Saluianus ibi. Vides vt pudicis, licet barbaris, Deus faueat? Vides vt turpitudinem etiam in suis ille auersetur, & puniat? Vides quàm firmum, & aheneum liliorum vallum sit? cùm eo de medio sublato fortissimi ab infirmissimis vincantur, ac debellentur. Verùm enimverò eam malo fato aliquando contractam maculam fortis, & generosa Hispania postea omnino eluit, etenim vt tunc illa non sine Dei iudicio ab exteris debellatam, & conculcatam vidisti: itidem etiam ipsam florentibus postmodum liliis; castissimis scilicet Principibus æquè ornatam, atque munitam; & flammantibus auxiliatis Dei manus mœnibus adeò propugnatam atque protectam videtis, vt non modò mille infensissimorum hostium inuasionibus occurrere, vt Alfonso cognomine Casto aduersus Carolum Magnum tot regnorum suorum potentiæ subnixum contigisse nouimus, sed fortissimas etiam gentes denuò expugnare, & debellare: imò totum ferme terrarum orbem armis subiicere, ac subiugare valuerint.

5 Nec minùs sanè opportunum huius rei exemplum à nostro Dauide peres; is quippe, vt castitatem seruerit egregias de hostibus perpetuò reportauit victorias; ita libidinis, & impudicitiæ reus inselicissimè sæpiùs ab hostibus expugnatus, victus, atque fugatus est. Vix enim cum Bersabee adulterium perpetrauerat; cùm eius exercitus eo vique victor; ab Ammonitis cæsus & debellatus est. Sic enim post turpes Dauidis amores relatos inquit sacer textus, 2. Regum 11. 17. *Egressique viri de ciuitate bellabant aduersus Ioab, & ceciderunt de populo seruorum Dauid.* Quod quidem ipse Dei iussu disertissimè Nathan Propheta obiecit, eum patrati criminis arguens: acceptâ etiam à populo clade sic illum penetrauit: *Blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc;* ad quę verba Theodor. quæstione 25. in lib. 2. Regum: *Dei enim nudatus cura, & solicitudine efficit, vt alienigena vincerent, & aduersus Deum vniuersorum magnos spiritus conciperent.* Vbi duo sunt maxima obseruatione dignissima. Alterum Dauide Hierosolymis peccante, ac lasciuiente; ipsius copias magno terrarum interuallo dissitas, victas ab hostibus, & profligatas fuisse, quòd ab impuro Rege igneum murum, & clangorem victoriæ Deo auferente, eumque suâ curâ, & peculiari auxilio deo dante ipsius bella, negotia, res, vbilibet terrarum infeliciter euenient: Alterum omnem exercitus splendorem amissum; totumque effusum militum sanguinem; vni Regis impuritati adscribi: vt ipse videtis, & attentissimè secum considerationes expenderit, quanti sua interfit castitatem colere, qui tanti suorum sanguinis, tot cædium, atque malorum ob impudicitiam reus est. Neque hinc emigro, quin luxta præfatam Theodoreti sententiam interpreter mox ea verba, quæ tunc temporis ipsemet Dauid, minùs commotus auditâ suorum cæde quàm oportebat, scripsit ad Ioab belli ducem, vt illum de infelici euentu dolentem cōsolaretur: *Varius euentus est belli: nunc hunc, & nunc illum consumit gladius,* 2. Reg. 11. 25. ita quidem, ô Rex: sed propter tua castrate, aut tua impudicitia belli euentus variatur, & nonc hunc, & nunc illum consumit gladius. Tibi enim castitatem colenti æther militat, & Dei auxiliū assidet à quo victoria, & triumphi: Te impudicitiæ inhærentem Deus peculiari cura nudat, ac proinde à tuis castris victoria auolat, tuosque milites *consumit gladium.*

6 Iam verò ipsummet fortissimū, & potentissimū Regem ob impudicitiæ crimen in turpē sese fugam à facie Absalonis coniicientē, sic refert Sacer Scriptor, 2. Reg. 15. 14. *Et ait Dauid seruis suis, qui erant cū eo in Ierusalē: Surgite fugiamus; neque enim erit nobis effugiū à facie* Absalon.

Theod.

2. Reg. 11. 17.

2. Reg. 11. 25.

2. Reg. 15. 14.

Absalom: & statim: *Egressus est ergo Rex, & vniuersa domus eius pedibus suis*: & pulchrè atque eleganter expendit Saluianus Massiliensis lib. 2. de gubernatione Dei ad finem hunc in modum: *Iam si addenda est, & ipsius fuga facies, quale illud fuit, cùm tantus Rex, tanti nominis, cunctis Regibus altior, mundo maior, omnes admodum suos cum paucissimis suis fugeret, in comparatione dudum sui egestuosus, in comparatione sui solus: fugiens cum metu, cum dedecore, cum luctu*: operto (*inquit Scriptura*) capite, & nudis pedibus incedens: *Super istis prioris status à seipso exulans, penè iam post se viuens deiectus vsque in seruorum suorum, vel quod graue est, contumeliam; vel quod grauius, misericordiam; vt vel Siba eum pasceret, vel maledicere Semei publicè non timeret.* Audis, quomodo à Rege castitatem declinante, victoria, felicitas, decus, & bellica omnis gloria diffugiant; nec nisi fugaces pedes ipsi supersint? Nimirum auxiliarem manum Deo subtrahente victoriis, & pulcherrimis in bello feliciter gestis facinoribus, turpis fuga, dedecus, & ignominia succedunt: vnde, sic statim concludit Saluianus: *Ita Dei iudicio à se alter effectus, vt ei, quem timuerat forsitan totus orbis, vnus in faciem insultaret inimicus*: Optimè: *Dei iudicio à se alter effectus*: vt huic, quem tot victoriis, triumphis & de omni pene gente opimis ablatis spoliis ob pudicitiam Deus cumulauerat; sic de repente hæc omnia fuerint ablata, vt alter omnino Dauid ab illo qui antea fuerat, esse videretur. Neç minùs opportunè hanc Dauidis fugam huc intentus pendit Chrysostomus illustrans titulum Psal. 3. *Cùm fugeret à facie Absalom*: hunc ad modum: *Fugiebat filium suum Dauid, quoniam castitatem fugerat: Fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violauerat: Fugiebat filium, quoniam legem Dei, quæ dicit*: Non occides. Non adulterabis, *fugerat*. Subiicit Chrysostomus hanc, non suam, sed Dei interpretationem esse: *Non est meum cogitatum, ipsum Dei dictum est. Vbi autem Deus est, qui interpretatur, nemo est qui contradicat: Quod enim aduersus Dauid filius suus ideò insurrexerit quod Vriam interfecerit, & vxorem eius acceperit: Audi Deum per Prophetam Nathan dicentem*: Quare ergo contempsisti Verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo? Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi. Hæc omnia Chrysostomus: Nec illud vllo modo prætereundum, quod indidem habet; nimirum Dauidem de industria suam fugam, atque dedecus in hoc titulo Psalmi proposuisse, vt suo damno Principes commoneret; ne similia ipsis dedecora euenirent: *Beati Dauid* (ait ille) *fuit hoc institutum, per propositum Psalmum vitam docere, & castigare, vt nihil vnquam mali faciat, nec leges Dei contemnat ne peccatores ea eueniant, quæ sibi euenerunt.* Discite ergo Principes castitatem moniti.

Saluian. | Titulus. Psalm. 3. | Chrysost.

6 Sed, & huc placet referre pulchrum illud interpretamentum, quod gentilem Themistium iis verbis Salomonis: *Cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit inclinauit illud.* Prouerb. 21. 1. reddidisse, alibi diximus: enim verò ipse dum Dei manum ad peculiarem Dei curam, & prouidentiã, qua ipse Regem, & quæ Regis sunt custodiat, scitè & accommodatè ad sacras literas refert. Magnum hinc quidem iudicio infert; cauendum omnino Principi, ne aliqua minus pura actione contaminetur: futurum quippe inde esse, vt ab hac Dei manu illum fulciente, & protegente decidat: Audi illum: *Ego verò quàm eleganter hoc ipsum Assyriorum literis animaduerti, Regis scilicet animum in manu Dei custodiri. Vnde et quantum immineat periculi prouidendum, ne si ad agendum aliquid quod à Deo sit alienum feratur, custodiente sese Dei manu excidat*: Perpende illud, *quod à Deo sit alienum*, & vide, quàm aptè id impudicitiæ aptetur: Quis enim puritatis, & munditiæ mediocriter studiosus sputum aliquid, & immundum, vel ad momentum manu teneat; & non potiùs illico excutiat? Quid ergo de mundissima illa puritate omnem cogitationem superante dicemus? Nonne immundum, & turpem Principem de manu sua statim repellet? siue ab eo tutando auxiliarem manum subtrahet? Perpegit id quidem adeo acriter Themistium, vt indidem subiecerit, ea etiam ratione impuros aliorum sermones Principi maximè vitandos, atque à suis auribus submouendos, quòd vel ij in manum Dei incurrant, atque eam in Principis custodia, & auxilio vacillare quodãmodò faciant: *Non enim* (ait) *tibi solũ Imperator, quæ sancta sunt animo, ac cogitatione tractanda, verũ etiã iis, qui apud te sermonem instituunt, eadem vsurpanda dicendo, cùm vnumquodque verbum ex iis, quæ ad aures tuas accidunt in incorruptam illius manum inscribatur.* Iam hanc gentilis cogitationem omnino probat Basilius in Psalm. 76. à quo fortè Ethnicos hausit, etenim cùm dixisset: *Seruatur enim Rex non per multam virtutem, sed per diuinam gratiam: si enim* cor Regis in manu Dei est, *non per armatam militarem potentiam, sed Deo ipso suppeditante præsidium, & velut manum protendente seruatur*: sic subiicit: *In manu autem Dei non quilibet, sed qui Regis appellatione dignus fuerit. Quidam autem Regnum definierunt, legitimam esse præfecturam, vel supra omnes principatum peccato minimè obnoxium.* Hæc ille.

Prou. 21. 1. | Themist. | Basil.

Ad eadem verba.

A Castitate peculiarem Principis faciei decorem accedere; à turpitudine verò illam obscurari, atque corrumpi.

ADNOTATIO XIII.

FVARIT etiam illâ ratione Castitas, & pudicitia Principi chara, atque gratissima, quod magnam ipsa cum formâ, & pulchritudine affinitatem, siue coniunctionem habeat. Enimverò licet priuatis hominibus faciei decor vix curæ esse debeat; cùm *omnis* Christiani hominis *gloria ab intus in fimbriis aureis*: in bonâ scilicet conscientiâ virtutum splendore ornatâ sit: nam, *Hæc est gloria nostra testimonium conscientia nostra*, 2. Corinth. 1. 12. vnde non abs re Seneca epist. 66. dicebat: *Errare mihi visus est, qui dixit,*

Gratior est pulchro veniens de corpore virtus:

Nullo enim honestamento eget: ipsa & magnum sui decus est, & corpus suum consecrat: at quidem Principis alia conditio, & sors est; de quo sapienter M. Tullius Philippica 8. *Persona principis, non solùm animis, sed oculis etiam seruire debet ciuium*: quæ videlicet formæ dignitate, & oris venustate conspicua regiam maiestatem impleat, & ornet: *Nam is certè magnus est Rex* (vt occasione Augustæ speciei, quâ præditus erat magnus Theodosius, aiebat Themistius oration. de Theodosij clementia) *cuius est forma, & species integra, omnique ex parte perfecta, & absoluta*: ita de eodem Theodosio aiebat Pacatus in Panegyrico: *Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium: illa præstitit vt oporteret te Principem fieri: hæc vt deceret*: & paulò antè: *O digna Imperatoris nobilitas, qui hunc Romani fastigij apicem non solùm fortitudine, atque sapientiâ, sed decore etiam corporis, & dignitate potuerit æquare; velut tua hæc forma venerabilis, quàm fortuna sua par est, quàm longè latèq; conspicua commendat imperium!* Ad quem modum Sidonius Appollinaris consummatam Theodorici Regis felicitatem à decore pensitabat, nam cùm eius formã eleganti penicillo vellet depingere, sic exorsus est: *Igitur vir est, & illis dignus agnosci, qui eũ minùs familiariter intuentur: ita personã suã*

Psal. 44. | Psal. 44. 14. | 2. Cor. 1. 12. | Seneca | Themist. | Pacat. | Sid. Apol.

Deus

Deus arbiter, & ratio naturæ consummata felicitatis dote cumulauerunt. Quod planè tanti factum est à sapiente Rege, & Legislatore nostro Alfonso: vt quã potuit ratione Principum pulchritudini peculiari lege prospiciens, Regibus signatè præscripserit, ne nisi pulcherrimas feminas in matrimonium sibi copularent; quò filij quos ex ipsis suscepissent, formosi, & elegantes euaderent: sic namque ille libr. 5. titulo 6. part. 2. *Porque los hijos que ouiere el Rey sean mas fermosos, è apuestos: lo que conuiene mucho a los fijos de los Reyes, que sean tales, que parezcan bien entre los otros homes:* A quo quidem non multum videntur abiisse Lacedæmonij Archidamum Regem mulctantes, quòd pusillam duxisset vxorem perinde quasi non Reges ex eâ, sed regulos esset suscepturus. Vnde quidem pulchritudo in primis, *quiddam regium naturâ*, dicitur apud Xenophontem in Symposio, & apud Homerum; quin Vlyssem sic Antinoum deprecantem facit,

> —*Quoniam vel Regia forma*
> *Te decorat Regi similem.*

[Alf. Reu.] [Xenoph.] [Homer.]

Deinde Regem ostendit, vti de Moyse inquit Philo libro 1. de vita Moysis: *Natus enfans mox vrbaniorem præ se ferebat vultum, quàm qui de priuato homine sustitari posset:* & de eodem Theodorico dicebat Ennodius in Panegyrico hunc in modum: *Quod agunt in aliis domini diademata; hoc in meo Rege operata est Deo fabricante natura: illos faciunt tot diuitiarum adiumenta conspicuos; sed hunc edidit simplex, & immutabilis natura meliorem:* planè quasi à pulchritudine, regium ornamentum, & eminentiam super alios, & de Traiano Dio Cassius: *Oris maiestas Principem prodidit; & quia foret in ementito habitu facilè ostendebat:* & de seipso illa fax Troiæ Paris:

[Philo.] [Ennodius.] [Dio Caß.]

> *Forma, vigorque animi, quamuis de plebe videbar,*
> *Indicium tecta nobilitatis erat.*

[Ouidius.]

Denique, & Regem facere consueuit, non modò apud Æthiopes, quorum meminit Aristotel. libro. 4. politicor. capit. 4. & Strabo libro 15. aut antea solùm illo sæculo; quo Regnum pro facie conferri, inquit Lucretius lib. 5. subdens:

> *Nam facies multum valuit.*

[Aristot.] [Strabo.] [Lucretius.]

Sed apud politiores gentes, & vrbanioribus sæculis, vt in Antipatro cæteris fratribus in Regno prælato, apud Egesipp lib. 5. cap. 36. *Cui forma, cui decoris gratia suppeteret, vt iure præferendus omnibus æstimaretur,* & in Ariobarzane à C. Cæsare in regnum Armeniæ suffecto non tantùm ob præclarum animum, sed etiam *ob insignem corporis formam:* auctore Tacito lib. 2. Annal. necnon in Maximino minore, qui à Patre Imperatore Cæsar appellatus est; *vt Populus Romanus iuraret* (inquit ipse Maximinus Senior in epistola ad Senatum, apud Iulium Capitolin.) *se nunquam pulchriorem Imperatorem habuisse.*

[Egesip.] [Corn. Tac.] [Iul. Capit.]

2 Hinc sanè omnes omnino Auctores qui Regum historias conscripsere, siue vt illos ad historiæ fidem, siue ad effigiem iusti imperij depingerent, pulchros facere consueuerunt: sic enim in primis Dionysius Halicarnas. lib. 2. Numam à formæ dignitate, atque excellentia laudat: & Alexandrum magnum Solinus cap. 14. Augustum Cæsarem, Suetonius capit. 70. inquiens: *Formâ fuit eximiâ, & per omnes ætatis gradus venustissimâ:* & Claudium cap. 30. *auctoritas, dignitasq. formæ non defuit specie, cauitteq. pulchra:* & Titum cap. 3. *Formâ egregia, & cui non minus auctoritatis inesset, quàm gratiæ.* (Quod sic expressit Cornel. Tacit. agens de eodem Tito libro 2. histor. *Augebat famam ipsius decor oris cum quadam maiestate*) & Domitianum cap. 18. *Staturâ procerâ: vultu modesto, ruborisq. pleno, grandibus oculis: præterea pulcher, ac decês maximè in iuuenta:* Traianum Dio: *generosa canitie, & oris maiestas:* Seuerum

[Dion.] [Hal.] [Solinus.] [Sueton.] [Corn. Tac.] [Sueton.] [Dio. Caß.]

P. Velasquez in Psal. cen tesimum.

Spartianus: *Ipse decorus: ipse ingens:* & Alexandrum Seuerum idem: *erat corporis venustate decorus,* Æneam Virgilius, Stiliconem Claudianus:

> *Aeneas tantum egregio decus enitet ore.*
> *Iam tunc conspicuum, iam tunc venerabilis ibat*
> *Spondebatq. ducem celsi nitor igneus oris*
> *Membrorumq. modus, qualem nec carmina fingunt*
> *Semideû.*

[Spartian.] [Virgil.] [Claudi. n.]

Ad quem itidem modum Tiberij iunioris, qui Iustiniani successor fuit, decorem sic persequitur Cedrenus, vt oculos, comam, colorem singillatim laudet, omnimodaque eum pulchritudine floridum asserat. Nec prophanis tantùm, atque Ethnicis is mos est, quando & Nazianzenus orat. 4. Imperatorem Iouinianum ab oris maiestate sic commendat: *Vir ve aliis rebus, ita pietate clarus, & insignis, atque oris maiestate:* & sacri identidem Scriptores Principum decorem vix silentio premant: sic Moyses à Paulo elegantis formâ præditus ad Hebræos. 11. 23. Ioseph, *decorus aspectu,* Gen. 49. 22. Dauid, *pulcher aspectu, decoraq. facie,* 1. Reg. 16. 12. & quod caput est, ipse Rex Regum, ac Principum forma, & exemplar: *Speciosus formâ præ filiis hominum,* esse dicitur Psalm. 44. 3.

[Cedren.] [Nazianz.] [Hebr. 11. 23.] [Gen. 49.] [1 Reg. 16. 12.] [Psal. 44. 3.]

3 Si inquiras, cur forma & decor regiam maiestatem impleat facilis est responsio, quòd ab ea subditis suis Princeps amabilis, & gratos, quod omnino fuerit exoptandum, signatè redditur: quod planè indicauit Tullius, cùm dixit, personam Principis oculis ciuium seruire debere: & noster Rex aiens: *Que sean tales que parezcan bien entre los otros homes:* sic post præfata verba, quibus formam Theodosij celebrabat Pacatus, lectè subiecit: *vt planè in ambiguo sit: vtrum te magis nostris mentibus, an obtutibus vultus insinuet.* Quid verò Principi opportunius, quàm sic suis gratum, & acceptum esse, vt ab illorum animis quidquid voluerit, eblandiatur? Quid autem pulchritudine, & decore ad eblandiendum, siue extorquendum affectum fortius, & efficacius; nonne ipsa *regnum sine satellitio,* vt Carneades aiebat: siue vt Socrates *summa tyrannis per vim sine vi rapiens quæcumque velit:* Nimirum pulchrè inquit Xenophon in conuiuio: *eo pulchrorc distare à robusto: quod robustum necesse sit laborare, si velit bona acquirere: fortem periculis se obiicere: sapientem oratione vti: at pulchrum, vel in summo otio omnia conficere;* adeò quidem, inquit Heliodorus ille Antistes tam prophanarum, quàm diuinarũ rerum peritus: *vt prædonum ipsorum corda emolliat, moresq. feros ducat in obsequium:* Iam verò si curium petas: cur pulchrum adeò vehementer oculis placeat? etsi alij respondere soleant: eorum interrogationem eam esse; placet tamen alium, & quidem peremptoriam responsionem, siue rationem ex Pacato superius adducto date: quod videlicet *Augustissima quæque species plurimum credatur trahere de cælo:* & verò vt ille id sic diffinit: *Siue enim diuinus ille animus venturus in corpore dignum priùs metatur hospitium, siue cum venerit, fingit habitaculum pro habitu suo, siue aliud ex altero crescit:* ita nos ad Dei imaginem decorem suum ad externa etiam lineamenta diffundentem omnino reuocamus; quippe & Ambrosius libro. 1. offic. cap. 44. hominem à Deo formatum optimâ specie præditum sic facit: *Deus ergo primum hominem cùm conderet, bonâ habitudine, bonâ membrorum compositione formauit, & optimam ei speciem dedit.* Et Clemens Alexandrinus, atque Chrysostomus eam optimam speciem ad Dei imaginem signatè retulerunt, ita enim ille libro 3. Pædagogi: *Hic est sanitatis aptus, & compositos ornatus, per quem ficti simulachri acceddit ad verum transitus conuenienter figuræ quæ à Deo data est,* Chrysostomus verò disertissimè homilia de Spiritu sancto, his verbis: *Olim in principio quãdo omnium opifex, ac Domi-*

[Pacat.] [Carnead.] [Socrat.] [Xenoph.] [Heliod.] [Pacat.] [Ambros.] [Clem. Alex.] [Chrysost.]

nis ineffabili consilio, & sermone iuxta imaginem suæ imaginis effigiauit hominem protoplastum contestâ fatui corporis illius forma Angelici cuiusdam fulgoris. Pergit statim, & malum dæmonem bonæ huic speciei, & fulgori inuidisse sic affirmat: *Quam speciem mox vt honestatis osor dæmon vidit, inuidet, illamq; per obedientiam deceptam seduxit, ac corrupit, fulgoremq; illum coinquinans immutauit.* En ergo quid sit augustissimam quamque speciem plurimum trahere de cælo, ad primæuam scilicet formationem, atque ad Dei expressionem propius accedere. Quod sanè Ethnicis ita erat persuasum, vt hoc formæ indicio, siue argumento, homines diis genitos crederent, vti apud Virgilium infelix Dido cùm dixisset:

Virgil.

Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes?
Quem sese ore ferens.

Subiicit:

Credo equidem, nec vana fides genus esse deorum.

Ouid. Et eodem argumento vius Ouidius lib. 2. Fastorum.

Si genus arguitur vultu, ni fallit imago
Nescio quem è vobis suspicer esse Deum.

Pacatus. A quo non iuit post præfata verba Pacatus, qui totus in adulationem prolapsus Theodosio dicebat: *Illud dicam quod intellexisse hominem, & dixisse fas est, talem esse debere, qui à gentibus adoratur, cui toto orbe terrarum priuata, vel publica vota redduntur: à quo petit nauigaturus serenum, peregrinaturus reditum, pugnaturus auspicium.* Sic ille.

4 Hinc iam non omnino abs re, nisi immaniter erro, totum hunc discursum, siue excursum latiùs, liberiùsque euagantem ad nostri instituti, & opportunitatis metas reuocemus: omnimodam videlicet virtutem, signatè verò Castitatem Principi suadentes, vt eius facies à vitæ puritate serena, ab animi tranquillitate placida, à castitate, & pudicitia decora, & natiuo, siue splendenti colore lucens perpetuò sit: quippe Senecæ internam animi pulchritudinem,

Seneca. virtutum ornamenta videre, & videnda dare hunc in modum percupienti epistula 115. *Si nobis animum boni viri liceret inspicere, ô quàm pulchram faciem! quàm sanctam! quàm ex magnifico, placidoq; fulgenti videremus, hinc iustitia, illinc fortitudine, hinc temperantia prudentiaq; lucentibus! Præter has frugalitas & continentia, & tolerantia, & libertas, comitasq;, & (quis credat) in homine rarum humanitatis bonum splendorem illi suum affunderent. Tum prouidentia, tum elegantia, & ex istis magnanimitas eminentissima quantum, dij boni, decoris illi, quantum ponderis, grauitatisque adderent! quanta esset cum gratia auctoritas! nemo illum amabilem, qui non simul venerabilem diceret. Si quis viderit hanc faciem altiorem, fulgentioremq;, quam cerni in humanis consueuit, nonne velut Numinis occursu obstupefactus resistat & vt fas sit vidisse, tacitus precetur.* Sic plenissimè occurrit, & satisfacit Salomon: *Sapientia*

Eccl. 8. 1. *hominis lucet in vultu eius.* Ecclesiast. capite 8. vers. 1. vt diceret: eam esse virtutis, & integritatis naturam, atque energiam, vt ipsâ internâ pulchritudine Senecæ adeò laudatâ non contenta, in ipsammet externam faciem suauissimum internæ serenitatis, & decoris florem, splendoremque transfundat, ac proinde sapientis, & iusti viri faciem à pacatissima virtutis pace, quâ ipse interiùs fruitur, mirâ quâdam amœnitate serenam, splendidam, ac florentem reddi: ita idem omnino Principem suum monente Synesio

Synesius. in oratione de Regno, dum ait: *Necesse est enim, interiora in eo tranquilla esse perpetuò, ac seditione vacare, & vel ad vsque vultum diuinam in hunc serenitatem relucere.* Ad

Ennod. quem modum de Epiphanio Ennodius in eius vita dicebat: *Formositas illa lucis corporeæ index animæ fuit:* quasi hac in illam sese transfundente: & generaliter

Ambros. Ambrosius libro secundo de Virginibus: *Species corporis simulachrum est mentis, figuraq; probitatis:* sedeant ergo interius iustitia, & temperantia, nec dubium, quin exterius etiam scintillent, & splendeant, sapientiâ hominis lucente in vultu eius.

5 Firmat hæc, explicatque rursum Salomon pulchrâ speculi ab aquis sumpti sic appositâ imagine: *Quomodo in aquis resplendent vultus respicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Prouerbior. capit. 27. vers. 19. Luculentiùs verò Prouerb. capit. 15. vers. 13. inquiens: *Cor gaudens* (ex integritate videlicet, & puritate vitæ) *exhilarat faciem:* vbi Pagninus: *Cor lætum decorat faciem,* similiter LXX. *Cor læti, facies florens.* Planè vt (quod dicebat Ennodius) *Formositas lucis corporeæ index animæ sit:* Quod si hæc, vel ipsis velis spectare oculis, Concilium, in quod tanquam necis reus productus fuit Stephanus, ingredere, & in eius faciem intuere: quippe *intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.* Actuum cap. 6. 15. Bonum quidem reum, qui lethali accusationi obnoxius, & cui sæuissimi æquè ac iniquissimi iudices grauiter, & pertinaciùs erant infensi, adeò non pallebat, non trepidabat, vt diuinâ potius pulchritudine collucerer. Neque enim solummodo illi opportunè dixeris, quod Maximiano Imperatori non reo quidem, sed regio throno insidenti adulabundus ingerebat Mamertinus in Panegyrico: *In ipso tuo vultu videbam omnia signa virtutum, in fronte grauitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiæ, in sermone iustitiæ:* aut etiam quod de Christianis MM. Tertullian. in Apologet. cap. 1. *Malefici gestiunt latere, deuitant apparere, trepidant deprehensi, &c. Christianus verò quid simile? Si denotatur, gloriatur; si accusatur, non defendit. Quid hoc mali est, quod naturalia mali non habet? timorem, pudorem, tergiuersationem, pœnitentiam, deplorationem. Quid hoc mali est, cuius reus gaudet?* Sed etiam, quid hoc mali est, à quo facies *splendet, decoratur, & floret?* Sanè quòd, vt *in aqua resplendent vultus respicientium:* ita & in vultus speculo interna animi ornamenta splenderent: ita id & Hilario Arelatensi, & Eusebio Gallicano homilia de Sancto Stephano totidem verbis hunc in modum pensitantibus: *Abundantia cordis transit in decus corporis: in exteriori gloriâ candor interioris exundat, & abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiant.* Pulchrè *speculum frontis,* quasi in vultu, vt in speculo interna animi pulchritudo se intueatur. Nec abs re in hac Stephani causâ dixeris, quod in Milonis causa iudices demulcens Marcus Tullius: *Magna vis est conscientiæ, iudices, & magna in vtramque partem, vt neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccauerint.*

Prou. 27. 19. *Prou. 15. 13.* *Pagnin.* *LXX.* *Act. 6. 15.* *Mamert.* *Tertull.* *Hil. Arel.* *Eusebius.* *M. Tull.*

6 At enimverò, ne quod huius loci proprium est, prætereamus, Angelicū illum vultus Stephani splendorem ad castitatem omnino retulit Augustinus sermone 99. de diuersis: scitè inquiens: *In amico Angelorum Angelicam similitudinem apparuisse:* planè, vt castitatis proprium fuerit, egregium faciei ornamentum afferre: vel vide quid Ecclesiasticus Scriptor Sozomenus libro quinto Historiæ Ecclesiasticæ de cuiusdam Virginis pulchritudine asseruerit: etenim cum dixisset: *Quam quidem Virginem pulchritudine tantùm omnibus illius temporis mulieribus antecelluisse accepimus, vt sunt omnibus in eam intuentibus miraculum putabatur, sic viris modestiam, & continentiam profitentibus fugienda videretur, ne ex suspicione labes aliqua ipsis aspergeretur infamia.* Subiicit: *Erat enim in ipso ætatis flore pudica cum primis, & casta, quæ res etiamsi naturæ adiumentum ei non accedat, afferre tamen ad insignem corporis pulchritudinem solet non parum ornamenti. Nam, vt verum dicamus, non vt quibusdam placet, qualia sunt corpora,* talem

August. *Sozomen.*

talem consuevisse sibi animum, sed ex ipsis animi institutis moris corporis effingi solers, & qualem rem quisque fortè animo instituat, talem ipsum quoque videri eo tempore, quo illam instituat. Vides, vt pudicitia ad insignem corporis pulchritudinem non parum ornamenti afferat? quòd ex candidis animi institutis candidi etiam corporis mores, & lineamenta effingantur, & vt optimè de illa dixerit Sanctus Cyprianus libro de bono Pudicitiæ, illibatum faciei florem, & honorem corporum esse. *Cyprian.*

7 Ergo Princeps, vt à formâ dignitatem, ita à pudicitiâ formam, & decorem accipiat. At enim non perinde hæc dicimus, quasi ipsum intra strictos meræ castitatis, siue virginitatis terminos constringamus, quem ve non sibi soli, sed toti mundo genitum, ita liberos suscipere, & pulchrâ prole parentem fore optandum est, sed vt pulchrum in primis robore ei faciamus, qualem Regi Theodorico Sidonius Apollinaris hunc in modum adscribebat: *Lactea cutis, quæ propius inspecta iuuenili rubore suffunditur, namque hunc illi crebrò colorem non ira, sed verecundia facit.* Subinde verò, vt vel hac formæ ratione concupiscentiæ flammam faciem inusscantem, siue denigrantem omnino fugiat. Etenim vt generaliter peccari, & malæ conscientiæ sit, proprium vultum corrumpere, vti Caino dicebat Dominus: *Cur iratus es? & cur concidit facies tua?* Genesis capite 4. vers. 6. & de seipsa Sponsa Canticorum primu, vers. 5 *Nigra sum sed formosa*, vbi Chaldæus, ingredinem ad peccatum facientem denigrans sic signatè retulit: *Quando fecerunt domus Israel vitulum, denigrata sunt facies eorum sicut filiorum Aethiopia:* atque hac ratione Paulinus Aquileiensis lib. 7. contra Felicem corpus humani generis ob protoplastorum transgressionem: *Criminum flammâ adustum, & quasi titionem semiustulatum* appellauerit: attamen hæc labes siue ea deformatio vultus fœdæ libidini omnino adscribitur, eiusque propria, & peculiaris est. Vnde Ambrosius sermone 11. in Psalm. 118. de Loth ab impuritate Sodomæ exempto sermonem faciens signatè ait: *In hac terrâ Loth reuerendi parentis imitator, quem non luxuriantis plebis decolorauit impuritas, non flamma Sodoma ardentis inuoluit.* Benè *decolorauit impuritas:* quæ vultum quàm primùm corrumpit, & colorem adimit, sic id attestante libro quarto contra Iulianum Augustino ex ipsomet gentili M. Tullio in Hortensio in hunc modum: *Qua confectio est valitudinis? qua deformatio coloris, & corporis? quod turpe damnum, quod dedecus? quod non euocetur, atque eliciatur voluptate?* *Sid. Apol.* *Gen. 4. 6.* *Cant. 1. 5.* *Paulinus.* *Ambros.*

8 Quò etiam aspexit Ambrosius subdens: *non flamma Sodoma ardentis inuoluit*, quasi ipsa illum si semel inuolueret, foret denigratura, & velut titionem semiustulatum redditura: vel audi hac de re titionem omnino vstulatum, & ardentem: diuitem scilicet illum: *qui induebatur purpurâ & bysso*: post consumptam in malis deliciis vitam sic in inferno clamantem: *Crucior in hac flammâ*: Lucæ capite 16. vers. 24. Obserua illud *in hac flammâ*: signanter enim dixit *in hac*, quasi & alia præter illam flamma fuerit. Quæ ergo illa? Sanè concupiscentiæ, & libidinis flamma, quæ vt animum inflammat, & adurit, ita formam, & famam denigrat, atque corrumpit, ea quippe extrema impudiei dementia, & infelicitas est, vt à flamma in flammam commigret, & iam corporis, quàm animi ornamentis sese sponte spoliet: sic id ipsi acri morsu obiiciente Isaia cap. 50. vers. 11. *Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis*, audis? *in flammis*: quasi modò flammâ concupiscentiæ velut titio semiustuletur impudicus, vt subinde in gehennâ æternæ sit flammæ addictus: hæc omnia sic inibi perstringente Cardin. Hugone: *Est duplex flamma:* *Ambros.* *Luca 16. 24.* *Isai 50. 11.* *Hugo.*

P. Velasquez in Psal. centesimum.

vna præsens, scilicet mala conscientia: alia est flamma gehennæ, de quibus Isaias: Ambulate in flammis: *ambulate in flammis est, de flamma ad flammam transire: & flamma concupiscentia ad flammam gehenna.* O turpem, & obscuram concupiscentiæ flammam! *à qua confectio valetudinis, & deformatio coloris, & corporis.* Opportunè quidem illa Cyprianus libro de bono Pudicitiæ: *Impudicitia obscœnum ludibrium reddit miniftris suis, nec corporibus parcens, nec animis:* Pergit verò Apuleius, & easdem faciei libidinosi, atque ægri notas sic attribuit libro 10. *Iam cætera salutis, vultusque detrimenta, & agris, & amantibus ex amussi conuenire nimio est, qui nesciat: pallor deformis, marcentes oculi, lassa genua, quies turbida, & suspiritus cruciatus tarditate vehementior.* Accinit huic cogitationi S. Ioannes Climacus in scalâ spirituali adductus à Pat. Salazario in cap. 5. Prouerbiorum num. 79. hanc libidinis flammam appellans *fuliginem aterni, & gehennalis ardoris*, tantùm non dicens, gehennæ flammam, cui turpes, & libidinosi addicendi sunt, iam inde flammæ libidinis coniungi, & noxios illi fumos mutuare, quibus turpes obteuter, atque deformet. *Cyprian.* *Apuleius.* *Climac.* *Salazar.*

9 Hinc de filiis Babylonis, illius scilicet Babylonis: *Quæ* (vt inquit Ioannes Apoc. 14. 8.) *à vino fornicationis suæ potauit omnes gentes.* Notantissimè dixit Isaias cap. 13. 8. *Facies combusta vultus eorum.* Sed à qua flamma? libidinis? an gehennæ? Planè ab vtraque, dum illa gehennæ in hanc libidinis influit, & suas illi vires, & fumos commodat: ita quidem subiicit indidem Ioannes vers. 10. meretricis illius asseclas cruciandos in gehenna *igne, & sulphure*. Vbi dum interpretibus nonnihil negotij facessit hæc sulphuris, ignisque coniunctio, non immeritò ambigentibus, quò eat peculiaris hæc sulphuris in damnatorum suppliciis mentio? quasi aut in tanto ignis pondere sulphur aliquod possit habere momentum, aut aliquo edax ille ignis nutrimento quo foueatur indigeat? benè primùm respondet ibi P. Alcazar sulphuris imagine peccatum ibi designari, tum quòd ei is conscientia siue morsus, ac fœtur non minus, quàm ipse ignis miseros damnatos excruciet: tum etiam quòd vindici igni materiam, vitesque ministret: quippe & de sulphure dixit Plinius lib. 35. c. 15. *Non alia res facilius accenditur:* & de peccato Cyril. Alex. lib. 7. de adorat. in spiritu: *Eiusmodi est enim miserrimum peccatum, quasi mortalis quadam, & immotis flamma sui amatoribus impia nutrix.* Sed et rationi hanc quam persequimur, non inpportunè adiunxeris, gehennæ videlicet flammam suam sui genere in turpes homines etiam in hac vitâ exhalare, à qua facies eorum, *facies combusta*, pallentes videlicet, deformatæ, luridæ, exangues, & denigratæ conspiciantur: nimirum indidem de sulphure dixit Plinius: *Exardescentis sulphuris repercussu pallor dirus velut defunctorum hominibus effunditur.* Quid namque opportunius ut eâ coloris deformatione: neenon in turpissimis morbis, quos libidinosi patiuntur, confidetes, quàm gehennalis sulphuris repercussum iam nunc illos pallore diro tanquam suos consignantis? vt meritò dixerit is eum Claudiano: *Apoc 14. 8.* *Isai 13.* *Apoc. 14. 10.* *Plinius.* *Cyril. Alex.*

Frons exsperantis praeportat pectoris ignes. *Claudian.*

Fuge ergo, fuge, Princeps, exitialem istam flammam, *& obscœnum ludibrium, quod nec corporibus parcit, nec animu.* Ne videlicet *gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes, & corpus tuum.* Vt filium suum Salomon Rex hac de re admonebat Prouerb. cap. 5. vers. 11. Quæ sanè admonitio cum ea omnia, quæ diximus, comprehendat, peculiarem quandam epitasim huic rei peropportunam babet: etenim *pro gemas in nouissimis* in Hebræo omnino est, *vt rugias in nouissimis*, quod non tam homines, quàm feras designat: cum *Prou 5. 11.*

inter alios aculeum libidinosis Salomon præfigens, A quòd generosam hominis faciem, & pulchritudinem in quâ Dei imago prælucet, in belluarum faciem, & turpitudinem commutent. Cui quidem rationi sub- *Athanas.* nixus magnus Athanasius oratione aduersus gentes, & Hieronymus in epistola Valerij ad Ruffinum tomo 9. fabulosum illum Iouem vellicabant, simulque irridebant, quòd fœminarum amore captus, *in brutorum formas transiens* innatam pulchritudinem corrumperet, orisque maiestatem deformaret: sic enim prior: *Et propter illas in brutorũ animantium imagine quadrupedum, volucriumque suam ipsius speciem in peri-* *Hieron.* *culum adduceret*: ita ille: sed opportunius Hieronymus mugitum etiam exprimens huncin modum: *Iuppiter Rex terrenus, qui & Rex calorũ dictus est pra singulari strenuitate corporis, & incomparabili mentis elegantiâ post Europam mugire coactus est. Amice, ecce quem bonitas supra calos extulit, femina bruto comparauit. Poterit etiam te femina cogere ad mugitum: si non sis maior Ioue cuius magnitudini* B *nemo alius par fuit.* Hæc ille, & alia: sed nos iam ad alia.

Ad ea verba,

Superbo oculo, &c.

Principi ex regia dignitatis natura egregiam animi demissionem, ac modestiam conuenire.

ADNOTATIO XIV.

1 MIRVM quidem alicui videatur, quantùm siue hoc in Psalmo, siue Psalm. 129 & mille aliis in locis fastum, atque arrogantiam Noster Vates auersetur: quippe *Vnctus in Regem* (vt optimè pendit S. Ze- *S. Zeno.* no Veronens. M. serm. 1. de Psalm. 129.) *spiritu in vate non insolescit in rege, obumbrat armintus Propheta terrore,* C *iniurias suas non exequitur regia potestate, odientes se diligit, inimicis parcit, parricidalibus filiis ignoscit,* &c. *Rex mansuetus, pater pius, propheta modestus totũ potest, à toto dissimulat, magnis, ac mirabilibus saculi non immutatur, mitem humilemque retinet vbique pastorem.* Sed quare? Num vilibus, siue humilibus pannis natus, atque enutritus abiectæ conditionis obliuisci, & paruitatem quam in lacte suxit, cauere non poterat? An auidissimus perfectæ virtutis assecla præ spiritus feruore regiam magnitudinem abiiciebat, & proculcabat? Minimè quidem: *quia nec humilitas dignitati, nec dignitas praiudi-* *Philipp.* *cat humilitati*, inquit Philipp. Abbas lib. de dignitate Clericor. cap. 27. Sed potiùs quod Rex sapientissimus à Deo edoctus regiæ dignitatis legem optimè percalluerit, siue etiam eximiæ magnitudinis naturam ebiberit, & ad eam compositus egregiam animi demissionem coluerit, vt sese pro suo fastigio metiretur, suamque dignitatem plus plus ornare, atque D firmare studeret. Nimirũ: *attende & videbis* (sic Chrysostom. homilia 66. in Matthæum) *nihil humilitate altius, nihil arrogantiâ depressius*: vnde sapiẽter Ennodius lib. 4. epist. 7. *Qui fastum in sublimitate castigat, docet se meruisse, quod adeptus est.* Quam ob causam? Planè quòd sublimi fastigio sublimem animum & regiam indo- *Isidor. Pel.* lem attulit. Audi Isidorum Pelusiotam lib. 3. epist. 188. non modò id affirmantẽ, sed etiam allatu Abrahæ & Pharisæi exemplo, illius magnitudinem ex eius humilitate, huius verò paruitatem ex ipsius insolentia atque superbia elicientem ad hunc modum: *Equidem ipse humilitatem ab animo magno & excelso, superbiam autem à vili, & abiecto proficisci existimo. Atque hoc confirmat Deo charus Abraham, & Pharisaus. Etenim ille diuino colloquio fruens terram sese, ac cinerem appellabat: hic autem etiam à nemine commotus efferebatur, animumque arrogan-* A *tem gerebat, ac se ipsum vniuerso orbi anteferre conabatur.* Bene ergo Dauid vt regiæ dignitati regium animum afferret: *non insolescit in regno, magnis ac mirabilibus saculi non immutatur, sed mitem humilemque retinet vbique pastorem.*

2 Enimverò hanc Principatus legem, siue potiùs ipsissimam esse naturam, ipsamet verba, quibus ex Dei similitudine Regis dignitas instituta, hominique à Deo primum collata est manifestè adstruunt. Sic enim primis parentibus, atque principibus Dominus Genes. 1. 28. *Crescite, & multiplicamini, & replete* *Gen. 1. 28.* *terram, & subiicite eam, & dominamini*: siue vt reponunt LXX. *Principamini* hoc est: estote Principes, Domi- *LXX.* ni, rerumque potentes. Vides regiam dignitatem, summumque, ac supremum fastigium, cui omnia subdita, atque subiecta? obserua iam eius legem, atque naturam à Moyse quæsitu vocabulo præscriptã. Sanè Hebræum verbũ רדו *vrdu* quod verbo *dominamini* re- *Lect. Hebr.* B spondet, æquè significat *Dominari*, siue *Principari*, ac *decidere*, siue *descendere*, vt inibi obseruat doctissimus Martinus Delriu. Et quidem, quamuis ipse eò referat, *Delrio.* vt Dei sensus, atque sententia sit, si præcepto meo parueritis, dominabimini, ac principes eritis, sin autem, dato vobis rerum dominio, & regia conditione excidetis, bestiisque, ac iumentis vobis subditis euadetis persimiles iuxta id Psalmi 48. 15. *Homo cùm in* *Ps. 48. 15.* *honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*: vereor tamen ne id nimis contortum, & principatui asserendo parum consentaneum fuerit, ac proinde opportuniùs hæc æstimaturum, qui dixerit, eam accuratã hac locutione, & quæsitu vocabulo imperandi, ac dominandi legem à Domino præscribi, siue regiæ conditionis naturam aperiri, vt quò aliùs maior & excelsior dignitatis fuerit, eò humilius, ac modestius se gerat, & quantũ vertice dignitatis, supra cæteros ascendat, tantum C modestia, ac summissione descendat. Cui quidem sensui opportunissimè locuti sunt tum Augustinus, *August.* tum gentilis Tullius: ille siquidem libro de Sancta *Tullius.* virginitate cap. 31. notanter ait: *Mensuram humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis datam esse*, vt prius quidem fuerit esse magnum, quàm humilem, atque à magnitudine humilitas oriatur, quæ magnitudinis mensuræ velut in bilance æquè respondeat, & quantum Princeps *dominatur*, tantum *descendat*, & fastigium submittat. Ad quem omnino modum M. Tullius lib. 1. officiorum cùm adhibitis in hanc rem Philippi, atque Alexandri filij eius exemplis dixisset: *Philippum quidem Macedonum Regem rebus gestis, & gloria superatum à filio, facilitate verò & humanitate video superiorem fuisse, itaque alter semper Magnus, alter sapè turpissimus fuit*: Subiicit: *Vt rectè pracipere videantur, qui monent, vt quantò superiores sumus, tantò nos summissius geramus.* Scitè omnino, sed preme illa: *itaque alter semper ma-* D *gnus, alter sapè turpissimus fuit*, vt planè dixerit Philippum, quà facilis erat, & humanus Magnum semper extitisse, humilitatis & magnitudinis mensuris siue lancibus ex æquo sibi respondentibus. Alexandrum verò nomine tenus magnum dictum, reapse verò turpissimum, & à regia dignitate, & conditione toto cælo aberrantem fuisse. Accinit huic cogitationi Lactantius lib. 5. diuinat. instit. cap. 16. in- *Lactant.* quiens: *Si enim iustitia est, quasi parem se etiam minoribus facere, quamquam hoc ipso pracellat, quod se inferioribus coaquauit: tamen si non tantùm quasi parem, sed etiam quasi minorem se gesserit, vtique multò altiorem dignitatis gradum consequetur.* Addit statim rationem reddens: *Nam profectò in hac saculari vita, quoniam breuia, & caduca sunt omnia, & praferunt se alteris homines, & dignitate contendunt, quo nihil fœdius, nihil arrogantius, & nihil à sapientia ratione semotius.*

3 Sed

3 Sed id iam primum in imagine, deinde in vmbra, tandem in ipsamet luce obseruare fuerit operæ pretium. Et Regis quidem imaginem lilium iure præferre cum in sacris tum apud externos auctores, iam alibi ex Valeriano & aliis adstruximus: Regiam verò eius naturam, ac eminentiam sic describit Plinius à nobis superiùs adductus lib. 21. c. 5. *Nulli florum excelsitas maior interdum cubitorum trium*, tantùm non dicens longo interuallo cunctis floribus tamquam eorum Princeps antecellit. Quomodo autem tantæ huic excelsitati naturalis siue innata humilitas, & demissio sit, sic statim monet subdens: *Languido collo est, & non sufficienti capitis oneri*. Opportunè, vt eodem met, quo eminet, & in altum erigitur, vertice, modestiam suam attestetur, factumque in sublimitate castiget, vt dicebat Ennodius: quippe optimus Princeps ex ipsamet fastigij sublimitate inclinatur, atque demittitur, eiusque collum languidum, atque summissum, non extentum seu erectum redditur. Videas quidem ex parte lilij imaginem adumbratam, siue expressam in eo Rege quem suo primùm populo Dominus elegit: etenim vt nulli florum excelsitas maior quàm lilio, ita Saul ceteros è plebe homines toto vertice antepollebat: *Erat* (inquit Sacer textus 1. Regum 9. v. 2.) *electus, & bonus, & non erat vir de filiis Israël melior illo, ab humero, & sursum eminebat super omnem populum*: & cap. 10 23. *Stetitq; in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum*: at (malum) quòd ipse languido collo non fuerit, neque eam celsitudinem submiserit, fastumque in sublimitate castigauerit, à regia dignitate deturbatus est, & in eius locum suffectus Dauid, qui lilij vmbram omnino impletet. Sic id enarrante Scriptura 1. Regum 16. 13. *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum* (Dauidem) *in medio fratrum eius, & directus est Spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps*. En Domini Spiritum à quo regia dignitas atque maiestas à Saule regium munus non implente in Dauidem translatum, vt eas partes, dotesque afferret, quibus tantæ excelsitati parem, & idoneum se præberet: ideò notanter quod Sauli minimè euenisse legimus, *in medio fratrum eius* vnctus est. Quare? Respondet mihi Gregorius Magnus: *Vt vnctum, & medium se esse arbitretur. Videat se medium, & communis conditionis hominem, vt pares sibi esse eos, quibus eminet, recognoscat. In medio itaque vngitur, vt sit humilis, & sublimis, sublimis in ordine, humilis in æstimatione*. Vnde sanè ipse, vt sese lilij imaginem vndequaque exprimentem, & regiam maiestatem omnino implentem ostenderet, Psalm. 129. 1. & 2. dicebat: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me: si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam*, ac si sic diceret: *non extento collo* (quod femineæ imbecillitatis, atque superbiæ est Isaiæ 3. 16.) *sed languido ac non sufficienti capitis oneri* fastum in sublimitate castigaui, corque, & oculos depressi. Quare obserua aduersatiuam illam: *Sed exaltaui animam meam*, qua rem præcedentibus oppositam, & aduersantem exprimit Vates: animi scilicet excelsitatem, atque magnitudinem, quæ superbiæ aduersatur, eamque calcat, pulchrè id obseruante S. Zenone M. peculiari sermone in eum Psalmum: vbi cum ea quæ iis verbis subesse videtur antithesis, sic subdubitasset: *Videamus, ne fortè Propheta ipse se impugnet, exaltando animam suam, qui cor suum se non exaltasse gloriatur*: ita statim occurrit: *Non sibi repugnat, sed ostendit, animæ esse sublimitatem superiora vicisse: animæ enim depressio cor elatum est, cor cohibitum promotio est animæ*. Ita ille.

Plinius. | 1. Reg. 9. 2. | 1. Reg. 16. 13. | Greg. M. | Psal. 129. 1. & 2. | Isai. 3. 16. | S. Zen. M.

4 Iam ab vmbra ad solem transi, & verum atque germanum lilium contemplare, sic disertissimè seipsum Domino quà Regum Rex est compellante Cantic. 2. 1. *Ego flos campi & lilium conuallium*, tantùm non dicens: *Ego humilis & sublimis: sublimis in ordine, humilis in æstimatione*: & verò vt id ipsismet oculis hauseris: vide illum apud Ioannem capite 13. ad mensam sedentem, vt paternæ gloriæ conuiuium, in quo ipse gloriosè accumbebat, simul significaret: simulq; obserua, vt plura tunc fuerint, quæ illum vt surgeret, & solio cedens sese demitteret, impellerent, ipsum tamen vt perfectissimum sese lilium ostenderet, quod quò inter flores excelsior, eò languidiori collo verticem inclinat: regiæ magnitudini, atque excellentiæ hanc animi demissionem, atque modestiam signatè adscribere voluisse, rem totam accuratè conscribente Ioanne. Sic namque primum: *Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem*. En fortissimam rationem, instantem scilicet mortem, quæ Principes, vt humanæ conditionis vnicè admonet, ita ad humilitatem acriùs vrget, Dominum impellentem, vt à cœnâ surgeret, & sese hominum pedibus aduolueret, & tamen ipse immotus extitit, eò eam rationem referens, vt inde plus plus discipulos suos diligeret, & pleniora dilectionis signa moriturus exhiberet: vnde subiicit Ioannes: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo*. Sed ecce hinc nouam, & efficaciorem rationem, vt sublimiori loco cederet, & à mensa surgeret. Quid enim amore submissius? qui omnem fastum respuit, & ad amati genua, pedesque decumbit: imò sese modestissimè calcandum offert. At enim nec hac tunc de causâ mouetur; sed solio fixus inhæret: amore ad amorem inflammatus: ad noua videlicet amoris opera edenda: ideò cùm dixisset Ioannes: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo*: adiecit, *in finem dilexit eos*. Verùm enimverò vt primum regiæ dignitatis, & magnitudinis suæ splendoris sese memorem ostendit, quod expressè indicauit Ioannes inquiens: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit*, illico magnitudinis suæ mucrone compunctus: *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus*. Ioan. cap. 13. 3. Vides lilium? cui vt summa inter flores excelsitas subest, ita languido collo, & non sufficienti capitis oneri verticem inclinat, mensuram humilitatis ex magnitudinis mensura desumens. Pulchrè Ambrosius in prologo in lib. de Spiritu sancto ad Gratianum Augustum: *Quanta ista maiestas est! Quasi minister pedes famulorum tuorum lauas: quasi Deus rorem mittis è cælo*. Nimirum hæc magnitudo, hæc maiestas, hæc tota diuinitas it, nec alia omnino opportuniori specie Dominus Deum se, & à Deo omnia habentem, simulque ab ipso exiisse, & ad eum vadere humanis oculis potuit obiicere, quàm dum more serui præcinctus suorum pedes non secus ac si ipsius illi domini forent, totâ animi submissione lauit. Quid enim aliud ipse paternæ iam gloriæ consors faceret? Audi ipsum: *Amen dico vobis quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis*: Lucæ capit. 12. vers. 37. ad quæ verba Chrysologus serm. 24. *Discumbenti homini Deus adstat, & adstat in cælestibus; epulanti seruo seruit Dominus, & seruit accinctus pueris suis, ministris ministerium facit Christus, & facit in Patris iam gloria constitutus*. Quid aliud summus ipse Pater, & gloriæ Dominus indesinenter facit? Audi S. Thom. opusculo 63. *De beatitudine*, inter alia, quæ cælestes spiritus, atque felices animas ad amandum Deum vehementius vrgent, atque inflammant, diuinam humilitatem sic recensentem: *Est ibi aliud inflammans ad amandum Deum, scilicet diuina humilitas, de qua nimis admiratur anima: nam Deus omnipotens singulis Angelis, sanctisq; animabus*

Cant. 2. 1. | Ioan. 13. 3. | Ambros. | Luc. 12. 37 | S. Thom.

mabus in tantum se subiicit, quasi sit seruus emptitius singulorum, quilibet verò ipsorum sit Deus suus. Sic Angelicus Doctor.

5 Videris hinc, quàm opportunâ emphasi postquam discipulorum pedes lauit, eos hunc in modum allocutus fuerit: *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis: sum etenim: si ergo ego Dominus, & Magister laui pedes vestros*, &c. Ioann. 13. vers. 13. Sed enim priùs non immeritò ambigas, cur eum dicendi modum *Magister, & Domine*, quo Dei Filium discipuli compellabant, ipse & probauerit simul, & improbauerit; probauit enim, dum subdidit: *& benè dicitis*: improbauit verò, cùm statim locutionis seriem interuertens, eorum Magistri, & Domini nominum collocationem immutauit subiiciens: *si ergo ego Dominus, & Magister laui pedes vestros*, vt non abs re Dominum possent discipuli interrogare: Si eundem Magistrum, & Dominum compellamus, benè nos dicere, ô vitæ Assertor, affirmas, cur nostrum loquendi modum sic corrigis, atque immutas? *Ego Dominus & Magister*: sed expedita & ad manum responsio est, vtrumque loquendi modum opportunum, & pro re nata, & temporis opportunitate egregiè subsistere. Enimverò, cùm aliàs Dei Filium discipuli: *Magister, & Domine* appellabant, benè quidem dicebant, accurata videlicet locutione exprimentes: egregiè ipsum boni Legislatoris, ac perfecti Principis partes implere, qui priùs vitæ exemplo virtutum Magistrum, quàm Dominum ad easdem virtutes imperio præscribendas sese exhiberet. At enim cùm Dominus clarissimum illud humilitatis facinus edidit, ad lotionem pedum discipulorum sese ipsum demittens, multo quidem opportunius priùs *Dominus* quàm *Magister* debuit appellari, qui excelsi animi regijque ingenij specimen dabat *languido collo, & non sufficienti capiti oneri*. Quid enim ea modestia, atque submissio nisi miram animi sublimitatem, regiamque naturam spirat? Firmat hæc Paulus dum ad Philippens. 2. 7. egregium hoc humilitatis exemplum exinanitionem sic appellans, *Exinaniuit semetipsum*, vti hæc verba capiunt August. tractatu 55. in Ioannem, Rupertus & alij (de quo nos inibi) notantes præmisit: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, ac si diceret: ideò signatè tantâ sese animi demissione humiliasse, quòd innata sibi, & propria Diuinitas, & magnitudo non rapta, & adscititia fuerit, sic hæc verba accipiente, & omnem in partem versante, imò verò Græcæ phrasis vim omnino exhauriente, vt inibi adnotauimus, Isidoro Pelusiota lib. 4. epistol. 22. hunc ad modum: *Si Christus quasi pro re in via fortuitò inuenta, & lucro casu oblato habuisset æqualitatem, non humiliasset se ipsum, ne illa submissio præiudicium afferret dignitati. Quia verò ab ipsa natura æqualis erat Patri, & essentialem habuit nobilitatem, ac non secundùm gratiam sibi donatam, idcò se ipsum humiliare non recusauit.* Pergit exactissimam rationem afferens: *Nam qui seruus fuit, atque ex seruitute manumissus est, & adoptione honoratus, is quia dignitatem illam pro præda, & quasi pro re inuenta habet, non facilè sustinuerit seruile aliquod opus posteà facere; at germanus filius, qui natiuam habet, & nobilitatem, & dignitatem, non detrectat tale quidpiam facere omni suspicione procul remotâ. Nam alteri antiqua seruitus quamdam vilitatis parit suspicionem: in altero autem insita per naturam generis nobilitas suspicionem eiusmodi ne quidem natam admittit.* Pende illud *essentialem habuit nobilitatem*: necnon & id: *Qui natiuam habet & nobilitatem, & dignitatem*, vt noueris quòd ea nobilitas, quæ natiua, & essentialis est, eam, quid etiam dignitatis, & fastigij proprium sit.

Ioann. 13. v. 13.
Ad Phil. 2. 7.
August. Rupert.
Isidor. Pel.

6 Ergo vera magnitudo sese demittit, falsa verò, ficta, & adscititia, quæ firmis radicibus nō hæret, sese extollere, & ad sydera eleuari gestit ad instar illius, qui plus sibi, quàm habebat, arrogans diuinitatem sic affectabat, siue rapiebat: *In cælum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum*. Isaiæ 14. 13. ad quem Paulum ea locutione: *Non rapinam arbitratus est*: omnino allusisse benè P. Salmeron, & alij inibi adnotarunt. Sed vt è proximo eum, qui verè magnus, videris, & ab inflato & inani, cui tumor, non magnitudo subest, discriminaueris, quid de Domino, siue à Deo Patre honorem, & gloriam in Transfiguratione accipiente, siue ad dextram Patris conscendente, sacri Scriptores dixerint, audi: Sanè de ipso in Thabor immensæ, ac diuinæ gloriæ suæ vela laxante quæsito dicendi modo inquiunt Matthæus cap. 17. 2. & Marcus c. 9. 2. *Transfiguratus est*: nec minus accurata locutione de ipso cæli summa petente Marcus 16. 19. *Assumptus est in cælum*: Lucas verò cap. 24. 51. *Ferebatur in cælum*: & Actuum c. 9. *Eleuatus est*: omnes in passiua significatione locuti, non obscurè monentes Dominum, & ab eo institutos omnes qui verè magni sunt ad honorem, & gloriam sibi debitam tractos potiùs, & assumptos, quàm euntes venire, quòd altè illis vnà cum magnitudine infixa modestia sit, quæ illos *non alta sapientes, sed humilibus consentientes*, & nouissimum sibi locum vsurpantes facit Lucæ 14. 10. *Nostrum quippe est* (inquit Philippus Abbas ei nouissimo loco inhærens lib. de dignit. Cleric. c. 17.) *nouissimum locum eligere, nec ad altiora volatu præsumptiuo nos ipsos erigere.* Contrà verò de superbis, quibus pro magnitudine inflatio est, signatè Paulus 2. ad Corinth. 11. vers. 13. *Nam eiusmodi Pseudo Apostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi, & non mirum, ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Obserua actiuam significationem, quæ commonstrat, superborum esse non ab alto gloriam expectare, sed sese vltrò honoribus ingerere, & volatu præsumptiuo erigere, vti & ille dicebat *in cælum conscendam*. Ergo magnus transfiguratur, assumitur: minimus transfigurat se, & conscendit; magnitudo ima, paruitas summa petit. Pro quibus sapienter fidei iubet Paulinus epist. 21. ad amandum hanc Christi humilitatem quâ semetipsum exinaniuit ad veræ magnitudinis institutionem sic referens: *Nam idcirco Rex gloriæ, & Dominus maiestatis exinaniuit se formam serui accipiens, & inuisibilem magnitudinem suam visibili abiectione contexit, vt nos veteri illo malè concepta arrogantiæ morbo foris altos, intus obrutos in formam sublimitatis suæ per formulam nostræ in se humilitatis attolleret.* Obserua, & dignosce veram magnitudinem, quæ in sublimitate humilis, & modesta est: quippe quæ à veritate concipitur: vide & arrogantiam ab inanitate, & tumore *malè conceptam*, foris altam videri, intus verò & re ipsa minimam, & abiectissimam esse.

Isa. 14. 13.
P. Salmer.
Matt. 17. 2.
Mar. 9. 2.
Marc. 16. 19.
Luc. 24. 51.
Actu. c. 9.
Phil. Abb.
2. Cor. 11. 13.
Paulin.

Ad eadem verba,

Superbo oculo, &c.

Eximium Principis ornamentum ab humilitate, atque modestiâ desumi.

ADNOTATIO XV.

1 IAM quantus humili, atque modesto Principi decor! quàm pulchra magnitudo, atque maiestas! quàm incredibilis subditorum amor accedit! Disce id ex Dei Filio nouam quodammodò pulchritudinē, & superinductam formæ elegantiam ex humanitatis humilitate sibi adsciscente. Erat quippe ille *in forma Dei*: ad Philippens. 2. vers. 6. quod inibi à nobis ad amussim explicatum, modò de Dei pulchritudine, ac decore capere placet, vt idem hic *forma* fuerit, ac

Phil. 2. 6.

Psal. 44.

Ps. 44. 3. A Psalm. 44. v. 3. *Speciosus formâ præ filiis hominum.* Et quidem cùm nihil hac formâ formosius, nihil pulchrius, & augustius valeat excogitari: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*: *Sap. 7. 26.* Sap. 7. vers. 26. Scimus tamen humilitas nonnihil splendoris, atque elegantiæ huic formæ superaddere, subdit enim Paulus: *Humiliauit semetipsum*: num vt aliquid ex natiua pulchritudine amitteret? Minimè quidem, imò verò vt nouum sibi decorem, atque venustatem indueret, ac superinduceret dicente Vate: *Ps. 92. 1.* *Dominus regnauit, decorem indutus est.* Sed quónam modo? summo videlicet vertice inclinato & lilij instar, *languido collo, & non sufficienti capitis oneri*: siue quodammodò, vt dicerem Ennodij verbis, fastu in sublimitate castigato. Ideò in præfatis Sapientiæ verbis, quibus eximia Filij Dei pulchritudo prædicatur, obserua *candorem lucis*: Græcè propriè significare ipsammet *lucis lucem*, siue vt Græcam vocem omnino exhauriam *relucentiam*: vnde cùm hac voce non sine allusione ad *Ad Hebr. 1. 3.* hæc Sapientiæ verba Paulus aliquando fuerit vsus, à B Nostro vulgato transfertur *splendor gloriæ.* En ergo nouum decorem diuinæ formæ indutum subiiciente Vate: *Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*: summam scilicet relucentiam & candorem humanos oculos verberantem & perstringentem humanitate, atque humilitate constringens, ac quodammodo castigans, ne immensum in modum luceat, sed temperatè irradiet, pulchrè hæc omnia elucidante, ac perstringente Venerabili Gilleberto Abbate serm. 21. in *Gillebert.* Cant. his verbis: *Gloriosus planè in illo splendore gloriæ, & paterna figura substantiæ: sed superaddito nostræ quodam velut fuco naturæ, & colore inducto, dum sublucet plus placet. Hæc autem dico, quod dignatio hæc ipsa, qua voluit incarnari, quemdam videtur attulisse decorem dignitati maiestatis.* Opportunissimè. Expende primùm illud: *dum sublucet, plus placet*, vt immensus pulchritudinis splendor, & relucentia tantisper cohibitus & humanis sensibus humilitatis proportione accommodatus plus nobis placeat, pulchrior nobis appareat, & amabilior reddatur: C vti dicebat Claudianus Panegyrico sexto in Consulatu Honorij, *Claudian.* ac si hæc omnia, signatè verò lilij imaginem Principi aptaret:

> *Publicus hinc ardescit amor cum moribus æquis*
> *Inclinat populo regale modestia culmen*

Gillebert. Pergit Gillebertus: *Quomodo enim non plus placebit humiliata sublimitas exinanita immensitas, & diuinitas incarnata? Ista varietate quid pulchrius?*

2 Aptet hæc sibi Princeps, nouerit que se immensæ lucis suæ radios modestia, & humilitate cohibentē, & sublimitatis fastigium inclinantem plus plus placiturum, quòd pulchrior omnino humiliata sublimitate & diuinitas humana redditus appareat: quare ad præfata Gilleberti verba: *superaddito nostræ quodam velut fuco naturæ, & colore inducto*: latentem imaginem obserua, quippe illis non obscurè alludit ad pulchram quidem mulierem, sed quæ ex speculi arbitrio non satis sibi ob nimium candorem placeat, quod *purpureus color* (vt inquit Basil. in c. 3. Isaiæ) *pulcherrimè in genis effloreseat*: *Basilius.* ideoq; vt viuidiorem & pulchriorem faciem reddat, genas rubro colore intingit, siue *mendacio ruboris inficit*, *Cyprian.* vt Cyprianus lib. de disciplina & habitu *Hierony.* virgin. & Hieronym. in epist. ad Furiam loquuntur, vt ea frequenti hac similitudine commonstret summo Regiæ, atque diuinæ magnitudinis candori nouum decorem atque ornamentum ab humanitate & humilitate nimium splendorē mitigante & velut fucum faciem adornante accedere: sic scitè dixit Augustin ser. *August.* 215. de tempore: *Honoris laus est humilitatis virtus.* Quòd pulchrè effudit Bernard. ser. 34. in Cantic. inquiens: *Bernard.* *Humilitas in honore, honor est ipsius honoris, & dignitas dignitatis*, ac si diceret, fucus est omnio candori superaddi- A tus apposite genas purpurissans. *Quomodo enim non plus placebit humiliata sublimitas? exinanita immensitas? ista varietate quid pulchrius?* Concinunt his primùm ea quæ de Iosepho Ægypti imperium adepto sic eleganter inquit S. Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 79. *Imperauit* *Isidor. Pel.* *denique, & ipsemet sibi, quod est imperij genus omnium maximum, quando in humilibus sublimis conspectus est, & in sublimibus humilis*: pulchrè illud: *quod est imperium omnium maximū*: inde nimirùm verus, & germanus Princeps, qui regiam sit magnanimitatem assecutus, dignoscitur, deinde verò illa, quæ de egregio, & magnanimo Principe Germanico, Tacitus, & de optimo Imperatore Traiano Plinius scripsere. Sic enim prior lib. 2. *Corn. Tacit.* Annalium: *Tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes. Visu, & auditu iuxtà venerabilis, cum magnitudinem & grauitatem summæ potentiæ retineret, inuidiam & arrogantiam effugeret.* Plinius verò in Panegyrico. *Plin. Iun.* *Iam quo assensu Senatus, quo gaudio exceptum est, cum candidatis, vt quemque nominaueras, osculo occurreres deuexus quidem in* B *planum, & quasi vnus ex gratulantibus*: pulchrè, *deuexus in planum*, quasi languido collo, & humiliato vertice, fastigioq; inclinato. Pergit verò pendens quàm grata sit mortalibus humiliata sublimitas hunc in modum: *Contigit ergo oculis nostris insolita facies, Princeps & candidatus æquales, & simul stantes, intuerique parem accipientibus honorem qui dabat. Quod factum tuum à cuncto Senatu quā vera adclamatione celebratum est. Tanto maior, tanto augustior.* Opportunissimè: *Verâ adclamatione.* Non enim fictè, aut Rhetorica exornatione, sed vero sensu, & ipsa veritatis voce quò demissior, & modestior Princeps: *tantò maior, tantò augustior dicitur.*

3 Quò rursum reuoca egregia illa Pauli verba de Domino ad Philipp. c. 2. 6. quæ præcedent. adnotat. *Ad Phil. 2. 6.* adduximus: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsū exinaniuit formam serui accipiens.* Sed enim, vt nos suo loco ex Græco idiomate, quo vsus est Paulus, germanam (vt putamus) illis expositionem adhibuimus, ita modò ea Hebræa phrasi non minùs opC portunè explicabimus, & eam quidem sic disertè & luculenter elucidat doctissimus Maldonatus ad c. 21. *Maldon.* Ier. v. 9. & ad c. 38. v. 2. vt *rapina* idem fuerit, ac spoliū, ac proinde res, quę in magno pretio habetur: vnde ipse sic capit *non rapinam arbitratus est*, vt perinde sit ac *non magnifecit*: vt inde is pulcher, & appositus resultet sensus, Dominum *in forma Dei* subsistentem nō magni duxisse *pariari Deo*, vt legit Tertullianus, siue parem *Tertull.* sese Deo omni ea parte ostendere, atque exhibere, regiâ videlicet, atque diuinâ vndequaque maiestate, & splendore colluceotem. Quæ enim ipsi inde præda? quod spolium, siue lucrum denuo obtingeret, qood anteà non habuisset egregiam scilicet laudem, & spolia ampla referret is Princeps, qui regio semper diademate venerabilem, sine etiam terribilem sese subditis exhiberet. Sed id sibi magnum fore egregiamq; laudem, & spolia ampla pariturum existimasse: si D *semetipsum exinaniret*, & Dei formâ non depositâ: *formā serui* acciperet, *tantò* videlicet *maiorem*, *tantò* nostris oculis *Augustiorem* habendum, quo deuexus in planum maiestatem suam inclinaret, atque demitteret. Quo planè sensu hunc etiam locum accepisse visus est Ambros. serm. 54. in Psalm. 118. vbi obseruans *Ambros.* quàm breuiter Paulus diuinitatis Christi mentionem fecerit, contentus videlicet dixisse: *Qui cum in formâ Dei esset*: cùm tamen longissimo orationis tractu eius humilitatem fuerit persecutus, hæc videlicet omnia de illâ subiiciens: *Sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, hæc sic optimè expendit: *Considera ô homo quid legas, non laborauerat Apostolus potentiam Christi probare, sed obedientiam prædica-*

re,

re, sed demonstrare, quanta sit humilitatis gratia, quantus eius profectus: ac si diceret: non laborauit Apostolus potentiam & magnitudinem diuinitatis expendere, sed laborauit nudis omnibus humilitatem demonstrare, quòd maior quodammodo ab illa maiestati Christi profectus, & incrementum aduenerit: vnde pergit Ambros. *Factus est minister omnium Dominus, & auctor omnium vapulauit, pedes lauit, crucifixus, mortuus est, sed in his omnibus detrimentum nullum video diuinitatis eius, profectum operationis eius agnosco, qui nihil habebat, quod ad potestatem suam adderet, habuit quod ad cultum sua maiestatis adiungeret.* Vides humilitatem diuinum ornamentum esse, & cum ipsissimet Dei honoribus decertare, illisque quodammodo excellere, dum Dominus non magni ducere videtur, æqualẽ se Deo haberi; maximi autem facit, & pro lucro ducit, semetipsum exinanire, & formam serui accipere. Vt non minùs opportuna Domino, quàm suo Traiano

Plinius.

Plinij verba præfato loco fuerint: *Vnum ille se ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quod vnum se ex nobis putet, nec minùs hominem se, quàm hominibus præesse meminit.* Sed iam hæc omnia sapienter firmat Gregorius

Nyssen.

Nyssenus oratione catechetica hunc in modum: *Atque primùm quidem quòd omnipotens natura potuerit descendere ad humilitatem humanitatis, id potestatem magis ostendit, quàm magna, & qua naturam superant miracula. Neque nouum, & admirabile quidpiam auribus attulerit, quod dicitur, vniuersam qua est in mundo, creaturam Dei virtute constitisse. Ad id autem, quod est humile, & abiectum descensum, est quadam insignis, & redundans copia potestatis, qua minimè impeditur in iis, qua sunt prater naturam.* Hæc ille & plura.

4 Reddit verò rationem Plinius obseruatu, & elucidatione dignissimã: *Nam cui nihil ad augendũ fastigium superest, hic vno modo crescere potest, si se ipse submittat securus magnitudinis sua:* vt videatur sapiens Orator ob oculos habuisse veterem à digitis computandi morem, quo erectus digitus vnũ, inflexus verò atque

Aristides.

inclinatus decem millia ostendebat, vt ex Aristide in communi defensione apud Photium in Bibliotheca nouimus, sic enim ait: *De digito dixisse ferunt, eumdem situ alio, nempe inflexum, nunc decem millia, nunc vnum dumtaxat ostendere,* hinc adstruens tunc Principem vnum valere, siue minimam apud suos gloriam, & æstimationem habiturum, cùm sese erectum, & solio affixum suis exhibuerit, vti indidem post celebratam humanitatem & modestiam Traiani, quã in planum deuexus candidatis osculo occurrebat, sic ait ipsemet

Plinius.

Plinius: *Te miror magis, an improbem illos, qui effecerunt vt illud magnum videretur? cum velut affixi curulibus suis manum tantùm, & hanc cunctanter, & pigrè, & imputantibus similes promerent.* Tunc verò decem millia valiturũ, fastigiumque & gloriam, vsque ad sydera euecturum, si seipsum submiserit, atque inflexerit. Sed iam hæc à prophanis extorta, sacris Scriptoribus asserta, & firmata obserua. Etenim vt adnotat. præced. numer. 3. Saulem dimidiam lilij imaginem adumbrantem dum altior vniuerso populo ab humero & sursum super omnes eminens, solio & magnitudine affixus hærebat, Dauidem verò totam lilij vmbram implentem, qui *sublimis in ordine, humilis in æstimatione* erat, omnino vidisti: ita modo Saulem, vt erectum digitum, vnum tantummodo: Dauidem autem vt inflexum, decem millia valentem audi, vtrique enim è bello reuertenti puellæ Ierosolymitanæ scitè à digitis computantes composita oratione occurrerunt: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.*

1 Reg. 8. 7. Ambros.

1. Reg. 8. 7. Audis dignitatis discrimen inter erectum, & inflexum digitum: Vide ergo, vt nostræ cogitationi hæc aptauerit Ambros. in Psal. 43. *Ideò Saul in millibus: Dauid in decem millibus, quia durus in paucis, mansuetus in pluribus:* vbi obiter aduerte, sapientes puellas ex modestia & submissione Dauidis sic eum Sauli præposuisse, vt regno digniorem & aptiorẽ iudicauerint: quod quidem acumen eumdem Saulem non latuit, dum ea verba sic interpretatus est: *Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt, quid ei superest nisi solum regnum?* Crescit ergo ab vno ad decem millia Princeps, qui se submittit, & fastigium in immensum auget. Vnde rursus de eodem Traiano maiestatem suam deponente, & sese ceteris hominibus æquante

Plinius.

Plinius: *Vnum ille se ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quod vnum se ex nobis putat, nec minùs hominem se, quàm hominibus præesse meminit.* Simile est quod Lam-

Lamprid.

pridius de inclyto Imperatore Alexandro Seuero inquit. Etenim cùm retulisset, illum tum Antonini, tum Magni cognomina à Senatu ipsi ublata constantissimè recusasse, subiicit: *Multò clarior visus est alicuis nominibus non receptis, quàm si recepisset, atque ex eo constantia ac plenè grauitatis famam obtinuit.* Nec hinc discesserim quin Sauli & Dauidi dissimiliter triumphantibus, aliud triumphantium par digitos erectum, & inflexum vndequaque exprimens adiunxerim ex Valerio Maximo lib. 6. c. 4. scribente, Decreto à Senatu triumpho Claudio Neroni, & Liuio Salinatori quòd Asdrubalem vicissent, Claudium pro modestia, & animi moderatione triumphali curru abstinuisse, & socio curru vecto peditem adhæsisse, planè vt alter erectum digitum, alter inflexum adumbrarent, vnde à puellarum Ierosolymitanarum sensu non abiens

Valer. Mag.

subiicit Valerius: *sine curru ergo triumphauit, & eò clariùs, quod illius* (Liuij Salinatoris) *victoria tantummodo laudatur: huius moderatio.* Pulchrè: *Clariùs triumphauit,* quod maiestas, *dum sublucet, plus placet.*

5 Sed illud multò pulchrius exemplum, quod à Moyse faciem suam cælestia lumina vibrantem obscuro velamine cõtegente, sæpiùs in superioribus adduximus, & denuo in sequentibus adducemus. Enim-

Exod 34. 33.

verò vt iis in locis ideò inclytum illum Principem siue præ vrbanitate & affabilitate, ne suorum oculos feriret, siue vt mortalitatis suæ, & communis cum omnibus naturæ, ac conditionis memor esset, cælestes radios obscurasse vidimus, ita modò placet obseruare, eximium ipsi ab ea velaminis obscuritate decorem, ac pulchritudinem superadditum. Certè apud He-

Lect. Heb.

bræos verbum quod nostro verbo *tegere* respondet, non vtcumque tegere, sed *pulchrè ac pretiosè obtegere* significat, vt benè Marinus Brixianus in Arca Noẽ

Marin. Brix.

adnotauit, vt aptiùs de illo, quàm de Claudio dixeris, clarius obscuratum triumphasse, & sublucendo plus placuisse, atque luxisse: vti etiam de sanctissima Paula aiebat in eius epitaphio Hieronym. ad Eustochium:

Hieron.

Latebat, & non latebat, fugiendo gloriam, gloriam merebatur, & paullù ante: *Minima fuit inter omnes, vt omnium maior esset.* Vt vel hinc videris, Principem maiestatis, siue diuinitatis suæ, vt sic dixerim, radios obtundentẽ, & humilitate castigãtem, adeò apud suos non obscurari vt nouam inde pulchritudinem, & pretium sibi faciat, & cælesti decore colluceat. Certè, quod iam diu obseruasse me memini, firmamẽto immortalibus luminibus pulcherrimè ad stuporem splendenti, velũ huic Moysis tegumento persimile de industria sub cæli nomine impositum est, nam *vocauit Deus firmamẽtum cælum:* Genes. 1. 8. *quod à celando dicitur,* vt ad id lo-

Gen. 1. 8. Steph. Cant.

ci adnotauit Venerab. Stephan. Cantuar. in allegoriis Gotfridi Tilman. vt cælestium syderum, quæ Principes, ac terrenas dignitates significant, contectus splẽdor, pulchriùs irradiaret: sic huic cogitationi subscri-

Cassiodor.

bente Cassiodoro lib. 6. epist. 11. *Sicut cælum stellis redditur clarum, sic relucent vrbes lumine dignitatum. Non quia fiat homo alter honoribus, sed quia modestior efficitur.* Sanè quasi à modestia & velamento syderum sese celaocetium

tium & contegentium, lucere, & prælucere aliis Principes discant. Sed preme denuo id *honoribus modestior efficitur*, vtiis verbis lilium adumbretur languido collo, & non sufficienti capitis oneri, ac proinde, *nec Salomon in omni gloria sua coopertus fuerit sicut vnum ex istis*. Lucæ 12.27. Nec alio quidem sensu Angelico Doctore interprete opusculo 38. de Eucharistia dixerit apud Ezechielem c.32.7. Dominus: *Nigrescere faciam stellas cæli*. Etenim vt ea nigredo, siue obscuritas ad faciem supplicium esse videatur, at humilitatis vi, ac decore introspectis egregiam potiùs pulchritudinem, atque venustatem ipsis superadditam comperies, sic id pensitante Thoma, *ardentes spiritu charitatis, lucentes verbo veritatis nigrescere faciam sanguine Christi, vt nigras ac pulchras violas virtute humilitatis*. Vbi si attendis, ardentis charitatis, & lucentis veritatis lux, decor, atque ornamentum humilitas est, vt meritò dixerit Guerricus Abbas serm. 3. in Natiuitate S. Ioannis Baptistæ: *Si non placet humilitas ex sui honestate, & æquitate, placeat saltem ex vtilitate, quia nulla via rectior, aut facilior ad gloriam diuinam, sed neque ad gratiam humanam vlla pulchrior, aut iustior, & sæpè nulla compendiosior*. Benè ad *gratiam humanam pulchrior*, beoẽ etiam *iustior*, quid enim iustius, quàm eum Principem amare, colere, admirari, qui fastum in sublimitate castigat, & sese subditis adsimilem reddit? vti dicebat Claudianus, hinc publicum amorem inardescere; cùm moribus æquis

Inclinat populo regale modestia culmen.

Luc. 12. 27. *Ezec. 32. 7* *S. Thom.* *Guerric.* *Claudian.*

6 Noueris hinc, cur Dei Filio satis non fuerit, inclinasse cælos, & ad terram descendisse, nisi etiam recenter natus denuò reclinaretur in præsepio Luc. 2. 7. Sed siccine? (inquis) Creatorem suum excipit mūdus? imò verò sic summus Pater Vnigenitum honorat suum? Sic etiam sibimet diuina Sapientia consulit? maiestatemque & dignitatem suam tuetur? Ita planè. Inclinatus quippe, & reclinatus Dominus *decorem induit*: & dum sublucet plus placet, plus lucet, & maiorem sui admirationem excitat. Audi S. Zenonem Veronens. serm. in Ps. 129. vbi cùm dixisset: *Quapropter efferendum non est in prosperis rebus, sed timore Dei intra mansuetudinis metas verecundiæ freno cohibendū*. Subiicit: *Deus noster humilis corde est, & ineffabilis eius illa Sapientia, ac virtutis potestas intra hominem susceptum tacet magis admirabilior quia tantum est, & talis*. Optimè, tantum enim ac tale fastigium inclinare, omni fastigio excelsius, omni honore, ac dignitate maius, ac proinde vsque ad stuporem admirabilius est. Zenoni sanè cælestes spiritus omnino subscribunt, qui statim vt Dominum reclinatum conspexerunt, gloriam, & laudes Deo admirabundi cecinêre: sic namque Lucas c. 2. 13. *Subitò facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo*. Sed observa Anastasium Sinaitem lib. 4. Hexameron scitè existimare, has Angelicas Dei laudes, easdē esse cum illis de quibus ipse Dominus apud Iob. 38. 7. ait: *cùm me laudarēt astra matutina & iubilarent omnes Filij Dei*. Nimirum ille dum censet, Solem in terra primùm à Deo factum, deinde in cælum translatum fuisse, Natiuitatis Christi typum gessisse sic affirmat: *Hymnis Deum celebrarunt. Quamobrem? Quoniam facta sunt astra? Non certè propterea, sed cum vidissent Solem è terra surgentem in mysterio didicerunt Christi incarnationem & è terra assumptionem, & ideò cum vidissent eum ex Sancta Virgine, tamquam ex abysso exortum, statim exclamarūt dicentes*: Gloria in excelsis Deo. Sed cur, rogo, ô beatæ mentes, vestris tunc potiùs hymnis, & ornata acclamatione Deum signatè decorastis, cùm Dei Filium humiliter ex Matre exortum, quàm dum ipsum Deum de Deo, lumen de lumine summo Patri consubstantialem ab ipso gigni videtis? Sanè, quòd plus humanus Deus (vt sic dixerim) quàm diuinis splendoribus vndequaque flammans,

S. Zen. M. *Luc. 2. 13.* *Iob. 38. 7.* *Anast. Sin.* *Gillebert.*

atque collucens Angelicos spiritus in admirationem rapiat, quippe humilis, & humanus Deus tum quidquid Deus de Deo, & lumen de lumine ab æterno habet, omnino retinet, quin possit vllo modo id fastigium amittere quod ipse sponte submittit, tum denuò hoc vno modo apud nos crescat, quod sese submittēs ineffabilem animi celsitudinem, maiestatemque omni fastigio excelsiorem patefaciat. *Quomodo enim non plus placebit humiliata sublimitas: exinanita immensitas, & diuinitas incarnata? ista varietate quid pulchrius?* id ōne ibi innuens Anastasio, cùm Domini Natiuitatem, & inclinationem, siue reclinationē cū Solis è terra assumptione signatè componit, quasi descendere, ascendere; inclinari, prouehi; decrescere, excrescere fuerit.

7 Iam pro iis rursum ipsemet Dominus, sese denuo inclinans fideiubet, & pro ipsius inclinatione tota Maiestas spondet. Nimirùm ipso in crucem summâ cum ignominiâ sublato, vt tantæ humilitati aliquis è vestigio fructus responderet: *Scripsit & titulum Pilatus, & posuit super Crucem: erat autem scriptum: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*. Ioan. 19. vers. 19. En humilitatem regio titulo, & splendore coronatam quippe *tabella illum scriptura* (sic Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 491.) *quam Pilatus supra Dominicum caput fixit, hanc Domini vocem explebat: cùm exaltatus fuero omnia traham ad me ipsum*. At enim statim hostibus Christi eius gloriæ inuidentibus magna inter eos, & Pilatum de hoc titulo vltro citroque concertatio orta est: *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum Noli scribere: Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum*: vt dicerent: Quid supplicio, & ornamento? quid regio titulo, & ignominiæ? Noli ergo pœnam, quam iure intulisti, cum honore eoq; maximo commutare: at Pilatus constanter respondebat eis: *Quod scripsi, scripsi*. Ioa. 19. 22. Quid verò tum Dominus? Sanè vt & cōcertantium litem cōponeret, & splendidum titulum regiumque ornamentum, quod per totum vitæ curriculum recusauit, moriens etiam despiceret, modestissimum caput inclinauit, quasi ipsum à regio titulo omnino auerteret: sic namque Ioannes: *Et inclinato capite tradidit spiritum*: siue vt enucleatissimè lectio Græca, & Syriaca: *Et inclinauit caput suū, ac tradidit spiritum suum*: vides diutinum illum languido *collo, & non sufficienti capitis oneri?* Vides regale culmen modestiâ inclinatum? Vides eum, qui meritissimè honorem adeptus est, fastum in sublimitate castigantē? Vide iam inde regium, diuinumque splendorem micantius, validiusque irradiantem: etenim dum in cruce bonus Dominus pro rei opportunitate, vt diuinæ scilicet fortitudinis specimen ederet: erectam atque excelsam ceruicem habebat, vix regius titulus percipi, legique à circumstantibus poterat, capite tabellæ affixo eius litteras, & lectionem impediente. at postquā *inclinauit caput suum*, nemo non statim titulū legit, & regia maiestate irradiante nemo non Regem ipsum esse cognouit: pulchrè hæc omnia perstringente Ambrosio lib. 10. in Lucam. *Denique licet in cruce erat Dominus Iesus: supra crucem tamen regis maiestate irradiabat*. Benè ergo aiebat Ennodius: *Qui fastum in sublimitate castigat, docet se meruisse quod adeptus est*. Quò mirè facit quod de optimo Principe Alexandro Seuero inquit Lampridius in eius vita ob repudiatos videlicet à se clarissimos titulos: illustrissimaque Augusti, & optimorum Imperatorum cognomina, maiorem omnino laudem & gloriam fuisse consecutum, sic enim ipsi eâ de causa gloriosissimè acclamatum est: *Alexander Auguste, dij te seruent, verecundia tua, prudentia tua, innocentia tua, castitas tua: hinc intelligimus, qualis futurus sis, hinc probamus. Alexander Auguste dij te seruent, templa Antoninorum Alexander Augustus dedicet Cæsar noster. Augustus noster, Imperator noster dij te seruent, vincas, valeas, multis annis imperes*. Et postmodum: *Multo clarior visus*

Ioan. 19. *Isid. Pelus.* *Ioan. 19. 22.* *Ioan. 19. 30.* *Lect. Syr.* *Ambros.* *Lamprid.*

est

est alterius nominibus non recepta quàm si recepisset, atque ex eo constantia, at plena grauitatà famam obtinuit. Ergo vt Princeps verè magnum, & regiam dignitatem implentem, & ornantem sese exhibeat quin aliquis ei regios titulos, & ornamenta negare, aut in dubium vertere possit, languido collo sit, & non sufficienti capitis onere.

8 Sed enim nostri priùs Vatis hæc mens fuerat, Dei Filium sic accurata locutione euocantis Ps. 7. 8. *Exurge Domine in præcepto, quod mandasti*: id est, vt ibi explicat August. *Quia humilitatem præcepisti, humilis appare.* Ium eum dicendi modum preme, quo ipsum ad humilitatem inuitat: *Exurge*, cùm potiùs videretur dicendum *descende*. Nimirum humiliari, ascendere; fastigium submittere, extollere est. Opportunè id admonente S. Isidoro Pelus. lib. 3, epist. 179. vbi cùm dixisset: *Ad modestiæ, submissionisq, animi fastigium hac demum ratione conscendemus*: subdit, *neque enim cum ego descensum sed ascensum esse statuerim.* Vides modestiæ fastigium, & ascensum? Audi ergo Princeps, Chrys. ea hac te ratione ad humilitatem sic vrgentem: *Si equo descendens arrogantiam abegeris, per humilitatem altius fedebis, & in maiori honore teipsum constitues. Quando enim effectus modestiæ humi incedet, sedebis in curru humilitata, qui te in cælum sustollit, qui equos habet alatos.* Vt omnino videris, superbos, & arrogantes Principes humi repere, modestos, & humiles alatis famæ equis ad cælum euehi. Nec latuit id quidem gentilem Plinium, qui optimum Principem Traianum pedibus incedentem, ad ipsamet sidera ab humilitatis quadriga sublatum sic facit in Panegyrico: *Ante te Principes fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu vsum pedum amiserant illos ergo humeri, ceruicesq, seruorum super ora nostra tesama, te gloria, te cœlum pietas, te libertas super ipsos Principes vehunt, te ad sidera tollit humus, ita communia, & confusa Principis vestigia* Committe hæc Plinij *te ad sidera tollit humus*: cum illis Chrysost. *Sedebis in curru humilitatis, qui te in calum sustollit*: vt aduertas eamdem humilitatis, & gloriæ viam, eosdem passus esse, nec humilitatem ima, sed superna petere, & quantùm ad inferiora tendere videtur, tantùm verticem superiora cæli pertingere. Vnde sic sapienter exclamat S. Pet. Dami. serm. 3. in Natiuitate S. Ioannis Baptistæ: *O beata humilitatis excelsa maiestas! qua dum suo iudicio ia ima deprimitur, diuina prouidentia clementia ad ad cælestia sublimatur.* Nec minùs opportunè monet August. serm. 33. de verbis Domini: *Quid quæris celsiorem locum appetita celsitudinis, quem potes apprehendere retentione humilitatis?*

Ps. 7. 8. August. Isidor. Pel. Chrys. Plin. S. Pet. Dam. August.

Ad eadem verba, Superbo oculo.

Principis arrogantiam turpem, inuidiosam, atque lethalem esse.

ADNOTATIO XVI.

1 VT turpe quidem, infelix, & Deo, ac hominibus inuisum superbiæ virium est, ita à Regio illud animo, cui omnia decora, honesta, faustaque optantur, longiùs ire, illa cum primis ratione conuincitur, quòd cum Regali fastigio, & excelsa magnitudine malè se gerat. Nimiùm quemadmodum modestus animus verè sublimis, & excelsus est; sic arrogans, atque superbus, dum maximus haberi, & supra aliorum capita incedere cupit, paruum se, & sordidum, ac proinde imperij minùs capacem ostendit: quippe qui magnitudinem non in seipso; sed extra se quærit, ac proinde regno, & potestate quam interius frænare nescit, quin foras erumpat, minorem se esse prositetur: explicat hanc cogitationē obscura locutio 3. Regum 4. 29. vbi cū de Salomonis magnitudine, maximaque opulentiā, & splendore omnium mortalium potentiam superante egisset Sacer Scriptor, notanter subiecit: *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam, quæ est in littore maris.* Sed quæ inquis, hæc prudentia multa nimia, itidemq; hæc cordis latitudo fuerit, quæ cum arenā maris, quā nihil minutius, abiectius, vilius fuerit, iusta similitudine componitur? Nónne, vt animum regiæ dignitatis capacissimum sapiens Scriptor indicasset, ipsiusmet maris imagine opportunius vteretur? *Nam hoc mare magnum, & spatiosum manibus.* Sanè dum multi multa de huius loci expositione dicūt, & hanc arenam versusquaque versant: eò opportunius hæc imago ire videtur, vt quemadmodum arena maris circum illud omni ex parte iacta tumentes illius fluctus cohibet, atque constringit, ne designatos à creatore terminos transiliat ipsomet dicente: *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectē, & ostia, & dixi Vsque huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Iob 38. 11. & ad maris arenam sic referente Philone lib. de somnis: *Marmas vndas littoralis arena obiecta repercutit*: ita capacissimus Salomonis animus regno, & magnitudine suā maior ipsam iotta se comprimeret, & coërceret, ne exterius fastu, & arrogantiā efflueret. Dixeris vidisse hæc tum Plinium Traiani, tum Nazarium Constantini Magni Panegyristem: dum Principem suum sic à modestiā illustrat: *Immensus tùm sis maiestate imperatoriā, tuā te modestiā contines.* Vides arenam marinis vndis obiectam? hic verò animum maiestatis imperij capacem, aut nō capacem sic pendit: *Hominem non imperando habilem, nō tanta maiestatis capatem, talem esse, vt magnitudo malè crediti muneris extra animi angustias efluat, quod qui tueri nequeat, vbi sub tanto onere fortuna infirmitas lapsa est, facitur licentiam de potestate*: Sic ille: & quidem opportunissimè, vt dixeris inde degenerem, & pusillum animum eam egum, quòd tumentes regni, & potentiæ fluctus non capiat, nec intra se coërceat: sed illos extra animi angustias verborum factorumque fastus, arrogantiā, atque ferocitā effluere, & euagari sinat. En latitudinem cordis Salomoni inditam: *Quasi arenam, quæ est in littore maris, quæ marinas scilicet vndas obiecta repercutiat.* Quasi ea sit regia, & vera magnitudo, quæ regno, & potestate maior tumentes illius fluctus egregiā animi moderatione comprimit.

3. Reg. 4. 29. Iob. 38. 11. Philo. Nazarius.

2 E quā quidem re fuerit prudentissima Gregorij Nazianzeni mens, atque locutio, dum secna quidem, ac rude, & imperitum hominū vulgus, quod pro suā in res terrenas procliuitate, ea omnia quæ cæli ambitu continentur, maiorem mundum: hominem verò *Microcosmon*, id est, minorem mundum appellare consueuit, ouatis ipse fiænis hominem, vt à Deo creatum, & mundo maiorem, & maiorem mundum, terrarum verò orbem *microcosmon*, siue mundum minorem sic dixit oratione 42. quæ est 2. de Pascha: *Autorem terrā, qua iam creata erat, accepto corpore, à se autem (de Deo loquitur) insito inspiraculo velut alterum quemdam mundum, in paruo magnum in terrā collocat.* Vt omnino affirmet, hominem à Deo Principem mundi factum, vt imperando habilis, & tantæ maiestatis capax esset, non debere intra mundi ambitum esse, sic ab eo includi, & contineri; sed potiùs ipsum mundum, vt se multo minorem intra se coërcitum, & contemptē sumq; contiocte, suam videlicet magnitudinem à seipso, ab animo scilicet, & ab animi bonis non à rebus externis, & imperij culmine desumendo. Cui sententiæ opportunè subscripsēre gentiles duo nempe Seneca libro 1. de Clementiā capite 5. & Sopater in epistola ad Hermetium apud Stobæum sermone 44. sic enim

Nazianz. Seneca. Stobæus.

enim prior: *Magnam fortunam magnus animus decet, qui* A *nisi se ad illam extulit, & altior stetit, illam quoque infra ad terram deducit.* Pulchrè, vt dixerit, nisi maior mundo, & fortuna sua sit, vt illam comprimat, & frænet, minor regno, & minimè maiestatis capax censebitur: similiter alter hunc in modum: *Fugienda est superbia, & coniuncta ei vitia, vt sunt arrogantia, & pertinacia tanquam abiecta, & vilis anima: sui enim oblimisci propter phantasiam breuis imperij magnam pusillanimitatem arguit.* Optimè. ? Quis enim nisi pusillus à phantasticâ re absorbeatur? Quis nisi vilis, & abiectus plus sua, quàm se faciat? & siue propriæ magnitudinis, siue humanæ conditionis oblitus imperij potentiam iactet & ab eâ abripi se sinat. Sed id multo opportu- *Cor. 10. 12.* niùs, multo elegantiùs expressit Paulus cū 2. ad Cor. 10. 12. de seipso tanquam de Apostolo, & Ecclesiæ Principe verba faciens (dixerat enim vers. 8. *Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate vostra:*) inquit: *Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam,* B *qui se ipsos commendant, sed ipsi in nosmetipsis, metientes, & comparantes nosmetipsos nobis.* Pende hæc, *comparantes nosmetipsos nobis*: sed quid est, inquis, aliquem seipsum seipso metiri, & sibiipsi semetipsum comparare? Nunne comparatio inter vnum, & alterum siue paria, aut imparia inter se sint, instituenda est: sic nam- *Tullius.* que dicebat Tullius pro domo sua: *Quaso vt hominem cum homine, & tempus cum tempore, & rem cum re comparetis.* Quomodo ergo Paulus seipsum sibi comparat? Sanè quia alij seipsos non sibi solùm sed sibi vt potestate præditis, & regia claritate conspicuis comparant; vt potentiam, & imperium superbè, & arrogantèr iactent. Quod videtur innuere Paulus præcedentibus verbis, *qui seipsos commendant*: nam Græcè, & *Lect. Syr.* Syriacè hæc sic habentur: *Non enim audemus æstimare, aut conferre nos ipsos cum iis qui seipsos gloriâ efferunt, quia isti semet sibi comparant, non intelligunt*: Vbi obserua illa C *cum iis qui seipsos gloriâ efferunt*: quibus innuit Apostolus superbos Principes vilem, & abiectum animum gerere, qui propriæ magnitudinis obliti non seipsos seipsis, sed muneris gloriâ, atque potentiâ metiuntur, & comparant, atque ab illâ potiùs quàm à propriis animi dotibus suam magnitudinem pensitantes verbis, actibus, rebus arrogantèr & pertinaciter se gerunt. Vnde ipsum nolle se aliâ mensurâ, quàm suimpsius metiri, & tanquam Paulum loqui, scribere, ope- *Oecumen.* rari: ita id pensitante Oecumenio: *Apud nosmetipsos manentes* (inquit ille) *metimur nosipsos, & ad mensuras nostras, & loquimur, & scribimus, & operamur.* Egregiè illud: *Apud nosmetipsos manentes metimur nosipsos*: potestatem videlicet, & fastum comprimentes, velut littoralis arena, quæ obiecta marinas vndas repercusit, quo nihil maius, nihil illustrius fuerit: *Sui enim oblimisci propter phantasiam breuis imperij magnam pusillanimitatem arguit.* D

3 Vnde quidem denuò videris, magnitudini, & latitudini cordis designandæ multo opportuniorem arenæ, quàm maris imaginem esse: quippe mare vix propriâ magnitudine contentum, quiescere non valet, sed reciprocantibus æstibus feruens perpetuis *Isa. 57. 20.* agitatur motibus dicente Domino apud Isaiam. 57. 20. *Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum*: *Iuda. 13.* & Iuda in epistola versu decimotertio: *Fluctus feri maris despumantes suas confusiones.* Planè quasi magnum in seipso mare, ab ambitione tamen, & superbiâ sese lutum faciat, & conculcandum dedat. Cui rei non importunè aptaueris seruile Agar ingenium, quæ à *Gen. 16. 4.* concepto fœtu supercilium altius tulit: sic enim Genes. 16. 4. *At illa concepisse se videns despexit dominam suam*: vt eo fastu ancillam pusilli scilicet, & fracti animi nihil sublime, & generosum sapientis sese ostenderet,

P. Velasquez in Psal. centesimum.

ita inibi adnotante Chrysost. hom. 38. in Genes. *Ille enim fermè seruorum mos est, vt cùm parum prosperita-* *Chrysost.* *tis aspirauerit, nequeant intra suos limites manere.* Effluente videlicet extra animi angustias magnitudine, & redundantibus maris fluctibus in conculcationem, & lutum: ergo Agar quia ancilla, intra suos limites nequit manere, Paulus quia verè magnus apud semetipsum manet. Ad quem omnino modum noster Dauid (vt superius vidimus) *Vnctus in Regem, spiratus in vatem non insolescit regno, obnubrat neminem Propheta terrore, mitem humilemque retinet omnino pastorem.*

4 Est hæc Salomonis mens, atque admonitio Ec- *Eccl 10. 4.* cles. 10. 4. cùm ait: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris*, siue vt alia lectio habet: *Cum ascenderit ad te spiritus dominantis, ne derelinquas ei locum*: vt moneat Sapiens Rex: Non esse dandas in animo potiores partes dignitati, quasi plus eam quis quàm se ipsum faciat atque ab illius fastu abripiatur, pro fastigio & culmine sese extollens, sed illam potiùs comprimendam, siue subiiciendam: vt eam moderatio, quàm magnitudo animi primum omnino locum habeat. Quæ quidem videtur explicasse Dauid Psal. 130. 1. & 2. inquiens: *Domine non est* *Psal. 130. 1. & 2.* *exaltatum cor meum neque elati sunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me: si non humiliter sentiebam sed exaltaui animam meam.* Vbi si obserues primum illa *neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus*: siue vt ex Hebræo legeris *in magnitudinibus*, *Lect. Hebr.* vel vt Aquila, & Theodotion *in magnificentiis*: meritò *Aquila. Theod.* ambiges, quomodo Dauid in magnitudinibus, & magnificentiis non ambulauerit, qui regia dignitate præditus, diuitiis affluens, nobilitate clarissimus, sapientiâ insignis, potentiâ maximus florebat? Quæ enim magna fuerint nisi hæc? Sed ad manum responsio est: sic illum in iis magnitudinibus ambulare solitum, vt illis locum suum non dereliquerit, nec potiores partes quàm sibi ipsi tribuerit, dum ab illis nunquam in superbiam elatus fuit: sic id breuiter perstringente S. Zenone M. in ea verba *Magnis, & mira-* *S. Zeno.* *bilibus sæculi non immutatur*: vt dixerit, etsi in magnis, & mirabilibus sæculi esset: ab illis tamen loco non deiiciebatur; sed illa potiùs intra se coërcebat, vt animo subiecta forent. Ad quem modum tum Hilarius ad *Hilarius.* id Psal. 118. *Humiliatus sum vsquequaque*: tum Greg. M. Dauidis mentem expresserunt, sic enim ille: *Propheta igitur sacramento constitutus, vt iusta Dei iudicia custodiret, hoc primum opus sumpsit, vt humilis fieret, &c. Hinc familia nobilitas: hinc Regis potestas, hinc sapientia fiducia, hinc Prophetia meritum, hinc copia facultatum: non erexerunt tamen in superbiam, nec in aliquem fastigij tumorem extulerunt*: Ita Hilarius. Sed luculentius Gregorius lib. 29. Mo- *Greg. M.* ral. cap. 6. inquiens: *Benè Dauid intra acceptas ex diuinâ largitate mensuras pedem cordis presserat, cùm dicebat*: Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me: *super se quippe in mirabilibus ambularet, si apparere magnus vltra quàm poterat, quæreret.* Scitè illud: *intra acceptas mensuras pedem cordis presserat*: ne videlicet latitudo crediti muneris intra animi angustias effluerer. Sed rursus obserua, & compone inter se eos dicendi modos: *Non est exaltatum cor meum*, necnon, *sed exaltaui animam meam*, qui sibi inuicem aduersari videntur, quomodo enim non exaltauerit cor, qui animam exaltasse se dicit? aut quomodo animam exaltauerit, qui pedem cordis intra acceptas mensuras pressit? Sane quia celsitudinem, & potentiam atque ea magna, & mirabilia, quæ à regia dignitate adueniebant egregiá animi magnitudine comprimebat, adeoque illis locum suum non relinquebat, vt animæ potiùs subiiceret, & calcanda substerneret, vt acutè expendit inibi S. Zeno M. his verbis: *Videamus, ne fortè Propheta ipse se impugnet exaltando animam suam, qui cor suum*

R so

se non exaltasse gloriatur. Non sibi repugnat, sed ostendit animæ esse sublimitatem superiora vicisse: animæ enim depressio, cor elatum est: cor cohibitum promotio est animæ. Opportunè tam his Dauidis, quàm præfatis de Salomone verbis, quibus latitudinem cordis quasi arenam maris habuisse dicitur. Nimirùm *cor cohibitum promotio est animæ*, quòd eius sublimitas sit superiora vicisse.

Act. 20. 24. 5 Sed iam Dauidi, imò & ipsi Paulo Paulum obiicis: Actuum 20. 24. dicentem: *Nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodò consummem cursum meū, & ministerium verbi quod accepi.* Quibus (vt hoc eodem libro 2. adnot. 7. num. 3. vidimus) pluris seipsum quā Princeps, & Prælatus erat, quàm animam suam videtur Paulus facere, quasi ipse non tam sibi, quàm muneri suo prospiceret: imò verò non tam homo, siue Paulus, quàm Apostolus, & Princeps esse vellet, munere quidem personam quodammodo absorbente. Qua ergo ratione (inquis) modò Paulus seipsum sibi comparat, & apud seipsum manet potestatem comprimens? necnon Dauid, vt animam suam sublimem faciat, regiam potestatem vincit, & frænat? Verùm enimverò alius imbi Pauli sensus, alia mens erat, cùm animam nolebat pretiosiorem munere suo facere; quippe de vitâ corporis sermonem faciens, & munus non vt sibi illustre, sed vt subditis vtile inspiciens, animum sic rectissimè inducebat, vt plus officio, & Principatui, quàm propriæ vitæ prospiceret, ac inuigilaret, quod optimi quidem Principis proprium est: hîc verò munus non quà subditis vtile, sed vt sibi honorificum, & illustre contemplabatur: ideò ipse minimè sibiipsi repugnans intra se manebat quin de muneris splendore curaret: imò verò illum cohiberet: quia *cor cohibitum promotio est animæ*. Quod quidem rursum videris non latuisse nostrum Regem, qui itidem regio culmine cum illo de loco, & sede disceptante intra acceptas ex diuinâ largitate mensuras pedem cordis sic premebat, vt mirabilibus C sæculi non immutaretur: sic namque ipse de se ad regium fastigium electo 1. Paralippom. 28. 4. dicebat:

1. Paralip. 28. 4. *Elegit Dominus Deus Israel me de vniuersâ domo patris mei, vt essem Rex super Israel:* de animi verò latitudine, quā

Psal. 83. 11. cor suum tunc comprimebat Psalm. 83. vers. 11. sic inquit: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei.* Pende duplicem electionem non tantùm se mutuo respicientes, sed etiam quasi ex diametro sibi inuicem aduersantes: dum Princeps magnanimus regiæ dignitatis electioni, electionem humilitatis opportunè opposuit, vt hac velut littorali arenâ tumentes maris fluctus cohiberet: sic hæc considerante Venerabili Philippo

Philipp Abbas. Abbate lib. de dignitate Clericorum cap. 16. hunc in modum: *Vtrasque has* (Regiam scilicet dignitatem, & humilitatem) *Dauid cognoscitur habuisse, qui & Rex legitur extitisse & tamen humilis permansisse*, Elegit (inquit) me Dominus, & præcepit, vt essem dux super populum Israel: *Ecce dignitas.* Elegi (inquit) abiectus esse in domo Dei mei: *Ecce humilitas. Et videte, quàm signanter* D *duas istas electiones curauit distinguere, vt aliam Deo, aliam sibi vellet adscribere; quia videlicet non nostrum, sed Dei est, nos ad dignitatis gradum erigere: nostrum autem inspirante eius gratiâ humilitatem semper eligere.* Ita ille.

6 Regredior ad Agar pusillo, & muliebri animo sese efferentem, quam quidem superborum Princi-

Isai. 3. 16. pum typum esse facilè colliges ex iis Isaiæ verbis cap. 3. 16. & dixit Dominus: *Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, &c. Decaluauit Dominus verticem filiarum Sion.* Quas enim credis esse has filias Sion? Principes quidem, & proceres populi: vt ex ipsius sermonis serie, & ex Hebraicis affixis, quæ masculini sunt generis, sic optimè obseruauit ibi Fore-

Forerius. rius: *Non dubito quin intelligat hic eas feminas, quas paulò antè dominari in populum dixerat, Principes, & Ma-*

A *gistratus deliciis deditos.* Iam quod horum Principum crimen fuit? *Ambulauerunt* (inquit) *extento collo*, à munere videlicet, & Principatu tumentes, & elati, locū illis suum propriæ magnitudinis obliti derelinquentes, secus sanè omnino ac diuinum illud lilium, quod vt in superioribus præsertim adnotat. præcedenti numero penultimo vidimus: *Languido collo*, vt regale fastigium inflecteret, caput inclinauit, ne videlicet Regio titulo in cruce posito humilitatis locum daret. Et verò vt id ei adeò benè cessit, vt vel à capite inclinato Regis titulus eiusque maiestas magis eluxerit, eâdem viâ, quâ regiæ sublimitati locum non fecit, locum omnino faciens, dum titulum, *Inclinato capite* legi, & lucere permisit; ita iis Principibus *extento collo* ambulantibus superbia adeò infensa, & contraria est, vt hinc alij egregij ipsorum tituli, & animi corporisque dotes, & ornamenta obscurentur: *extento* videlicet *collo* impediente, ne ab hominibus cognoscantur, B aut laudentur. Quis enim superbum hominem potentiam suam arroganter extollentem, iactantemque ferat, ne dum laudet? aut quis non viderit inde illum regia esse dignitate indignum? Pulchrè Tertullianus Tertul.

libro de Idololatria cap. 18. de Domino vt artis regnandi apprimè gnaro ita illam Principibus monstrante dicebat: *Ille Dominus in humilitate & ignobilitate incessit, &c. vestitu incultus, &c. vultu & aspectu inglorius: si potestatem quoque nullam ne in suos quidem exercuit, quibus sordido ministerio functus est, si Regem denique fieri, conscius sui regni, refugit, plenissimè dedit formam dirigendo omni fastigio, & suggestu tam dignitatis, quàm potestatis.* Preme illa *dirigendo omni fastigio*: quibus omnino ait, Dominum eam regni formam Principibus dedisse, vt quò imperij capaces denique videantur, *languido* potius quàm *extento collo* incedant, fastigium in planum dirigentes, siue deferentes. Quæ Principes antea sic monuerat Seneca lib. de tranquillit. animi Seneca.

capite 10. *Illi rursus, quos fors iniqua in ancipiti posuit, tutiores erunt superbiam detrahendo rebus per se superbis, & fortunam suam quàm maximè poterunt in planum deferendo.* Quo quidem sensu Philipp. Abb. cùm præfato Philipp. Abbas.

loco dixisset: *Sunt enim plerique qui cum ad dignitatem peruenerint, deponunt humilitatem, quam antea tenere videbantur, tanquam dignitas, & humilitas non benè conueniant, nec in vnâ sede morentur. Verùm nec humilitas dignitati, nec dignitas præiudicat humilitati.* Subiicit rationem: *cum præcipuè dignitas indigeat humilitate, nec nisi humilitas digna sit dignitate.* Opportunè istud: *nec nisi humilitas digna sit dignitate:* quippe superbia animum degenerem, & pusillum arguit.

7 Sed iam periculosiorem superbiæ scopulum disce tam ex Domino quàm ex nostro Vate, sic namque ille apud Matthæum 18. 3. *Nisi conuersi fueritis, &* Mat. 18. 3.

efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Dauid verò itidem de superborum supplicio agens Psalm. 109. 6. *Iudicabit* (inquit) *in nationibus, conquassabit capita in terrâ multorum.* Vbi Chaldæus ad superbos Psal. 109. 6.

omnino referens legit *Magnorum*, & quidem circa Chald.

vtriusque locutionem est, quod ambigas: in Christi nimirum verbis, cur qui potuit dicere, non consequemini salutem, aut in throno meo non sedebitis, signatè dixerit: *non intrabitis in regnum cælorum*: apud Dauidem verò quare extremum superborum supplicium ea phrasi conquassandi capita expresserit? Verùm vtrique dubio facilè occurres, si memineris Dominū ad nostri institutionem, & paruulum factum, *paruulus enim datus est nobis.* Isaiæ 9. 6. & ostium cælorum constitutum esse ipsomet dicente: *Ego sum ostium, per me si* Isai. 9. 6.

quis introierit saluabitur, Ioann. 10. 9. hinc namque fit, Ioann. 10. 9.

vt opportunè moneamur, non aliter per angustum, & paruum ostium nisi *languido collo*, & capite demisso intrari, ac proinde eius caput, qui *extento collo*, & erectâ

ctã ceruice introire præsumpserit, in ipso ostij superliminari necessariã ratione conquassatum iri. Hæc omnia omnino obseruante ad ea Ioannis verba, *ego*
Verricus. *sum ostium*, Verricio sermone 1. de Aduentu: *Ego sum ostium* (ait ille) qui patuulus natus est nobis: *Nisi ergo incuruetur altitudo virorum, et hui[u]s humilitas non admittit: Ideò nimirùm* conquassabit capita in terrã multorum: *& qui elati accedant, repulsi capite eliso cadent retrorsum. Quid enim? Adhuc tu superbus terra, & tuus, postquam Deus factus est humilis? Adhuc tu magnus es in oculis tuis, postquam Deus factus est paruus in oculis tuis. Ille semetipsum exinaniuit, vt penè videretur nihil, sine quo factum est nihil & tu in immensum extolleris, & inflatus existimans te aliquid esse, cùm verè nihil sis.* Hæc ille. Et eodem sensu,
August. eâdem imagine Augustinus tractatu 45. in Ioann. *Humilis* (inquit) *est enim ianua Christus Dominus. Qui intrat per hanc ianuam, oportet humiliet se, vt sano capite intrare possit. Qui autem se non humiliat, sed extollit, per maceriam vult ascendere. Qui autem per maceriam ascendit,* B *ideò exaltatur vt cadat.* Pulchrè: nam in humili porta erectam ceruicem conquassari necesse est. Certè vel hac de causã magnus Paulus, vnã ex patre à Domino immensã donorum, & reuelationum magnitudine affectus, ad tertium vsque cælum eleuabatur: ea aliã verò diuino consilio ab Angelo Satanæ colaphis cædebatur. Sed quid eatmio Dei fauori, & Satanæ colaphis? Quid summis reuelationum, ac diuinorum arcanorum ornamentis, & extremis Satanæ ignominijs? Aperit quidem ipse dum ait: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet*, 2. Corinthiorum capite
2. Cor. 12. 7. 12. versu 17. obsetua illud *extollat me*, vt videlicet, ad tertium cælum eleuatus, per angustam, & humilem illius portam ingressurus, collum demitteret, ceruicemque humiliaret, vt sano capite intrare posset, eò enim colaphi eunt, vt illis caput contusum submittat C se, & caeterum collum laoguidum reddatur. Audi
August. Augustinum sic id acutè adnotantem serm. 55. de Verbis Domini secundùm Ioannem: *Nam propter hoc vitium tamen ille Apostolus appositum sibi esse dicebat stimulum carnis, Angelum Satanæ, à quo colaphizaretur. Qui colaphizatur tunditur caput eius, ne erigatur.*

8 Nec capienda hæc à Principe de futuræ tantùm vitæ supplicio, etenim cùm notaueter à Vate dictum sit: *conquassabit capita in terra magnorum*, omnino sibi persuadere debet, superbiæ etiam in terra id est in hac vitã Deum, & homines infensos esse, ideò ab illã magnorum capitum quassationem, & splendidissimarũ domuum certissimum excidium aduenisse: & huc sanè intentus Salom. Prou. 17. 19. eamdem ostij imagi-
Prou. 17. 19. nem aptauit inquiens: *Qui exaltat ostium quærit ruinam:*
Caietan. vbi Caietanus appositè legit: *quærit fractionem*: vt innuat Sapiens eum, qui altius sibi ostium attollit, ambulãs in magnis, & mirabilibus super se, nihilo melius D quàm ruinam, & capitis fractionem sibi parare: nam

——— *Frangit Deus omne superbum:*

Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Prudent. Inquit Prudentius in Psycom. Superb. & Humilitatis: inde submonens:

Disce supercilium deponere, disce cauere

Ante pedes foueam quisquis sublime minaris.

Cui sanè veritati tot adstipulantur eæmpla Principum; quorum capita à superbiã fracta, & conquassata sunt, vt qui otio abun vellet, facilè plures posset paginas opplere: nos Hieronymum secuti Roboamli, &
Hierony. Tarquinij infelices eattus referre contenti erimus: sic enim de ipsis ille ep. 62. ad Theophilum: *Qui scorpionibus cadat, & lumbis patris habere se putat digitos crassiores, citò regnum mansueti Dauid dissipat. Certè Romanum Populus ne in Rege quidem superbiam tulit.* Sed quomodo non tulit? Adcò quidem vt regnum illi è manibus

P. Velasquez in Psal. centesimum.

A extorserit, & illum qui hoc facinus perfecit, pro pœna summis laudibus celebrauerit. Sic namque T. Liuius T. Liuius. decade 1. lib. 2. *Et non ambigitur, quin Brutus ille, qui tantum ob Tarquinium superbam exactum meruit, si priorum alicui Regnum extorsisset, vitio magis, quàm virtuti daretur.* Nimirum, quia superbus, & fastigio indignus, & hominibus intolerandus visus est: sic omnium ore censente Latino Pacato in Panegyrico ad Theodosium: Pacatus. *Denique ipsum Tarquinium execratione postremã hoc damnauerant maledicto, & hominem libidine præcipitẽ, auaritiã cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem, vocauerunt superbum, & putauerunt sufficere conuitium.* Bellissimè vt videris, quàm sit hominibus inuisa superbia, & quàm à Principe aliena. Erat quidem Tarquinius libidine præceps, & dissimulauerunt subditi: erat auaritiã cæcus, & conniuerunt: erat crudelitate immanis, & tolerauerunt: erat furore vecors, & illum patienter sustinuerunt: præbuit se tandem superbum, & adeò dirum in se odium ob arrogantiam concitauit, vt tegno ei, & vitã ereptis, superbi nomine tamquam turpissimo dedecore, & catenã ignominiã onerandum putarint. Quo sanè in loco videor mihi, non secus ac Pharisæi occasione publicano à Deo posthabiti Lucæ 18. 14. exclamantem audire Ambros. serm. 3. in Ambros. Psal. 118. *Quantum crimen superbi, vt ei etiam adulteri præferantur!* A quo oorit, quod superbissimi Domitianæ statuis post illatam ipsi cædem detractis, & solo adflictis, sic inquit Plinius in Panegyrico: *Illa autem aurea, & innumerabiles strage, & ruina publico gaudio litarentur. Iuuabat illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sæuire securibus, vt si singulos ictus sanguis, dolorque sequeretur. Nemo tam temperans gaudij, seriaque lætitia quin instar vltionis videretur cernere laceros artus, truncata membra, postremò truces, horrendasque imagines abiectas, excoctasque flammis, vt ex illo terrore, & minis in vsum hominum, ac voluptates ignibus mutarentur.* Ita ibi.

Ad ea verba,

In medio domus meæ.

Magni Principis esse: affabilem, & humanum sese subditis exhibere.

ADNOTATIO XVII.

1 Vix quidem, aut ab humilitatis commendatione, aut à superbiæ execratione discedimus, dum de affabilitate, quæ humilitatis portio, eaque insignis est, sermonem instituimus, eamque Dauidis tam voce, quàm exemplo superbiam exectantis Principi commendamus. At enim peculiarem huius D virtutis mentionem facere, vel eã ratione fuerit operæpretium, vt ea quæ de humilitate præscripsimus plus plus firmentur, & quæ affabilitatis propter sunt Principem non lateant, quòd ipsi æquè decora, ac fructuosa sint. Et verò affabilitatem dicimus comitatem, humanitatem, siue caeteram quandam motum suauitatẽ io consuetudine cum hominibus vsurpatam, quæ potissimùm in vultu, gestu, atque sermone relucet, dum subditis suis Princeps facilem aditum, hilarem vultum, aures benignas, blanda, & suauia verba præbet, vti bene in Principis institutione dicebat Iulius Pollux. *Facilis aditu, comis in ingressu,* Iul. Poll. *commodus alloqui volentibus, blandus expositus*, & se ipsa tam noster Rex, quàm quot regium munus implere didicerunt omnino præstitère: nam de illo sic primum Ambrosius lib. 2. officior. c. 7. *Quid sanctius* Ambros. *Dauid electius ex omnibus ad plebem regendam, quàm mitis, & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu? Ante*

regnum ſe pro omnibus offerebat, Rex eum omnibus æquabat A *ſuam militiam, & participabat laborem: fortis in prælio, manſuetus in imperio, patiens in conuiuio, ferre magis promptus, quàm referre iniurias.* Deinde de Moyſe indidem hæc habet: *Quàm miti ſermone poſt iniurias appellabat populum, ſolabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fouebat operibus, & cùm Deo conſtanter loqueretur, homines tamen humili, & gratâ appellatione affari.* Hæc Ambroſius. Quibus ſanè coloribus externi Scriptores bonos Principes depinxerunt, ſic enim Alexandrum Seuerum in eius vita
Lamprid. Lampridius: *Tantæ moderationis fuit, vt nemo vnquam ab eius latere ſubmoueretur, vt omnibus ſe blandum, affabilemq́ue præberet, vt amicos non ſolùm primi, ac ſecundi loci, ſed etiam inferiores ægrotantes viſeret.* Et poſt nonnulla: *in iocis Alexander dulciſſimus fuit: in fabulis amabilis, in conuiuiis*
Xenophon. *comis, ita vt poſceret quiſque quod vellet.* Ageſilaum Xenophon lib. de eius laudibus: *At qui dignum eſt, ne Ageſilai comitatem, affabilitatemq́ue natura taceamus, qui cum honore, potentiâ, atque etiam regno, eoque ſine inſidiis, & cum amo-* B *re omnium potiretur, iactantia tamen obnoxius à nemine vn-*
Nazianz. *quam notari potuit.* Conſtantinum Nazarius in Panegyrico, *Quid? faciles aditus. Quid? aures patientiſſimas. Quid? benigna reſponſa. Quid? vultum ipſum auguſti decoris grauitati hilaritate permixta.* Hiſpanos Principes (nam ipſorum propria hæc virtus fuerit) Traianum, atque
Plinius. Theodoſium Plinius, Pacatus, & Claudianus: ſiquidem de Traiano Plinius: *Reuerſus Imperator, qui priuatus exteras, agnoſcis agnoſceris: eoſdem nos, eundem te putas, par omnibus: & hoc tantùm cæteris maior, quò melior.* Et indidem: *Hæret lateri tuo quiſquis acceſſit: finemq́ue ſermonis ſuus cuique pudor, non tua ſuperbia facit:* Theodoſium verò
Pacatus. Pacatus ita alloquitur: *Tu amicitiam, nomen antè priuatum non ſolùm intra aulam vocaſti, ſed indutam purpurâ, auro gemmiſque redimitam ſolio recepiſti, neque non verbis aſſeruiſti, Principis mentem tantò in ſuos benigniorem eſſe debere, quantò ſit fortuna præſtantior, cum fide, ac facultate paribus agas, & familiaribus tuis Imperator tribuas quod priua-*
Claudian. *tus optaras.* Luculentiùs verò de eodem Claudianus de ſexto Honorij conſulatu:

——— Cum ſe melioribus addens
Exemplis, ciuem gereret terrore remoto
Alternos cum plebe iocos, dilectaque paſſus
Iurgia patritiaſq́ue domos, priuataq́ue paſſim
Viſere depoſito dignatus lumina faſtu.

2 At enim verò quod, rogo, in claritate Solis ſcintillæ poſſint habere momentum? cum Dei Filius, quò omnium Principum maior, eò humaniorem, & affabiliorem ſe ſuis exhibuerit. Certè dum in glorioſâ ipſius in monte Thabor transfiguratione euidens diuinitatis lux maximè ſplenduit, cui ſummus Parens certiſſimum illud perhibuit teſtimonium: *Hic eſt Filius*
Matth. 17. 5. *meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Matth. 17. 5. inter fulgentiſſimos diuinæ claritatis radios, eius hu- D manitas peculiariter eluxit. Sic enim ibi verſ. 2. *Et re-*
Matth. 17. 2. *ſplenduit facies eius ſicut Sol:* notanter *facies eius*, humana ſcilicet facies, & ad humanitatis naturam compoſita, quæ ab immenſo diuinitatis ſplendore abſorberetur, ſed quæ eadem ac antea humanitatis lineamenta habens, ſuos agnoſceret, à ſuis agnoſceretur: acutè id
Paſchaſ. inibi obſeruante Paſchaſio lib. 8. in Matth. in hunc modum: *Vnde ſic temperauit diuina maieſtas huius viſionis formam, vt & mirabilis eſſet viſio, quâ diuinitas prædicaretur in Chriſto, & humanus eam mortalium ferre poſſet viſus.* Quod ſic ſtatim plus explicat: *vbi transformatio claritatem addidit ex maieſtate diuinitatis, ſed faciem non ſubtraxit humanitatis:* ac ſi diceret. Non equidem cum mediâ in luce diuinitatis effulſit, humanitatem abſcondit: imò tunc ſignatè humanum ſeſe, benignum, atque affabilem patefecit, eoſdem ſuos, eundem ſe putauit: hæſerunt lateri eius Moyſes, & Elias, qui acceſſerant, & finem ſermonis ſuus cuique pudor, non illius Maieſtas

A effecit. En ipſiſſimam optimi Principis faciem & ingenium, quod auguſti decoris grauitati hilaritate permixtum conſtet, vt in ipſo regiæ ſublimitatis faſtigio cæleſti quodam ſplendore collucente faſtum, & ſupercilium ille deponat, ſubditiſque benignum, & humanum ſeſe exhibeat, ſermone affabilis, acceſſu facilis, vultu amabilis, & quod vno verbo expreſſit Sido-
nius Apollinaris lib. 7. epiſt. 4. *Qui faſtigium comitate* *Sidon.*
non frangat, ſed flectat. Quod indidem in Traiano ſic
commendabat Plinius: *Iunxiſti enim ac miſcuiſti res di-* *Plinius.*
uerſiſſimas, ſecuritatem olim Imperantis, & incipientis pudorem. Non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec oſculum manu reddis, manet Imperatori, quæ prior humanitas, dextera verecundia. Sanè hanc optimi Principis, optimæque gubernationis faciem eſſe, vel inde liquet, quod hac ratione humana diuinis miſcentur, excelſa planis diriguntur: & acriora ſuauibus temperantur, atque hinc non ſecus atque in Muſicâ, vbi harmonia B non ex grauibus ſolùm vocibus, aut ex acutis: ſed ex vtriſque admixtis, & ſeſe inuicem attemperantibus: imò ad perfectiorem ſonum edendum ſeſe mutuò adiuuantibus
omnino reſultat (vti apud Caſſiodor. lib. 2, epiſt. 40. *Caſſiodor.*
ſapiens ille Rex Theodoricus hunc ad modum penſitabat: *His rebus aliquid maius adiiciens humana ſolertia terris quandam harmoniam doctiſſimâ inquiſitione collegit, quæ Diapaſon nominatur, ex omnibus ſcilicet modis congregata, vt virtutes, quas vniuerſum melos habere potuiſſet, hæc adunatio mirabilis contineret)* pulcherrimus, ac ſuauiſſimus gubernationis concentus oriatur: ſic hanc cogitationem eâdem imagine expreſſam aperiente gentili Iamblico in epi-
ſtolâ ad Agrippam apud Stobæum ſerm. 44. *Imperij* *Stobæus.*
excellentia videtur apud vulgus hominum inuidioſa eſſe, ac eius præſtantia ipſis odioſa ſit. Si verò id quod graue, auſterumque eſt in imperio, benignitate, ac humanitate temperetur, concinnum, mite, manſuetum, & adeuntibus facile redditur: C *quale genus imperij inprimis amant ſubditi.* Opportunè.

3 Sed enim vt optimum, & prudentem Principem à malo, & gubernandi artis ignaro hinc diſcrimines, audi Malum Chriſtu Domino ſuggerentem:
Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me, Matth. 4. 9. *Matt. 4. 9.*
Quaſi malus Princeps ſuos cadentes, & humi affixos videre omnino gaudeat, nihilque ipſis dare norit, niſi ab illis adoretur, & tanquam Numen ſummâ reuerentiâ colatur, ac proinde terribilem ſeſe illis, & in modum ſimulachri compoſitum exhibent. Contrà verò bonum Principem, qui non modò aditu facilem ſeruis ſuis ſe præbeat; ſed illos proſtratos erigat, & quam illi exhibent adorationem repellat, vide apud
Matthæum 18. 32. vbi decem millium talentorum *Matt. 18.*
debitor ſeruus, ſimplici quidem poſtulatione tam in- *32.*
gentis æris alieni veniam, & abſolutionem impetrauit: Domino dicente: *Omne debitum dimiſi tibi, quoniam* D *rogaſti me.* Nimirum vt ipſe veniam petiturus procideret, vt iratum Dominum adoratione demulceret, eum ipſe cultum omnino videtur aſpernatus: quippe non dixit: omne debitum dimiſi tibi, quoniam adoraſti me, aut ad pedes meos prouolutus es, ſed tantùm *quo-*
niam rogaſti me: vt id adnotante Origene tractatu 7. *Origenes.*
in Matthæum: *Vide autem humilitatem Regis, quia aliud quidem fecit debitor talentorum multorum, aliud autem nominat Rex: debitor enim ille procidens adorauit eum, Dominus autem eius vocans eum, non dixit, omne debitum dimiſi tibi quoniam adoraſti me, ſed quoniam rogaſti me.* Nimirum ille adorationem repudiauit, atque contempſit, ideò illius nequaquam mentionem fecit. Concinit
Syneſius oratione *de Regno* hanc morum facilitatem,
& affabilitatem ex Dei imitatione Principi ſuadens, *Syneſius.*
nam cùm dixiſſet: *Regem dignitas amabilem efficit, eamque Plato diuinum inter homines bonum appellat*, ſubiicit: *Idem autem ipſe quod diuinæ ſortis eſt particeps, omni faſtu docet, arrogantiaque vacare oportere. Neque enim Deus quaſi in*
ſcenâ

scenâ seipsum ostentans, aut prodigiis, monstrisve editis, sed A *tacitâ quadam viâ gradatim contendens iustè humanas res moderatur, usque omnibus adesse paratus, quæ naturæ sunt ad participandum idonea.* Pulchrè illud: *neque enim Deus quasi in scena seipsum ostentans*: vt dixerit, Principes qui fastu, & arrogantiâ difficiles aditu, & inaccessos se subditis præbent, non veros & germanos, sed scenicos, & theatrales Reges esse, nam germanus & legitimus ad instar Dei, quo nihil humanius, facilem, & benignum se omnibus exhibet. Dixeris audisse hæc omnia Gentilem Plutarchum in libello: *In Principe requiri doctrinam*: Principum fastum, & arrogantiam ex Dei exemplo sic castigantem: *Quemadmodum Deus in cælo pulcherrimum sui ipsius simulacrum constituit Solem ac Lunam, talis est in Republica imago ac lumen Princeps, qui Dei reuerens iustitiam tuetur, hoc est Dei rationem gestat nempe intellectum, non sceptrum, aut fulmen, aut tridentem, quâ specie seipsos nonnulli fingunt, ac pingunt, stultitiam suam, quòd videantur inaccessi, reddentes inuidiosam.* Pergit: *Offenditur enim Deus his, qui tonitrua, fulmina, radiorum iaculationes imitantur: delectatur autem his, qui suam æmulantes virtutem semet in honestate, & humanitate ei reddunt adsimiles, atque hos in maius prouehit.* Vides germanam Principis speciem ex Dei imitatione in affabilitate, & humanitate elucere, morosos verò & terribiles à germanâ Regis naturâ tanquam scenicos Reges longissimè ire?

Plutarch. (margin)

4 Firmat hæc opportunissimè cælestis sponsus dum Cant. 4. 8. sponsam suam ad regium diadema his verbis aduocat: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis: de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Vbi iure ambigas: Quænam hæc sponsæ corona fuerit, quæ pro auro, & gemmis ex ipsismet montium verticibus, & collium asperitatibus, imò ex ferarum & leonum cubilibus construitur? id namque portendit illa propositio *de*, quemadmodum de spineâ coronâ Domino impositâ, dixit Ioannes cap. 19. 2. *coronam de spinis*. Sed quidem facilis est responsio, pulchrè regiũ diadema excogitari constructum ex ipsis verticibus, siue sublimitatibus in planum deductis, siue ex regio fastu, quem leonis imago adumbrat, perdomito, & mansuefacto, quod nullum Principi fastigium maius, nulla splendidior corona, siue pretiosior, aut micantior coronæ gemma sit, quàm ipsummet regale fastigium inflexum, & regni sublimitas, & excelsitas humanitate, & affabilitate inclinata: scitè id ad hæc verba obseruante Venerab. Gilleberto sermone 29. hunc in modum: *Et quia de certamine corona, ideò forsitan dilectam sic inuitat ad coronam, vt exprimat causam: ait enim:* coronaberis de cap. Amana, & Sanir, de vertice Hermon: de montibus pardorum, de cubilibus leonum: *nescio enim quid asperum, quid ferum, quid fraudulentum in his montibus, in his naturis datur intelligi: dum hæc triumphata corona ministrant materiam.* Opportunè hæc *triumphata corona ministrant materiam*, quòd quemadmodum externa capitis corona ex auri, & gemmarum materiâ construitur, ita regia dignitas, atque maiestas ex asperitate, & feritate triumphata, atque prostrata, & ex verticibus excelsæ potestatis depressis, & in planum redactis omnino constet. Quam planè sententiam, vt verbis omnino expresserunt tum Dio Chrysostomus, tum Philo, dum ille oratione 4. Diogenem Philosophum Alexandrum Magnum sic monentem facit: *Cum discesseris à fastu, tunc eris Rex, non sermone, sed opere*: hoc est, non specie tantùm velut Rex scenicus, & theatralis, sed verus & legitimus, non verbis, sed operibus regiam maiestatem adornans, Philo autem lib. *de Decalogo*, superbum ita depingit: *Tragicam maiestatem in se recipiens, nec animi satis compos, nec corporis, toto habitu gestuque corporis morbum præ se ferens*, ita multò opportunius & pulchriùs non verbis sed re ipsa exprimebat Augusta Imperatrix Agnes, quam S. Petrus Damianus opusc. 56. mitis laudibus effert, quòd coronam, purpuram & Imperiales pompas dimitteret, gloriosius & vtilius ab illis quàm monachi à cibis ieiunans: *Nos* (inquit ille) *aliquando ieiunamus à cibis: sed tu ieiunas à purpurâ ieiunas à corona, atque à tot, & tam magnificis imperialis gloriæ pompis.* O vtile, atque gloriosũ Principi ieiuniũ, quo supercilio deposito facilẽ & humanum se suis esse vult! Adstipulatur eleganter Plinius in Panegyrico dũ Traianũ ita alloquens: *Diligis ergo cum diligaris, & in eo quod vtrique honestissimum est, tota gloria tua est, qui superior factus descendis in omnia familiaritatis officia, & in amicum ex Imperatore submitteris*: subiicit: *imò tunc maximè Imperator, cùm amicum ex Imperatore agis.* Benè *tunc maximè Imperator*: quod excelsitas & asperitas edomita & in planum deducta atque submissa coronæ ministret materiam. Nec ab hoc iuit callidus ille B Imperator Tiberius, qui vt cætera prauus fuerit, factum tamen in sublimitate, castigate didicit, de eo siquidem Cornel. Tacitus lib. 2. Annal. cùm dixisset: *Statuit frumento pretium quod emptor penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios*: subiicit: *Neque tamen ob ea parentis patriæ delatum & antea vocabulum adsumpsit, acerbeque increpuit eos, qui diuinas occupationes, ipsumque dominum dixerant.*

Gillebert. (margin) Dio Chrys. Philo. (margin) Pet. Dam. (margin) Plinius. (margin)

5 Aduoco huc iterum, & quidem periculatiùs Moysis velamen, quo faciem suam ex consortio sermonis Domini supra humanam fulgidam, & diuinos radios vibrantem volens, libensque inumbrauit. Audi rem totam ab ipso, Exodi 34. 29. *Cumque descenderet Moyses de monte Sinai tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*: vbi Hebrea habent: *non cognouit, quod resplenduisset cutis faciei eius.* LXX. *quia glorificatus est aspectus cutis faciei suæ*: Chaldæus *quòd multiplicatus esset splendor* C *gloriæ vultus eius.* Bonum quidem Principem, qui adeò non iactat, nec arroganter ostentat suæ potestatis gloriam, vt potiùs, quanta illa sit, quantumque ipse possit, valeatque, prorsus ignoret. At enim cum id subditos minimè lateret quod ipse præ modestia sua nesciebat: *timuerunt propè accedere.* Sed quare à luce timuerunt? Quid enim luce dulcius atque iucundius, dicente Salomone Ecclesiast. 11. 7. *dulce lumen, & delectabile est oculis videre Solem*? Respondet ibi Abulens. q. 26. *Non timuerunt accedere tamquam formidantes lucem illam sicut aliquod visibile horrendum, vt videre aspides, & dracones, quia gratus aspectus lucis illius, imò inter formas visibiles nihil delectabilius est luce: sed timuerunt accedere propter reuerentiam, quia videntes Moysem sic fulgentẽ, putauerunt illud esse aliquid valde diuinum, ideò cognoscentes suam paruitatem, retrocesserunt, non audentes se ei iungere.* Quid quæso, tunc superbus aliquis & inscius Princeps faceret? inaccessibilem sanè lucem illam plus plus acueret, siue intenderet: & ardentes radios fortiùs vibraret, D vt dicebat Plutarch. *quâ specie se ipsos nonnulli fingunt, ac pingunt, stultitiam suam quod videantur inaccessi, reddentes inuidiosam.* Quid verò optimus ille Princeps fecit? *posuit super faciem suam velamen*: planè vt fulgentissimos lucis radios temperans, & à tot magnificis imperialis gloriæ pompis ieiunans sese subditis suis vel ea ratione aditu facilem, & affabilem exhiberet, quòd lux illa à Dei luce esset, qui maiestati eam indit claritatem *vt faciem non subtrahat humanitatis*: quippe lux siue maiestas, quæ Principem difficilem aditu & inaccessibilem facit, non à Deo, sed à malo est. Cui quidem cogitationi appositè locutus est Gregorius Nyssenus in oratione de iis, qui præmaturè abripiuntur hac imagine: *Sicut palpebrarum prominentibus pilis, quasi vallo obiecto puritatem, & vehementiam radiorum natura obumbrans, & frangens, temperatum, ac dilutum splendorem oculis*

Exod. 34. 29. (margin) Lect. Heb. LXX. Chaldæus. (margin) Eccl. 11. 7. Abulens. (margin) Plutarch. (margin) Nyssenus (margin)

infert, quo placidiùs Sol pro eo modo, quem vsus poscit, cum vmbra, quam palpebra faciunt, contemperatus existat, ita morum grauitas, atque maiestas cum moderata animi demissione commixta non euertat oculos intuentium sed iucundum efficiat obtutum. Vnde quidem subiicit Sacer Scriptor. v. 34. (*Exod. 34.*) *Quod* (velamen) *ingressus ad Dominum & loquens cum eo auferebat, donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Israel. Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos:* quod videtur innuere iam citatus Ambrosius (*Ambros.*) inquiens: *& cùm Deo constanter loqueretur, hominis tamen humili, & gratâ appellatione affari:* tantùm non Principes admonens hoc exemplo Moyses, constantiam, grauitatem & vultus splendorem atque maiestatem in alios potiùs dynastas intorquendum: subditis verò facilitatem, & affabilitatem, & suauitatem morum exhibendam.

6 Iam duo hîc de hoc lucis temperamento omnino subiicienda, quæ his verbis expressit bonus Princeps Iob c. 29. 24. (*Iob 29. 24*) *Si quando ridebam ad eos non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram.* Nam si attendis, bifariam hic locus capi potest: vno quidem modo cum Origene in Catenâ (*Origen.*), vt dixerit sic se illum facilem & humanum suis exhibuisse, vt placidus ille, ac suauis agendi modus regium decorem, & maiestatem minimè imminuerit, quippe qui ita cum suis & iocari, & ridere sit solitus, vt vultus lucem, & honestam grauitatis speciem non amiserit, authoritate nimirum cum affabilitate opportunè permixta, vti de Imperatore Tito, qui ob insignem humanitatem, atque benignitatem, *Deliciæ orbis* appellari meruit: Suetonius, (*Sueton.*) & Cornelius Tacitus in summâ affabilitate incorruptã maiestatem retinuisse signatè obseruarunt: sic enim prior in eius vita c. 8. *Sæpè enim populo & voce, & gestu vt fautor cauillatus est, verùm maiestate salua, nec minùs æquitate.* Tacitus verò lib. 5. historiar. (*Tacit.*) *atque ipse, vt superior sui tam crederetur, decorum se, promptumque in armis ostendebat, comitate, & alloquiis officia prouocans, ac plerumque in opere, in agmine gregario militi mixtus incorrupto ducis honore:* vbi præterquam quòd vt nuper dicebamus, vt superior sui crederetur, comem & humanum se suis exhibebat, incorruptum quidem ducis honorem conseruabat, quin temperata vultus lux in terram decideret, id est ob nimiam affabilitatem à suis contemneretur. Nam re vera vtrimque scopuli dicente Salomone Prou. 30. 31. (*Prou. 30. 31. LXX.*) *Est qui stultus apparuit, postquam eleuatus est in sublime:* siue vt LXX. reposuerunt: *Si profuderis te in lætitiâ, & extenderis manum tuas cum pugna: inhonoraberis.* Quæ sic rectè explicantur à P. Salazar (*Salazar.*), vt adhortationem contineant ad Principes, neve nimium faciles, & leues erga subditos fiat, neve seueri valde & fastidiosi: quòd æquè vtrumque bonam ipsorum existimationé & honorem in discrimen adducat. Quod non latuit Isocratem (*Isocrates.*) Nicoclem admonentem: *Simul & vrbanus esse stude & grauis Propterea quod hoc quidem Regem decet, illud autem ad vitæ consuetudinem est accommodum.* Sed illud opportunius quòd Principum exemplar sub virgâ floribus ornatâ cognoscendum proponatur ab Isaia c. 11. 1. (*Isai. 11. 1.*) dum ait: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Quid enim hæc florentis virgæ imago, quàm affabilem *maiestate salua nec minus æquitate* Principem adumbret? qualis à Nostro Vate describitur Psalm. 24 8. (*Ps. 24. 8.*) *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Sic ea verba Isaiæ premente Tertulliano (*Tertull.*) lib. *de carne Christi* c. 21. *Quid ergo negant, & fructui suum florem & flori suam virgam:* ac si dicat: Equidem vt videantur res diuersissimæ affabilitas, & maiestas, nequeunt tamen vna ab altera diuelli, nec flos affabilitatis à virga rectitudinis, nec rectitudinis fructus à flore dulcis affabilitatis.

7 Sed sub eo etiam sensu nec minùs opportunè ...pies vultus Iobi lucem, quæ non caderet in terram, ...uxerit fulgentes maiestatis radios non otiosè & ine...citet ab humanitate, & affabilitate temperatos fuisse, quippe qui ea moderatione, & velamine castigati multò efficaciores, & fortiores essent siue ad subditorum gratiam conciliandam, & deuinciendos animos, siue etiam ad ipsos erudiendos, & ad obedientiam inflectendos: sic id ad præfatum Moysis velamen obseruante Abulensi: (*Abulens.*) *Antea* (inquit) *non audebant accedere ad eum Principes, quia videbant vultum fulgentem, nunc verò postquam ipse eis timorem abstulit, non solùm ipsi, sed etiam populares omnes venerunt, vt audirent quid diceret vellet.* Video, vt rigida maiestas subditos tam ab amore, quàm à legum obseruantia arceat? Contrà verò temperatam affabilitate lucem animos conciliare, & ad obedientiam attrahere? Concinit præfato loco Ambros. (*Ambros.*) vbi cùm de bonitate præmisisset: *Popularis, & grata est omnibus bonitas, nihilque quod tantoperè illabatur humanis sensibus* subrepsisset que, *ea si mansuetudine morum, ac facilitate animi, & affabilitate sermonis, verborumque honore, modestiaque, adiuuetur gratia, incredibile est, quantum procedit ad cumulum dilectionis.* Hæc Moysis exemplo, quod vrgemus ita confirmat, *sic sibi totius plebis mentes deuinxerat, vt plus eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur.* Sed & de Dauide statim subiicit: *ideò tam charus erat omnibus, vt iuuenis ad regnum etiam inuitus peteretur, & resistens cogeretur: senex ne prælio interesset, à suis rogaretur, quod mallent omnes pro illo periclitari, quàm illum pro omnibus: ita sibi gratis officiis plebem obligauerat.* Quò quidem rursum floridam illam virgam, de qua Isaias, opportonè referas. Quòd si dubites, cur floribus potiùs ornata quàm fructibus onusta, quod vtilius & fructuosius est, inducatur? Respondebo ex Tertulliano (*Tertull.*) indidem, its humanitatis & affabilitatis floribus necessaria ratione adiunctos esse dilectionis & obedientiæ subditorum fructus, quòd ab illa ipsi maximè alliciantur, & promoueantur: *flos enim* (ait ille) *fructus: quia per florem & ex flore omnis fructus eruditur in fructum.* Quæ mirè firmat Nicephorus Gregor. (*Nicephor. Gregor.*) bonus quidem historicus: bonusque politicus lib. 6. hist. Byzant. occasione Andronici Imperatoris inquiens: *Solet enim dexteritas, atque facilitas morum in altiore dignitatis gradu facilè omnium hominum animos sibi reddere obnoxios, quemadmodum verno tempore splendidi flores prætereuntium oculos in se conuertunt:* subdit: *Hoc illud est Indorum sapientum præceptum: Principem, quò naturâ sublimior sit, eò humaniorẽ si se præbuerit inferioribus, carissimum populo futurum.* Optimè ergo Claudianus (*Claudian.*) in Manlij Theodori Consulatu:

——— Mucrone cruento
Se iactent alij: studeant feritate timeri,
Abductoque hominum cumulent æraria censu
Lene fluit Nilus, sed cunctis omnibus extat
Vtilior, nullas confessus murmure vires,
Acrior at rapidus tacitus prætermeat ingens
Danubius ripas: eadem clementia sæui
Gurgitis immensum reduxit in ostia Gangem
Torrentes immane fremant, lapsisque minentur
Pontibus, inuoluant spumoso vortice syluas,
Pax maiora docet, peragit tranquilla potestas
Quod violenta nequit, mandataque fortius vrget
Imperiosa quies.

Ad

Ad ea verba,

In medio domus meæ.

Princeps hilarem, & amœnum vultum sine fastu, ac supercilio suis ostentet.

ADNOTATIO XVIII.

1 EST fanè in vultu pręcipna affabilitatis pats: nam cùm ipse *ceteris membrorum partibus plus refulgeat,*
Ambros. *& in eatmago animi loquatur:* vt Ambros. in Psalm. 43.
fine & lib. 6. Hexamer. c. 9. inquir, signatè ab ipso sub-
Seneca. ditorum animi capiuntur & demulcentui: sic à Sene-
ca lib. 1. de clement. c. 13. bonus Princeps delineatur:
Bernard. *Sermone affabilis, accessuq; facilis, vultu, qui maximè populos demeretur, amabilis* Qualem quidem Bernardus lib. 4.
de cosideratione ad finem, Eugenio Pontifici ex-
optabat inquiens: *Ille tamen enientior habitus, situ quidem*
Claudian. *actu seuerus sis, vultu serenus:* & Claudianus *de nuptiis Honorij & Mariæ* Stiliconi Imperatoris suceru tri-
buebat.

Celsa potestatis species non voce feroci,
Non alta simulata gradu, non improba gestu.

Cassiod. Ad quem sanè modum Regem Athalaricum ita ad-
munentem inducit Cassiod. lib. 8. epist. 14. *Permulceas sit etiam inspectus, quos gratissimos reddit auditos,* & sta-
tim: *Tatens enim plerumq; despicabilis est, si eum tantùm lingua nobilitat, semper autem in honore manet, sicuim est tranquillus animus, eum quoque serenissimus com nendet aspectus.* Hinc notanter Rex Salomon hilaritati vul-
tus Regis vitalem vim, & salutarem spiritum, quo
subditi animentur, atque subsistant, sic tribuit Pro-
Prou. 16. 15. uerb. 16. 15. *In hilaritate vultus Regis vita, & clementia eius quasi imber serotinus:* cui sententiæ omnino consonat
Stobæus. illa Diogenis Pythagorici apud Stobæum sermone
de Regno: *Non minus quàm tibia, atque concentus bonus Regis intuitus animos ad se conuertit,* vt quemadmodum
saltatio tibiæ numeris concinit, ita subditorum animi
Regij vultus hilaritati consonent, vitalem ab eâ spiri-
tum haurientes, itidemque non secus ac tibiâ perso-
nante chorus concinnè, & ad numeros sponte, hilari-
ter & opportunè mouetur, ita Principis vultus hilari-
tatem spirans subditos hâc illac non faciles solùm, sed
libentes etiam, & velut saltantes ducat, ad eius nutum
Lect. Heb. LXX. concinnè & numerosè se mouentes. Subest vero Sa-
lomonis verbis siue in Hebræo, siue apud LXX. pe-
culiaris epitasis, dum pro *in hilaritate* est *in luce*, siue *in lumine*, vt Regis faciei hilaritas non modò perinde sit,
ac auroræ siue Solis ortus ac lumen qui mœrorem
ex animis depellit, rebusque omnibus lætitiam &
incrementum inspirat, vt de Stiliconis vultu iterum
Claudian. dicebat Claudianus:

Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,
Prospera non fessis optantur flumina nautis,
Ve tuus aspectus populo.

Sed Dei etiam vultum luce suâ veram vitam homini-
bus dantem æmuletur. Vnde hæc verba Dei Filio pul-
Vuerric. chrè aptauit Vuerricus Abb. serm. 3. in Dominic. Pal-
marum: vbi cum dixisset: *De vultu tuo candor lucis æternæ radiat: vtinam super nos lumen vultus tui Domine effulgeat. Vultus tuus sicut in tristibus sit in lætis, sibi modestus, serenus, ac suis arcano lumine cordis floridus, iustis hilaris & iucundus, pœnitentibus clemens, & pius.* Subiicit: *Intendite fratres, in vultum serenissimi Regis.* In hilaritate vultus Regis vi-
ta, &c. *Aspexit in protoplastum, & mox animatus spirauit in vitam, respexit Petrum, & mox compunctus respirauit ad veniam. Mox enim vt Dominus respexit Petrum, Petrus de clementia pussimi vultus suscepit imbrem serotinum, lachrymas post peccatum.* Hæc ille.

A 2 Enimverò huic instituto & Regis vultui formã-
do siue instituendo opportunissimè locutus videtur
iterum Salomon Prouerb. 25. 4. inquiens: *Aufer rubi-* Prou. 25. 4.
ginem de argento, & egredietur vas purissimum. Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iustitia thronus eius Vbi
si attendis, peculiari admodum locutione Sapiens im-
pietatem à vultu prodeuntem illique inhærentem fa-
cit, quasi ipsa Regis facies peccati capax esse, & pec-
care possit. Quod quidem quâ ratione subsistat non
immeritò ambigas, cùm peccatum non nisi ab animo
committatur, & ab ea auferendum sit, nimirùm: *Non quod intrat per os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa* Matth. 15. 19.
testimonia, &c. Matth. 15. 19. Sed enim inde ad manum
responsio est, quòd Princeps non sibi sed suis sit, &
quod dixit M. Tullius, eius persona oculis ciuium ser-
uire debeat, itidemque quæcumque ipse siue externa,
siue interna bona, mores, affectiones, motusque ani-
B mi & corporis habeat subditorum bono & vtilitati
addicta, & velut oppignorata fuerint, eâque ratione
vultum à cuius nutibus illi omnino pendent, non in-
amœnum, truculentum, atque terribilem, sed in sub-
ditorum lætitiam cõpositum signatè gerere debeat,
vt vel in ipso sua erga illos beneuolentia & charitas
non obscurè eluceat: hinc enim fit, vt quoties ipse ab
hoc præscripto discesserit, toties suorum ius lædere,
& vultu peccare videatur. Quemadmodum de face
illa Imperij Roman. Caio Caligula scitè dixit Seneca Seneca.
lib. 3. de ira cap. 19. homines grauius vultu suo, quàm
telis & eculeo torquere solitum: *torserat fidiculis* (ait)
eculeo, igne, vultu suo: planè quasi illius vultus supra om-
nia tormenta, aut tela. A quâ quidem responsione nõ Glossa. Rabban. Beda.
it Glossæ, Rabbani & Bedæ commentarius, dum to-
tidem verbis hi PP. sic interpretantur: *Qui præsunt populis, si volunt esse firmum solium suum, semper hilaritate & gratiâ plenos vultus exhibeant, ne per arrogantiam rigidiores effecti plebis odium incurrant.* Quæ quidem plurium Co-
C dicum Lectio confirmat, qui vbi nos habemus *iniquitatem*, accuratâ voce reponunt *iniustitiam*, vocabulo
signatè opposito iuri, vt argumentu fuerit, peculiare
subditis in Principis sui vultum ius subesse, vt hilarita-
te & gratiâ sit plenus, quò ab illo exhilarentur & re-
ficiantur, imò verò vitam & salutem hauriant, cùm *in hilaritate vultus Regis vita.* Vel quomodo (quæso) vultu
suo non peccet Princeps, si illum composuerit ad ex-
emplar Romani illius Pisonis à M. Tullio in Oratio- M. Tull.
ne pro P. Sestio sic depicti? *O dij boni, quàm teter incedebat, quàm truculentus, quàm terribilis aspectu! Vnum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperij veteris, imaginem antiquitatis, columen Reip. diceres intueri,* & statim: *Nam quid ego de supercilio dicam? quod tum hominibus non supercilium, sed pignus Reip. videbatur: tanta erat grauitas in oculo, tanta contractio frontis, vt illo supercilio Respub. tamquam Atlante cælum niti videretur.* Num ab hoc vultu vitam & hilari-
D tatem, & non potiùs mœrorem & consternationem
subditi accipient?

3 Certè Dominus apud Michæam c. 6. 3. cum se- Michæas 6. 3.
metipsum suorum iudicio, quæ summa tanti Domini
bonitas & æquitas est, iudicandum sisteret atque sub-
mitteret, an illi aliquid haberent, quod in ipsius natu-
râ & moribus accusandum putarẽt, signatè meminit,
an ab eius vultu inamœno, aut rigido tristitiam ali-
quando subiissent. Sic enim ipse: *Popule meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi? Responde mihi.* Sed adnotare
placet LXX. hæc pluculum diffundere ad hunc mo- LXX.
dum: *Popule meus quid feci tibi? aut quid contristaui te, aut in quo molestus fui?* Obserua illa: *Quid contristaui te?* quibus adeo nititur probare Dominus, sese
illis optimum, ac benignum Principem exhibuisse,
nihilque à se vmquam fuisse commissum, de quo ipsi

quòd eo, iure expostulare potuerint, vt adstruat, numquam vultu suo eos contristasse, cùm hilarem & amœnum ipsis semper eum exhibuerit, vt ab illo vitam & salutem perciperent: sic hæc ad id loci pensitante *Ambros.* Ambrosio in Psalm. 50. dum premit ea verba *& vincat tùm iudicatu*, ad hunc modum: *Tamquam reum se constituit, & te iudicem. Offensi vultus non abnuit tremen, si ta Deo es contristatus auctore.* Sanè quasi crimen in Principe fuerit, vultu suo subditos contristare, nec in gratiis illos cum ipso eâ de re expostulare posse. Quod *Idem.* etiam cum eodem Ambrosio sermone 18. in Psal. 118. rursum opportunè aduoces radiantem illam Moysis faciem velamine ab ipso de industriâ contectam, vt adnotatione præcedente vidimus. Nimirùm si denuo ambigas, cur ille diuinum vultus sui splendorem non aliunde, quàm à Dei consortio acceptum restingueret, siue castigaret? Respondet Ambrosius, debuisse quidem id præstare Moysem, quòd ad vultus eius splendorem subditi trepidarent, & turbarentur. Au- B di: *Illuminauit etiam corporaliter faciem Moysi, & transfigurata est gloria vultus eius, quem videntes Iudæi trepidauerunt: & ideò factum est, vt Moyses velamen poneret super faciem suam, ne in eam filij Israel intenderent, & super turbarentur.* Sed cur (inquis) eâ solum ratione, quòd Iudæi splendore vultus perstringerentur, siue turbarentur, splendori ac decori suo deberet Moyses cedere, qui optimum in illum ius habebat? Sane, quòd subditis in eius vultum ius habentibus, vt ab eo exhilararentur, ipse iam in illum splendorem, qui subditos non tam lætitiâ, quàm turbatione, & timore afficiebat, ius non haberet: cum firma semper ac certissima ea regula sit, quam ex M. Tullio non semel adduximus: *Non* *M. Tull.* *debuit, cum prætor esset, suum negotium agere.*

4 Adstipulatur his aucto quidem censu Noster *Psal. 6. 7.* Rex cum Psalm. 6. vers. 7. ait: *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum.* Pulchrè etenim *S. Ephrem.* laborem in gemitu sanctus Ephrem sermone *de pœnitentia* tom. 3. cò refert, vt bonus pœnitens studiosè C contenderit, suspiria introrsus cohibere, ne foras prodirent, sed totus in animo dolor obuersaretur. Quod si inquiras, quomodo hic sensus cum sequentibus verbis cohæreat: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*, necnon cum illis *Psal. 118. 136.* Psal. 118. 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*, qui enim suspiria, & gemitus dicatur cohibuisse, qui tantam vim lachrymarum profundebat, vt illis lectum lauare, & stratum irrigare posset? Respondet opportunè ibi Lorinus tempo- *Lorinus.* ra tum gemitibus cohibendis, tum lachrymis profundendis distinguens: vt nocturno videlicet tempore, quo solus in strato, & in lecto erat, lachrymas vbertim laxaret; diurno verò, cùm Regia munia coram aliis obiret, & negotiorum expeditioni incumberet, omnino laboraret, & vim faceret, vt illas exire præ dolore volentes cohiberet. Vnde egregia quidem & accu- D rata locutio ac sensus tum animi verè pœnitentis, tum optimi Principis vultum suum ad subditorum lætitiam & recreationem componentis is omnino est. *Laboraui in gemitu meo* cohibendo, quid enim dulcius & salubrius animo de peccatis dolenti fuerit, quàm lachrymas tanta vi erumpentes, & exire contendentes habere, vt non mediocris ei labor in illis comprimendis insit? quid autem regis conditione, & ingenio dignius, aut illustrius excogitaueris, quàm proprio & iustissimo affectui renuntiare, ne tristi & mœrente Principis vultu subditorum animi, qui ad eius exemplum se componunt contristentur? Vt vel hinc videas, quomodo suum negotium Princeps agere non debeat, cùm vel in iustissimis lachrymis coram suis cohibendis opportunè laboret, is ergo verè regius vultus est, qui animo suo, siue de propriis, siue de

A subditorum peccatis dolenti lachrymas die cohibitas noctu cum vsuris largiter persoluit, die autem coram aliis serenus est: vti de Domini vultu dicebat V- *Vuerric.* uerricus: *vultus tuus sicut in tristibus, sic in lætis sibi modestus, serenum ac totus arcano lumine cordis floridus, iustus hilaris, & iucundus, pœnitentibus clemens, & pius*: Equidem si amicus amico animi mœrorem vultu optimâ ratione iureque exigente negabat, pectore dolorem opprimens ne illi tristitiam afferret, sic enim de seipso S. Paulinus *Paulinus.* Ausoniu elegantissimè scribebat.

——— Ipso te lædere vultu
Semper, & incautâ timui violare figurâ:
Cumq; tua accessi veneraus, mea cautiùs ora
Composui, & læto formaui lumine frontem
Ne qua vel à tacito contractam pectore nubem
Duceret in sanctam suspicio falsa parentem

Quæsito verbo *lædere* innuens, amicum à tristi amici vultu lædi, & quasi iniuriam pati, quantò fortiori iu- B re regium munus Principem strinxerit, dolorem lachrymasque cohibere, ne subditis, quibus solatio, & firmamento esse debet, tristitiæ, & mœrori sit. Ita planè Sidonius Apollinaris Epiphanium Præsulem *Sid. Apol.* in mœrore animi, vultu ridentem sic facit: *Ridebant gena, etiam cum animus mœstitudine torpuisset.* Et magnus Poëta Æneam, in quo optimum Principem effingere studet, dolorem corde prementem, vultuque bonam spem ad suorum animos erigendos simulantem ita inducit 1. Æneid.

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Qua omnino de causa Seneca Polybio Claudij Cæ- *Seneca.* saris Administro, & publica negotia eius nomine tractantium amissi fratris luctu non nisi interius mœrere sic permittit in consolatione ad Polyb. cap. 24. *Quod duces magni faciant, rebus afflictis, vt hilaritatem de industriâ simulent, & aduersas res adumbratâ lætitiâ abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur: Id nunc tibi quoque faciendum est. Indue* C *dissimilem animo vultum, & si potes, proiice omnem ex toto dolorem: sin minus, introrsum abde, & contine, ne appareat.* Quia videlicet qui non priuatam gerebat personam, sed publicam, & aliorum lachrymas exsiccare debebat, suas priùs erat exsiccaturus, imò cohibiturus. Inde sic pergit cap. 26. *Multa tibi non licent, quæ humillimis, & in angulo iacentibus liceat. Magna seruitus est magna fortuna. Non licet tibi quidquam arbitrio tuo facere. Non licet tibi, inquam flere, vt multos flentes audire possis.* Quod quidem à ratione Cæsarem ipsum premente sic statim confirmat: *Cæsari quoque ipsi cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, sibi eripuit.*

5 Est etiam huic rationi illa maximè affinis, Principis vultum, in quo animi sapientia, ac proinde Dei imago peculiari ratione elucet, in suo semper splendore & statu firmiter retinendum quin ignobilis alicuius affectus signis obscuretur, sed sicut in tristibus, sic D in lætis modestus ac serenus, ac totus arcano lumine cordis floridus sibi constet. Nam si de boni viri fronte nullam ob causam contrahenda Senecæ dicere licuit *Idem.* lib. 3. de ira cap. 33. *Si totam mihi ex omnibus metallis, quæ cum maximè depromimus, pecuniam proferas, si in medium proiciat quidquid thesauri tegunt, auaritia iterum sub terras referente, quæ malè egesserat, omnem istam congeriem dignam non putem, quæ frontem boni viri contrahat*: quid de Regia fronte, quæ tamquam quid sacrum atque diuinum, quod omnia mouens, immobile & inaccessum est, dicere, aut excogitare fuerit operæ pretium? Sanè, cum impio Regi Balthasari in prophana & impura mensa sacra & Deo dicata vasa turpiter constupranti horribiles illi apparuerunt digitorum articuli, qui obscuras quasdam notas lethale quiddam non obscurè portendentes efformabant, atque ad ipsorum aspectum

ipse

Dan. 5.6. ipse sic cohortuit Daniel. 5.6. *Facies Regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua ad seinuicem collidebantur*: à Regina, quæ aut coniux, aut mater eius esse creditur, ita ob faciem immutatam signatè reprehensus dicitur *Dan. 5.10.* vers. 10. *Non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur.* Sed quid ô fortis, siue temeraria femina, fuerit mirandum: Principem inter epularum delicias & conuiuantium gaudia securè degentem, subitò tã diri, & immanis spectri, siue quod res erat, tristissimæ mortis imagine perculsum expalluisse? ant cur potiùs ipsum non arguis, quòd animo ita fuerit consternatus, vt compagibus renum eius solutis genua ad se inuicem colliderentur, quod maximi pauoris, & fortioris languoris argumentum est? Responderit tamen Regina, vt alia corporis membra à pauore & languore vacillauerint, regium tamen vultum nulla ratione, nulla de causa, nec ad ipsammet mortis imaginem ignobili pallore, aut tristitiâ deformandũ, corrumpendùmve fore, sed velut Olympi verticem humanorum affectuum nubibus inaccessum in sua serenitate & constantia retinendum, ad eum sanè modum, quo magni illius Patriarchæ Abraham vultus, tam in tristibus, quàm in lætis, nimirùm siue cùm in vnici filij ceruicem strinxit gladium, siue cùm ab illo obtruncando manum Dei iussu reuocauit, idem omnino & immutatus extitit, id ita obseruante S. Zenone Veronensi M. serm. 1. de Abraham: *S. Zen. M.* *A filio ad agnum transtulit dextram semper lætus, & gaudens. Nec mutatus est vultus eius, cum esset victima commutata.* Pro quo quidem Reginæ huius cõsilio Nostri etiam Regis Alfonsi IX. cognomento *el bueno*, regia frons egregiè fideiubet, quam ipse in summo vitæ, & regni discrimine, cui se animosè obiecerat in celebri illo prælio vulgò *de las Nauas de Tolosa* nuncupato, minimè contraxit, aut aliqua ratione immutari passus est: vt Rodericus Ximenez Toletanus Archiepiscopus, qui Regi indiuiduus comes aderat, iuratus testis affirmat, signatè loquens, bonum Regem eâdem animi ac vultus constantiâ, quin vel exterior color, gestúsve immutaretur (in vetusto Codice qui in magni Principis Bibliotheca asseruatur, notanter dicitur *nin mudò el semblante, ni el continente del rostro*) in ipsomet prælij discrimine, & præsentissimæ mortis horrore substitisse.

6 Nec adnotare omiserim præfatam vultus amœnitatem, atque constantiam adhuc etiam in ipsa seueritatis œconomia, id est in iusta iræ dispensatione locũ habere. Nimirùm vt in sontes meritò irascatur Princeps, atque excandescat, at maiestate non præferoci, nec improbâ gestu, sed miti & serenâ in illos inueharur. Porrò cum bonus Dominus præfatis verbis apud Michæam: *Quid contristaui te? aut in quo molestus fui tibi?* Suorum se iudicio submittebat, an aliquid à se fuisset commissum, de quo ipsi iure cum eo expostulare possent, nequaquam quidem negare posset (si tamen id ei ab illis obiiceretur) sæpiùs de illis meritas sumpsisse pœnas, at semper negauit trucem, toruúmve vultum illis ostendisse, quòd adhuc cum eos supplicio afficeret, vultus serenitatem retinuerit. Concinit autem mirè sibimet Dominus cũ in tristissima Passionis nocte sanguineo ipsum sudore ob ingentem angorem, & mœstitudinem peruadente, faciem tunc suam in torrente Cedron lauare peculiaris ipsi curæ fuit, vti S. Bonauentura in meditationibus de Passione c. 75. adnotauit. *Bonauen.* Sed quare? Nónne pulcherrimus ille vultus splẽdor, & syderea oculorum amœnitas quantocyus obnubilandus, & deturpandus erat? Quid ergo Domino cunctas actiones suas summo consilio, & exactissima ratione perficienti faciem ad momentum detergere opus fuit? Sanè, ne aut discipulis cũ quibus statim erat locuturus, tristem, aut infensissimis hostibus quibus obuiam ibat, cruentũ, aut cruenti speciem præferentem vultum exhiberet, quippe vtrumque à Principis facie est alienum. Cui obseruationi omnino adstipulatur P. Maldonatus in id Matt. 9. 30. de Christo duobus cœcis seriò præcipiente, ne cui salutẽ sibi ab eo datam aperirent: *Matt. 9. 30.* *& comminatus est illis Iesus.* Vbi Euthymium Græci verbi significationẽ nimiùm prementem siue emungentem ad hunc modum: *Euthym. Maldon.* *Interminatus est: austerè videlicet intuens, contractis superciliis, commoto capite*: sapienter pungit, quòd gestus à Christi moribus alienissimos ipsi tribuerit: subiicitque: *Nam etsi verbum, quo Græcè Euangelista vsus est interminationem cum increpatione & vocis austeritate, & veluti fremitu coniunctam significat: tamen Christo non est ex hoc verbo, nisi quantum decet tribuendum.* Planè quasi eum ea vocis austeritas, & superciliorum contractio omnino dedeceat. Dixeris vidisse hæc Gentilem Sotionem Græcũ *Sotion.* scrip. de ira cùm ait: *Histrionibus, etsi non iratis, iram tamẽ simulantibus conducit, & confert: at viri boni nec verè etiam irati hac facie & gestu vtuntur.* Opportunè. Nec minus *Seneca.* ad rem Seneca lib. de Clementia: *Quod istud, dij boni, malum est, &c. aspectu suo terrere, ac fugare.*

7 Concludam, si obseruauero ab hac vultus serenitate, siue è contra ab oris tristitia, & contractiore frõte laudatos, aut improbatos apud Scriptores frequentius Principes, vt in Stobæo adducto superiùs *Stobæus.* loco celebrati, & inter Numina positi Iuppiter, Augustus, & Alexander, quibus ipsammet comitatem vultusque hilaritatem peculiarem decorem addidisse ait: contrà verò à Seneca in lib. *in sapientem non cadere iniuriam.* *Seneca.* Attalus Asiæ Rex accusatus: *salutãtem silentio, & vultu arroganti transiens*: vt à Cornel. Tacito in vita Agricolæ Domitianus: *Corn. Tac.* *paratus simulatione, & in arrogantiam compositus*, & lib. 16. Annalium Nero: *minax voce, vultu, oculis inardescens*, à Plutarcho Pericles vultum cũ *Plutarch.* Magistratu arroganter immutans: à Suetonio Claudius Imperator in eius vita c. 30. *Sueton.* quòd dignitatẽ formæ specie, canitieque pulchra ornatam turpiter indecente risu, turpius verò, *trã spumante rictu, tumentibus naribus* dehonestaret: à Plinio li. 7. & à Iuliano Imp. in *Plinius.* Cæsaribus Tiberius quòd cetera callidus, & gubernandi artis apprimè gnarus *tristissimus* à vultu homo haberetur, vt ait Plinius, siue vt irridet Iulianus, quod *Iulian.* *truculentus aspectu, & vultu*, grauia esset: multò autem veriùs à Gregor. Nazianz. *Nazianz.* idemmet serisue Iulianus irrisus, & exsibilatus, non eâ solùm de causa, quòd eãternas cutis & faciei notas, quas in Tiberio carpebat, altiùs ipse animo inustas, & impressas haberet, sed etiam quod buccas indecorè tumentes, & deformitatẽ accersentes impijs inflationibus, ac reflationibus faceret, & cum iudicãdi munere fungeretur, aulam clamoribus, & membrorum strepitu impleret: *Instar nimirum eorum Regum* (inquit falsè & ironicè Gregorius) *qui tranquillitatis, & constantiæ laude quondam florebant, nec etiam si quid molestè illis accidisset, vultũ tamen vllo modo immutabant, aut perturbationis vestigium ostendebant.*

Ad ea verba,

Psallã, & intelligã in via immaculata.

Sermo Principis opportunus primùm, & parcus, & à censura silentij decoctus.

ADNOTATIO XIX.

1 INTER egregia Principis ornamenta virtutesque, sermonis maturitas, & decentissimorum verborum opportunitas præcipuum locũ habet. Res quidẽ, vt nõ omnino facilis, ita magnum Principi decorem, ac splendorem afferens, priuatorum quippe ver-

verba non tantùm volant, sed etiam vt proferuntur, A euanescunt, & perpetua obliuione sepeliuntur. Regij verò sermones, ac si marmori inciderentur, de manu in manum transmissi æternùm durant: ab iisque qualis is fuerit, penitus dignoscitur. Subierat quidem optimus athleta Iob durissima certamina, dum facultates, filios, valetudinem, ipsumque corpus amiserat, nec tamen satis explorata eius virtus, ac fortitudo visa est, nisi tandem sermonis luctam obiret, sic id adnotante *Ambros.* Ambrosio lib. 1. officiorum c. 3. & in exhortat. ad Virginem: *Luctatus fuerat cum affectu patrio: luctatus cum dolore corporis, & ægritudine: oportebat eum subire etiam sermonum tentationem.* Nimirùm Rex, vti ipse erat non tantũ bonus bello, sed bonus etiam eloquio videri, nec armis solùm, sed oratione hostes vincere, nec pulcherrima modò facere, sed optima dicere debebat. *Plutarch.* Sic enim Agesilaus ille interrogatus: *quo pacto quis gloriam inter mortales consequeretur?* Respondisse fertur: *Si optima dixerit, & pulcherrima fecerit:* & apud *Stobæus.* Stobæum serm. 147. Musonius aiebat: *Hoc maximè regium* B *esse, non secus oratione colloquentes, quàm armis hostes vincere*, eaque de causa de Philippo Macedone *Ælian.* Ælianus lib. 4. variæ histor. c. 19. *Non tantùm* (inquit) *dicebatur bonus bello, sed etiam bonus eloquio.* Quæ sanè omnia ab ipsomet Deo firmata, atque sancita videris, cùm res à se primùm creatas, & laudabat & benedictionem illis impertiebat, vt ostenderet bonum se & opere & eloquio: sic id obseruante, & monente *Tertull.* Tertull. lib. 2. adu. Marcion. cap. 4. *Sic & benedicebat, quæ bene faciebat, vt tibi totus Deus commendaretur: bonus & dicere & facere.* Ergo vt totus Princeps commendetur, non modò pulcherrima faciat, sed optima etiam loquatur, vt nõ minus verbis & priuatis sermonibus, quàm publicis legibus suos instituat, ad eum sanè modũ, quo patrimonij sui curatori *Cassiodor.* Rex Theod. aiebat apud Cassiod. lib. 6. epist. 9. *Te non tam destinatis præceptionibus instruimus, quàm vsu serenissimæ collocutionis erudimus. Confabulationes siquidem nostræ erunt tibi instrumenta iustitiæ. quando illud gratum esse perspexeris quod & diuinu potest conuenire mandatu.* Ita Rex ille. C

2 Et verò cùm de sermonis institutione agitur: statim occurrit Sapiens Rex, eius opportunitatem commendans, ac proferẽs dum absolutè pronuntiat: *Prou. 15. 23.* *Sermo opportunus est optimus.* Prou. 15. 23. & Prou. 25. 11. *Prou. 25. 11.* *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo:* siue vt est apud LXX. *Malum aureum in monili sardyo, sic dicere verbum in tempore suo.* Vel vt effert Aquila: *Sermones decoros, & conuenientes illi qui loquitur.* Vt quomodocumque sumamus hoc constet, velle Salomonem, sermonem tempori, ac personę opportunum idem esse cum incredibili quadam pulchritudine, quæ gratiâ, & decore intuentes obstupefaciat: nec lætitiam modò, sed saporem etiam, atque suauitatem afferat, eo omnino sensu, quo dicebat Paulus ad Colossen- *Coloss. 4. 6* ses 4. 6. *Sermo vester sit sale conditus:* temporis scilicet, & personæ opportunitate, ne vmquam omnino quis D loquatur vbi tacuisse melius sit, nec pro voluptate, aut dulcedine: *est enim* (inquit Seneca epistola 105.) *quædam dulcedo sermonis, quæ irrepit & blanditur.* Sed pro necessitate, & vtilitate verba faciat, vti hæc Pauli verba *Exod. 13. 7.* explicauit *Procop.* Procopius in Exod. 13. 7. *non afferetis fermentatum* ad hunc modum: *Sal Symbolum est prudentiæ, quæ restringit, & exsiccat voluptatem fluxam. Quapropter Paulus vult, vt sermo noster sit conditus sale.* Vbi omnino obserua salem & restrictionem, & sapientium simul adumbrare, quòd verba restringere egregia sapientia fuerit. Vides opportunum, & suo tempore depromptum sermonem, optimum atque grauissimũ esse, nec decore solùm, & venustate, sed suauissimo sapore velut prædulcium malorum, aut cibi apprimè *Hieron.* conditi constãtem? audi ergo hæc à Hieronymo Virginem Demetriadem sic admonente: *Sit certa, atque librata, suiq; opportunitate gratissima silentij, verbique ratio, nec vmquam omnino virginis os loquatur, vbi tacuisse melius sit.* Pulchrè illud: *Suique opportunitate gratissima silentij, verbique ratio.* Vt ab opportunitate, tota loquendi, tacendique pulchritudo, atque venustas subsistat.

3 Hinc notantissimè Sacer sponsus sic sponsam alloquebatur suam: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* *Cant. 2. 14.* Cantic. 2. 14. Vbi si ambigas quid voci ad faciem? quasi illius suauitas huius pulchritudini adeò sit affinis, vt nec sine facie vox audiri, nec sine voce facies videri queat? *Ostende* (inquit) *faciem, & sonet vox.* Quare vtrumque simul? Quia *vox* (inquit) *tua dulcis, & facies decora:* Planè ac si dixerit: Quia sui opportunitate gratissima est silentij tui, verbique ratio. Sed enim vt hæc cogitatio omnino subsistat, obserua, vnde faciei spõsæ decor, atque pulchritudo commendetur. Certè eodem Canticorum libro c. 3. 4. & c. 6. 7. cùm similia *Cant. 3. 4.* verba sic præmisisset sponsus: *Sicut vitta coccinea labia* *Cant. 6. 7.* *tua, & eloquium tuum dulce:* statim sponsæ genas sic cõmendauit: *Sicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet:* vbi LXX. pro extremis hisce *LXX.* verbis reponunt: *præter taciturnitatem tuam.* *Chrysost.* Chrysostomus verò hom. 8. ex varijs in Matthæum signatè legit, *propter taciturnitatem tuam:* vt inde omnino faciei pulchritudinem commendet sponsus quòd tacere *Tertull.* sciat, vti pulchrè inquit Tertullian. lib. de patientia c. 15. *Os taciturnitatis honore signatum.* At (inquis) quonam modo hæc taciturnitas cum voce, & eloquio dulci componitur? Quia nimirùm suo tempore tacere nouit sponsa, nec vmquam omnino eius os loquitur, vbi tacuisse melius fuerit. Ergo tunc eloquium dulce, & vox non secus, ac cygni suauiter sonans quando quis loquitur verbum in tempore suo, & sui opportunitate gratissima est silentij, verbique ratio, *Persius.* siue vt ille dixit: *dicenda tacendaq; calles.* Hæc omnium optimè elucidauerit Gregorius Nazianz. qui cùm à C Celeusio Præside tamquam inurbanus, & agrestis notaretur, quòd pauca verba faceret, pulchram in sui defensionem de cygnis, & hirundinibus fabellam hunc in modum afferebat epistola 1. siue vt alij numerant. 3. *Hirundines quondam cygnos cauillis incessebant, propterea quod nec cum hominibus consuetudinem habere, nec canendi artem in publicum proferre vellent, sed circa prata solùm, & flumina canerent, nec pauca solùm canerent, sed etiam quod canerent, sibi ipsis canerent, perinde atque ipsos Musicæ suppuderet. At nostræ, inquiebant, sunt vrbes, nostri homines, & thalami, atque apud homines garrimus, resq; nostras ipsis exponimus, &c. At cygni: O præclara, inquiunt, nos quorum gratiâ quisquam vel in solitudinem concesserit, vt musicam audiat, si quando Zephyro spiranti alas nostras permiserimus iucundum quid, & concinnum modulamur, ita vt etiamsi non multum, nec in multis canimus, hoc ipsum tamen pulcherrimum est, quod iuxta mensuram in concentu philo-* D *sophamur, & musicam nostram nulla tumultuatione confundimus. Vos verò licet domesticas ægrè tolerant homines, & canentes auersantur, & valdè meritò. Nec enim silere potestis, etiamsi lingua excidantur, sed ipsam vocis priuationem, morbumq; vestrum lamentamini, quoniam garrulæ quadam estis, nec eloquentes, nec concinnæ.* Subiicit Gregor. *Intelligo quid loquar.* Opportunissimè quidem, vt ex præfata imagine adstruat, tum sermonem suo tempore prolatum non secus, ac cygneam musicam optimum, atque grauissimum esse: eamque sapientis viri naturam, vt nonnisi spirante Zephyro opportunitate scilicet seruata ad loquendum feratur: tum etiam stulti, ac insipientis esse verba profundere, & quidquid in buccam *Eccl. 10. 14.* venerit opportunè, importunè hirundinis instar proloqui, vti inquit Salomon Eccles. 10. 14. *Stultus verba multiplicat:* quod *Hieron.* Hieron. sic cepit, *multiloquio tegere se putat*

Olympiod. *putat stultitiam*: pergit verò Olympiod. *& quidquid dicat, importunus est, ac molestus*: non secus planè, ac hirundo, quæ non concionat, nec eloquens, sed garrula, & importuna videtur.

4 Accinunt præfatis Canticorum verbis illa eiusdem Salomonis *Prou.31.* Prou.31. 26. de forti, & lectissima femina: *Os suum aperuit sapientia.* Nam in primis in *Lect. Heb. LXX.* Hebræo est *sapienter*. Qua autem ratione os suum *sapienter* aperire dicatur, optimè exprimunt LXX. reponentes: *Os suum aperuit attentè & legitimè, & ordinem posuit linguæ suæ*: vt videlicet à circumspectione, siue accuratâ, & attentissimâ consideratione sapiens loquendi modus desumatur: sub quo planè sensu Tertullian. *Tertull.* *Virgil.* libr.1. *ad nationes* è Christiano Oratore sese Virgilij Scholiastem, & interpretem reddens, illa eius verba de fama,

Fama malum, quo non aliud velocius vllum.

sic pendit, vt ideò fama malum sit, quod non attentè & consideratè, sed velociter loquatur: ait enim: *Fama malum. Quare malum? quia velox.* Sed enim peculiaris subinde epitasis Vulgati lectioni subest, dum Christi sponsam nō nisi ipsimet sapientiæ, hoc est Dei verbo os suum aperuisse dicit: planè quasi prior ipse ad oris *Cant.5.2.* ostium pulsauerit, quod quidē Cant.5.2. sic habetur: *vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea.* Audis clausum oris ostium? & ad id ipsummet Dei verbum pulsans? Eo Ergo quomodo et illud sponsa aperiat: *os suum* (inquit) *aperuit sapientia*: dum videlicet non nisi verbo Dei pulsanti, oris ostium verba Dei locuturi, nam quid Dei verbo, nisi Dei verba respondeant, *Ambros.* aperiatur: scitè id omne obseruante Ambros. lib.3. de Virginibus ad hunc modum: *Sponsus ipse vult clausam esse ianuam cum pulsat. Ianua nostra, os nostrum Christo propemodum soli debet aperiri, nec aperiatur nisi antè pulsauerit Dei verbum. Denique ideò scriptum est*: Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, *ne facilè aperiat os suum, nec vulgari resignet alloquio. Nec enim de ipsis diutius decet, nisi interpellatus, respondeas.* Pulchrè vt adstruat tum nos Dei verbo oris ianuam aperire cùm *attentè, & legitimè & ordine posito* loquimur. Vnde sic statim pergit: *citò verbum excidit, quod reuocare desideres. Si Euæ clausa fuisset ianua, nec Adam deceptus fuisset, nec respondisset. Introiuit mors per fenestram, hoc est per Euæ ostium. Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, postremò, si vbi non oportet loquaris.* Hæc ibi, & alia opportuna Ambrosius.

5 Iam hæc Principi omnino aptauit Dominus, cū Petro summo omnium pastori ad soluendum tam pro se, quàm pro illo tributum, staterem ex ore piscis extrahere sic præscripsit: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te*, Matt.17.26. *Matt.17. 26.* Magnum procul dubio miraculum & cælestis doctrinæ plenum, dum siue res ipsa siue verba scientiam labiis custoditam & suo tempore, mensuratè, & ad pondus depromptam adstruunt. Nimirùm si ad vocem spectes *stater* græcè pondus significat, vnde iustitiæ, quòd suum cuique reddat, statera tribuitur: & cùm idem sit stater, ac tetradrachmum, siue duo didrachma, quod accommodatius videbatur ad explicandum tributum, quod pro Domino, & pro Petro pēdebatur, signatè siue à Matthæo, siue à nostro Vulgato, ne mysterij sapor obtunderetur, ea vox retenta fuit. Deinde, quid mysterio opportunius, quàm staterem non in ventre piscis, vbi quam deglutiunt pecuniam habere solent, sed in ore inueniri? vt inde Petrus Princeps moneretur, quomodo sermonis censum deinceps solueret, verba scilicet in pondere, & mensura, nec nisi à iustitia, & rectitudine deprompta, vt quod *Hieron.* superiùs dicebat Hieronymus: *Sit certa, atque librata suique opportunitate gratissima silentij verbique ratio.* Optimè id adnotante Ambrosio epistola 1. ad hunc mo- *Ambros.* dum: *Bonus census Christi, qui statere soluitur, quia statera iustitia est. Hic stater in ore piscis inuenitur, illius piscis, qui statera ponderat sermones suos, vt igne examinatos proferat*: & post nonnulla: *Deo soluitur oris custodia, qua est sermonis sobrietas.* Ergo non in manu solùm, sed in ore stateram Princeps habere debet, vt libratos examinatosque sermones proferat, rei, temporis, & personæ circumstantiis maximè opportunos, vt noster Princeps quæsitis vocibus à Domino efflagitabat Ps.140. *Ps.140. 3.* 3. inquiens: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Ad quæ verba Theodoretus: *Duos* *Theod.* (inquit) *parietes opifex linguæ dedit, nimirum dentium, & labiorum, temerarios eius impetus cohibens. Verumtamen Vates, & vt alias custodias consequatur, obsecrat, timens ne quid indecorum dicat*: Pulcher, & ingenuus in Principe timor: ideò notanter *ostium circumstantiæ* petit: & bene quidem *non dixit claustrum* (inquit ibi Augustinus) *August.* *sed ostium*: quod *ostium & aperitur, & clauditur*: vt ab opportunitate & circumstantia labiorum ostium claudatur, & reseretur: nec vmquam omnino Principis os loquatur, vbi tacuisse melius sit. Quæ quidem omnia sic in Amalesuentha Regina opportunè celebrabat Theodahadus Rex apud Cassiodorum lib.10. epi.4. *Cassiod.* *In tractatibus acuta, sed ad loquendum summa moderatione grauissima. Hæc est regalis procul dubio virtus, celerius necessaria sentire, & tardius in verba prorumpere. Nescit enim pœnitenda loqui, qui proferenda priùs suo tradidit examini.* Sic ille.

6 Fuerit verò iam illud omnino obseruandum hanc sermonis opportunitatem, atque decorem à silentio, siue sermonis parcitate, & restrictione quasi naturali partu generari, vti innuebat Paulus, monens sermonem sale condiri: quippe sal restringere, & exsiccare solitos, tunc sermonem condire videtur, cùm illum priùs restrinxit, atque exsiccauit. Vel vide à quo patre vox ipsa, Ioannes inquam, qui proprio nomine, & munere, quod nulli mortalium contigit, *vox clamātis* dictus est: Isai.40.3. Ioa.1.23. sit progenitus; à Za- *Isai 40.3. Ioa.1.23.* charia nimirùm cùm in suæ incredulitatis pœnā mutus à Deo redditus fuit, vt habes Luc.1.20. dicēte An- *Luc.1.20.* gelo: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant.* Planè vt diuina vindicta nō tam supplicium quàm documentum foret, vocem numquam opportuniùs, quàm in silentio siue à silentio generari, vti ad id loci obseruarunt Venerab. Galfridus & Petrus *Galfrid.* Chrysolog. in allegoriis Gotfridi Tilmani, sic enim prior: *Non vacat à mysterio quod mutus pater Ioannem genuit, qui vox clamantis fuit: semper enim melius vox in silentio generatur, & spiritualis otij quiete sapientia foris proferenda percipitur.* Nec aliter Chrysolog. *O quanto silentio* *Chrysol.* *vox nascitur! O quanta taciturnitate tuba inclamatura sæculi generatur!* Vt vel hinc, noueris sermonis sobrietatem siue silentium non modò sapientissimarum cogitationum (sic enim de illo dixit S. Diadochus lib. de *S. Diadoc.* perfectione spirituali c.70. *Præclara res est silentium, ubique aliud, quàm mater sapientissimarum cogitationum*) sed opportunissimorum verborum parentem esse.

7 Bene quidē id nouerat S. Ezechiel, qui verbi mi- *Ezech 3. 4 & 15.* nister à Deo constitutus ad tacendum se contulit. Etenim cùm et hæc Dominus dixisset c. 3. 4. *Fili hominis vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos*, ipse iuit quidem, sed silentio & quieti se dedit: sic namque subiicit vers.15. *Et veni ad transmigrationem ad eos qui habitabant iuxta flumen Chobar, & sedi vbi illi sedebant, & mansi ibi septem diebus.* Quod si inquiras: Quî is qui ad loquendum mittitur, nunnisi de silentio cogitet? Nū loquendi officio tacendo satisfit? aut perfectæ obedientiæ fuerit moras nectere? Respondet ad id luce Greg. M. hom.11. in Ezech. tunc maximè muneri suo *Greg M.* Vatem satisfecisse, & de rectè loquendi officio cogitasse

tasse cùm tamdiu tacuit, vt à silentio verborum formam normamque loquendi edisceret. Audi illum: *Et priùs quàm verba faceret, in hoc quod mærens tacuit, formā verborum sumpsit*; & post pauca: *Missus autem ad prædicandum fuerat, & tamen septem diebus silens tacebat. Quid est hoc quod nobis Propheta sanctus in hoc silentio innuit: nisi quia ille loqui veraciter nouit, qui priùs bene tacere didicerit? Quasi enim quoddam nutrimentum verbi est censura silentij.* Opportunissimè. Pende nutrimenti imaginem, siue illam ab igne, siue à viuenti desumpseris. Planè vt ignis à lignorum nutrimento, quod eùm defecerit, extinguitur, & hominis vita à cibo omnino subsistunt, ita verborum opportunitas & rectitudo à silentio nutritur, viresque & vitam accipit. Vnde si illud tollas, verborum quidem formam & opportunitatem omnino abstuleris, nec vitæ sermones, sed languentes & emortuos deprompseris: sic hæc admonente Ambrosio præfato sermon. 4. in Psalm. 118. *Ceterùm is quicumque est facilis in verbis velut plenum rimarum hæc atque illac effluens interiora euacuat sua, & exterioribus passionibus inundatur tegere se nesciens*: vt ergo rectè atque veraciter loqui noueris, benè prius tacere addisce, & à censura silentij sermonis nutrimentum: concocta scilicet, & matura verba sume.

Ambros.

Ad eadem verba.

Principis sermonem non arrogantem, sed modestum esse debere.

ADNOTATIO XX.

1 OMNIS quidem optimus, & Principi opportunissimus sermo à Sidonio Appollinari egregiè præscriptus mihi videtur, hunc in modum, libro 8. epistola 13. *Sine ineptia grauis, sine fastidio facetus, sine asperitate constans, sine popularitate communis*: iis enim veluti gemmis pulcherrimè ornatus, & mira suauitate conditus redditur. Sed enim, ne longissimi simus, duo illa tantùm, quibus & *sine ineptia grauis, & sine asperitate constans*, id est, modestus, ac mitis sermo Principis asseritur, persequi placet, quod hæc illi opportunissima fuerint. Et eò, vt à sermone sine ineptia graui incipiam: à maturo scilicet, atque decenti, quin arrogātiam, & insolentiam, cui ineptia, & inanitas adfinis est, sapiat, sermonem cum ineptia grauem opportunè primùm proposuero: illum nimirùm, quo suas dotes, atque virtutes ille Deo, & hominibus inuisus Pharisæus, sic apud Lucam prædicabat, c. 18. 11. *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus: ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Grauis quidem si attendis sermo, sed cum ineptia. Cur (inquis) cùm ille nihil falsum, & à veritate aberrans dixerit? Planè quòd, vt vera essent, quæcumque ille asserebat, at dum sese ipsum commendabat, atque efferebat omnino ineptire videbatur, optimè id sic adnotante Ambrosio serm. 3. in Psalm. 118. *Non mentiebatur Pharisæus, imò etiam vera dicebat, sed omnis qui se exaltat, etiamsi vera dicat, offendit*: quippe vt sapienter admonet Chrysostomus hom. 5. de laudibus Pauli: *Extrema dementia est, nulla imminente necessitate, & necessitate violenta, propriis laudibus velle decorari: non est hoc secundùm Deum loqui, tidcium potius est illud infamia.* Pende illud: *nulla imminente necessitate, & necessitate violenta*: quòd propriæ laudes nonnisi à necessitate, quæ velut mors immineat, siue vt superior potentia vim afferat, proferendæ, imò extorquendæ fuerint.

Sid. Apol.

Luc. 18. 10.

Ambros.

Chrysost.

2 Sit ergo signatè Principi sermo *sine ineptia grauis*, qui vt de se magna prædicare, ingētes laudes referre, florentissimam fortunam, & regnorum magnitudinem iactare valeat, pateat tamen, & à celebrandis propriis virtutibus abstineat, & in magnitudinis suæ cōmemoratione magnā moderatione vtatur, Regum Regem sibi in exemplar adsumens, qui quò maior ac diuinior erat, maioraque, & admirabiliora perficiebat opera, eò de se ipso, & de suis operibus submissius & moderatius loquebatur. Fuit quidem ipsi aliquando opus, discipulis suadere suis, vt in se crederēt, quòd Dei Filius & Deus esset, sapidissimo planè modestiæ condimento necessariam laudationem suam temperauit, hunc in modum: *Sic Deus dilexit mundū, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternā* Ioan. 3. 16. Pende singula ex Ruperto egregiè ibi omnia pensitante, & primùm: Qui ad sui commendationem iure dicere potuit: Sic ego dilexi mundū, quid enim mundo certius, quàm ab ipso summè fuisse dilectum, qui pro illo semer in pretium dedit? dicente Paulo: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*: ad Galat. 2. 20. quod planè ad suum institutū maximè faciebat, vt hominesad se alliceret; quid namque efficacius ad permulcendos animos amore, & amoris testatione? modestiā tamē omnia vincente maluit dicere: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Audi Rupertum ibi: *Cum dicere posset: Tantum ego sum, vt credentem in me totum possim redimere mundum, tanta, inquit, dilectione Deus dilexit mundum, vt pro illo in pretium daret Filium suum vnigenitum.* Deinde, vide vt diuinitatem suam minimè iactet, nec aperto ore Deum se esse pronuntiare velit, vt quamuis necessariā id ratione ex fide in se ipsum quam exigebat, subinferatur, aliis tamen aduertendum, quàm à se prædicandum voluerit. Quod sic diffundit indidem Rupertus: *Nam si credendum in illo est, consequitur, quia Deus est: hoc ergo consequebatur, vt diceret, quia Deus sum, quia Filius Dei sum, quia Dei Patris vnigenitus sum. & hoc subtungit sed cum tanto condimento sapientiæ, & humilitatis, vt illā non tam seipsum commendare, vel gloriam propriam quærere quàm necessariam auditorium salutem optare manifestum sit.* Et post pauca: *Quantum habet gratiæ, & pulchritudinis, quod dum causa necessaria poscit, vt se fateatur esse Filium Dei, ostentationem declinans, imò declinando se esse quod erat insinuans ad commendationem dilectionis Dei confugit: dicens.* Sic Deus dilexit mundum. Opportunè illud *confugit* quasi à propriæ potentiæ, magnitudinis, & virtutis suæ iactatione fugeret, vt à re sibi, velex eo quod tantus esset, ac talis, maximè diffonā. Egregium Principibus documentum, vt eorum *sermo sit sine ineptia grauis*: dum de se, & de sua magnitudine verba facturi, eo sapientiæ & modestiæ cōdimento vtantur, vt audientibus quidem intelligendum relinquant, nō ipsi ex professo iactent. Ad quem etiam modum ipsemet Dominus apud Lucam c. 10. 23. discipulis suis aiebat: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Vbi scitè Cardin. Toletus in commentatio: *Modestiæ causa non dixit, qui me videtis, sed qui* vident quæ vos videtis, *seipsum significans*: vt magnitudo, & propria excellentia necessaria exigente causa subobscurè significanda, non palam iactanda fuerit.

Ioa. 3. 16.

Ad Gal. 2. 20.

Rupert.

Luc. 10. 23.

Tolet.

3 Cui cogitationi & illa etiam Domini fuerit peropportuna responsio, apud Lucam cap. 9. 58. cum dicenti: *Sequar te quocumque ieris*: sic occurrit: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Sed quid est, nō habet? cui omnia dedit Pater in manus, & à quo omnes omnia habent, nur quomodo nō habeat, cui vel hypostaticæ vnionis ratione rerum omnium dominium, atque imperium cōpetit? Respondebit Scholasticus: Debitum quidem Christo ea ratione florentissimum rerum omnium imperium, at ipsum exinanisse, atque euacuasse semetipsum: & suo iuri renuntiasse, vt pro nostra redemptione & institutione spontaneam paupertatem

Luc. 9. 58.

rem amplecteretur, quod omnino significauit Apostolus, cùm 2. ad Corinth. 8. 9. inquit: *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopiâ vos diuites essetis.* Bene quidem verum id fuerit, fateor, & amplector, at ei rationi subnixus, rursum ambigo, cur tum Dominus non dixit, quod subinde affirmauit Paulus, & ad morum institutionem mirè faciebat, se quidem naturâ diuitem, Principem, & Regum Regem esse, sed nostra causa externam maiestatẽ abdicasse, & adeò egenum redditum fuisse, vt non haberet vbi caput suum reclinaret? Respondet verò Chrysostom. ad egregiam Christi in verbis suis moderationem atque modestiã spectasse, quod illustre atque eximium erat, silentio tegere, & aliis scribendum, prædicandumque relinquere: sic enim ille hom. 18. in Matth. *Quodque moderatissimè protulit, inde patet, quoniam non dixit, habere se quidem pecuniam, sed despicere, sed nihil se prorsus habere, vt tu hinc perpẽdas, quàm mirabilis esset in eo humilitas.* Atque vt hinc Princeps norit, tantò eum plures laudum, ac virtutum suarum scriptores, & præcones habiturum, quantò in ipsarum præconio moderatiùs, & modestiùs ipse se gesserit atque locutus fuerit.

2 Cor. 8. 9.

Chrysost.

4 Habet verò plurimum gratiæ, & pulchritudinis, vt quò maior Princeps est, maioraque, & excellentiora opera facturus sit, eò modestiùs, atque submissiùs loquatur. Sic quidẽ Dominus excellẽtius inter omnia miraculum facturus, quod miram ipsius potentiam, & diuinitatem erat manifestaturum: quatriduanum videlicet Lazarum à mortuis ad vitam reuocare, tanta verborum moderatione vsus est: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum,* Ioan. 11. v. 11. Pende immẽsam factorum, verborumque distantiam. Facto quippe nihil maius, illustrius, atque diuinius excogitari potuit. Verbis nihil demissius, abiectius, infirmius exprimi valuit. Quid enim sic inter diuina opera emineat, emicetque quàm fœtido cadaueri vitalem vim, vires, spiritumq; reddere? quid verò cuiuis siue puero, siue cani, siue culici facilius, aut expeditius fuerit, quàm dormientem excitare? Ergo ad miraculi immẽsitatem demissiorum verborum mẽsuram adiungit: pulchrè id Chrysostomo, Theophyl. & Basil. Seleuciẽsi adnotantibus: sic enim à Chrysostomo Theophylactus: *Cuius autem gratiá non manifestè dixit sed occultè, mortem somnum nominãs? Quia à fastu erat alienus, nolebat enim ad ostentationem fateri, sed occultè resurrectionem, excitationem à somno nominauit. Quod autem hoc verum, propter modestiam, inquam, occultè locutum, manifestum est ex eo quod sequitur. Nam dicens,* mortuus est, *non addidit, vado, vt resuscitem illum. Vides quomodo abhorruerit à fastu, quomodo noluerit celebrare ea, quæ facturus erat.* Sic ille. Sed Basilius verba cum factis sic composuit oratione 42. *Hoc enim sapientia est verbis demissionem animi, factis potestatem demonstrare:* vt nimirùm potestas & magnitudo à factis, non à lingua demonstretur, imò hæc priùs deprimat, quod illa prædicatura sunt: siue quod reapse, vt rã operibus quàm verbis nouus subinde splendor, & ornamentum accedat, splendorẽ & magnitudinem illis indat, sapiẽter id adnotante Iobio Monacho in commentariis de *Verbo Incarnato* li. 7. c. 31. vbi inter alias quas assignat causas, cur Dominus in mirabilium operum patratione verborum humilitatem adhibuit, hanc signatè ponit: *Quia verborum splendor non omnino actiones simul emicare facit, cùm tamen naturã excedentium, & diuinorum operum patratio, verborum vnà secum humilitatem extollat.*

Ioan. 11. 11

Chrysost. Theophyl.

Basil. Sel.

Iob. Mon.

5 Enimverò egregia hac verborum modestia, atque demissione diuinos dominorum mores vndequaque expressisse, vel exinde liquet, quod superbissimo Rege Assyriorum Sennacherib immania nõ modò in Regem Ezechiam, sed in ipsũmet Deum pro-

Velasquez in Psalm. centesimum.

bra atque blasphemias hunc in modum effutiente: *Hæc dicit Rex magnus, Rex Assyriorum. Quæ est ista fiducia, qua confidis? Aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis?* Isaiæ 36. 4. v. 18. *Non conturbet vos Ezechias dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberauerunt dij gentium vnusquisque terram suam de manu Regis Assyriorum? Vbi est Deus Emath? & Arphad? vbi est Deus Sepharvaim? Numquid liberauerunt Samariam de manu mea? Quis est ex omnibus dijs terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, vt eruat Dominus Ierusalem de manu mea?* Atque ea de causa Ezechia legatos ad Isaiam mittente, vt rem totam per orationem Domino commẽdaret, ipse, qui blasphemum Regem pro meritis punire decreuerat, horribili videlicet strepitu exercitum delere, regemque in ignobilem primùm dare fugam, deinde gladiis filiorum suorum occumbere: hæc omnino respondisse fertur, Isaiæ 37. 6. *Hæc dicit Dominus: Ne timeas à facie verborum, quæ audisti, quibus blasphemauerunt pueri Regis Assyriorum me. Ecce ego dabo ei spiritum, & audiet nuntium, & reuertetur ad terram suam,* &c. At, cur, vel vt bonum Regem Ezechiam plus plus solaretur, vel vt blasphemo Regi potentiam suam iactanti par pari referret, quidquid potentiæ, & fortitudini suæ innixus facturus erat, non è vestigio aperuit? Quid enim fuisset opportunius? quàm terribilibus statim minis barbarum illum compungere, infamiam fugæ, castra profligata, centum & octoginta hominum millia vno mucrone deleta, ipsumque Regem à filiis coram diis suis interficiendum ei obiicere? Occurrit dubitationi huic ibi Hieronym. respondens, non fuisse è dignitate Dei quidquid facturus erat proferre, ne potentiam suam iactare videretur. Sic enim ille Deum loquentem facit: *Noli timere verba, quibus non tu, sed ego sum blasphematus. Nec dico vniuersa, quæ Regi Assyriorum sim facturus, ne meam videar iactare potentiam, sed quod dandum sit ei spiritus non Dei, sed aduersarius.* Ergo verborum splendor, & potentiæ iactatio non omnino actiones emicare facit: imò quod scitè dicit Corn. Tacit. libr. 1. histor. *Ignauissimus quisque, & in discrimine ipso minimum ausurus: nimij verbis, lingua feroces.* Contra verò potentissimus, & plurimum aggressurus, & perfecturus modestissimè loquitur, vt & verbis, & factis nouum decorem, & venustatem afferat.

Isai. 36. 4. & 18.

Isai 37. 6.

Hieron.

Corn. Tac.

6 Illud verò è hac re maximè fuerit, tanti quidem esse verba modesta, quæ humilitatẽ sapiant, vt factis, iisq; egregiis ab elata lingua celebratis superiora sint. Quod planè in præfata Pharisæi, & Publicani historia initio adnotationis allata facilè videris: *Nam descendit hic* (inquit Dominus Lucæ 18. 14.) *iustificatus in domum suam ab illo:* Sed quãobrem? Quæ rogo præclara edidit opera? quas virtutum egregias actiones exhibuit? Ieiunauitne? aut decimas omnium, quæ possidebat reddidit? Audi totam iustitiæ suæ summã, *à longe stans nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suũ dicens, Deus propitius esto mihi peccatori.* Cõtrà verò Pharisæus, & gratias Deo egisse, & bis in Sabbato ieiunasse, & decimas reddidisse, & à cæde, iniustitia, & impuritate manus cõtinuisse, indidem singillatim testatus est, & tamẽ tantus hic bonorum operũ thesaurus, præ modestis peccatoris verbis lõgè posthabitus, & cum ignominia reiectus est, vt sapienter expendit Chrysost. hom. 4. de verbis Isaiæ hunc in modum: *Peccator iustum superauit, publicanus Pharisæum, & verba factis fuẽre superiora. Quomodo verba? Publicanus dicit:* Deus propitius esto mihi peccatori: *Pharisæus dicit:* Non sum sicut ceteri homines rapax, auarus, sed quid? ieiuno bis in Sabbato: decimas do de facultatibus meis: *Pharisæus opera iustitia præstabat, publicanus verba dicebat modestia, & verba plus potuerunt quàm facta, tantusque thesaurus cum ignominia reiicitur, & tanta inopia in diuitias commutata est.* Hæc Chrysostomus. Vides

modesti, atque humilis sermonis præstantiam, & præ egregiis factis superbè iactatis eminentiam?

7 At enim ne cùm ex Chrysostomo verba factis superiora facimus, illis nos plus iusto tribuere crediderit, omnino obserua (quod ad Principis etiã dignitatem mirè facit) in verbis, non tam verba, quàm animum velut de facie agnosci, atque laudari: quippe
Prou. 10. 12. Vt alibi sum longiùs persecutus: *Vena vitæ os iusti.* Prou. 10. 12. hoc est, nihil aliud fuerit os, siue sermo hominis, quàm ægri vena, siue pulsus, à quo cordis status
Seneca. siue valetudo, vita, aut mors diiudicetur, nam Seneca epist. 114. auctore: *Talis hominibus fuit oratio, qualis vita*: & epist. 115. *Oratio vultus est animi*; & Romulo apud
Meliss. Melissam sermone 48. tom. 5. Biblioth. monente: *Vas fictile ictu & sono, homo sermone probatur.* Ergo cum Dominus ex verbis publicanum absoluebat, Pharisæum damnabat, non tam verba, quàm animum sese per sermones suos ostendentem ad instar medici ex vena & pulsu cor contemplantis attendebat, & in humilibus, atque modestis verbis animum, non modò modestum, atque submissum, sed etiam rectum, & in solido stantem inspiciebat, in arrogantibus verò atque superbis hominem inanem, & nullius frugi, qui non virtutis, sed laudis amore bona opera fecisset, omni-
Plin. Iun. no intuebatur: sic sanè suprà citatus dicebat Plinius: *qui benefacta sua verbis adornant, non ideò prædicare quia fecerint, sed vt prædicarent, fecisse creduntur.* En animi inanitatem ex verbis patefactam. Subsistit quidem hæc vndequaque cogitatio ex infelici Petri lapsu à Domino antè cognito, atque prædicto. Talia etenim illi audacter iactanti: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor*: sic Dominus obuiam iuit: *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter*
Matt. 25. 33. *me negabis.* Matth. 26. 33. & 34. Sed enim nec promissione facta conterritus Petrus, nec lapsus sui prædictio-
Marci 14. 31. ne deterritus: *ampliùs loquebatur* (inquit Marcus 14. C 31. *Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo.* Quid? nonne iactatione Christum de sententia decedere volebat? imò potiùs illum plus plus in prædictione, & crisi facta firmabat, non secùs ac æger, qui Medico ex illius vena mortem iuxta artis suæ crisim & prognostica prædicenti, venam magis, ac magis
August. ostenderet, pulchrè hæc omnia obseruare Augustino in Psalm. 140. non longè à fine, vbi cùm dixisset: *Sed quid de discipulis tuis, ô Christe? Ecce cum ferueret persecutio, quãdo dimiserunt te omnes solum, & ierunt vnusquisque in sua, prædixisti hoc, quia prauidisti. Non enim quia tu prænuntiasti, tu fecisti, aut tu in quoquam te negasti.* Subiicit: *Et vnus ille audax, qui tibi promiserat, quia tecum esse vsque ad mortem, audiuit quidem à medico quid in se ageretur ægrotus Febriens enim sanum se dixerat, cordis venam illi tangebat.* Pulchrè, vt dicere videatur: Non modò quà Deus cui omnia, tam futura, quàm præsentia patent, sed D quà animarum medicus, & cordium ex verbis inspector Petro lapsum prædixit, quippe dum is tanta de se iactabat: *cordis venam illi tangebat*, & febrim quâ æger ad mortem ibat perspiciebat. Vt vel hinc à verborum arrogantia maximè caueat Princeps, ne velut æger ex vena inanem se & nullius frugi audientibus patefaciat.

Ad eadem verba.

Optimi Principis verba non dura, & ardentia, sed mitia, atque benigna esse.

ADNOTATIO XXI.

1 EN alterum quod in Principis sermone exigebat Sidonius: *Sine asperitate constans*: vt à verborum acerbitate etiã cum iustè iratus est caueat, quòd excelsus animus, vt re ipsa, & factis se vindicet, ardentibus tamen & acerbis verbis nec in ipsosmet infen-
A sissimos hostes vtatur, sed placidus sẽper atque tranquillus vocem moderatam, sermonesq; vt à pectore sedato compositos, atque suaues edat, vti de Sponsa sua Sacer celebrabat Spõsus superiùs adductus Cant. 4. 13. *Emissiones ex ore tuo paradisus*: quasi ab illius ore nihil non vitale, nihil non suaue, & quod paradisum redoleat, spiret, vti Claudian. in Manlian. dixit: *Cant. 4. 13.* *Claudian.*

Seruat inoffensam diuina modestia vocem.

Vel vide quomodo Dominus ipsummet traditorem etiam cùm scelus suum, & flagitium omniũ flagitiosissimum perficiebat, fuerit allocutus. Credisne ipsũ tunc voce feroci interminatum? aut ferreo conuitio impudentissimum illius os verberasse? siue fremitu verbera poposcisse? imò verò sic blandè suauiter, & amicè illum conuenit, vt eius ex ore paradisus videretur spirare: *Amice (inquit) ad quid venisti?* Matth. 26. 50. & apud Lucam c. 22. 48. *Iuda osculo filium hominis tradis.* Pulchrè hæc verba sic expendẽte Theophyl. in *Matth. 26. 50.* *Lucæ 22. 48.*
B Catena Græca: *Quanta Domini patientia, & malorum tolerantia est, vt & proditorem osculetur, & amicè compellet verbis! Non enim dixit: O scelesta! imò scelestissime proditor haccine mihi pro tot, tantisque beneficiis rependis? Sed quomodo cõpellat? Iuda, inquit, quæ miserentis, & à scelere illum reuocãtis potiùs vox erat, quàm irati.* Quàm opportunè ipsi, quod de Principe suo superiùs dicebat Claud. aptaueris: *Theophyl.* *Claudian.*

Et placidus delicta domas, nec dentibus vnquam
Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.

2 Ad quẽ modum Lazarum idem Dominus suscitaturus primùm quidem *infremuit spiritu.* Ioan. 11. 33. fremitum scilicet indignationis indicẽ edidit, ac subinde cum ipsomet defuncto verba facturus, notãtur in semetipso infremuisse, id est, fremitum intra se ipsum cohibuisse, sic dicitur v. 38. *fremens in semetipso venit ad monumentũ.* Quod si inquiras, cur anteà fremitum exterius dederit, & indignationem ostenderit; *Ioan. 11. 33. & 38.*
C postea verò & fremitum, & indignationẽ cohibuerit? Facilis est respõsio, primùm quidem non cum homine, sed cum morte, peccato, & mortis ac peccati auctore veluti certamen commisisse, vti August. Beda, Theod. Heracleotes, & Cyril. Alex. obseruant, ideò indignationis signa fremitu, & interminatione dedisse. Ecquis enim Princeps in eos qui subditis suis acerbissimam mortem inferunt non excandescat, indignetur, & fremat? deinde autem vultum, & orationem ad Lazarum conuertisse: subditum autem allocuturus, siue defunctum, id est, peccatorem ad vitam reuocaturus, non erat, cur exteriùs fremeret, nec dentibus instreperet horrendũ, verùm placidus delicta domaret, sic id monente Origene in Catena Græca: *Cùm quidẽ procul abesset à monumento, infremuit spiritu. Vbi autẽ iam ad defunctum ipsum accedebat, nequaquam spiritu infremebat sed fremitum in se ipso cohibebat. Quare dicitur. Fremens in* *August.* *Beda.* *Theodor.* *Cyrill. Alexand.*
D *semetipso venit ad monumentum.* Sic Origenes. *Origenes.*

3 Ridebat quidem meritò S. Cyrill. Hierosolym. catech. 6. Ethnicos, qui Iouem suum in taurum trãsformatum confingebant, quòd vt id animal, & egregia alioqui forma ac dignitate præditum, & humanis vsibus opportunum à regia natura & cõditione non inerit, illud tamẽ mugitus edere necesse fuerit, qui regio ac diuino ori minimè conueniunt. Sic namq; Cyrillus: *Taceo Iouis in cygnum mutationes, pudet dicere illius in bouem transformationem: sunt enim mugitus indigni Deo.* Nimirùm alia Principẽ, alia priuatum decent, quædã ab humili hominum sorte non errant, quæ à Principum maiestate alienissima sunt. Ita Seneca l. 1. de Clement. c. 7. elegãtissimè inquit: *Humili loco positis exercere manũ, litigare, in rixã procurrere, ac morem iræ suæ nõ gerere, liberum est, leues inter paria ictus sũt: Regi vociferatio quoq; verborũq; intẽperantia non ex maiestate est.* Subdit rationẽ & dicta sic diffundit: *Graue putas eripi loquendi arbitrium regibus, quod humillimi habẽt: ista, inquis, seruitus est, non imperium.* *S. Cyrill. Hierosol.* *Seneca.*

Quid

Quid tu, non experiris istud nobis esse, tibi seruitutem? Alia conditio est eorum, qui in turba quam non excedunt, latent, quorum & virtutes vt appareant diu luctantur & vitia tenebras habent. Vestra facta, dicta, rumor excipit. Sed enim ea satio longius petita videtur, illæ proæmiores funtrum Regiam maiestatem, tranquillam, serenam, atque pacatissimam esse, à qua verborum tumultus, & nimbosi sermonis tempestas minimè oriatur, vti egregiè monet Gregor. Nazianz. orat. 4. in Iulianum ibi impium illum Principem carpens, quod cum *indicis munere fungeretur, aulam clamoribus, & membrorum strepitu implebat, non aliter, ac si ipse esset, cui vis, & damnum inferretur*, subiicit opportuna ironia: *instar nimirùm eorum Regum, qui tranquillitatis & constantiæ laude quondam florebant, nec etiamsi quid molestiæ illis accidisset, vultum tamen vllo modo immutabant, aut perturbationis vestigium ostendebant*: tum vel maximè, cum Principis dignitate, quæ salutaris & benefica, & vitalem paradisi auram spirans esse debet, eam verborum intemperantiam & ardorem, qui subditos stimulet, & adurat, non benè se gerere. Sanè *indignatio Regis nūtij* (siue vt LXX. explicant *angeli*) *mortis*, Prou. 16. 14. id est, Principem indignationis signa alicui dare, rantumdem ac vitam ei auferre, fuerit. Quod quidem, vt eaperientiâ nouimus, in acerbis, & ardentibus verbis signatissimè locum habet. Sic namque idem Salomon Prou. 12. 18. *Est qui promittit, & quasi gladio pūgitur conscientia*: pro quibus LXX. reponunt: *Sunt qui dicentes vulnera ensis*, siue *vt enses*: & eodem sensu Hebræa Lectio: *est effutiens vt confossiones gladij*: quasi ardens & acerbum Principis verbum à gladio pectus transuerberante nihilomnino differat. Quid verò à Regis natura fuerit magis alienum, quàm mortis angelum, siue instrumentum fieri?

Nazianz.

Prou. 16. 14.

Prou. 12. 18. LXX. Lect. Hebr.

4 Videris hanc verborum in ipsosmet acerbissimos hostes temperantiam à Domino seruatam: cùm apud Ioannem c. 8. 49. turpissimæ illi, quam ei Iudæi importauerunt calumniam, siue contumeliam: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes*: ipse sic respondit: *Ego dæmonium non habeo*. Ad quæ verba nemo non ea PP. egregiam Domini mansuetudinem atque modestiam obseruat, & Greg. quidem Magnus hom. 18. in Euang. sic loquitur: *Ecce iniuriam suscipiens Dominus non irascitur, non contumeliosa verba respondet. Qui si ei isse ista dicentibus respondere voluisset: dæmonium vos habetis, verum profectò diceret, quia nisi impleti essent dæmonio, tam peruersa de Deo loqui non possent.* Verùm enimverò Leontius, & Rupertus inibi maximè probati P. Maldonato vim facientes in pronomine illo *ego* quo singillatim vsus est Dominus, omnino censent: opportunum ipsi tunc visum fuisse eos admonere, à dæmone quidem possessos esse, & dæmonium habere: sic namque ibi Maldonatus: *Acutiùs notauit Leontius pronomē illud* ego, *emphaticè positum esse, quasi diceret*: Ego dæmonium non habeo: *vos habetis*. At cur ea verborū obscuritate vsus fuit, qui facilè potuit dicere: imò vos dæmonium habetis? Sanè ne è Domini ore ardens, & acerbum verbum exiret, sic id adnotante Ruperto: *Opprobrium inimicorum retorquet in capita ipsorum, vocis quidem deuitans horrisonam turpitudinem, ut diceret vos potiùs dæmonium habetis*. Pulchrum omnino Principibus monitum, vt horrisonam verborum turpitudinē, etiam dum cum seruis, aut vilibus hominibus agunt, deuitent, non tam quid illi mereantur, quàm quid ipsos deceat, attendentes. Equidem hac etiam ratione Patriarcha Abraham, vt latiùs alibi expendo, cum diuite auaro, homine non modò flagitiosissimo, sed extra salutis viam iam posito, & gehennæ igni addicto, sermones miscens, adeò nullum in ipsum conuitium iecit, vt filium potiùs nominauerit. *Fili* (inquit) *recordare, quia recepisti bona in vita tua*. Lucæ 16. 25. Sed quorsum filij

Ioan. 8. 49

Rupert.

Luca 16. 25.

Velasquez in Psalm. centesimum.

cóne honore infelicissimus damnatus dignus fuerit? Non equidem: at enim vt ille acerba conuitia audire meruerit, optimus tamē Princeps Abrahamus horrisonam vocis turpitudinem deuitare debuit: & qui illum pro meritis puniuit, & aquæ guttam denegauit, acerbum, & ardens verbum ei dicere à sua dignitate alienum existimauit: non obscurè id sic inibi innuente S. Petro Chrysologo serm. 123. vbi cùm dixisset: *O singularis bonitas! adhuc vocat filium quem vidit inferni vernulam, pœnarum sobolem, extremum mancipium iam gehennæ*. Subiicit scitè post nonnulla: *Voco filium, vt intelligas iudicij esse quod pateris, non furoris: voco filium vt in me mea patientia, & in te tua maneat pœna*.

Chrysolog.

5 Illud verò maius pondus in hanc rem habet, quod ex Numerorū historia c. 20. 9. elicitur, cùm populo ob sitim murmurâre, Moyseque, & Aarone largissimam aquarum venam egregio ex Dei præscripto patrato miraculo, ei præbentibus, Deum non leuiter offendisse, & ea de causa ingressu terræ promissionis prohibitos fuisse, dicitur: rem totā sic Sacro Scriptore referente: *Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixitq; eis: Audite rebelles, & increduli. Num de petrā hac vobis aquam poterimus eiicere? Cumque eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumēta*. Quid verò tū Deus? *Dixitque Dominus ad Moysem, & Aaron: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*. Sed quæ, rogo, tantæ huius iræ, & indignationis Dei in obsequentissimos sibi seruos causa? Meruit quo crimine magnus Dux tam acerbum supplicium? Vis nosse? Quod vt cetera probi, & fideles extiterint, ardētibus tamen, & contumeliosis verbis cum populo egerint, incredulos, & rebellem eum appellantes, vti ex Abolensi, Theodoreto, Lyrano, & Oleastro hunc in modum admonet Pat. Cornelius ibi, vbi cum dubitasset: *Quenā fuit incredulitas vel peccatum Moysis?* Sic inter alia respōdet: *Quod locutus sit non petræ, vti iusserat Dominus, sed populo, eum obiurgando, & exacerbando vocans eum incredulum, & rebellem: vnde populus irritatus vident licet miraculum aquarum, non sanctificauit tamen Dominum eum laudando eiq; gratias agendo*. Sic ille. Audis, quàm sit à Principis ore, & dignitate alienum duris, & odiosis verbis subditos premere? cùm Moyses ea ratione, quamuis iussa Domini exactè fuerit executus, eius tamen indignationē, itamq; subierit, & tanquā à peritia regendi populum aberraos, ingressu terræ promissionis prohibitus sit. Nec omittendus dicendi modus, quo id expressit Oleaster dum componens hæc verba cum illis Psal. 105. 32. *Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos* (siue vt est in Hebræo, *& malum fuit ipsi Moysi propter eos*) quia exacerbauerunt spiritum eius, quibus eadē historiam attigit Vates: ea vtroque loco inter se collato sic infert: *Ex quibus nunc videtur, Moysem ex acerbitate spiritus verba aliqua indigesta protulisse*: tantùm non illum debilis stomachi arguens: qui exasperatus à suis exarsit gentem in se indignationem, & ab eā acerba, & dura verba non compescuit, atque digessit, sed cruda, & indigesta euomuit.

Num. 20. 9.

Abulens. Theodor.

Lyra. Oleast. Cornel.

Oleast.

Ps 105. 32. Lect. Hebr.

6 Sed id omnino animaduersione videtur dignissimū, tunc signatè Moysem ob aspera, & odiosa verba tum apud Deum, tum apud populum non leuiter offēdisse, cùm in ipsiusmet populi gratiam egregiō perficiebat miraculum, & sitim, quæ illos vexabat, largissimè explebat, vt primò videris quàm sint subditis acerba, & odiosa dura Principis sui verba, quæ omnem bono operi splendorem, & gratiam adimunt, vti obseruabat Cornelius inquiens: *Vnde populus irritatus videns licet miraculum aquarum non sanctificauit tamen Dominum, eum laudando eique gratias agendo*. Quasi valentior

lentior sit ad irritandum acerbus sermo & durus, quàm ingentia beneficia, & dona ad demulcendum, & promerédum. Deinde vt hinc facilè inferas, quàm inuisus subditis Princeps futurus sit, si & dura verba, & opera non minùs exhibuerit, cùm & illis is fuerit infensus, qui bonis, & salutaribus operibus verborum acerbitatem admiscuit: vti stultissimus ille mortalium Roboam, à quo cùm populus humilis, atque submississè efflagitaret, vt aliquid de tributorum onere remitteret, quod à parente Salomone supra facultates, & vires subditorum videbatur impositum, non meliora ipse verba simul ac opera, quàm hæc dedit:
3. Reg. 12. 14. *Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro, pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* 3. Regum 12. 14. Quâ quidem insipientissima responsione miserum populum ad desperationem adegit, vt liberè renuntiauerit, neque illud onus, neque vllum imperium à genere Dauidico sibi esse subeundum: *Quæ (inquit) nobis pars in Dauide? vel quæ hæreditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam, & abiit Israel in tabernacula sua.* Ac si diceret. Suas sibi res curet, & nouos subditos quærat Roboam, nec iam sibi ampliùs cum Israële quidquam fore commune speret: Principem enim tam acerba, & ardentia depromentem verba non fe-
Hieronym. timus. Quod sic expressit Hieronymus epistola 62. ad Theophilum: *Qui scorpionibus cadit, & lumbum patris habere se putat digitos crassiores, citò regnum mansueti Dauid dissipat.* Vbi illud maximè obseruâ, faciliùs dura, & ferme importabilia onera à Salomone imposita, quàm dura, & acerba verba à Roboamo dicta populum sustinuisse, quasi hæc plus grauent, actiusque adurant. Quod equidem in Imperatore Caio Caligula facile etiam videre fuerit: is namque non tam ob nefandam sæuitiam, & quod humani sanguinis auidissimus optarit, populum Romanum vnam ceruicem habere, vt Vrbis, & orbis excidium, & fax semel esset, quàm quòd contumeliarum faciendarum cupidissimus, siue (vt ait Seneca) *Mirabili studio ferebatur omnes aliquâ notâ feriendi,* signatè verò Asiatici Valerij, quem in primis amicia habebat, & Chæreæ tribuni militum aures assiduè conuitiis fatigaret, ab ipsis im-
C. Tacit. maniter interfectus est. Certè Tacitus lib. 11. Annalium Asiaticum præcipuum auctorem interficiendi
Seneca. Caij affirmat, & de Chærea, sic scribit Seneca libr. de Constantia Sapientis cap. 18. *Huic Caius signum petenti, modò Veneris: modò Priapi dabat, aliter, atque aliter exprobrans armato mollitiem,* &c. *Cogit itaque illum, vt ferro, ne sæpius signum peteret. Ille primus inter coniuratos manum sustulit, ille ceruicem mediam vno ictu decidit: plurimum deinde vndique publicas, ac priuatas iniurias vlciscentium gladiorum ingestum est, sed primus vir fuit, qui minimè visus est.* Hæc Seneca.

Ad ea verba.
Et insatiabili corde.

Auaritiæ sordes à Regio animo alienissimas esse.

ADNOTATIO XXII.

Tertull. 1 SCITE quidem Tertullianus libr. de Habitu muliebri cap. 7. cùm dixisset: *Apud barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum, & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, & diuitiis malos onerant, tantò locupletiores, quantò nocentiores.* Subiecit: *Aliquando reperta inuentum est, quomodo, & aurum non ametur.* Et sanè mesitò, cùm eo non minus quàm ære, & ferro vinctis, molesta corpori illius catena sit. Transferas id non minùs opportunè ad animum, à quo cùm molestiora A ei auri vincula, & compedes sint, non potest vllo modo, si plenè is sapiat, amari. Sed enim ad Principem duplicata iam opportunitate hæc transferas, apud quem omnino dixeris: *Aliquando reucra inuentum est, quomodo, & aurum non ametur:* quòd hic amor ab illius animo, & dignitate sit alienissimus, quippe, qui ex diametro cum regia maiestate, & magnitudine pugnet: *Nihil enim est* (sic M. Tull. lib. 1. officiorum) *tam* M. Tull. *angusti animi quàm amare diuitias, nihil honestius, magnificentiusque, quàm pecuniam contemnere.* Quod sanè monitum libro 2. sic densat, & Principibus omnino aptat: *Nullum est vitium tetrius quàm auaritia, præsertim in principibus, & Rempubl. gubernantibus,* in oratione verò pro Syllâ: *Regium* (inquit) *est ita viuere, vt non modò homini, sed nec cupiditati quidem seruias: contemnere omnes libidines, non auri, non argenti, non cæterarum rerum indigere.* In quam planè sententiam omnes quotquot pleno pectore sapiunt, pedibus, ac manibus vt dicitur,
B eunt, egregiè cunctis præeuntibus S. Thom. libr. 3. de S. Thom. Regimine Principum cap. 3. & Aristotele lib. 8. Ethi- Aristot. corum: ita enim Angelicus Doctor: *Quid tam indignum Princeps, quàm vt cotum tenens non sit contentus toto, sed minutias quasdam, & atque exiguas portiones satagat quoquo modo adhuc facere suas.* Pulchrè, nec minùs opportunè Philosophus, ait enim: *Etenim Rex non est is, cui sua non satis sunt, quique non omnium bonorum copiâ antecellit. At qui talis est, nihil præterea desiderat.* Subscribit vtrique Plinius in Panegyrico rationem sic velut accu- Plinius. ratè: *Nam cuius est quidquid est omnium, tantum ipse quàm omnes habet:* nec dissidet Seneca, qui cùm libr. 7. de Seneca. Beneficiis cap. 4. Omnia Principis esse, potestate, & imperio, quod cuncta peruadat, sic dixisset: *Iure ciuili omnia Regis sunt, & tamen illa, quorum ad Regem pertinet vniuersa possessio, in singulos dominos descripta sunt, & vnaquæque res habet possessorem suum. Itaque dare Regi, &*
C *domum, & mancipium, & pecuniam possumus, nec donare illi de suo dicimus. Ad Regem enim potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas.* Alibi stultam mortalium auaritiam, possessionem, proprietatemque discernentem sic damnat: *Stulta mortalium auaritia possessionem, proprietatemq, discernit, nec quidquam suum credit esse, quod publicum est: at ille sapiens nihil iudicat suum magis, quàm cuius illi cum humano genere consortium est.* Ergo ait sapienter Angelicus Doctor, indignum esse Principis maiestate auidis, siue inuidis oculis subditorum bona tanquam aliena, & non potiùs tanquam sua conspicere, & totum potestate, & maiestate tenentem toto contentum non esse, nisi puerorum more exiguas minutias, & teculas manibus tangat, & apprehendat.

2 At enim ex allatis M. Tullij verbis, & rei ipsius naturâ non eâ solùm ratione longè à regia dignitate auaritia it, sed quod angusti animi fuerit, tei sordidæ,
D & abiectæ qualis pecunia est, affectu, & amore tangi, nimirùm amor in rem amatam amantem transfert, & vt Apostolorum Princeps acutè dixit, eandem ei formam, & figuram, ac illa est reddit. Sic namque ille epist. 1. Petri 1. 14. 1. cap. 1. v. 14. *Non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis:* tantùm non dicens, eandem sibi quemque figuram assumere, quam habet id quod desiderat, atque concupiscit. Vnde quidem bonus Imperator Basilius Leonem filium ad excelsitatem animi Rege di- Basil. Imp. gnam ex diuitiarum contemptu sic vrgebat, in admonitionibus capite 24. *Excelsum, atque inuictum Principis animum non adeò magnitudo dignitatis ostendit, ac pecunia contemptus, in eo enim generositas animi elucescit maximè: si ergo te excelso animo esse vis, esto præcipuè in mentis inductione pecuniæ contemptor.* Optimè enimverò de Salomone immensas opes egregiè contemnente, & diuitiis affluentibus cor omnino subtrahente iuxta a- Abulens. cutâ Abulensis, Nicolai de Lyra, Caietani, & aliorum Lyra. expositionem dixit Sacer Scriptor: *Dedit Deus sapien-* Caietan. tiam

tiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis sicut arenam, qua est in littore maris. 3. Regum 4.29. Vt videlicet cùm tantam auri, argentique copiam, quantam lapidum habuerit, sicenim 3. Regum 10.27. *Fecit vt tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta & lapidum.* Et 2. Paralipom. 9.27. *Prabuit Rex argentum, & aurum in Ierusalem, quasi lapides.* Turbulentissimo illi diuitiarum pelago, animum verè regium, & capacissimum quasi arenam, & littus oppolueri, in quem collisi illius fluctus ita confringerentur, vt immensam illam auri, argentique vim nihilo pretiosiorem duxerit, quàm exiguam arenam, aut lutum: ita eo seipsum explicante Sapient. 7. 8. cùm de amore, quo sapientiam prosequebatur, sic loquitur: *Et diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum, in conspectu illius.* Atque ea sanè sapientia, & regia méte imbutus opes sibi minimè seruauerit, sed omnibus magnanimè, & liberaliter distribuerit: id enim innui videtur iis libri Regum, & Paralipomenon verbis: *Fecit vt tanta esset abundantia argenti in Ierusalem quanta & lapidum: & prabuit Rex argentum, & aurum,* &c. subditus videlicet suos diuitiis affluentes reddens, quod Regis magnanimi, & qui verè Rex sit, proprium fuerit, quod vnico verbo visus est attigisse Lyra inquiens: *Latitudinem cordis ad magnificè expendendum.* Secus quidem ac insanissimus ille Caligula, qui vt se Imperij incapacem ostenderet, sinum auri capacem, quo ipse maximè gauderet, quodque attrectaret, & complecteretur, ostendebat: sic namque de illo Suetonius in Caligula cap. 42. *Contrectanda pecunia cupidine incensus sæpè super immensos aureorum aceruos patentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatiatus, & toto corpore aliquando volutatus est.* O angustum, & exiguum animum arenam, & lutum complectentem, sicque pedibus subiicientem, vt animum illi omnino subiectum demonstraret. Subscribit his sapienter Synesius orat. de regno: vbi Regem à pecuniæ appetentiâ deterrens, auaros *præ ceteris ignobiles, atque improbos, planèque illiberales esse* sic omnino confirmat: *Qui quidem primi sui contemnendi auctores fuerunt, quoniam circa id quod infimum est, in contraria natura consilia deflexerunt: hac enim corpus anima obsequio subiecit: externa ad corporis vsum reuocauit: posteriori verò secundas partes dedit: at illi animam, & corpus ei, quod tertium est, subiungunt. Sese igitur eos aspernantes, principemque animæ partem in seruitutem redigentes, quid est quod illi magnum, honestumve moliri, aut deliberare queant?* Pergit verò statim Synesius: & eos formicis ignobiliores appositâ ratione sic conuicit: *Quos ego formicis ignobiliores, atque insipientiores pronuntiaris veritatu causa non erubescam, illæ enim vita necessitate quæstum metiuntur, hi vitam quæstu lucrique necessitate censent esse metiendam.* Hæc ille, vt videris regiam auari Principis magnitudinem formicæ pusillitati, & vilitati posthabitam.

3. Reg. 4. 29.

2. Paralip. 9. 27.

Sap. 7. 8.

Sueton.

Synesius.

3 Huc maximè facit peculiaris modus quo in suis pugnis, & certaminibus describendis vsus est Paulus: mirum enim fuerit, quàm aliter alios, atque alios hostium cum ipso congressus depinxerit, alios videlicet validè, & à fronte, & quasi in iusto certamine cum ipso pugnantibus, imò & colluctantibus: alios verò è contra præ ignauia, & timore non nisi à tergo insequentibus, nec tam manu, quàm voce, eaque submissa aggredi audentibus. Enimverò carnis pugnas, & colluctationem referens totis iusti certaminis, & ancipitis prælij vocabulis sic vtitur 1. ad Corinth. 9.25. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet,* &c. *Ego igitur sic curro non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans. Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Pende agonis phrasim ex Cassiano collatum Vilasquez in Psalm. centesimum.

1. Ad Cor. 9. 25.

Cassian.

A lat. 7. cap. 21. dicente: *Vbi enim agon dicitur, & certamen, & pugna, seu colluctatio.* Sed & certaminis discrimen, & sanguinem sic alibi graphicè depingit: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis mea, angelus Satanæ, qui me colaphizet.* 2. ad Corinth. 12. 7. Vides hostium cum Paulo pugnantium animositatem, siue audaciam, imò verò impudentiam, qui cum experto, & toties victore congressi, vt in iusto discrimine in ipsammet venerandam Pauli faciem vulnus destinent? Id quidem cum carne, idcum illecebris pugnare est: iam verò quàm aliter auaritiæ, & temporalium lucrorũ pugnas recenseat, audi: sic namque in epistola ad Philip. c. 3. 13. *Qua quidē retro sunt obliuiscens: ad ea verò, qua sunt priora extendens me ipsum.* Obsecua illa: *qua retro sunt*: ac si dicat, iã debiles, & imbelles hostes, & tam facilis de illis victoria, vt ego spernenti quàm pugnanti viciniot, eorũ obliuiscar, illi non nisi à tergo contemnentem, & obliuiscentem timidè insequi audeant. At qui tandem ij hostes fuerint, dixerat paulò antè: *Qua mihi fuerunt lucra: hac arbitratus sum propter Christum detrimenta.* Lucra videlicet, & temporalium rerum incrementa adeò sunt viro magnanimo indigna, vt imbecillitatis suæ conscia, nisi à tergo, & ignaua voce cum illo pugnare non audeant. Audi Philippum Abbatem lib. 1. in Cantica cap. 8. *Qui cùm dixisset: In se ipso enim viator fortis quodammodo iam securus ab incursu vitiorum, vel à consensu degeneri felicitet alienus, munitus patientiâ certam velut fiduciam sibi sumit, & de optato præmio fiducialiter tam[...]* Subiicit: *Cui etsi quauis aduersa post tergum [...] & insistunt, et tamen in facie efficacis protervia non resistunt, dum oblitum qua retro sunt, concupiscit, & deficit in atria sola Dei.* Pulchrè illud *post tergum submurmurant*: non quidem quasi hostes qui pugnent; sed tamquam timidæ, & loquaces feminæ, quæ manibus minimum ausuræ, vocibus decertent: imò eas non nisi à longè, quin in facie resistant edere valeant. Adeò quidem magno, & C egregio viro dispar auaritiæ certamen est. Quò omnino retulerit quæ Seneca de Demetrio Philosopho diuitias adeò contemnente, & reiiciente: vt cùm ei Imperator ducenta obtulisset talenta, quinque millia scilicet Philippicorum, vt à sapientia auerteret, & ad opum, & pecuniæ amorem, pussillitatemque traduceret, ille cum risu reiecerit: ne dignam summam iudicans, qua eius animus tentaretur: sic refert li. 7. de benef. c. 11. ad finem: *Itaque cum C. Cæsar illi ducenta donaret, ridens reiecit, ne digam quidem summam iudicans, qua non accepta gloriaretur,* &c. *Reddendum egregio viro testimonium est. Ingenti ore ab illo dici audiui, cùm miraretur dementiam eius, quòd se putasset tanti posse mutari. Si tentare, inquit, me constituerat, toto illi fui experiendus imperio:* Quasi dixerit, non quod toto imperio dato cessurus eilem philosophiâ, & integritate vitæ, sed quod adeò vilis, & abiecta res pecunia sit, vt non minus quàm totius orbis imperium opus esset, vt periculum mei fieret.

D

2. Ad Cor. 12. 7.

Ad Philip. 3. 13.

Philipp. Abbas.

Seneca.

4 Sed & inde turpissimam Principi auaritiam esse, tam Latinius Pacatus cum magno Theodosio collocutus, quàm Synesius Antistes, illius filium Archadium admonens præfata oratione *de regno* contendunt, quod in eo dedecore nulla Principi ad manũ excusatio, nullum velamentum, quo obtegatur esse possit. Audi vtrumque; & primò Pacatum in Panegyrico. Sic enim ille: *Et priuatorum quidem auaritia licet mala, tamen aliqua defensio est, timetur inopia, & reponitur senectuti, & prospicitur heredi: quam habet causam concupiscendi, qui quantum vbique est, habet?* Acrius Synesius inquiens: *Rex autem pecuniæ appetens, multo est institore turpior: his enim familiæ egestas subuenit, in illo verò animi nequitia omni prorsus excusatione caret.* Quæ bene quidem percallebat Imperator Antoninus Philosophus: de quo Iulius Capitolinus in eius vita: *Nihil magis timuit, & deprecatus* est,

Pacatus.

Synesius.

Iul. Capit.

eſt, quàm auaritiæ famam de quâ ſe multis epiſtolis purgat. At inquis quomodocumque id fuerit, ſacram tamen auri famem ſic concupiſcendo, atque corradendo ipſe exarurabit: ſed, vt vt id fuerit, de quo alio in loco: Quid tã longè à Regiâ conditione fuerit, quàm Principem ſeſe eſurientem, & alieno implendum, atque ſatiandum fateri? cùm is qui ſe ipſo, & ex ſe naſcentibus bonis contentus imò & ſatur, ac impletus non eſt, puſillitatem, & infelicitatem ſuam publicet. Certè

Lucæ 22.15 Dei Filius apud Lucam 22.15. nutanter: *Deſiderio deſideraſſe Paſcha manducare* profeſſus eſt, quod ſuum omnino Paſcha non alterius eſſet: ſignatè enim *Phaſe Domini* in Scriptura dicitur Exod. 12.11, quippe indignũ,

Exod. 12. 11. Tertull. atque extraneum à tanta maieſtate fuiſſet, alienum aliquid deſideraſſe, vt Tertulliano lib. 4. contra Marcion. c. 40. pulchrè obſeruatum eſt ad hunc modum: *Profeſſus itaque ſe concupiſcentiâ concupiſſe edere Paſcha, vt ſuum: indignum enim, vt quid alienum concupiſceret Deus.* Quam ſanè cogitationem iam pridem ipſe Dominus B per Salomonem ſic expreſſerat: *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum*

Cant. 5. 1. *lacte meo.* Cantic. 5.1. vbi forſitan grauatè audis, toties ab ſponſo inculcari pronomen *meum*, nam & myrrham, & aromata, & fauum, & ab ipſo diſtillans mel, & vinum, & lac ſingillatim ſua appellat, cùm nemini dubium fuerit, omnia omnino eius eſſe. Quid ergo, ais, opus fuit ſingulis ſignatè rebus, & cibis *meum* addere? Planè [illegible]iam exinde acerbiſſimo in eum iaciendo conoſ[illegible] occurreret, quippe malus ſeruus ſimul & procax:

Iuuenal. *Nam lingua mali pars peſſima ſerui.*

Vt ſe ignauiæ argui ſenſit: ſic Domino, à quo talentum acceperat, exprobrabat apud Matth. 25.24. *Scio quia homo durus es: metis vbi non ſeminaſti, & congregas vbi*

M. Anto. *non ſparſiſti*: vt tacitè illi obiecerit quod M. Antonio C apud Plutarchum non nemo: *ſi vis duas collectas, da duas meſſes.* Quòd planè opprobrium pulchrè his verbis Dominus à ſe propulſat, omnino adſtruens nihil ipſum metere, quod à ſe prius non fuerit præſeminatum & duabus collectis exigendis duas priùs meſſes

Gillebert. exhibuiſſe, egregiè hæc ad id loci penſitante Gilleberto ſerm. 41. in Cantica hunc in modum: *Audiſti quia non metit niſi quod ſuum eſt, niſi quod ipſe præſeminauit. Verè ſeruus ille malus, & piger, qui pigritiæ ſuæ cauſam in Dominum interpretatione malignâ transfudit*: Scio quia homo auſterus es, tollẽs quod non poſuiſti, & metens vbi non ſeminaſti: *Benè piger, in quo Dominus non inuenit quod meteret. Et verè malus, qui diligentiam metentis Domini in duritiam peruerſo ſenſu conuertit, infructuosè quod acceperat ſeruans, & iniurioſè de bono Domino ſentiens. Non metit Dominus Ieſus niſi quod ſeminauit, non metit niſi ſuum.* Hęc ille peropportunè. Quod ſi aduertis, hac inter alias ratione ab albo Regum progenitorũ Chriſti Achab D Rex Iſraël tanquam ſolio indignus à Matthæo reiectus eſt, quod *alienum*, Naboth ſcilicet vineam, ſeruiliter concupierit, & quod non fuerit adeptus, panem noluerit manducare: *Auertit faciem ſuam ad parietem*

3. Reg. 21. 4. (inquit Sacer Scriptor 3. Regum 21. 4.) *& non comedit panem.* Sed cur non comedit? Reſpondet Ambroſ. libro de Naboth cap. 4. *Et non manducauit panem ſuum, quoniam quærebat alienum.* O Regem pro ſuo ſe faſtigio metientem!

5 Demum eâ ratione auaritiam cum Regia maieſtatè ſignatè pugnare dixeris, quod eximium ei ſplendorem, & quod Regis omnino proprium eſt, adimit. Beneficentiam, & liberalitatem, à quâ ſi rectè ſapis, regiæ dignitatis vſus, atque exercitatio eſt. Nimirum vt ex Cyrillo Alexandrino in libro de rectâ fide ad Theodoſium copioſiùs alibi dixero, præclara Principum ſors, eouſque parilluſtre à diuinâ excellentiâ

A in ipſos defluxit, vt ſummæ illius celſitudinis viuæ imagines, & ſimulachra facti, ampliſſimarum dignitarum fontes, & humanæ felicitatis principia, & origines exiſtant. Vnde hunc omnino optimi Principis finem, & ſcopum eſſe debere: *vt ſubditos felices efficiat*: ſecus quidem ac Tiberius ille, cui obiiciebatur, ſibi potiùs, quàm Romæ felicem eſſe, ſuo loco ex omniũ ſcriptorum confeſſione videbimus. Enimverò hac omnino regulâ Principem à Deo fore dimetiendum, ea Domini verba apud Matthæum cap. 24. 45. *Quis* Matth. 24. *putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus* 45. *ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore. Beatus ille ſeruus, quem cum venerit Dominus eius, inuenerit ſic facientem*: ſatis oſtendunt: eò enim egregia muneris adminiſtratio reuocatur, vt opes ſibi non ſeruet, ſed vtraque manu commiſſis ſibi populis diſtribuat: ſic id adnotante Chryſoſtomo homil. 37. in Geneſim: *Bea-* Chryſoſt. *tus enim dicitur ſeruus ille, quem cum venerit Dominus, inuenerit facientem, & ſic diſpenſantem cum ſeruis, & non arcis, & vectibus includentem.* Quaſi is omnino malus Princeps habeatur, qui theſauros arcis, & vectibus claudit, quippe qui eorum non cuſtos, ſed diſpenſator à Deo effectus eſt: ſicut ille inutilis, imò iniquus fons eſſet, qui hominibus ſitientibus vni ſibi aquam reſeruaret. A quo non iuit Philo libro de Ioſeph monens: *Affluunt opes? Impartire: nam diuitiarum pulchritudo eſt non in crumena, sed in egenorum auxilio.* Porrò, ſi attendis, Chriſtum verum Deum, verũ Regem eſſe, & à Ioanne non Deo, non populi Rege diſcriminari: inde à PP. inter alia ſignatè adſtruitur, quod à Chriſti Natali dies creſcere, & incrementa capere: à Ioannis autem ortu decreſcere, & imminui incipiant. Audi vnũ pro omnibus Ambroſium ſermon. 12. de Natali Do- Ambroſ. mini: *Verum eſt quod ait ſanctus Ioannes Baptiſta de Domino Saluatore dicens*: Illum oportet creſcere, me autem minui: *Siquidem hoc primum etiam ipſis temporibus approbatur. Ecce enim Natiuitate Chriſti dies creſcit, & Ioannis natiuitate decreſcit: illo oriente lux proficit, hoc naſcente minuitur. Ipſa enim quodammodo tempora famulantia partibus ſuis cùm detrimentum faciunt, ſeruus gignitur; cùm autem Dominus naſcitur, conſequitur augmentum: profectum planè facit dies, cùm mundi Saluator oritur, defectum patitur, cùm vltimus Propheta generatur. Scriptum eſt enim*: Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem. Egregia omnia, ſed probe illa *ipſa quodammodo tempora famulantia partibus ſuis*: vt videlicet à dierum & lucis (quæ felicitatis typũ eſſe alibi vidimus ad ea verba Ieremiæ 17. verſ. 17. *Diem* Ierem. 17. *hominis non deſideraui* in noſtris commentariis in epiſt. 17. ad Philippenſ. illuſtrata c. 1. v. 15. adnotat. 8. num. 12.) incrementis, veri Principis lucem, & felicitatem ſuam in ſubditos ſuos refundentis ſpecimen, & characterem deſumeret: contrà verò lucis diminutio, ſeruum demonſtraret, eumque, qui, vt ſanctiſſimus & quo *nul-* D *lus inter natos mulierum maior*: at in ſui luminis imminutione Iudæorum populum obſcuratum iri, adumbrabat: quippe id Principis munus eſt, felicitatis, & incrementorum fontem, & originem ſuis eſſe: is bonus omnino Princeps eſt, à quo omnes creſcunt. Dixeris habuiſſe id ob oculos præfato loco Georgium Iamblicum apud Stobæum ſerm. 44. vbi cùm dixiſ- Stobæus. ſet: *Omne honoratum augetur, contemptumq; imminuitur.* Subiicit: *& hoc eſt ſignum clariſſimi imperij benè adminiſtrati*: vt dixerit, ab incrementis, ſiue decrementis ſubditorum, benè aut malè adminiſtrati imperij velut à lydio lapide experimentum ſumi. A quo planè non fuerit quod à Caſſiodoro ſub perſona Regis Theo- Caſſiodor. dorici, & à Sidonio Apollinari tanquam frequens hominum prouerbium dicitur: ſic enim aiebat Rex ille lib. 1. epiſt. 22. *Fit interdum cauſa mala fiſci, vt bonus Princeps eſſe videatur.* Sidonius verò: *Certè trebet prouin-* Sidonius. *cialium ſermo eſt Annum bonum de magnis non tam fructibus.*

bus, quàm potestatibus, existimandum. Verissimè, & diuinè, A quod vt bonus atq; ferax annus omnium hominum res fœcundat, ac promouet omniumque animos exhilarat: sic à bono Principe omnes subditi fortunantur, & eorum facultates, & honores incrementa accipiunt. Vnde iterum Sidonius Patienti Lugdunensi Antitisti, qui omnibus omnímodo opem ferre studebat: *Bonum annum* sic absolutè appellauit: *inter hac temporum mala bonus Sacerdos, bonus pater, bonus annus es.* Iam si malo fato auarus sit Princeps, regium hunc splendorem, & præcipuum summæ excelsitatis suæ vsum, quòd bonus suis annus sit, sibi indignè, & illiberaliter adimit: &, quod peius est, malus illis annus sterilitatem, orbitatem, & tristitiam mortalibus afferens, esse videtur. Quò quidem illud facit, quod Princeps quidam Scytha, cuius regnum magnus ille Alexander tyrannicè eo titulo occupabat, quòd Deus esset, cuius omnia sunt, ei non sine morsu respondebat: *Si Deus es, tribuere beneficia debes: non sua ab hominibus eripere.* Pulchrè.

DE OPTIMO PRINCIPE, LIBER TERTIVS.

De scopo quem sibi Princeps in gubernatione proponere debet.

Ad hæc Psalmi verba: *Misericordiam cantabo: Psallam, & intelligam: Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ,* & ad ea: *Vt sedeant mecum,* &c.

PROOEMIVM.



QVEMADMODVM nullus ad Olympicum certamen accedit, nisi priùs certaminis leges optimè nouerit, ita Princeps non priùs regni gubernationem opportunè susceperit, quàm priùs intellexerit, & suo cum animo expéderit, quid principatus lex postulet, quemque ipse sibi scopũ in imperij administratione proponere debeat: nam si parum rectè scopum destinarit, totâ aberret viâ necessum est. Quapropter tertius hic liber Dauidis misericordiam, & intelligentiam signatè illustrans eò potissimũm tendit, vt Principem admoneat, summum ipsius decretum esse debere, vt mente, consilio, affectu, ope & modis omnibus suorum vtilitati & bono indesinenter inuigilet, nec solum tueatur præsentem Reip. felicitatem, verùm etiam florentiorem reddat quàm acceperit: *Nam vt gubernatori (* sic M. Tullius *) cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria, sic Reip. moderatori beata ciuium vita proposita est, vt ea opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, & virtute honesta sit.* (M. Tull. lib. 8. epist. ad Attic. epist. 11.) Vti & inclytus noster Rex Ferdinandus, qui & sancti cognomen tulit, & dubitum fecit, fuerítne sanctior an fortior, an felicior, inter præcepta, quæ Alfonso filio sub mortem dedit, regio ore dixit: *Si pro religione, & subditorum bono tot in bello, & pace egregia facinora, ac ego perfeceris, æquè bonus Princeps meritò existimaberis: si verò plura melior omnino Rex eris.* Ergo Principem omnium bono natum, imò datum à Deo subleuandis rebus mortalium, quod omnibus prospiciat, omnibus consulat, cui nihil sit antiquius, nihil dulcius Republ. cui plusquàm paternus sit in omnes animus, cui singulorum vita charior sit quàm sua, quòd noctes, ac dies nihil aliud agat, nitaturque quàm vt optimè sit omnibus, quòd regni commodum, suum ducat esse lucrum, quòd sibi nullum relinquat otium, quò suis liceat in otio viuere, sequentibus capitibus siue adnotationibus delineamus.

INDEX ADNOTATIONVM LIBRI TERTII

AD

AD ID VERSVS II. ET INTELLIGAM.

Principem subitò non fieri, sed multa rerum cognitione, studio, & vsu opus ei esse

ADNOTATIO I.

1 BEne omnino, regio animo, & ore optatur, & dicitur, *Intelligam*: quod Salomone Reges instituēte auctore Prouerbiorum capite primo, versiculo quinto: *Prou. 1. 5.* *Intelligens gubernacula possidebit*: negotiorum videlicet cursum prudentiæ suæ clauo haud difficiliùs moderabitur, quàm peritus nauclerus, qui clauum manu tenens nauim huc atque illuc pro re nata dirigit: sed enim scitè, & opportunè Dauid, qui regni gubernationem paulò antè susceperat, non dixit, *Intelligo*, quasi subitò cum ipso regno ipsammet scientiam gubernandi esset adeptus, & (vt est in Prouerbio) *Subitò aliut* effectus fuisset: sed signatè *Intelligam*: duo quidem professus; alterum, se B rerum cognitione, vsu & experientiâ destitutum, animum ad intelligendum addicturum, vt artem gubernandi indesinenter perdisceret, & intelligens gubernacula possideret: alterum, hoc nomine satis iam intelligentem, & prudentem esse, vt bene ipsi cum Plinio iuniore dixeris: *Plin. Iuni.* *Præcipua prudentia est, quod alios prudentiores existimas: præcipua eruditio, quod discere vis.* Iam verò huic rei opportunissimè videntur locuti tum sapiens Epictetus apud Stobæum sermone quadragesimo quarto, *Epictetus.* eâdem nauis gubernandæ imagine seruatâ hunc in modum: *Quemadmodum si gubernare nauem conaueris, omnino priùs artem gubernandi perdisceres, ita ciuitatem recturus, regendi disciplinam addiscito: vt enim illic nauis vniuersa fidei tuæ committitur, ita hic tota Respublica gubernanda tibi est.* C Tum etiam Isocrates libello *Isocrat.* à nobis sæpiùs laudato de Regni administratione ad Nicoclem, eum sic admonens: *Demonstratum est enim eiusmodi illos habituros imperium, cuiusmodi rationibus ipsi præpararint animum suum. Proinde nullus athletus sic conuenit exercere corpus, vt Regibus animum.* Sic ille. Vnde quidem Veteres Sapientes huic omnino rei intēti, Phaëtontis fabulam argutè confinxerunt, vt sub imagine insani illius adolescentis Solis filij, qui cùm à Patre impetrasset, vt vno die currus sui habenas sibi permitteret, & aurigandi imperitus cælum, terramque combureret, à Ioue fulmine è curru excussus in Padum fluuium præceps decidit: eos depingerēt Principes, D qui nullâ arte, nullo studio, nullâ gubernationis disciplinâ imbuti, Reipublicæ clauum, & administrationem suscipiebant: vti Verri insultabat Marcus Tullius *M. Tull.* oratione quarta in Verrem: *Tu sine vlla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine litteris intelligis, & iudicas.* Quos sanè Phaëtontes ob oculos omnino habuisse, & traduxisse dixeris Venerabilem Gillebertum Abbatem *Gillebert.* sermone decimo quinto in Cantica inquiens: *Multos enim videmus, & dolemus, tam insperatò cessisse, quàm subitò erupisse.*

2 Iam verò fuerit id tibi minùs mirandum, si obserues, ipsummet Dei Verbum: *in quo sunt thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*: cùm semel in mundum homi- A nes recturus aduenire decreuit, eodem aspectu humanæ gubernationis scientiam quodammodo addiscere voluisse, ne subitus, & veluti indoctus Princeps adesse videretur. Nimirùm sub hoc sensu dixisse videtur apud Salomonē Prouerbiorum capite octano, *Prou. 8. 30* versiculo trigesimo: *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Etenim hæc verba de Dei filio secundùm diuinam naturam, priusquam humanā susciperet, capiunt Beda, Glossa, *Beda.* *Glossa.* & plerique Patrum. Quod si ambigas, quisnam ille ludus Dei filio adeò frequens? siue etiam qua ratione ludere ipsi decens fuerit? Respondet sapienter ad id loci Pater Salazar, eam huic phrasi imaginem subesse, cùm artifices ea quæ seriò, & magnis impensis acturi sunt, in rudiori primùm materiâ effingunt, vt illâ veluti delineatione, & exercitio, quâ manus edocetur, B & instituitur, perfectius, & numeris suis absolutum opus enadat: quippe id, ludere, siue præludere frequenter dicitur. Quod domus exemplo, quam lusisse artifex dicitur, cùm eam in charta delineat, cumprimis illustrat: deinde eò aduocat tum militum exercitia, quibus antequam cum hoste manus cōserant, seipsos comparant, acies efformando, & irruptiones faciendo, quæ militaria præludia dicuntur, de quibus opportunè apud Cassiodorum libro primo variarū, *Cassiod.* epistola decima septima, dicebat Rex Theodoricus: *Quia res præliorum bene disponitur, quoties in pace tractatur. Munitio quippe tunc efficitur prævalida, si diuturnâ fuerit excogitatione roborata. Omnia subita probantur incauta, & malè constructio loci tunc quæritur, quando iam pericula formidantur.* C Vnde concludit: *Nam quis eum prouidentiam habuisse putet, si tunc cœperit fabricis operam dare, aut penum condere, cùm oporteat bella tractare?* Tum etiā torneamenta, quibus equites exercitationis gratiâ in sese incurrunt, vt ad hostem excipiendum se componant, quæ hastiludia dicuntur. Vnde ad rem appositè ait: *Salazar.* *Ergo sapientia, & Verbum Dei ab exordio orbis conditi Incarnationem suam, vitam, mortem, quam tàm seriò apud nos acturus erat, ludere cœpit, imagines plures, vmbras, & figuras tamquam prælusiones quasdam iam inde præmittens.* Ita ille: ac si dixerit, vt eainde is, qui homines moderaturus, edocturus, atque iudicaturus erat, non subitus gubernationem suscipiens, & negotia expediens adueniret, D sed quasi sciētiam gubernationis more humano paulatim ad nostri institutionē edidicisset: & ipsamet experientiâ eductus ad regni munia exercenda accederet. Pro quâ sanè cogitatione egregiè fideiubet non semel Tertullianus. *Tertull.* Nam primùm libro de Carne Christi capite sexto, hæreticos, qui Dei filium non humanā, sed sydeream carnem assumpsisse nugabantur, adeò cōfutat, & à veræ fidei lumine exules ostendit, vt illum etiam ante Incarnationem, humanam carnem prælusisse, cùm veteribus nimirùm Patribus se conspiciendum dabat (veram carnem eam fuisse, quæ hisce apparitionibus inseruiebat, Tertulliani paradoxum esse, omnino nouimus: bene id inibi adnotante Pamelio, *Pamel.* sed vt hoc è re nostra non est: ita nec

nostro

Digitized by Google

nostro instituto obest) sic affirmet: *At quin tunc quoque inter illos Angelos ipse Dominus apparuit Abrahæ sine natiuitate cum carne scilicet pro eadem causæ diuersitate Sed vos hoc non recipitis, non eum Christum recipientes, qui iam tunc & adloqui, & liberare, & iudicare humanum genus ediscebat in carnis habitu.* Scitè id *ediscebat*: vt qui Verbum, Sapientia, & Doctrina Patris esset, à quo, & in quo, & per quem omnis sapientia existit, ad Principum institutionem, regiam artem ediscere videretur, quasi nō aliter gubernatio felicem exitum habitura fuerit.

3 Vnde alibi idemmet Tertullianus Marcionem redarguit, quod Christum subitò venienteur fecerit: *Tertull.* sic enim libro tertio contra Marcionem capite secundo: *Suspectum habebitur omne quod exorbitarit à regula, &c. Subitò filius, & subitò missus, & subitò Christus. At quin nihil putem à Deo subitum, quia nihil à Deo non dispositum. Et vtique tantum opus, quod scilicet humanæ saluti parabatur, vel ideo non subitum non fuisset, quia per fidem profuturum.* Pulcherrimè, vt adstruat nihil à Deo dispositum, subitò posse erumpere, nihil subitum, vtile, & profuturum fore, semperque cum immaturo, & subito consilio prudentiam decertare: vti de vxore subitò repudiata, subitò ductâ acutè dixit aduersus Iouinianum Hieron. *Hieron.* *Quasdam repudiatas altero nuptiarum die, statim nupsisse legimus, vterque reprehendendus maritus, & cui tam citò displicuit, & cui tam citò placuit.* Vt omnino ex Tertull. mentas rur tantùm gubernationi idoneū Principem, qui regiam artem meditatus, & in ea non leuiter exercitatus fuerit. Quod quidem in libro aduers. Praxeam cap. 16. sic iterum confirmat: *Ipse enim & ad humana semper colloquia descendit ab Adam vsque ad Patriarchas, & Prophetas in visione, in somno, in speculo, in ænigmate ordinem suum præstruens ab initio semper. Quæ erat persecuturus infinitè semper ediscebat, & c. Ediscebat autem vt nobis fidem sterneret, vt facilius crederemus Filium descendisse in sæculum.* Hæc ille. Pende singula, & illud in primis, *in visione, in somno,* &c. vt videris optimum Principem omni modo, omni ratione sese in arte gubernandi exercere debere, nullum non lapidem mouentem, vt quidquid ad illam spectat, omnino notis, atque ediscat. Deinde obserua illa: *Ediscebat autem, vt nobis fidem sterneret.* Nimirùm vel ex Dei Filij exemplo: eum planè Principem subditis fore proficuum, & gubernationi opportunum credemus, quem semper ediscentem, seseque exercentem videtimus. Ab eo autem, qui tantam molem, tam difficilemque prouinciam suscipiens, non ediscere, non meditari, non sese omni modo exercere velit, quid commodi, aut vtilitatis sperauerìs? nonne statim oneri succumbet? nec tam lux, quàm fax regni deputabitur? Vti inquiebat Venerabilis Gillebertus: *Multos enim vidimus,* *Gillebert.* *& dolemus, tam insperatò cessisse, quàm subitò erupisse.*

4 Cui sanè doctrinæ non leuiter adstipulatur Domini sensus, cùm Moysi ab eo efflagitanti, vt munus gubernandi populum, quod ipse gerebat, in alios etiam conferret, siue diuideret, sic loctus dicitur Numerorum 11. v. 17. *Auferam de spiritu tuo, tradamq;* *Nu. 11. 17.* *eis, vt sustentent tecum onus populi:* Sed quid fuerit? *Auferam de spiritu tuo.* Num de alieno potiùs quàm de suo liberalis esse Dominus voluit? Minimè quidem, quippe pro *spiritu tuo*, LXX. reponunt, *de spiritu, qui in te est:* *LXX.* id est, de meo spiritu, quem olim in te posui, vti ad hunc modum explicat S. Chrysost. homil. de Spiritu S. *Chrysost.* tomo 3. *Non dixit accipiam tuum, sed de spiritu, qui in te. De meo accipiam.* At multò id videtur difficilius cùm adeò angustus, & breuis Dei spiritus hinc esse videatur, vt pluribus satis non sit, quin quod de ipso aliis fuerit diuidendum à Moyse primum auferatur, repugnante Ioanne cap. 3. vers. 34. dum ait: *Non enim dat* *Ioan. 3. 34.* *Deus spiritū ad mensurā.* Verùm enimveró pulchrè subsistit cum hac spiritus diuisione perfecta Dei liberalitas, & diuini Spiritus immensa amplitudo. Nimirùm eò Dominus respexisse videtur, vt spiritum potiùs suum, qui iampridem in Moyse fuerat, quam qui à seipso immediatè producitur, in nonnis illis populi gubernatoribus collocaret. Cur verò? An moliti illos? & qui à Moyse aliquid boni acceperit, quod à se non haberet? Non opinor. Sed enim sic ad nostri institutionem de spiritu suo Dominum censuisse dixeris: vt illum gubernationi opportuniorem quodammodo duceret, qui in Moyse, & rerum cognitione, vsu, & experientiâ instructus regiam gubernādi artem quasi didicisse videretur: vti de Dei Filio dicebat Tertull. *Tertull.* *Qui iam tunc, & adloqui, & liberare, & iudicare humanum genus ediscebat in carnis habitu.* Adeò ipsi subitò factus Princeps displicuit, ideoque illum ediscere, efformati, & gubernationis arti incumbere, & in ea proficere voluit.

5 Nec ab hoc planè iuerit optimi Principis symbolum in parturientis Rachelis sepulchro Saüli à Samuële primo Regum 10. versiculo primo propositum, tam ne de collatâ sibi à Deo Principis dignitate dubitaret, quàm vt inde quid ipse regni habenas suscipiens esset acturus admoneretur: *Et hoc tibi signi quia vnxit te Deus in Principem. Cùm abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel.* Nimirùm vt homo in lucem educendus non subitò progignitur, & paritur, sed postquam seminatur, fouetur, & quasi fermentatur, concoquitur, ac maturescit, non aliter omnino perfectum opus euaserus, pulchrè dicēte Quintilianus libro decimo institution. oratoriar. capite tertio: *Quintil.* *Nihil rerum ipsam naturam voluisse magnum citò effici, præposuisseque pulcherrimo cuique operi difficultatem, quæ nascendi quoque hanc fecerit legem, vt maiora animalia diutiùs visceribus parentum continerentur.* Ita Princeps eum Regni gubernatione, siue subditis gubernandis se geratur, vt rerum cognitione, doctrinâ, & vsu imbutus, experientiâ edoctus, prudentum consiliis adiutus, quæ apud se omnia seriò, & maturè concoquat, fermentet, & in vsus suos transferat, ad gubernandum accedat: sic namque maturos, atque legitimos prudentis gubernationis partus edet: secùs verò infelicem abortum factum fore non est dubium. Certè huc iniet alia intentus Principi potestatem suscipienti signatè præscribebat Dominus, vt legum summam, quarum ipsi cura demādata erat, propria manu conscriberet, vt alnus illa eius animo inhæreret, & imbiberetur: ita scribente Moyse Deuteronomij capite *Deut. 17.* decimo septimo, versic. decimo octauo: *Postquam au-* *18.* *tem sederit in solio regni sui describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine accipiens exemplar à Sacerdotibus.* Et elucidante Philone in libro de creatione Principis his *Philo.* fere verbis: *Post acceptam potestatem iubetur Deuteronomium, hoc est legum compendium describere manu propria, quò magis ea præcepta inhæreant animo: nam legentibus elabuntur sententiæ, quòd lectio moras non patitur, qui autem scribit per otium imprimit, & infigit menti singula fideliter non in transcursu animaduersa, sed cunctanter non priùs cogitatione transeunte ad sequentia, quàm benè pensitatis, quæ præcesserant.* Hæc ille.

6 Quò benè referas cum Cardinalibus Hugone, & Caietano ea Salomonis verba Prouerbiorum ca- *Prou. 25.* pite vigesimo quinto, versu secundo: *Gloria Dei est celare verbum, & gloria Regum inuestigare sermonem.* Dum prior sententiæ pars à Caietano, posterior ab Hugone egregiè explicantur: sic namque ille, & gloriam *Caietan.* Dei verbum celantis, & Regis gloriam peruestigantis sermonem capit, quasi Deus, qui supremus omnium Dominus, & iudex est (est enim signatè ibi vox אלהים Elohim, id est, Iudices, vt idemmet Caietanus obseruat) magnam gloriæ suæ partem ducat, suorum iudiciorum rationes, & causas tegere, & occultare, &

optimo

optimo quidem iure: nam cùm ille ipsissima sapientia, lex, & regula omnino fuerit, vtique indecorum videatur, humanis sese iudiciis disquirendum dare. Certè hac ratione Bernardo auctore sermone 4. de verb. Isaiæ gloriosus super thronum excelsum, & eleuatum Isaiæ ostensus est: quod ipso iudicia sua proferente, & his præmia, illis pœnas inferente, eius caput, atque pedes, iudiciorum scilicet suorum causæ, siue principia necnon fines, atque rationes Seraphinorum alis obuelentur, ac contegantur. Contrà verò Regis gloria sit, nihil vnquam agere, aut decernere, cuius rationem, & causam omnibus indicare nō possit, quod vt apud Stobæum dixit Cleomenes: *Vulgi arbitrium supra Principes sit*, illorum videlicet secreta, & intentionem rimantis, & peiorem in partem interpretantis, & vt monuit Cassiodorus lib. 6. epist. 23. *Habet vltionem suam hominum frequentia.* Quæ sanè posterior huius explanationis, ac sententiæ pars vt in se ipsa spectata mollius decurrat, & nostro sit instituto B peropportuna, ex Cardinalis Hugonis interpetatione omnino adiuuanda est, dum ipse Regis gloriam inuestigantis sermonem eò refert, vt præfatum à nobis Deuteronomij præceptum expleat: *Cùm sederit Rex in solio regni sui, describet Deuteronomium legis huius*, &c. Quasi illi maximè gloriosum sit tam Dei legem, quàm humana etiam Principum, atque prudentum placita inuestigare, vt regiam gubernandi artem ediscat, vti de Rege Assuero Sacer Scriptor affirmat inuestigare solitum quid iustum ac decēs esset à sapientibus: *Qui scirent leges, & iura maiorum.* Esther. 1. v. 13. & de Alexandro Seuero Lampridius: *Proficiebat rebus literatos, & maximè qui historiam norant, requirens quid in talibus causis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatorum vel externarum gentium fecissent.* Nimirum, cùm Aristotele auctore libro sexto Ethicorum capite duodecimo: *Periti ac senes vsu & experientia consecuti sint oculum quendam, quo principia facilè cernunt.* Quid Principi gloriosius fuerit, quàm ex sermonis inuestigatione, nouum, & singularem oculum consequi, quo rerum faciem non ex aliorum solùm oculis, sed à se ipso videat, earumque principia norit? Certè apud Homerum non illę principis dignæ laudes fuerint, si formosus videatur, cùm ad istum modum laudentur fœminæ, nec si eius facundiam admirentur homines, quod hæc Sophistarum, ac Rhetorum laus sit, nec si eius robur, & vires efferātur, quippe sic athletæ, non Principes laudantur: nec si illius diuitiæ ab omnibus prædicentur, cùm ita laudentur negotiatores; sed illa omnino Principis laus esse dicitur: *Si à tergo pariter, & à fronte sit oculatus*: si plurima videlicet sapiat, præterita respiciens, futura prospiciens. En Principis gloriam inuestigare sermonem. Cui iam sensui Caietani expositioni præmisso, siue subintellecto, benè illius sententia hæret, gloriosum nempe Regi esse nihil agere, cuius rationem omnibus indicare non possit: nimirum quidquid ipse rationem, vsum, & sapientium consilium inuestigans egerit, non poterit non gratum omnibus, & rectum videri.

Bernard. Isai. 6. 2. Stobæus. Cassiod. Hug. Car. Esther. Lamprid. Aristot. Homer.

7 Enimverò iis Salomonis verbis ipsiusmet exemplum Deo quidē pergratum mirè concinit: quippe Deo ipsum per somnium ad postulandum quæcumque placuissent alliciente, sic ille respondisse fertur, tertio Regum cap. tertio, vers. septimo, & nono: *Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo: ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum & introitum meum, &c. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare posit, & discernere inter bonum, & malū.* Obserua illud *cor docile, vt iudicare possit*: quod non benè hætere dixeris, meliùs quippe cor docens ad iudicandum, quàm *docile* videbatur optandum fuisse, sed enim aliter Salomoni, aliter etiā Deo A visum, illudque opportunius Regi recenter inaugurato exoptandum, ac petendum fuit, vt animum obedientem, & proniorem ad audiendum, atque ediscendum quàm ad imperandum afferret. Quod Hebræa Lectio omnino firmat, quæ pro *cor docile*, habet *cor audiens*, siue *cor cum auribus*: non ea solùm ratione, vt subditos, & consiliarios audiret, sed (quod potissimùm opportunitas exigebat) vt sese ad audiēdam, & inuestigandam, atque ediscendam gubernationis scientiam inclinaret: sic seipsum multò pòst eodemmet Salomone explicante Ecclesiastes c. 1. 12. *Ego Ecclesiastes fui Rex in Ierusalem, & proposui in animo meo quærere, & inuestigare sapienter de omnibus*: siue vt habent LXX. & Hebræa: *Dedi cor meum ad quærendum, & inuestigandum.* Quæ sic efferēda videntur, vt sese Regem eo nomine dignum affirmet, quòd cor docile habuerit quo quærere, & inuestigare sapienter, siue quidquid ad Regni gubernationem spectat discere curauerit: sic hæc mihi capiente S. Gregorio Neocæsariensi metaphrasi: *Nec verò temerè hæc nunc dico, verùm mihi Hebræorum regnum Hierosolymis fidei meæ commissum habenti diligenter, & accuratè omnia cogitata, & perpensa sunt.* Sanè quasi temerè se Regem appellasset, si regnū adeptus diligenter, & accuratè, quæcumque ad bonam Regni administrationem opportuna sunt, non inuestigasset, atque didicisset.

3. Reg. 3. 7. & 9. Eccl. 1. 12. LXX. Greg. Neo.

Ad titulum, *Ipsi Dauid*: ad Iosiæ facta relatum.

Historiarum lectionem ex magno Principis vsu esse ad verissimam disciplinam, & ad rei ciuilis exercitationem.

ADNOTATIO II.

C 1 ERGO bonus Princeps Intelliget, instituet, & exercebit animum, & regiam artem, rectamque gubernationis formam addiscet: & verò cùm ex rerum cognitione, & vsu, *ille oculus* Aristoteli assectus, quo rerum principia dignoscuntur, acquiratur, qui prudentiæ, aut parens, aut proles est: haud dubium esse potest, quin Principi lectio, & eruditio maximè conueniat, quippe, & *Prudentia compendium in litteris contineri*, scitè monitū est à Petro Blesensi epist. 67. & oraculū fuerit, quod inquit Vegetius de re militari: *Neminem decet vel meliora scire, vel plura quàm Principem, cuius doctrina omnibus potest prodesse subiectis.* Sed enim vt omnis literaturæ non omninę ignarum Principem esse oporteat, & *Gloria Regis sit*, cùm publicis curis, atque negotiis non distringitur, *inuestigare sermonem*, tam circa linguarum eruditionē, Musicā, Poësim, & Mathematicas disciplinas, quàm circa veterum senten- D tias, & moralia Philosophiæ documenta, vti de auo suo Theodorico Rege, Athalaricus apud Cassiodorum lib. 9. epistola 24. Senatori Præposito sic aiebat: *Nam cum esset publicā curā vacuatus sententias prudentum à tuis fabulis exigebat, vt factis propriis se exæquaret antiquis. Stellarum cursus, maris sinus, fontium miracula rimator acutissimus inquirebat, vt rerum naturis diligentius perscrutatis, quidam purpuratus videretur esse Philosophus.* At verò moderatum hoc studium eripere, quin animum occupet, & à negotiorum expeditione auocet, omnino fuerit operæpretium: quippe vt nihil in Principe optandum, nihil ipsi decorum censendum, quod publicæ rei, & Regni vtilitatibus non conducat: ita ea solùm doctrina, atque eruditio suadenda est, quæ in commune bonum, & vtilitatem conuertenda sit, ita signatè Plutarchus in libello *ad Principem indoctum* ex sententia Homeri dixit: *Non priuatos homines, otiososve, deorum*

Aristot. Petr. Bles. Veget. Cassiod. Plutarch.

A *deorum voluerunt esse discipuli, sed Reges, qui sapientiam, & virtutes animi cõsecuti, ea essent ad vtilitatem omnium conuersuri.* Quo planè sensu imbutus Alexander apud *Dio. Chry.* Dionem Chrysostomum oratione 2. de Regno ad Philippum Patrem disserebat: *Non omnino necessarium Regibus esse Philosophiam attingi ad summum. Ingenuè autem, & simpliciter ostendere ipso facto morum humanitatem, mansuetudinemq́; , ac iustitiam, insuper ac excelsum animum, & fortem.* Hæc ille & alia suo loco appingenda. *Corn. Tac.* Vnde quidem, & Cornelius Tacit. optimâ ratione laudauit Iulium Agricolam socerum suum in eius vita: *Incensum, & flagrantẽ Philosophiæ studio animum coërcuerit, retinueritque, quod est difficillimum in sapientia modum.* Et apud bonos auctores plures Principes, quòd doctrinam supra modum affectauerint, malè audierunt, vt apud *Ammian.* Ammian. Marcell. Iulianus ille veræ religionis desertor, apud *Dio. Cas.* Dionem Hadrianus, & apud *Trebell.* B Trebellium Galienus, de quo cùm dixisset: *Longum est eius versus, orationesque connectere, quibus suo tempore tam in Poëtas, quàm in Rhetores emicuit:* scitè subiecit: *Sed aliud in Imperatore quæritur, aliud in oratore, vel poëta flagitatur.* Et vt è nostris aliquid etiam dicamus Alphonsum Decimum, cui sapientiæ, & eruditionis studium *Sapientis* cognomentũ dedit, plus admirationis, quàm gloriæ ex literis sibi peperisse nouimus. De illo siquidem *Mariana.* verissimum hoc iudicium tulit Ioannes Mariana lib. 14. de Rebus Hispaniæ, cap. 5. & lib. 13. cap. 9. *Admirationem illa faciunt, quòd in castris educatus à prima ætate arma tractans, tantos effecerit in Philosophia, Historia, & rebus Astronomicis progressus. Verùm tantis literarum præsidiis suffultus non oblatum ab exteris Germaniæ Imperium tuetur, imò paternum regnum cum ignorantia perdit.* *Senec.* Nimirùm aduersùs Senecæ monitum epistola 107. literarum intemperantiâ laborauit: *Nec vita, sed schola didicit.* Quare pergit Mariana: *Sapientis cognomen literæ pepererunt, sed ritento sapientiæ inani nomine vix potuit sibi sapere, & domesticis consulere.* Vt meritò dixeris C illum ipsissimum Astrologum fuisse, qui dum totus oculis in cælum spectat, quæ ante pedes erant non videns, in foueam cum aliorum risu cecidit, atque ipsi potiori iure quàm Atheniensibus Alexandrum, tunc omnia potentem, armaque tenentem inter diuos reponere recusantibus potuisse dicere Demadem apud *Plutarch.* Plutarchum in vita Demosthenis: *Videte, ne dum cælum custoditis, terram amittatis.*

2 Vnde ergo Princeps commodiùs, opportuniùs, faciliùs intelliget, discet? Dixerim incunctanter, ex historiarum lectione, cui illum impensiùs incumbere debere, quotquot pleno pectore sapiũt, omnino censent. Nam primùm ab Historia Princeps non modò discet, & sapientiæ discipulus censebitur, sed Doctor etiam, atque Magister euadet. Etenim qui historiam non perfunctoriè, sed perspicularè, & cum fructu legerit, atque nouerit: omnia quodammodo nouisse D *Nazianz.* censendus est. Sicut monente Gregorio Nazianzeno in epistola ad Nicobulum: *Præclarum est, mentem historiarum cognitione instructam, ac refertam habere. Historia enim conglobata quædam, & coaceruata sapientia est, hominumq́; multorum mens in vnum collecta.* Quasi dixerit ab historia sapientiæ aceruum, & summam, & quidquid homines de virtute, siue de Republica censuere, rectaque ipsorum iudicia, ac sensa haberi. Vbi etiam Historiæ excellentiam omnino innuit Theologus, vt dum plura hæc tẽpora complectitur, singulorum hominum consiliis qui sua solùm ætate res metiuntur longè antecellat. Quod quidem *Diodor.* Diodorus Siculus in procemio Bibliothecæ, sic etiam disertè monuit: *Seniorum consilia, quos longa ætas prudentiores effecit, laudantur, at hos tantò antecellit historia, quantò plura exempla rerum complectitur diuturnitas temporis, quàm hominis ætas.* *T. Liuius.* Ad quem sanè modum egregius historicus Titus Liuius libro primo sic ad legẽdam historiam alliciebat: *Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre, ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita intueri, vt inde tibi, tuæque Reipub. quod imitêre capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.* Quid plura Princeps? Quid amplius? opportunius? certiusvè cura literarum penu exceperit? Dixerim fidenter. *His ampliùs, fili mi, ne requiras.* Sed iam hoc monitum Principes ab optimo Imperatore Basilio primogenitum suum Leo- *Basil. Imp.* nem optimæ spei adolescentem sic instituente accipiant: *Per historias veteres ire ne recusa, ibi enim reperies sine labore, quod alij cum labore collegerunt, atque illinc hauries, & bonorum virtutes, & improborum vitia, vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conuersiones, mundi huius instabilitatem, & imperiorum præcipites casus, & vt vno verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia, quorum illa fugias, ne in iustitiæ diuinæ manus incidas: hæc* B *complectaris, vt præmiis quæ illa comitantur, potiaris.* Sic ille plenissimè, quibus vt nihil demere, ita vix aliquid addere possis. Sed quidem ea ab Ethnico Isocrate in li- *Isocrat.* bello de Regni administratione sic breui perstricta videris: *Obserua & quid faciant priuati, & quid Reges, & quis vniuscuiusque rei euentus. Nam si præteritorum memor eris, rectiùs de futuris statues.* Rei videlicet euentu veluti doctore instructus, & historia velut luce illustratus. Nec omittendum fuerit, idem omnino monitũ Ptolomæo Regi à doctissimis illis LXX. senioribus quos Sacræ Scripturæ translationi præfecit, datum fuisse: etenim cùm ab illis ipse requisiuisset, quanam in re meliùs, ac opportuniùs tempus posset collocare sic ipsi responsum est apud Aristæam de LXX. interpre- *Aristæ.* tibus ad Philocratem: *In rerum gestarum cognitione, in legendisque incumbentium operum libellis temporis plurimum assumere oportet, & quæcumque ad conseruanda regna, emendandosque hominum mores scripta sunt, perquirere.* Ita ibi.

3 Enimverò pro iis abundè Sacræ paginæ fideiu- C bent, dum in primis, eum nobis in populi Principem, à Deo primitus electum Moysem videlicet proponunt, quem ipse primùm totâ mundi ab eius origine historiâ adeò signatè imbuerit, vt nihil omnino boni, siue mali exempli à priscis editi eum latuerit: id nobis singillatim innuens eam Principi doctrinam, eruditionem, & institutionem opportunissimam, quæ ab historia omnis exempli documenta, & imperiorum præcipites casus, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia proponente, vt tanquam in speculo ornare, & componere vitam ad alienas virtutes possit, desumitur. Quare compone Moysen Principem populi constituturum omnigenâ mundi historiâ imbutum, eamque Dei instinctu, & iussu conscribentem, cum Petro insigni Christi familiari de quo nihil tale *2. Petri. 16.* legimus, imò *doctas fabulas* aspernatum fuisse: & si inquiris: cur Moyses historiæ peritissimus fuerit: Petrus verò non itidem? Respondebo: eam extitisse huius D discriminis opportunissimam causam, quòd Moysi mundum gubernare: Petro mundum relinquere præscriptum fuerit. Nimirum vt ei, qui sic in mundo est, quasi in mundo non sit, ea quæ in mundo acta sunt ignorare conuenit; ita ad illum, qui in mundo ipsum gubernaturus, & curaturus est, eius gesta, & historias sic scire, vt ipsum velut de facie; imò verò intus, & in cute cognoscat, omnino spectat. Ita huic cogitationi ansam nobis dante Ambrosio libro 3. de Virginibus *Ambros.* in fine: *Magna in diuersis virtutibus Dei gratia, in illo quia mundum descripsit, in isto quia mundum ignorauit.* Quæ sic capio vt pro diuersis Moysi, & Petri muneribus, dum ille sæcularis Princeps, cui populorum, exercituum, bellorum, victoriarumque cura commissa est, Petrus verò spiritualis Ecclesiæ Pastor, cuius gloria *ab intus* Psalmo 44. versiculo 15. in sæculi videlicet igno- *Ps. 44. 15.* ratione & contemptu catitêre, diuersæ etiam vtriusque

quę virtutes à Dei gratia, qui *idoneos sibi ministros fecit*, secundo Corinth. 3. vers. 6. elucerent, vt Moyses *2. Cor 3.6.* historiarum esset peritissimus, à quibus *Verissimam disciplinam, exercitationemq, ad res ciuiles* (sic de historia Polybius libro primo in principio) acciperet: *ibi etenim* (vt sapienter monet Cassiodorus libro octauo *Cassiodor.* variarum) *prudens inuenit vnde sapientior fiat: ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur, inde Princeps accipit, quomodo subditos sub aqualitate componat.* Petrus autem mundi potiùs res gestas nescisse quàm didicisse videretur.

4 Pergit verò Sacra pagina, & Principes ab historiarum, siue cognitione, siue ignoratione populos, aut rectè gubernantes, aut funditus etiam perdentes, facit. Nam, quo rogo in cardine tota Regis, regnique Assueri salus, & incolumitas versa, atque conuersa est, nisi in Annalium, & historiarum lectione? *Noctem illam* (ait Sacer Scriptor Esther cap. 6. 1.) *duxit Rex* *Esther 6. 1.* B *insomnem, iussitque sibi afferri historias, & annales priorum temporum. Veneruntq; est ad illum locum, vbi scriptum erat, quomodo nuntiasset Mardochaus insidias Bagathan, & Thares eunuchorum Regem Assuerum iugulare cupientium*, &c. Vbi si inquiras? cur Rex insomnis, ac inluauiter se habens, cùm tot voluptatum illecebræ, tot fœminæ, tot psaltriæ, quæ totas noctes cantillarent, ei supperterent, quibus & animum recrearet, & corpus ad somnum componeret, historias sibi legi voluerit? Respondet Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 6. & ab eo *Ioseph.* interpretes, ne illud temporis otiosè, & inutiliter, sed cum magno potiùs tam sui, quàm Regni fructu consumeret: *Nolens* (inquit ille) *in otio vigiliam perdere, sed ad gubernationem sui principatus habere: scribam iussit pradecessorum suorum. & suorum factorum monumenta legere.* Addit verò Nicolaus de Lyra: *Ideò fecit coram se legi* *Lyra.* *facta praterita regni sui, quia memoria praeteritorum dirigit in agendo respectu futurorum*, &c. Et quidem rectè. C Quid enim opportunius Rex ageret, quàm ab historiis discere rectam Respubl. administrationem, bonos præmiis afficere, eosque de quibus optimè meruerat, splendore, & honoribus locupletare, contrà verò superbos, & insolentes opprimere. Quorum vtromque, siue memoria exciderat, siue in animum negotiis, aut delitiis occupatum non inciderat. Benè ergo huic Regi aptaueris, quod præfato loco ait *Diodor.* Diodorus: *Magnas meritò gratias rerum scriptoribus homines debent, qui suo labore plurimum vita mortalium profuère. Ostendunt enim legentibus, praeteritorum exemplis, quid nobis sit appetendum, quid vt fugiendum. Nam qui multa experientia rerum variis cum laboribus, periculisque procul ipsi ab omni discrimine positi gesta legimus, nos admonent maximè, quid conferat ad degendam vitam.* Debuit ergo plurimum historiæ Assuerus, debent etiam cæteri Principes, cùm eius beneficio effectum sit, vt omnium ætatum, omnium gentium, omnium populorum res D gestæ, omnia præclara facinora sciantur ab illis, intelligantur, & cognoscantur, vt illustrium virorum dicta factaque memoratu digna contueri, & ediscere liceat, vt illis & ad virtutes Rege dignas animus inflammetur, & à vitiis remoueatur, nihilque ipsis, siue doctrinæ, siue exercitationis ad prudentiam adipiscendam desit.

5 Iam vt ad Principem historiarum imperitiâ se suosque perdentem accedam, cui alij rationi, Pharaonis insaniâ, temerariamque ac diram tyrannidem, quâ filios Israel afflixit, ob quam Deo infensus grauissimas dedit pœnas, tribuit Scriptura, nisi huic, *Exod. 1. 8.* quòd ille anteacta Iosephi in Ægypto facinora nescierit? *Surrexit* (inquit Exod. 1. 8.) *interea Rex nouus super Aegyptum, qui nesciebat Ioseph.* Quare nesciebat? Quia ex alia familia, siue Dynastia ortus (vt censent interpretes) quid alij ante se Reges egerint, quæ erga A ipsos Ioseph, & alij subditi merita habuerint, legese, aut scire minimè curauerit. O verè nouum Regem! ô Principem puerum, quantumuis senex, ac sapiens fuerit! Pulchrè Cicero lib. 1. de Oratore cùm *Cicero.* illum instituens dixisset: *Cognoscat etiam rerum gestarum, & memoria veteris ordinem, maximè scilicet nostra ciuitatis. sed & imperiorum, populorum, & Regum illustrium.* Subiicit. *Nescire autem quid antea quàm natus sis acciderit, id est semper esse puerum. Quid enim est atas hominis, nisi cum ea memoria rerum veterum cum superiorum atate contexitur?* Hinc certè Dominus Pharisæos, & Principes populi, cùm Apostolis obiiciebant, quòd Sabbato spicas vellerent, non modò ex Dauidis historia refutauit, sed eosdem inscitiæ, & oscitantiæ notauit, quòd qui populum docebant, & moderabantur, eius historias non legissent: sic enim Lucas cap. 6. 3. *Et* *Luc. 6. 3.* *respondens Iesus ad eos dixit: Nec hoc legistis quod fecit Dauid, cum esuriisset ipse, & qui cum illo erant. Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his, qui cum ipso erāt*, &c. Obiter ita illud: *Nec hoc legistis*: ac si dicat, ô bonos gubernatores! qui puerorum instar, nesciunt, quid antea, quàm nati sint, acciderit, nec res gestas suæ ciuitatis cognoscunt. A quo sensu non longiùs iuerit commentarius S. Am- *Ambros.* brosij sic inibi aientis: *Bene Dominus in lege typum futuri hoc quoque demonstrat loco. & defensores legis arguit, nescire quae legis sunt, exemplum afferens quod Dauid, cum esuriret ipse cum sociis intrauit in domum Dei*, &c.

6 Placet verò cum iis M. Tullij verbis: *Nescire au-* *M. Tull.* *tem quid antea quàm natus sis acciderit, id est, semper esse* *S. Cyril.* *puerum*, illud valde peculiare componere, quod S. Cyrillo Alexandrino libro 1. de adoratione in spiritu, & veritate obseruatum est, superbissimum illum scilicet Angelorum procerem tot ingenij, naturalisque scientiæ donis conspicuum infelicissimè lapsum fuisse, quòd in affectanda diuina similitudine velut C imperitus, & inexpertus iuuenis pueriliter se gesserit. Audi illum, qui cum dixisset: *Satanam opinor intelligit, qui è caelestibus fulguris instar deiectus est.* Subiicit: *Adeò enim pueriliter se gessit* (siue vt alia Cyrilli translatio habet: *puerili stultitia*, vel vt alij *iuuenili ardore laborare decreuerat*) *vt Deus esse vellet, & qua supra naturam suam erant, dementi animo fingeret.* Notanter *pueriliter se gessit*: siue *puerili stultitia laborauit*: vt indicaret Cyrillus miserum illum, vt ingenij subtilitate, & intellectus acumine maximè floruerit; pueri tamen mentem habuisse, nulla prudentia, nulla experientia munitam, quippe qui nullum alterius casum, nullum inflictum alteri ob elationem supplicium, nullum diuinæ indignationis vestigium audierat. Quare non abs re dixeris expressisse omnino his verbis Cyrillum egregiam Aristotelis doctrinam libro sexto Ethico um ca- *Aristot.* pite octauo, vbi iuuenibus prudentiam sic denegat: D *Iuuenes, licet Geometrici, & Mathematici, atque in eiusmodi rebus sapientes euadant, prudentes tamen euadere non videntur. Causa autem ea est, quod particularium est prudentia qua ex experientia nobis innotescunt. Iuuenis autem expertus non est. Experientiam enim temporis affert longitudo.* En igitur Historiæ vtilitatem, atque necessitatem, quæ iuuenis etiam mentem formar, atque canam reddit, dum vsum illi, qui senis ab annis venit, & locupletem rerum cognitionem indit.

7 Ergo vir à puero, prudens ab ignaro, & quod maius est, expertus, & multarum, ac magnarum rerum habens vsum, ab imperito, & inexperto ex historiarum lectione Princeps discriminatur: *Siquidem prudentia est* (sic Pius Secundus Pontifex, qui antea Æneas Syluius in præfatione de vniuerso) *qua vitam* *Aene. Syl.* *ducit, prudentiam verò multarum, & magnarum rerum cognitio parit, quam nemo inter scriptores melius historia tradit.* Enimverò nemini dubiū fuerit: ideò inter alia

P. Velasquez in Psal. centesimum.

Danielem optimum, & valde oppottunum Regibus Administium extitisse, & optimo merito apud Datium, Cytum, & Nabuchodonoforem, & alios Principes pluimum gratiâ valuisse, in eaque, quod *rara aun in terris, nigroque simillima cygno*, ad extremum vsque perdurasse, quòd multiplici rerum, historiarumque, & quod summæ Regibus vtilitatis fuerit, futurorum euentuum cognitione instructus fuerit, de quo vide eius interpretes ad id cap. *1.* vers. *17.*
Dan. 1.17. *Pueri autem his dedit Deus scientiam in omni libro & sapientia. Daniels autem intelligentiam omnium visionum, & somniorum.* De iis quippe, vt ipsi affirmant, somniis sunt hæc accipienda, quæ Deus immittit, vt futurarum rerum euentus portendant. At enim cùm hanc futurorum cognitionem humana solertia assequi non valeat, historiarum tamen cognitionem non longiùs quodammodo ab ipsa ire, non omnino importunè dixeris commonente Salomone Ecclesiastes 1.9. *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est:* siue vt enucleatiùs Olympiodorus vertit: *Quidnam esse in posterum* Olympiod. *poterit, quod non aliquando substiterit? aut quid nouũ geri poterit, quod non aliquando visa venerit?* Nimirùm cum futura eamdem cum præteritis formam: & eadem consilia, eosdem plerumque exitus habeant, penè idem fuerit præterita vidisse ac futura præuidere. Hæc omnino obseruante Imperatore Antonio suo
Antonin. illo libro, in quo Salomonem visus est expressisse lib. 7. hunc ad modum: *Qui memoriâ altiùs repetierit hominum congregationes, exercitus, agriculturas, nuptias, pacta, ortum, interitum, iudiciorum turbas vastitates regionum, varias barbarorum gentes, ferias, luctus, nundinas, in summa quo colluuiem illarum, & ex contrariis compositum præteritorum æternum, tamasque imperiorum mutationes reuoluerit, is etiam futura præuidere poterit. Quippe eamdem hæc habent cum præteritis formam, neque alio possunt modo fieri. Itaque etiam idem est, quadraginta, an decies millium spatio annorũ vitam humanã examines, nihil enim amplius videbis.* Hæc ille. Et eodem in principio: *Omnino si superiora, & inferiora animo repetas, inuenies omnia eadem esse, quorum plena sunt prisca, media, recentesque historia, & vrbes, & domos. Nihil nouum est, omnia vsitata, & breui durantia tempore.* Vnde quidem vti iam adductus dicebat Isocrates: *Si præteritorum memor eris, rectè de futuris statues.*

Maxim. Tyrius. 8 Sed quæcumque hac adnotatione diximus Maximi Tyrij testimonio elucidare, atque firmare placet: dum ipse dissertat. 12. quidquid boni est, siue honesti, siue vtilis, siue iucundi historiarum lectioni inesse, sic dilucidè, atque eleganter affirmat: *Nihil est iucundius, quàm in historia versari, quàm sine labore vlle passim diuagari, omnes simul locos intueri, omnibus bellis sine periculo interesse, infinitum temporis spatium contrahere, infinitas res gestas simul cognoscere, quæ ab Assyriis, quæ ab Aegyptiis, quæ à Persis, quæ à Medis, quæ à Græcis facta sunt. Bello nunc terrestri, nunc marino, nunc concionis media videri interesse consiliis. Cum Themistocle in mari, cum Leonide in terra pugnare, cum Agesilao traiicere, cum Xenophonte incolumem redire, amare cum Panthea, venari cum Cyro, regnare cum Cyaxari. Quod si sapiens ea de causa Vlysses dicitur, quod vafer esset, &*

Multorumque hominum mores lustrasset, & vrbes
Homer. *Dum sibi, dum sociis reditum, pariterque salutem*
Apparat.

Multò sapientior est, qui extra periculum historia lectione sese explet. Charybdim videbit, sed sine naufragio. Sirenas audiet, sed sine vinculis, cum Cyclope aget, sed miti, & pacato. Et statim in eandem sententiam: *Et si eo nomine felix fuisse Perseus iudicatur, quòd passim alarum vagaretur beneficio, totam terræ naturam, omnia intueretur loca, multò lætior certè, & sublimior his Perseis alis habenda est historia,* A *qua passim animum circumfert nostrum, nec nudas ei simplicesque res ostendit, sed & hominum, & fluuiorum origines.* Hæc & multò plura Maximus Tyrius de historiæ vtilitate, & iucunditate.

Ad eadem verba.

Sacrarum historiarum libros Principi tractandos, & euoluendos ad sui institutionem fore.

ADNOTATIO III.

1 SED iam quæ Principi legendæ historiæ? Quis huic lectioni præfigendus scopus? Num id attendet solùm, vt animum recreet, & curarum fastidio leuet? aut obuios quoscumque historiarum perleget libros? & quoslibet rerum euentos cognoscere curabit? Occurrit iis Seneca epistola 88. ad hunc modũ:
B *Hoc quidem me quærere vtrùm maior ætate fuerit Homerus, an Hesiodus, non magis ad rem pertinet, quàm scire an minor Hecuba fuerit, quàm Helena, & quare tam malè tulerit ætatem. Quid annos Patrocli, & Achillis inquirere, ad rem existimas pertinere? Quæris, Vlysses vbi errauerit potiùs quàm efficias, ne nos semper erremus? non vacat audire, vtrum in Italiam, at Siciliam iactatus sit, an extra notum nobis orbem, neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus. Tempestates animi nos quotidie iactant, & nequitia in omnia Vlyssis mala impellit: non deest forma, quæ sollicitet oculos, non hostis: hinc monstra effera, & humano cruore gaudentia, hinc insidiosa blandimenta aurium, hinc naufragia, & tot varietates malorum: hoc me doce, quomodo patriam amem, quomodo vxorem, quomodo patrem, quomodo ad hæc tam honesta vel naufragus nauigem. Quid inquiris, an Penelope impudica fuerit? an verba sæculo suo dederit? an Vlyssem illum esse, quem videbat, antequam sciret, suspicata sit? Doce me quid sit pudicitia, & quantum in ea* Seneca.
C *bonum: in corpore, an in animo posita sit.* Hæc iam multa Seneca: si tamen multa sunt, quibus hoc institutum vrgens nihil demere possis, dum in illis habes, quæ non legenda; quæ omnino legenda Principi sunt, nimirum tricarum, nugarum, & anilium fabularum, siue puerilium historiarum delectamenta in quibus bonæ horæ malè collocantur, procul cum suis auctoribus amandanda: vel ipso Gentili Mario apud Salust. in Iugurtha admonente: *Parum mihi placent eæ literæ, quæ ad virtutem Doctoribus nihil profuerunt.* Salustius. Eæ verò historiæ complectendæ, quæ magnorum Principum, & illustrium virorum; & gloriosorũ Ducum vitas proponentes Principem docent, quomodo Regno idoneus, patriæ vtilis, subditis charus sit, quid in vitâ expetendum, atque sequendum, quid fugiendum ac declinandum fuerit, quid ad explorandi hostium consilia, quid ad ducendum exercitum, quid ad continendos in officio ciues, & milites, quid ad compescendam seditionem, quid ad ordinandam
D aciem, quid ad victoriâ commodiùs vtendum, maximè prosit, aut iuuet. Nimirùm multum interest, in legendo an *nomine magnifico segne otium velet* Princeps (sic Cornel Tacitus lib. 4. historiar.) an sic præceptis, exemplisque instruatur: *vt firmior aduersus fortuita Rempublicam capessat.* Corn. Tac.

2 Sed quos iam signatè historicos scriptores Principi primùm in manus damus? Ordiemur à Græcis Thucydide, Xenophonte, Polybio, siue à Romanis, Cæsare, Salustio, Cornelio Tacito, & aliis huius notæ Auctoribus? Imò verò tanquam Vates conclamem:

Procul, procul este prophani.

non equidem quod hos omittendos, sed quod transmittendos, siue postponendos censeam: quippe ingẽs piaculum in Religionem, in veritatem, in Principem committerem, nisi illico sacrorum librorum historias tractan-

tractandas & euoluendas ingererem. Quid enim Princeps vt certius, & vero verius, ita opportuniius, atque vtilius ad sui institutionem, & pulcherrimi imperij formationem possit legere? Hac omnino imbutus mente Noster Rex aiebat: *Latabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa*. Ps. 118. v. 162. Sic hæc verba expendente inibi Ambrosio serm. 21. *Meritò ergo exultio sicut qui inuenit spolia multa: sine labore meo inueni spolia qua non habebam, inuens Pentateucum, inueni Regnorum libros, inueni Prophetarum scripta*. Et statim cum allusione ad spolia ab Israelitis de Ægypto ablata: *Hebræi spoliauerunt Aegyptios, & vasa eorum abstulerunt: Iudæorum spolia habet populus Christianus, & totum habemus quod illi se habere nesciebant. Illi aurum, & argentum materiale abstulerunt, nos aurum mentis accepimus, nos acquisiuimus cælestis sermonis argentum*. Scitè. Quæ enim opimiora, ditiorave spolia, quibus Principis animus, ac mens ornetur, ac locupletetur, vt ingentes in regia arte, & gubernandi disciplina progressus faciat, quàm sacræ paginæ historiæ, & exempla? *Quandoquidem in his* (sic Basilius epistola prima) *quum rerum agendarum pracepta reperiuntur, tum beatorum hominum vita memoria prodita, ac superscripta, tanquam simulachra quadam animata proposita sunt vita ad normam diuinam iustitia iis quidem, qui bonorum operum exemplaria imitari cupiunt*. Pergit verò Chrysostomus, & dum sacras historias omnibus sigillatim hominũ statibus cõuenientes ostendit, tantum robur illarum lectioni attribuit, vt vix fieri posse affirmet, eum qui ei assiduè incumbat, à noxiis cupiditatibus superari. Audi illum Homil. 1. de Dauide, & Saule sic monentem: *Siue de rege loqui voles, ecce Rex: siue de militibus, siue de re familiari, siue de publicis, ciuilibusq; negotiis videbis in Scripturis horum omnium magnam copiam. Huiusmodi commemorationes maximam afferunt vtilitatem. Impossibile est enim, impossibile inquam, est animum in hoc genus historiis versantem à cupiditatibus superari*. Sic ille. Ad cuius gustum Anastas. Nicenus q. 78. in Scriptura cum ea Domini verba apud Matth. 13. 52. *Omnis scriba doctus in regno calorum similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera*: diuinarum lectioni scripturarum sic aptasset; vt illos qui eius expertes sunt, patresfamilias esse posse negaret, subiicit: *Quomodo enim, qui hac luce sunt priuati, recta non possunt ingredi, ita etiam qui diuinis sunt priuati Scripturis, & ad earum radios non aspiciunt, sæpè offendunt, & coguntur assiduè peccare*. Hæc Chrysostomus, & Anastasius: quibus vt nihil certius, ita nihil maius, & opportunius in hanc rem dici potuit.

Psalm. 118. vers. 162.
Ambros.
Chrysost.
Anastas.

3 Vt non possim non grauiter commoueri, ac vehementiùs indignari, cum Christianos homines de politicis ac ciuilibus rebus scribentes, & consulentes video, qui dum Principi historiarum lectionem cõmendant, quæ actiones vitamque omnem formet, ac dirigat, nulla diuinorum librorum, ac sacrarum historiarum mentione facta, toti sunt in obtrudendis, & quæsitissimè laudandis Ethnicis historicis, quos iam densos sententiis, sanos iudiciis, recta & salutaria monita habentes, prædicant: iam illos, orationibus, & excursibus pœne diuinis instructos, occultè vbique instruentes actiones, vitamque dirigere omnino aiũt, planè ac si hæc omnia incomparabili excellentia in sacris historicis non essent, qui non alio interuallo profanis quàm cælum terræ, diuina humanis præcellunt. Sed enim miselli illi politici, siue instar Ægyptiorum aratorum sunt, de quibus Seneca lib. 4. c. 2. *Aratores in Aegypto cælũ non suspiciunt*, siue pectora cœca, & mentes amentes habent, siue (quod potiùs reor) prophanis illis affixi, vel quidquid diuinum & sacrũ est non mouere, vel eam ad hanc lectionem non afferunt saliuam, qua eius gustum capere possint, Ethnicis suis, quos tantopere diligunt, persimiles de quibus

Seneca.

P. Velasquez in Psal. centesimum.

A scitè alicubi Ambrosius: *Non capiunt magnitudinem fidei angusta gentiliũ pectora*. Quàm sapientius (bone Deus) quantò vitilius Amalasuinta Regina apud Cassiodor. lib. 10. epist. 3. ea potissimum inter alias de causa Theodahadum regni sui consortem fecit, quòd sacris literis eruditum, inde regendis populis maximè idoneum, nouerit. Audi illam, quæ cum ipsum à ciuili doctrina magnopere laudasset, subiicit: *Accipite quod maius generalitatis vota meruerunt. Princeps vester etiam Ecclesiasticis est literis eruditus, à quibus semper quidquid est pro honore commonemur: iudicare rectè, bonum sapere, diuina venerari, futura cogitare iudicia. Necesse est enim, vt sequatur iustitia vestigium, qui de sua sententia causam se credit esse dicturum*. Pergit & nouam rationem Principis animo dignam subiicit: *Viderim qua lectio acuat ingenium; diuina semper efficere nititur pium*.

Ambros.

4. Sed enim illud est huic instituto per opportunum, quod de Sacra Scriptura Gregorio Magno
B interprete dicitur Cant. 4. vers. 4. turrim videlicet Dauid esse: *qua ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Quippe inquit Gregorius Hom. 15. in Ezechiel: *In hac turri armaturam nostra mentis inuenimus, vt inde pracepta, inde sumamus exempla, per qua contra aduersarios nostros inexpugnabiliter armemur*. Nimirum si prauis affectibus Princeps contraire velit, hic præcepta, hic exempla ad manum habebit. Audiat Chrysostomum ea de re nec non eius asseclam auctorem operis imperfecti in Matth. Sic enim prior Hom. 36. in Ioann. *Omnium medicinarum thesaurus diuina Scriptura sunt, & siue stultitiam exuere, siue affectus sedare, siue pecuniarum cupiditatem expellere: siue dolores contemnere; siue aduersa aquo animo tolerare velimus, quàm plurima hinc remedia inuenire possumus*. Nec aliter posterior Homil. 41. in cap. 22. Matth. *In scripturis Sanctis qui igna-*
C *rus est inueniet ibi quod discat, qui contumax est, & peccator, inueniet ibi futuri iudicij flagella, qua timeat, qui laborat, inueniet ibi glorias, & promissiones vita perpetua quibus amplius excitetur ad opus*, &c. *Qui percussus est à diabolo, & vulneratus est in peccatis, inueniet ibi medicinales cibos, qui eum per pœnitentiam reuocent ad salutem. Vt quid enim in sacris litteris scriptum est, quod Achan propter furtum lamina aureæ sit lapidatus, nisi vt habeant fures quod timeant? vt quid ibi filij Israel qui fornicati sunt cum filiabus Moabitarum percussi refugerunt in Beelphegor, nisi vt habeant fornicatores quod perhorrescant? Vt quid concupitores carnis castigati sunt in deserto, nisi vt nemo delicias concupiscat? Vt quid Dauidem arguit Nathan, & suscepit, nisi vt adulteri, & homicida pœnitentia remedium non desperent? Raab meretrix sanctificata est, vt meretricibus spes daretur*. Hæc omnia ille, vt meritò dixerit Hieronymus in epist. 9. ad Saluinam ab hoc sacræ Scripturæ
D lectionis clypeo omnia peccati iacula repelli: *Semper (inquit) in manibus tuis sit diuina lectio, vt omnes cogitationum sagitta, quibus adolescentia percuti solet, huiusmodi clypeo repellantur*. Certè ipsemet Dominus, qui se ipso satis erat armatus, ad nostri tamen institutionem ignita diaboli iacula Scripturarum semper scuto retudit Matth. 4. 3. *vt discamus* (inquit ibi Cardin. Caiet.) *arma nostra esse sacras Scripturas. Nulla enim poterit nos suasio ad malum trahere, si consultis Scripturis sacris actiones nostras, & omissiones direxerimus*.

Cant. 4. 4.
Greg. Mag.
Chrysost.
Auctor. Oper. Imp.
Hieron.
Matth. 4. 3.
Caietan.

5 Iam verò egregia principum exempla, quibus tamquam clypeis sese Rex protegat, & ad virtutẽ capessendam armet, imò verò animata simulachra, quæ ad normam diuinam iustitiæ Principi à Deo proposita in Scripturis Sacris sunt, ex iisdem Gregorio Magno, & Basilio singillatim appingere, operæpretium dubio procul erit: & Basilius quidem sic primũ hoc vrget institutum: *Temperantia quidem homo cupidus historiã Iosephi assidua lectione euoluat: ab ea enim edidicerit actio-*

Basilius.

 nes

nes temperantiâ plenas, cùm compererit, eum ad habitum virtutu promtũm esse, nedum voluptarius in rebus continentiâ praditum. At verò in fortitudine instituetur lector ex historia Iobi, qui vita in contrarium ipsi cedente, ac prorsus immutato, egrus ex beato, orbus ex pulchra prolis parente vnius diecula momento factus, non idem modò suique simillimus mansit, celsos animi spiritus ad extremum vsque retinens, sed ne amicis quidem eius, qui ad consolandum eum venerant, tandem ipsi insultantibus, dolorẽ eius exacerbando, iracundè irritatus est. Rursus aliquis reputans, quomodo magnanimus idem, & clemens esse possit, ita vt animo quidem obfirmato aduersus peccatum, clementia verò vtatur erga homines, illic Dauidem inueniet generosum in bellicis facinoribus, clementem, & placidum in inimicis vlciscendis. Talis erat Moyses ingenti ille quidem ira in illos insurgens, qui in Deum peccauerant, sed miti animo perferens eos, qui sibi obtrectauerant.

Greg. Ma. Sic Basilius. Gregorius verò rem altiùs exordiens diuinos hosce clypeos ab ipso qui vita primùm functus est Abele enumerauit hunc in modum: *Ad seruandum itaque innocentiam etiam læsi à proximo in humilitate festinamus? Abel ante oculos veniat, qui & occisus à fratre scribitur, & non legitur reluctatus. Mentis munditia etiam cum coniugali copula eligitur? Enoch debet imitari, qui & in coniugio positus ambulauit cum Deo, & non inueniebatur, quia transtulit eum Deus. Præcepta Dei festinamus præsenti nostra vtilitati præponere? Noë ante oculos veniat, qui cura domestica postposita ex iussione omnipotentis Domini per centum annos ad arca fabricam vixit occupatus. Subire obedientia virtutem nitimur? aspicere Abraham debemus, qui relicta domo, cognatione, patria, obedinit exire in locum quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit nesciens quò iret, qui paratus exstitit, vt pro æterna hæreditate dilectum, quem acceperat, occideret hæredem, & quia vnicum Domino offerre non distulit, vniuersam multitudinem gentium in semen accepit. Mentis simplicitas placet? Isaac ad mentem veniat, quem in Omnipotentis Dei oculis vita sua tranquillitas ornauit. Laboriosa fortitudo vt obtineri debeat, quæritur? Iacob ad memoriam deducatur, qui postquam seruiit fortiter seruire homini, ad eam quoque virtutem deductus est, vt non potuisset à luctante Angelo superari. Conamur carnis illecebram vincere? Ioseph ad memoriam redeat, qui tentante se domina studuit carnis continentiam etiam cum vitæ periculo custodire. Vnde factum est, vt quia membra sua benè nouerat regere, regenda quoque omni Ægypto præesset.* Pergit multis Moysis, Samuelis, Phinees, Dauidis, & aliorum illustrium virorum vitas, exemplaque recensens: quibus siue ad vitæ exemplar & morum institutionem, siue ad verissimam disciplinam, & ad rei ciuilis exercitationem, & ad publicas deliberationes nihil fuerit opportunius.

6 At, inquis, plura etiam inibi, siue impiorum Principum flagitia, siue etiam Patriarcharum, & bonorum Regum lapsus memorâtur: ibi bonis multa aspera & incommoda obiici, paupertatem, ignominiam, exilium, cruciatus corporis, & ipsam tandem acerbam mortem: contra verò homines improbus abundare diuitiis, gloria, honoribus, potentia, videmus. Sed quid inde? Nonne hæc etiam optima Regum institutio est. Nam vt de primo dixerim: non minus Sanctorum lapsibus, quàm virtutibus instruuntur, dum eorum periculo sibi cauent, & breuia, ac scopulos, ad quos ipsi impegerunt fugiunt. Audi Ambrosium id non semel affirmantem.

Ambros. Ita enim primùm de Patriarchis Noë, & Loth sic aliquando vino indulgentibus, vt ebrietati manserint obnoxij: *Instruunt Patriarchæ non solùm docentes, sed etiam errantes. Ideò iteratum est exemplum ebrietatis, vt confirmetur magisterium cautionis.* Pulchrè *instruunt errantes*; quomodo enim non caueat, fugiat, & omni ratione vitet id erratum Princeps quo videt primarios viros fœdatos, & non leuem gloriæ suæ maculam inferentes. Ita quidem Alexander Seuerus qui Magnum Alexandrum sibi imitandum proposuerat, eius vitam legere solebat: sic verò in illum Principem pronus, & studiosus vt eius vitia simul condemnaret: ita enim de illo Lampridius: *Legit & vitam Alexandri, quem præcipuè imitatus est, etsi in eo condemnabat ebrietatem, & crudelitatem in amicos.* *Lamprid.* Vnde rursus Ambrosius lib. 10. in Lucam de Petro Dominum abnegante: *Error Petri, doctrina iustorum est, & titubatio Petri omniũ petra est.* Quid? discendũ ne est Petri error? Nõ quidẽ, sed dediscẽdus, discendũ verò ex illo, quomodo non erretur. Quare subiicit post nonnulla Ambrosius: *Qui lapsus es, antequã fleres, postquam fleuisti, erectus es, vt alios regeres, qui te ipsum antè non rexeras.* *Ambros.* Ita ille. Iam verò cùm bonis viris plerataque mala obtingere, malis autem florentem fortunam aspirare narrant nobis Scripturæ, nõnne simul tacitè clamant ea quæ nobis mala esse videntur, mala non esse, neque tantum acerbitatis esse in eis excipiendis, quantum gloriæ in fortiter perferendis, similiter, quæ impij appellant bona, vera bona non esse, cùm nihil verè bonum sit, nisi quod meliores, & laudabiliores eos, in quibus est, facit. Quid? quod tandẽ nobis manifestum faciunt, bonis benè succedere, malis malè, qualia hominum consilia sunt, tales plerumque esse euentus. Sed de hoc fusius in sequentibus.

7 Nec fuerim contentus leniter indicasse, quàm sint opportunæ Principi sacræ historiæ, nisi etiam addiderim duplici ipsas ex causa illius institutioni aptissimas omnium esse. Altera quòd à Sacro Scriptore eo signatè fine, ea de causa, atque ratione fuerint conscriptæ, vt exẽplo, & documẽto Principibus fuerint, vnde id omne illis subest, quod vtiles, & profuturas historias habere debere quotquot pleno pectore sapiunt, censuêre. Nimirũ eum vnus ex parte is historiæ scopos sit, vt actiones, vitamq; humanã firmiter dirigat, ex alia verò in rebus magnis, & memoria dignis consilia primũ, deinde acta, denique euentus expectẽtur, ille legitimus historicus, & artis leges vndequaq; explens censebitur, qui quoad consilia tam acri, & recto iudicio sit, vt ea probet, quæ saniora, & honestissima fuerint: in rebus verò gestis non declaret modò, quid actum, dictumq; sit, sed quomodo, & quo fine: iam cùm de euentibus egit, vt causas explicet omnes seu casus vel sapientiæ, vel temeritatis, simulque quomodo sibi inuicem consilia, & exitus respondeant, boni videlicet, & felices, bonis; & mali, atque infortunati malis. Id autem nullum vnquam omnino historicum, tam dilucidè, atque accuratè ac Sacrũ Scriptorem præstitisse, sed nec præstare potuisse, facilè quisquis habuerit oculos, & siue in Pẽtateucho Moysis, siue in libris Regum, & Paralipomenon, vel mediocriter fuerit versatus animaduertet: ibi enim, vel ipsamet occultissima Principum cõsilia à diuino Spiritu, cui omne cor patet, reuelata, ibi res gestas adeò fideliter & ad viuum descriptas, & suis causis exitus omnino respondentes diuina prouidentia iustos conatus promouente, & fortunante: ab iniquis verò sese submouente, nec eum illis commilitante, vt non possit non legenti maximum vitæ documentum, & vel ingens peccati timor, vel ardens virtutis amor adhærere. Vnde Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. vltimo sic sapienter inquit: *Quanto minor est auri, argenti, vestisq; copia, quam de Ægypto secum ille populus abstulit in comparatione diuitiarum, quas posteà Hierosolyma consecutus est, quæ maximè in Salomone Rege ostẽduntur, tanta sit cuncta scientia, quæ quidem est vtilis, collecta de libris Gentilium, si diuinarum Scripturarum scientia comparetur. Nam quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur: si vtile est, ibi inuenitur, & cùm ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit,* *August.*

didicit, multò abundantiùs ibi inueniet ea, quàm usquam omnino alibi, sed in illarum tantummodò Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur. Sic Augustin. (*S. Iusti. M.*) Cui omnino subscribit S. Iustinus M. orat. 2. ad Græcos, eam reddens rationem, cur Ethnicam superstitionem cum Christiana religione commutaoerit, quòd in Gentilium libris deorum flagitia in honore habita, in sacris verò virtutes honore ac præmiis affectas, vitia verò dedecore, & suppliciis animaduersa inuenerit. Vnde sic optimè exclamat: *O grauium affectuum fugatorium instrumentum? O ignis animæ insiti extinctorium magisterium! Hæc nos non efficit Poëtas, non Philosophos reddit, neque Oratores excellentes, sed ex morti obnoxiis immortales, & deos ex mortalibus facit.*

8 Sed altera iam de causa diuina historia prophanis infinito interuallo antecellit, quod in istis Xenophon, aut Salustius, in illis verò nobis Deus ipse loquatur. (*Ambros.*) Sic enim scitè dicebat Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 20. *Illum alloquimur, cùm oramus, illum audimus, cùm diuina legimus oracula.* B Iam vt prophani illi nuda & frigida legentibus verba obtrudunt, ita Deus non nisi viuaciter spirantes, & ardentes sermones loquitur: (*Psalm. 118. 140.*) dicente nostro Vate Psalm. 118. vers. 140. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud:* (*Prou. 30. 5.*) & Salomone Prouerb. 30. 5. *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est omnibus sperantibus in eum.* Ipse quippe qui ignis est suis se eloquiis omnino admiscet, sic alloquēs vt accendat, calefaciat, persuadeat, moueat. Vnde ad (*Ambros.*) verba Dauidis sic inquit Ambrosius sermon. 18. *Bonus ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere nisi sola peccata. Hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur. Vrit enim sermo diuinus vt corrigat conscientiā peccatoris, non exurit, vt perdat.* Ita quidem de Domino ipsos alloquente, & Scripturas Sacras explanante notanter dicebant duo illi (*Luca 24. 32.*) discipuli apud Lucam 24. 32. *Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* (*Deuter. 4. 24.*) Quæ verba cum adduxisset Hieronym. epist. 142. C (*Hieronym.*) ad Damasum de prima visione Isaiæ: & cum illis Domini Lucæ 12. 49. *Ignem veni mittere in terram:* nec non cum iis Deuteronomij 4. 24. *Deus noster ignis consumēs est:* commisisset: subiicit: *Ergo quærimus, vbi sit hoc incendium salutare? Nulli dubium, quin in sacris v*[illegible]*minibus, ex quorum lectione vniuersa hominum vitia pu*[illegible]*ur.* Sed enim præfatum inter sacros, & prophanos libros, siue inter humana, & diuina verba discrimen sic omnino (*Ieram. 23. 28.*) ipsemet Dominus vrget Ieremiæ 23. 28. *Quid paleis ad triticum? dicit Dominus. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram?*

Ad eadem verba.

Peculiares Regni, ac Prædecessorum Regum historias Principi signatè legendas fore, vt ab optimis exemplis ad egregias virtutum actiones æquè instituatur, ac accendatur. D

ADNOTATIO IV.

Post sacrarum literarum historias, succedant in Principis manus, quæ laudati Auctores conscripsēre, & à politicis Scriptoribus certatim indicantur: peculiari elogio, ac laudatione singulis additâ. Sed id nobis omnino videtur addendum, quod illi omittentes nō leuiter peccarunt. Eas nimirùm historias Principi magno studio, & obseruatione signatè voluendas, & memoriâ retinendas, in quibus Regum prædecessorum, & parentum suorum facta, dictaque conscripta sunt; quòd hæ vt ad ipsum proximè pertineant, ita illius animum acriùs ad imitationem vrgeant, & ardentiùs inflamment, quippe vt alibi à no-

Velasquez in Psalm. centesimum.

A bis allatus Hebræus Philo libr. de Abraham dicebat: (*Philo.*) *Easdem vitas Patrum, ac leges posterorum;* tantùm non dicens teneri posteros ex lege successionis egregia patrum suorum exempla imitari, nec aliud esse singulas ipsorum virtutes, quàm totidem leges, quæ posteros ad eas exprimendas constringunt. Quam cogitationem perbellè aperuit vetustus Panegyristes Constantini Imperatoris: (*Panegyr. Constant.*) dum egregias ipsius virtutes recensens, illis ipsum Patris sui legata persoluere sic affirmat. *Iustitiam verò patris, atque pietatem sic imitaris, ac sequeris, vt omnibus ad te confugientibus, diuersamque opem, aut contra aliorum iniurias, aut pro suis commodis postulantibus, quasi legata patris videaris exsoluere, idque ipsum coram gaudeas prædicari, quidquid tu iustè ac liberaliter feceris, filium Constantij necessariò præstitisti.* Sanè quasi non aliter filius, non aliter Imperij legitimus hæres fuerit, nisi paternas virtutes imitetur, ad quas exprimēdas, & iure naturæ, & lege successionis non minùs strictè B tenetur, quàm qui hæreditatem ex testamento cupiens ad legata in eo relicta persoluenda necessariò adigitur. Vnde Athalaticus Rex apud Cassiodorum (*Cassiodor.*) libr. 9. epist. 22. vt Paulino viro Consulari ad egregia facta perurgeret, veteres illos Decios, à quibus ducebat originem illi ob oculos proponens, subiiciebat: *Hæc nos exempla summonendo semper accendunt. Quia magnus verecundiæ stimulus est, laus parentum, dum illis non patimur esse impares, quos gaudemus auctores.* Opportunè.

2 Hæc à diuinis omnino firmantur, dum de Dei Filio affirmat Salomon Sapientiæ 7. 26. (*Sap. 7. 26.*) *Candor est enim lucis æternæ & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Vbi cùm multa sint obseruatu digna, quæ non modò in eius libri commentariis, sed etiam in hoc libro non semel persequimur, illud modò placet animaduertere, quod postea cùm de Principis beneficentia egerimus, fusiùs explanabimus Græcè (*Lect. Græc.*) voci *Maiestatis* respondere energiam, ideò Origenem (*Origen.*) lib. 1. Periarch. cap. 2. & Augustin. lib. 1. de Incar- (*August.*) C nat. Verbi cap. 13. legisse, *Inoperationis*, quam sic vtrasque interpretatur: *Inoperatio est vigor quidam, (vt ita dixerim) per quem inoperatur Pater vel cum creat, vel cum prouidet, vel cum iudicat, vel cum singula quæque in tempore disponit, atque dispensat:* vnde is sensus subest iis verbis, *speculum sine macula Dei inoperationis:* Eam filij naturam & conditionem, siue etiam legem esse, vt non secus ac speculum faciem eius, qui in illo se intuetur, omnino refert, ita quidquid in Patre virtutis, & perfectionis est, omni ex parte exprimat: & vt illud à ratione speculi deficeret, si minus aliquid ostenderet, aut aliam, quàm re ipsa est faciem referret, sic à filij natura, & lege deflectere Filius diceretur, si easdem egregias Patris actiones, & rectè facta non etiam exhiberet. Sic inibi hanc rationem iisdem verbis vrgentibus Augustino, & Origene: *Sicut ergo in speculo omnibus motibus, atque omnibus actibus, ut qui per speculum* D *intuetur, mouetur, vel agitur, in nulla prorsus declinant: ita & Sapientia, id est, Christus, de se vult hîc intelligi, quod & ipse de se pronuntiauit:* Opera quæ facit Pater: *hæc etiam facit Filius similiter: & non potest Filius à se facere quidquam nisi viderit Patrem facientem.* Ioan. 5. 36. & Ioan. (*Ioan. 5. 36.*) 14. 10. (*Ioan. 14. 10.*) Quæ suo etiam modo sibi etiam Princeps debet aptare, vt egregia progenitorum facta legens, & obseruans, eadem, & quà ipsorum filius, & quà hæres ex lege naturæ, & ex iure successionis exhibeat. Quia magnus verecundiæ stimulus est laus parentū, dū illis non patimur esse impares quos gaudemus auctores.

3 Hinc notātissimè in Summi Sacerdotis, qui populi Princeps olim erat, rationali pectori affixo *parentum magnalia* (vt inquit Sapientiæ lib. c. 18. 24. vbi pro (*Sap. 18. 24.*) *magnalia* Biblia Complutensis habet *gloria*: Vatablus (*Bibl. Com. Vatablus.*) verò *Decora*,) *in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta*: hoc est vt ex Hieronymo bene interpretatur

Ribera. P. Ribera, de templo lib.3.ca.11.duodecim Patriarcharum virtutes, egregiaque facinora in duodecim gemmis rationalis ad quatuor ordines redacta: sic Hieron. namque Hieronymus: *Sub horum nominibus, & specie, virtutum vel ordo, vel diuersitas indicatur.* Vt videlicet æquè omnium parentum suorum virtutum atque hæreditatis, siue regnorum successorem se Princeps agnoscat: ideò illas secum assidua cogitatione verset: in illis animus, & mens sit, ab illis pungatur, & inflammetur, tantùm non dicens cum Cassiodoro: *Hæc non summouendo semper accedunt*: ab illis ne quid illicitum faciat, & quod regia dignitate dignum non sit, omnino cohibeatur: tuncque optimorum parentũ filium, & hæredem se esse existimet cum quidquid in illis decoris, & gloriæ fuit, in se ipso expresserit, & subditis suis fecerit manifestum. Hæc omnia ad hunc locum Greg. Ma. notanter admonentibus Gregorio Magno 2. part. Pastoralis cap.2.& lib.1.epist.24.& Beda in libro de Templo cap.5. sic enim Pontifex: *Adscriptos patres in pectore ferre, est antiquorum vitam, & vestigia sine intermissione cogitare, & ea ratione, cogitationes illicitas deprimere, ne extra ordinis limitem, operis pedem nostra vita tendat.* Pulchrè. Quid enim Principis animum, manus, linguam, fortiùs cohibeat, ne aut facto, aut verbo, sed nec cogitatione ipsa ad illicita feratur, aut aliquid dicat, agátve quod indecorum sit, quàm inclytorũ Principum, & magnorum Regum filium se esse meminisse, qui viua virtutum simulachra nulla iniustitiæ labe infecta exitêre? nec quid secus acturi, aut locuturi essent. Ita Plutarch. quidem Plutarchus in præceptis gerendæ Reipub. sapienter adhortatur: *Nonnullis peccantibus parentum præclarorum est obiicienda mentio. Sic apud Homerum:*

Haud similem natum tibi Tydeu magne dedisti:

Et Appius in comitiis cũ Africano Scipione contendens: Quàm, inquit, ingemisceres Paule apud Manes, si sentires filium tuum censura petenda gratia in campum descendentem à Philonico publicano stipari. Ad quem modum Poëta sic primum inducit Priamum præferoci, ac cruento Pyrrho dissimile ingenium patris bonitate, & moribus obiicientem Æneid. 2.

Virgil. *At non ille, satum quo te mentiris Achilles*
Talis in hoste fuit Priamo, sed iura, fidemq;
Supplicis erubuit: corpusq; exangue sepulchro
Reddidit Hectoreum, meq; in mea regna remisit.

deinde, dum ferum illum Priamo vulnus, & necem inferentem facit, simul etiam proprio ore fatentem se à suauissimis patris Achillis moribus degenerare sic inducit:

Cui Pyrrhus: Referes ergo hæc, & nuntius ibis
Pelidæ genitori: illi mea tristia facta.
Degeneremq; Neoptolemum narrare memento.

Beda. Sed iam Bedam Gregorij sententiam diffundentem audi. *Gemmarum (inquit) dispositio diuersarum multiplicem variarum virtutum operationem designat, quæ concordi serie disposita in Principis debet corde semper apparere:* & statim: *Singuli lapides singulis patrum nominibus scribuntur, dum sanctorum vitam Rector inspiciens, qui quibus maximè virtutum operibus floruerint, sedula inquisitione scrutatur, & hæc cuncta in abditis sui pectoris meditando colligere, atque operando proferre satagit.* Hæc ille.

4 Accinit alter eiusdem libri Sapientiæ locus cap. Sap.16 11. 16.11. vbi iustos Israëlitas ab impiis Ægyptiis sic Salomon Lect. Gra. discriminabat: *In memoria enim sermonũ tuorum examinabantur, & velociter saluabantur, ne in altam incidentes obliuionẽ, non possent tuo vti adiutorio.* Sed obserua duo, alterum pro *examinabantur*, Græcè propriè esse Nazianz. *stimulabantur*, vti id verbum Gregor. Nazianz. orat. 16. de pauperum amore vsus, ait, *ad humanitatem stimulat:* alterum, plures Codices Latinos, quibus adhæsit Hugo. Hugo, non habere: *in memoria sermonum*, sed signatè: *in memoria seruorum tuorum*; quod ille de Abrahamo Isaac, & Iacob omnino explicat. Vnde is est sensus, filios à sola egregiorum parentum memoria velut ab acutis calcaribus adhibitis, ad virtutem absque vlla mora suscipiendam acriter stimulari. Vt videris quàm opportunè, quàm verè dixerit Athalaricus: *Quia magnus verecundiæ stimulus est laus parentũ dum illis non patimur esse impares, quos gaudemus auctores.* Quod apud eumdem Cassiodorum lib.1.epist.4.itidem firmat idemmet Rex Athalaricus: necnon eius auus Cassiodor. Theodoricus: hic enim cùm de Cassiodoro, cui Patritiatus honorẽ dabat, priùs dixisset: *Qui licet se moderando gloriosum fecerit, hoc tamen maius contulit, quod bonæ actionis exemplum sequentibus dereliquit.* Subiicit: *Pudet enim eum peccare, qui laudatis viris videtur potuisse succedere.* Ille verò vt se non tantùm regnorum, sed virtutum etiam aui sui hæredem, atque inde ad pulcherrimas virtutes stimulari ostenderet, sic elegantissimè aiebat: *Minùs cogitant, qui obscuris Principibus, & versatis in mediocri actione succedunt. Nos talis præcessit, vt exquisitis virtutibus eius sequi vestigia debeamus.* Ita ille in Cassiodoro li.8.epist.3. A quo non omnino abit inclytus ille Alexander Seuerus apud Lamprid. Antonini nomen quod à prædecessorum virtute sacrum habebatur, sic modestè recusans: *Ne quæso P. C. ne me ad hanc certaminis necessitatem vocetis, vt ego cogar tanto nomini satisfacere: cùm etiam hoc ipsum nomen licet peregrinum tamen grauare videatur. Hæc enim nomina insignia onerosa sunt. Quis enim Ciceronem diceret mutum? quis indoctum Varronem? quis impium Metellum? & vt hoc dij auertant quis non æquitatem nomine ferat deserentem in clarissimam spem dignitatum?* Sic Alexander.

5 Iam si id oculis ipsis intueri velis, quid Moyses egerit, cùm Dominum in rubo ignis loquentem audiuit, intẽde. Equidem cùm primùm illum in incombusto illo rubo considentem adspexit, fidens, & audens ad intuẽdum in illum cucurrit, inquiẽs: Vadam, & videbo visionem hanc magnam: cumque ipsum proprio de nomine Dominus appellasset *Moyses, Moyses*; ille interritus respondit: *Adsum*; at enim subiiciente Domino: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*: statim *abscondit Moyses faciem suam.* Exod. 3.6. Sed quam ob rem, qui ad primum Exod. 3. conspe[illegible] non expauit, sed cùm præ rei nouitate, & insperato tantæ Maiestatis spectaculo faciem inclinare debuerat; aperto quidem vultu, & inconniuenti pupilla in Deum intendit; postea ad hominum nomina audita faciem abscondit? Fulgentior, ardétiorve Abrahami, Isaac & Iacob lux ad ipsius oculos præstringendos, quàm diuinæ Maiestatis fuit? plusve eorum memoriam, quàm Dei præsentiam, & Numen coluit? Occurrit huic dubio scitè Pater Pereyra inibi Pereyra. disputatione 8. n.35. admonẽs pudoris potiùs, quàm reuerentiæ fuisse quòd ad nomina magnorum illorum Principum faciem suam Moyses absconderit, planè quasi à magno verecundiæ stimulo compũctus, dum iis se omnino imparem agnouit, quos patres habere gaudebat. Audi illum: *Nihil est enim quod magis nos pudore afficere possit, quàm si insignium sanctitate virorum, qui in vita spirituali quasi maiores, & Patres nostri haberi debent, eximias virtutes, & præclara facta intueamur, & cum animo nostro reputemus, atque vitam & mores, & opera nostra cum illis comparemus.* Vides, vt filius eximias parentum suorum virtutes, & præclara facta non exprimens faciem abscondat, quin non possit maximo rubore perfundi? Et quidem meritò, cùm vna ex parte debitorem se legatorum patris agnoscat, ex alia, eadem à se non persolui animaduertat. Quid enim acriùs Principem pungat, quàm debiti non persoluti admoneri? Disce id ex Imperatore Tiberio, qui cùm illatas sibi iniurias, & iacta probra facilè remitteret, iactans *in ciuitate libera, liberas etiam linguas esse debere,* Corn. Tac. aliquan-

aliquando tamen ab scurra notatus quòd Augusti, cui in Principatu successerat, legata non persolueret, adeò excanduit, vt misero illi debitum statim persoluere, atque è vestigio ad supplicium ferri iusserit, rem sic scribente Suetonio in illius vita cap. 57. *Scurram, qui prætereunte funere clarè mortuo mandarat, vt nuntiaret Augusto, nondum reddi legata, quæ plebi reliquisset, attractum ad se, recipere debitum, ducique ad supplicium imperauit, & patri suo verum referre.* Quòd si is aculeus legati sordidæ pecuniæ non persoluti, tam acriter Imperatorem pupugit, quomodo is Princeps non maximè erubescat, cui obiici meritò possit pretiosa eximiarum virtutum legata ad quæ hæreditario iure omnino tenetur, minimè persoluere? Benè ergo abscondit faciem suam Moyses quin respicere, & respici auderet.

Suetonius.

6 Nec hinc discessero, quin denuò inferam, quod præcedenti adnotatione dicebat Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 6. *Instruunt Patriarchæ non solùm docentes, sed etiam errantes:* quippe præcedentium Principum errata scriptis mandata, successorum doctrina, & instructio est, ne ad similes scopulos impingant. Ita quidem Regis sui nomine Cassiodor. lib. 7. epist. 2. quæ est *formula Præsidatus*: cum Præsidem designatum, sic admonuisset: *Decessorum bona exempla sequere, à vitiosorum te imitatione disiunge. Non putetur omnis cõsuetudo probabilis*: opportunè subiungit: *Cautum debet reddere, non sequacem error alienus.* Sed quomodo cautum non reddat error alienus præcessoris, vt ipsum successor velis remisque fugiat, cùm ille in historia perpetuo dedecori, atque infamiæ videt obnoxium? Scitè hac de re Angelus Politianus acris iudicij vir, & maximè eruditus præfatione in Suetonium cùm dixisset illud historiæ ingens esse meritum, quod & bonos viros laudando extollat, & improbos vituperando detestetur: ideoque citra vllum nocumentum homini prodesse, subiicit: *Quapropter, vt in pauca conferam, verè hoc mihi videor esse dicturus, nullius aut facultatis, aut disciplinæ tantam vtilitatem, quantam historiæ existere, nam cum perpetua stigmata inurat improbis, cum sempiterna gloria afficiat bonos, illos à malis actibus metu dedecoris absterreat, hos ad præclara facinora spe laudis adhortetur, magna meritò ex parte præstantissima quæque excellentium virorum opera, dicta, factaque, ipsi accepta referentur historiæ.* Vides æquè ex erratorum, atque ex illustrium operum cogitatione proficì? dũ hęc sempiterna gloria in historiis affecta, illa perpetui dedecoris stigmate inusta apparent. Inde sibi Princeps animum omnino inducens, vitam suam Scriptorum literis in totius orbis imò sæculorũ omnium theatrum producendam, & quidquid in abdito nunc fecerit, vel adscito fuco prætexerit, vel metu dissimulari potiùs, quàm ignorari coëgerit, post ipsius excessum clarissima in luce sub oculis omnium traducendum fore. Quia vt *nulla potestas est* (vt indidem monet Cassiodorus) *quæ qualitatem famæ suæ de ore hominum possit auferre.* Ita nec de Scriptorum calamis. Vnde rursus apud eumdem Cassiodorum lib. 8. epistola 20. Rex Athalaricus Albienum virum illustrem, quem præpositum deligebat, & in pessimi hominis locum subrogabat, non minùs ab illius vitiis, quàm ab aliorum virtutibus ita primùm commonebat: *Contraria prioribus imitare & laudanda peregisti. Ille calumniis odiosus, tu stude, vt iustitiâ reddaris acceptus. Rapax ille: tu continens. Bonorum omnium breuis est diffinitio: vitare quæ fecit, quando verè illaudanda sunt, quæ suo iudicio comprobauit.* Deinde ab odio publico ob improbitatem ab illo contracto, sic tandem ad virtutem vrgebat, & animabat: *Respice denique in illo odium publicum, & tu amorem affectare cunctorum. Tanti tuis moribus gratias agant, quanti illius acerbitatem actionis accusant. Amuiare igitur dedecore præcedentis.* Sic ille: optimè quidem.

Ambros.

Cassiodor.

Ang. Pol.

Cassiod.

7 Videris quidem hinc, quàm præposterum fuerit, quamque à ratione, & natura alienum, si Principes prædecessorum Regum flagitia in historiis non tam conscripta, quàm traducta, ac reprehensa velint imitari, aut saltem illorum vmbra ad similia errata audaciùs committenda se contegere, vti considerat Ambrosius libro de Paradiso capite decimo tertio in foliis illis ficus quæ ad suam nuditatem cooperiẽdam primi parentes artificiosè contexuerunt hunc in modum: *De scripturis diuinis frequenter primus exempla dicens si fortè in stupris fuerit deprehensus*: Et Abraham cum ancilla concubuit. Et Dauid alienam adamauit, & sibi adsciuit vxorem: *Adsunt enim sibi quædam exẽpla de Propheticarum serie Scripturarum, fructum earum non putat requirendum.* Pende id *fructum non putat requirendum.* Nimirum is est historiæ fructus, vt bona proposita legentis animum ad imitationem accendant; peccata verò scripta caueantur, & ab eorum fœditate ibi notata, atque traducta cupiditates frænentur, ac cohibeantur. Quæ ergo demẽtia fuerit è portu scopulum, è medicina venenum facere? Pulchrè horũ ingenium sic describit Augustinus in Psalm. 50. *Audiunt malè viuentes, & quærunt sibi patrocinia peccandi. Attendunt, vnde defendant quod committere parauerunt: non vnde caueant, quod non commiserunt, & dicunt sibi: Si Dauid, cur non & ego?* Vnde in ipsos sic statim inuehitur. *Inde anima iniquior, quæ enim propterea fecerit, quia Dauid fecit, ideò peius quàm Dauid fecit. Dicam hoc ipsum si potero planiùs: Dauid nullum sibi ita ad exemplum proposuerat vt tu. Cecidit lapsu cupiditatis, non patrocinio sanctitatis, tu tibi tanquam sanctum proponis vt pecces, non imitaris eius sanctitatem, sed imitaris ruinam.* Hæc August. opportunissimè.

Ambros.

August.

8 Enimverò pro hoc Augustini sensu: *Cùm propterea fecerit, quia Dauid fecit: ideò peius quàm Dauid fecit:* mirè fideiuber artificiosa siue accurata locutione ipsi post agnitum peccatum à Deo data venia, & facta absolutio: cùm enim priùs ad ipsum Dei nomine Propheta dixisset: *Quamobrem non recedet gladius de domo tua*: postea facta à Dauide peccati sui confessione sic inquit: *Dominus quoque transtulit peccatũ tuum, non morieris.* 2. Regum 12. 13. Notantes *transtulit*: siue vt legit Tertullianus libro quarto cõtra Marcionem capite decimo, *Circumduxit*: id est, peccati pœnam, quam in teipso subire debuisti, aliò siue in alium circumducendo transtulit. Sed cui non omnino dimisit, siue abstulit? aut, quæ hæc dimittendi ratio, vt debita vni pœna in alium transferatur? Num habebit hic locum illud? *Quidquid peccant Reges plectuntur Achiui.* Minimè quidem. At enim optimè subiisti transferendi locutio sub ea sententia, vt proposito Dauid s posteris eius peccato, vt in alieno capite periculum facientes illud caueant, simulque illius pœnitentiâ, vt illam imitentur, si ipsi huius historiæ medicina tam præposterè vsi fuerint, vt malint ruinam, quàm remedium amplecti, mortem atque supplicium Dauidi peccato debitum quod ipse pœnitendo à suo iugulo repulit, omnino subeant, vt qui peccatum illius in se transferens: *cum propterea fecerit quia Dauid fecit, peius quàm Dauid fecit*, pœnam etiam meritò in se transmittant. Quod quidem siue Salomoni, siue pluribus ex nepotibus, & posteris Dauidis accidisse facilè conieceris. Illud ex mente plurimorum PP. esse alibi monuimus, eâ ratione Regem Amon immaturâ, & malâ morte æternum duraturâ fuisse peremptum (4. Regum 21. 20.) quòd parentis sui Manasses, qui olim flagitiosissimus extitit, prauos potiùs mores, quàm pœnitentiam, & lachrymas imitatus fuerit, vt illi meritò dici potuerit: tu tibi tanquam sanctum proponis, vt pecces, nõ imitaris eius sanctitatem, sed imitaris ruinam. Audi ea de re quid post S. Clement. Roman libro secundo constitution. Apostol. capite 26. & 27. & Auctorem oper. imperfect. Homilia prima in Matthæũ

2. Reg. 12. 13.

Tertull.

S. Clem. Rom.

Auct. oper. imperf. Glycas. dixerit Glycas libro secundo Annalium hunc in modum: *Fuerit operæpretium inquirere, quamobrem Deus Manassi pœnitentiam expectauerit, sed non filij eius Amon, quem iuxta segetes (id est, in herba) demessuit. Nimirùm cogitationem quandam prauam apud animum instituit, cùm secum ita loqueretur: Pater meus à puero multa scelerata fecit ac in senectâ pœnitentiam egit. Quamobrem, & ipse hac in ætate pro libidine me geram, & deinceps ad Dominum me conuertam. Hac igitur de causa Deus pœnitentiam illius non expectauit, quando paternis calamitatibus nullo modo factus erat melior.* Vides? quod fuerit historiarum institutũ, in quibus Regum lapsus, & flagitia referuntur? nimirùm, vt posteri ea caueant, & meliores fiant: vti prudentes facere solitos, sic præfato loco inquit August. (August.) *Alij verò audientes salubriter, in casu fortes metiuntur infirmitatem suam, & quod damnat Deus deuitare cupientes ab aspectu sectaro abstinent oculos. Non eosdem figunt in pulchritudine carnis alienæ, nec seipsos faciunt de peruersa simplicitate securos. Non dicunt: bono animo attendi: benignè attendi: de charitate diu aspexi. Proponunt enim sibi casum Dauid, & ad illum magnum videnc cecidisse, vt parui nolint videre, vnde possint cadere. Reprimunt enim oculos à petulantia, non se faciliè adiungunt, non miscent se mulieribus alienis, non leuant oculos faciles ad aliena mœnia, ad aliena solaria. De longè enim vidit Dauid illam, in qua captus est. Mulier longè, libido prope. Alibi erat quod videret in illo vnde caderet.* Hactenus August. Iam si secus faciant, & parentum malo sapere noluint; meritò tanquam stulti proprio iam malo accepto: quod extremæ dementiæ, & infelicitatis est, serò sapiant.

Ad titulum Psalmi,
Ipsi Dauid.

Optimus Princeps siue ex historiarum lectione, siue ex hominum conuersatione non alia sibi, quàm egregiorum Principum exempla imitanda proponat.

ADNOTATIO V.

1 SIVE Dauid hoc in Psalmo seipsum, Principi Iosiæ in exemplar proposuerit; siue illum potiùs propheticis oculis præuisum, tanquam pulcherrimam virtutis gemmam, & florem Principum delibatum sibi imitandum susceperit, atque in exemplar assumpserit; illud, vt vt id fuerit, opportunum Principibus elicitur monitum, vt siue cùm historias legentes *ab aliorum euentu docentur* (Corn. Tac.) (vt inquit Tacitus libr. 4. Annalium) & omnis exempli documenta intuentur, siue cùm viuæ ipsis virtutum, rectè factorum, consiliorum, omniumque actionum imagines ex hominum conuersatione occurrunt, non nisi ad illustria summorum Principum exempla sese effingant; nec alia quàm clarissimorum virorum facta imitanda sibi proponant. Nimirùm præterquam quod perfectæ imitationis ea lex est; vt maiorem quisque, & illustriorem sibi exprimendum assumat, vt pulchrâ vitis per sublimes vlmos surgentis, & sese ipsarum fastigiis adæquantis imagine scitè admonuit Basilius hom. 5. (Basilius.) in Hexameron hunc in modum: *Exemplu præterea veterum hominum, beatorumq; sensus nostros in sublime erexit neque permisit in humum nos esse deiectos, ac dignos esse, qui conculcemur, vt iugi affectu sursum versum feramur, & quasi scansiles arbustiua vites nosipsos adæquantes sublimium fastigiis arborum.* Minimè quidem ex Principis vsu, & dignitate fuerit, alia quàm magnorum virorũ, & clarissimorum Principum mensura seipsum metiri, cùm alia quidem inferiorum hominum conditio, & norma viuendi, alia multò videlicet superior, atque sublimior Principum mensura, & perfectionis ratio sit, vt quod inferiori congruum, atque decorum esse videatur, infra Regis dignitatem & fastigium cadat, ac proinde incongruum ipsi, atque importunum fuerit. Quo planè acumine Nicoclem Regem sic admonebat Isocrates: (Isocrat.) *Ita teipsum compares, vt inferiorum sis iudex, & superiorum æmulus.* Pulchrè, vt dicere videatur: Principi non nisi ad superiorum imitationem adnitendum, cùm ipse de inferiorum moribus non nisi vt iudex, qui illos videlicet vitæ perfectione longè superet, debeat decernere: Ecquam enim ille laudem consequatur, si inferiori suo adæquetur, imò si illum vicerit? A quo sanè non iuit magnus ille Alexander, qui currendi celeritatem nactus, de eaque se glorians, cùm aliquando à Philippo patre admonitus, vt sese cum quibusdam cursoribus in stadio exerceret, regiè, egregieque respondit: *Facerem mi pater perlibenter, si cum Regibus currendum foret*: ac si diceret: egregiam verò laudem, & spolia ampla referrem; si infimæ conditionis homines in palæstra vincerem; qui inferiorum iudex, & superiorum æmulus esse debeo.

2 Quo possis non abs re inflectere illa Domini verba apud Matth. 10. 31. *Multis passeribus meliores estis vos*: Dum à Tertull. libr. *de Resurrectione carnis* cap. 13. hunc in modum pensitantur; (Matth. 10. 31.) *Multis passeribus antistare nos Dominus pronuntiauit, si non & Phœnicibus nihil magnum.* Vt dixerit, non nisi cum passerum miraculo, id est, Phœnice nostra instituenda comparatio est. Quæ enim laus fuerit, quocumque passerculo præstantiorem hominem esse? nisi Phœnicem etiam quæ de singularitate famosa, de posteritate monstruosa, natali fine decedens, atque succedens, sæculi flos, pulchritudinis pompa, orbis est miraculum, omnino superet: vt nostro instituto Tertull. aptantes dixerimus: Multis hominibus meliores Principes esse: nisi & ij cum (Tertull.) quibus sese Princeps cõponit, & quos virtutibus superat, Reges fuerint, nihil magnum. Accinit illud Xenophontis: (Xenoph.) *Non conuenire arbitror viro Principi cum priuatis decertare, quod si vicerit tantum abest, vt sit admirationi, vt magis sibi conflet inuidiam, ceterùm si victus fuerit omnium maximè irridetur.*

3 Sed hanc quidem omnino cogitationem Dominus opportunissimè expressit, cùm importunissimam Iudæorum calumniam, quòd Sabbato curaret, ex Summi Patris exemplo sic repellebat Ioan. 5. 7. (Ioan. 5. 7.) *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor*; quod perinde fuit, ac si diceret: Ego ad Patris mei exemplum me compono; nec ab illo vnquam possum discedere. Enimverò ipse omni die, omni hora operari siue benefacere non cessat, quidni igitur ego omnibus diebus ægris sanitatem reddam, & hominibus benefaciam? At enimverò quid ipsemet Dominus iisdem accusatoribus Apostolos arguentibus, quod Sabbati etiam die sui victus spicas vellerent apud Lucam responderit, scire est operæpretium: sic enim capite 6. (Luc. 6. 3.) 3. *Nec hoc legistis quod fecit Dauid, cùm esuriret ipse, & qui cum ipso erant? Quando intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit iis, qui cum ipso erant, quos non licet manducare, nisi tantùm sacerdotibus.* Ex quibus sanè verbis non immeritò ambigas, cur non seipsum æquè ac discipulos suos eodem Dauidis, ac militum eius exemplo muniuerit, cùm eadem esset omnino vtrobique causa, eadem accusatio; operari videlicet in die Sabbati? Sed ad manum & facilis responsio est, de industria quidem Dominum, in sui defensionem non Dauidis militumque eius, sed Summi Patris exemplum adduxisse, quòd vt eadẽ quidem accusatio, & causa, at non eadem personarum dignitas, & excellentia esset, ipse enim in altissimo diuinitatis culmine, illi verò in seruorum ordine erant: atque

que idcirco Dauidis exemplo non æquè ipse, ac illi protegerentur; cùm pro personæ dignitate, altius, & perfectius exemplar fuerit afferendum: quippe id quod inferiorem protegit, Principem non omnino excusat, atque defendit. Vnde quidem Dominus non alio, quàm Summi Parentis exemplo necessariâ ratione se protegere, & communire debuit. Certè si alius extra ipsum Deus esse, siue excogitari posset, ab ipso planè petiisset exemplum: enimverò quod alius nec esse, nec excogitari potest, eum qui vnus cum ipso Deus erat, in alia tamen persona subsistentem iure adduxit, tantùm non dicens: Homines sanè aliorum hominum, qui ipsis æquales, aut superiores sunt facta, & exempla defendunt, me verò qui *in forma Dei* sum, non aliud quàm Dei Patris exemplum protegit? *Chrysost.* hæc omnia sic firmante Chrysost. ad præfata Ioannis verba homilia vigesima septima: *Quando pro discipulis respondebat, eorum conseruilis Dauid testimonio vtebatur.* Numquid legistis, inquit, quid fecerit Dauid, quando esuriit? *Pro se verò ad Patrem confugit, cui se in omnibus similem indicat.* *Chrysost.* Vnde sic statim concludit Chrysostom. *Quod nisi verus filius, & eiusdem esset substantiæ, accusatio ex accusatione maior esset.*

4 Vnde quidem huius loci opportunitate permotus non importunè dixeris, in atroci errore insani illius Nabuchodonosoris auream statuam erigentis *Dan. 3. 1.* Danielis capite tertio versiculo primo nonnihil dexteritatis, & iudicij non omnino absoni simul fuisse, *Hieron. Theod.* quippe ipse, vt Hieronymus, & Theodoretus obseruant, auream illam molem sibiipsi excitauit quæ nomen, & dignitatem suam, seque ipsum diuinum Numen præ se ferentem repræsentaret, vt inde à suis non secus ac alij Babyloniorum dij Deus haberetur, & diuinis honoribus nuncuparetur. Proh nefas! & insanum cœci pectoris errorem, atque exitialem opinionem: hominem mortalem, infirmum, luteumq; vas quod facit passim angustias, Deum immortalem, terrena, ac cælestia moderantem haberi, colique! Quid stultius? Quid impius excogitari potuit? Sed iam quàm scitè simul errauerit: dum sese nonnisi ex auro omnino effingi voluit, obserua. Nimirùm apud Babylonios, quæ illorum stulta, & exitialis superstitio erat, non vnus aut alter Deus, sed ingēs falsorum Numinum colebatur turba: quorum alij aurei, alij argentei, alij ferrei, alij ærei, alij lignei, alij lapidei; maiores, scilicet, digniores, & diuiniores alij: alij verò minores, & inferioris dignitatis essent: sic namque *Dan. 5. 4.* apud eūdem Danielem capite quinto, versiculo quarto, Balthasaris conuiuium describētem: *Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosq;, & lapideos.* Vnde si attendis, amens ille, quantum errauit sese inter Numina constituens; tantùm sapuisse videtur, dum non nisi ad aureorum deorum mensuram, ad excellētiorum videlicet, & digniorum exemplar se composuit, tantùm non dicens: *Si non & Phœnicibus nihil magnum*: Vt vel hinc optimos Princeps addiscat, non quosuis è Regibus, aut Maioribus suis, sed eos signatè qui omnino aurei, maiori videlicet, & insigniori virtute, & excellentioribus animi ornamentis conspicui fuerint, sibi imitandos proponere.

5 Ergo priuatis hominibus opportunè quidem *Vuerricus.* illud suggeras, ex Vuerrico oratione secunda de Epiphania: *Suspicite, & intendite mentis oculos si necdum potestis in rotam solis, saltem in fulgorem siderum*: At Princeps non nisi ab ipsa Solis lancea à summorum scilicet virorum exemplis pungendus est, vt illud verbis, *Tullius.* & operibus exprimat, quod dicebat Tullius de petitione Consulatus: *Ego omnium meorum consiliorum, atque factorum exempla ex summorum hominum factis semper censuerim petenda*: Vti de Augusto, qui bonus apud suos Imperator est habitus, callidus Tiberius eius in *Corn. Tac.* Imperio successor dicere solebat apud Cornelium Tacitum libro quarto Annal. *Qui omnia facta dictaq; eius vice legis obseruem.* Vnde statim summos se apud posteros honores habiturum sperabat, si maioribus suis dignis crederetur: *Satis (inquit) superq; memoriæ meæ tribuent, si maioribus meis dignum, rerum vestrarum prouidum, constantem in periculis, offensionum pro vtilitate publica non pauidum credant.* Hæc quidem de Augusto Tiberius, quem sibi imitandū proponebat. Sed enim eumdem Augustum, præclarissimorum Ducum Romanorum, qui Rempublicam mirè iuuissent imagines in vtraque fori sui portico dedicasse, vt ad illorum exemplar se componerent, tam ipse, quàm insequentium ætatum Principes: scribit in eius vita Sue- *Sueton.* tonius capite trigesimo primo. Nam cùm dixisset: *Proximum à dijs immortalibus honorem memoriæ ducum præstitit. qui Imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque & opera cuiusque manentibus titulis restituit, & statuas omnium triumphali effigie in vtraque fori sui porticu dedicauit.* Subiicit: *Professus est edicto commentum id se, vt illorum velut exemplar, & ipse dum viueret, & insequentium ætatum Principes exigerentur à ciuibus.* *Cassiod.* Pulcherrimè quidem, & augusta mente Augustus: Principes non nisi eos ex mortalibus, qui proximum à dijs immortalibus honorem consecuti essent, imitandos sibi ipsis proponere, atque ad hæc exemplaria à subditis exigendos censuit. Ad quem sanè modum *Tit. Liu.* Scipio apud Liuiū libro vigesimo sexto sese ad priorem Scipionem strenuissimorum videlicet Ducum exemplum sic contendentem facit: *Breui faciam, vt quemadmodum nunc noscitatis in me patris, patruique similitudinem oris, vultusque, & lineamenta corporis: ita ingenij, fidei, virtutisque exemplum expressum ad effigiem vobis reddam: vt reuixisse, aut renatum sibi quisque Scipionem Imperatorem dicat.*

6 Quem quidem sensum opportunè reddes ex *1 ad Cor. 7. 17.* Paschasio iis Apostoli verbis 1. ad Corinthios 7. 17. *Vnicuique sicut diuisit Dominus, vnumquemque sicut vocauit Deus, ita ambulet*, & paolò pòst: *vnusquisque in qua vocatione vocatus est in ea permaneat.* Quasi præscripserit Paulus vt interpretatur Iustinianus: danda vnicuique opera est: vt suæ vocationi pro gradus sui dignitate, & diuersitate ex æquo respondeat, nec qui sublimiorem cōsecutus est gradum, mediocri virtute contentus, ad inferiorum exempla se componat: & eius qui infra ipsum est mensura actiones suas metiatur: *Paschas.* sed iam Paschasium audi libr. 3. in Matth. Qui cùm præmisisset: *Hoc ergo propterea dixerim, vt vnusquisque consuescat, iuxta vocationem proprietatis suæ, & opera prosequi meritorum!* subiicit statim: *Ex quo instat, vt Apostolus opera veri Apostoli habeat, & Martyr charitate Martyris fulciatur. Episcopus verò aut Presbyter, & deinde ceteri Christi ministri singuli per singulos gradus operibus fidei vocationem suam expleant Neque metiatur se aliquis eorum ad eum qui infrà est, sed deuotionem suam deuotius intēdat.* Pulchrè id *neque metiatur se aliquis ad eum qui infrà est.* Quæ enim hæc mensura fuerit, Principem in altissimo dignitatis fastigio consistentem ad subditi normam, & mores se effingere, qui non nisi perfectissimos Reges æmulari debet. Hæret huic obseruationi Græca Pauli locutio *Ad Heb. 12. 3.* ad Hebræos cap. 12. 3. vbi cùm fidelibus in exemplum ad virtutes, & patientiæ cursum conficiendum Christum Dominum sic proposuisset: *Aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*: subiicit: *Recogitate eum, &c. vt ne fatigemini animis vestris deficientes.* Nimirùm pro *Recogitate*, Græca propriè vertas *supputate subductis calculis*: *Græc. Lect.* imagine à nummorum rationibus rectè sibi constantibus desumpta, innuens proculdubio Paulus, tunc rationes ad amussim confici: sibique constare (Hispanè

panè *eſta caballa la quenta*) cùm inferior Superiorem in exemplum, ſibique imitandum proponit: ſecus verò eùm ad eum qui infra ipſum eſt ſe metitur, peruersè fieri ſupputationem nec rationem conſtare vllo modo poſſe.

7 His mirè concinit, quod vt aliqui apud Iudæos probi, & pij Principes extiterint, non alius tamen in exemplum à Deo Principibus perpetuò fuerit propoſitus, ad cuius ſimilitudinem, tam ipſi, quàm viri ſtrenui, ac fortes, Dei, Religionis, & patriæ amantes ſeſe effingerent, quàm Regum optimus Dauid qui veluti viua quædam lex (de quo alibi) ſic omnes alios, & vitæ exemplo, & Religionis, ac iuſtitiæ zelo præiuit, vt de ipſo ipſemet Dominus teſtatum reliquerit: *Inueni Dauid filium Iſſe virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Actuum 13. 22. & Eccleſiaſtici c. 47. x. *Quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid à filijs Iſraël*: id eſt, qui aliorum comparatione quaſi adeps Deo in ſacrificio oblatus: in quo Deus nihil reiicit, nihil faſtidit, quod de alijs victimæ partibus non dicitur, ipſe fuerit: vt nimirùm Reges, qui omnibus ſubditis multo meliores, & quaſi viua, & ſpirans lex eſſe debebât, non ad aliorum Principum, qui debitos regiæ dignitatis numeros non impleſſent, ſed ad optimi quidem exemplum ſe componerent, & quod dicebat Paſchaſius: vocationem ſuam deuoti intenderent. Quare nõ tantùm improbis Regibus à via virtutis exorrantibus vitio vertitur, quòd Dauidis veſtigia non fuerint ſecuti, vti Salomoni filio obiicitur 3. Reg. 11. 6. *Fecitq́, Salomon quod non placuerat coram Domino, & non adimpleuit, vt ſequeretur Dominum, ſicut Dauid pater eius*: & verſ. 33. *Eò quod dereliquerit me, & non ambulauerit in vijs meis, &c. ſicut Dauid pater eius*: Necnon Ieroboamo 3. Regum 14. 8. *Non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo*: & Achaz 4. Regum 16. 2. *Non fecit quod erat placitum in conſpectu Domini Dei ſui, ſicut Dauid pater eius.* Sed etiam Rex Amaſias: qui vt oblatam ſibi prouinciam rectè adminiſtrauerit, & parenti ſuo Ioas ſimilis extiterit: adhuc tamen in culpa ſignatè eſſe dicitur, quod ad mores, & ſanctitatem Dauidis non acceſſerit. Sic enim 4. Regum 14. 3. *Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non vt Dauid pater eius: Iuxta omnia, quæ fecit Ioas pater ſuus fecit.* Nec enim ad cuiuſuis Principis exemplũ, ſed ad optimi, & perfectiſſimi ſimilitudinem formare ſe debuit. Optimè quidem hæc nouerat caſtiſſimus ille, ac ſanctiſſimus Ioſeph, qui in difficillimis, quæ obiuit certaminibus, & pro caſtitate, & iuſtitia colluctationibus, non alium quàm patrem, egregium ſcilicet, & ſtrenuum pugilem, qui ab vtero cum fratre, & ſubinde quod maius multo eſt, cum Angelo colluctare, & vtrique præualere didicit, ſibi proponebat, atque idcirco victor eſt ſolitus euadere: id ſic obſeruante Chryſoſtomo Humilia *de Ioſeph*, dum illum cum impudicâ herâ cum ipſo colluctante, & ad libidinem pellicere contendente ſic loquentem facit: *Nec fallaris, virtutem meam non vinces, Ioſeph filium Iacob, qui in ventre cùm eſſet, ſupplantauit, ac deinde cum Angelo quoque colluctauit: ne fallaris, non minùs validè quàm pater luctor.* O præclarum pugilem non niſi ad ſtrenuiſſimi luctatoris exemplum contendentem! O eximium Principum exemplar! vt ſi ne ij cum vitiis, & voluptatibus, ſiue *cum laboribus, & difficultatibus* colluctauerint, clariſſimorum ſibi Regum exemplis propoſitis exclament: *Non minùs validè quàm Pater luctor.*

8 Huc etiam id noſſe pertinet; cur penè omnes qui à Chriſto Domino ſanitatem, atque alia petebant beneficia, filium Dauid ſignatâ, & quæſitâ appellatione nominarent? ſic enim Chananæa Matthæi cap. 15. 22. *Miſerere mei Domine fili Dauid.* Et eodem modo cæcus ille, qui ſecus viam mendicabat, cùm turbæ Chriſtum comitantis ſtrepitum audiſſet, atque ſollicitè quid eſſet, interrogaſſet, eique ſuggereretur, *quod* IESVS *Nazarenus tranſiret*: elata tunc ipſe voce clamauit, IESV *Fili Dauid miſerere mei.* Eamque in hac appellatione vim faciens, vt nec ad guſtum obiurgantium eum, quod clamaret, nec ad locutionem eorum qui Dominum vocabant IESVM Nazarenum ſe accommodans, magis, magiſque clamaret: IESV *Fili Dauid miſerere mei.* Similia habentur Matth. 9. verſic. 27. & cap. 20. verſic. 30. & Marci 10. 47. Quod ſi quæras? Quid magnum fuerit Chriſtum Filium Dauidis appellari, qui Dei Filius, & in forma Dei ſubſiſtebat? Maldonatus in c. 1. Matthæi ad illa verba *Fili Dauid*: cauſam reddit, ideò ab his eâ honorifica appellatione Chriſtum nominari, vt ſignificarent illum eſſe Meſſiam, qui populum ſuum beneficiis eſſet cumulaturus. Bene quidem: At vt ea ratio ſubſiſtat, atque acumen, quo illi indigentes Chriſtum compungebant, appareat, comminiſci oportet, tum Dauidem ad miſerendum, & benefaciendum maximè procliuem fuiſſe: tum illud de Meſſia celeberrimum, apud Iſraëlitas haberi vaticinium, Ieremiæ ore pronuntiatum c. 23. verſic. 5. & c. 33. verſic. 15. *Ecce dies veniunt, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, &c.* vbi nemo neſcit ex Hebræo textu, vocem *Dauid* eſſe in Datiuo, & ſenſum ſic efferri: etſi hactenus extiterint iniqui Reges (egerat enim de iis immediatè Vates) qui priuatis commodis inſeruiebant, & publica non curabant, quique indigni quidem nomine Filiorum Dauidis fuerunt, opportuno tamen tempore germen Dauidi iuſtum, quòd videlicet Dauidis ſtirpi per omnia reſpondeat, iſque filius ſit, qui patris notas vndequaque exprimat: ſubditorum ſalutem ſedulò curans, & opem illis omni modo ferens ſuſcitabo. Hinc vt appareat ſtimulus, quo Dominum illi ad benefaciendum vrgebant, ita liquet Dauidis ei nomen, ſtirpem, & exempla ob oculos proponere, vt ad ea imitanda contenderet, nec hilum à regio illius ingenio, & virtutibus aberraret: tam ſi à benefaciendo aliquando ceſſiſſet: *Germen Dauidi iuſtum* haud extitiſſet: ergo afflicti illi opem à Chriſto poſtulantes (quod vexationis ingenium, & acumen eſt) & illi quidem, & ſibi ipſis blandiebantur: ſic eum Meſſiæ appellatione honorantes, vt ex illa ipſum, & ad benefaciendum illis adigerent, & ad Regum optimi exemplum glorioſè ſe componeret, & regia menſura ſe ipſum dimetiretur.

9 Hæc igitur pulchra in Principe, perfectaque imitandi ratio, optimuſque in virtutibus & arte regnandi proficiendi modus, ſi ſuarum actionum, & conſiliorum exempla ex ſummorum Principum factis ſibi petenda cenſuerit: illud verò omni laudum ornamento maius, illuſtriúſve fuerit; ſi, quod de Magno Athanaſio dicebat Gregor. Nazianz. oratione in eius laudem clariſſimos, & ſanctiſſimos viros ad imitationem ſibi proponentem: *aliorum ſermonem, & eruditionem, aliorum actionem, aliorum manſuetudinem, aliorum zelum, aliorum dimicationes, aliorum multa, aliorum omnia imitando conſecutus, atque aliud ab alio mutuatus, quemadmodum qui formas ſingulari ſtudio, & elegantia pingunt, atque in vnam ſui ipſius animam complexus vnum ex omnibus virtutibus ſimulacrum numeris omnibus abſolutum* ediderit: ſic videlicet ſe comparans, vt ex ſingulorum æmulatione omnes antecellat, dum quæ in aliis aſperſa cernuntur, in ſe ipſo congeſſerit, atque cumulauerit: vt indidem de Athanaſio pergit Gregorius: *atque & iis, qui mediocrem in vtroque genere* (de doctrina, & actione loquitur) *laudem habebant, eo ſuperior eſſet, quod in altero horum ſummè excelleret, & rurſus iis, qui altero dumtaxat genere ſummoperè eminebant, hoc nomine præſtaret, quòd vtraque virtute polleret.* Hæc ex Gregorio.

Act. 13. 22
3. Reg. 11.
3. Reg. 14. 8.
4. Reg. 16. 2.
4. Reg 14. 3.
Chryſoſt.
Gen 32. 24.
Matt 15. 22.
Luc. 18. 38.
Heb. Lect.
Nazianz.

Ad

Ad eadem verba,

Vt sedeant mecum.

Optimus Princeps Regni administrationi per se ipsum immediatè incumbit, & negotiorum molem sustinere satagit.

ADNOTATIO VI.

1 EN aliud ad regendos populos documentum, aliaque Regiæ artis eaque pernecessaria institutio: Agere, & negotiorum expeditioni immediatè interesse, cùm nihil sit quod æquè doceat, moneat, & rerũ administrationi tantoperè inseruiat, quàm ipse rerum vsus, à quo optima quæque addiscuntur, quique artem facit, vt pulchrè Manilius lib. 1. admonuit: (Manil.)

Per varios vsus artem experientia fecit
Exempla monstrante viam.

Itaque itidem Cypriano Comiti summum sacrarum largitionum munus deferens Theodoricus Rex: scitè ei suggerebat apud Cassiodorum lib. 5. epist. 40. (Cassiodor.) *Didicisti, vt credimus, iudicare, nostris seruiendo iudiciis: ita quod efficacissimum disciplinarum genus est, agendo potiùs instructus es, quàm legendo.* Optimè: non quidem quod legere non debeat Princeps, cui & Historicorum, & Philosophorum lectionem tantoperè commendauimus, sed quod nuda lectio actione, & vsu destituta manca omnino, atque imperfecta sit. Quò planè inter alia iuerit ille Auidij Cassij, in Marcum Antoninum Imperatorem, cui nimium Philosophiæ studium Philosophi cognomentum dedit, iniectus morsus: *Marcus homo sanè optimus, qui dum clemens dici cupit, eos patitur viuere, quorum ipse non probat vitam:* & statim: (Vulcatius. Gallican.) *Marcus Antoninus philosophatur, & quærit de clementia, & de animâ, & de honesto & iusto, nec sentit pro Repub.* vt omnino dixerit eam eruditionem, nudamque rerum cognitionem sine vsus adminiculo inanem, ac nullius in Principe momenti fore, cui finis studij ciuilis debet esse actio, non verò abdita & exquisita rerum meditatio, & lectio, vt Astrologis ipsa cælorum motuum, ac stellarum cursuum contemplatio pro scopo est. Qua sanè ratione sapiens Philosophus Themistius oratione vndecima Valentiniano iuniori, qui puellulus vix triennium egressus Consulatum gerens in tribunali, vbi belli, statusque res agebantur, sedit, siue potiùs eius patenti Valentiniano seniori, à quo filius ita instituebatur, hunc in modum gratulatur: (Themist.) *Quare mirum nihil est, si nuper pro tribunali quouis sene firmius sederis, adeò vt cum ceteri fatigarentur omnes, solus ad vesperam vsque perseueraturus videreris. Præclara ista sanè, ac Rege digna institutio, catuli instar ferarum sanguinem degustare, atque iram aduersus Barbaros meditari.* Opportunè illud: *Præclara ista sanè, ac Rege digna institutio.* Quippe negotiis interesse, ac res populi tractare omnino fuerit, & tamquã Regem institui, & verum, non fucatum Regem esse.

2 Regiè ergo Dauid, qui priùs dixerat *intelligam*, vt regnandi artem, regiamque scientiam, tum ea historiarum lectione, & Maiorum suorum exemplis, tum etiam ex assidua meditatione, necnon ex optimorum hominum consiliis, monitisque tamquam addiscentem discipulum percepturum se profiteretur, postmodum subiecit, Regio se solio cessurum, vt regnorum suorum gubernationi incumberet, & negotiorum molem suis humeris exciperet, tam vt ipso vsu & rerum cognitione plus plus disceret, & in regia disciplina maiores profectus faceret, quàm vt regio muneri satisfaceret, & sese Regem exhiberet: *Oculi* (inquit) *mei ad fideles terræ:* Sed quorsum? Num vt illis regnum gubernandum relinquam? aut ipsos, regni arbitros constituam? Minimè: imò potiùs vt *sedeant mecum*, me videlicet illis præsidente, & tamquam Rege Rempublicam gubernante, & rerum cognitioni, ac negotiorum expeditioni assidente, illis verò tamquam ministris, operâ, studio, & consilio adiuuantibus quidẽ, sed obsequẽtibus, nec sibi regni arbitrium, & negotiorum expeditionem vsurpantibus: quippe hoc est, reapse, non autem nomine tenus Regem esse. Quò benè rursum referas, quæ de spinea Domini corona eius capiti, vsque ad vltimum vitæ spiritum inhærẽte: sic inquiebat Paschasius lib. 12. in Matth. (Paschas.) *Porrò spinas, quas in capite gestauit, non mutauit, nec alicubi transposuit, sed consumpsit, ita vt in capite Iesu non spina, sed lapides resplendeant pretiosi:* vt dixerit, non licere Principi à regni curis immunem esse easque in alios transferre: sed debere illas in se suscipere, eisque satisfacere: vt regiâ coronâ dignus resplendensque appareat. Etenim nisi Princeps regat, gubernet, belli, & pacis res moderetur, & populi negotia cognoscat, tractet, atque expediat, vt regiam artem, scientiamque gubernandi numquam addiscet, ita à Regis natura, & conditione iuerit, & vacuum Regis nomen habebit. Sanè de Deo res humanas curante pulchrè dixit Philo in libro de Opificio mundi: (Philo.) *Deum in alto otio degere, mentiantur impij.* Quod si ad hanc Philonis sententiam ambigas, cur impios eos appellauerit, qui omnem à Deo sollicitudinem, & curam remouere voluerunt, cùm è contra, licet errauerint, & falsò atque absurdè de Deo senserint potiùs stultè pij, & superstitiosè religiosi fuisse videantur, qui Deum extra curarum, & laborum molestias confinxẽre: respondebo rectè eam locutionem subsistere, nec stultitiæ solùm sed etiam nefariæ impietatis, inter eos à Philone argui, qui Deum in alto otio degere egregiè mentiuntur, quod id nihilo melius fuerit, quàm Deum esse negare, ipsumque de medio sustulisse. Quo quid impius? quid immanius? Est quidem è pharetra Tertulliani hæc sagitta lib. 2. ad Nationes (nuper inuento) c. 2. similia Epicureorum sensu sic inculcantis: (Tertull.) *Deum Epicurei otiosum, & inexercitũ faciunt, & vt ita dixerim, Neminem.* Rectè quidem *Neminem.* Nam qui otiosum, & ignauum Deum facit, sua non curantem, nec creaturis à se formatis prouidentem, Neminem omnino facit. Porrò si aliquis Epicureis Deus esset, is quando semel mundum creare voluit, eadem ratione in illius gubernatione & prouidentia sese indesinenter exerceret, & hominum negotia curare numquam intermitteret: *Conditoris enim est* (ait huc interus Iobius Monachus in commeot. de Verbo Incarnato li. 3. c. 11. apud Photium in Bibliotheca) (Iobius) *creaturam nosse, & vbi nouerit, pro suscipientium cõditione leges ferre. Legislatoris verò est iudiciũ ferre cùm in eos, qui legẽ spreuerint, tũ in eos, qui secundũ illã vixerint.* Nõ igitur in hominum gubern. sese Epicuri Deus exercet, sed otiosus, & inexercitus degit? nemo ergò Deus illis est.

3 Quò sanè dixeris adspexisse Nostrum Vulgatum ad Hebræos 2. 3. vbi Paulum de Dei Filio sic loquentem facit: (Hebr. 1. 3.) *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius: portansq; omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* Nimirùm si attendis, quod omnes interpretes etiam admonuerunt, Apostulus Græcè non tam scripsit: (Lect. Græc.) *purgationem peccatorum faciens*, quàm *purgatione peccatorum facta sedet*, &c. Sed quæ, inquis hæc transferendi ratio fuerit, vt quæ sub vnâ temporis significatione à Paulo scripta sunt, sub aliâ ab interprete ponantur? fuerítne idem modò facere, ac olim fecisse? Quo ergo iure? quo sensu Noster Vulgatus Dominum purgationem peccatorum facientem exposuit? Dixerim, eam ipsius mentem fuisse, vt ad sensum Pauli potiùs quàm ad sonum vocis se exercens, sic Dei Filium seden-

dentē in gloria faceret, vt à Deo Epicuri inexercito, & otioso longiùs iret, quippe qui quamuis olim purgationē peccatorū in sāguine suo fecerit, adhuc tamē eidem purgationi insistat, & suorū saluti & bono inuigilet. Ne ergo imperitus aliquis dum Christum *purgatione peccatorum factâ* sedentem audiret, ipsum suorum iam curam abiecisse, & in alto otio degere existimaret, Aoristi Græci opportunitate vsus præteritum tempus ad præsens eleganter reuocauit, atque Dei Filium, nostra curantem, fouentem, & suæ Ecclesiæ vigilantem, & prouidentem fecit. Sed & iisdē Pauli verbis, quibus Dei Filium ad dexteram maiestatis sedentem constituit, hanc eamdem sentētiam pulchrè subesse videtis. Quid enim Maiestatem in Deo esse existimas? quàm diligentissimam hanc prouidentiam, quâ *vsque modò operatur*. Ioan. 5. 17. Audi Salomonem de Dei Filio Patrem suum tamquam speculo referente: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis*, Sapient. 7. 26. vbi Græcè pro voce *maiestatis*, omnino est *inoperationis*; vt Origenes lib. 1 Periarchon cap. 2. & Augustin. lib. 1. de *Incarnatione Verbi*, cap. 13. tom. 4. legunt: sicut iisdem vterque verbis explicantes: *Inoperatio est vigor quidam (vt ita dixerim) per quam inoperatur Pater, vel cum creat, vel cum prouidet, vel cum iudicat, vel cum singula quæque in tempore disponit, atque dispensat.* Vt omnino appareat, non aliam Maiestatis naturam, siue diffinitionem, quàm operationis esse; adeoque pro vna eademque re concipi à Salomone Deum maiestate præditum, ac inoperantem, creantem, prouidentem, singulaque in tempore dispensantem, vt qui ei hanc operationem, & prouidentiam abstulerit, eodem ictu Maiestatem abstulisse videatur: idemque sit otiosum, ac inexercitum facere, ac Neminem. Aptissimum quidem Principi hoc Maiestatis Dei speculum, vt in ipso sese intueatur, tamdiuque Regem, & maiestate, splendoreque Regio præditum se esse intelligat, quādiu Regni sui administrationi vigilare, & prouidere studuerit, manum ab operatione non submouens.

Ioa. 5. 17.
Sap. 7. 26.
Lect. Græc.
Origenes
August.

4 Cui quidem rei opportunam emphasim habet, quod ipsemet Dominus speculum se Dei maiestatis, siue inoperationis ostendens: sic dicebat apud Ioannem 10. 27. *Oues meæ vocē meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Sanè quasi earum bono adeò sit intentus, vt eas manu teneat, nec illam ab ipsarum curâ submoueat. At enim nō cōtētus id dixisse subiicit: *Et nemo potest rapere de manu Patris*: vbi iure ambigas: Quid fuerit opus, Patrem retinendis, & custodiendis ouibus manum admouere; quas bonus Pastor Filius manu tenacissimè prehēsas retinebat: fuerintne ideò magis, minùsve securæ? Non opinor: sed enim, Dominus signatè aperuit, quàm sedulam operam hominum gubernationi nauaret, dum vtramque Patris, & Filij manum, sapientiam videlicet & potentiam, omnemque diligentiam, & industriam ei intentam, & addictam ostendit. Planè quasi non sibiipsi nec muneri suo satisfacere Dominus videatur, si vel tantillum potentiæ, aut sapientiæ suæ gubernationi subtrahat: quin manu, consilio, operâ ei fuerit addictus. Adeò scilicet *ipsum in alto otio degere mentiuntur impij*. Adeò è re Principis est, Reipub. administrationi & negotiorum expeditioni toto animi conatu, & impetu incumbere.

Ioan. 10. 27.

5 De extremo quidem iudicij die sermonem Dominus instituens, accuratâ sed difficili locutione, & cælos transituros, siue perituros, & ipsorum luminaria quasi à propriis sedibus reuulsa in terram casura denuntiauit. Sic namque primùm de stellarum casu Matthæi 24. 29 *Stellæ cadent de cælo*: & Marci 13. 25. *Stellæ cæli erunt decidentes*: deinde de cælorum transitu Matt. 24. 35. *Cælum & terra transibūt*: & Apoc. 6. 14. *Cælum recessit sicut liber inuolutus.* Quod plusculum videtur vrgere Paulus cum ad Hebræos 1. 11. inquit: *Opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt.* Ad quæ sanè testimonia dum frequenter à PP. atque interpretibus ambigitur, cur cæli transituri, siue perituri? similiter & stellæ casuræ dicantur; cum exploratum fuerit, tam cælos, quàm ipsamet sidera perpetuò duratura, quin exitio seu casui obnoxia sint? facilè occurrunt dubitationi Beda, & ab eo Caietanus affirmantes perinde eas locutiones fore capiendas, vt cæli non secundùm substantiam, sed ab statu motus, quem nunc habent, & terra ab statu generationis in alium quietum, atque immobilem, in quo omnia operationis, ac motus expertes existant, dicantur transituri. Verum enimverò, vt id ita fuerit, quod non negamus, acrior inde resurgit dubitatio, cur Paulus, & David eum cælorum ab vno in alium statum, qui vt quietus, & immobilis: ita felicior, & perfectior videtur, exitij, ac mortis nomine appellauerint? *Ipsi* (inquit vterque) *peribunt*, planè quasi funditus abolendi, similiter, & Ioannes cælum pro eo statu consideratum cum volumine complicato, & inuoluto, cuius nullus est vsus composuerit? Sed quidem ex præfatis Tertulliani aduersus confictum ab Epicuro Deum verbis, facili solutione ea opprimitur dubitatio, nimirum cum ex cælorum motu, solisque irrequieto circuitu tam secundæ, & inferiores causæ, quàm vniuersus mundi ordo dependeat, atque subsistat: (dixit quippe eleganter Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 23. *Num dubium est quin hoc humani generis domicilium, circuitus solis, ac Lunæ vicibus suis temperet? quin alterius calore alantur corpora, terræ relaxentur, immodici humores comprimantur, alligantis omnia hyemis tristitia frangantur, alterius tempore efficaci, & penetrabili rigetur maturitas frugum? quin ad horum cursum fœcunditas humana respondeat?*) Quemadmodum otiosus ille atque inexercitus Epicuri Deus nemo, siue nihil est; ita cælum, & terra, superiores inquam causæ, à quibus mundi gubernatio, & ordo subsistit, si quietæ, otiosæ, atque inexercitæ sint, quin subiecta sibi corpora alant, foueantque, vt ad ipsorum cursum fœcunditas humana respondeat: non immeritò iam non esse, siue periisse dicentur. Hæc Principibus facilè aptaueris ex Moyse in suo cantico Deuteron. 32. 1. eos sub cæli nomine, siue imagine sic alloquentis: *Audite cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei*: vt præter alios benè ibi interpretatur ad hunc modum Agellius: *Neque verò putandum est, illum tum cælo & terra tamquam animâ sensuq; præditis loqui, sed quia populi seniores, ac Principes conuocarat, illos figuratè cælos appellat.* Vt appareat Principes, qui otiosi & inexerciti à Reipub. administratione, & negotiorum expeditione supersedent, optimâ ratione, non esse, siue periisse dici. Quare cum indidem post citata verba subiicit Seneca: *Vt tamen detrahas ista, non erat ipse Sol idoneum oculis spectaculum, dignusq; adorari, si tantùm præteriret? non erat digna suspectu Luna etiamsi otiosum sydus transcurreret?* Omnino repugnabo, nec eum me Solem vmquam adoraturum profitebor: imò nec suspectu dignum indicauerim, qui otiosus transcurrat. Ideò obserua pulchram epitasim, quæ inest imagini libri inuoluti, cum quo cælum in eo Apocalypsis loco componitur. Ab ea siquidem otiosi, & inexerciti Principes admonentur, minimè quidem ipsis satis esse, vt suæ dignitati a debito satisfecisse videantur, si vitæ puritate, & egregiis sapientiæ dotibus splenduerint: nam vt cælum non sibi est, sed inferioribus, in quæ virtutes suas influit, nec liber sibi sed legentibus sapit, ita & Princeps Regni gubernationi non incumbens, etsi sibi sapiat, & suæ probitati studeat, clausus & inuolutus liber, qui nullius frugi est, meritò

Matt. 24. 19.
Mar. 13. 25.
Matt. 24. 35.
Apo. 6. 14.
Hebr. 1. 11.
Beda.
Caietan.
Seneca.
Deut. 32. 1.
Agellius.
Seneca.
Apoc. 6. 14.

Eccl. 20. 32. Vulcatius. ritò dicetur, Ecclesiastico admonente cap. 20. 32. A *Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* Et Audio Cassio murmurante: *Marcus Antoninus philosophatur, & quærit de clementia, & de animo, & de honesto, & iusto, nec sentit pro Republica.*

6 Accinit huic cogitationi disertissimè Moyses, qui primam rerum formationem describens, singulisque Dei operibus proprium diem assignans, signatèque à lucis creatione temporũ seriem deuoluens, cæli tamen, ac terræ productioni, quæ inter omnes creaturas primariæ, & veluti capita ac Principes sunt, nullum tempus, diem, aut horam præscripsit: sic enim de ipsis: *In principio creauit Deus cælum, & terram:* de luce verò: Genes. 1. 1. & 4. *Dixitque Deus: fiat lux, & facta est lux. Appellauitque lucem, diem, & tenebras noctem, factumque est vespere, & manè dies vnus.* At cur (inquis) tantarum creaturarum productioni, nec tempus, nec diem præfixit: luci B autem, aliisque subinde nascentibus creaturis, non æquè ac cælum, terræve nobilibus, tantâ attentione, & curâ, & tempus assignauit, & diem? Sanè quod illud inter cælum, & terram in principio formata ex vna parte, & ex alia inter lucem nigens illud intercesserit discrimen, quòd hæc cùm primùm fuit educta, muneri suo inseruire, lucere, & illuminare cœpit: cælum verò & terra sine aliqua muneris sui functione otiosa tunc, & inexercita erant: nullus quippe tunc cælorum in terram influxus: similiter terra erat *Inanis, & vacua*, siue vt legit Symmachus *Iners*, aut vt Symmachus. LXX. LXX. *Inuisibilis*, meritò ergo nullum ipsis tempus, nulla præfigitur dies, ac si in rerum natura ipsa non essent. Principes enim, & primæ causæ à quibus inferiora dependent, & eorum influxu, & prouidentia viuunt, si inanes, & vacuæ, inertes, & otiosæ sint, quin muneri suo inseruiant, à propria natura, & dignitate C excidere videntur: sic id opportunè obseruante Philippo Abbate hunc in modum: Philip. Ab. *Dum factum dicitur cælum, silet de temporibus, silet de diebus scriptura, & rectè in eius creatione nulla fit mentio temporis vel diei, in qua nulla inuenitur alicuius fructus productio: ipsa terra facta esse in principio numeratur: in eius creatione nullum tempus, vel dies nominatur: quia illa sine fructu, sine specie.* Ita Philippus. Audis superiorum causarum naturam, & conditionem, simulque scopulos ad quos illæ impingant? Porrò qui priuatam vitam degunt, si omnia relinquãt, si se mundo eximant, si à negotiorum curis se abdicent, si lateant, & intra terræ viscera sibi tantùm victuri se abdant, illam Tertulliani regulam præ oculis habentes libro de Pallio: *Nemo alii nascitur moriturus sibi*, omnino laudantur tamquam in vitæ scopum collimantes: nam

Qui latuit, bene vixit.

Principum verò alia conditio est: nam qui non sibi D tantùm, sed toti mundo nati sunt, non nisi ab actuosa vita, à non intermissa rerum cura, à continuata negotiorum expeditione laudem consequuntur, & qui malo fato ab hac vitæ ratione excidunt, & velut terra in sua productione inanes, vacui, inertes, & inuisibiles sunt, à Principum dignitate, atque scopo deflectere, dubium non fuerit: vti de Theodorico Franciæ Gaguin. Rege Regni proceres omnino censuêre: audi rem huic instituto peropportunam ab Scriptore de gestis Francorum lib. 3. *Per Theoderici inertiam, atque socordiam res Francorum deterior facta est. Quippe cum Respublica cubicularii Regis, & Præfecto Palatij liberè crederetur: Regi verò per inertiam mos inoleuerat nisi ad Kalendas Maij Palatium ingredi: moderationem omnem aliis permittere. Ostendere se populo vno dumtaxat die: à quo salutatus, & muneribus donatus, cùm & ipse reciproca populo dona exhibuisset, domum abire, tamque toto anno incolere. In hoc tam inerti otio Ebroinus occasionem nactus, opprimere, atque vexare complures cœpit, rem omnem in Theodoricum transferens. Vnde indignati Proceres Theodoricum monasterio includunt.* Vt A videlicet latendo benè iam viueret, qui peiùs latendo malè viuebat.

7 Quò sanè iuerit frequens scripturæ locutio Regibus dies perpetuò assignantis, nam Vatibus hic mos est: *Visio Isaiæ, quam vidit in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, & Ezechiæ Regum Iuda.* Isai. 1. 1. Isaiæ 1. vers. 1. *Visio Ieremiæ. Quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Iosiæ.* Ierem. 1. vers. 1. Ierem. 1. 1. *Verbum Domini, quod factum est ad Osee in diebus* Osee. 1. 1. *Oziæ, Ioatham, Achaz, Ezechiæ Regum Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas.* Imò sacri libri, in quibus Principum facta, & historiæ conscribuntur, *Verba dierum Regum Israel*, signatè appellantur. Sed qua ratione? Num quòd ipsi temporis, ac dierum domini, siue rectores exstiterint? Minimè quidem; sed quod datum sibi tẽpus, & dies in regni administratione consumpserint, B & perpetua operationũ serie impleuerint, sic explicante Ambr. lib. 4. in Lucam ea Domini verba: *In diebus Eliæ*, Lucæ 4. 25. Ambros. Luc. 4. 25. *Non quia Eliæ dies fuerint, sed in quibus Elias operatus est.* Sanè quasi ab actu, & operatione dies Regis numerentur: iam diuque vixisse videatur, quàm diu Regni gubernationi, & negotiorum expeditioni operam nauauit. Quo quidem sensu, ac mente, quotquot pleno pectore sapuerunt Principes fuisse affectos, omnino nouimus; & verò præfata cæli ad inferiorum corporum vtilitatem procurandam perpetuò se mouentis imagine vsurpata Hispanum nostrum Theodosium egregium planè Principem in Reip. curis indefesso labore se exercentem sic commendabat Latinus Pacatus in Panegyrico: Pacatus. *Gaudent profectò diuina perpetuo motu, & iugi agitatione se vegetat æternitas, & quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est. Vt indefessa vertigo cælum rotat, vt* C *maria æstibus inquieta sunt, & stare Sol nescit, ita tu Imperator continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus sẽper exerceris et.* Audis dies Regñ ex continuatis negotiis, & perpetua exercitatione pensitatos, numeratosque? Audis Principem à Deo Epicuri otioso, & inexercito longissimè euntem. Ergo vt illum *Neminem* appellabat Tertullianus, ita hunc, verum & legitimum Regem munus suum implentem dixeris. Quò mirè facit perpulchra Plutarchi sententia in libro cui titulus Plutarch. *In Principe requiri doctrinam:* vbi cùm attulisset Persarum morem, ex quo Regi vnus inerat cubicularius, cui hoc vnum negotium demandatum erat, vt diluculo ingressus ei suggereret: *Surge Rex, atque ea cura negotia, quæ te curare voluit Mesoromasdes* (Imperij scilicet Persarum fundator,) subiicit ipse de suo: *At erudito, prudentiq; Principi intus in animo adest, qui semper idem dictet, ac iubeat:* sic ille scitè: *semper dictet*, vt & animo infixus publicæ vtilitatis stimulus nullũ otium, D nullam quietem habere sinat, & ad subditorum res tractandas, negotiaque expedienda nullo egeat admonitore. Ad quam doctrinam bonum Principem Vespasianum sese omnino componentem sic Sueton. facit Suetonius: *In principatu maturius semper, ac de nocte vigilabat: deinde perlectis epistolis, officiorumq; omnium breuiariis amicos admittebat: ac dum salutabatur, & calceabat ipse sese, & amiciebat, postq; decisa quæcumq; obuenissent negotia*, &c. Nec aliter callidus ille Tiberius, qui non solùm apud Suetonium, *Cognitionibus magistratuum, vt vnus è consiliariis, frequenter interfuit*: sedentiam adhuc mala valetudine affectus gubernationi indesinenter incumbebat, vti Tacitus sic scribit lib. Tacit. 4. Annalium: *At Tiberius nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens, ius ciuium, preces sociorum tractabat.*

P. Velasquez in Psal. centesimum.

V AD

Ad eadem verba,

Principi satis non esse egregios, atque fideles Regni administros habere, nisi ipse simul negotiorum expeditioni incumbat.

ADNOTATIO VII.

1 PRIMO cursum Regis nostri verba: *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecū*: vt ex illis admoneatur Princeps, optimum quidem esse fideles consiliarios, & egregios administros habere, quorum operâ, & industriâ in regni gubernatione adiuuetur: at enimverò, vt ipse muneri suo satisfaciat, perfectaque, ac felix regnorum administratio fit, minimè quidem satis id esse, nisi ipse primùm negotia expediturus, atque ius & iustitiam redditurus, non secus, ac Sol in medio Planetarum sedeat, eique administri, & consiliarij tanquam minora lumina, ab ipso lucem, ac splendorem accepturi assideant. Quod sanè omnino it mystica illa scala Patriarchæ Iacob per vigilantissimum somnium sic proposita Genes. 28. versiculo
Genes. 28. 12. & 13.
12. & 13. *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Etenim vt ipsa, vel mundi huius figuram & œconomiam, vt volunt aliqui, vel quod pluribus, & melioribus auctoribus probatur, Christianā Ecclesiā, eiusque gubernationem adumbrabat: ita summū Deum non modò per ministros suos, sed per seipsum immediatè tantæ moli incumbentem, manusque & executionē commodantem velut de facie ostendit. Nimirum ascendebant per eam, & descendebant Angeli: administri scilicet, siue *administratorij spiritus in ministerium*
ad Hebr. 3. 14.
missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, ad Hebræos. vers. 14. at vt scala omnino staret, atque subsisteret, ipsemet Dominus firmiter illi, atque tenaciter incumbebat, eam namque vim habet verbum *innixum*: vnde ea Hebræis originibus propriè vertas *stare fecit totam scalam*: optimè interpretante, atque elucidante nostro Vulgaro causam, à qua scalæ inesset firmitudo, tantùm non dicens: ideò firmum, ac florentem regni statum vides, quod Dominus bonis quidem administris in eius gubernatione vtatur, sed eorum tantùm operâ non contentus ipsemet rerum administrationi, ac negotiorum expeditioni manus adhibeat. Quod sanè innuere videtur Philonis commentarius in libro de somnis, etenim cùm dixisset:
Philo.
Somnium autem ostendit innixum summæ scalæ Principem, Angelorum Dominum. Credendum est enim, sicut in curru aurigam, aut in naui gubernatorem, ita rebus omnibus superstare eum, qui est, corporibus, animabus, animantibus, mentibus, Angelis, cunctis, quæ terrâ, vel aere, vel cælo continentur, naturis tum visibilibus, tum inuisibilibus: totum enim mundum ex se pendentem regit. Statim illud: *Innixum scalæ*, sic premit: *Cogitat his verbis significari, Deum esse robur, firmitatemque rerum, quibuscumque vult assignare stabilitatem perpetuam: tantisper enim dum ab illo sustentantur, inconcussa manent, atque integra.* Sanè vt hinc Regibus, atque Principibus typus, & forma apprimè constitutæ Reip. proponeretur, quæ non aliter stabilitatem, florentemque statum sit habitura, nisi ipsi scalæ innitantur, siue regni administrationi incumbant.

2 Illud verò pulchram in hanc rem emphasim habere videtur, quòd in hac firmiter, & rectè gubernatæ Reipub. imagine, ij signatè administri depingantur, qui non homines, infirmi scilicet, peccatis, atque ignorantiæ obnoxij, sed Angeli, hoc est, *potentes virtute*, sanctitate, & sapientiâ spiritus sint. Quod quamuis

A Regis administri, & cōsiliarij, probi, industrij, ac perspicaces, &, vt vno dicā verbo, Angeli fuerint, adhuc tamen ipse gubernationi interesse, & negotia tractare, & super ipsosmet ministros inuigilare debeat: sic omnino Lampridius bonum suum Imperatorem Lamprid.
Alexandrum Seuerum optimos sibi ministros adlegisse, & pro legū ambiguitate selectissimus Iurisconsultos Adsessores adhibuisse, & nihilominùs quas ipsi tractassent, & cognouissent causas ad se tandē referri præcipere solitū hunc in modū affirmat: *Negotia, & causas prius à scriniorum principibus, & doctissimis Iurisconsultis, & sibi fidelibus, quorum primus tunc Vlpianus fuit, tractari, ordinarique, atque ita ad se referri præcepit.* Quem videtur imitatus optimus Imperator Basilius Leonem filium sic admonens: *Obstringe te huic necessitati, vt omnia tibi oculis inspicienda esse ducas, & nihil inspectum prætermittas.* Reddit rationem: *Quippe sicut omnia Deo curæ sunt, vt Deo, necesse est, & tibi curæ esse, vt Regi.* Rectissimè.
B Premit verò eam necessitatem quâ ad instar Dei omnia à Principe inspicienda, & tractanda sunt: sed quonam modo Deo necesse est, vt omnia ipsi curæ sint? Num quod necessitate adactus velut sub iugo res humanas ageret, ferat, metat? Minimè quidē, sed quod ex vi primæ causæ sic ab eo secundæ causæ dependeant, vt ipso manum, & faciem auertente, omnia turbari, ac dissipari necesse fuerit. Dicente Vate Psalm. 103. 29. Psal. 103. 29.
Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorū, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Nec aliò abeunte Seneca lib. 2. quæstion. natural. cùm ait: *Ex qua suspensa sunt omnia, à quo omnis causa causarum.* Sanè Senec.
ad hunc modum Principi secundas inferiorum rerū causas, siue negotiis iudiciisque ministros, consilia-
C riosque quantumuis fideles, atque prudentes, qui velut Angeli sint, semel præposuisse satis non est, nisi ipse omnia sibi etiam inspicienda ducat, & nihil inspectum prætermittat. Nam vt ipso rebus, administrisque adstante, & manum operi admouente, omnia implentur bonitate, & multum emolumenti capiunt, ipsique administri sese velut Angeli gerunt, ita faciem, manumque auertente, eorum spiritus aufertur, deficiunt, & in puluerem suum reuertuntur. Vnde statim sic subiicit bonus Imperator: *Quemadmodum enim ea, quæ à te diligenter inspecta administrantur, multum emolumenti capiunt, ita quæ non inspecta negligenter prætereuntur, in magnam perniciem labuntur.* Verissimè.

3 Ita sanè Domino Israeliticæ plebi non leuiter infenso, vt debitas eius duritiæ pœnas inferret, ab immediata illius gubernatione sese subducere, & totam administrationis curam in Angelum transferre
D volebat: sic enim ipse ad Moysem Exodi 33. 3. *Vade* Exod. 33. 3. & vers. 4. & 15.
ascende de loco isto, tu & populus tuus, quem eduxisti de terra Aegypti in terram, quam iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, & mittam præcursorem tui Angelum, &c. Non enim ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es. Durissima sanè comminatio, cuius stimulus populum sic pupugit, vt quasi in extrema clade omnia à se ornamenta abiecerit, & sese totum luctui, & lachrymis dederit: sic enim statim: *Audiensque populus sermonem hunc pessimum luxit, & nullus ex more indutus est cultu suo.* Vnde Moyses populi amantissimus sic Dominum allocutus dicitur: *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto*: quasi nec pedem mouere, nec gressum sine Deo ductore figere liceret, liberetve: sed quare, ô boni, pessimus vobis is sermo videatur? cùm Angelum viæ ducem, & comitem habeatis? ignorabitne ipse viam? abiicietve salutis vestræ curam? precibus, aut præmiis cùm iudicaueris, corrumpetur? Quid ergo desideratis? Quid lugetis? Respondet mihi sapienter Oleaster: *Magnum quid est, pastorem proprias oues custodire,* Oleast.
neque

neque mercenariis quantumtumque diligentibus fidere. Mercenarius enim fugit, solùm quia mercenarius est. Et quia aliter homo res proprias custodit, aliter alienas. Opportunissimè. Vt oorit Princeps, qui gubernationi per se ipsum immediatè non incumbit, communi suorum bono, ac Reip. vtilitati non omnino prospicere, quamuis eos sibi administros, & vicarios substituat, qui Angeli esse videantur, quòd quantumuis probi, atque electi ij fuerint, personam tamen Principis non impleaot: *Aliter enim homo res proprias custodit, aliter alienas.*

4 Illustrant hanc doctrinam, firmaotque duæ auctoribus ad Principis naturam, mutuósque exprimendam vsurpatæ imagines, altera sensos communis, ab Aristotele singillatim animantibus attributi, & ad hooc pene in modum à P. Salazar. in cap. 20. Prouerbiorum vers. 8. num. 29. allata, etenim præter externos quinque sensus internum aliom, ac nobiliorem Philosophus esse dixit, & in capite locauit, cuius quidem munus, & officium fuerit: omnes externorũ sensuum notitias in se colligere, atque inter res ab illis cognitas discernere, atque diiudicare: nihil enim ab externo quolibet sensu cõcipitur, quod non is statim interiori renuntiet: internus autem sensus ab externis edoctus inter eorom obiecta iudicium fert: *Rex igitur* (inquit Salazar) *huic interno seu communi sensui perquam assimilari esse debet, cùm Respublica sua sedulus præsit, vt ad illum reliqui omnes Magistratus velut externi quidam sensus omnia, quæ alibi gentium geruntur, ocyus referant, ipse verò de omnibus edoctus, de singulis discernere, de vniuersali administratione iudicium ferre, vt malis grassantibus succurrere possit.* Altera animæ respectu corporis, cum quâ Princeps ab Scriptoribus, quibus Apostolorum Princeps non leuiter suffragatur, frequentius componitur: sic namque apud Cornel. Tacit. lib. 1. Annal. *Vnum imperij corpus vnius animo regendum*: ad quem modum etiam, & Plinius in Panegyrico, & Seneca lib. 1. de Clementia cap. 3. loquuntur. Petrus verò Principes, Prælatosque admoneos sic eos populorum animam facit 1. Petri 5. 3. *Pascite qui in vobis est gregem Dei forma facti gregis ex animo.* Vbi cùm de forma hominibus indita Apostolus agere videatur, facilè obserues: gregem seu populum cum humano corpore, Principem verò cum anima rationali, quæ illius substantialis est forma, ab ipso componi. Hinc, quid corpus sine anima, à qua et vitam, ita omnes motus, ac sensus habet: quid populus sine Principe, cum sese videlicet ille ab eius gubernatione, & prouidentia subducit, facilè videre est, quin exposititore, aot oratore egeat. At enimverò id nostro instituto sic modò aptandũ, vt quemadmodum nulla alia forma, quantumuis naturâ suâ perfecta, aut artificio summo elaborata, animæ rationalis vices in humano corpore potest implere: ita nulli Principis Vicarij, siue administri æquè, ac ipse Regio vnquam muneri satisfacturi fuerint: *Nam quemadmodum ea, quæ à Principe diligenter inspecta administrantur* (vti dicebat Basilius Imperator) *multum emolumenti capiunt, ita quæ non inspecta neglectim prætereuntur, in magnam perniciem labuntur.*

5 Accipe hæc sensa ex nostri Regis iudicio: enimverò cùm ipsi ob immane receosti populi facinus, in quod (heu!) lapsus est, trium ingentium malorum à Deo sic optio facta fuisset: *Aut tribus annis famem, aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, aut tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari in terra.* 1. Paralipom. 21. vers. 12. ille re vndequaque expensa, non tam suæ, quàm populi, quem ardentius amabat, vtilitati prospiciens, diræ pestis supplicium omnino elegit. Quod si obiicias: nonne hoc populo grauius, acerbiusque fuit, quàm si ipsemet Dauid per tres menses à patria extorris fugitans vagaretur? Respondebo ex Ambrosio: Minimè quidem: nam Rege à populo suo absente, licet regni proceres, consiliarij, administri, magistratusque ad manum essent, omne tamen ab illo bonum, vita, salus, & lux deerat: *Perinde enim esse videtur* (inquit Athanasius epist. 1.) *gregem abesse à pastore, ac cæcum duce carere.* Vnde Demas, apud Plutarchum in Regum, & Imperatorum apophthegmatibus, mortuo Alexandro dixisse fertur, *Videre se Macedonum exercitum duci frandatum Cyclopi similem excæcato.* Quod equidem iudicium ipsemet populus omnino tulit, cùm Dauidem aliquando discriminĩ in bello obnoxium videns, sese iurisiurandi nexu obligauit, ne vnquam Regem suum in acie prodire pateretur, ne totius populi extingueretur lumen, & splendor: *Tunc iurauerunt viri Dauid dicentes: Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel.* 2. Reg. 21. 17. Quæ verba bonus Scholiastes Gaspar Sanctius sic opportunè explicat: *Illud porro, extinguere lucernam, nihil est aliud, quàm perire illud, quo derat regni totius lux, & splendor, quo sublato sic maneret populus deformatus, & mœstus quomodo facies oculis effossis, ac mundus sole de cælo sublato, vtrumque enim appellatur lucerna.* Et postmodom, obseruans legem in scriptura appellari lucernam, subiicit: *Quare sicut sine Sole mundus iaceret in tenebris, sine oculis homo erraret cæcus proximus ruinæ, sine lege neque patem haberet, neque viuendi modum securum, & rectum, sed omnium sensuum suorum obsessum vanitati, rationis communes, & publicas præuerteret, sic Dauide sublato in tenebris videretur iacere populus, & à recta virtutis semita deuius, & effrænis in præceps ruere voluntarius.* Vides vt nulla sit magis miseranda clades? nulla sæuius in populum grassans pestis, quàm populum Principe suorum res curante, eiúsque vitam imperitiente carere? Iam hæc omnia sic præstrinxit Ambrosius in Psalm. 37. *Suam fugam non poposcit propter illud, quia Propheta pro populo orare poterat, sicut factum est, populus pro Propheta intercedere non poterat.*

6 Bonum quidem Principem Traianum ex Hispania ortum, publicis negotijs, & Reipub. administrationi sedulò, ac perpetuò incumbentem, sic in suo Panegyrico Plinius veritatis fines egressus blandè demulcebat, vt Deum iam à terrenarum rerum curis liberum, cælo solùm vacare diceret, quòd quidquid ipse in terris fuerat facturus, à Traiano eius vices gerente, atque suppleote administraretur. Ita enim Plinius: *Talia esse crediderim quæ ipse mundi parens temperat nutu, si quando oculos dimisit in terras, & facta mortalium inter diuina opera numerare dignatus est, quibus nunc per te liber, solutusq́, cælo tantùm vacat, postquam te dedit, qui erga omnis hominum genus vice sua fungeris. Fungeris enim, sufficisq́, mandantis, cùm tibi diei omnis summa cum vtilitate nostra, summâ cum tua laude condatur.* Ita ille. At enim, errauit Plinius, & vehementer errauit, dum adulandi ardore occæcatus ionixum scalæ Dominum non animaduertit humana omnia mouentem, gubernantem, regentem, moderantem, spiritum, vitamque inspirantem, ut incoocussa maneant, atque integra. Sed enim Plinianam illam assentationem sic Principes, non mente, cùm immediatam Dei prouidentiam, & fide teneant, & in se ipsis expetiantur, sed operibus suscipere debetent, tanquam reapse credid issent, Deum terrena gubernatione liberum, atque solutum, cælo tantùm vacare omnesque hominum curas, gubernationem, præmiorũ, ac suppliciorũ illationem in ipsos prorsus transtulisse, vt hac cognitione instructi omnis ipsis dies summâ cum vtilitate nostrâ, summâ cum eorum laude condatur, vti indidem de Traiano Plinius huoc in modum ait: *O veri Principis, atque etiam consulis, reconciliare æmulas ciuitates, tumentesq́, populos non imperio magis,*

P. Salaz.

Corn. Tacit.

Plinius.

Seneca.

Basil. Imp.

1. Paralip. 21. 12.

Athanas.

Plutarch.

2. Reg. 21. 17.

Sanctius.

Ambros.

Plinius.

magis, quàm ratione compescere, intercedere iniquitatibus magistratuum, infectumq; reddere quidquid fieri non oportuerit. Postremò velocissimi syderis more omnia inuisere, omnia audire, & vndecumq; inuocatum statim velut Numen adesse, & adsistere. En Principem muneri suo plenè satisfacientem, qui ad Dei exemplar scalæ innixus, eam stare faciat, siue Dauidis instar in iudicij throno sedeat, & suis magistratibus, & ministris præsideat. Certè dum à Salomone quæsito vocabulo Principes dicuntur ministri regni Dei, Sapientiæ 6. 5. *Cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis*: notanter præmittitur: *Audite ergo Reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum.* Ipsos officij sui omnino sapiens Rex admonens, vt nimirum muneri suo sic intendant, vt subditorum eos audire, intelligere, discere, & in negotiorum expeditione gratas omnibus aures præbere nunquam intermittant, reddit rationem: *Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur.* Quæ sic omnino capienda videntur, vt dixerit: Quoniam hac ratione, & causa, vt Dei nomine, & tamquam eius ministri, per quos ipse quasi audire, videre, siue præmiis, & pœnis afficere videatur, regiam ipse vobis potestatem, & imperium commisit. Vnde peculiari examine omnes vestras actiones, imò, & cogitationes ipsas explorabit, an hue illas direxeritis, an verò otiosi, atque inexerciti aliò diuerteritis: impositū signatè vobis onus, & curam in alios omnino transferentes. A quo Salomonis sensu vix discedit rursus Plinius sic Principem suum laudans, quod ministris tamquam ministris vteretur, quin ipse à gubernatione manum submoueret, sed per se ipsum rerum administrationi incumberet, vt simul Imperatores, qui præcesserant acriùs pungat, quòd omnem regni curam in suos administros transmiserint. Sic enim ille: *Plerique Principes, cùm essent ciuium Domini, libertorum erant serui: horum consilijs, horum nutu regebantur, per hos audiebant, per hos loquebantur, per hos præturæ etiam, & sacerdotia, & consulatus, imò & ab his petebantur. Tu libertis tuis summum quidem honorem, sed tamquam libertis habes, abundèq; sufficere his credis, si probi, & frugi existimentur. Scis enim præcipuum esse iudicium non magni Principis, magnos libertos.* Optimè: vt moneat eum magnum Principem esse, qui regiis curis intentus per se audire, per se loqui, per se honores, & magistratus distribuere norit, eumque suis administris, & consiliariis honorem deferat, qui illos à suo gradu, & ordine non extrahat.

Sapient. 6. 5.

Plinius.

Arnold.

7 Concludam, si opportunam Venerabilis Arnoldi Abbatis cogitationem piis tamen, quàm argutis auribus accipiendam appinxero, ille siquidem tractatu de *Septem verbis Domini in Cruce*, ad ea Domini ad Latronem verba, *Hodie mecum eris in Paradiso*: dum bonum illum Latronem in Cruce pœnitentiam agentem, & se totum Domino deuouentem sic considerat: *Ibi orat, ibi adorat, multa simul pietatis officia complectitur, Credit, & timet, compungitur, & pœnitet, confitetur, & prædicat, amat, confidit, & orat.* Ac proinde ipsum iam regno cælesti idoneum, & maturum contemplatur, Petri præsentiam vt pro collato sibi munere regni claues ad introducendum felicem illum pœnitentem exhiberet, idcirco illius absentiam tantisper vellicat hunc in modum: *Ne irascaris Princeps Apostolorum, tibi dico Petre, cui claues regni cælorum commissæ sunt. Et te amarè flentem Christus respexerat, & donauerat negationis reatum, &c. Te tamen iuxta crucem non video, territus lates. Nec ibi Apostolica auctoritate vteris, vbi adinuicem fixis iuxta crucibus priuata miscent colloquia Saluator, & peccator. Absens eras, & ministerij tui claues (quod pace tua dixerim) modò non profers.* Vnde quidem infert, opus quodammodo fuisse, vt Dominus sese illius vicarium, qui eius vices suppleret, & Pontificio muneri satisfaceret, ea de causa exhiberet. Audi: *Supplet vicem tuam summus Sacerdos, apertisq; seris antiquis latro primitiæ derelictorum introducitur (aperiente Christo) in regnum cælorum.* Vbi ex sententia Arnoldi facilè videris, quàm sit necessaria immediata Principis cura in negotiorum expeditione, quin sufficiat, illam in ministros licet electos, & bonos vndequaque transferre, cùm etiam tunc Petrus reprehensioni fuerit obnoxius, cùm ipsummet Dominum sui administrum, atque vicarium quodammodo habuit. Num Principibus plurea ad manum erunt (vt sic dixerim) Christi, qui vices suas suppleant? Non opinor. Quanam ergo ratione culpæ non fuerint obnoxij, si sese negotiis exemerint, & omnem curam in suos administros, & consiliarios transmiserint?

Ad ea verba,

Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

Principis oculos ad causarum articulos pertingendos maiori acie, quàm administrorum oculos pollere.

ADNOTATIO VIII.

1 ETIAM illud ex præfata imagine formæ, sine animi cum corpore compositi omnino conuincitur, nullum vnquam Principis vicarium, siue administrum, quantumuis sapientiâ, & rerum omnium peritiâ vigeat, regio muneri æquè ac ipsum Principem posse satisfacere, sicut nulla alia forma licet naturâ vndequaque perfecta, aut artificio elaborata, animi rationalis vices in humano corpore implere valet, necessariâ id ratione cōmonstrante, quam statim aperiam, & Rege Salomone sic commonente Prouerbiorum 20. vers. 8. *Rex qui sedet in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo.* Cuius loci is liquidus sensus esse videtur, ac si dixerit Sapiens: cùm iustus, & recti amans Princeps regni gubernationi per semetipsum incumbit, & subditorum causas, atque negotia agnoscere, & expedire curat: adeò vehementiùs, & acriùs quàm ipsius administri res intuetur, & callet, vt quod illi multorum annorum spatio, siue nesciunt, siue nolunt expedire, ipse leui oculo, siue vno intuitu penetret, assequatur atque perficiat: Hispanè non ineptè dixeris: *Mas haze el Rey de vna ojeada, que los ministros quemandose las cejas.* A quo nihil omnino distat Gentilis Crispini sententia oratione contra Dionysium apud Stobæum serm. 45. *Regis vel solus aspectus satis est, & si tantum fuerit intuitus, explorata est veritas*: vel disce id ab illo celebratissimo languido, qui in probatica piscina ab Angelo salutem expectans *iacebat triginta & octo annos habens in infirmitate sua.* Ioan. 5. vers. 5. Enimverò eum locum Dominus aliquando ingressus, cùm miserum illum ægrum fuisset intuitus, vix causam, & infirmitatem illius cognouit, cum illum ab infirmitate liberum, sanumque dimisit, sic enim Ioannes: *Dicit ei, vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo. Dicit ei Iesus: surge tolle grabatum tuum, & ambula, & statim sanus factus est homo ille.* Vides, quantum intersit inter Principem, & illius ministros in negotiorum expeditione, & bona Reipub. administratione? Nimirum quod Angelus in longissimo triginta & octo annorum spatio non est assecutus, id Dominus solo intuitu in momento temporis perfecit, quippe Princeps multò acriùs, & acutiùs leui oculo intuetur, & causarum iugulū premit, quàm Regni administri, quamuis

Prou. 20. 8.

Stobæum.

Ioan. 5. 5.

virtute,

virtute, & sapientia Angeli quodammodo esse videantur, sic id vnico verbo commonente S. Cyrillo Alexandrino in ea Ioannis verba lib. 2. cap. 126. *Non est hominis tanta potestas, & virtus, &c. vt qui videbant, quanta Domini virtus esset, inde colligerent.* Vt dicere videatur, vt quantum inter dominum, & ministros ad hominum negotia expedienda discrimen esset, omnino innotesceret. O salutares, & Regni administrationi omnino necessarios Principis oculos!

Cyril. Alex.

2 Expressit omnino hanc cogitationem Salomon regiæ scientiæ, & gubernandi artis peritissimus Prouerbiorum 16. 10. inquiens: *Diuinatio in labiis Regis, in iudicio non errabit os eius.* Nimirum dum à PP. & interpretibus ambigitur, quid fuerit diuinationem in labiis Regis esse? aptior, & opportunior magnorum interpretum expositio est: Regem legitimum iura dantem, negotiaque expedientem, & in causis dirimendis iudicium proferentem adeò certo, & vero sensu iudicare, vt eius labia adinstar oraculi, & diuini responsi, non modò certum renuntient, & causæ iugulum premant, sed etiam vim præsagam, siue absconditа rimandi, siue futura cognoscendi habere videantur. Nec mirum id alicui videri debet, cùm Principes *ministri* Dei, vt adnotat. præced. vidimus, qui vicarias eius vices in terris gerant, ipsiusque personam sustineant, ac proinde peculiari ab eo luce, & veluti diuino spiritu ad res cognoscendas, & diiudicandas illustrentur, & quod pleriq; auctores admonent, non cuiusuis Angeli, sed signatè Archangeli præstantioris virtutis custodiâ, & munimine propter publica negotia confoueantur. Quod quidem videtur innuisse Imperator Iustinianus in lege prima, §. *Si verò postea*, C. *de veteri iure enucleando* cùm ait: *Imperium Deus propter hoc imposuit hominibus, & vt emergentia, & legis egentia lege definiat, & humanæ naturæ incertum repleat, & certis concludat legibus, & regulis.* Obserua illa *humanæ naturæ incertum repleat*, quibus adstruit Imperator, Principem in iudiciis ferendis, & negotiorum expeditione supra seipsum, & supra humanam naturam quodammodo assurgere, dum quod illi incertum, atque imperuium est, ipse veluti diuinationem, siue etiam diuinitatem assecutus, omnino attingit. Planè quòd à Deo hominum gubernationi, & negotiorum expeditioni signatè impositus, & constitutus sit, vt eius nomine Rempub. administret, eaque ratione non possit non Deus eius mentem, & animum peculiari luce perfundere, & abundatioris spiritus sui robore communire: vti omnino docet S. Tho. de Regimine Principum lib. 3. cap. 2. & manifestissimè apparet Numer. 11. 17. cùm Dominus nouos populi Principes, & iudices constituere volens, non contentus eos elegisse: *qui senes populi, ac magistri essent*, prudentiâ scilicet, & virtute præditi, subiecit agens cum Moyse: *& auferam de spiritu tuo, tradamq; eis, vt sustentent tecum onus populi:* vbi pro *spiritu tuo*, LXX. legunt: *de spiritu qui in te* (aut super te) *est*, quod de Spiritu sancto Chrysostomus homilia de Spiritu sancto tomo 3. & alij PP. accipiunt. Vides aliam Principi prudentiam, aliam sagacitatem ad res diiudicandas, negotiaque expedienda, ac ministris subesse, cùm maior illi à Deo lux, & spiritus à Deo obueniat?

Prou. 16. 10.

S. Thom. Num. 11. 17.

LXX.

Chrysost.

3 Ita quidem videris Deum, cùm aliquando Danielem publicis negotiis, & functionibus vellet præficere, signatè verò in ancipiti illa, & ardua Susannæ, ac seniorum causa iudicem constituere, spiritum illi suum singillatim fuisse impertitum: sic enim Daniel. 13. 45. *Cùmque duceretur ad mortem* (Susanna) *suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel.* Tunc verò illum tanto Magistro instructum, tantaque luce perfusum, quod totum ante Seniorum Concilium inuestigare non valuit, mirabili quodam artificio sceleratam senum calumniam, & falsum illorum testimonium deprehendisse, & innocentem Susannam ab imminenre morte liberasse, idemque in nocentes accusatores supplicium detorsisse. Sed enim vt hæc vndequaque subsistant, huius spiritus, quem Principibus Deus indit, naturâ obserua. Certè Isa. 11. cùm Dominus regnantem virgam populis præficit: sic primum Principem suum instruxisse, & adornasse dicitur: *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis.* Quid plura? estne aliquid quod bono Principi ad negotia expedienda, & verum à falso, vtile à noxio discriminandum, ad ius iustè, & fortiter reddendum supra sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, & pietatem addi possit? ita quidem. Audi: *Et replebit eum spiritus timoris Domini: non secundùm visionem oculorum iudicabit, neque secundùm auditum aurium arguet.* Vbi si attendis, aliquid latet, quod visione oculorum, & auditu aurium ad iudicandum potius, & gubernandum aptius fuerit: sed quid (inquis) oculis, & auribus Principi opportunius? Sanè ille Dei spiritus, eaque diuinæ lucis illustratio, qui in veritatem fertur, eamque inuestigat, atque è latebris eruit: vt in præfato Danielis iudicio, & in Salomonis sententia, quâ infantem inter veram, & falsam matrem diuidi iussit, omnino apparet. Ideò obserua pro illis verbis *Spiritus timoris Domini*. Hebraicè esse: *spiritus odoratus*: imagine à canibus venaticis ex olfactu deprehendentibus prædam desumptâ: vt sensus fuerit, præter scientiam, sapientiam, intellectum, atque consilium, quæ Principi cum suis ministris communia sunt, signatè ei à Deo peculiarem illam lucem, qua veluti olfactu veritatem, & Reipublicæ [illegible]itatem deprehendat; impertiri: ideoque ipsum iuri dicendo, & negotiis expediendis omnibus ministris aptiorem opportunioremque curam impendere. Iam hæc omnia illud pulchrè firmat, quod de Valentiniano Iuniore velut altero Daniele Dei spiritu ardua negotia, quibus ipsimet seniores iudices vix sufficerent, facilè, & feliciter expediente, sic inquit Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani: *Audire in consistorio negotia, & Danielis spiritu, in quibus dubitarent senes, vel persona alicuius contuitu ducerentur: congruam verò adolescentem videres senilem ferre sententiam.* Opportunè, vt videris, quàm aptior hic Dei spiritus veritatem olfaciens, quàm oculorum visio, aut aurium auditus sit. Nimirùm Principes non suis tantùm, sed ministrorum etiam oculis, auribusque videre, audireque dicuntur: vnde Prouerbio cessit *multi Principum oculi*, &c. Iam ministri sæpius *personæ alicuius contuitu ducuntur*: Princeps verò cùm nonnisi in verum feratur, melius quidem certiusque ex olfactu, quàm ex aliorum oculis, auribusque negotiis expediendis iudicium affert.

Dan. 13. 45.

Isai. 11. 3.

Lect. Heb.

Ambros.

4 Enimverò tam cum prædictis Salomonis verbis, *Diuinatio in labiis Regis*: quàm cum præfata Danielis historia, qui Dei spiritu instructus veritatem velut venaticus canis olfactu, vel potiùs, vt Vates diuinatione deprehendit, & falsorum testium mendacium aperuit, mirè concinunt nostri Vatis verba, in quibus sumus ex Agellij Antistitis commentario: Perinde enim esse in primis ait: *Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum*: ac si dixerit Rex: *Testis mendax, vel falsus delator, non sibi constitit, non recto itinere, & sermonis cursu constanter ambulauit, sed titubauit, & coniectu oculorum meorum, ac solo conspectu perterritus aciem oculorum meorum tamquam lucem occulta detegentem veritus, vacillauit, atque fluctuauit, & sibi contraria locutus est.* Deinde Dauidem cum Salomone præfato loco sic componit:

Agellius.

ponit: *Vt enim teste Salomone in Prouerbiis*: Diuinatio A est in labiis Regis, & in iudicio non errat: *Sic diuina quædam est in eius oculis maiestas, vt illam testes mendaces, & iniusti ferre non possint, & sibi constare, ac regium obtutum perferre nequeant.* Hæc ille omnino ad rem. Sed iis rursus addideris, quæ à Patre didicisse etiam videtur Salomon cùm Prouerbiorum capite vigesimo

Prou. 20. 8. versiculo octauo ait: *Rex qui sedet in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo*: tantùm non dicens, in Principis ios reddeotis conspectu mendacium titubare, ac dissipari, nec vllo modo stare, siue firmiter niti posse: quòd dum eius oculis acrior ad videndum vis, & valentior acies, vtpote vberiori Dei luce perfusis subest, ipsos illud minimè ferre possit, quin statim perluceat, & sese prodat. Quippe *Regis, vel solus aspectus satis est: etsi tantùm fuerit intuitus, explorata est veritas*: vt dicebat Crispinus. Quò opportunè referas, quod de L. Torquato Titus Liuius libro vi-

T.Liu. gesimo sexto narrat: designatum videlicet illum omnium consensu Consulem, valetudinem oculorum excusasse illis verbis: *Indignum esse Rempublicam, & fortunas ciuium ei committi, qui alienis oculis vti cogeretur.* Vt omnino diceret, aliam perspiciendi aciem, aliud penetrandi acumen Principis oculis, ac ministrorum inesse: & ministros quidem falli, & fallere solitos: Principem verò vix scopum non collimare.

5 Sed illud multò fuerit opportunius, quod de Summo Sacerdote, & Principe populi Heli Regum narrat Historia libro primo, capite quarto, versiculo decimotertio, populo videlicet in castris in summo discrimine constituto, ipsum acutissimè speculantem in rei euentum intentum fuisse: sic enim ibi:

LXX. Pagnin. *Heli sedebat super sellam contra viam, spectans*: siue vt LXX. & Pagninus ex Hebræo transfert, *speculans*, aut *prospiciens*: vbi forsan non nemo sacrum Scriptorem, aut sibi non constare, aut calore scribendi memoriâ lapsum suspicetur: cum capite tertio versiculo secundo de ipsomet Heli dixerit: *Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre.* Qui enim (inquis) is, cuius oculi caligauerant, quin videre posset, modò spectare, siue speculari, id est, tamquam è speculâ acutissimè intueri dicatur? At enim nullus ibi sacri Scriptoris memoriæ lapsus, sed acerrimi iudicij obseruatio fuit, Principi oculos pro loci, aut rei opportunitate, aut dantis, aut eripientis: vt videlicet cùm ipse in loco suo sibi iaceret, caligaret omnino, & cæcutiret: cùm verò throno insideret publica negotia curans, oculatissimus suis esset. Quod planè omnino expressit sacer Scriptor, dum in primis Hebraicè scripsit:

LXX. *Sedebat super thronum*: deinde dum subiecit: *Erat enim cor eius pauens pro arcâ Dei*, siue vt enucleatius LXX. D *Quoniam erat cor eius pauens*, &c. vt sapienter occurrat sciulo interroganti, cur modò oculatus, qui anteà cæcus erat? tantùm non dicens: Quoniam à throno in quo erat, res populi tractans, oculi, & perspicax visus ei adueniebant: vt qui sibi suisque rebus caligabat: suorum quidem negotiis inspector, & speculator esset. Quod planè Principibus, & Magistratibus sæpiùs accidere videmus, ad Reipublicæ res acutioris visus, & magis limati iudicij, quàm ad suas esse, ad instar Pseudoprophetæ illius Balaam, qui *cadens apertos ha-*

Num. 24. 16. *bebat oculos*. Numer. capite vigesimo quarto, versiculo decimo sexto, sibi videlicet cadens, & populo Dei prospiciens, & perspiciens.

Ad eadem verba.

Principis mentem in publicis negotiis expediendis veluti præsagam esse; eius animum ad suorum causas vehementiori affectu tangi.

ADNOTATIO IX.

1 IAM tandem Principis mentem Regni gubernationi & negotiorum expeditioni adeò opportunam ducimus, vt penè Vatem, & diuinatricem faciamus, tam ad sonum, quàm ad sensum Salomonis præfato loco Prouerb. 16. vers. 10. dicentis: *Diuinatio in la-* Prou. 16. 10.

biis Regis: nos omnino accommodantes, ad eum plane modum, quo Rex Athalaricus apud Cassiodorum Cassiod.

lib. 8. epist. 13. de auo suo Theodorico inquiebat: *Iudiciis suis etiam futura prædicebat.* Quod planè sic in primis videtur accipiendum, vt Principi ius reddenti, B negotia, & causas tractanti, nescio quæ supra humanas vis assideat, quâ ipse faciliùs, & feliciùs quàm ceteri administri cuncta expediat, & absoluat. Cui in primis cogitationi non omnino importunum historiam placet afferre in lib. 1. Regum c. 28. 6. dum ibi à sacro re- 1. Reg. 28. 6.

fertur Scriptore, Regem Saulem à Dei numine repulsum, nec vllum ab eo de futuro belli euentu responsum accepisse, mœstum, anxium, ac desperatum mulierem, quæ ab spiritu Pythonico loqueretur, vt ab ipsa de sua salute certior fieret, adire statuisse, vt si non verbis, reapse tamen diceret:

Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.

Sed enim cùm ipse regio edicto iam anteà cauisset, vt omnes magi, & arioli perderentur, ne venefice notus eum illi terrorem incuteret, quo ipsa nefaria illa sacra C necromantica facere nollet, regiis insignibus depositis vulgarem habitum, formamque mentitus accessit: vix verò maga alieno Saulis habitu decepta manum operi admouit, & sacra necromantica facere incepit, cùm eum, qui responsum accepturus adstabat, non alium, quàm ipsum Regem esse omnino cognouit, atque hunc in modum exclamauit: *Quare imposuisti mi-* 1. Reg. 28. 12.

hi? tu es enim Saul. Ad quem sanè locum meritò ab interpretibus ambigitur, quanam ratione Saül, qui vnus de turba ex habitu putabatur, repentè magæ, nō secus, ac si regia gestasset insignia, fuerit notus? & quidem dum vnusquisque in suum abit, illud vt probabilius, ita nostro instituto accommodatius videtur: ex ipsomet re, cui operam nauabat, successu id ipsam cognouisse, dum præter solitas moras, & cunctationes, nec absolutis solemnibus illis ritibus, qui multum desiderabant temporis (vt bene ex legibus à diabolo Necromanticis præscriptis, quæ vbique, & omnibus re- P. Gasp. Sanch.

gionibus cōmunes sunt, probat ibi P. Gaspar Sanchez n. 19) quàm celerrimè res illa processit, & ad primum veneficæ vocem Samuel excitatus cōparuit, ex euentu nimirùm tam celeriter, & expeditè subsecuto solers magæ ingenium deprehendens, non alium à Rege eum esse, qui ei negotio manum admouebat, quod alius regiæ manus vigor, alia celeritas, & expeditio: alios denique ab eo euentus negotiis, quàm ab inferioribus ministris subsequatur. Num *Regis vel solus aspectus satis est.* Animum ergo illa sic induxit suum: Res tam celeriter, feliciterque confecta, nisi à Rege adstante, & sciscitatore esse non potuit.

2 Iam denique præfata Salomonis verba Regem in iudicio diuinantem, siue diuinum sic etiam ad sonū vocis cape, vt ea Dei illustratione, quæ ei ex munere peculiariter obtingit, non præsentia tātùm, sed futura etiam prospiciat, id videlicet de præsentibus iudicium ferens, quo futuros euentus tetigisse, & collimasse videatur. Certè si Ammiano Marcell. non ignobili hi- Ammian.

storico lib. 18. dicere licuit, hominū mentē ea cogna- Marcel.

tione

tiune cęlestium futuri præsagam esse: *Nē sit hoc mirum* (inquit ille) *hominis profutura discernere nonnunquam, & decentia: quorum mentes cognatas cælestibus arbitramur. Animalia rationis carentia salutem suam interdum alto tuetu silentio soluit.* Quantò potius diuinationem in labiis Regis, cuiusmens vberiori Dei luce, & veluti tota Solis lancea perfonditur, vt Regno profutura, atque decentia cognoscat, adstruemus? Disce id ex Patriarcha Iacob, qui quòd populi Princeps esset, multò perspicaciùs oculis orbus futura, quàm oculatus filius eius Ioseph intuebatur: ideò illo licet repugnante, qui præsentibus solùm adhærebat, benedictionem nepotibus impartiens dextram, læuamque illis non pro ætatis ordine, & dignitate, sed pro futuris meritis disposuit. Vnde inclamante Ioseph: *Non ita conuenit pater, quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius:* ille respondit: *Scio fili mi, scio, & iste quidem erit tu populos, & multiplicabitur, sed frater eius minor, maior erit illo: & semen illius crescet in gentes.* Benè quidem duplicato verbo *scio:* omnino innuens duplicatam Principi scientiam à Dei cognatione, & luce obtingere, quâ non solùm plus videat quàm priuati, sed etiam & præsentia intueatur tamquam homo, & futura tamquam Princeps, qui Dei vice fungitur, in semetipsum assurgens cognoscat, ac proinde multò acriori oculorum, siue intellectus acie quàm cuncti eius ministri polleat. Scitè id obseruante Ambrosio lib. 2. de Iacob, cap. 9. hunc in modum: *Sed tunc quoque beatus Iacob, qui discernebat spiritu, quod oculis discernere, aspectuq. non poterat, videbat futura, qui æstimabatur non videre præsentia. Denique errauit & ipse Ioseph,* &c. Et statim: *Adeò licet impedito corporis aspectu melius videbat, vt videntem doceret errasse,* &c. *Ille oculorum impeditus munere, ille defatigatus corporis viribus in lecto tamquam in sepulchro corpus relinquens assurrexit in se, & longè ab aliis atque intra semetipsum se colligens, præsentibus se rebus subduxerat, & nouissimis diebus futura miscebatur ætati.* Reddit verò rationem subdens: *Quid igitur ei deerat, cui Deus aderat?* illi nimirùm quasi ex pacto connexo propter munus quod gerebat assistens, & vberiori illustratione affulgens.

3 Et quidem vt Principis oculi tantò actius, & acutius, quàm ministrorum Reipub. negotia, & subditorum res intuentur, atque cognoscunt: ita illius animus teneriùs etiam siue fortius tangitur, vt illis vtiliùs, opportuniùs, atque celeriùs consulat, atque prouideat: cùm ipse (quod statim videro) proprius populorum suus pastor, ipse suorum subditorum parens, ipse Regni sponsus sit: cæteri verò administri, vt boni & probi fuerint, eam tamen cum populis coniunctionem siue cognationem non habeant; sed velot mercenarij ad opus conducti, qui tam ardenti in publicam vtilitatem amore affici non solent, esse videntur. Nec mirum cùm Rex signetè à Deo in sui locum deligatur, ministri verò ab hominibus constituantur: dicente Paulo secundæ ad Corinth. 3. vers. 6. *Qui & idoneos nos fecit ministros.* Vbi Græcè quæsita locutione dixit Apostolus: *Aptauit nos, vt idonei essemus ministri.* Ac si diceret, quod suos ipse nos ministros delegerit, ea nobis omnia hac ratione exigente iodidit, quæ nostri ministerij administrationi esse opportuna, peculiarem videlicet locem ad res cognoscendas, & singularem, & eximiam charitatem, quâ non solùm vt nutrix, quę infantulum fouet 1. ad Thessalonicens. 2. 7. sed etiam vt mater filium parturiens. ad Galat. 4. 19. illis omnino consulamus. Quò sanè ite videtur discrimen inter pastorem, & mercenarium à Domino sic expensum Ioan. 10. 13. *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propria, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit:* sed quare fugit, nec in discrimine, vt in pace ouibus inuigilat? *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Vbi omnino obserua, Dominum non obiicere mercenario, quòd oues mactet, aut furetur, siue etiam quòd eum custodiat, sed quòd pro illis non pugnet, nec eo illas à dote defendat, quo pastor propria vtilitate postposita illis consulit: eâ quidem ratione, quòd *non pertinet ad eum de ouibus.* Sed quare non pertinet, si eas asseruandas suscepit? Sanè quòd aliter ad ipsum, aliter ad propriū pastorē pertineant: quippe ille, vt alienas, hic vt rem propriā, & quæ ad se sic pertineat, vt cognationē eum illis habeat, intuetur: ac proinde aliter hic ab illo pro ipsis cauet, aliter prospicit, vti præced. adnotat. dicebat Oleaster: *Mercenarius enim fugit solùm quia mercenarius est, & quia aliter homo res proprias custodit, aliter alienas:* exigere eamdem erga filium curam, idem studium, tam indefessum laborem, atque vigilias à famulo, ac à parente? Audi Ieremiam 17. 11. *Perdix fouit, quæ non peperit,* quæ Pagninus ex Hebræo sic effert: *Sicut perdix colligit oua, & non parit:* vbi dum de perdice, quæ aliena oua furatur, & fouet, non de ea, quæ propriis ouis incubat, agitur: sensus ænigmati deseruiens est, aliter sua oua, aliter aliena perdicem fouere, alio videlicet calore, & ardore, aliâ constantiâ: nam pro suis ouis omni cura, omni astu inuigilat, atque decertat, sic illius astus describente Plinio libro 10. natur. hist. cap. 33. *Si venator ad nidum cœperit accedere, procurrit ad pedes sæta, prægrauem, aut delumbem sese simulans: subitoq. in procursu, aut breui aliquo volatu cadit fracta, aut alâ, aut pedibus, procurrit iterum tam tamque prehensurum effugiens, spemq. frustrans, donec in diuersum abducat à nidis.* De alienis verò quæ ex furto colligit, non adeò curat, ideò non parit, siue tandem non excludit: ergo ad hunc modum Princeps in negotiorum expeditione, & Reipublicæ cura ministris excellit: dum subditorum res tanquam ad se, quia suorum sunt, pertinentes omnino intuetur, easque constanti, ardentioque calore fouet, expedat, donec tandé oua excludat, negotiaque feliciter expediat. Aliter quidem inferiores ministri, qui vt negotia tractent, & curent, à sua tamen commoditate, & quiete non discedunt: nec pro illis fatigari, aut periclitari volunt, reapse quidem, quamuis sileant, proclamantes, quod mare nauigantibus exprobrat apud Isaiam 23. 4. *Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes,* ac si dicat interprete Ambros. lib. de Elia, & ieiunio: *Quid me inquietant? quos nescio, quos non agnosco.*

4 Iam hinc facilè inferat Princeps, quàm magnū piaculum contracturus, & quàm longè iturus à muneris sui ratione fuerit, si à Regni administratione manum submouerit, & omnem negotiorum curam, & expeditionem in suos administros deriuauerit, cū non possit in ipsos vberiorem illam sibi à Deo assignatam lucem, nec Archangelum potentem virtute pro muneris pondere adscriptum, nec paternum erga subditos innatum sibi affectum, quo ex regia dignitate pollet, simul transferre. Enim verò cùm Princeps sic omnimodæ Reipub. vtilitati, & subditorum bono adstrictus sit, vt in eâ procurandâ nullum non lapidem mouere debeat: quonam modo ipsum muneris sui partes implere dixeris, dum in negotiorum expeditione tot rantisque, & diuinæ lucis, & sui affectus bonis subditos suos priuat, siue etiam defraudat? Itane ab administris minore luce, tepidiori affectu præditis tractabuntur, expedienturque negotia? Libet in hanc rem argutam illam Arnoldi Abbatis cogitationem adnotatione præcedenti adductam denuò aduocare. Et quidem dum ibi ille Petrum, vt claues regni cælestis ad introducendum illuc latronem porrigeret, desiderabat, atque Christum Dominū tamquam eius Vicarium, qui illius vices suppleret, contemplabatur, siue confingebat, simul etiam innuere,

innuere, ob Petri absentiam claues non afferentis, non tam in regnum, quàm in paradisum, quod misericors erat gratiæ, bonum illum reum à vinculis absolutum ingressum fuisse. Sed quare? Num, quòd Regni sui claues ipse Dominus, qui Petro dederat, & à quo & per quem omnia, non haberet? Apage, sed vt ad Principum institutionem ostenderet, quantum interce deret discrimen, vel cùm ipse sese Principem exhiberet, vel cùm alterius personam, vicariumque egerit: quasi à vicariis, & administris non æquè ac à Principibus subditorum res, & negotia expediantur.

Ad ea verba,

Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.

Principem regna sua lustrare, & inuisere, promptumq́; ac expeditum, quò communis tranquillitatis occasio vocarit, accurrere debere.

ADNOTATIO X.

1 NONNVLLI Scriptores, qui politicis aphorismis paginas opplere student, longas Principibus peregrinationes suscipere suadent, quò ex illis multa edicant: multa audiant, multa oculis cernant, quæ nullâ disciplinâ, nulloque Doctore vnquam perdiscere possent, ad instar Homerici Vlyssis à diuturna peregrinatione sic præcipuè laudati:

Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.

Horat. Diogen. Sicuti & Alexander Macedo, qui apud Diogenem Laertium lib. 2. in Archelao maximam orbis terrarum partem peragrasse dicitur, vt ea omnia perdisceret, quæ ad optimam Regis disciplinam pertinerent, & alter etiam illo maior Alexander, ostenderit scilicet Carolus V. qui ter in Germaniam nouies fecit: feries in Hispaniam, in Italiam septies, in Belgium decies, in Galliam quater, in Angliam atque etiam Africam semel, atque iterum, postremò mare Mediterraneum octauùm: Oceanum verò tertium enauigauit. Verùm enimverò aliis, qui ad res ciuiles, acrius, ac maturius iudicium affectant, multò aliter videtur, nec aliud Principi, atque eius regno non modò inutilius, sed noxius, etiam atque exitialius his peregrinationibus, nisi illas, aut Religionis causâ, aut Regnorum tranquillitas aliquando suadeant, esse censent. Nimirùm vt inter apes Rex medio agmine cingitur, nec vsquam prouolat, vt eor in meditullio corporis, ita Principem semper inter fuos obseruari oportet, tum quod nihil æquè multitudinis animum alienet à Principe quàm si foris agere gaudentem viderit, non frustrà inde coniectans negligi se ab eo, cui præcipuè vellet esse curæ: tum quod ægrè ferat alibi consumi vectigalia, quæ ab eâ exiguntur, quæ eâ de causâ penitus sibi putat, nec Principi dari vectigal interpretatur, sed alienis emolumenta, ac prædam obiici, præsertim cùm in diutinis itineribus ingentes sumptus faciant Principes à subditis tandem luendos. Sed illa quidem potissimùm ratio iis peregrinationibus obstat, quam superiùs attigimus, cùm Principem ea necessitatè muneris sui ratione immediatè Reipublicæ administrationi, negotiorum expeditioni, & subditorum incolumitati incumbentem tanquam animam corpori vitam, viresque spirantem fecimus: nimirùm ibi nostrum Regem, vt populo suo meliùs prospiceret, pestem in eo potiùs grassari, quàm ttimetum sui absentiam pati prudenter elegisse ex Ambrosio vidimus. Quod sanè Sapientis Salomonis calculo probatum videris dum Prouerbiorum capite vndecimo, versiculo decimo quarto ait: *Vbi non est gubernator, populus corruet*, siue vt legère LXX. *cadent tanquam folia*. Prin-
Prou. 11. 14. LXX.

cipem cum vitali arboris vi, à quâ foliorum viridis status, & subsistentia dependent quam huc fermè intentus sic depingit Athalaricus Rex apud Cassiod. lib. nono, epistola secunda: *Arbor, quam florere vides, quam summâ conspicis viriditate latari, subterraneo succo fœcunditatis animatur, reddens in superficiem quod continet in radice*, omnino componentes, vt ipso à populis suis absente cæterum illi malum, atque iacturam experiantur: sic id disertissimè etiam persimili naueleri adhibita imagine firmante Chrysostomo homilia sexta ad populum hunc in modum: *Sicut si nauclerum à naui separaueris, scapham submersisti, ita si Principes à ciuitatibus abstuleris, feru irrationabilibus magis irrationabilem degemus vitam.* Quam ons sententiam, à rer illis nostri Caroli itineribus facilè possemus confirmare aduersùs eos Scriptores, qui has Principi peregrinationes parum salubriter admoneor. Nam vt Magnus ille pro religione, pro pietate, pro iusto, & honesto, pro decore, pro suo denique iure à nobis abscerit, eo planè absente tanquam folia corruimus: & è nostris non pauci feris irrationabilibus magis irrationabilem vitam egerunt.
Cassiod. Chrysost.

2 Abeant ergo ex peregrinationes, quarum vel nomen ipsum importunum est, & à regiâ dignitate alienum. Cui enim bono extra sua regna Princeps diuagetur, & hospitem, ac peregrinum agat? At enimverò non ideò illum vno in loco consenescere: quasi carcere inclusum, aut gallipedem, quène cubiti quidem mensuram progredi, Prouerbio Græco notatû est (quod Tiberio illi per iocum obiectum fuit apud Suetonium in eius vita cap. trigesimo octauo) imò verò ad instar nostri Regis *Perambulantis in medio domus sua*, regna sua perlustrate, ciuitates inuisere, promptosque, ac expeditos, quò populi rationes, & opportuniores rerum facies vocauerit, occurrere volumus. *Respublica siquidem* (vti apud Cassiodorum libro nono vsriatum epistola secunda dicebat Athalaricus Rex) *non est vnius ciuitatis cura, sed totius Regni prouisa custodia.* Quae hæc indidem habet: *Qui Republica statum, & generale caput stare fastigium, ad vniuersa debet esse sollicitus, quia non est salus in corpore, nisi quam, & membra potuerint obtinere: & ideò diuersarum ciuitatum peruigil nostra cura sollicitat.* Quod planè monitum Arcadio Imperatori raoquam omnino pernecessarium ingerebat Synesius oratione de Regno inquiens: *Consultò sanè fuerit si se toti imperij corpori, quod bifariam tribuitur in armatum, & inermem populum vicissim vtique imperij parti dederit, ac post milites, ciuitatibus populisque sui copiam faciat, ita verò sui copiam facit, vt quoscumque potest, non modò nationes, sed & ciuitates perlustret.* Certè Regij muneris naturam hoc tre, in ipsimet sublimibus, atque magnificis thronis suis Prisci Reges adumbrabant, etenim solia Regum versatilia olim omnem in partem erant, & in modum curtus triumphalis extruebantur, vt argumento esset, ipsos non vni loco affixos, sed se ipsos suamque gubernationem ad omnes Regni sui partes, & totius ditionis prouincias respicere, ac proinde velut in procinctu esse, vt quò maior alicuius prouinciæ, aut vrbis ebocaret vtilitas, illuc proficiscerentur. Quam equidè structuræ rationem, & sensum non ab alio quàm à Dei ingenio videntur desumpsisse: dum eius thronus sic totis instructus describitur à Daniele capite septimo, versiculo nono: *Thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accensa*: ad quæ verba bonus Scholiastes P. Sanctius ait: *In rotis autem velocitas significatur, quà Deus lustrare videtur omnia.* Vis illum omnia lustrantem, vt erga singula suam prouidentiam exhibeat? audi nostrum Vatem Psalmo quadragesimo septimo versiculo tertio: *Deus in domibus eius cognoscetur, cùm suscipiet eam*: siue vt legit Chrysostomus *ad eripiendam eam.* Quod perinde fuit, ac si diceret David, sic rotam Rempublicam
Sueton. Cassiod. Synesius Dan. 7. 9. P. Sanct. Psal. 47. 3.

Rempublicam suscipit, seruat, & à malis eripit, vt singulas eius partes, vrbes, ac domus singillatim lustret, atque inuisat: quia non est salus in corpore, nisi quam & membra putuerint obtinere, ita Dauidem inibi capiente Chrysostomo: *Per illud in domibus eius cognoscetur, magnam ostendit Prouidentiam, & quod tam istam magnâ ex parte seruat, non illius tantùm totius curam gerens, sed etiam in vnamquamque domum suam ostendens prouidentiam.* (Chrysost.)

3 Quâ certè ratione dum regnum frequenti, ac præclara imagine cum cælo siue à nostris, siue ab Ethnicis auctoribus componitur, & primores Regni maioribus luminibus, reliquum populum minutis syderibus: Regem quidem ipsimet Soli assimilarunt non tantùm vt præclarorum Regum dominatum nihil minus quàm splendidissimum, & pulcherrimum in terris cælum esse innuerent, in quo Princeps vndique humanitate collucens, vt Sol beneficus, radios suæ potestatis spargeret, & paterno è sinu vim, vitam, & opulentiam in omnes diffunderet; sed etiam vt exprimerent, Principem non inerti otio, atque vsura voluptatis in loco vno consenescere, sed Solis instar non certa sede, ac domo fixi, sed omnes cæli domos, & plagas perlustrantis, siue potiùs ad veri Solis morem, qui vt dicebat Vates, *in domibus eius cognoscetur*, regna sua inuisere, & perlustrare debere: non equidem, vt voluptatem ex variarum prouinciarum, & vrbium aspectu capiat, sed vt pleniùs, ac certiùs de Regni sui statu cognoscat, & subditorum rebus misericordiâ, ac iudicio prouideat: ita planè noster Vates eodem, quo Daniel sensu Dei solio rotas attribuit, Psalmo 18. 6. ipsum in Sole tabernaculum, siue aulam, aut palatium suum, id enim propriè Hebræa vox significat, posuisse, sic ait: *In Sole posuit tabernaculum suum*, vt quemadmodum de Sole dixit Gregor. Nazianz. orat. 34. quæst. 2. de Theologia: *Neque motui vnquam suo, nec beneficiis finem faciens*: ipse verus Sol iustitiæ: *cum sanitas in pennis eius.* Malachiæ 4. 2. *Iter faciebat per ciuitates, & castella* (siue vt expressit lectio Syriaca *perlustrabat*) *prædicans, & euangelizans regnum Dei.* Quò Principibus exemplo, ac documento esset, ne omnino fixum, sed pro regni sui vtilitate mobile palatium ad populorum bonum, & vtilitatem habeant, vt malis grassantibus opportunius occurrant, & iniurias miseris subditis à magistratibus, aut potentioribus illatas depellant, vti de bono Imperatore Traiano dicebat Plinius in Panegyrico: *O veri Principis, atque etiam Consulis! reconciliare æmulas ciuitates, tumentesque populos non imperio magis, quàm ratione compescere, intercedere iniquitatibus magistratuum, infectumque reddere, quidquid fieri non oportuerit. Postremò velocissimi syderis more, omnia inuisere, omnia audire, & vndecumque inuocatum statim velut Numen adesse, & adsistere.* En Solis sedem, & thronum non tam totis, quàm pedonis vectum: Ad quem quidem modum sanctissimum Regem Iosaphat per se ipsum Regna sua perlustrasse, omnesque sibi subditos ad pietatem instruxisse, constitutis per singula loca integerrimis iudicibus, qui nihil magis quàm iustitiam colerent, partim ex Scriptura 2. Paralip. 19. 4. partim ex Iosepho lib. 9. Antiquit. cap. 1. nouimus: sed deinde etiam de Iosepho Pharaonis vices gerente sic dicitur Genes. 41. 46. *Egressus est itaque Ioseph ad terram Aegypti, & circuiuit omnes regiones Aegypti.* Quæ sic diffudit Philo lib. de Ioseph: *Obibat eius regionis præfecturas, & oppida omnibus nouum Magistratum officiosè, & hilariter excipientibus, quos tum beneficiis, tum comitate deuinciebat.* Nec aliter sanè Ethnici bonos Principes ditionis suæ prouincias, & vrbes perlustrantes omnino faciunt. Sic enim de Germanico Tacitus lib. 3. Annalium: *Prouincias internis certaminibus, aut Magistratuum iniuriis fessas refouebat*: & de Hadriano Dio Cassius: *Ciuitates socias, atque tributarias, & subditas mirificè iuuit, multas earum inuisit, & quas nullus ante se Imperatorum viderat, atque omnibus aliquid opis, & auxilij tulit*: & indidem: *Cæterum Hadrianus aliam ex alia prouinciam percurrens regiones, & vrbes perlustrabat, & in primis arces omnes vbique contemplatus considerabat, quarum alias loco magis opportuno transtulit.* Contrà verò Tiberium aliàs callidum ciuilis disciplinæ Principem, vt proximè vidimus, carpunt, quòd sæpius pronuntians prouincias se, & exercitus reuisurum, vix tamen pedem Romæ extulerit: sic id notante Suetonio præfato cap. 38. *Biennio continuo post adeptum imperium pedem portâ non extulit, sequenti tempore præterquam in propinqua oppida, & cùm longissimè, Antio tenus nusquam abfuit. Idque perrarò, & paucos dies, quamuis prouincias quoque, & exercitus reuisurum se sæpè pronuntiasset, & propè quotannis profectionem præpararet vehiculis comprehensis, commeatibus per municipia, & colonias dispositis, &c. vt vulgo iam Callipides vocaretur, quem cursitare, ac ne cubiti quidem mensuram progredi, Prouerbio Græco notatum est.* Sic Suetonius.

(Paralip. 2. 19. 4. — Gen. 41. 46. — Philo. — Corn. Tac. — Dio Cassi. — Sueton. — Psal. 18. 6. — Nazianz. — Mala. 4. 2. — Lect. Syr. — Plinius.)

4 Iam verò quæ de Sole Plato in Theæteto ex Homero differit huc omnino faciunt: sic namque ille: *Nihilo aliud Homerus quàm Solem dicit, & ostendit esse auream catenam, quia dum Sol mundum suo cursu ambit ac lustrat, omnia salua sunt, & conseruantur, tum quæ apud Deos sunt, tum quæ apud homines, si verò stet, & quiescat tamquam vinctus, res omnes interierint.* Et verò cùm Soli notanter tribuerint oculi in Scriptura, & ab externis auctoribus: sic enim Dei nomine Nathan ad Dauidem 2. Regum 12. vers. 11. *In oculis Solis huius.* Et Eccles. cap. 1. 5. vbi nos habemus: *Oritur Sol & occidit & ad locum suum reuertitur: ibique renascens gyrat per meridiē.* Chaldæus Paraphrastes apud Bibliam Complutensem vertit: *Oritur Sol in die à plaga orientali: occidit Sol in plaga occidentali: in nocte respicit*, &c. Quod accuratè expresserunt prophani dum Plinius lib. 2. natur. histor. cap. 6. eius naturam describens dixit: *Omnia intueris, omnia etiam exaudiens*, ad quæ verba eius nepos nuper citatus allusit illis: *velocissimi syderis more omnia inuisere, omnia audire*: sed senior Plinius Homerum etiam expressit inquientem: *Sol qui omnia cernis, omnia audis*: sicuti & Tragicus in Medea, quam dicentem facit: *Spectat hoc nostri sator Sol generis*, vide plura apud eruditissimum Cerdam ad illum versum 4. Æneid.

Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras.

Inde Princeps admonetur oculos suos regni sui inspectioni omnino esse deuinctos, vt Regni sui statũ, faciemque rerum subditorum suorum non ex aliorum relatione, sed se ipso recognoscat: quia dum Solis instar regna sua ambit, ac lustrat, omnia salua sunt, & conseruantur, si verò stet, & quiescat tamquam vinctus, res omnes interierint. Vti bonus Imperator Basilius Leonem Principem admonebat: *Quemadmodum ea quæ à te diligenter inspecta administrantur, multum emolumenti capiunt, ita quæ non inspecta negligentius prætereuntur, in magnam perniciem labuntur.* Qui enim Principis oculi fessas ciuitates, cadentes populos, fame & squalore confectos subditos viderint, quin omni statim ratione iuuerint, & auxiliarem præbuerint manum? qui paruulos à potentioribus oppressos, & fermè deglutitos aspexerint, quin miseris opem illico tulerint, prædamque de ore diripientium extorserint? At inquis: Quid opus fuerit eam ob rem Principem aulā, & quiete sua extrahere, cum hæc omnia per ministros, & magistratus suos, qui eius etiam oculi dicuntur, omnino nosse possit? Respondeat quidem non nemo primùm ex Cornelio Tacito lib. 2. historiarum: multum quidem interesse, vtrum regnorum suorum statum Princeps ipse

(Plato. — 2. Reg. 12. 11. — Eccl. 1. 5. — Chaldæus. — Plinius. — Plin. Iun. — Sen. Trag. — Cerda. — Virgil. — Basil. Imp. — Corn. Tac.)

ipse viderit, an verò ex suis nouerit, quòd sui met oculi non nisi verum, & quod re ipsa est, sibi ipsi renuntiaturi sint: alieni verò, & adsciti tij oculi non alia, quàm quæ iucunda, & placitura sunt: nam *adulantes* (inquit ille) *cuncta mollius interpretantur*: & cùm Regni, ac populorum res exitio, extremæque ruinæ videntur obnoxiæ, stantes, florentes, & extra telorum iactum, vt in Prouerbio est, ei repræsentantur. Similiter, aliter quidem suorum magistratuum, & gubernatorum errata à se ipso vexatos, & iniuriis affectos subditos audiente, aliter à mollibus illis interpretibus deprehendet. Vnde quidem Ægidius Romanus libro de Regimine Principum præfatæ Solis imagini sic hæret, vt non solùm velit Principem *Velocissimi syderis more omnia inuisere, omnia audire: intercedere iniquitatibus magistratuum, infectumque reddere quidquid fieri non oportuit*: sed opportunè etiam addiderit: *Nonnumquam etiam Rex sapiens regiam maiestatem pannosis vestibus tamquam Sol nubibus occulit, atque inter vulgus sese miscet, vt transgressores liberiùs agentes deprehendat, ac de sui apud vulgares homines fama, & existimatione edoceatur.*

Ægid. Rom.

5 Sed illud deinde non minus appositè responderis Principem teneriùs, efficaciùs, fortiùs ad prouincias temporum calamitatibus aut internis certaminibus, siue magistratuū iniuriis fessas iuuandas, & refouendas tangi, ac commoueri, si eas propriis, fidelibusque oculis lustrauerit, & calamitatis magnitudinem illis fuerit dimensus, quàm si id ipsum etiamsi verissimè renuntietur, ab aliorum narratione cognouerit. Quis enim huic rei ignoret oculorum naturam, atque præstantiam, & quamtum animo, ac visceribus affinitatem, siue coniunctionem habeant? notissimum, & in ipsis pædantum, siue puerorum ore natans:

Horat. in Arte.

Segnius irritant animos demissa per aurem
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Certè hanc rationem Dei ingenio omnino adscripserit, quisquis ipsum aduerterit, fame aliquando Israeliticum regnum depascente, ac depopulante seruum suum Eliam, qui apud eum tunc plurimum valebat, in Sarepta Sidoniorum à vidua pascendum misisse. Sed totam rem ab origine audi. Equidem cùm Propheta ille Regi Achab, totique Israeliticæ plebi longam, & diram famem prophetico ore prædixisset, immò verò, suprema auctoritate, qua Dei vices gerens, retumpotens fungebatur, hunc in modū indixisset: *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto: si erit his annis ros, & pluuia nisi iuxta oris mei verba* 3. Regum 17. 1. ne ipse æquè ac fontes famis mala perferret, primùm in torrentem Carith, vt inibi à coruis pasceretur: deinde in Sarepta Sidoniorum à Deo excedere sic iussus fuit: *Surge, & vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim mulieri viduæ, vt pascat te* 3. Regum 17. 9. Sed enim non immeritò hic à PP. & interpretibus ambigitur, quid Domino opus fuerit, tam longam Eliæ peregrinationem imperare, qui illum vbilibet, vel per Angelos, vel per coruos pascere, & enutrire poterat? Audi Tertullianum libro aduersus Psychicos cap. 8. *Defecerant corui, qui illum liberalius pascerent? an difficile Angelo fuerat, aliquem aliunde de conuiuio Regis ministrum, cum instructissimo ferculo raptum ad Eliam transferre, sicut Danieli in lacu leonum esurienti prandium metentium exhibitum est?* Sed dubio opportunè occurrit Chrysostomus obseruans, eam Domini erga esurientes, & famelicos populos tenerrimè commoti mentem fuisse, vt Eliæ, quem ad misericordiam præstandam inflectere volebat, miserorum hominum calamitates, & infelicissimum rerum statum ob oculos iaceret, vt per varia loca, & longinquas

3. Reg. 17. 1. & 9.

Tertull.

A terras iter faciens propriis ipse oculis mala cognosceret: atque inde ad opem illis ferendam ex humanitatis sensu commoueretur. Sic namque ille: *Nesciebat Elias, quomodo apud alias nationes res se haberet: cùm enim vno in loco sederet, neque orbis terrarum calamitatem cernere posset, quomodo omnia arefacta essent, paludes fontes, fluuij, plantæ, fructus, cùm, inquam, hæc ignoraret, & volucrum, aliarumque rerum, puerorum mortes, & matrum vlulatus, tantamque orbis calamitatem nesciret: excitans illum Deus, fecit vt multam terram peragraret, illinc ad Sidonem vsque proficiscens, vt ita saltem cùm vidisset Elias, quo pacto res se haberent, rogaret deinceps Dominum: vt pluuiam dare vellet.* Hæc Chrysostomus. Pende illud: *cùm enim vno in loco sederet, neque orbis terrarum calamitatem cernere posset*: vt inde Principes moneantur, non esse è re subditorum, neque ex Principatus ratione vno in loco considere, sed teneri ad solij otia relinquenda, & regni statum eminus cognoscere, & propriis oculis videre, B vt fessis rebus subueniant. Quid speratine siue timeri potest, Regem Dei imaginem præ se ferentem, cùm subditorum stragem, matrum vlulatus, puerorum mortes, tantamque orbis calamitatem fuerit intuitus, opem illis, & auxiliarem manum non fore præbiturum? Minimè quidem. At enim, si vno in loco sederit, quin oculis regna sua perlustret, nec rerum statum de facie cognoscat, non adeò fuerit mirandum, omnia arefacta perditum iri.

Chrysost.

6 Sed & ipsummet iustitiæ Solem omnia lustrantem, & per vrbes, castella, vicosque prætereuntem sic ad has humanitatis leges videris compositum, vt beneficentiam, & misericordiam præstiturus, oculos primùm præmisisse dicatur, quasi ab illis ad sensum, & viscera humanitatis necessaria fuerit via: ita quidem signatè ait Ioannes cap. 9. vers. 1. *Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate*: nec opus vlteriùs pergere, nam qui præteriuit, vt videret, omnino vidit, vt C sanaret: similiter apud Lucam viduæ filius hunc in modum suscitatus dicitur cap. 8. vers. 11. *Ibat in ciuitatem, quæ vocatur Naim*, &c. *Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ. Quam cùm vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam dixit: noli flere.* Tantùm non dicente Luca, vt vidit misertus est. Sed & in hanc rem Maria Magdalena resurrectioni fratris, Domini oculos sic aduocabat: *Domine veni, & vide*: Ioannis 11. vers. 34. non equidem quòd ipse priùs non vidisset, qui olim populum suum liberaturus dixerat Moysi: *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum.* Sed vt ad miserandum mortui conspectum humanitatis sensum extorqueret. Vnde & *lachrymatus est Iesus, & in semetipso fremuit.* Vides, vt valeant oculi ad commouendum Principis animum? eaque ratione ad illius institutionem Dominum neque motui suo, neque beneficiis finem fecisse, qui, vt dicebat Lucas, *Iter faciebat per ciuitates, & castella*: & notanter apud Apostolorum Principem Actuum 10. D 38. *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.* Sed & ipsummet Petrum, quà Ecclesiæ Princeps erat, hæc Domini vestigia pressisse videris Actuum 9. 32. dicente Luca: factum est autem, vt Petrus, dum pertransiret vniuersos, deueniret ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ. Ad quæ verba Chrysostomus homilia 21. in Acta sic ait: *Quemadmodum dux in exercitu obambulans considerabat, quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo aduentu egeat. Vide vbique illum circumcursare, & primum inueniri.* Nec omiserim tandem Bernardum in sermone de tribus ordinibus: vbi cùm sæculum hoc cum mari magno, & spatioso composuisset, quod aut ponte, aut vado, aut naui transeundum sit: pontem, & vadum inferioribus siue subditis suadens: Principes, & Prælatos ad naues hac ratione conducit. *Porrò Prælati quidem ipsi sunt*, qui descendunt

Ioan. 9. 1.

Luc. 8. 1

Ioan. 11.

Exod. 3. 7.

Act. 10. 38.

Act. 9. 32.

Chrysost.

Bernard.

dant mare in nauibus facientes operationem in A aquis multis: *Neque enim certâ pontis aliquâ, seu vadi semitâ coarctantur, vt liberè possint, vsquequaque discurrere, & occurrere singulis, vt oportet, ac dirigere pontis semitam, seu vadi, ordinare gradientes, pericula inuestigare, ac declinare.* Hæc & alia Bernardus ibi.

Ad ea verba.

Misericordiam cantabo tibi Domine.

Bonus Princeps commissum sibi populum ardenti charitate prosequitur.

ADNOTATIO XI.

1 BENE omnino Princeps, qui animum ad intelligendum adiecit, à misericordiâ intelligentiam B auspicatus est, misericordiæ nomine benignitatem, humanitatem, beneficentiam, clementiam, mansuetudinem, signatè verò velut fontem, à quo hi non angusti quidem, sed augusti dimanant riuuli, ardentem in suos charitatem, atque beneuolentiam comprehendens, quippe hæ inter omnes Principi addiscendas artes præstantissimæ, ac diuinissimæ. Sic disserebat apud Dionem Chrysostomum oratione secunda de Regno (vt superius vidimus) Magnus Alexander: *Non omninò necessariū Regibus esse philosophiam attingere ad summum. Ingenuè autem, & simpliciter oportere ipsis factis morum humanitatem, mansuetudinemque & iustitiam, insuper & excelsum animum, & fortem, & præsertim gaudentem si quid benefaciant, quod quidem proximè ad deorum naturam accedit.* Disertius verò & copiosius Gentilis Themistius Valentinianum iuniorem à teneris vnguiculis instituens, cùm præmisisset inter artes, ac disciplinas quasdam Regum proprias, & alumnas verè C Dei esse, alias subditis illorum, ac priuatis idoneas, addidisset que: *Ergo quemadmodum nec arma cum subditis eadem indues, nec similibus vestimentis vtêris, nec in iisdem ædibus habitabis, sed omnia tibi quàm illis erunt splendidiora, equi, canes, ministri, vehicula, sic tibi præstantissimæ, diuinissimæq; artes addiscendæ erunt, per quas verò à nobis diuinitatis tibi nomen attribuatur.* Subiicit, clementiam, siue beneficentiam inter Regias artes, & dotes primam atque præcipuam, & veluti culmen, & columen esse, quâ Princeps præstantior inter alios habeatur: *Velut ipse (inquit) totius cæli moderator, ac Princeps, non quia præclarissimè loquitur, à cæteris omnibus adoratur, sed quia vitæ largitor, dispensatorque felicitatis, & bonorum administrator est, quodque in difficultatibus ad eum cum fiducia recurrimus.* Vt verò ipse Regiam hanc clementiam, benignitate, atque humanitate tamquam regio satellitio ornatam custoditamque sic pulchrè facit: *Regiam illam clementiam benignitas, atque humanitas tamquam D satellites custodiunt, ad eam malignitas nulla succedit, nulla propinquat calumnia, criminatio longiùs omnis arcetur:* Ita nos rem ab origine petentes dilectionem erga suos in Principe primùm desideramus, ab eâ enim velut à trunco, siue radice sublimes hi rami diuinis onusti fructibus exsurgunt.

2 Et quidem (si attendis) præterquam quòd Princeps à suis nunquam amabitur (nec enim facilè hanc obiter reticebo rationem, cùm *coli, amari, diligi maius imperio sit*) nisi eos ipse priùs amet, scitè namque suo, posteroque Traiano suggerebat Plinius in Panegyrico: *Habes amicos, quia amicus ipse es; neque enim, vt aliis subiectis, ita amori imperatur, neque est vllus affectus tam erectus, ac liber, & dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat. Potest fortasse Princeps iniquè, potest tamen odio esse nonnullis etiam si ipse non oderit: amari, nisi ipse amet, non potest.* Nihil fuerit omnino siue rationi, siue naturæ magis consentaneum, quàm vt anima corpus cui inest, caput membra, quibus præest, Princeps subditos suos tamquam corpus & membra sua diligat, atque foueat. Vel primam Principis, & subditi formationem accuratissimè à Deo factam intuere, dum Adam Principe futuro, Eua verò ipsius potestati subiicienda, hæc non ab illius capite, aut manu, sed signatè ex latere educta fuit, Gen. 2. 21. *Quia fouetur, & regitur à manu lateris subiectū*, vt ibi ait Basilius Seleuciensis Hom. 2. in id *Adduxit Adam in paradisum.* Quod omnino tetigit diuinâ sapientiâ suâ Paulus cum ad Ephesios 5. 25. inquit: *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea,* &c. *Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, se ipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit sed nutrit, ac fouet eam.* Vides vt Princeps quâ caput est, subditos suos tamquam corpus suum diligere, ac fouere debeat? Enimuerò dum non multò B postid ipsum aucto sensu sic repetit Apostolus, *Vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat: vxor autem timeat virum suum:* scitè obseruat Chrysostomus: Paulum ad omnia semper attentissimum sic suum vnicuique coniugi, siue Principi, ac subdito munus distribuisse, vt vxori siue subdito obedientiam & obsequium in Principem, viro autem & Principi charitatem ac dilectionem erga subditos signatè præscripserit. Sed audi Chrysostomum ita priùs monentem: *Iam marito, & vxori iecit tamquam fundamentum charitatem, & prouidentiam, vnicuique locum tribuens conuenientem, marito quidem principatum, & prouidentia, vxori verò subiectionis:* Deinde hæc diffundentem ad hunc modum: *Neque ipsa exigat æqualitatem honoris, est enim sub capite: neque ille eam despiciat tamquam subiectam, est enim corpus: si caput corpus despicit ipsum quoque peribit: sed afferat dilectionem, quæ tamquam in æquilibrio respondeat obedien-* C *tiæ, vt puta ministrant ei manus, pedes, reliquaomnia membra, ille id eis prouideat, & eorum curam gerat, vt quod in se omnium habeat sensum.* En quanta sapientia Paulus cum Principis & subditi munia fuit inter ipsos partitus, eam Principem erga subditos dilectionem afferre monuit, quæ tamquam in æquilibrio respondeat obedientiæ, vt quemadmodum subditi Principem suum summa obseruantia, & veneratione reuerentur, & colunt, & (vt Tertullianus dixit in Apologetico capite 30.) *à Deo secundum* habent, ita & Princeps hanc reuerentiam & obsequium rependens subditos suos vnicè diligat, & tenerrimo affectu prosequatur.

3 Hæc ergo Principatus natura, hæc lex est, vt eam Princeps subditis afferat dilectionem, quæ tamquam in æquilibrio respondeat obedientiæ. Cuius quidem legis vide vt obseruans Noster Rex fuerit, qui in morte Abner non modò vehementer indoluit, D & in eo die vsque ad noctem ieiunium non soluit, sed etiam addidit suum vsque ad locum sepulturæ planctum: sic enim 2 Regum 3. 31. *Porrò Rex Dauid sequebatur feretrum.* Vbi emphaticè ab Scriptore Sacro dictum est Rex Dauid, vt mirum subditis visum fuerit potentissimum Regem post feretrum lugubrem vocem leuantem iuisse. Sed enim ipse iis, qui ea de re aut ambigerent, aut admirarentur sic locutus dicitur versu 39. *Ego autem adhuc delicatus, & vnctus Rex:* tantùm non dicens: imò verò quia vnctus Rex sum, omnia mœroris signa exhibere teneor. Sed quare? Planè, quia quâ Rex, propinquus quidem & consanguineus defuncti effectus sum: ita omninò LXX. interpretes, qui pro illis verbis *vnctus Rex* reposuêre: *ego sum propinquus hodie*; vt ab vnctione siue dignitate regia propinquitatem, & sanguinis coniunctionem, siue cognationem suscepisse affirmauerit: perindeque censeri Regem ac propinquum esse; eâque ratione

Margin notes: Dio. Chrys. — Themist. — Plinius. — Gen. 2. 21. — Ad Ephes. 5. 25. & 33. — Chrysost. — 2 Reg. 3. 31. & 39. — LXX.

ne in funere ad lugendum post feretrum, quod propinquorum solenne est, ut sanguinis Regum stimulauerit. Dixeris vidisse hinc & commentariis illustrare voluisse Gentilem Sopatrum scriptorem Græcum, *Stobæus.* apud Stobæum serm. 44. dum Principem ibi sic monet: *Quos autem prius non cognoscebas, & nihil ad te pertinere putabas, quàm quivis homo communem hominum naturam, illos iam Princeps factus habere debes seu iam notos, & familiares, & paterna beneuolentia complecti;* pergit, & ex Homero id sic firmat: *Homero certè non satis fuit, Principem simpliciter subditorum patrem appellasse, quamuis non aliud nomen inter homines benignius inueniri posset, sed ad patris vocabulum adiunxit quoque mansuetum, simul & parentibus, & bonis Principibus huiusmodi nomenclaturam conuenire ratus.* Hæc ille optimè & opportunissimè, vt videris quanta ratione in suorum funere Rex Dauid lugubres leuauerit voces, & feretrum fuerit secutus.

4 Sed preme illud Sopatri: *quos prius non cognoscebas & nihil ad te pertinere putabas,* &c. Quibus omnino B adstruit, ex principatu necessitudinem, eiusmodique cognationem, quâ nihil coniunctius, tenerius nihil valeat excogitari, inter Principem, & subditos intercedere, vt eum ad illum ipsi tanquam res propria, non secus ac ad parentem filij, vel membra ad caput, quod in se omnium sensum habet, vt dicebat Chrysostomus, vel corpus ad animum illud fouentem, & vitam inspirantem, siue tandem vt tenera sponsa ad maritum, qui vnicè diligat, & toto eam animo complectatur, pertineant. Quod planè non modò eodem sensu, sed eodem etiam dicendi modo Dei Sapientiam Principes docuisse iam meministi. Nimirùm *Ioann. 10. 13.* Ioann. 10. 13. cùm mercenarium, malum scilicet Principem à vero pastore, id est à se ipso, optimo scilicet Domino, & Principe, hunc in modum discriminasset: *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propria, videt lupum venientem: & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues:* Vtriusque propositionis, siue C sententiæ rationem sic reddit: *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est. & non pertinet ad eum de ouibus.* Obserua verbum *pertinet:* & compone cum præfata locutione Sopatri, *& nihil ad te prius pertinere putabas.* Vt videris perinde fuisse ac si diceret Dominus, ideò mercenarius fugit, quin vlli se discrimini pro ouibus obijciat, quia cùm ipse pastor, siue Princeps non sit, *nihil ad se oues pertinere:* nullam videlicet cum illis cognationem habere putet, nullisque ideò amoris stimulis erga illas compungatur. Planè quasi omnino affirmet bonum pastorem optimumque Principem eam cum subditis cognationem & veluti sanguinis coniunctionem ex principatu habere, quæ inter Patrem & filios intercedit, dum quidquid ad illos pertinet, ad ipsum necessaria etiam ratione pertinet. Quod sic statim plus plus Dominus adhibito sui exemplo explicat, atque confirmat: *Ego sum pastor bonus. & cognosco* D *oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem:* id est (vt interpretatur Cyril. *Cyril. Alex.* Alexand. apud Maldonatum) *vt quemadmodum ipse Patri suo proprius erat Filius, & Pater sibi proprius similiter Pater: ita oues suas proprias sibi esse, & se vicissim illis proprium pastorem.* Pergit Chrysost. in Cat. Græca hæc sic explicans: *Cognitione autem pro familiaritate, & cognatione accepta.* Mirum quidem, eam inter Pastorem, & oues, Principem, & subditos cognationem oriri, quæ æternos illos Patris & Filij nexus æmulari quodam modo videatur: vt ab ea summus, & incredibilis Principis in suos amor ad ipsorum bonum & salutem omni modo, & ratione prospiciendum dermetur. Illustrat simul, atque explicat hæc sensa illa Othonis Imperij ambientis oratio, qua in Titum Vinium, qui vt apud Imperatorem Galbam plurimùm gratia valebat, ita potestate abutens miseros ciues crudelitate, & auaritia

A vexabat, apud Corn. Tacitũ lib. 1. hist. sic inuehitur: *Corn. Tac.* *Minore auaritia, aut licentia grassatus esset Titus Vinius si ipse imperasset, nunc & subiectos nos habuit tanquam suos, & viles vt alienos.* Vt omnino dixerit: Vtinam Titus Vinius Noster Princeps & Imperator esset! Sed cur, ó demẽs, trucem, & auarum hominem, Imperatorem ius vitæ necisque habentẽ tibi esse exoptas! Sanè quòd si ipse imperasset, non posset nõ animũ mutare, vt nos, quos modò durè, & immisericorditer tractat, quia ad eum nihil pertinere putat, molli tunc animo tanquã suos, & qui ad eum pertinemus, complecteretur, cum à Principatu cognatio & charitas Principi in suos oriatur: at (malum) cùm modò vna ex parte regiam in nos licentiam siue potestatem habeat, ex alia Princeps noster non sit, viles, vt alienos nos habet.

5 Ita quidem Dominus Petro ouium suarum curã demandans, & velut diuinus Atlas in Herculis illius humeros orbẽ transferens illis verbis: *Pasce oues meas,* B Immediatè subiunxit: *cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu nõ vis.* Ioan. 21. 18. Quod *Ioann. 21. 18.* quamuis de ipsa morte, quam Petrus cruci suffixus obiuit, fuerit accipiendum, subijciente Ioanne: *Hoc autem dixit significans, quâ morte clarificaturus esset Deum,* non omnino abs re, ad totũ etiam gubernationis tẽpus, siue ad ipsammet Principatus naturam, quam ipsamet Petri passio & crucis mors etiam præfigurabat, dum ipsum ad profundendam pro ouium suarum salute vitam adegit, referri potest, vt innuere videatur Dominus, potiorem in Principe subditorum amorẽ, quàm sui ipsius esse debere, ac proinde eum, qui antequam Princeps esset, propriâ voluntate ferebatur, & ad libitũ agebat, post Principatum susceptum, suiiam iuris præ subditorum amore non esse, sed illius vinculis constrictus, siue clauis confixus illac tantùm feratur vbi subditorum vtilitas, & salus fuerit. Accinit C huic cogitationi Magnus Leo in serm. in die Aposto- *Leo Magn.* lorum, sic de Petro inquiens: *Nec enim mundi dominam times Romam qui in Caiphæ domo expaueras sacerdotis ancillam. Numquid aut iudicio Pilati, aut sæuitia Iudæorum minor est, vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis vis amoris, nec æstimabas terrori cedendum, dum horum saluti consulis quos susceperas diligendos.* Optimè, vt ostendat Leo quàm alius à se ipso Petrus, post Principatum fuerit: nam qui priuatam vitam agens ad ancillulæ vocem expauit, Princeps factus pro subditorũ salute in mortis discrimina intrepidus init, & Christi fidẽ Romæ in oculis ipsius Neronis in Christianos ferocientis audenter disseminauit: quia videlicet subditorũ amor, qui cor eius persuaserat, & in discrimina, & in mortem illum coniiciebat: etenim: *Nihil est* enim, inquit S. Laurent. Iustinian. *S. Laurent. Iust.* *in ligno vitæ* cap. 14 *quod raptus amore paueat: plurimus est* *Seneca.* *terrori hostibus perfectus amor.* Vnde scitè Seneca epist. D 74. *Catulorum amor in venabula impingit feras, quas feritas, & inconsultus impetus præstat indomitas.* Sed id à Leo- *Leo Magn.* ne explicatius accipe: *Hunc autẽ intrepidæ charitatis affectũ iam tũ profectò conceperas, quando professio tui amoris in Dominũ trina interrogatione est solidata mysterio.* Sed preme peculiarẽ dicẽdi modũ: *tunc profectò cõceperas,* quasi enim amorẽ denuo Petrus velut à viro femina cõcepisset. Quod si inquiras: quis fuerit huius conceptus parens: Respondebit Leo non aliũ quàm Principatũ, cum quo Deus hunc in eo simul affectũ ingenerauit: vt quemadmodũ de bono Imper. Traiano, Imperiũ ob populi Romani vtilitatem suscipiẽte dicebat Plin. *Plinius.* *Non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena vtilitas, alienus timor Principem fecit,* ita de Petro principatum administrante verius, & opportunius dixeris: non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena vtilitas, alienus timor ducebat: *vt non æstimares terrori cedendum dum horum saluti consulis, quos susceperas diligendos:*

diligendos : nam dum gubernandos suscipis, omnino A suscipis diligendos : *nihil est autem quod captus amore paueat.*

6 Nec ouum ouo, vt Apostolorum Principi persimilis Noster Rex Dauid iam pridem extiterat, iam videlicet timidus, pauens, & fugax, iam plenus animi, fortis ac intrepidus in terribilia ipsius Dei venabula impingens, & sese vltrò coniiciens: etenim cùm primùm nouit filium Absalonem eius regnum inuasisse, in miseram, & quasi præcipitem ac desperatam fugam se dedit: sic enim 2. Regum 15. 14. *Et ait Dauid seruis suis qui erant cum eo in Ierusalem: Surgite, fugiamus, neque enim erit nobis effugium à facie Absalon, festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam.* Ad quæ verba sic iure miratur bonus Scholiastes P. Gaspar Sanctius: *Mirum est quòd Rex bellator, neque omnino ab auxilio militari desertus, & in ciuitate adeò à natura munita, vt putaretur à cæcis, & claudis posse defendi, deinde ab ipso Rege egregiè ad repugnandum instructa, & ad illam magnitudinem, & formam erecta, vt appellaretur ciuitas Dauid, desperaret in illa arce resistere se posse filij conatibus, atque ideò statuerit, quamprimùm abeundum esse ex vrbe, & in desertis locis quærendum esse perfugium.* Contra verò cùm Angelum diuina indignatione armatum euaginato gladio populi cædi intentum vidit, adeò non est meditatus fugam, vt potiùs in ipsummet mucronem irruerit, & morti sese deuouerit: *Dixitque Dauid ad Dominum (2. Reg. 23. 17.) cum vidisset Angelum cædentem populum: Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me.* Vides quàm mutatus hic Dauid ab illo fuerit? vt qui anteà absentis filij vmbram pauerer, & fugeret, modò ipsemet mortis faciem, & euaginatum Dei gladium adeò non expauerit, vt toto corpore excipere voluerit? Quæ rogo tantæ mutationis ratio? Sanè quòd ibi pro se solùm: hîc verò pro suis cogitaret, & cui suam causam agenti animus, & vigor ad repugnandum non inerat: cùm de subditorum, quos vnicè diligebat, salute agebatur, ea suberat illi fortitudo, & incredibilis magnitudo animi, vt in euaginatum gladium sese coniiceret, subditorum videlicet amore impellente, & in venabula impingente. Audi Ambrosium in Psalm. 37. vbi cum dubitasset, cur in optione ei facta vt ex tribus suppliciis quod mitius iudicaret deligeret, pestem potiùs, quàm exilium suum elegerit, aptamque ei dubitationi responsionem à nobis alibi allatâ assignasset, subiicit: *Et tamen vbi vidit occidi populum, ipse se Angelo ferienti obtulit, vt ipse potiùs pro populo feriretur. Plus est, quod nec ipsa perterritus specie mortuorum gladio se obtulit, quàm si sermonem propositæ conditionis optasset.* Hæc Ambros. Quod equidem Dauidis factum visus est quodammodo imitari Cassiodorus, cùm ad Attilam, qui flagellum Dei vocitabatur, legationis munus obire pro adiuuanda Republica eius amore incensus non dubitauit, vt de eo scripsit Theodoticus Rex lib. 1. epist. 4. hunc in modum: *Ad Attilam igitur armorum potentem legationis est officio non irritè destinatus. Vidit intrepidus, quem timebat imperium, facies illas terribiles, & minaces fretus auctoritate despexit, nec dubitauit eius altercationi obuiare, qui furore nescio quo raptatus, Mundi dominatum videbatur expetere.*

2. Reg. 15. 14.

P. Sanct.

Ambros.

Cassiodor.

7 Iam verò Paulũ vel à Petro separare, vel in Principis vnicè suos diligentis exemplar non proponere, piaculum esset: & ille quidem inter multa huic rei opportuna, sic Principis ore, parentis affectu loquebatur 2. ad Cor. 11. 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Vbi non modò ait, perinde se suorum ærumnis affligi, ac si iisdem ipse laboraret, sed omnino exprimit, non ab alio affectu quàm ab amore, quo illos prosequebatur, hoc animo affectum esse. Quare pende verbum *vror*: & ad illud

1. Cor. 11. 29.

P. Velasquez in Psal. centesimum.

non immeritò ambigas, qua loci opportunitate vsurpatum fuerit, cùm orationis series tantam dicendi emphasim, & vim non videretur exigere: nam qui cũ infirmantibus infirmabatur, cum iis qui vacillare, & in lubrico esse videbãtur, satis quidem fuisset, anxium se & mœrentem dicere. Cur ergo sic se torqueri, ac discruciari de suorum discrimine affirmauit, vt viuus arderet, vreretur que? Planè vt & dolorem ipse suum, & doloris originem, & causam indicaret: amorem scilicet, qui incendit vtrique animum: nec enim ille solũ dixit: *vritur infelix Dido* sed Sapiens etiam Cant. 8. 6. *Dura sicut infernus æmulatio, lampades eius, lãpades ignis, atque flammarum*: vbi LXX. & Ambros. pro *lampades* reposuère *alæ ignis*, eo quidem sensu, vt non aliter Amor agat, ac moueatur quin plus plus incẽdat, vt ignita ala quò plus se mouet, motu se plus accendit. Quare ea etiam locutione id simul astruit Paulus quod amantium proprium est, multò plus ipsum suorum mala, quàm eos ad quos illa cominus pertinebant, B affligere: nam qui scandalizatur, ruinæ, siue malo proximus videtur: qui verò vritur, malum iam intus habet, eoque afficitur: vt quod in illo periculum est, in hoc malum iam & tormentum reapse sit: vti de seipso rursus dicebat: *Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse, anathema esse à Christo pro fratribus meis*: ad Rom. 9. vers. 2. Quæ verba Chrysost. hom. de laudibus Pauli perinde accipienda ait, ac si dixerit Paulus: *Desiderabilius mihi erat in gehennam incidere, quã Israëlitas infideles videre.* Vnde subiicit: *At qui inferni pœnas elegit, vt Iudæos omnes conuertere posset, illum manifestum est, hac spe frustratum acerbiorem vitam agere, quàm qui gehennæ pœnas sustinent.* Vides Paulũ & reipsa, & plus dolentem seseque discrucіantem, quàm ij quibus malum imminebat? & eo amoris igne, qui valentior, acriorque ad comburendũ quàm gehennæ ignis esset, incendi & aduri? Neque enim Iudæi quos ille diligebat gehennæ patiebãtur incendia, C ipse verò acerbiores gehennâ pœnas sustinebat.

Cant. 8. 6.

LXX.

Rom. 9. 2.

Chrysost.

Ad ea verba.

Eam esse optimi Principatus normam, quæ ad subditorum vtilitatem cuncta molitur.

ADNOTATIO XII.

1 SIT hæc Regiæ Artis prima regula, atque monitum, quod omnino addiscat, sibique imbibat Princeps, atque is potissimũ lydius lapis, qui ipsum, vt apprimè regalis facultatis gnarum, atque sapientem ab ignaro atque indocto discriminet, vt omnino persuasus non suam Rempubl. sed se Reipublicæ esse, in illius vtilitatem & commoda (suorum penitus oblitus) omnes neruos, viresque contendat, & ad subditorum bonum cuncta moliatur; cùm *nihil aliud sit imperium*, vti sapientes definiunt apud Ammian. Marcelli. D lib. 30. *quàm cura salutis alienæ.* Ita quidem cumprimis egregium Imperatorem Theodosium admonebat S. Isidor. Pelusiota li. 3. epist. 47. (ad ipsum enim eam epistolam datam fuisse, benè aduersus falsam illius epigraphem coniectat Iacobus Billius in scholiis) *Imperij regula, ô scientiæ imperandi explorator accuratissime, hæc demum est, quæ ad subditorum vtilitatem omnia molitur. Nam qui imperij disciplinam, compositumq́, ordinem in tyrannidem, & perturbationem immutauit, atque labores quidem subditis comparat, voluptates autem sibi aucupetur, hic non imperij, sed tyrannidis regulam, ac legem describit.* Hæc Isidorus. Quæ multò anteà Principibus, atque gubernatoribus, vt ex arte agerent, omnino præscripserat Plato lib. 1. de Republica, hunc in modum: *Non igitur gubernator talis, aut Princeps quid sibi conferat, cogitat, aut præcipit, sed quid subiecto conducat, & quæ*

S. Isid. Pel.

Iacob. Bil.

Plato.

qua dicit, quaque facit, cuncta ad illius vtilitatem, & decorem, & dicit, & facit. Pergit verò, & id regiam artem, & scientiam gubernandi esse, sic asserit: *Quoniam qui ex arte rectè actum sit, numquam in suum commodum agit secundum sua artis imperium, sed ad inferioris vtilitatem.* Sic Plato disertissimè. Cui & verbis & factis subscribebat Rex Theodahadus apud Cassiodorum lib. 10. *Cassiodor.* epistol. 5. regio ore inquiens: *Priuata siquidem studia à nostro animo probantur exclusa, quià generalis Dominus esse factus sum (Deo auxiliante) cunctorum.* Quâ sanè etiam regulâ optimum Principem Gentilis Archytas Pythagoreus sic definiebat apud Stobæum, sermon. 44. *Stobæus.* *Optimus autem erit Princeps, qui lege diuinissimâ vtetur, qualis futurus est, qui nihil sui gratiâ facit, sed omnia propter subditos. Nam lex quoque non sui, sed subditorum gratiâ est.* *Iustinian.* Sed enim Iustinianus Imperator, qui Principatus artem optimè nouerat, hanc regulam pro lege sibi & suis Imperij successoribus omnino statuit in lege vnicâ §. penult. C. *de caduca tollendis* his verbis: *Quod communiter omnibus prodest, hoc rei priuatæ, nostra vtilitati præferendum esse censemus. Nostrum esse proprium subiectorum commodum Imperialiter existimantes.* Pulchrè hoc *Imperialiter existimantes*: vt is verè regius, & imperialis sensus fuerit, ad subditorum vtilitatem & salutem omnes cogitationes dirigere, eamque pluris quàm propria commoda, aut emolumenta facere: imò verò subiectorum commodum: proprium omnino existimare. B

2 Enimverò nemo vmquam Principum hanc regulam tam ardenter suscepit, vt is qui Regum Princeps, & Magistrorum Doctor & Dei Sapientia est, huic doctrinæ addictus, eam cum Principatu didicisse, & expertum fuisse dicitur: sic enim de Domino ad Hebræos Paulus c. 5. 8 *Ad Hebr. 5. 8.* *Et quidem, cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* C Audis Dei Filium discentem? Quid autem ipse addiscat, qui omnia nouit? Quam regendi artem suscepit? Suáne spectare commoda? sibi omnia velle? Minimè quidem; imò verò consummari, & sese morti deuouere, vt suis subditis fieret causa salutis æternæ. Et verò cùm tota Assertoris vita egregius huius doctrinæ exemplis fuerit conspicua, illud in hanc rem magnum pondus habet, cum eo cruci suffixo, insultantibus, & per irrisionem, & exprobationem rogantibus Pharisæis, & Principibus Sacerdotum, vt de Cruce descenderet, facta promissione, & sponsione data omnes in ipsum conditione impletâ credituros, eiusque diuinitati assensum, & fidem præbituros: *Si Rex Israel est* (inquiunt Matthæi 27. 42.) *Matt. 27. 42.* *descendat nunc de Cruce, & Credimus ei.* Vbi notanter dictum *credimus ei*, in præsenti tempore, quod non modò indicat, statim nulla interposita mora rem executioni mandandam, D sed etiam stabile animi decretum: vnde promissionis, & voti vim habet, vt Lucæ 1. 34. Beatissima Virgo: *Luc. 1. 34.* *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco*: id est votum emisi non cognoscendi, & apud eumdem Lucam Zachæus cap. 19. 8. *Luc. 19. 8.* *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum.* Quod perinde fuit ac si diceret, firmiter constituo deinceps dare: & eodem sensu immitis ille Pharao, Exod. 5. 10. *Exod. 5. 10* *Non do vobis Paleas*: hoc est decreui non amplius dare. Quod antè me obseruauit (libet enim indicare per quem profecerim) Hieronymus de Prado in c. 2. Ezechiel. ver. 3. *Prado.* ipse quidem nulla ratione de Cruce voluit descendere. At quidem Dominicam vt nolis famæ, & existimationi tuæ consulere, vt nolis egregiam de insensissimis inimicis victoriam referre, vt nolis euidentissimum diuinitatis tuæ signum edere; ecce habes inceptum, dum ab obstinatis animis fidem, & assensum extorques. A Cur ergo non descendis? Respondet sapienter Ambros. lib. 10. in Lucam: *Ambros.* *noluit descendere, ne descenderet sibi, sed moreretur mihi*: Vides egregium præfatæ doctrinæ discipulum, qui sibi prospicere noluit, vt prospiceret mihi? *noluit* (inquit) *descendere, ne descenderet sibi*: vt dixerit: si descensus ille, mihi profuturus fuisset, omnino descendisset: quod ipse meam salutem atque vtilitatem omnibus rebus anteferendam censeret, at quod sibi potiùs, quã mihi vtilis esset, in eo quidem meæ, & suæ vtilitatis concursu, qui verus Rex Israël erat, & haberi volebat, pro re mea causam dicere decreuit. Sed preme adhuc, *vt moreretur mihi.* Nec solum oppone hoc *mihi* illud *sibi* quasi ex æquo Christi vtilitas, cũ mea decertaret, sed obserua, summum Christi honorem, & gloriam: qui in descensu sibi vtili censebatur: cum acerbissima morte, mihi proficua concurrere, atque decertare, adeoque ei fuisse propositum ad subditorum vtilitatem cũcta moliri, vt acerbissimam mortem mihi B vtilem, quàm summam sibi gloriam amplecti maluerit, secus quidem ac ille Princeps, sub cuius imperio mortem obibat, de quo Romani huius doctrinæ non omnino ignari tamquam à vera Principatus norma aberrante dicebant apud Sueton. in Tiberio: *Suetón.*

Aspice felicem sibi, non tibi, Romule, Syllam.

vt dicerent. En Principem regendi artis penitus ignarum, qui sibi non tibi felix & vtilis esse cupit. Adornat eam accusationem bellè Seneca in consolat. ad *Seneca.* Polyb. c. 26. inquiens: *Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, sibi eripuit, & syderũ modo, quæ irrequieta semper suos cursus explicant, numquam illi licet nec subsistere, nec quidquam suum facere.* Sed grauius vrget M. Tullius lib. 4. *Tullius.* Rhetor. ad Herennium inquiens: *Vt verè contemnendus est gubernator, qui in nauigando se mauult esse incolumem quàm nauim, ita vituperandus est ille, qui in Resp. discrimine C suæ plus, quàm communi saluti prospicit.* Sic Tullius. Quæ vno verbo emphaticè quidem expressit Plinius in Panegyrico inquiens: *Plinius.* *Bonus Princeps post omnes est.*

3 Videris hæc graphicè depicta in celebratissimo curru Ezechielis. Nam si attendis mystica illa animalia singula quidem peculiari ratione imperio nata (vt in homine, aquila, & leone facile videre est, & de boue disertissimè monet Dio Chrysostomus infra afferendus) de gubernandi scientia, siue vt omnino dixerim, de plenitudine scientiæ, & perfecta regendi ratione decertasse: non immeritò dixeris, cum vni ea ipsis scientiæ palma postmodum data fuerit. Et verò cùm ad victoriam obtinendam homo industriam, & prudentiam, siue etiam humanitatem suam in medium afferret quasi hæ egregiæ Regis dotes fuerint: leo verò suæ fortitudini, magnanimitati, atque seueritati inniteretur, dixit quippe ille ad optimam Principis in- D stitutionem:

Parcere subiectis, & debellare superbos
Hæ tibi erunt artes *Virgil.*

Aquila autem egregium videndi acumen, quo omnia penetrat, vehementemque volatum, quo in cælum fertur, tanta suæ causæ fiducia iactaret, vt non tam eodem cum ceteris animalibus passu, quàm supra ipsa iam elata conspiceretur? etenim cum de aliis dixisset Vates cap. 1. 10. *Iunctaque erant pennæ eorum alterius ad alterum, facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor*: subiicit de aquila: *& facies aquilæ desuper ipsorum*, nimirum eam propriam Principis laudem existimauit Homerus: *Homer.* *si quamplurimum sapiat, præterita respiciens, futura prospiciens*: omnia tamen à boue facili negotio superata sunt dum vnus ipse in Cherubim, qui *plenitudo scientiæ*, interpretatur, commu-

tatus

tatus postmodum apparuit, quasi à cæteris animantibus victoriam in scientiæ plenitudine retulisset: sic c.10. 14. eadem animantia describente, & annumerante Ezechiele: *Quatuor autem facies habebat vnum: facies vna, facies Cherub, & facies secunda facies hominis, & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ.* Vides quomodo omnibus prælatus bos fuerit, quasi regnandi artis omnino gnarus, & scientiæ plenitudinem adeptus? Sed qua, rogo, ratione, & homini ad victorias, & triumphos nato, & leoni belluarum fortissimo, aquilæque nobilissimæ volucrum tardus bos ad labores, & iniurias factum animal tam longo interuallo præpositus fuerit? Dixerim primùm Ethnico Alexandri Magni ore, qui rem velut acu videtur attigisse, dum taurum ad Regis imaginem sic reliquis animantibus præfert apud Dionem orat. 2. *Taurus enim non solùm ex generosis animantibus est, sed neque sui ipsius causa, fortitudine vtitur, quemadmodum leo & aper, & aquila persequentes cætera animalia cibi gratiâ: taurus autem manifestè ad Regis imaginem factus est: regnat enim inter sui gen[...] [...]quitia cum beneuolentia, & sollicitudine.* Quasi [...]tione ex Alexandri sensu potiùs ad regnum ius cæteris animalibus habere videatur, quòd non sui causa, sed in subditorum commodum fortitudine, & potestate sua vtatur, nec tam sibi quàm subditis sit. Sed multò melius, & opportunius hæc nos sacra docent, dum Dominus, qui didicit consummatus causam esse obtemperantibus sibi salutis æternæ, vitulum sese adumbrauit, qui crucis quidem iugum traheret, è qua ne descenderet, sibi vt moreretur mihi, & saginatus sese in cibum suis daret: sic etenim *vitulum saginatum* in prodigi filij reditu occisum Lucę 15.23. interpretantur PP. nam Anastas. Sinaita lib. 1. in Hexamer. ait: *Vitulus, vt is qui crucis iugum erat tracturus*: Hieronymus verò epist. 146. *Vitulus saginatus ipse Saluator est, cuius quotidie carne pascimur, & cruore potamur.* Chrysost. Hom. *de patre, & duobus filiis* ad eum modum: *Vitulum nominat propter hostiam corporis immaculati: saginatum autem verè dixit, quia pinguis, & opimus in tantum est, vt pro totius mundi salute sufficiens sit.* Denique Chrysol. serm. 3. *Mortuus filius, vituli suscitatur ex morte, & vnus vitulus totius familiæ funditur in saginam.* Ergo inter omnes regias dotes primum, atque potissimum locum habet, & palmam inter alias fert publicæ salutis cura, & in subditorum commodum, & vtilitatem attenta prouidentia, cum qua si sapientiam, subtilitatem, clementiam, seueritatem, fortitudinem composueris, vt non negauerim, bona quidem ea esse: ita dixerim posteriorem illa locum habitura, quippe ab hac publicæ salutis cura regiæ artis scientia, Regisque character, eiusque à tyranno discrimen omnino desumitur: *Quoniam qui ex arte rectè acturus sit* (vt dicebat Plato) *numquam in suum agit commodum secundùm suæ artis imperium, sed ad inferioris vtilitatem*: imò verò si iis aquilæ, leonis, & hominis dotibus hæc publicæ vtilitatis cura desit, non dubitauerim affirmare, regno, & gubernationi noxias esse futuras. Quid enim tùc humanitas nisi ignauia? Quid fortitudo, nisi tyrânis? quid seueritas, quàm sæuitia & feritas fuerit? nam vt sapienter Claudianus in Manliano:

Qui fruitur pœnâ ferus est, legumq; videtur
Vindictam præstare sibi,

& in vniuersum de fortitudine, siue animi magnitudine, quam siue leo, siue aquila præ se ferunt Tullius lib. 1. officior. scitè ait: *Sed ea animi elatio, quæ cernitur in periculis, & laboribus, si iustitiâ vacat pugnatq; non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est.* Hæc scitè & opportunè firmat Magnus Basilius dum Deum nobis in mundi formatione ex arte agentem sic facit Homil. 1. *Fecit vt bonus quod vtile est, vt sapiens quod pulcherrimum est, vt potentiâ præditus quod maximum est.* Pende regiam agendi siue gubernandi artem: quæ cùm bonitatem, sapientiam, atque potentiam pro instrumentis ad operandum habeat, à bonitate vtile subditis perficiente incipit: quasi hic Principis scopus, & prima cogitatio: quam & sapientia, & potentia subsequi imò ei inseruire debent, omnino sit, bone quidem de aquila & leone triumphum agente. Etenim si Princeps in agendo siue à *pulcherrimo*, siue à *maximo* velit incipere sapientia videlicet, & potentia visus posthabitâ suorum vtilitate à Rege in tyrannum abibit.

4 Ergo bos, qui *non sui ipsius causa fortitudine vtitur, quemadmodum leo, & aquila persequentes cetera animalia cibi gratiâ*: sed *cum beneuolentia & sollicitudine imperat*: suis vndequaque subditis prospiciens, ipsisque viuit, ipsisque moritur, dum *eius carne pascimur, & cruore potamur*, is regalis *scientiæ plenitudinem*, quæ in Cherubino censetur, adeptus est. Age verò, & hanc doctrinam Dei magisterio, & institutione acceptam ostendamus. Enimverò cum prima Principatus eaq; legitima forma in Adamo tamquàm Principe, & in Eua vxore sua, tamquam in subdito præscripta à Deo fuerit, maximè Euæ structura, atque formatio fuerit obseruanda: nimirum ipsa non è capite Adam, non è brachio, aut manu, non è pedibus, sed signatè ex ipsius latere à diuino artifice educta fuit: sic namque Genes. 2. 21. *Tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem.* Sed quo mysterio? Planè, vt Principibus documento esset, id ipsorum munus, eam naturam & conditionem esse debere, vt quemadmodum manus & brachium subiectum sibi latus contegunt, & fouent, ita ipsi subiectos sibi subditos omni cura & studio foueant, protegant, & ipsorum vsibus, & vtilitati toti sint, vt in ipsis omnino locũ habeat, quod lib. 1. offic. dicebat M. Tullius: *itaque illud patrocinium orbis terræ, verius quàm imperium poterat nominari.* Planè vbi nostra vulgata & Principatum Adæ & Euæ subiectionem exprimens dixit: *Sub viri potestate eris*, Gen. 3. 16. LXX. & Græci PP. reponunt: *Ad virum tuum erit conuersio tua*: quasi potestas, & imperium mutua quidem conuersio sit quâ Princeps ad subditum, & subditus ad Principem mediâ charitate conuertitur. Quid hæc sibi velint, primùm quidem Dionysius Areopagita lib. de diuinis Nominibus c. 4. Amoris naturam explicans: deinde verò Procopius, & Basilius Seleuciensis Homil. 2. in id: *Adduxit Adam in Paradisum*, pulchrè aperiunt: quippe Dionysius Amorem, diuinam vim esse, quæ superiora quidem ad inferiora tutanda, & confouenda, inferiora verò, vt ad superiora se conuertant, auxilium & opem ab illis acceptura impellat, sic affirmat: *Amorem siue diuinum, siue Angelicum, siue spiritualem, siue, vt ita dicam, animalem, vim quamdam coniungentem, miscentemq; intelligamus, quæ superiora quidem impellit, vt inferioribus prospiciant, & consulant, paria autem, vt inter se societate iungantur, inferiora verò, vt se conuertant ad superiora.* Vides quò Principatus, quò Princeps cum beneuolentia imperans? quò etiam subditum esse, eat? nimirum Rex, quâ Princeps est, vi quadam Amoris impellitur, & adigitur, vt inferioribus cõsulat, atque prospiciat: inferior verò quâ subditus ei est, vt ad Principem tamquam ad tutissimum perfugium se conuertat, vt ab eo quidquid vtile, honestum, & iucundum est capiat. En quid sit *sub viri potestate eris*, hoc est *ad virum tuum erit conuersio tua.* Hæc sic iam firmante, & elucidante Procopio: *scilicet, vt ab eo nutriaris, & fouearis.* Pergit Basilius: *quia fouetur, & tegitur à manu latus ei subiectum.* Ergo imperare, protegere & fouere: subiici, protegi, & foueri est. Enimverò hanc regnandi artis, & scientiæ plenitudinem

Ezech. 10. 14. — Dio. Chry. — Luc. 15. 23 — Anastas. Syn. — Hieron. — Chrysost. — Chrysolog. — Plato. — Claudian. — Tullius. — Basilius. — Gen. 2. 21. — M. Tull. — Gen. 3. 16. — Dio Areo. — Procop. — Basil. Sel.

tudinem esse ipsamet Cherubini natura, nomenque A demonstrat: æquè enim significat vox *Cherub, equitare*, id est Principem esse, & plenitudinem scientiæ, siue multiplicatam scientiam, nec non obumbrare siue

Ezech. 28. 14. protegere, vt Ezechiel 28. 14. *Tu Cherub extentus & protegens*, vt sapientis Principis definitio sit, subditos fouens & protegens.

Psalm. 46. 10. 5 Videtis id accuratissima locutione à nostro Vate espressum, dum Psalm. 46. 10. vt se regij muneris apprimè gnarum ostenderet, Principes, *protectores*, & scuta subditorum sic appellauit. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dij fortes terra vehementer eleuati sunt.* Sed obseruat Hieron. pro *dij fortes terra* legere *scuta terra*: plures verò ex translatoribus, atque interpretibus reponere *protectores terra*, vt ex scuti, siue clypei imagine, qui non sui causa, sed vt eum, qui illo vtitur obumbret, & protegat, factus est, moneat, eam esse Principatus naturam, atque rationem, vt ad subditorum tutelam, & vtilitatem Princeps cuncta moliatur, nec regnum propter Regis vtilitatem, sed Regem in subditorum gratiam, & bonum à Deo constitutum, & ordinatum fuisse: vt ipse non aliter ac clypeus, qui in se aduersantia tela, & ictus suscipit, vt eum qui illo vtitur reddat incolumem, subiectum sibi populum tueatur, ac protegat, vti de bono Principe Traiano dicebat disertissimè Plinius in Panegyrico: *Licet quoties cassidi aut clypeo grauior ictus incideret.* Planè quasi tunc suum omnino munus expleret, proprio discrimine suorum mala depellens, sibique quod durius, & periculosius erat exoptans, ne subditus incideret. Quæ discens ob oculos habuisse tum Xenophontem, tum Synesium: ille enim lib. 3. de memorabilibus Socratis sic ait. *Nam Rex eligitur, non vt sese molliter curet: sed vt per ipsum ij qui elegerunt, benè, beateq; agant.* Synesius verò ac si scuti imagine hæreret, oratione de Regno inquit. *Quid in vita ratione sequitur, quod subditum commodum videtur, qui laborem, & molestiam perferre vult, ne quid illi molestum sit, qui pro illis periclitatur, vt in pace, & securitate degant, quique vigilare, & in maximo concursu sollicitudinem versari sustinet, vt noctu, & interdiu subditi malis omnibus vacent: hic in genere quidem ouium, pastor: in hominum verò genere Rex est.* Vides Regem per omnia scutum? Audi de Theseo Isocratem, in laudatione Helenæ: *pericula sibi priuatim vindicabat, vtilitates in commune conferebat*: fortiùs autem & tegaliùs Antoninus Princeps, Vero admonente, vt Audium Cassium qui suspectus proditionis habebatur, è medio tolleret, apud Vulcatium Gallicanum in Audio Cassio sic respondisse dicitur. *Sibi habeat suos mores (Audius) maximè cùm bonus dux sit, & seuerus, & fortis, & Reip. necessarius. Nam quod dicis liberis meis cauendum esse morte illius, planè liberi mei pereant, si magis amari merebitur Audius quàm illi, & si Reip. expedit, Cassium viuere, quàm liberos Marci.* Sed multò opportunius est quod Bernard. serm. de SS. Petro & Paulo, de D ipsis sic ait. *Viri isti, nec sibi vixêre, nec sibi mortui sunt, sed et qui pro ipsis mortuus est, magis autem nobis omnibus.*

Hieron. Lect. Hebr. Plinius. Synes. Isocrates.

6 Nec fuerit omittenda præfatæ translationis emphasis dum pro voce *fortes* reponitur, *scuta*, siue *protectores*, vt simul etiam innuatur, Principem quidquid potentiæ, & fortitudinis habuerit, non sui causa siue in suas vtilitates, sed in subditorum commoda refundere debere: *nam ea animi elatio*, vt dicebat Tullius, *qua cernitur in periculis, & laboribus, si iustitiâ vacat, pugnatq; non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est.* Quare redit rursum ad egregium illum taurum, qui quid dicitur causam salutis suis esse, scientiæ plenitudinem adeptus dicitur: & quid de illo (vt interpretantur S. Iustin. M. in

Tull. Iustin. M.

Dialogo cum Triphone, Tertull. libro aduer. Iudæos capit. 10. Ambros. libro de bened. Patriarch. c. 11. August. q. 56.) sub Iosephi imagine dixerit Moyses attende: sic enim Deut. 33. 17. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius*: vbi observa voce pulchritudinis eximiam huius tauri fortitudinem commendari, vt benè ibi Oleaster, & alij interpretes adnotauerunt: vnde ille pro *fortitudine* reponit *sertum*, siue *corona*; sub deos, *vt videatur alludere ad ludos pastorum, qui videntes tauros ad inuicem tertantes solebant victorem serto coronare*: quasi huius tauri fortitudo, omnium pulchrior, maior, atque robustior fuerit: ideò quidem ab Isaia c. 9. 6. antonomasticè. *Deus fortis* appellatur. Sed cur pulchrior, atque robustior? Quia *cornua rhinocerotis* (siue vnicornis, vt omnia exemplaria Hebræa, Chaldæa, & Græca habent) *cornua illius*. Nimirum à tauri cornibus timeri aliquando vulnus, aut mors poterat: si iratus se vindicare, aut pallium ab alio quo exterquere vellet, furis enim illa iræ, furoris, & mortis instrumenta: at ab vnicornis cornu non nisi salus, & vita sperari, quippe illo omnes experiuntur, quod vim salutarem, atque beneficam, venena, & mortem depellentem habeat: ideò hæc opportunissimè Regi tauro pro illis reposita sunt, qui adeò non nocet, nec vulnus infligit pallium vt cauferet, vt potiùs suos foueat, & iacentem seruum protegat, propriæ vesti non parcat: sic enim ipse apud Ezech. cap. 16. 8. *Et eras nuda, & confusione plena, & transiui per te, & vidi te, & expandi amictum meum super te.* Quod præstitisse etiam Gentilem Traianum nouimus, de quo Dio & Suidas: *milites in prælio vulneratos turabat, cùm autem fasciæ & volumina deficerent, ne sua quidem vesti pepercit: sed eam totam in ligamenta, & fomenta discidit.* Sed huic cogitationi audi applaudentem Senec. lib. 2. de ira cap. 27. *Quædam sunt, quæ nocere non possunt, nullamq; vim, nisi beneficam, & salutarem habent, vt Dij immortales, qui nec volunt obesse, nec possunt, natura enim illis mitis, & placida est, tam longè remota ab aliena iniuria, quàm à sua.*

Tertull. Ambros. August. Deut. 33. 17. Oleast. Isai. 9. 6. Lect. Hebr. Dio. Suid. Seneca

7 Vt vel ex his Senecæ verbis noueris, à quo Magistro egregius hic discipulus didicerit. Planè vt ipsemet apud Ioann. cap. 5. 19. testatur. *Non potest facere filius à se quidquam nisi quod viderit patrem facientem.* Enim verò *Deus noster, Deus saluos faciendi*: si ve vt est in Hebræo, *Deus ad salutes est.* Psalmus 67. 21. ideò qui ab eo didicit, & Verbum, ac speculum eius dicitur, signatè *eius imago* esse perhibetur Sapient. septimo 26. vt verò imaginem cum suo prototypo concordem videris, quid de Deo Moyses dixerit obserua: Exod 34. 6. *Dominator Domine, Deus, misericors, & clemens.* Vbi ex Hebræo Oleaster signatè legit. *Dominus Deus fortis, pius.* Quod si dubites, cur ex epithetis à nostro vulgato repositis respondeat illud *fortis*? non dubium quin *misericordis*, atque *clementis*. Iam si inquitas, quid fortitudini, atque pietati siue, qua ratione idem sit, fortem, & pium esse. Respondebo ex præfata vituli imagine, & fortitudine, dum ille non nisi ad benefaciendum suis fortis est, qui *sagmatus totius familia funditur in sagmam*. Sic id obseruante indidem Oleastro. *Expende quod dicitur, fortis, pius, ac si dicatur, fortis ad pietatem. Sunt quidam homines fortitudine prediti, sed qui eam ad crudelitatem exercent, quia ad hoc solum potentes sunt, vt alios opprimant. Non sic autem Dominus Deus tuus, qui ersi fortis sit ad acies hostium debellandas, non tamen ad hoc fortis esse vult, sed ad miserias releuandas.* Ita ille. Ad quem statim modum, de optimi Magistri optimo discipulo subiicit. *Sic & Christus, cum gigas potentissimus esset, nusquã tamen gladium, aut lanceam in inimicos exercuit, sed vim suam omnem in depellendis morbis à corporibus hominum expendit.* Bonum Principem non sibi,

Ioan. 5. 19. Exod 34. 6. Lect. Heb. Oleast.

sibi, sed suorum vsibus factum.

5 Vt verò Principem regendi scientiæ apprimè gnarum, & exactè operantem, iam vidisti: obserua iam malum, & indoctum discipulum regiam artem omnino ignorantem, vitulum, inquam, illum à perfida plebe conflatum adoratumque. Nam si attendis, vnt sibi factũ, & vt se suaque omnino curantem, ita subditorum vtilitatis oblitum [illegible]: quippe primum à Moyse ex subditorum [illegible] conflatus dicitur, Exod. 32. 4. vt eius splendor [illegible] ac externum illis afferret, & secus quidem ac egregiæ indolis taurus, *sui ipsius causâ, sua fortitudine* ad subditos spoliandos vteretur: deinde verò à Dauide sic sese molliter curans, & suis tantùm libidinibus indulgens describitur Psalm. 105.19. *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile, & mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Notanter illud *gloriam suam*: Hoc est Deum, qui gloriæ illis fuerat. Quid enim gloriosius subditis, quàm eum adeptos fuisse Principem qui fortis ad pietatem esset? sed id notantissimè. *In similitudinem vituli comedentis fœnum*: ac si diceret Vates: Quàm alius hic à pulchro illo vitulo saginato, qui crucis aratrum ob suorum salutem fortiter ferens in subditorum epulas, & sagioam mactari voluit: dum iste non de nutriendis, & confouendis subditis, sed de se solùm pascendo, & saginando cogitabat. O pulchrum Regem! qui nomine tenus Rex, reapse verò tyrannus fit; is præfata oratione *de Regno*, censente Synesio, & hac vnica nota Regem à tyranno discriminante: etenim cùm ex veteri sententia præmisisset. *Subditorum multitudinem Regem non potius facere, quàm tyrannum, sicut nec ouium multitudo pastorem potius, quàm coquum, qui illas abigit, vt mactatu non modò ipse famem expleat, sed & aliis epulandas vanum proponat*: subiecissetque, *iisdem prorsus limitibus Regem censeo à tyranno dissidere*: mali subinde Regis, siue tyranni notam, & characterem sic describit. *At qui per luxum potestate abutitur, & imperium voluptate, ac deliciis conterit, idque ex multorum imperio lucrum deputat, si quamplurimis suis libidinibus, ac cupiditatibus seruiant, & vt vno verbo dicam, qui gregem non saginare, sed à grege saginari vult, eum inter pecora coquum appello, eum tyrannũ esse censeo, si quod subditum est, populus sit ratione praditus.* Sic ille: tantùm non indice demonstrans vitulum comedentem fœnum qui ex subditorum imperio lucrum deputet, si plures suis libidinibus, ac cupiditatibus seruiant. Sed hæc opportunitùs duobus Israel Regibus Ioachaz, & Iechonia: ex Ezechiele aptaueris quasi regiæ artis ignaris, malèque discipulis: nam de primo sic ait cap. 19 3. *Didicit capere prædam, hominemque comedere*: de Iechonia verò, siue, vt alij malunt, de Ioachim fusius versu 6. *Didicit prædam capere, & homines deuorare* (vbi LXX. *& pascebatur in audacia sua.*) *Didicit viduas facere* (siue vt ex Hebræo plures legunt, *& cognouit viduas eorum*) *& ciuitates eorum in desertum adducere: & desolata est terra, & plenitudo eius à voce rugitus illius.* Premeillud de vtroque Principe. *Didicit capere prædam.* O malam regnandi artem, quam ij Principes didicêre! O peruersam doctrinam, quâ dicuntur imbuti! O præposterum imperij modum! Cùm deberent pro muneris sui ratione, ac dignitate subditos suos protegere, & reddere saluos, atque incolumes, orphanis, ac viduis patrem, & iudicem sese exhibere, super egenos, Dei instar, amictum suum expandere, siue Traianum imitati vestem totam in ligamenta, & fomenta ad vulneratorum curationem discindere: ipsi contrà, prædam ex subditis capere, & velut præferoces tanti pallium ab ipsis auferre, homines deuorare, viduas facere, siue corrumpere, imperium deliciis, & volu-

P. Velasquez in Psal. centesimum.

Exod. 32. 4.
Psal. 105. 19.
Synesius.
Ezech. 19. 3. & 6.
LXX.
Lect. Hebr.

ptate metiri, didicerunt. Sed à quo Doctore, siue Magistro? Respondet ibi Prado. *A quibus didicerit capere prædam, constat ex libris Regnum, vbi habetur: & fecit malum coram Domino iuxta omnia, quæ fecerant patres eius.* 4. Reg. 23. 37. Sed opportunius, opinor, dixeris, non ab alio malos huiusce Principes has didicisse artes, quàm ab illo de quo Petrus epist. 1. cap. 5. 8. *circuit quærens quem deuoret.*

6 Sed enim malæ artis malom exitum vide. Etenim de vitulo comedente fœnum sic inquit Oseas cap. 8. 5. *Proiectus est vitulus tuus Samaria, iratus est furor meus in eos*: sed obserua primùm Montanum & Pagninum ex Hebræo legere. *Proiecit te vitulus tuus ô Samaria*, id est, ipse quem vt Deum adorabas, cornibus te impetiit, atque proiecit, dum didicit prædam capere, & homines deuorare: sed quod inde emolumentum? quam vtilitatem percepit? Respondet nostra lectio. *Proiectus est vitulus*: ac si dicat, quia *proiecit*; ideò *proiectus est*: quia te vnum amauit, & sibi vni consuluit, ideo seipsum perdidit, & præcipitem dedit: etenim si rectè saperet, non sibi, sed suis, ac proinde sibi maximè sapuisset, & in sui deliquio suam firmitatem & stabilitatem habuisset. Ita quidem ficum inter arbores principem, excidio obnoxiam in superioribus non semel vidimus, quod terram occuparet, siue succum eius exsugeret, quin fructum cultoribus suis redderet: *Succide* (inquit Dominus) *illam, vt quid etiam terram occupat?* Lucæ 13. 7. Quid ergo, inquis, ideone excideretur populus, aut cupressus, quod succum exsugant, nec fructus ferant? Nonequidem. Quid igitur deterior illis ficus erit? Planè quod priuatus sibi ipsi iure consulit, iure prospicit, & sapit: at Princeps, ni suis prospiciat, consulat, & sapiat, non sibi sapit, nec muneri suo satisfacit: sic hæc omnino firmante Isaia cap. 5. 14. acribus hisce verbis. *Propter hoc dilatauit Infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius, & populus eius, & sublimes, gloriosique ad eum.* Vbi obserua primum, pro hac extrema voce *gloriosi eius*: qua principes populi denotauit; LXX. reddere *pestilentes eius*: quasi Principes pestes, & exitium populo fuerint: sed qua in re obserua id in lectione Hebræa Pagnini quæ reponit, *lætus eius*, siue vt Isidor. Clarius *exultans in eo*: vt sensus sit, non satis esse Principi, vt exitium, pœnamque inferni, euadat, si à criminibus abstineat, nisi etiam communi vtilitati inuigilet, etenim si lætus, ac hilaris deliciis vacans suorum oblitus, sibi soli consulat, & de cute curanda solùm curet, meritò Reipub pestis dicetur, & securi, atque incendio, iure obnoxius erit. Quare fortasse in Hebræo pro illis verbis: *aperuit os suum absque vllo termino*, emphaticè habetur, *præter morem*, quòd cùm multis inferi sit, homines deuorare quòd mali sint: ad Principes suscipiendos animam suam siue anhelitum (sic etiam Hebraicè est) præter morem suum dilatet, atque extendat: non ea solum ratione ductus, quòd mali sint, sed quòd suis boni non extiterint.

Prado.
4. Reg. 23. 37.
1. Petr. 5. 8.
Osee 8. 5.
Lect. Hebr.
Luc. 13. 17.
Isa. 5. 14.
LXX.
Pagnin.
Isid. Clar.
Lect. Hebr.

Ad eadem verba.

Principi suam maiestatem æstimanti tunc maximè suum negotium agere videtur, cùm non agit, vt publicum agat.

ADNOTATIO XIII.

1 PLACET verò, redire ad ea verba Iustiniani. *Nostrum esse proprium subditorũ commodum imperialiter*

liter existimantes : quibus non tantùm adstruit, Imperatoris esse, subditorum commodum propriæ vtilitati anteferre, sed etiam existimare ; suum tunc ipsum negotium maximè agere, quod in subditorum vtilitate propria etiam contineatur. Enimverò nunnemo *Ioan. 4. 38.* ambigat ad ea Domini verba apud Ioannem cap. 4. 38. *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis, alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Quodnam opus iustitiæ fuerit, laborare, nec fructum laboris percipere? seminare, nec metere? maximè cùm de sanctissimis Patriarchis, atque Prophetis sermo fuerit. Quid? eadem one horum ratio fuerit, ac eorum quibus spem mentita seges est: de quibus Vates: *Culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam.* *Osee 8. 7.* Oseæ 8. 7. Aut quo iure, qui non laborauit, metere, ac manducare præsumet? *2. ad Thess. 3. 10.* præscribente Apostolo 2. ad Thessal. 3. 10. *Si quis non vult operari, nec manducet.* Veromenimverò, hæc omnia facili solutione opprimuntur, si aduertas, id de B Patriarchis, & Prophetis, tamquam de Principibus populi fore capienda, nimirum vt ea priuati conditio est, vt quemadmodum sibi arat, sibi occat, sic sibi metat, fructusque laboris sibi percipiat: ita longè diuersa Principum natura, & Principatus lex fuerit, videlicet, vt ipsi arent, serant messisque, & areæ labores adhibeant; subditi verò messis fructus, & commoda ferant : tunc verò Principes subditis ab ipsis adiutis, & auctis plenissimum laborum suorum fructum percepisse existiment. Dixeris hæc omnia ob oculos habuisse *Cassiod.* Cassiodorum, dum lib. 6. epist. 23. Principis nomine inquit : *Ideò enim tot emolumentorum commoda serimus, vt securitatem prouincialium colligamus. Messis nostra cunctorum quies est.* Pulcherrimè etenim, vt Principem laborantem, atque serentem, subditos verò metentes, & fructus percipientes cernis: ita rursum Principem subditorũ salutem, & commoda messem suam existimantem, & de ea sibi applaudentem, omnino C vides. Sed ad tẽ sic id ad ea verba monuit in Catena *Chrysost.* Græca Chrysostom. *Prophetæ, inquit, seminarunt, sed non metunt : non idcirco tamen voluptate priuati sunt, sed nobiscum vnà collatantur, licet nobiscum minimè metant. Messe namque, sementis opus est, &c.* Et statim. *Ad hoc vos seruauit, non ad seminandum, magna enim in eo difficultas, & labor, in messe verò fructus vberior, laborque nullus :* Pende illa: *Non idcirco tamen voluptate priuati sunt, sed nobiscum vnà collatantur.* Suam videlicet messem subditorum lucrum putantes. Cui cogitationi opportunè subiicibit *Pacatus.* Latinius Pacatus in Panegyrico Theodosij cum occasione benignitatis illius Principis inquiens: *Nullam maiorem crediderim esse Principum felicitatem, quàm fecisse felicem:* subiicit, *itaque Imperatori propriam maiestatem æstimanti non iam illud suum videri debet, quod abstulit, quàm quod dedit.* Opportunè id *suam maiestatem æstimanti.* Quippe hæc Principis dignitas, & ornamentum est : subditorum salutem, felicitatem, quietem D eisque seruisse, dedisse.

2 Sed quod dicebat Cassiodorus. *Messis nostra cunctorum quies est.* Placet ex Domini exemplo ipsis tibi oculis subiicere. Coniice ergo in illum primùm oculos, cùm in horto sæpiùs ad Patrem preces vehementiùs fundebat; cùm ad discipulos iterum, atque iterũ recurrebat; cùm præ agonia sanguinem sudabat, sic *Luc. 22. 43.* namque Lucas capit. 22. 43. *Et factus in agonia prolixiùs orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Deinde cùm lætissima fronte ad discipulos rediens sic blandè illos allocutus dicitur: *Dormite iam & requiescite.* Matthæi 26. 45. Quid enim fuerit iterũ, atque iterum orasse, ad suos recurrisse, sanguinem sudasse, quàm arasse, & sulcos altiùs impressisse, atque in suorum vtilitatem seminasse? vt ipsi salutem, quietem, A & vt sic dixerim, mollem somnum meterent? ea quippe iam à Domino oblata requies, messis quidem orationis, & seminationis, siue sanguineæ etiam irrigationis, quam ipse præstiterat: omnino fuit. Audi *Hilarius.* Hilarium ad ea Matthæi verba canone 31. sic dicentem. *Sed qui vigilare iusserat, qui consopitos obiurgauerat, ait:* Dormite iam, & requiescite. *Post orationem frequentem: post discursum, recursusque multiplices metum demit, securitatem reddit, requiem adhortatur.* Reddit rationem: *quia transiturum in nos calicem bibens, infirmitatem corporis nostri, & timoris solicitudinem, & ipsum dolorem mortis absorberet.* Vides quò erant tot sacræ preces, multiplices discursus atque recursus, tot labores, sanguinisque sudores? vt videlicet, hac seminatione, in se quidem infirmitatem, solicitudinem, timorem, mortemque suorum absorbeat, vt ipsi quietem, & salutem, & vitã demetant. Ergo qui, dum seminat, anxius & tristis est: B cùm iam suorum messem videt: hilaris, lætusque ad illos procedit aiens: *Dormite iam & requiescite* : tantùm ille verbis non dicens: *Messis nostra, cunctorum quies est* : & factis ipsis quod de Traiano Plinius : *Lætus* *Plinius.* *quoties cassidi tua, aut clypeo grauior ictus incideret.* Quod bonus Princeps subditorum salutem suæ antehabitam propriam existimet, & de ipsa maximè lætetur.

3 Ita quidem quæsito dicendi modo apud Lu- *Lucæ 15.* cam capite 15. 23. ipsemet Dominus (vti omnes Patres interpretantur) vitulum saginatum sic sese appellauit. *Adducite vitulum saginatum, & occidite.* Et vituli quidem imaginem ipsi suos pascenti, suos curanti, suorum vtilitati omni ratione prospicienti, vndequaque quadrare præcedenti adnotatione iam vidimus. Cur autem eâ vituli similitudine vtcumque proposita non contentus, *saginatum*, signatè dixerit? meritò am- C bigitur. Respondet verò opportunè Gregorius Nys- *Nyssen.* senus in Catena Græca: *Saginatus, quando in mundi restaurationem mysterium redemptionis prædiffinitum fuit, atque ipsemet Christus ad victimam datus.* Similiter *Anastas.* sanctus Anastasius Synaita libro primo in Hexameron. *Saginatus autem, vt qui iam olim, & ab ipso initio esset diffinitus, & prædestinatus, vt nostram subiret naturam.* Planè quasi Dei filio humanam subire naturam, saginari fuerit. Sed enim huic sententiæ omnino videntur repugnare Salomon, & Paulus, Dei filium hominem factum accurata, & diuersissima locutione exinanitum appellantes: sic enim ille Canticorum primo versu secundo. *Oleum effusum (LXX. exinanitum) nomen tuum.* Pau- *Cant. 1. 2.* lus verò ad Philippens. 2. 7. *Semetipsum exinaniuit,* *Philip. 2. 7.* *formam serui accipiens in similitudinem hominum factus.* Qui ergo hæc inter se conuenire possint : vt eadem omnino assumptæ humanæ naturæ ratione Dei D Filius, & saginatus, & exinanitus dicatur? Ego quidem illum, antequam nostram subiret naturam, saginatum planè dicerem : cùm ex Paulo nouerim in ipso esse *omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ Dei.* Ad Coloss. 2. 3. at homo factus, & iis in *Coloss. 2. 3.* homines thesauris effusis, quomodo saginatus dicatur, qui *exinanitus*, id est, *in nostros vsus expensus est?* (vt inquit sanctus Dionysius Alexandrinus *Dionys. Alexand.* in epistola contra Paulum Samosetanum) adhuc ambigo. Sed facilè occurras ex sancto Petro Chry- *Chrysol.* sologo sermone 11. in re non dissimili aiente. *Homo Deus in te ieiunat, in te esurit : imò ieiunat tibi, tibi esurit, qui sibi sicut nescit manducare, sic non potest esurire.* Vnde ad hunc modum opportunè dixeris, Deum qui sibi saginari nescit, in te signatè saginari : cùm in vsus tuos expensus, & suis in te

te thesauris effusis omnino exinanitur: quippe tunc A optimus Princeps maximè saginatur, cùm ab ipso subditi crescunt, diuites fiunt, atque saginantur: vti dicebat Pacatus: *Nullam tuatorem crederem esse Principum felicitatem, quàm fecisse felicem.* Bene ergo tunc Dei Filius saginari dicitur, cùm omnino exinanitur, vt subditi sui saginati, & pingues, & felices redderetur.

4 Iote ad ea Domini verba Genes. 2.18. *Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi:* cum Ambrosio ambigas: cur bonum fuerit homini, solum non esse, cùm ex mulieris societate, quidquid illi malum fuit, aduenerit? Vnde potiùs dicendum videbatur, bonum erit homini solum esse, bonum mulierem non tangere: quando ipso solo manente procul mors, procul luctus, procul perditio, quarum ianua, & causa mulier extitit, omnino erant. Audi Ambrosium libro de Paradiso cap. 10. *Quomodo enim quando solus factus est Adam, non dictum est bonum esse* B *Adam, quando autem & mulier ex eo facta est, tunc esse bona omnia comprehensum est?* &c. *quatratione vbi solus factus est Adam, non solùm nequaquam praedicatio boni, complacito operi adiecta fit, sed etiam dictum fit, non bonum esse solum hominem, cùm sciamus, quod antequam fieret mulier, non errauit Adam: postea verò quàm mulier est facta, prior diuinum prauaricata mandatum, etiam virum suum traxerit in errorem, & incentiuum eius extiterit. Si igitur viro culpa auctor est mulier, quemadmodum pro bono videtur adiecta?* Respondet tamen sapienter Ambrosius, plus Domino fuisse vniuersitatis curam, quàm priuatum Adae bonum, eaque ratione bonum Adae solius, ipsi bonum visum non fuisse: quod commune hominum bonum impediebat. Sic namque Ambros. *Verum si consideres, quia Deo vniuersitatis est cura, inuenies plus placere Domino debuisse id quod esset causa vniuersitatis, quàm condemnandum fuisse illud, in quo esset causa peccati. Et ideò quia ex viro solo non poterat humanum esse genus propago, pronuntiauit Dominus:* non esse bonum solum hominem. Haec Ambrosius. Ad quem etiam modum Tertull. lib. 2. contr. Marc. c. 4. cùm de Dei bonitate dixisset: *Eadem bonitas, & adiutorium prospexit, ne quid non bonè.* Non est, *inquit*, bonum solum esse hominem: subdit. *Sciebat illi fructum Mariæ, & Ecclesiæ profuturum.* At enimverò non immeritò adhuc dubites, qua ratione homini bonum non fuerit esse solum, cùm data ipsi societas, ruinae, & mortis causa ipsi extiterit? quippe aliud fuerit hominis bonum, aliud vniuersitatis. Vnde bene quidem se habere, vt quod vtile vniuersitati est, homini noxium, atque exitiale fuerit; atque ideò malum fuisse homini non esse solum. Subsistit tamen Ambrosii ratio. Nam si Principis manus ac vincula quibus D ipse est adstrictus, bene aestimes, omnino dixeris, proprium ipsius bonum adeò esse cum communi vtilitate coniunctum, vt ab illo nulla posse ratione diuelli, quippe ipse, vt homo sit, & Princeps, plus tamen publicis Principatus rationibus, quàm suis rebus debet, vti adductus à nobis dicebat Tullius. *Non debuit cùm prætor esset, suum negotium agere.* Vnde quod publicae vtilitati interest, non potest non ipsi etiam interesse, quamuis ipsi quà homo est, malum sit. Quare non secus ac de corporis malo, siue iactura, quae in animae bonum cedit, absolutè bonum homini esse dicamus, quod potiori hominis parti inseruiat, atque vtilis sit, ita quodcumque Principi contingat damnum, siue iactura (peccatum tamen omnino excipe) licet poenam, morbum, rerum amissionem, & ipsam mortem numeres, quòd Reipublicae vsu, & vtilitate sit, adeò Principi malum non est, vt potiùs bonum, vtile, & commodum ipsi appellari & censeri debeat: publico scilicet bono quid-

quid Principi est malum in se ita absorbente, vt mali rationem ab eo exuat: & bonum atque vtile reddat, vt aiebat Plinius de Traiano. *Latus quoties casside tua, aut clypeo grauior ictus incideret*, nimirum inflictum Principi vulnus, quod à subditis dolorem, ac discrimen amouebat, non honestum modò, sed iucundum etiam illi bonum erat.

5 Enimverò haec non per exaggerationem, sed quod reapse ita sint, dici omnino videris ex his Isaiae Isa. 51. 6. verbis, quae cùm obscura sint, lucem, & splendorem ab hac doctrina accipere videntur, cap. 51. 6. *cœli sicut fumus liquescent.* Sed obscura LXX. pro *liquescere*, LXX. contraria omnino significatione reposuisse *firmari* hunc in modum: *cœlum sicut fumus firmatum est.* Quae sanè lectio mirè torsit Hieronym. vt eam nostra vul- Hieron. gata commodè conciliaret: *Miror* (inquit) *quod dicere voluerint LXX Si enim firmitas pro robore accipitur, quomodo fumo quod firmum est comparatur?* Vnde tandem eò refert, quòd mortalium rerum firmitas: nihilo solidior, aut fortior quàm leuissimus, & inanissimus fumus fuerit. *Nisi forsitan* (ait) *possimus hoc dicere, quòd omnis calorum firmitas, & robur, & fortitudo vento tenuissimo, & fumo, qui in aëra dissoluitur conquerit, iuxta illud Ecclesiastis:* Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Eccles. Sic Hieronymus. Sed enim, alium nos sensum non minùs opportunum his verbis adhibere placet. Quare duo obserua: alterum Principes in scriptura caelorum nomine designari, vt ex illis Moysi verbis in Cantico: *Audite cœli quæ loquor.* Deuter. 32. 1. & aliis, alibi adstruximus, alterum verbum illud *liquescere*: non vtcumque liquefieri, siue dissolui, sed peculiari sensu, atque significatione, quod Aquila, & Symmachus referente Hieronymo obseruarunt, sibi immo- C dum comminui, & liquefieri significare. Audi Hieronymum, *Iuxta Aquilam & Symmachum comminuentur in nihil, & in salis modum conterentur, & euanescent.* Aquila. Symmach. *Quorum prior dixit*, meluthisetai. *alter* alio sensu, *quod à comminutione, & deliquio salis etymologiam trahere manifestum est.* Ex his iam, & praefatas lectiones, quae dissidere videbantur, conciliare, & doctrinam quam prosequimur, defensare, & firmare placet. Nimirum caelos salis in modum liquefieri, idem primum fuerit, ac Principes, pro muneris sui ratione publicae vtilitati insertuire, & pro subditis suis impendi, ac superimpendi, vti de se dicebat Paulus: *Ego autem libentissimè impendar, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* 2. Cor. 12. 15. Deinde id quidem perfectae sapientiae est vti salis imago designat, non ea solùm ratione quòd Doctores, atque sapientes cum sale à Domino cumponantur Matth. 5. 13. *Vos estis sal terræ*: sed etiam quod Matth. 5. 13. tunc maximè sal vsui sit, & commendetur, cùm in ciborum condimentum liquefit, nam si integer, & sibi soli sine deliquio & comminutione maneat, non modò inutilis, sed amarus etiam, atque acer habeatur. Ergo vt tunc sal sibi sapit, cùm cibis condiendis sapit, nec ipse ipso, sed in illorum sapore inuenitur. Sic Princeps, cùm quidquid sapit, non sibi, sed Reipubl. & subditorum vtilitati sapit, tunc & omnino sapit regiae artis peritissimus, & sibi ipsi quàm maximè sapit; nec alia ratione suum negotium aptius agit, quàm cùm publicae vtilitati intentus suum negotium non agit. Quò planè Lectio LXX. quae pro *liquesciri* habet *firmari*, commodissimè iuerit, Principiorem firmitatem, stabilitatem, felicitatem, opulentiam, atque magnitudinem in ipso eorum pro publica vtilitate deliquio, & comminutione reponens, vt quamuis homini Principi malum sit, non esse solum, tamen ei *bonum non sit esse solum*: quod propria firmitas, & salus à subditis à se adiutis, & protectis omninò subsistat, non secus ac naucleri,

 siue

siue gubernantis nauim salus tamdiu incolumis, & A salua erit, quamdiu iis quos naui vehit tuta nauigatio fuerit, aliter si nauim ipse quam gubernat, perforauerit, æque ac illi extremum periculum subibit. Sanè

Philo. cùm Caium Imperatorem prudentissimus Philo libro de legatione ad Caium sic, sed frustra, admonebat: *A natura enim in puppi celsa collocatus ad gubernacula rege nauim, quâ generis humani salus vehitur, non aliunde magis voluptatem capiendo, quàm è subditis per te adiutis aliquo beneficio.* Non minùs verè & opportunè dixisset, non aliunde quàm ex ea publicæ salutis cura maiorem ipsum vtilitatem, & firmitatem capturum, vti infelix eius exitus commonstrauit.

6 Sed enim hanc ipsissimam cogitationem in historiam fide sacrâ testatam omnino conuersam, & expressam iam vide. Planè cùm defuncto absque liberis Elimelech, propinquus eius ex lege & more à Booz citaretur, vt Ruth defuncti vxorem duceret, quo fratris sui extinctum nomen suscitaret. Ille, ne dum alienum nomen excitat, suum obrueret (nam B quem suscepisset filius, non sibi, sed cognato erat adscribendus, qui illius nomen, & familiæ insignia gestasset) sic iudici Booz respondisse fertur cap. 4.

Ruth. 4. 5. vers. 5. Ruth. *Cedo iuri propinquitatis, neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo, tu meo vtere priuilegio, quo me libenter carere profiteor:* noluit quippe ad instar salis comminui, vt publico bono intentus familiam, & cognationem condiret. Annuit verò eius optatis Booz, & propriâ gloriâ, & nomine suo præ communi vtilitate posthabitis, cum Rutha coniugali fœdere constrictus est, ne lex solueretur, & Elimelech obscuraretur nomen. Quis verò exitus vtriusque cogitationibus respondit, vis nosse? ille quidem sui nominis, suæ gloriæ, suæ vtilitatis adeò auidus, vt in se solum oculos haberet coniectos, æterno silentio obrutus, nec de nomine cognoscitur, illud de industria sacra Scriptura tacente: Booz verò qui salis in modum comminui, & liquefieri voluit, nouæ, & omnium florentissimæ ac diuinæ posteritatis, quæ non C modò infinitos Reges, sed Regum etiam Regem terris educeret, auctor factus, perpetuo Matthæi Scriptoris genealogiæ Christi præconio ad finem vsque mundi celebratur: *Booz (inquit) genuit Obed ex*

Matt. 1. 5. *Ruth: Obed autem genuit Dauid Regem.* Matth. 1. vers. 5.

S. Petr. Dam. Hæc sic obseruante, & omnem in partem versante S. Petro Damiano lib. 6. epist. 9. ad Gebizonem. *Ambis planè priuatum propriæ gloriæ nomen acquirere, dedignaris alieno nomini sobolem procreare. Sic & ille, cui iure propinquitatis accipere Ruth competebat vxorem,* Cedo, *inquit ad Booz,* iure propinquitatis, neque enim posteritatem familiæ meæ deterere debeo. *Ille quippe vanus, & gloriæ cupidus proprio nomini posteritatē familiæ conabatur extendere; Booz autem vir bonus & iustus, famam proprij nominis parui pendens, diuinæ tantummodo legis contentus est mandata seruare. Sed ecce illius, qui suam post se memoriam anhelabat in posteritate relinquere, ne nomen quidem agnoscitur: hic autem non solùm in Patrum, sed in* D *Patriarcharum catalogo cum gloria numeratur. Ille posteritatis famam, cui prouidit, amisit: iste paternum nomen, quod præ sacræ legis obseruatione spreuit, accepit. Ille nescitur parens esse saltem quorumlibet hominum, iste præpotentium pater factus est Regum. Ille dum posteritatis memoriam concupiscit, de memoria corruit, iste qui propagando sub suo nomine generi non consuluit, per Dauidicæ stirpis traducem totius mundi genuit Saluatorem.* Hæc ille opportunissimè salis comminutionem, & subtilitatem describens.

Ad eadem verba.

Misericordiam cantabo.

Beneficētiam, proprium Principis characterē esse.

ADNOTATIO XIV.

1 Bene omnino Ambrosius in expositione litteræ ad hæc verba, dicebat: *Principale est virtutis inchoare à beneficiis, & præseminare gratiam.* Vnde quidem à beneficentia proprium Principis characterem meritò desumpseris, quasi ipse eatenus sibi Rex sit, quatenus subditis suis prosit, & benefecerit, aliter nec Princeps, nec homo, sed nihil omnino futurus: pulchrè id admonente Paulo cùm seipsum peregrinâ imagine cum histrione composuit 1. Corinth. 4. 1. Cor. 4. 6.

6. inquiens. *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus,* Græcè mutirùm pro *spectaculum* ipse Lect. Græc.

theatron posuit, vt innueret sese quà Princeps, & Prælatus erat, ad aliorum speciem, & personas, hoc est in subditorum vtilitatem, & commoditates, suarum oblitus, siue sponte negligens, omnino intentum & compositum esse, vt non secus ac histrio, qui non propriam, sed alterius personam gerit, ad quam omnes gestus, nutus, motusque suos accommodat, à seipso discedens omnia omnibus fieret, & omnium bono omnia sua siue bona, siue facta, siue verba ipsa aptaret, tunc maximè se esse ratus, cùm sibi non esset; vti hunc locum disertissimè intellexit Hieronymus in Hieron.

cap. 4. epist. ad Galatas, ad hunc modum. *Mutabat Paulus vocem suam, & in histrionum similitudinem factus, siquidem, vt in theatro, mundo, & Angelis, & hominibus habitum in diuersas figuras vertebat, & voces, non quod id esset, quod se esse simulabat, sed quod id tantum videretur esse, quod ceteris proderat.* Pende hæc extrema: *non quod id esset quod se esse simulabat,* &c. quibus tantùm non dicit Hieronymus, tunc omnino Principem esse cùm non est: tunc omnino non esse, cùm est: quod fuerit dicere, tunc verè & reapse Principem esse, cùm à propria persona discedit, & ceteris tantùm prodesse studet. Quòd si propriam personam gerat, & sibi studeat, sibi spiret, sibi sit, nihil omnino esse videbitur: *qui id tantùm videtur esse, quod ceteris prodest.* Quòd si Hieronymo obieceris, non esse omnino nihil, qui sibi aliquid, siue omnia est: Respondebit ille, aliam priuati hominis causam, siue personam, aliam Principis esse, & vt illum sibi consulendo, sibi prospiciendo non nihil facere, ita hunc sibi, non suis intentum; nec sibi ipsi, suæ videlicet personæ, satis esse, quòd priuata quidem Principis causa, siue persona à muneris, siue Principatus personâ absorbeatur, quæ in illo priuatas rationes, & commoditates superare, imò absumere debet. Pro qua cogitatione videtur fidejubere Zacharias, eum Principem, qui subditorum vtilitati, & bono non intendit, idolum sic appellans, c. 11. 17. *O Pastor & idolum derelinquens gregem.* Sed Zach. 11. 17.

cur idolum? Planè quia nihil; nimirum, & ex Hebræo, vt benè ibi monet Ribera, omnino legeris. *O* Lect. Heb.

Pastor nihili: & apud Paulum 1. Corinth. 8. vers. 4. *Idolum nihil est.* id est, vt ibi inquit Photius, *Vani inuenti* 1. Cor. 8. 4.

effectio, & imaginatio: vt velit Vates, Principem sibi, Photius.

non suis benefacientem à se ipso deficere, & vanum spectrum, & vmbram esse, atque tunc meritò histrionem dici & appellari posse, cùm histrio non est, suam videlicet non populi personam agens, & in illius bonum verba, & facta sua dirigens.

2 Quò benè referas Dei nomen Moysi ab ipso patefactum. Enimverò cùm ille à Domino obnixè efflagitaret, vt sibi suum nomen, & veluti characterem,

rem, de quo & ipsi, & populo innotesceret, aperiret, A loquens: *Si dixerint mihi quod est nomen eius, quid dicam eis?* Sic Dominus respondisse fertur: *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel. Qui est, misit me ad vos*: nec contentus nomen suum tam enucleatè aperuisse, statim subdidit. *Dixitque iterum Deus ad Moysen. Hæc dices filiis Israel. Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos, hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.* Exodi 3. vers. 24. & 25. *Rupertus.* Vbi meritò quidem ambigas cum Ruperto, cur Dominus de vno tantùm nomine interrogatus, duo suggesserit? *Ad vnam percontationem* (ait ille) *duo reddidit*: præsertim cùm primum illud: *ego sum qui sum*, manifestaret, quo ad suam magnitudinem explicandam nihil maius, aut excellentius excogitari potest: sic namque *Hilarius.* de eo Hilarius lib. 1. de Trinitate. *Admiratus sum planè tam absolutam de Deo significationem quæ naturæ diuinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud magis proprium Deo, quàm esse intelligitur, quia id ipsum quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti, sed id quod cum incorrupta beatitudinis potestate perpetuum est, non potuit, aut poterit aliquando non esse.* B Quid ergo opus fuit Dominum tam præclaro huic nomini secundum id addere: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Quo ab iis potiùs hominibus, quàm à seipso Dominus se cognoscendum dedisse videtur? Vis nosse? Sanè vt Moysi primum nomen non capienti, siue ex eo Deum non satis cognoscenti sese Deus pleniùs, & explicatiùs manifestaret, dum se eum esse ostendit, qui non sibi solùm, sed suis esset; qui Dei, & optimi Principis proprius character, & *Rupertus.* nota est. *Quo nomina deprompsit* (inquit Rupertus) *quorum alterum*, scilicet, ego sum qui sum, *natura est, alterum verò gratia, vel dignationis: videlicet* Deus Abraham, &c. Sanè perinde fuit dicere: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*, ac si diceret: sic equidem *sum qui sum*, vt non mihi, sed meis seruis sim, qui ad C benefaciendum, & benemerendum de illis totus sum; fortè hæc obseruantibus ad id loci Augustino, & Pe-*S. Petr. Dam.* tro Damiano. Sic namque hic sermon. 62. Qui est de *Natiuitate Saluatoris* ad finem. *Loquitur Deus ad Moysen de liberatione Israelis, & post multam Dei & Moysis confabulationem, Propheta subtiliter inquirit nomen eius, & Dominus dicit*: Ego sum, qui sum: hoc mihi nomen in æternum, &c. *Perterritus Moyses inexplicabilis auctoritate vocabuli, ac si diceret: Hoc excedit intellectum meum, non possum capere, nisi effundatur. Audit à Maiestate*: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. *Vides effusionem?* Sic ille. *August.* Similiter Augustinus, apud Lypomanum in Catena, Deum cum Moyse sic loquentem faciens: *Quoniam dixi*: Ego sum qui sum, & qui est misit me, *nō intellexisti quid est esse: & desperasti te capere, erige spem.* Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & D Deus Iacob. *sic sum quod sum, sic sum ipsum esse, sic sum cum ipso esse, vt nolim hominibus deesse.* Pulcherrimè, vt diceret: En me tibi signatè ex gratia & beneficentia, ac donorum effusione de facie cognoscendum obiicio, dum vides me non mihi, sed meis subditis esse, quibus mea dona, & meipsum liberaliter tribuo, & de illis de meipso optimè meritis, & egregiis beneficiis affectis nomen mihi accipio. *Synesius.* Quæ sanè omnia pulchrè complexus est Synesius oratione de Regno, vbi Arcadio Imperatori, ea Dei exemplo beneficentiam suadens Dei naturam non tam vt sibi ipse est, quàm vt suis prodest deprehendendam, cognoscendamque sic adstruit. *Nullum enim nomen inuentum est, quod Dei naturam assequeretur, sed cum ab ea exprimenda homines aberrarent, per ea, quæ ab illo fiebant, ipsum attingere conati sunt.* Vnde sic infert. *Regem igitur si appelles ab his, quorum Rex est, non à propria persona, naturam illius apprehendere conaberis.* Pulchrè vt diceret: si illum sic sibi esse, vt suis non desit: si illum ita esse, vt Deus sit Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, simul intellexeris Dei naturam, & nomen assecutus es.

3 Iam vide, vt hinc Deum Moyses velut de facie cognouerit. Etenim qui ad primum Dei nomen, velut ad inextricabile vocabulum immotus, & immutatus perstitit, cùm primùm istud secundum nomen audiuit, continuò faciem suam auertit, & totis manibus operuit, sic namque ibi. *Abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat respicere Moyses contra Deum.* *Exod. 3. 6.* Exod. 3. 6. Quod si inquiras, cur faciem absconderit, siue operuerit? Ad manum est responsio ex simili Eliæ facto 3. lib. Reg. 19. 13. vbi Deo se illi manife- *3. Reg. 19. 13.* stante continuò vultum suum sic operuisse dicitur: *Et post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cùm audisset Elias, operuit vultum suum pallio.* Ergo præ singulari Dei iam cogniti obseruantiâ, atque reuerentiâ faciem suam tunc Moyses operuit, qui eam priùs non absconderat, Deo sese illi non omnino explicante, atque aperiente: & verò quod Moysi euenit, ceteris etiam suo modo accidisse videris. Nimirum cùm *In principio erat* *Ioan. 1. 1.* *Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: Ioan. 1. vers. 1. num hominibus cognitum, amatum, & adoratum fuit? At enimverò cùm *erat eiiciens dæmonium*: Lucæ 11. 14. *admiratæ sunt turbæ.* Compo- *Luc. 11. 14.* ne ergo vtrumque *erat*, vt videris, quâ ratione Deus cognosci, & æstimari voluerit: erat Verbum in principio, & erat apud Deum, & erat Deus: & diuinum esse toties assertum homines non cognouerant, nec Verbum quod semper *erat*: & iterum, atque iterum *erat* auribus perceperant; cùm verò semel *erat* eiiciens dæmonium, hominibus videlicet benefaciens, & opem ferens, eorum oculos, animosque in sui admirationem rapuit; *& admiratæ sunt turbæ*: vt hinc faciem suam, suumque characterem agnoscat, sumatque Princeps, nec tam sibi, quàm suis esse studeat, certò persuasus à Beneficentia, atque benignitate regium nomen, atque splendorem accipere: sic pulchrè S. Hildebertus Cænomanensis Episcopus de *Hildeiber.* Rege suo ad benefaciendum prono epist. 3. amico cuidam dicebat. *Virtuti gratulor cui sub solo Rege nostro suam video non deesse mercedem. Nouit ille regiam manum melius donatiuo splendere, quàm sceptro, nec satis esse Principis subditos ad bene agendum exemplis prouocare, nisi prouocentur & præmiis.* Obserua illud: *melius donatiuo splendere quàm sceptro*, vt dixerit, melius à beneficentiâ quàm à potestate, & maiestate Principem æstimari, & coli, quasi ab illa maiorem splendorem trahat: & sese omnium oculis videndum, omnium animis diligendum ingerat. Quod planè omnino nouerat Rex Theodoricus apud Cassiod. lib. 3. epist. 11. inquiens. *Cassiod.* *Optamus cunctum diem plenum beneficiis nostris excurrere. Optamus vbique præstita nostra radiare. Quia eum annum vixit, quod munificentia principalis indulserit.* Opportunum sanè votum, *præstita nostra radiare*, quòd melius donatiuo, quàm sceptro, regia manus splendeat, & irradiet.

4 Huc sanè opportunas Iacob lachrymas aptaueris, cùm peruenïens in Haran ad Rachelis conspectum, & salutationem sic fleuisse dicitur. *Quam cùm* *Gen. 29. 11.* *vidisset Iacob osculatus est eam, & eleuatâ voce fleuit.* Genes. 29. 11. siue vt LXX. habent: *Et exclamans voce suâ* *LXX.* *fleuit.* Sed quid, inquis, osculis & fletibus? Respondet Cornelius, & alij fleuisse Iacob ex lætitia, vti so- *Cornel.* lent cognati, cùm suis occurrunt cognatis, quos tenerè diligunt, nec multo tempore viderūt. Verùm huic responsioni duo nonnihil obstrepunt: alterum, Iacobum

cobum potiùs, quàm Rachelem, quæ quia femina & tenerior, ad lachrymas proclinior erat, tunc fleuisse: alterum, eum lachrymandi modum, clarâ scilicet voce, & cum exclamatione ad lætitiæ lachrymas minimè pertinere: hæ enim molliter, & tenerè, non verò cum strepitu, & veluti iactantiùs defluunt. Ergo melius videntur respondere Hebræi apud Lyram, & Cornelium, omninò fleuisse Iacob eò quòd ad manum non haberet aurum, & argentum, quod Racheli futuræ vxori impertiretur: *Illo enim (inquiunt) spoliauerat Iacobum Eliphaz filius Esau, qui ob præreptam patri primogenituram Iacobo infensus, eum in itinere insecutus comprehendit.* Sed quare, inquis, modò fleuisse Iacob dicitur, qui cum auro, & argento, quod ei ad iter conficiendum maximè necessarium erat, spoliatus est, minimè fleuit: facilis quidem responsio, non fuisse è dignitate Iacob, egregij scilicet Principis, ob aurum & argentum flere, ne rideret Satyrographus. *Lyra.* *Iuuenal.*

Ploratur lachrymis amissa pecunia veris.

Esse verò maximè è eius maiestate, tunc veris lachrymis plorare, cùm benefacere prohibetur, nec ad manum habet, quod suis tribuat. Opportunè ergo eam ob causam, & exclamasse, & eleuatâ voce fleuisse Princeps dicitur, qui antea non fleuerat, quòd qui suis potiùs, quàm sibi esse debere optimè nouerat: propria damna caetenus à se lugenda esse putabat, quatenus ob illa, & suis non succurrere, & regio muneri deesse videbat. Dixeris sanè vidisse hæc optimum illum Imperatorem Titum, qui apud Suetonium: tum *Amor, & deliciæ generis humani*: tum *naturâ beneuolentissimus* dicitur, eum apud eumdem Scriptorem non nisi beneficia, & benignitatem cogitans *Recordatus quondam super cœnam quod nihil vnquam toto die præstitisset, memorabilem illam, meritoq; laudatam vocem edidit. Amici, diem perdidi.* Egregia planè, egiaque sententia, plena lucis, & vocis ad Principis notam, & characterem cognoscendum. At enimverò ne suum ipsa splendorem perdat, quòd è Suetonio trita, ac vulgaris in ore puerorum iacet, placet illam ex Themistio tantisper variatam, & pulchro acumine expensam Principi dare, sic namque ille orat. 16. ad Imperatorem Valentinianum, & Valentem: *Huiusmodi olim Imperatorem Romanorum verbum protulisse dicit.* Hodie non imperaui, nullum enim hodie beneficus fui. *Digna sententia, quæcum multæ, maximisq; equitum, peditumq; pugnis adæquetur. Ego sanè non minus illam, quàm Alexandri trophæa admiror.* Et statim prudentissimè. *Quid ais, diuinissime Imperator? Hodie non imperasti, quòd hodie nemini benefeceris? & quando pluribus benefecisti, quam vbi talem sententiam protulisti, quâ omnes post te Imperatores edocuisti, quódnam ipsorum officium, quid que ipsis asiduè agendum sit, si nomen suum tueri vellent, ita vt meritò dicere liceat, ô Imperator, ne illam tibi imperij diem perisse Nam quod verbis tibi defuisse querebaris, hoc ipsum tua resarciuit oratio.* Hæc Themistius. Apud quem obserues illud. *Quódnam ipsorum officium, si nomen suum tueri vellent*: quibus omnino adstruit Principem, qui subditis suis benefacere, & tamquam benignum aliquod sydus felicitatem, & bona in illos influere assiduè non curat, nec Principis officium, imò nec nomen ipsum nosse, sed falsò sibi illud vsurpare. *Sueton.* *Themist.*

5 *Diem* (inquit inclytus Imperator) *perdidi.* Sed cur, ô bone, diem dixeris perdidisse, in qua (ne iucundas corporis actiones commemorem) & litteris te operam dedisse, & ciuilia, vrbanaque officia impleuisse nunc est dubium? Num omnes omnino homines, qui in iis totos dies, & totas noctes collocant, diem perdidisse, & tempus frustra consumpsisse dicemus? Sed subsistit planè optimi Principis sententia, qui bene nouerat, aliam Principis, aliam priuati hominis causam, siue vitam esse: nam vt hic quod sibi, suisque rebus intentus viuat, diem non perdidit, ita ille nisi suis benefaciat, & subditos quotidie nouis beneficiis demereatur, vt Regis characterem deformasse, ita diem perdidisse, nec vitam egisse, sed trunco similem frustra fuisse censendus est. Quod verbis illis omnino exprimebat Theodoricus Rex: *Optamus omnium diem plenum beneficiis nostris excurrere*: vt dixerit, vt hinc viuere, & Reges esse videamur, & factis, ac re ipsa Alexander Seuerus, de quo Lampridius. *Cassiod.* *Lamprid.*
Nullum diem transiit, quin aliquid mansuetum, ciuile, pium faceret: sed illud multò grauius, & opportunius huic rei fuerit, quod tradit de Deo Philo, eius scilicet æternitatem, siue immortalitatem quam nulla temporis circumscriptio metiri, nullus casus, vel cogitatione ipsâ subuertere potest, ex perpetua, & indeficienti ipsius beneficentia afferendam, seu ad ipsam dimetiendam fore: quasi ei qui semper beneficus, & perpetuus munerum dator est, nulla vnquam dies, nullum instans deperdi possit. Audi illum hic disertissimè loquentem. *Illud verò quod dictum est, Deum esse sempiternum, idem est, ac si diceretur, largitor perpetuus, ac benefaciens: non aliquando tantùm, aliquando verò minimè, sed semper, continuò, ac indesinenter, dona donis iugiter, ac indefessè accumulans, beneficia semper vberiora annectens, & copulandi facultate connectens ea, quæ sunt apta, nullum benefaciendi tempus prætermittens.* Hæc Philo. Quòd si ab illo petas, Quomodo diuinæ sempiternitatis conceptus idem sit cum beneficentiæ conceptu, & cogitatione ipsâ, quâ Deum beneficia indesinenter conferentem intelligimus, cùm priùs esse, viuere, & indefectibiliter durare, quàm aliis benefacere à nobis concipiatur: respondebit ipse, Deum non aliter quidem quàm naturâ beneuolentissimum, & ipsamet beneficentiâ velut vitâ viuentem intelligi, qui suopte ingenio ad benefaciendum omnibus pronus, & intentus est: vnde qui tam stultè de Deo sentiret, vt illum aliquando non beneficum sibi confingeret, eodem errore ductus ipsum simul defecisse, & mortalem factum vtraque functum concipere deberet: scitè id obseruante Clemente Alexandrino alibi à nobis adducto lib. 6. Stromatum dicente. *Nam cùm sit bonus si cessasset vnquam benefacere Deus quidem cessabit esse, quod nefas quidem est dicere.* Vides vnde Dei vita, immortalitas, æternitas pensitetur? Ne ergo Deum, vt hominem, ne Principem, vt priuatum conceperis; sed vt hunc sibi, ita illum suis viuentem, & benefacientem. *Regem enim si appelles ab his, quorum Rex est* (dum illis scilicet benefacit, & indulget) *non à propria persona* (seipsum curante, sibique prospiciente) *naturam illius apprehendere conaberis.* *Philo.* *Cle. Alex.* *Synesius.*

6 Iam si id omnino videre, & velut à priori cognoscere velis, obserua, quomodo Deus non priùs Regem, & Dominum hominis appellari voluerit, quàm erga ipsum maximè beneficum sese exhibuerit. Enimverò vt Sacer Scriptor Deum, cælum, terram, & quidquid cæli ambitu continetur condentem fecerit, ei Domini nomen ei non indidit, donec ipsum, & hominem formasse, vitalemque illi spiritum tribuisse, & in amœnissimo paradiso voluptatis collocasse describeret: nimirum cùm dixit: *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*: Deum statim sic Dominum appellat. *Plantauerat igitur Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat.* Genes. 2. 7. & 8. Ad quæ verba Tertullian. lib. aduersus Hermogenem: *Exinde Dominus, qui retro Deus tantùm.* Quare? Quia modò vt beneficus, & vitalis vitam, & dona homini *Gen. 2. 7. & 8.* *Tertull.*

ni tribuens, ita Regium munus, & dominationem implens. Vnde duo obserua: alterum, nihil anteà à Moyse de Dei spiratione dictum nobis fuisse, quàm de vita homini ab ipso inspirata sermonem fecerit illis verbis: inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, vt innuerit, tunc Deum, vt Dominum spirare & viuere, cùm suis viuit, & vitam inspirat, vt Principibus documento sit, Principem, & Dominum, qui subditis suis vitalem spiritum non indit, Principis quidem spiritum, & characterem non habere, id est, non tamquam Principem, sed tamquam priuatum, siue vnum è plebe hominem spirare. Quod sanè præfato loco Arcadium Imperatorem omnino monuit Synesius: dum illum ad beneficentiam ex Dei imitatione vrgens subiicit. *Tibi verò consentaneum in primis est, vt quem semel accepisti ordinem numquam deserat, neque ei nominis affinitati rem pudendam faciat, sed ad eius imitationem te conferas, ciuitatesq; non solùm omni bonorum genere cumulet, sed etiam felicitatem quantam potest, in vnumquemque subditorum effundas.* Opportunissime, vt diceret eum Principis ordinem, siue munus, eam ipsius cum Dei nomine affinitatem, eam denique Dei imitationem esse, si subditis omni modo, & ratione benefaciat, secùs verò à regio ordine, & dignitate discedere, ac rem pudendam facere.

Synesius.

7 Alterum, in illis verbis. *Plantauerat igitur Dominus Deus paradisum*: notanter appositam illam particulam illatiuam *igitur*: quasi ideò Dominus, quia de subditorum bono, & vtilitate fuerat sollicitus: siue ideò sollicitum sese exhibuisse, quòd Dominus esset futurus. Cui quidem rationi subuians sanctus Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 6. gentiles non modò confutabat, sed etiam sapientissimè irridebat, quod neglecto vero Deo, qui paradisum plantauerat ea sibi Numina assumpsissent, à quibus nihil boni sperare: imò plurimum detrimenti timere poterant: sic namq; ille. *Leo hominum vorator pro Deo humanissimo adorabatur: serpens, & draco æmulus eius, qui nos ex paradiso eiecit, adoratur, & qui paradisum plantauit, contemnebatur.* Ac si dicat: O pectora cæca! quibus nulla diuinitatis affulsit lux, nullus diuinæ dignitatis gustus adfuit: cùm, vel Ethnico Plinio auctore, *Deus sit, mortali iuuare mortalem*, opem ferre, & paradisum parare: vos verò è contra tam atrociter decipiamini, vt malignum, qui è paradiso nos eiecit pro Numine habeatis.

Cyrill. Hier.

Ad eadem verba.

Hanc Regiæ dignitatis legem esse, vt ex iustitia benefaciat, & debere se, quod sponte tribuit, existimet.

ADNOTATIO XV.

1 TALIBVS orabat ad Patrem in Passionis suæ nocte Christus Dominus apud Matthæum cap. 26. 39. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: apud Marcum verò nescio qua epitasi addita. *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu*: vbi lectio Syriaca extrema hæc sic reponit. *Verumtamen non voluntas mea, mei inquam ipsius, sed tua fiat.* Ad quæ sanè verba meritò quidem ambigas, vbi maior luceat efficacitas, atque energia, in vrgendisne, ac stringendis petitionis nodis? an in illis omninò expediendis, atque soluendis? Quid namque primum ad flectendam Patris voluntatem, vt calicem à dilectissimo filio transferret, efficacius, & fortius, quàm præmittere. *Si possibile est*: fuit enim dicere, quidquid omnino fieri potest, Pater debet filio, si erga in tuam potestatem cadit, calicem hunc transferre, transfer illum à me. Enimverò ea Marco crescere videtur orationis, siue argumentationis vis, dum absolutè, suam ad omnia potestatem Patri proponens ait: *Omnia tibi possibilia sunt.* Debes ergo Filio Pater, vt ab eo calix iste trasferatur. Quid his bonus Pater respondere, aut qua ratione tam armatæ orationi, & adeò valentibus precibus potuit occurrere? Sane ex iisdem Filij verbis, quibus expeditissimæ responsioni locum fecit: dum ait: *Non voluntas mea, mei inquam ipsius, sed tua fiat.* Pende eam conduplicationem qua voluntatis suæ Christus meminit: nam si inquiras: Quid opus fuerit tam singillatim addere, *mei inquam ipsius*? Cuius enim Christi voluntas, nisi ipsiusmet fuerit? Respondebo, non ea solùm ratione duplicem in Christo aduersus Monothelitas considerandam voluntatem, quod Deus simul, & homo esset, aliaque diuinæ, alia humanæ naturæ voluntas respondere deberet, sed etiam quod sic homo foret, vt à Deo hominum Princeps, & Dominus constitutus esset: eaque ratione aliam sui ipsius causa, aliam communi suorum vtilitati attentus voluntatem haberet. Ergo cùm, *Non voluntas mea, mei inquam ipsius, sed tua fiat*: suorum salutem, suamque erga illam voluntatem, propriæ saluti, & ei quæ circa illam voluntati versabatur, omnino præponit: tantùm non dicens, quod ab eo edoctus postea dicebat Paulus Actuum 20. 24. *Nec facio animam meam pretiosiorem, quàm me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium quod accepi.* En quomodo omnia Patri possibilia Dominus dixerit, vt simul asseruerit fieri non posse, quin Passionis calicem biberet: cùm ab eo suorum salus, cui ipse ea iustitia prospicere debebat, vndequaque dependeret. Hæc sic obseruante ad ea verba Paschasio lib. 12. in Matthæum. *Impossibilitas ista de iustitia venit, & bonitate Dei, quia sic est omnipotens, vt & iustus sit, & bonus, & misericors: & ideò quantum ad vtramque naturam spectat, impossibile erat, ne nos bonitate sua, suaq; iustitia, & misericordia saluaret, quos crearat.* Preme illa *quantum ad vtramque naturam*, quæ duplicem Christi voluntatem, quam adstruximus, omnino confirmant, quod ipse etiam quà homo erat, vt Princeps, & Dominus suorum saluti, & incolumitati prospicere deberet.

Matt. 26. 39.

Marc. 14. 36.

Lect. Syr.

Act. 20. 24.

Paschas.

2 At enim vnus in Paschasij verbis superest scrupulus, qua ratione iustitiam simul, & bonitatem ad opem homini ferendam adoret. *Impossibilitas* (inquit) *ista de iustitia venit, & bonitate Dei*: etenim ea bonitate operari, ad gratiam refertur: vbi verò gratia inuenitur, non est iustitia: sicut vice versa, vbi est iustitia, non est gratia iuxta Pauli regulam ad Roman. 11. 6. *Alioquin gratia non esset gratia.* Quonam ergo modo inquit Paschasius, *impossibile erat ne nos bonitate sua, suaque iustitia saluaret*? Maximè cùm nostræ Redemptionis opus, omnimodæ gratiæ fuerit deputandum, dicente Paulo 2. ad Corinth. 8. 9. *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.* Dixerit ergo Paschasius, impossibilitas ista de bonitate Dei venit, quasi ab ea ad benefaciendum velut stimulis agatur: à iustitia verò quánam via gratia, misericordia, & beneficentia deriuentur? Vis nosse? Sanè quia vt in priuatis beneficentia ad humanitatem, siue ad vrbanum, ac ciuile ingenium, ita in Principibus ad ius, iustitiamque refertur, quasi ad illam ratione officij teneantur: sic id monente Pontifice in capit. 1. de Donationibus. *Hanc sibi quodammodo nobilitas legem imponit, vt debere se, quod sponte tribuit, existimet, & nisi in beneficiis suis creuerit, nihil se præstitisse putet.* Vides aliam priuatorum, aliam Principum legem? qua ad benefacien-

Rom. 11. 6

2. Cor. 8. 9

Capit. 1. de Donat.

faciendum, & opem suis ferendam adeò constringuntur, vt debere se existiment, quod sponte tribuunt? Benè ergo Paschasius aiebat, Deum quà bonus, & quà iustus est, non potuisse non suos saluare.

3 Huic quidem rationi videbatur inniti seruus ille, cætera quidem nequam, sed diuinæ naturæ non omnino ignarus, qui ad examen à Domino vocatus, & calculis exactis decem millium talentorum debitor inuentus, talibus Dominum orabat: *Patientiam*
Matt. 18. 26. *habe in me, & omnia reddam tibi.* Matthæi 18. 26. Sed heus! nec quadrantem habes, atque ideò ipsamet vxor, & filij tui venundari iubentur, & omnia te omnino redditurum polliceris? Vnde quæso? de arca, an de torculari? Vili scilicet mancipio naues ex India pretiosissimis onustæ mercibus è vestigio aduenient? Planè non immeritò omne ille debitum se redditurum sperabat, qui Domini sui patientiam, & ab ea benignitatem, & liberalitatem, omnino cognoscebat, sibi instar omnimodæ solutionis esse fidenter ducens, sic id inibi obseruante Aria Monta-
Montan. no. *Nimirum cognoscebat Domini clementiam, & benignitatem, qui si placatus esset, misericordia motus omnia condonaturus esset, atque illam Domini patientiam, hoc est magnanimitatem instar maximæ solutionis sibi esse ducebat.* Sed enim non immeritò hîc dixeris: vt benè is seruus animum suum de Domini sui benignitate induxerit, at sensum, & voces omnino confudisse. Quomodo enim debitum reddere, siue soluere dicetur is, cui debitum dimissum, atque condonatum est? nam cùm aliud misericordiæ, aliud iustitiæ obiectum fuerit, condonatio à solutione longè ierit? Subsistit verò serui sensus, & cogitatio: dum opes Domini sui, qui Rex quidem erat, tum beneficentiæ oppignoratas, tum sibi ad manum ad solutionem paratas esse nouit: etenim *infinitus thesaurus sapientia*
Sap. 7. 14. (Sapient. 7. 14.) Dei scilicet Filius, signatè *factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio:* 1. ad Corint. 1. 30. Quod si instes, adhuc id remissionem potiùs, quàm solutionem esse; quippe, vt scitè
Senec. inquit Seneca lib. 7. de beneficiis. *Nunquam vincitur beneficio, cuius beneficium est ipsum, quo vincitur:* respondebimus, imò iustam quidem solutionem censeri, cùm & Princeps ex iustitia debitor ad benefaciendum sit, & seruus ad beneficia à Rege suo accipienda ius habeat. Quæ sanè omnia egregiè confirmat bonus Imperator Antoninus Pius, qui cùm Principatum primum nactus, vt imperatorium specimen daret, liberalitatem in suos exerceret, eaque de causa ab
Iul. Capit. vxore argueretur, sic sapienter respondit apud Iulium Capitolinum in eius vita: *Stulta, postquam ad imperium transiuimus: & illud quod habuimus ante perdidimus.* O bonum Principem imperij naturam omnino penetrantem! Nec minus opportunè Regulus ille Scytha, cuius regnum Alexander ille Magnus non alio meliori prætextu, quàm quod Deum se esse diceret hostiliter inuadebat, ei ingessit apud
Q. Curt. Q. Curtium. *Si Deus es, tribuere beneficia debes, non sua ab hominibus eripere.*

4 Firmat hanc cogitationem ipsemet Dominus cùm cœcum à natiuitate curaturus notanter præmisit. *Me oportet operari opera eius qui misit me donec dies est: venit nox quando nemo potest operari. Quamdiu sum*
Ioan. 9. 4. & 5. *in mundo, lux sum mundi.* Ioan. 9. vers. 4. & 5. Vt dicere videatur, Quamdiu in mundo sum à Patre missus, vt lucis ministerio fungar, non possum radios lucis cohibere; sed vt sponte illuminem, debere me tamen id meo muneri, omnino existimo: sic id ad illa verba *opera eius qui misit me*, obseruante P. Mal-
P. Mald. donato, *Ideò vt opinor, potius dixit*, Opera eius qui

A misit me, *quàm opera Patris, vt obligationem faciendi miracula, ipso missionis nomine declararet.* Preme illud *obligationem faciendi miracula:* quasi ex munere teneretur benefacere, & nullo modo otiosum esse: siue à benefaciendo cessare, non secus ac Sol qui ad illuminandum positus est, sic sanè sponte irradiat, vt obligatione, & necessitate adactus lucem indesinenter reddat: adeò quidem vt si ab illuminatione cessaret, à seipso deficeret. Quod bono Principi sic omnino aptabat optimus Imperator Leo apud Zona- Zonar.
ram in eius vita. *Nec aliter oportere Principem quoscumque aspexerit, sua benignitate, atque misericordia dignari, quàm Sol, qui sui luminis claritate collustret, sui quoque caloris participes efficiat.* Cui cogitationi intentus Chry- Chrysost.
sostomus siue apud ipsum Auctor Operis Imperfecti in Matthæum homil. 35. Principes, atque Prælatos hunc in modum admonebat. *Ipsi honores in prima quidem facie videntur honores, re vera autem non sunt hono-*
B *res diuersi, sed diuersa ministeria, vt puta honor oculi videtur, quia illuminat corpus, sed ipse honor illuminandi, non est honor, sed ministerium eius.* Ergò cùm Princeps oculi instar illuminat, & velut Sol subditos suos caloris sui participes regiè efficit, ministerium suum implet, munerique suo satisfacit, & quod suum est reddit, quòd si secus fecerit, iniquus certè, siue iniustus quodammodo censebitur. Vnde notantissimè bonus Princeps Iob hoc omnino imbutus sensu dicebat cap. 29. 14. & 15. *Iustitià indutus sum, & vestiui me sicut* Iob 29. 14. & 15.
vestimento & diademate, iudicio meo. Oculus fui cœco, & pes claudo. Pater eram pauperum. Vides, vt ex iustitia benefaciat, & oculi instar illuminet, & quod plus est, parentis officio fungatur: sed illud minimè prætereundum, pulchrè huc in iudicium diadema suum aduocasse, dum ait, *& diademate iudicio meo:* vt omnino ostenderet non modò Regium esse benefacere, & opem indigentibus ferre; sed etiam id diadematis
C munus esse, cui illud adeò addictum, & obligatum sit, vt ni id præstiterit criminis, atque iniustitiæ argui possit. Quod minimè latuisse Magnum Alexandrum præcedenti adnotatione vidimus, dum ipse vulneri obligando, quod in fronte Lysimachus acceperat, regium sibi diadema detraxit, tantùm non dicens, hoc diadematis officium esse, & ad id se illud accepisse.

5 Et verò, ne plumbeis, vt dicitur, mucronibus in hanc rem vsi videamur, ad acuta venire, & exactissima id ratione, ac necessaria argumentatione confirmare, est operæ pretium. Nimirum non modò ea magnitudinis, & regiæ dignitatis natura est, vt semper ad benefaciendum sit prona; sed ea signatè lege, & conditione Principibus tanquam testamento hæreditas relicta videtur, vt ab illis felicitas, honores, ornamenta, & opes in subditos deriuentur, siue transmittantur, quæsita atque accurata locutione hoc exprimente nostro Vate Psalm. 71. 3. cùm ait. *Susci-* Psal. 71. 3.
D *piant montes pacem populo, & colles iustitiam.* Vbi dum ex germana interpretatione Agellij. *Pacis nomine, copia, & affluentia rerum appellatur: similiter montium ap-* Agellius.
pellatione regna maiora, Regesq; potentiores rectè intelligimus: collium verò submissiora imperia, & humiliores Principes. Manifestè liquet affirmare Vatem Reges siue maiores, siue minores, rerum copiam, & affluentiam quà aliis excellunt, non sibi ipsis, sed populo à Deo accepisse, nec enim propter Regem populus; sed propter populum, atque in eius bonum Rex creatus est, ac proinde ab eo in subditos adeò necessaria ratione acceptam felicitatem, & bona fore deriuandam, vt nisi in commune bonum susceptam rerum copiam Principes conuehant, iniustitiæ, siue rapinæ meritò arguantur. Quò omnino faciunt

ciunt tamea, quæ de montibus in præcedentibus adnotationibus diximus, quàm allata ibi S. Cyrilli Alexandrini verba ad Theodosiũ Imperatorem, etenim cùm dixisset. *Supremũ humanæ gloriæ culmen longè maximo discrimine cæteris omnibus antecedens, præstansq, præclara itidem sors, munusq, perillustre à diuina excellentia in vos defluxit.* Quam statim ob causã, & qua ratione defluxerit, sic postmodum aperit. *Vos etenim omni terreno fastigio superiores amplissimarum dignitatum fontes estis, vos humanæ felicitatis principia, & origines.* Quod perinde est, ac si dixerit: suscepisse montes pacem populo, vt ab illorum fortuna, & opibus vniuersa Respub. & singuli homines augerentur, atque ditescerent. Quam ad rem in præfato cæci à Domino illuminati miraculo illud sigillatim obserua, quòd eum à se vnctũ, atque illinitum ad aquas Siloë Dominus remiserit. *Vade* (inquit) *& laua in natatoria Siloë*: Sed quorsum? Opusne aquâ Domino fuit ad reddendum cæco visum? maximè cùm diuinam ipse saluam omni salutiferâ aquâ, aut herbâ efficaciorem ad sanandum adhibuisset? Quam ergo ob causam ad fontem Siloe signatè misit? Sanè vt ostenderet se regia dignitate adactum, & quatenus Regis Dauidis filius erat, id beneficium contulisse. Nimirum, vt è Hieronymo obseruat Cardin. Toletus ibi, Siloe idem erat cum fonte Gichon, ad quem Salomon in Regem vnctus est. 3. Reg. 1. 38. Decebat enim vt Regis vnctio non secus, *Ac vnguentum Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius*: ab eo in omnes sibi subditos deriuaretur: atque oculus esset cæco: necnon vt Dominus, quà filius erat Salomonis, & super eius sedem solium que sedebat Psalm. 131. 11. Regiæ dignitatis legata persolueret, in omnes beneficia diffundens: quippe non aliter regnum ab vno in alium Regem transmittitur, nisi cum suauissimo, atque leuissimo benefaciendi onere; vnde Panegyristes Constantini Magni, vt iam alibi meminimus, Constantinum Imperatorem dona & beneficia diffundentem, legata parentis sui Constantij exsoluere sic pulchrè dicebat. *Patris pietatem sic imitaris, ac sequeris, vt omnibus ad te confugientibus; diuersamq, opem, aut contra aliorum iniurias, aut pro suis commodis postulantibus, quasi legata patris videaris exsoluere.*

Cyril. Alex. — *Ioan. 9. 7.* — *Hieron. Tolet.* — *3. Reg. 1. 38.* — *Psal. 131. 11.* — *Pan. Const.*

6 Sanè, vt hæc ipsismet oculis videris, coniice illos in Dei filium cruci suffixum, & vt illum ex iustitia, & bonitate, vt dicebat Paschasius, subditis suis opem ferentem animaduertas, preme rursum Matthæi verba à nobis, cùm de charitate Principis in suos egimus, non leuiter expensa: *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Nimirum vox *causa* forensis est, & è tribunalibus sumpta, pro iudicio sæpius accipitur, vnde M. Tullio oratione pro Sextio *dicere causam de ambitu* idem est, *ac reum esse de ambitu*, quæ vt minimè à Pilato dictata, qui causam se non inuenisse fassus est. Lucæ 23. 4. & Ioan. 19. 4. & titulum non causam scripsisse sic dicitur: *Scripsit & titulum Pilatus*, Ioann. 19. 19. ita à Matthæo diuino spiritu afflato signatè posita est: vt accorata locutione innueret, ipsum, quà Rex erat, vt inscriptus titulus præ se ferebat, debuisse ex iure & iustitia suis benefacere, & omni modo, atque ratione succurrere. Quare obserua, non dixisse causam mortis, seu causam criminum, quæ falsò illi obiiciebantur, sed *causam ipsius*, quòd in ipso, & ab ipso, quòd Principatum obtineret, causa, & indicium esset, vt pro suis mortem obiret. A qua sanè cogitatione non fuerit, quod in diuersissimo casu, in dissimillimo Principe, à muneris sui ratione, & lege toto cælo aberrante, in pessimo videlicet Cain fratrem suum perimente, scitè obseruauit Chrysostomus homil. 19. in Genesim. Nimirum sub eo sensu ab eo Dominum de fratre suo interrogasse: *Vbi est Abel frater tuus?* vt illum in ius vocaret, & custodiæ, ac beneficentiæ, quà in fratrem natu minorem, ipse maior, ac Princeps, vti debebat, rationem exposceret: ipsum verò parricidam conscientiæ stimulis exagitatum seipsum manifestè condemnasse, & proditi officij arguisse, cùm dixit: *Nescio, Num custos fratris mei sum ego.* Genes. 4. 9. Audi Chrysostomum. *Cogita hic obsecro conscientiæ accusationem, & quomodo qui conscientia impellebatur, nec vbi dixerit, Nescio, quiescere potest sed subdit:* Num custos fratris mei sum ego? *Tantùm non teipsum iudicas: quia grandior ætate etiam secundùm naturæ legem, custodem fraternæ salutis te esse oportebat.* Planè quasi conscientia, velut iudex qui reũ eculeo crimen confiteri cogit, eas ab ipso voces extorserit, quibus fateretur se iuxta naturæ leges custodem fratris sui esse debere, atque ideò non ea solùm de causa peccasse, quòd illum impiè, & immaniter oppresserit, cædis enim Abel, quiuis alius, qui eius esset æqualis, iure argueretur, sed signatè quòd illum non custodierit, & peculiari beneuolentiâ, & benignitate non fuerit prosecutus.

Matth. 27. 37. — *Luc. 23. 4.* — *Ioan. 19. 4.* — *Ioan. 19. 19.* — *Gen. 4. 9.* — *Chrysost.*

7 Iam quidem cùm Principes, quòd ex munere ad benefaciendum proni esse debeant, nisi id præstiterint, officio non satisfaciant, & culpam contrahant, consequens necessariò est, vt pœnam etiam, atque supplicium subeant. Quare, ficum illam inter arbores Regem, cuius præced. adnotat. meminimus huc rursum aduocare, erit operæ pretium: & verò dum illam non alia omnino ratione, quàm quòd fructum non tulerit, & terram occupauerit, siue eius succum suxerit, sub securis ictu iam vides dicente Domino, *succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* Luc. 13. 7. compone eam cum aliis arboribus securi similiter, & excidio addictis, quòd non tantùm infrugiferæ, sed nocentissimæ etiam, & exitiales forent: sic enim ad nefarios Iudæos, qui Prophetas, & sanctos viros iniuriis afficiebant, & summo odio prosequebantur, dicebat Ioannes Matth. 3. 7. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Iam enim securis ad radicem arborum posita est.* Quòd si ambigas, cur eidem securi inæqualia crimina subiecta sint, eademque pœnæ seueritas eos, qui beneficentiam, & benignitatem omittunt, & nocentissimos reos, quorum summa nequitia cum vipera omnium bestiarum venenosissima comparatur, omnino maneat? respondebo, non benè perpendi ficus Regiæ fructus non ferentis peccatum, dum ab eo quod aliis noxium, atque iniuriosum est, multùm distare asseritur: nimirum abundantiorem succum, quàm aliæ arbores ficus exsugit, vt bene ibi pendit Maldonatus, quem quidem non sibi ipsi, sed vt aliis fructuosa sit, accipit, *suscipiunt* quippe *montes pacem populo.* Vnde dum sibi retinet, nec suis subditis in fructus conuersum reddit, iniuriam illis, & iniustitiam quodammodo inferre videtur: non secus ac ille, qui aliena sibi vsurpat. Sub quo sanè sensu non ineleganter acceperis ea Pauli de Christo Domino verba, quibus nos aliqualem olim operam nauauimus ad Philippenses capite secundo versu sexto. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit.* Vt dum ibi æqualitas cum Deo ad externam nominis claritatem, & supremum in omnia imperium à Deo Patre, Christo delatum omnino refertur: sententia Pauli sit, non existimasse Dominum id vni sibi retinendum, siue etiam rapiendum, sed potiùs in omnes homines diffundendum: ideoque semetipsum in vsus nostros exinanisse, quasi bona arbor, quæ acceptum succum non retinet,

Luc. 13. 7. — *Matt. 3. 7.* — *Phil. 2. 6.*

sed in fructus aliis proficuos transferri: quippe *qui cùm* A *diues esset pro nobis egenus factus est*. Sed enim illud fuerit

2. Cor 8. 9.

in hac explicandi ratione maximè obseruandum, signatè rapinam à Paulo dictam, cùm collatam maiestatem, & rerum copiam sibi vni Princeps capit, nec in alios diffundit. Certè huc etiam intentum Dei filium, qui summam diuinitatem in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento nobis reliquerat, eaque de causa summo parenti suo dixerat, *Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis*. Ioan. 17. 22. ad nefarios satellites, qui eum comprehensum veniebant, emphaticè dixisse obserua. *Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus comprehendere me*. Matth. 26. 55. vt dicere videretur: eo furore, & armorum strepitu in me irruitis, ac si ego diuinitatem meam mihi retinuissem, nec vobis iam in Eucharistia communicassem, non obscurè innuens latrocinii speciem in Principe fore, accepta bona sibi velle, nec subditis communia facere.

Ioan. 17. 22.

Matt. 26. 55.

3 Nec ab hoc iuerit celebris illa villici iniquitatis parabola, qui accepta à Domino bona dissipasse, sic dicitur. *Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius, & vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te. Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare*. Lucæ 16. 1. etenim, etsi hæc parabola omnes indiscriminatim homines, de temporalibus bonis Domino rationem reddituros tangere videatur, ad Principes tamé signatissimè spectare, vel inde liquet, quòd pro voce villicus in originibus sit præfectus domus, quæ vt ænigmatica, propria tamen Regum, & dominorum temporalium appellatio fuerit. Quid verò fuisse existimas, accepta à Domino bona villicum dissipasse? Num ea aliis donasse, aut temerè distribuisse? Minimè quidem, imò verò vni sibi reseruasse, & in proprios vsus conuertisse, quin ea in suorum vtilitatem expenderit. Sic id monente inibi Theophylacto. *Nihil enim habemus proprium, sed dispensatores alienarum rerum sumus, quæ à Domino nobis concredita sunt, vt illas benè dispensemus, sicut ipse imperat. At si concreditas diuitias non expenderimus iuxta mentem Domini, & abusi fuerimus illis in nostrum luxum, accusabimur. Etenim voluntas Domini est dantis, vt in vsum conseruorum, & non in proprias delicias*. Vides quid sit dissipare accepta à Domino bona? Pende modò eum Principem siue Præfectum domus, non tam luxus, quàm iniustitiæ, & iniquitatis argui subiiciente Domino vers. 8. *Et laudauit Dominus villicum iniquitatis*: id est phrasi Hebræa, vt obseruat Maldonatus, villicum iniquum, quòd ex munere benefacere, & concredita bona in subditorum leuamen expendere teneretur.

Luc. 16. 1.

Theophyl.

Ad eadem verba,

Regiæ fortunæ magnitudinem, atque splendorem à beneficentia omnino desumi.

ADNOTATIO XVI.

1 NEc satis quidem fuerit beneficentiã Principi tamquam germanam notam, & characterem commendare, insuper que ipsum admonere, adeò illam Regiæ dignitatis propriam esse, vt debere se ille existimet, quod sponte tribuerit, nisi etiam modò subiecerimus, nihil ipsum habere in eximia, & florentissima fortuna sua maius, nihil splendidius, & diuinius, etsi illius potestas totius orbis ambitus occupauerit, & regnum ipse suum vltra solis vias, & Oceani limites propagauerit, quàm suis subditis omni ratione, & modo benefacere. Quod quidem tum Alexandro totius mundi imperio tumenti, sæpiùs nobis laudatus Demosthenes dicebat: *Nihil in fortuna tua maius habes, quàm vt possis, nihil melius, quàm vt velis benefacere*: vt dixerit, etsi iidem imperij tui, ac mundi termini sint, nec nisi cum Sole imperium tuum deficiat, non inde; sed à beneficentia magnus, & summæ fortunæ non tam alumnus, quàm partus censendus es, & apud Q. Curtium lib. 8. alius *Imperij maiestatem salutis esse tutelam*. Hum Neroni orbis Domino ingerebat Seneca lib. 1. de Clementia cap. 3. *Ita virtutis magnis viris decori, gloriæque sunt, si illis salutaris potentia est*. Scitè in potentia, quæ salutem, & opem affert, omnem decorem, omnemque gloriam recensens, quasi ab illa Princeps verè magnus, atque gloriosus, atque vna beneficentia ad æternam gloriam certissima via sit, quemadmodum aiebat Plinius lib. 2. cap. 7. *Deus est mortali iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via*. Sed id quidem multò elegantiùs Christianissimo Imperatori Theodosio dicebat S. Cyrillus Alexandrinus in libro B *de recta fide ad Theodosium*, eius scilicet magnitudinem, & imperium non modò terris, sed cælo etiam æquãs, domicilium summi Numinis, cui omne cælitum, & mortalium genu curuatur, præclarum simulachrum à beneficentia facit, his omnino verbis librum auspicatus. *Supremum humanæ gloriæ culmen Christianissimi Imper. longè maximo discrimine cæteris omnibus antecedens, præstansq; præclara iidem sors, munusq; perillustre à diuina excellentia in vos defluxit, nempe quo summæ illius celsitudinis, & dignitatis aliquod quoque vestigium, & quasi simulachrum in terris extaret. Igitur vt summo illi Numini omne genu incuruatur, Throniq; Dominationes, Principatus, ac Potestates prona submittentes colla congruum illud laudibus, & hymnis venerantur, necnon cælum, terramq; plena eiusdem gloria, & maiestate profitentur, ita & in vestra serenitate ap-* C *primè conspicua, & gloriosa, quandam summæ illius gloriæ imaginem intueri licet*. Audisti egregia verba, Regium fastigium non modò vsque ad cælum, sed ad ipsum meri etiam Dei solium extollentia, vt illud maius omnino, atque sublimius reddant, quàm humana mens valeat excogitare? Vide iam quò hanc magnitudinẽ referat Cyrillus, siue potiùs, quam illi originem, vnde oriatur, & splendeat, necnon quod fundamentum cui innitatur, assignet; subdit enim. *Vos etenim omni terreno fastigio superiores, amplissimarum dignitatum fontes estis: vos humanæ felicitatis principia, & origines*. Obserua causalẽ illam *etenim* qua supremæ huius dignitatis, & excelsissimi culminis causam veluti efficientem indicat Cyrillus hoc omnino sensu, ideo Dei instar supra homines estis, ideò illis dignitate, fastigio, fortunâ longè excelsiores, augustiores, & penè diuiniores estis, quòd ipsis felicitatis principium, & origo sitis, vnde D illi siue honores, siue vitæ subsidia percipiant: ac si dicat, eatenus Principes, & Superiores aliis estis, quatenus salutarẽ potentiam ad illis benefaciendũ habetis. Hæc vestra maiestas, & supremum humanæ gloriæ diuinam referentis culmen. Cui Cyrilli sententiæ subscribit omnino Synesius oratione *de Regno*, vbi cùm Principẽ suos vndequaque subditos beneficiis afficiẽtem, & quantam possit felicitatem in eos effundentẽ facit, sic sapienter subiicit. *Ita demum magnum te Regem nuncupantes à veritate non aberrabimus, non consuetudini hunc honorem permittentes, non vtilitatem captantes, non iram deprecantes, sed ipso animi iudicio annuentes, fidaque mentis interprete linguæ operam adhibentes*. Vides vt Principi non ab accepta sibi, sed à subditis data felicitate, vera magnitudo adueniat: nec illum à subditis animi iudicio annuentibus à Regnorum fortuna, aut à rebus in bello fortiter gestis, victoriis, atque triumphis, sed à beneficentia magnum appellari.

Demost.

Seneca.

Cyril. Alex.

2 Sed enim, si verè æstimas, dum Cyrillus Principem inde omni fastigio superiorem, & Dei simulachrum facit, quòd humanæ felicitatis principium

sit

fit, diuinam simul Maiestatem à beneficentia, & benignitate simul adstruit: & quidem omnino ad mentem Salomonis Dei sapientiam id est Dei filium sic diffinientem. *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei Maiestatis.* Vbi primum ubi Græcam vocem, pro qua noster posuit *candor*, quæ propriè significat *relucentiam*, vel, vt Ambros. lib. 1. Hexam. Augustinus lib. 1. *de Incarnat. Verbi* cap. 13. & Origen. lib. 1. Periarch. cap. 2. legunt *splendorem*, à quo nec vox Latina *candor* ita: dixit siquidè M. Tullius lib. 2. de natura Deorum. *Solis candor illustrior est, quàm vllius ignis.* Vnde candorem, siue splendorem, aut relucentiam lucis benè acceperis pro luce lucis, siue quod in luce magis splendet, atque relucet. Hispanè dixeris *lo mas lucido, y lo mas crespo de la luz.* Deinde pende, pro *Maiestatis*, Græcè, vt inibi legit Origenes esse *Operationis, siue virtutis, atque efficaciæ, vt vertit* Vatablus, quod sic interpretatur Origenes: *Inoperatio est vigor quidam per quem inoperatur Pater, vel cùm creat, vel cùm prouidet, vel cùm singula quæque in tempore disponit, atque dispensat.* Vbi dum statim de nostra lectione ambigens inquiris: Qua ratione noster Vulgatus hanc inoperationem Dei creantis, prouidentis, dispensantis, fouentis, & fauentis, ad Maiestatem retulerit, siue Maiestatem appellauerit, responsio ad manum est. Quod ab hac singulari prouidentia, atque beneficentia Maiestas, Magnitudo atque diuinitas, siue etiam ipsius Maiestatis splendor, relucentia, & sublimitas signatè penscitetur, & hominibus innotescat, eùm *Regia manus* (vti superiùs adductus S. Hildelbert. dicebat) *meliùs donatiuo, quàm sceptro splendeat.* Et tegij ingenij sit velle *præstita sua radiare*, vt aiebat Rex Theodoricus apud Cassiod. lib. 3. epist. 11. sic pulchrè statim subiiciens. *Quid enim tam regium, quàm fecisse felicem? & conuiuij præstare, quo se erectus stupeat attigisse?* Quæ fanè omnia gentilis Themistius opportunè confirmat, cùm præcelsam Principum Maiestatem à diuina deduceus, & vtramque in beneficentia constituens Imperatores Valentinianum, & Valentem, & in illis Principes omnes sic affatur. *Atque hac illa diuinitas, ex qua vobis assiduè Numinum appellationem damus, quam aliter ve vera exprimere nemo potest, nisi prius hac erga homines beneuolentia in illo exstiát. Ipsa inquam, Imperatorem Deo similem, ipsa planè diuinum reddit. Hinc à Deo uterim, hinc ab eodem genitus euadit, hinc eidem diuinitatem communibus suffragiis attribuentes minimè errabimus.* Reddit rationem, ac si hæc Salomonis verba ob oculos haberet. *Neque enim in hisce indiciis, quæ de Deo retuli, quidquam aliud magis elucet beata illius natura, quàm ipsa bonitas. Vnde & nomen illi ferimus, idque tanquam omnium illustrissimum, dignissimumq̃. Quando & longi aui esse, & plures potentia superare, multis etiam autma experientibus incesse cernimus.* Hæc Themistius Principi, quà speculum Dei Maiestatis est, peropportuna.

3 Sed enim quæ Salomon de increata Dei sapientia dixit, diuinæ scilicet lucis splendorem, & relucentiam à beneficentia esse, vide, vt ipsemet Dei filio in purissimæ Virginis vtero humanam naturam assumenti Gabriel Angelus aptauerit, dum modestissimam Virginem interrogantem, quomodo in ipsa tam grande posset miraculum fieri, vt quæ mortalis creatura erat, summi Dei Mater reapse efficeretur, sic allocutus est: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideò & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. 1. 35. Et verò cùm ibi vt ex Euthymio sapienter docet Maldonatus, idem omnino sit virtus Altissimi, ac Spiritus sanctus, qui vt digitus, ita & Dei virtus appellatur Lucæ 24. vers. 29. obserua, priùs Spiritum sanctum in Virginem superuenientem id est diuinitatis thesauros: *Bonitatis, scilicet, & benignitatis diuitias* (vt ait Paulus ad Roman. 2. vers. 2. & 4.) in eius vterum effundentem, deinde Dei virtutem illi obumbraotem inductam: sed quid fuerit Virgini virtutem Altissimi obumbrare? Eas quidem diuini Spiritus summè benefici, siue Deitatis vmbras, atque lineamenta in Virgine efformare, è quibus ipsa eam Dei filij idæam conciperet, qui homo factus, non modò à diuina natura, sed etiam ex bonitate, benignitate, & perpetua beneficentia, Deus esse crederetur: sic hæc verba accipientibus Theophylacto, & Gregor. Nysseno, quorum prior inquit. *Sicut pictor priùs delineat, & vmbras inducit, & deinde perfectum colorem addit, ita & Dominus ipse sibi carnem condens, & imaginem hominis formans, primùm delineauit illam in vtero Virginis:* illa nempe ab Spiritus sancti bonitate, & benignitate colligente. Quæ sic pulcherrimè expressit, premens hæc verba, *obumbrauit tibi*, Gregorius Nyssenus in Catena sancti Thomæ. *Quia sicut corporis vmbra praecedentium characteri conformatur, ita indicia Deitatis Filij ex virtute generandi patebunt, sicut enim in nobis quadam viuifica virtus in materia corporali conspicitur, qua homo formatur, sic in Virgine, Altissimi Virtus per viuificantem Spiritum pariter corpori insitam materiam carnis ex virgineo corpore ad formandum nouum hominem assumpsit.* Quæ modò sic capienda duxi, vt sicut vmbra corporis, eius characteri conformatur, ita & Christi humanitas diuinæ naturæ splendori, ac relucentiæ conformis sit, quippe candore lucis æternæ super Virginem obumbrante, hoc est splendente, siue relucente, ea subinde in Dei Filio homine facto externa Deitatis indicia ex beneficentia, & benignitate, velut à corpore vmbræ conspicerentur, quibus vera ipsius Deitas deprehendatur. *Neque enim in hisce indiciis* (vt dicebat Themistius) *quæ de Deo retuli, quidquam aliud magis elucet beata illius natura quàm ipsa bonitas.*

4 Vnde quidem & à Hieronymo siue Augustino in sermone *de Assumptione Virginis*, accurata quidem, quamuis trita, & communi locutione Sanctissima Virgo *digna Dei forma* appellatur, & à Basilio Seleucien. orat. 39. purissimus ipsius vterus cum eruce Christi, difficili, siue peregrino dicendi modo, sub eodem quidem sensu componitur. Nimirum Virginem dignam Dei formam esse, sic placet capere, vti de Prælatis dixit Petrus epist. 1. cap. 5. 3. *Forma facti gregis*, quasi ab egregiis Principis moribus subditi formentur, dum ad ipsorum exemplum illi vndequaque se componunt, à quo nec vox Latina *forma* iuerit, quæ & regulam significat apud Virgil. 6. Æneid. dicentem. *quæ forma viros, fortunave mersit*, vbi Seruius *forma, regula*: & etiam instrumenta, à quibus materiales res certo quodam modo, & proportione efformantur, vt apud Columellam lib. 7. cap. 8. de fiscellis in quibus exprimitur caseus, *liquor in formas transferendus est*: vt ij videlicet fuerint benignissimi Virginis mores, ea ipsius ad benefaciendum, & opem miseris ferendam ex superueniente in ipsam diuini Spiritus bonitate proclinitas, vt, si fas loqui fuisset, dignè ab ipsa Deitatis lineamenta colligerentur, vt inuisibilis Dei natura humanis oculis proponeretur. Cui cogitationi mirè assonat dissonus ille Israelitarum sensus, conflatilè sibi Deum fusorio opere sibi confingentiū, sic eè referente Scriptore sacro Exod. 34. 4. *Quas cùm ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem, dixeruntq̃: Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Nam si attendis, ita quidem pessimo hoc errore lapsi sunt, vt tamen falsum istud Numen ex veri Dei forma nempe ex beneficentia pensitauerint: *Hi sunt* (inquiont) *dij tui, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Quæ quidem non eam gratitudinem, quàm instrutionem sonant, vt

P. Velasquez in Psal. centesimum.

Y 2 Deum

Deum sibi beneficum, liberatorem, opem suis ferentem effurmarent, ac si cum Plinio dicerent. *Deus est mortali iuuare mortalem.* En diuinitatis formam quã fusorio opere constantis Deus formatus est: ita id ibi expendente Oleastro: *vt idolum ad sequentem ducatum alliceret, precedens beneficium liberationis in eum referunt.* Ac si dixerit, non tam laborarunt, vt idolu pro collato beneficio gratias agerent, quàm vt illud muneris sui, id est beneficentiæ admonerent, ac si dicerent. Hæc ad diuinitatem via, subditis benefacere.

Plinius. Oleaster.

Basil. Sel. Sed iam Basilij Seleuciensis de Deipara, quæ digna Dei forma est, verba audi, sic nanque ille oratione 39. *O alumn sanitam, Deiq, receptrum, in qua disruptum est peccati chirographum.* At quorsum hæc? aut qua ratione in Virginis vtero peccati chirographum fuerit disruptum? cùm id cruci signatè adscripserit Apostolus ad Colossens. 2. 14. loquens. *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & illud tulit de medio, affigens illud cruci.* Sanè quod Spiritus sancti plenitudine in Virginem inperueniente, & virtute Altissimi super illam obumbrante in eius vtero Dei filius, nun vtcumque homo factus, sed ad sanctissimæ, & benignissimæ Matris beneficentiam effigiatus (de quo vide à nobis dicta lib. 5. adnotat. 20. num. 3.) nostram ibi salutem operatus fuerit, dicente Vate: *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* Psalm. 73. 12. id est, in vtero Virginis, vt ibi Hieronymus, & Rufinus, necnon Bernard. serm. 2. de Pentecoste, & Procopius in cap. 45. Isaiæ, interpretantur. Quàm verò gloriosum id Dei filio fuerit, sic inibi persequitur Basilius. *Quis modestiam Deo obiectabit? Quis susceptam nostro nomine mendicitatem per quam talestem regiam, & diuitias parare licet, illi probro vertet? Quid aiunt, qui superstitioja religione laborantes trepidant timore, vbi non est timor, ne quid Deus patiatur, cùm passiones hominum sine passione mediatur, ac ideò credere refugiunt Dei incarnati generationem ventri mulieris esse concreditam? Hoc Deo honorificentius est.* Pendeat id. *Hoc Deo honorificentius est:* nempe ipsius generationem Virginis ventri, in quo ad ipsius beneficentissimum ingenium, & mores effigiaretur, fuisse concreditam. Pulchra quidem Virginis laus, & ingens Regiæ beneficentiæ commendatio.

Col. 2. 14. Ps. 73. 12. Hieron. Rufinus. Bernard. Procop.

5 Illam verò opportunè adstruit noster Vates iis verbis Psalm. 46. 10. quæ supra aliò adduximus *Quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.* Etenim cùm in Originibus pro *fortes* legatur *scuta*, siue *protectores*: vt sit sensus, Principum fortitudinem in subditis tuendis, & demerendis elucere, inde quidem eos præ cæteris eximios, & eminentes esse, siue supra omnes legitima ratione eleuari, omnino asserit Dauid, subdens *vehementer eleuati sunt*: vnde sic capienda videtur causalis illa *quoniam*, ac si diceatur: Quoniam Principes subditorum scuta, & protectores sunt, ideò vehementer supra ipsus eleuantur. Cui sanè sensui regia illa celebratissimi currus Ezechielis animalia, quorum adn. tat. 12. meminimus, non obscurè adstipulantur, si aduertas (quod cum P. Prado ad vers. 24. cap. 5. omnes adnotarunt interpretes) duplicem à Propheta in mysticis istis animalibus motum fuisse obseruatum: alterum, quo ad instar auium supra terram eleuata volarent, alterum quo per terram communi cum cæteris animantibus gressu progrederentur: nimirù de hoc pedem per terram incessu sic dicitur ibi vers. 9. *Non reuertebantur, cùm incederent:* & vers. 12. *Vnumquodque coram facie sua ambulabat.* De vehementissimo autem ipsorum volatu ita inquit Vates vers. 19. *Cùm eleuarentur animalia de terra,* & vers. 24. *Et audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei.* Vbi apertè innuit eousque à terra excussis pennis sursum se animalia

Psal. 46. 10. Ezech. 19. & 11. P. Prado. Ezech. 1. 19. & 24.

A extulisse, vt eius omnino oculos effugerint, nec iam nisi à sonu alarum ipsa deprehendere potuisse. Vbi primùm sub hac regiorum animalium imagine clarè vides Principes iam quibuslibet è plebe hominibus, in motu, siue gressu persimiles, eodemque ac ipsos actionum passu incedentes: iam verò infinito supra illos interuallo sublimes, ac eleuatos ad cælum vsque regiorum actuum excellentia sese efferre: nec dubium tibi est, quin tanta hæc præstantia ingensque discrimen à pennarum motione, à regia scilicet potestate, quâ funguntur, illis adueniat. Ac deinde, quid pennæ istæ portendant, penitus cognoscere oportet: ait igitur Vates vers. 23. *Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ:* vt dicere videatur, esse etiam Principum pennas, quæ non tectæ, sed obliquæ sint, siue quosdam esse Principes, qui motis sui, regiæque potestatis pennas rectè, atque legitimè regièque exercent, esse etiam alios, qui regia potestate non pro dignitate vtantur, quid verò id tandem fuerit, sic aperit Gregorius Magnus homil. 7. in Ezechiel. *Tunc pennæ sub firmamento rectæ sunt, quando bonum quod alter habet, hoc alteri impendit, vt qui terrenam substantiam accipit, indigentis proximi inopiam subleuet. Qui temporali potestate subnixus est, oppressos à violentis eleuet.* Et post pauca componens hæc verba cum illis Petri epist. 1. cap. 4. 10. *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.* Subiicit. *Pennæ enim nostræ rectæ non sunt, si ad vtilitatem nostram solùmmodo reflectuntur: sed tunc rectæ sunt, cùm in vtilitatem proximi dirigimus quod habemus.* Reddit opportunissimam rationem. *Quia enim bona nostra non à nobis sunt, sed ab eo hæc accepimus, à quo factum est, vt essemus, tantò ea nobis non debemus retinere priuata, quantò ea nobis conspicimus ab auctore* C *nostro ad communem vtilitatem data. Vnde rectè Petrus Apostolus in exhortatione huius rei subdit:* Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Hæc Gregorius. Vides, Reges non tam subditis excellentiores, quòd pennis instructi, & regia potestate sint conspicui, quàm quod pennis rectè vtentes, erga ipsos beneficos, & salutares sese exhibeant, quippe hinc regius splendet, & fortunæ magnitudo, quâ supra omnes se efferunt: & *sonum quasi sublimis Dei* reddunt: *quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt*: quod si secus faxint, nec tectas pennas, sed obliquas habeant, ad suam videlicet vtilitatem solummodo reflectentes, nec hilum quidem à cæteris è plebe hominibus differre, & eodem cum infimis hominibus passu ambulare: sic inibi subiiciente Vate vers. 24. *Cùm ambularent, quasi sonus erat multitudinis: cumque starent demittebantur pennæ eorum*: planè, vt qui D pennis ad benefaciendum excussis *sonum quasi sublimis Dei dabant*: demissis subinde alis, quin de subditis sibi demerendis cogitarent, *sonum multitudinis* ederent, ab infima scilicet plebe non differentes, sed eodem cum infimis hominibus passu ambularent.

B

Ezech. 1. 23. Greg. M. Ezech. 1. 24.

6 Nec hinc discessero, quin admirer, quantum à se ipsis Reges aliquando discordent, cùm vna ex parte tanto ambitionis æstu, tam ardenti fastigij sui zelotypiâ flagrent, vt non sceptra solùm, & fasces, sed etiam quidquid ad externum regni splendorem, titulos scilicet, insignia, & vacua nomina attinet, complectantur, quin hotum aliquid vel amicissimis suis consanguineis, imò nec filiis communicent, imò ad leuem suspicionem, vel motù, qui huc possit referri, grauiis commoueantur, atque turbentur: benè id sic obseruante Chrysost. in cap. 2. Matthæi. *Reges siquidem ex aliis causis facilè irascuntur, citò placantur, illa autem ira inextinguibilis est, quam regni zelus accendit.* Ex alia verò nihil minùs curent, quàm Reges reapse esse, & regiæ dignitatis partes & numeros, qui

Chrysost.

in beneficentia, & ope subditis danda censentur, omnino implere: de vacuis quidem nominibus, aut ad summum de exigua regni portione acriter pugnantes, & bella in ipsos terræ fines inferentes, & quod maius, & excellius in regia fortuna habent, nihili curantes: optimi planè æstimatores rerum, qui magnā de minimis, & minimam de magnis rebus curam habent. Aliter quidem hac de re censere videbatur Iacob adnot. 24. adductus ad Rachelis conspectum elatā voce illachrymans, quòd qui futuræ vxoris superior, & populi Princeps erat futurus, nihil ad munum haberet, quod illi regia magnificentia posset impertiri. At enim præter ibi dicta illud est obseruatu dignū, quod adnotauit Lyra, Inde eum grauius indoluisse, quod tunc meminerit Abrahæ seruum in simili occursu matri suæ Rebeccæ egregia munera fuisse

Genes. 29.

B impertitum: vt disertè Gen. 24. vers. 53. habetur. *Prolatisq; vasis argenteis, & aureis, ac vestibus dedit ea Rebeccæ pro munere.* Audi Lyram: *Cùm igitur vidit consobrinam suam, & non habuit aurum, & argentum, seu iocalia ad dandum ei sicut seruus Abraha dederat Rebecca, memor huius rei cœpit lachrymari.* Benè omnino. *Memor huius rei*: sanè quasi is ei acerrimus dolor fuerit, in benefaciendo, nuntium eodem cum seruo passu ipsum incedere, quàm ab illo superari: *eleuatá* (inquit) *voce fleuit*: vbi notanter quidem *eleuatá voce*, & tantis mœroris signis editis ait sacer Scriptor, illachrymatum fuisse Iacob, vt magnus hic luctus, & dolor affinitatem habere videatur cum ingenti illo dolore, & acerbissimo fletu Esau fratris eiusdem Iacob ad præreptam sibi ab illo parentis benedictionem, & primogenituram, de quo dicitur Genes. 27. 34. *irrugijt clamore magno*: & versu 38. *Cumq; eiulatu magno fleret*: vt Iacob dum se à seruo in

Genes. 24. 53.

Lyra.

Genes. 27. 34. & 38.

C beneficentia superatum animaduertit: non secus ac frater Esau de prærepta sibi primogenitura indoluerit, quasi ipsi vacuum primogenituræ & principatus nomen, vera muneris dignitate amissa solummodò superfuerit. Quò omnino faciunt præfata sapientiæ verba de Dei filio. *Speculum sine macula Dei maiestatis* prout supra num. 2. expensa sunt: si tamen denuò obserues Græcam vocem *energias*, quæ ab Origene, & Augustino *inoperatio*, à nostro verò Vulgato Maiestas vertitur: nimirum apud Rhetores propriè significat eam vim, siue efficacitatem, quâ res sua vi nixæ non dicuntur otiosè, sed suum effectum sortiuntur: vt argumento sit ab inoperatione, siue beneficentia maiestatem verè, & efficaciter subsistere, & suum effectum, & splendorem nancisci: vnde si ea desit, maiestas otiosè dicitur, & frustra est.

Ad ea verba,

In medio domus meæ.

Principem non modò communi Regni bono generaliter prospicere, sed insuper priuatæ singulorum vtilitati quoad eius fieri possit debitam prouidentiam nauare debere.

ADNOTATIO XVII.

1 SE o enim, qui hucusque Principem communi Reipub. vtilitati suorumque beneficentiæ, atque benignitati intentum, & prouidentem fecimus, illud signatè iis addendum censuimus: ne communem hanc benefaciendi curam sicuti Platonis Idæam, aut mente solùm contempletur, & tractet, aut de ipsa communiter, & in vniuersum solummodo disserat; sed in vnumquemque etiam subditorum singillatim deriuet, vt singulis omnino subditis quoad eius fieri possit singulariter prosit, atque benefaciat: Constantio Imperatore pulchrè hac de re, & verbis, & exem-

Constans

A plis Principes admonente in oratione de Themistio Philosopho, quam habuit in Senatu ad hunc modum. *Ego porrò officij mei partes esse duco, vobis non solùm ex publicis bonis lætitiæ materiam præbere: sed insuper priuatæ singulorum vtilitati, quoad eius fieri queat, debitam prouidentiam, sollicitudinemq; nauare.* Reddit sapientem rationem. *Communis enim vtilitatis tum demum sensus maximè percipitur, si illius fructus ad vnumquemque singillatim transmittatur. Vnde fit, vt cùm etiam publicarum finis in priuatum quemque desinat, de eo potissimum sit laborandum.* Egregiè quidem, & regiè id *publicarum curarum finis in priuatum quemque desinat.* Quid enim subditis profit, de communi Reip. salute generatim, atque vniuersè Principem agere, curamque habere, nisi ille huius curæ fructum ad vnumquemque singulatim pertingere, & in singulos desinere studeat,

B atque laboret? Aptabunt quidem non immeritò ei Principi subditi, quod M. Antonino Imper. plusiusto philosophanti, & de regiis virtutibus generatim differenti Auidius Cassius obiiciebat apud Vulcatium Gallicanum. *Marcus Antoninus philosophatur, & quærit de clementia, & de animis, & de honesto, & iusto, nec sentit pro Republica.* Nec enim pro Republica sentire dicendus est is Princeps, qui Reipub. animus non est, ad eum modum quo Neroni dicebat Seneca lib. 1. de Clementia cap. 4. *Animus Reip. tu es, illa corpus tuum.* Nimirum anima sic in singulis, & pro singulis corporis membris, ac in toto, & pro toto corpore sentit, quæ tota in toto, & tota in qualibet eius parte est. Quod veluti acu tetigisse videtur Rex Athalaricus in edicto apud Cassiod. lib. 9. epist. 2. loquens. *Qui Reipub. statum, & generale cupit stare fastigium, ad vniuersa debet esse sollicitus, quia non est salus in corpore, nisi*

Vulcat.

Seneca.

Cassiod.

C *quam & membra potuerint obtinere.* Vnde postmodum subiicit. *Sic regnum iure dicitur integerrimum, si nusquam fuerit imminutum.* Certè sub hoc sensu Seneca præfato lib. 1. de Clementia cap. 1. cùm eundem Principem sic primùm loquentem fecisset. *Ego ex omnibus mortalibus placui, electusq; sum, qui in terris deorum vices fungerer: ego vitæ, necisq; gentibus arbiter, qualem quisque sortem, statumq; habeat, in mea manu positum. Quod cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronuntiat: ex nostro responso lætitiæ causas populi, vrbesq; concipiunt.* Deinde explicatiùs in eandem rem subiicit. *Nemo non, cui alia desint, hominis nomine apud me gratiosus est.* Opportunè quidem; vt affirmet, sic se populis, vrbibus lætitiæ causas dare, vt communis vtilitatis, & regiæ beneuolentiæ, atque clementiæ fructus ad vnumquemque singillatim transmittatur, quin aliquis omnino sit, qui Principi charus, atque gratiosus non fuerit, & cuius vtilitati, quoad eius fieri queat, debitam

D prouidentiam non nauet.

2 Iam hæc prorsus Christiana, & ea Dei sensu facere, fuerit operæpretium: & verò huc in primis spectat, quæ de Deo beneficentiæ, & benignitatis suæ magnitudinem erga Ecclesiam Christianam demonstrante, noster Vates inquit Psalm. 47. 3. etenim cùm præmisisset. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius.* Dominum laude summa dignissimum à magnitudine, & magnificentia, quæ erga res amplas, & excelsas cum ingenti splendore agitatas versatur, omnino prædicans, quod Ecclesiam quidem suam tum summa sapientia, & prouidentia, tum splendidè, & magnificè gubernet, atque administret, eaque ratione ipsa *ciuitas regni magni*, iure optimo appelletur: de qua *gloriosa dicta sint*, & prædicentur: vnde signatè egregia hæc Dei prouidentia eluceat, sic aperit. *Deus in domibus eius cognoscetur, cùm suscipiet eam*: siue vt ex Hebræo Hieronymus, *in auxiliando*: siue *ad auxiliandum, & protegendum*: vt diceret, magni Regis, totus

Psal. 47. 3.

Hieron.

prouidentiam, atque egregiam Reipublicæ administrandæ rationem in eo singillatim perspici, quòd non solùm communi vtilitati generatim consulat, sed singulis domibus ornandis, & demerendis peculiarem sollicitudinem adhibeat, vt publicæ curæ finis in vnumquemque tandem desinat, ia hæc elucidante ibi Chrysost. his verbis. *Prædicat tuas authoritatem, laudem, coronam dicens:* Ciuitas Regis magni: *Deinde ostendens quomodo sit ciuitas Regis magni per illud*, in domibus eius cognoscitur, *magnam ostendens prouidentiam, & quod eam totam omni ex parte seruat, non solùm tantùm totius curam gereas, sed etiam in vnamquamque domum suam ostendens prouidentiam.* Obserua illa, *ostendens quomodo sit ciuitas Regis magni.* Quibus omnino astruit ex Vate Chrysostomus, tunc Rempublicam à magno Rege administratam ostendi, cùm ipsius prouidentia in singulis domibus cognoscitur: dum ipse priuatæ singulorū vtilitati quoad eius fieri potest, debitam operā nauat, *in auxiliando*, siue *ad auxiliandum*, nunc duois assiciendo, nunc consolando, nunc opem afferendo: vt nemo non vel hominis nomine ipsi gratiosus fuerit. Quæ sanè omnia Arcadio Principi sic disertissimè suggerebat Synesius præfata oratione de Regno. *Tibi vero consentaneum in primis est, vt quem semel accepisti ordinem nunquam deseras, neque et nemini affinitati rem pudendam facias, sed ad eum inuitationem te conferas, cuiuatesq; non solùm omni bonorum genere cumules, sed etiam felicitatem, quaatam potes, in vnumquemque subditorum effundas.* Hæc ille.

3 Enimverò id veræ magnitudinis proprium esse, vel ex ipsorum luminum mundi natura facilè colliges: *Fecit siquidem Deus duo luminaria magna: Solem in potestatem diei: Lunam, & stellas in potestatem noctis.* Genes. c. 1. 16. Psal. 135. 8. Quare magna? num quòd minora alia lumina sint? Non eqoidem, sed quòd veræ magnitudinis leges impleot, & potestatem, dignitatemque suam in inferiorum vtilitateo, lucemque conuertunt. Sed qua ratione? Planè cum magnitudinis suæ neminem omnino exsortem esse volunt, sed illam sic dispensant, vt eius fructus ad vnumquemque perueniat, singulis vrbibus, singulis domibus, singulis hominibus nō minùs singillatim, ac toti orbi luceāt. Ambrosio hæc eleganter obseruante lib. 4. Hexamer. cap. 6. vbi cùm præmisisset. *Fecit ergo Deus hæc duo luminaria, quæ magna possumus accipere, non tam alterum comparatione magna, quàm suo munere, vt est cælum magnum, & mare magnum. Nam & magnus Sol, qui complet orbem terrarum suo calore, vel Luna suo lumine, nec solùm terras, sed etiam aerem hunc, & mare, caliq; faciem.* Subiicit oppotunè. *Quam quam quamuis ea proponere fuerint talis illuminant omnia, & aequè spectantur à cunctis, vt ea tanquam sua tantùm regionibus immorari, & sibi tantùm adesse, atque lacere singuli populi credant, cùm similiter luceant vniuersis, vt nemo sibi proporem altum, quàm ipse est, arbitretur.* Boni quidem Principes, æqui & prudentes magnitudinis suæ dispensatores, qui publicarum curarum finem in priuatum quemque desinere faciunt.

4 Sed enim quomodo ab Augustino capiatur illud Psalm. 47. *Cùm susceperit eam*, scire est operæpretium: nimirum sic Dominum ciuitatem suam suscipere affirmat, *quomodo suscipit medicus ægrotum curandum.* Et verò, si attendis, Medicus in ciuitate non quæritur, vt in illa generatim de Medicina disserat, & sanitatis regulas in cōmune præscribat, sed vt in singulis *eius domibus* eius peritia, & ars cognoscatur: dum vnicuique singulatim medetur, eique sanando operam nauat. Quod quidem videtur animaduertisse ille, qui in calamitosissimi populi Principem electus: *Cuius vulnus & liuor, & plaga tumens non erat circumligata, nec fota oleo:* imparem se tanto oneri, atque sollicitudini cognoscens, dicebat. *Non sum medicus, & in domo mea non est panis, nolite me constituere Principem populi.* Isai. 3. 7. Vt dicere videatur non possum ego solus tot, tantisque malis medendis occurrere, & singulorum calamitatibus opem ferre, vti vnus tantùm medicus singulos vastissimæ vrbis ægros inuisere, eisque medicinam adhibere non potest. Iam verò, vt Dominum videris ciuitatem suam sic gubernandam suscipere, quomodo suscipit medicus ægrotum curandum, audi quid ipse in Canticis dixerit cap. 4. 9. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa: vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Vbi præterquam quòd Dominus reperita oratione iterum atque iterū se vulneratum, & afflictum dixit, tum à communi suæ Ecclesiæ tribulatione, & damno, tum à singulorum calamitatibus & ærumnis, notanter cùm ad hasce explicandas, siue designandas accessit, & oculorum, quorum nihil carius, nihil pretiosius, aut illustrius: & crinium, siue capillorum, quorum nihil despicatius, aut vilius, mentionem fecit, vt ostenderet: quomodò ad Rempub. gubernandam, & ad demerendos sibi subditos tanquam medicus ægros curaturus accederet: singulos videlicet singillatim inuisens, nullo potentioris, aut tenuioris facto discrimine, quòd omnibus benè vellet, omnibus & singulis benefacere cuperet, omnium, & singulorum calamitatibus tangeretur. Cui cogitationi omnino cōcinit Paraphrastis Chaldæi trāslatio, sic reponentis. *Infixus est in tabula cordis mei amor tuus, soror mea sponsa: infixa est in tabula cordis mei dilectio, minimi filiorum tuorum.* Præsertim si cum his Sponsi verbis ea componas, quæ idemmet Dominus sic disertè hac de re apud Matth. 25. 40. iis qui aliquis esurientibus, sitientibus, algentibus opem aliquā afferunt, se dicturum pollicetur. *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Planè quod vt est infixa in tabula cordis eius dilectio minimi filiorum Ecclesiæ, ita singulorum calamitates, & ærumnæ eius animum singillatim tangant, vt omnes singulariter fouendos, & curandos suscipiat, id à d hæc verba ita expendente Saluiano Massiliens. lib. 4. ad Ecclesiam. *Nullus seruorum suorum exulat, nullus frigore, ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat: solus cum esurientibus esurit, solus cum sitientibus sitit, & ideò quantum ad pietatem illius pertinet plusquam cæteri eget: omnis enim egestuosus pro se tantùm, & in se eget, solus tantummodò Christus est, qui omnium pauperum vniuersitate mendicet.* Vt hinc etiam illud moneatur Princeps, tam ex munere suo singulis subditis benefacere, & opem ferre debere, quàm vt Christi omnes medēdos suscipientis vicem suppleat, sicut etiam ipsi in illis auxiliatem manum porrigat.

5 Nec absre dixeris: non semel, sed iterum cordis sui meminisse Sponsum, dum ait: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, &c.* Vt duplici corde, hoc est duplicato cordis sensu ciuitatis, siue populi sui curam gerat, altero, communi illius bono generatim consulendo, altero, priuatæ singulorum vtilitati prouidentiam nauando, ad eum planè modum quo Dei gubernationem, & prouidentiam describens August. lib. 3. Confess. cap. 11. ait. *O tu bone omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrûm, velut solum cures, & sic omnes, tanquam singulos curares, & diligeres.* Quod sanè imitatus est Paulus, amplissimam Corinthiorum ciuitatem sic alloquens epist. 2. cap. 3. & vers. 2. & 3. *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris qua scitur, & legitur ab omnibus hominibus: manifestati quod epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui.* Vbi omnino obserua quæstitio dicendi modum, quo vsus est Paulus, inquiens, *Scripta in cordibus nostris:* nam negotium facessit Paulum in plurali cordis sui meminisse cùm scriptum fuerit,

Eccles 2. 14. Iacob 1. 6. fuerit, *Væ duplici corde*: Ecclesiastici 2. vers. 14. *Et vir duplex animo inconstans est omnibus viis suis*, Iacobi 1. vers. 6. & testatum reliquerit Aristoteles libro *de natura animalium*, cap. 18. animalia duo corda habentia, monstruosa esse. Et verò cū huic difficultati nō vno modo PP. & Interpretes occurrant: aliis ad Pauli modestiam non suo tantùm, sed Timothei, & sociorum nomine loquentia, aliis ad dilectionis amplificationem: nam dictio in plurali posita amplificat, referentibus: crediderim Apostolum signatè plura corda indefinitè posuisse, vt significaret sic se erga Corinthios gerere, sic omnes, & singulos diligere, ac si plura corda haberet, & singula singulis accommodaret, totam cordis sollicitudinem in vniuscuiusque vtilitate, & bono constituens. Vnde procul quidem esse ab illa execratione duplicia cordis: cùm ipse non duplex, sed vnum quidem quòd multiplex esset, cor haberet, quasi sui officij partes duceret, non solùm commune omnibus lætitiæ materiam præbere, sed insuper priuatæ singulorum vtilitati debitam prouidentiam sollicitudinemque nauare, vt cōmunis vtilitatis sensus omnino perciperetur, illius fructu ad vnūquemque transmisso. Quam sanè cogitationem ipsemet Paulus confirmat, cum & hîc subdit, Corinthios sibi esse epistolam scriptam *non atramento, sed spiritu Dei viui*: quippe is Dei viui spiritus est, vt dicebat Augustinus, vt sic curet vnumquemque nostrū, velut solū curaret, & sic omnes tamquam singulos, & 1. ad Thessal. 2. 7. fidelium nutricem, sic se appellat: *Facti sumus paruuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foueat filios suos*: vel, vt lectio Syriaca effert, *Instar nutricis amore complectentis filios suos*. Enimverò nutrix non omnes simul filios generatim fouet, nō complectitur cōmuni omnes indulgētiâ, sed singulos singillatim demulcet, & propriis, accōmodatisque vniuscuiusque conditioni ac genio delinimentis, atque beneuolentiæ signis cuilibet singulariter blanditur, hunc suas delicias, illum puerorum florem, istum totum ex gratiis, & veneribus factum compellans. *1. Thess. 2. 7. Lect. Syr.*

6 Quò etiam omnino aptauerīs ea Domini verba de nomine suo Moysi respondentis, quæ adnot. 24 adduximus: *Ego sum, qui sum. Hæc dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos. Dixitq; iterum Deus ad Moysen: Hæc dices filiis Israel. Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos.* Exodi 3. 14. & 15. Si tamen obseruēs, in Hebræis, & Chaldæis originibus, quod omnes translatores adnotarunt: pro *ego sum, qui sum*, esse, *ero, qui ero*. Quod quamuis nonnulli interpretes de perpetuitate, & æternitate Dei capiant, vt velit ipse significare, se perpetuum Deum, seu Deum qui semper erit; alij quidem non ignobiles Auctores ad eximiam Dei erga populum suum prouidentiam, & curam quam de illo habebat, omnino reuocant: sic enim Rabbi Salomon. *Cùm Dominus dicit* ero, qui ero, *sensus est, ero cum eis in præsenti tribulatione, qui ero cum eis in afflictione reliquorum regnorum*. Similiter Oleaster: *Ero, qui ero, scilicet erga vos, ac si dicat: ero qui fui erga vos in promissionibus implendis*. Sed omnium disertissimè P. Prado in cap. 1. Ezechiel. in commentario de prima visione sect. 4. vbi multis adstruit, & ea verba velut ænigma esse, quo significaret Deus, se non solum esse prouidum populi gubernatorem, sed etiam strenuum redemptorem, sensumque communem habere cum illis Psal. 67. 5. *Dominus nomen illi. &c. patris orphanorum, & iudicis viduarum, qui habitare facit vnius moris in domo, qui educit vinctos in fortitudine, &c.* Quæ illum populo suo egregiè prouidentem, atque benefacientem, omnique sollicitudine eius bono inuigilantem denotant: sed modò, quâ ipse ratione se gerat, dum populi vtilitati debitam prouidentiam impendit, obseruare operæ pretium est: *Dominus* (inquit) *Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos.* Hæc enim notanter subiecisse videtur, vt ostendat sic se vnumquemque curare, velut omnes, atque ita communi omnium vtilitati prospicere, vt insuper priuato singulorum bono studeat, quemadmodum singillatim de Abrahamo ditando, & honoribus ornando: & de Isaac protegendo, & tam de manu patris liberando, quàm pluribus sibi beneficiis demerendo, necnon de Iacob, siue initio eius custodiendo, & omni bonorum genere, seu in patriis laribus, seu in domo Laban cumulando, eamet sollicitudine curauit, ac si tantummodo de vnoquoque beneficiis afficiendis cogitaret: ideò videtis non dixisse Dominum, ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob, sed notanter voce *Deus* singulis Patriarcharum nominibus singillatim affixa: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*: vt innueret, tam peculiarem prouidentiam, & curam se erga quemlibet illorum Patrum habuisse, ac si totam suam prouidentiam, siue diuinitatem ipsam ei addictam haberet, vt benè adnotauit Pereyra in cap. 3. Exodi n. 33. vbi cùm dubitasset, cur Dei nomen ter ab ipso fuerit repetitum? Respondet, *An quia nomen Dei significat prouisorem, & benefactorem? Deus autem singularem quandam, & propriam erga quemlibet illorum trium prouidentiam, curam, & benignitatem suam ostenderat, propria cuiq; eorum tribuendo beneficia*. Ita ille. *Exod 3. 14. & 15. Rab. Sal. Oleaster. P. Prado. Psal. 67. 5. Pereyra*

7 Sed enim illud in hanc rem fuerit maximè opportunum, quod Domino legem suam omnibus omnino in vniuersum, siue præsentis illius æui, siue futuri hominibus generaliter præscribente, eos non in plurali, vt res exigere videbatur, sed in singulari hunc in modum fuerit allocutus. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Non habebis Deos alienos coram me.* Et statim, *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides, &c.* Exodi 20. vers. 2. & sequentibus. Quod si ambigas, cur qui toti mundo leges ferebat, dicendi formulam sic vni tantùm homini aptare voluerit, ac si vnus omnino in mundo homo esset: occurrit disertè Philo libro *de Decalogo*, hunc in modum. *Respondendum est igitur, ideò placuisse hanc formulam, vt lectores sacræ Scripturæ discerent quiddam valde pulchrum, & necessarium: videlicet vnumquemque tantisper, dum Deo paret, à legibus honore æquari frequentissimo populo, vel potiùs omnibus gentibus, addo amplius mundo etiam vniuerso, quoniam alicubi quendam virum iustum laudans, inquit*, Ego sum Deus tuus: *ipse autem erat Deus mundi totius*. Ita ille. At enimverò opportuniùs forsan hanc Philonis responsionem eò dirigas, vt Deum optimi Principis strenuique gubernatoris munus implentem faciat, qui totius mundi vtilitati sic prospicit, vt singulorum hominum bono attentissimè consulat, quasi communis vtilitatis sensus tum demum maximè percipiatur, cùm illius fructus ad vnumquemque singillatim transmittitur. Ideò notanter Deus gubernans, imperans, leges ferens præmia promittens, dona distribuens, vnumquemque hominū singulariter alloquitur, vt publicarū curarum finis certissimum sortiatur effectum cùm in priuatum quemque desinit. Quid enim inanius, & à recta gubernandi ratione magis alienum, quàm humanum genus sic curare generatim, atque fouere, vt singuli homines algeant, & pereant: omnibus item omnino hominibus, aut præmia proponere, aut supplicia minari, quin huius prouidentiæ effectus in priuatum quemque desinat? Quò placet referre peculiarem Assertoris nostri de vnius Thomæ salute curam, cùm videlicet totius generis humani *Exod 20. 2 & seq. Philo.*

humani

humani redemptione ab ipso perfectâ, ad illius incredulitatem curandam, opportunamque ipsi medicinam adhibendam singillatim aduenit: vulneraque illa gerens, quæ pro communi omnium salute acceperat, ei sic videnda, atque tractanda obtulit. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*, Ioan. 20. vers. 27. Vt omnino innueret, ad illum non minùs signatè, quàm ad omne hominum genus ipsa pertinere, rursusque si opus foret, similia pro eius vtilitate passurus. Sed & huc omnes boni Principes intenti, dum imperij maiestatem, salutis tutelam, & beneficentiam in suos, esse existimabant, singulorum vtilitati singillatim consulebant. Ita quidem & Magnus ille Scipio totius Reipublicæ curam agens sapienter dicere solebat: *Malle se ciuem vnum seruare, quàm mille hostes vincere*: & Cimon Atheniensis ea in suos liberalitate præditus erat, *vt semper eum pedisequi* (ita Æmilius Probus in eius vita) *cum nummis sequerentur, vt si quis eius opis indigeret, continuò largiretur*. Sed & ibi subdit Probus: *Nullum hortis suis, aut prædiis custodem adhibuisse, vt libertas cuicumque relinqueretur, & fruendi quo ipse careret*. Similia de Leone X. Pontifice Maximo Antonius Sabellicus, & de Petro Lusitaniæ Rege Duartius Nunnius in genealogia Regum Lusitaniæ tradunt. Quorum exempla bonus Princeps imitatus illustrem illam assequetur laudationem qua Cimonem præfato loco prosequitur Æmilius inquiens: *Minimè esse mirandum, si & eius vita secura fuit, & mors acerba.*

Io. 20. 27. Probus. Sabellic. Duart. Nunnez. Probus.

Ad eadem verba,

Optimus Princeps subditos suos pro vniuscuiusque gradu peculiariter honorat.

ADNOTATIO XVIII.

1 EST quidem hæc nobilissima siue regiæ beneuolentiæ portio, siue celsissimi culminis pars, quæ regium munus mirè illustrat, & implet, Principem, sibi subditos tam honoribus quàm honoris signis afficere, dignitatibus ornare. Nimirum, vt cælum non tam interuallo terram superat, quàm quod eam illustrat, lucemque & claritatem impartitur, ita Principes cæteris hominibus excellentiores sunt, dum illos illustres efficiunt, & honorum ornamentis cohonestant. Sic id censente S. Cyrillo Alexandrino libro de recta fide ad Theodosium Imper. Etenim cùm dixisset. *Supremum humanæ gloriæ culmen Christianissime Impp. longè maximo discrimine cæteris omnibus antecedens, præstansq., præclara itidem sors, munusq. perillustre à diuina excellentia in vos defluxit, nempe qui summæ illius celsitudinis, & dignitatis aliquod quoque vestigium, & quasi simulachrum in terris extaret*. Statim, quis supremæ huius gloriæ finis sit, & quo in cardine ipsa versetur, sic indicat. *Vos etenim omni terreno fastigio superiores amplissimarum dignitatum fontes estis*. Vbi duo pulchrè adstruit Cyrillus: alterum supremum humanæ gloriæ culmen, munusque perillustre eò ire, vt honorum & dignitatum, quibus cæteros illustres faciat, fons & origo sit: alterum, hac ratione Principem summæ Dei celsitudinis simulachrum quoddam esse, quippe Dei proprium est, homines honoribus augere, & dignitatibus cumulare. Vel vide illum cùm primùm animantia creauit, adducentem ea omnia ad Adam, vt ipse singulis nomina imponeret, sic enim Genes. 2. 19. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea, omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius; Appellauitq. Adam nominibus suis cuncta animantia*. Vbi si dubites, cur cùm id munus imponendi singulis animantibus nomina tum maximæ auctoritatis, eximijque honoris & gloriæ opus fuerit: tum Deo siue creationis, siue dominij titulo omnino deberetur: ipse sibi non assumpserit? ad manum est responsio, noluisse ipsum omnem sibi honorem, & gloriam assumere, sed illam cum subditis suis partiri, vt qui creatoris honorem iam habebat, sapientis Nomenclatoris gloriam Adamo communicaret: scitè id expendente ad ea Genesis verba S. Basilio Seleuciensi oratione 2. vbi Deum cum Adamo, sic ea de re loquentem facit. *Esto Adam nominum artifex, quando rerum esse non potes: formentur à me, nominentur à te quæ procreata; partiamur huius fictricis solertiæ gloriam, me cognoscant artificem naturæ lege, te dominum intelligant appellationis nomine*. Opportunissimè illud: *partiamur huius fictricis solertiæ gloriam*. Quasi id maximè diuinum sit, nolle sibi Principem omnem gloriam vsurpare, sed illam cum suis subditis liberaliter, regieque partiri.

S. Cyr. Alexand. Gen. 2. 19. S. Bas. Sel.

2 Ad quem sanè modum cum Moyse idem Dominus se gessit, dum tam nomen, quàm auctoritatem, & munus suum cum ipso partitus est: sic illi disertissimè inquiens. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*. Exod. 7. 1. vbi notanter non Principis, non Domini, non Regis; sed signatè proprium nomen Dei seruo suo indidit, adeò nihil veritus si diuino, ac debito sibi honore illum afficeret, vt potiùs de industria pari secum nuncupatione illum ornarit: nec diuinum illi nomen tribuisse contentus, diuinæ etiam auctoritatis, & potentiæ participem effecit. Quare obserua quid ipsi hac de re dixerit Exod. 7. 17. nempe. *In hoc scies quod sim Dominus. Ecce percutiam virgâ, quæ in manu mea est aquam fluminis, & vertetur in sanguinem*. Sed hîc meritò statim ambigis de sensu huius loci, & ad quem referenda hæc manus sit ad Deumne, an ad Moysem? sic namque vtriusque propria esse videtur, vt neutri possit conuenire: nam primùm quidem hanc manum nec Moysis esse dixeris, cùm non Moyses, sed Deus ipse sit qui loquatur, & sese inde cognoscendum præbeat. *In hoc scies* (inquit) *quod sim Dominus. Ecce percutiam virgâ quæ in manu mea est*: deinde nec Deo illam possis commodè aptare, cùm virga non in Dei, sed in Moysis manu fuerit, qui eam omnino tenebat, vel dicito quando Dei manus virgam tenens apparuerit? At enim opportunè huic dubio occurrunt Cornelius, & cæteri interpretes, sic hæc verba ad Deum referentes, vt tamen virga in manu Moysis esset, quam Dei quidem manum iure ab ipso appellatam dicunt, quia suam ei auctoritatem & potestatem Deus dederat, qui illum Pharaonis Deum effecerat: sic namque Cornelius. *Verba sunt Dei, & tamen Moyses virgam manu suâ tenebat; non Deus; videlicet quia Deus Moysem fecerat Deum Pharaonis, suamq. ei potestatem dederat, vt iuberet Aaroni percutere Nilum; & in sanguinem illum conuertere*. Ergo Deum vides Moysi, & nomen, & manum suam commodantem, non solùm quia vbi Dei, aut Principis appellatio est, Dei etiam siue Principis manus esse debet, egregiis scilicet operibus diuinæ appellationi, & nomini applaudentibus, siue pro ea potiùs fideiubentibus, vt alibi vidimus, sed etiam quia is Dei mos est, vt gloriam suam seruis suis impertiatur, siue cum illis partiatur, eosque illustres, & gloriosos reddat, nihil veritus si suæmet manus auctoritatem, & maiestatem illis communem fecerit.

Exod. 7. 1. Exod. 7. 17. Cornelius.

3 Sed non hoc tantùm loco Dominum gloriam suam cum Moyse partientem videris, qui Exodi 32. 10. populo ad mortem peccante, sic ad eum locutus dicitur. *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos*. Quod

Exod. 32. 10.

Greg. Magnus. Quod si bene æstimas, perinde fuit, ac Moysi *deprecandi ausum prabere*: vt inquit Gregorius Magnus lib. 9. Moral. cap. 11. siue ei *dicere, prohibe me*: vt loquitur Theodoret. At inquis, si irasci tunc, & punire populum Deus volebat, cur Moysi iram eius impedituro reuelabat? Si parcere & misereri destinauerat, cur iram & indignationem suam iactabat? Triumphabat hic Iulianus ille desertor, Hebræorum Deum insectatus quasi varium, & inconstantem, & pœnitentem consilij sui. Calumniabantur etiam Marcionistæ, apud Tertullianum lib. 2. contra Marcion. cap. 26. *Meliorem affirmantes Moysem Deo suo deprecatorem, imò prohibitorem ira.* Sed impio illi Augusto S. Cyrillus Alexandr. lib. 5 contra Iulianum, & Hæreticis, Tertullianus ibi sapienter satisfaciunt, affirmantes Deum ibi nec ferociâ animi iram suam iactasse, nec inconstantiâ cohibuisse, sed iustè quidem excandescentem, simulque ad misericordiam pronum Moysi inspirasse, vt pro popolo obsecraret, vt inde mundo fieret manifestum, quanta illius dignitas esset, & quanto in honore apud Deum haberetur: sed audi Tertullianum ita dicentem. *Tertull.* *Sed sufficit, si & Moysi propriè donatus est populus ad præsens Quod vt famulus postulare posset à Domino, id Dominus à se postulanit. Ad hec enim famulo dixit:* Sine me & disperdam illos, *vt ille postulando & semetipsum offerendo non sineret, atque ita disceres, quantum liceat fideli, & Propheta apud Deum.* En quò iuerit Domini consilium iram suam manifestantis: nempe vt dum illam Muyses precibus suis cohibebat, manifestum fieret, quantum ipse gratiâ apud Deum valeret, ac proinde summo apud omnes in honore haberetur. Nec Moysem solum Deus tam honorificè tractat, qui Salomone auctore, *cum tranquillitate iudicat, & cum magna reuerentia disponit nos.* *Sap. 12.* Sapientiæ 12. obserua illud *cum magna reuerentia*: quod perinde est ac si dixerit Sapiens, ingentem nobis honorem tanquam magnis, & excellentibus à Deo exhiberi, ad eum modum, quo nos summos viros honorificentissimè tractamos, sic hæc expendente Saluiano Massiliensi lib. 2. de *Prouidentia* dum ait. *Saluian.* In isto Scripturæ loco non gubernatio tantùm Sacra, sed dignitas declaratur humana. *In hoc enim quod ait*: disponis nos: *Vis diuina gubernationis. In hoc autem quod* cum magna reuerentia, *culmen humana ostenditur dignitatis.*

4 Pressit sæpiùs hæc summi Patris vestigia Dei Filius, signatè verò quum eximium illud miraculum perfecit, quo quinque panibus, & duobus piscibus tot hominum millia in deserto, vsque ad satietatem pauit, dum gloriam miraculi eum ad modum disposuit, vt illius non omnino exortes viderentur eius esse discipuli: sic rem referente Matthæo cap. 14. 19. *Matt. 14. 19.* *Acceptis quinque panibus & duobus piscibus aspiciens in cælum, benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis*: Nota tamen, *& dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.* Sed cur discipulis ipse dedit, vt illi turbis darent; cùm facilius esset suismet manibus dare turbis? Respondent Chrysostomus, Leontius, & Euthymius non frustra panes per Apostolorum manus transisse, cùm in illis ipsorum multiplicatio facta fuerit. *Chrysost. Leontius. Euthym.* At rursus hic & opportunius dubites: Cur Christus panes Apostolis multiplicandos dederit, cū hinc ipsi miraculi patratores censeri possent? Respondit sapienter Maldonatus hac omnino de causa id à Domino effectum fuisse, vt suam ipse gloriam cum illis partiretur, siue in illos potiùs transferret. *Maldon.* *Videtur mihi voluisse Christus* (ait ille) *miraculi gloriam à se in Apostolos quodammodo transferre.* O bonum Dominum! O Magnum, & optimum Principem! O verum iustitiæ solem! De quo iure dixit Salomon: *Est hac speciosior sole, & luci comparata inuenitur prior.* Sapient. 7. 29. *Sap. 7. 29.* Quæ enim speciosior lux, aut præclarior splendor, quàm miraculi gloriam à se in seruos suos transferre, vt ipsi honorati, gloriosique videantur? Itane Sol cum aliis luminaribus se gerit? Audi. *Fecit Deus duo luminaria magna, & stellas.* Genes. 1. 16. & Psalm. 135. 8. *Gen. 1. 16. Ps. 135. 8.* *Qui fecit luminaria magna*, &c. *Solem in potestatem diei: Lunam & stellas in potestatem noctis*, eodem die, eodem iussu, eadem lege facta, sic id expendente Athanasio serm. 3. contra Arrianos. *Non enim vllum ex astris, aut magnis luminaribus ita apparuit, vt hoc prius, illud posterius in rerum natura emergeret, sed omnia eodem die, eodemque iussu ad essentiam vocata sunt.* Vidisti duo luminaria magna, Solem scilicet & Lunam? Iam ecce tibi, alterum ex illis è magno minus factum, pergit siquidem Moyses. *Luminare maius, vt praesset diei, Luminare minus vt praesset nocti.* Genes. 1. vers. 16. *Gen. 1. 16.* Audis luminare magnū Lunæ minus, siue imminutum iam redditum? Quare? quia quod reapse in se magnum erat, ea Solis præsentia & vicinitate inumbratum *minusque* apparuit, ita adnotante Ruperto his verbis lib. 1. in Genesim cap. 40. *Rupert.* *Vtraque luminaria magna sunt, ad alterutrū autem relatione siue comparatione facta luminare maius est Sol, luminare minus est Luna.* Enimverò hac de causa à summo rerum Conditore suam creaturis dignitatem, & innatum splendorem conseruante tegmen siue tabernaculum Soli positum fuisse, quo immoderata lucis suæ acies constringeretur siue certis diei limitibus coerceretur, dum nocte absconditum tam Luna, quàm stellæ micare, atque lucere possent, disertè Noster Vates asseruit Psalm. 18. 16. inquiens. *Psal. 18. 16.* *in Sole posuit tabernaculum suum*: quippe ex Hebræo omnino sub præfato sensu legeris. *Lect. Heb. Agellius.* *Soli posuit tegmen* siue *tabernaculum*, vt benè ibi adnotauit Episcopus Agellius, & alibi à me obseruatum est. Vides Dei Filium speciosiorem Sole, qui vt ille aciem suam extendit qua se luminare maius, magnum verò Lunæ luminare minus efficiat, ita hic sibi ipsi tegmen imponit, vt minora Apostolorum lumina splendidiora & maiora faciat?

5 Sed id rursum luce clariùs videris, dum idem Dominus ipsâmet Solis lancea & splendore armatus, debitam seruis suis claritatem adeò non abstulit: vt illam potiùs magis illustrem, atque conspicuam reddiderit: quippè cùm ipse in monte *transfiguratus est, resplenduit facies eius sicut Sol*, Matthæi 17. 2. *Et ecce* (inquit Matthæus) *apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.* *Matth. 17. 2.* Sed quomodo apparuerunt? Audi à Luca cap. 9. 31. *Luc. 9. 31.* *Visi in maiestate*: siue vt legit Tertul. lib. 4. contra Marcion cap. 22. *in consortio claritatis*: *Tertul.* quin videlicet faciei Domini Sol seruorum claritatem inumbraret, imò verò peculiari luce perfunderet: subiiciente statim Matthæo vers. 4. *Et ecce nubes lucida obumbrauit eos*: Dominum scilicet, & seruos. Sed cur *nubes lucida*? nubes quidem vt Solis esset tegmen illum tantisper inumbrans: *lucida* autem, vt Moysi, & Eliæ lucem & splendorem inderet. Hæc dum audis, vix te cohibere valeas, quin statim à Plinio tanquam ab iniusto possessore extorqueas, quæ de Imperatore Traiano magnos viros honore afficiente, nec illis vnquam claritatem imminuente, adducta Solis imagine, sic ait in Panegyrico. *Plin. Iun.* *Est hac natura syderibus, vt parua, & exilia validiorum exortus obscuret, similiter Imperatoris aduentu legatorum dignitas inumbratur, tu tamen maior omnibus quidem eras, sed sine illius diminutione maior, eamdem auctoritatem præsente te quisque, quam absente retinebat. Quinetiam plerisque ex eo reuerentia accesserat, quòd tu quoque illos venerebare.* Nimirum hæc Soli iustitiæ in consortium claritatis, & maiestatis suæ Muysem, & Eliam suscipienti omnino aptari debent, quippe ipse maior omnibus quidem infinito interuallo erat, at sine vlla illorum diminutione maior, eamdem scilicet aucto-

auctoritatem & claritatem eo præſente ipſi, quam abſente retinebant, imò verò maior illis reuerentia accedebat, quòd ipſe quoque eos reuereri, & auſcultare videretur.

6 Nec fuit certè contentus bonus Dominus ſi ſuos ſic familiares in conſortium claritatis admitteret, quin ab ipſius fulgentiſſimo ſplendore inumbrarentur, niſi etiam maiorem illis extrinſecus gloriam claritatemque quam ipſe haberet, liberaliter impartiretur: ipſomet diſertiſſimè dicente. *Amen Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Ioan. 14. 12. Quare *maiora*? quia ipſe omnium maior, qui multò veriùs, quàm de Traiano dicebat Plinius. *Nullam in eo gloriam ponit, quod ſit omnibus maior, niſi maximi fuerint, quibus maior eſt.* Quia ipſe verus Dominus, & germanus Princeps, qui ſupplicum ſuorum merita excedit, & vota, quique ſuos quodammodo revereri velit, vt maior illis inde reuerentia & auctoritas accedat, præſertim cùm malus dæmon, ſic peſſimum ſuum diſcipulum Antichriſtum erudiat, vt maiorem quàm ipſe concupiuit honorem ambiat, dum magiſter, ſimilis altiſſimo, diſcipulus verò ſupra altiſſimum extolli ſtudet: ſcitè hæc omnia obſeruante, monenteque Ambroſio in id Pſalm. 118. *Increpaſti ſuperbos*, ſerm. 3. his verbis. *Itaque cùm ſit nequiſſimus, qui honorem non dederit Domino Deo noſtro, peiores tamen diſcipulos erudiuit, ille enim ſe ſic exaltauit, vt vellet æquari*, & ſimilis eſſe Altiſſimo: *diſcipulus autem eius, vt ſignificatur ab Apoſtolo, indignatus eſt æqualem ſe, ſimilemque æſtimari Deo; ſcriptum eſt enim*: Cùm reuelatus fuerit homo iniquitatis, & filius interitus, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus. *Magiſter igitur ſimilem honorem præſumit, hic ſuperiorem. Idcòque & Dominus ad diſcipulos ſuos dixit.* Maiora his facietis: *vt quibus ſerpens plus adimeret, quàm ipſe amiſerat, maiora Chriſtus facere donaret, quàm ipſe in terris fecerat, in ſe enim voluit principem mundi fallere, in diſcipulis triumphare.* Hæc Ambroſius, proinde illud *Ideoque & Dominus*: cur *ideò*? ne videlicet inſana mali diſcipuli ambitio plus honoris concupierit, quàm bonus Magiſter ſuis diſcipulis priùs fuerit impertitus. Sed & id pulchrè dictum eſt ab Ambroſio: *in diſcipulis triumphare*: vt Dominus de hoſte victoriam ſibi tacitam & occultam referret, diſcipulis verò egregiam triumphorum laudem, & ſpolia ampla relinqueret.

Ioan. 14. 12.
Plin.
Ambroſ.

7 Iam verò bonos hinc, legitimos, & magnos denique Principes ab illegitimis, & inſipientibus diſcriminari facilè videre eſt: & inter magnos & bonos Gregorium inprimis Magnum, Pontificem quidem Maximum numerare operæpretium fuerit. Sanè modeſtiſſimam illam formulam, qua is qui (vti Romanum Pontificem appellat Bernardus) *Sacerdos magnus, Summus Pontifex, Princeps. Epiſcoporum, Apoſtolorum hæres, primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus* erat, *ſeruum ſeruorum Chriſti* in literis Apoſtolicis ſe compellabat, impudentiſſimi noſtræ tempeſtatis hæretici ſuam occaſionem putauere, vt illam et tanquam telo ab hoſte extorto Romanum Pontificem è ſupremo Apoſtolicæ ſedis culmine, ab eoque faſtigio, in quo Dei Filius Petrum, eiuſque ſucceſſores firmiter collocauit, temerariis auſis deiicerent, quaſi ſerui appellatione vniuerſalem Eccleſiæ paſtorem, & Epiſcopum ſummum ſe eſſe negaret. At enim verò ſtultiſſimi homines vi humilitatis & modeſtiæ, ita veræ magnitudinis prorſus ignari regiam Gregorij mentem non ſunt aſſecuti, nimirum ille vniuerſalem ſe Eccleſiæ Epiſcopum re vera eſſe, eaque ratione, ipſum generalem de tota Eccleſia, atque adeò de Epiſcopis omnibus curam, & ſolicitudinem paſtoralem attingere, minimè ambigebat, qui toti Eccleſiæ leges, & iura dabat, ſed enim ea de cauſa vniuerſalis Epiſcopi cognomen ſibi de induſtria vſurpare nolebat, ne inde cæterorum Epiſcoporum dignitas inumbraretur, quaſi vnus ille in orbe ſolus Epiſcopus eſſet, cæteri autem, vel vicarij ipſius, vel nullo modo Epiſcopi cenſendi, tale enim quid prima facie vniuerſalis Epiſcopi nomen vulgi ſenſibus ingeri videbatur: ſicut è id ipſomet Gregorio aſſerente, monenteque lib. 7. Regiſtri epiſt. 30. indictione prima, vbi vniuerſalis Epiſcopi cognomen, quod ei Eulogius Alexandrinus Epiſcopus in epiſtolis dabat, pulcherrimis his verbis repudiat. *Ego enim non verbis quæro proſperari, ſed moribus. Nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honor eſt honor vniuerſalis Eccleſiæ. Meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor. Tunc ego verè honoratus ſum, cùm ſingulis quibuſque honor debitus non negatur. Recedant verba, quæ vanitatem inflant, & charitatem vulnerant.* Hæc Gregorius. Egregiè quidem omnia. Sed illud regiè & opportuniſſimè. *Tunc ego verè honoratus ſum, cùm ſingulis quibuſque honor debitus non negatur.* Vt dixerit, tum me verè Solem conſpicabor, cùm in honore ſolus non fuero, ſed mihi ipſi tegmen impoſuero, ne cæterorum dignitas inumbretur: nec enim ſic luminare maius eſſe cupio, vt à me alia lumina minora fiant. Quam equidem Gregorij mentem omnino probauit eius deceſſor Pelagius, dum Patriarchæ vniuerſalis nomen, tam ſibi quàm aliis omnino vſurpari, ſic interdicit apud Gratianum in capite nullus diſtinct. 79. *Nullus Patriarcharum vniuerſitatis vocabulo vnquam vtatur, quia ſi vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur*: ſubiicit. *Abſit hoc, abſit à fidelis cuiuſquam mente, hoc ſibi vel velle quempiam arripere vnde honorem fratrum ſuorum imminuere ex quantulacumque parte videatur.*

Gratian.

8 Erat planè hoc itidem ſtudium Magno Conſtantino, vt ſubditos ſuus pro ſingulorum ſtatu peculiari honore afficeret, teſtante Euſebio lib. 4. Hiſtoriæ cap. 1. hac omnino de cauſa nouos honorum titulos exquiſiuiſſe, vt quantum poſſet amplius ſuos honoribus ornaret: erat etiam & Magnis noſtris Theodoſio, & Traiano, dicente de primo Pacato. *Pari benignitate cùm plures afficere honoribus velles, quàm honorum loca admitterent, & anguſtior eſſet materia voluntate, nec mentem tuam quamuis diffuſum caperet Imperium, quem nondum aliquo prouexiſti gradu, dignatione ſolatus es, ille cohoneſtatus aſſatu; ille menſa beatus, ille oſculo conſecratus eſt. Ita omnibus, qui te Principe ſibi iure confiderent, aut proceſſit dignitas, aut ſatisfecit humanitas*: vbi benè illud dictum à Latinio eſt, *te Principe ſibi iure confiderent*, vt dixerit omnes omnino ſubditos peculiare ius habere ad honorem & dignitatem à Principe accipiendum: ſimiliter de Traiano Plinius. *Si quid vnquam ſtirpis antiquæ, ſi quid reſiduæ claritatis hoc amplexatur, & refouet, & in vſum Reipub. promit. Sunt in honore hominum, & in honore famæ magna nomina ex tenebris obliuionis indulgentia Cæſaris, cuius eſt vt nobiles conſeruet, & efficiat.* Sed enim regium hunc morem bonos Principes obſeruaſſe ſolitos, adhuc cùm familiares ſuos à ſe amouere vellent, ſpecie ſcilicet honoris illus aut eiicientes, aut imperio abſtrahentes, tam ex veteribus, quàm recentioribus ſcriptoribus omnino nouimus. Sic apud Æmilium probum in vita Gracchi, Naſica *per ſpeciem legationis in Aſiam ablegatus*, & Ciceroni Cæſar apud Dionem Caſſium lib. 38. amicè pollicetur, ſe eo legato vſurum, *vt non iam tanquam rem cum ignominia, ſed honeſtè, & cum imperio Clodium ſubterfugeret*: imò & in Principatu Neronis ij *Centurionum Tribunorumque, qui* fortem

Euſeb.
Pacat.
Plinius.
Æmil. Prob.
Dio Caſſ.
Bernard.
Greg. Mag.

fortem Britannici (quem ille Princeps veneno sustulerat) *miserabantur remoti, per speciem honoris*, apud Tacitum lib. 12. Annal. *Tacit.* Ad quem etiam modum Valentinianus Imperator, magnum Gregorium Nazianzenum sibi non vndequaque gratum, non palàm à se remouit, sed magnis honoribus affectum: quod ipsum minimè latuit, vnde ei rescripsit epist. 196. *Nazianz.* *Est quidem facile speciosum aliquem prætextum inuenire, atque excusare, atque æqua dicere videri, neupe nos à se minimè eiici, verùm hinc potiùs honore abiici affici, quod vobis vicines esse cupias: addit etiam fortasse, quod nos amicè, & vt cognatos debet complecti, atque etiam aliquem ex nostra amicitia fructum capere vis. Hoc autem merus sermo est, non res.* Enimverò vt Principes prætextum aut velamentum obtendentes suis rationibus permoti, per speciem honoris suos à se familiares amouebant, sine impetio abstrahebant, ita Dominus simplicissimè & pro summæ benignitatis suæ ingenio agens, siue cum iratus aliquem domo sua expellit, siue cùm alia ratione dato muneri abstrahit, peculiari illum honore afficere solet, vel vide vt se cum Adamo gesserit Genes. 3. 23. *Gen. 3.23.* Etenim vt aula sua eiiceret, nam *emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, eiectiq; Adam*: ac priùs *fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*: siue vt Chaldæus transtulit. *Fecit Dominus Adæ & vxori eius vestimenta honoris, super cutem carnis suæ, & induit eos.* Genes. 3. 21. *Gen. 3.21.* videlicet, vt non modò indueret, sed etiam honoraret: ne ab eius domo aliter quàm honorati, ornatique discederent. Illud verò pulcherrimum, quod Moysem, & Eliam muneri & officio abstrahendos, nam *lex & Moyses vsque ad Ioannem.* Lucæ 16. vers. 16. *Luc. 16. 16.* suæ primùm claritatis, & maiestatis (vt vidimus) in monte consortes ostendit, Lucæ 9. 31. *Luc. 9. 31.* sicutè id ita adnotante Tertul. lib. 4. contra Marcion. cap. 36. *Tertul.* *Tradit igitur Pater Filio discipulos nouos, ostensis priùs cum illo Moyse & Elia in claritatis prærogatiua, atque ita dimissis, quasi iam & officio & honore dispunctis.* Hoc est perfunctis, absolutisque, vt Scholiastes adnotauit. Pulchrè illud *ita dimissis*: cum claritate scilicet & honoris, siue maiestatis prærogatiua, ne tamquam rei cum ignominia discederent.

9 Iam Principes à regia conditione aberrantes, dum sic sibi totum honorem, gloriamque volunt, vt neminem in consortium claritatis suscipiant, cognosce: & primò quidem insanum illum Nabuchodonosor, sibi suoque nomini auream illam molem erigentem Daniel. 3. 1. *Dan 3.1.* *Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream, altitudine cubitorum sexaginta*, &c. Ad quem locum cùm omnes omnino Interpretes eò incumbant, vt putent hanc statuam ex illa, quam Rex ipse paulò antea somniauerat, tamquam ex idæa ab illo confictam, atque constructam fuisse, meritò ambigunt, cur ille in materia variauerit, cùm hanc totam ex auro construxerit, somniatam verò statuam non solùm auro, sed etiam argento, ære, & ferro conflauerit. Respondent autem, eam ipsius mentem fuisse, vt qui in somniata statua seipsum auro, cæteros verò Reges & Principes argento, aliisque metallis adumbrari didicerat, totam sibi claritatem & honorem vsurparet, & se vnum colendum adorandumque proponeret, quasi solus maiestate, & honore dignus esset, quin aliqua aliorum fieret mentio, aut aliquis illis claritatis honor obtingeret, ita ibi Maldonatus inquiens: *Maldon.* *Propterea non ex multis metallis qualem viderat, sed ex auro eam, ingentisq; magnitudinis fabricasse, vt significaret, se solum totius orbis Monarcham futurum esse.* Talis quidem erat insani huius Principis alios omnes obscurare volentis amentia. A quo sanè longiùs non iuerit Constantius Imperator apud Ammianum Marcellinum lib. 16. *Ammian.* qui quæ ab ducibus suis passim gerebantur, vni sibi vendicare solebat, nec vlla ipsorum mentione facta ea per laureatas literas quasi à se confecta prædicare, sic enim ille. *Tunc & deinde edictis propositis arroganter satis multa mentiebatur, se solum cum gestis non adfuisse, & dimicasse, & vicisse, & supplices reges gentium erexisse aliquoties scribens: & si, verbi gratiâ, eo agente tunc in Italia, dux quidam egisset fortiter contra Persas, nullâ eius mentione per textum longissimum factâ, laureatas literas ad prouinciarum signa mittebat, se inter primores versatum cum odiosa sui iactatione significans.* Et statim. *Argentorato cùm pugnaretur, descripsit prælium, aciem ordinasse, & stetisse inter signiferos, & barbaros fugasse præcipites, sibiq; oblatum falsò iudicat Chonodomarium, proh rerum indignitas! super Iuliani gloriosis actibus conticescens, quos sepelierat penitus, ni fama res maximas vel obnubilantibus plurimis silere nesciret.* Hæc Ammianus de Constantio, tamquam iniusto Sole alia lumina obumbrante. Quo etiam stimulo Trebellius Pollio Gallienum Imperatorem pungit, *Trebellius.* cùm ait. *Vincente Odenato triumphauit Gallienus, nulla mentione patris facta.* Sed & his Principibus peius peccabat Adrianus Imperator, qui cùm ambitiosus supra modum (vt ait Dio Cassius in eius vita) iactaret se nihil eorum ignorare, quæ aut in pace, aut in bello, siue ad Regem, siue ad priuatum pertinerent, *inuidebat magis, quàm æmulabatur. Quare* (subdit Dio) *quosdam celebres & excellentes artifices, quos æquare non poterat, alios, & quidem frequentes subuertit, alios ceu studiorum & artium æmulos interfecit: quippe cupiens omnes in quacumque arte, & disciplina superare.* *Dio Caß.* Malum quidem Principem, neminem præter se lucere, aut crescere volentem, ad instar rhamni illius, malo fato, ab arboribus ad regiam dignitatem euecti, qui tunc demum se imperio frui existimauit, cùm alias arbores multò meliores se omnino combussit. *Egrediatur* (inquit) *ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.* *Iudicum 9.15.* Sed quid illæ meruere vt pereant? aut quo iure à Principe rhamno comburantur? Ne videlicet extra ipsum aliquid floreret, & cresceret, sed omnem sibi ille arborum honorem, & pompam vendicaret.

10 Nec hinc discesserim, quin priùs obseruem, nihil vnquam Principi de maiestate & claritate sua decedere, quòd splendorem suum cum aliis partiatur, quòd hîc potissimum locum habeat quod de luce aiebat Tullius: *M. Tull.* *qui de suo lumine alteri lumen accendit, nonne nisi magis lucet?* Certè summus Pater, quòd optimè nosset nonnullas mentes adeò cæcas esse futuras, vt Filium ipso minorem assererent, *ad dexteram maiestatis suæ* de industria collocauit ad Hebr. 1. 3. *Heb. 1. 3.* *Ne si in alia parte sederet, minor esse videretur*, inquit Anselmus. *Anselm.* Et tamen cùm vel ex modo loquendi, siue ex humana consuetudine dexter locus potior esse videatur, nullus vnquam hominum fuit, qui Patrem Filio ad dexteram maiestatis sedente, minorem esse aut dixerit, aut cogitauerit. Ad quem sanè modum, cùm decertanti Stephano Dei Filius è solio surgens, haud dubiè, quin vt & auxilium & honorem deferret, stans apparuit, *video* (inquit ille) *cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Actuum 7. 56. *Act. 7.56.* adeò nihil de maiestate & splendore suo amisit, vt Stephani potiùs oculos in admirationem, & cultum in se rapuerit. Etenim cùm ex hoc stantis corporis habitu nugarentur hæretici Filium Patre esse minorem, cùm hic sedere, ille verò stare dicatur, sapienter occurrit Ambrosius, *Ambros.* quasi hinc potiùs peculiaris Christi splendor quodammodo eluceat: sic namque ille lib. 3. de fide cap. vltim. ad finem. *Vt autem euidentiùs cognosceretur, nulla esse stantis iniuria, sed potestas, Filium Stephanus obsecrabat, vt se ampliùs commendaret Patri dicens,* Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Ita Ambros. & post pauca. *Aut si volunt Stephanum Patri dixisse, videant quid*

propria

propria testificatione significent. Licet nos ista non moueant, aduertant tamen qui totum in littera constituunt, & in ordine, quòd filius priùs sit rogatus. Hæc ille, non quidem vt Patri aliquid deroget, *qui vnitatem paternæ maiestatis, & Filij*, omnino adstruit, sed vt appareat, nihil de maiestate, & splendore suo Dei Filium amittere potuisse, quòd Martyrem suum honorans in illius certamine non tam sedere, quàm stare voluerit.

Ad eadem verba,

Misericordiam cantabo.

Amans suorum Princeps, æquè ac ipsi, eorum ærumnis, & calamitatibus tangitur.

ADNOTATIO XIX.

1 Dvlcissimo sanè concentu misericordiam cum Dauide cantauit Princeps, dū vero amore misericordiam præseminauit, egregiè in suos beneficus, viliumque prouisor, at tunc omnino misericordiam ad diuinæ harmoniæ leges canet, cùm suos mollissimo affectu complectens, in ipsorum ærumnis, & calamitatibus, humanitatis sensum omni modo & ratione ostenderit, vt ipsis dolentibus & afflictis, dolorem & afflictionem sustineat, & cum illis infirmantibus infirmetur, cum esurientibus esuriat, & quoscumque illi casus pertulerint, sibimet accidisse existimet, imò verò quidquid subditi exteriùs patiantur, ipsemet in corde & visceribus sentiat, & perferat: quippe vt hæc Amoris lex est, ad amati dolorem condolere, ita etiam hæc capitis, hæc coronæ natura est, vt ad cuncta singulorum membrorum vulnera doloris sensu simul afficiatur. Quod planè primùm ostendit Dominus, cùm ea ratione quòd hominum caput, & Princeps esset, non aliam coronam, quàm spineam capiti suo imponere voluit, vt factis potiùs quàm verbis disceret omnium calamitatum, & ærumnarum aculeis, qui singulis sui corporis membris infiguntur, acriùs se in capite compungi, dum illis patientibus compatitur, & ipsorum casus & ærumnas, suas omnino esse ducit: deinde verò dum harum spinarum mysterium disertissimè patefecit, Matthæi 25. 42. sic se in iudicij die vniuerso cæli, terræque senatu adstante impiis dicturum pollicitus. *Esuriui, & non dedistis mihi mādùcare, sitiui, & non dedistis mihi potū. Hospes eram, & non collegistis me, nudus, & non cooperuistis me, infirmus & in carcere, & non visitastis me.* Quibus sanè verbis adstruit Dei Filius se æquè perferre omnia omnino mala, quæ sui patiuntur, quòd ipsi omnes suorum spinæ, omnes aculei inhæreant. Sic sapienter premente hæc Domini verba Saluiano Massiliensi lib. 4. ad Ecclesiam hunc in modum. *Vbi ergo sunt illi, qui dicunt Dominum nostrum Iesum Christum officio nostrorum munerum non egere? Ecce & esurire se pariter, & sitire, & algere commemorat. Respondeat quilibet horum, si non eget, qui esurire se queritur? Si non eget, qui se esurire testatur? Ego plus addo aliquid Christum non solùm egere cum cæteris, sed multò plus egere quàm cæteros: in omnibus enim pauperum numero non est vniuersorum omnium vna paupertas: sunt enim quidam, quibus etsi vestimenta desunt, alimenta non desunt, multi sunt hospitio egentes, vestibus non egentes, multi domo carentes, sed non substantia: sunt denique quibus etsi desunt multa, non desunt omnia, Christus tantummodo solus est cui nihil est, quod in omni humano genere non desit.* Sed quomodo inquis, qui *in gloria Patris* est, modò esuriat, modò sitiat, algeatque? Planè quòd vt *gloriâ & honore coronatus* sit, spinarum tamen coronam, hominum scilicet gubernationem, & regnum non deposuerit, & quà ipse eorum caput, illi verò eius membra sunt, quidquid hæc patiuntur, ipse compatitur, spinis æquè caput, & membra compungentibus. Qua quidem ratione videris non tam à summo Patre, quàm à Christo Domino dicta hæc esse, quòd vt ille etiam cælitum & hominum Rex & Dominus sit, at modò peculiari de causa Regnum & gubernatio ad Christum pertineat (de quo nos multis egimus in epist. ad Philipp. ad id vers. 11. cap. 2. iuxta lectionem Græcam *quod Iesus est Dominus*) donec *tradiderit regnum Deo & Patri*: vt inquit Paulus 1. Corinth. 15. 24. Vnde quà Rex peculiariter est, spinarū coronam in capite quod cum membris compatitur, signatè gestare dicitur, lege Regni ad id omnino vrgente, quæ nec Tragicum latuit, qui in Troiæ, & Troianorum excidio Reginam Hecubam sic suis compatientem, dolentemque inducit in Troadibus.

Quoscumque luctus fleueris, flebis meos.
Sua quemque tantùm, me omnium clades premit:
Mihi cuncta pereunt, quisquis est, Hecuba est miser.

2 Sed apage hæc, vt opportuna tibi videantur, & audi Apostolum multò opportuniùs id monentem ad Colossens. 1. 24. cùm ait: *Adimpleo ea quæ desunt Passionum Christi in carne mea*: siue vt Græca, & Syriaca habent, *Suppleo quod deerat afflictionibus Messiæ in carne mea.* Vbi dum iure ab omnibus ambigitur, qui dici à Paulo possit, deesse aliquid Passioni Christi ab Apostolo adimplendum, cùm ipsa & omnino perfecta, & infiniti quidem meriti ad exhaurienda omnium peccata fuerit: facilè ex dictis occurres, vt nihil omnino Christi Passionibus in genere meriti, atque satisfactionis desit, at multa ipsum & in Paulo, & in cæteris fidelibus, quorum ipse caput & Princeps est, quotidie pati, cùm *solus sit* (vt dicebat Saluianus) *cui nihil est, quod in omni humano genere non desit*: desunt ergo eius Passionibus, quæ suis modò membris desunt, ipso tamquam capite omnes membrorum dolores, & labores perferente. Sic hæc explicante S. Remigio ad id loci. *Suas passiones dicit deesse Christo: quia nostræ passiones, qui sumus Christi membra, Christi sunt quasi enim vnus homo, vna persona est caput cum corpore, saluator cum saluandis.* Accinit huic cogitationi Iustinus M. quæst. 138. ad Orthodoxos, pulchrè eam Principibus accommodans, dum Regem & subditos mala perferentes cum homine corpore & anima constante sic componit. *Sicut homo ex anima & corpore constituitur, ita Regnum ex Rege & iis qui reguntur coagmentatur, & quemadmodum si homo manibus peccatum committens, tergo pœnas pendat, non iniquè, qui in eum animaduertit, agit, ita non iniustè Deus facit, Principum delicta populi pœnâ coercens.* Sed quæ hæc iustitiæ vindicatiuæ ratio? quæ Principis pœna sit? dum

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui,

Planè non minùs acerba, quàm si eidem Principis corpori flagella, & ictus infligerentur: nimirū bonus Princeps, qui corporis anima est, subditis dolentibus, afflictis, infirmantibus, esurientibus, algentibus, dolet, affligitur, infirmatur esurit, alget; vti de seipso dicebat Paulus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Et de Augusto Imperatore iusta supplicia sontibus inferēte: *Dare illū pœnas apparebat, cùm exigeret*: Et de Vespasiano Suetonius, *iustis suppliciis illacrymauit etiam, & ingemuit.* Cui subnixus rationi S. Petrus Damianus, inclytum Dei Confessorem, atque Pontificem, Martyrem appellare minimè dubitauit, sic inquiens: *Sanctorum Collega extitit, & Martyrum consors, cuius animam, etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrij non amisit.* Sed quâ ratione, & modo? Subiicit. *Erat planè, & hoc singulare martyrium, vt cum infirmantibus pariter infirmaretur, &c. Audi sine ferro Martyrem ex sola charitate morientem.* Quotidie morior (inquit Paulus 1. Corinth. 16. 31.) propter vestram gloriam. Sic ille.

Marginalia: Matt. 25. 42. — Saluian. — 1. Co. 15. 24. — Sen. Trag. — Coloss. 1. 24. — Saluian. — Remigius. — Iustin. M. — Seneca. — Sueton. — P. Pet. Da. — 1. Cor. 16. 31.

Vnde quidem duo facilè inferas: alterum nullum in eo Principe erga suos amorem esse, qui parientibus non compatitur, nec dolentibus condolet; alterum, actiorem omnino compassionis, quàm passionis dolorem esse: & de primo quidem, noster Dauid siue typicus, siue proprius locoples testis est; Typicè enim apud Achis Regem agens, *immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorū & impingebat in ostia porta* 1. Reg. 21.13. Quæ verba LXX. & ab eis Augustin. in Psalm. 33. sic legunt: *Et mutauit faciem suam coram eo, & affectabat in die illa, & tympanizabat ad ostia ciuitatis.* Sed quid est: *affectabat in die illa*? Audi Augustinum ibi. *Affectum habebat. Quid est affectum habere? Quia compassio est infirmitatibus nostris, & ideò voluit ipsam carnem suscipere, in qua mortem occideret. Compassio ergo nobis affectasse dictum est.* Vides affectum compassionem habere; compassionem verò sine passione non esse. Amor ergo compatitur, cōpatiens verò *collabitur*, siue condescendit, & cum flente flet, & cum dolente dolet, & cū patiente patitur. Quare prcme eum dicendi modum quo ad passionem Christi significandam vsus est Vates, *& tympanizabat ad ostia ciuitatis*: & eum quidem sic elucidat August. *Et quoniam qui crucifigitur, in ligno extenditur: vt autem tympanum fiat caro, tendit, corium, in ligno extenditur; dictum est, & tympanizabat; id est, crucifigebatur, in ligno extendebatur.* Sed enim huic sensui illa simul subest epitasis, vt eo tympanizmagine illa affectuum sympathia & dolorum consonantia, quam persequimur, omnino tonuatur, quasi dum hæc abest, nec cōpassio, nec affectus adesse censeatur. Sic opportunissimè Sydonius Apollin. lib. 7. epist. 17. de egregio viro Victorio Comite morienti amico adstante, & pænè cōmoriente dicebat, *non dignitati minus, quàm membra cruciatus, at supra vultum propinquā morte pallentem dolore concolor factus, quid vira vellet, lachrymis indicibus ostendit.* Obserua illa, *dolore concolor factus*, quæ mirè quidam valeat, quid compassio sit, ostendunt: eiusdem scilicet coloris, eiusdem sensus, id est, eiusdem doloris consortem facere. Quò planè diceris signatè iuisse tot à Domino humanitatis miserias fingillatim susceptas, dum ipse & esurire, & sitire, & tristari, & turbari, & fatigari voluit, vt tuoc omnino nostri misereri, nobisque compati videretur, cum dolore concolor fieret. Quam quidem cogitationem omnino expressit Venerab. Philippos Abbas epist. 6. ad Ioanoem: vbi cùm dixisset. *Sed igitur quia turbata est anima eius, & turbauit semetipsum, lachrymatus est coram Iudæis, videns tumultum Ierusalem fleuit super eam; cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit, fatigatus est ab itinere, exhilaratus est spiritu, tristata est anima eius, tentatus, crucifixus, & mortuus est, sed hæc omnia potestate voluntariā, non necessitate, & violentiā.* Subiicit bellissimè, & opportunissimè. *Non quod à nobis ineffabili distantiā, tā corporis, quàm animi fortitudine non differret, sed ut putaretur, non misereri nostri, si nostras miserias non sufferret:* Quippe misereri est, miserias alterius sufferre, cum flentibus flere, cum dolentibus dolere.

4 Sed huic cogitationi explicandæ locus ille omnino appositus esse videtur Esther 15. 9. Vbi Regina Esther egregiis artibus instructa, & armis amoris strenuè vsa, Dei verò ope potissimùm suboixa, Assuerum Regem non modò ex præferoci leone agnum mansuetum reddidit, sed etiam adeò ardenter amantem sibi adiunxit, vt regiæ maiestatis immemor, à solio exhierit, & egregia amoris signa ei dederit. Sed rem totam particularim explicitam, & nostro instituto aptatam accipe. Ergo primùm, tum quomodo ipsa ad Regem non vocata ingrediens, & ab eo toruis oculis aspecta, exanimata corruerit, tum etiam quā ratione Rex sobitò mutatus à perturbatione, & mento, illam recreare conatus fuerit, sic dilucidè à versu 9. ostendit Sacer textus; *Ingressa igitur cunctaper ordinem ostia, stetit contra Regem, vbi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroq; fulgens, & pretiosis lapidibus, eratq; terribilis aspectu. Cumq; eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput; conuertitq; Deus spiritum Regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exiliuit de solio suo, & sustentans eam vlnis suis donec rediret ad se, his verbis blandiebatur: Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Accede igitur, & tange sceptrum.* Audis sermonis regij suauitatem, & egregia sedati animi signa? scito ergo, non ideò Regioam inter famularum manos collapsam, à consternatione & perturbatione animi sese reuocasse. Quare ardenti erga ipsam amore subinde incensus Rex, maiora dilectionis signa, & doloris, ac perturbationis leomenta sic adhibuisse dicitur: *Cumq; illa reticeret, tulit auream virgam, posuit super collum eius, & osculatus est eam.* En Regem, qui toto pectore Amoris tela exceperat, illa iam in Reginam contorquentem, dum illi oscula libaret, vt testaretur internum animi sensum, & quàm illam ardenter amaret. Sed enim vix ipsa tunc respirasse testata, iterum elanguit, & à regiis vlnis in terram exanimata corruit: ita enim ibi. *Quæ respondit: Vidi te Domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Cumq; loqueretur, rursus corruit, & penè exanimata est.* Vbi iam meritò ambigas, quò tandem Reginæ animus iterum, atque iterum exanimatus ierit? etenim si Regem placatum reddere volebat, erat iam ille sedantissimus & mitissimo animo, si illum sibi plus demereri studebat, dederat iam illi egregia amoris signa, imò & pignora, quid ergo ad hæc ea animi consternatione adnitebatur? Sané illustriorem de eo victoriam, & ampliora spolia referre, quibus regius animus charitate flagrans ad eam certissimè perueniret, vt nimirum Regem ad sui conspectum collapsæ, & exanimatæ, tridem turbatum, æstuatorem, & consternatum videret, subiiciente nim Sacer textus, *Rex autem turbabatur valde, & omnes ministri consolabantur eam.* En tandem Regiom animum charitate flagrantem ad Reginam plenissimè & certissimè peruenientem cùm dolore concolor factus, non minùs anxius quàm Regina fuit, ne putaretur non misereri illius, si eius miserias non sufferret. Hæc omnia ad id loci non obscurè innuente Patre Seratio quæst. 11. in cap. 6. & cap. 15. ad hunc modum. *Quamuis summa Regis in ipsam propensio iam esset, magis tamen magisq; ipsius sibi animum demereri, penitusq; adiungere volebat.* Quòd si hanc historiam per allegoriam ad Dominum *turbantem semetipsum.* Ioan. 11.33. & in horto tristem, & tædio, & pauore affectum velis referre, quid ad hæc Ambrosius disertè lib. 10. in Lucam, audi. *Nusquam (inquit) pietatem Domini, maiestatemq; admiror, quàm cùm susceptam in illo ad tempus video infirmitatem meam: nimis enim mihi contulerat, nisi meum suscepisset affectum.* Sic ille scitè à doloris affectu picratem, & amorem pendens.

5. Verùm iam Dauidem, non typicam; sed propriam personam gerentem, cum morientibus subditis mori optantem, & supra vultus morte pallentes dolore concolorem factum omnino vide: enimverò cùm ob facinus illud flagitiosissimum recensiti à Danide populi, ea ingenium trium malorum optio à Deo illi facta fuisset. *Aut tribus annis famem, aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, aut tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari in terra.* 1. Paralipomenon 21. versu 12. ipse suorum potiùs quàm propriæ vtilitati, ac bono intentus

Z (vt

[Margin notes: 1. Reg. 21. 13. — LXX. — August. — Sydonius. — Ioan. 11. — Lucæ 11. — Matth. 4. — Ioan. 4. — Luca 10. — Ioan. 11. — Esther. 15. 9. — Esth. 15. 19. — Serarius. — Ioan. 11. 33. — Ambros. — 1. Paral. 21. 12.]

P. Velasquez in Psal. centesimum.

(vt latiùs hocmet libro adnotatione septima numero quinto, ea Ambrosio expendimus) Domini gladium, grassantemque in omnia pestem potiùs, quàm suam fugam, & à populo absentiam elegit, ne eo absente omnino extingueretur lucerna in Israel. *Suam fugam* (aiebat Ambrosius) *non poposcit propter illud, quia Propheta pro populo orare poterat, sicut factum est, populus pro Propheta intercedere non poterat.* At enimverò cùm eò ventum fuit, vt peste in populum grassante, subditos suos cadentes, morientesque videret, minimè quidem se cohibuit, quin sese in viodicem Angeli gladium iniiceret, vt non minùs ille in suum, quàm in cæterorum caput conuerteretur, sic enim 2. Regum. 23. 17. *Dixitq; Dauid ad Dominum, cùm vidisset Angelum cadentem populum: Ego sum, qui peccaui, &c. vertatur obsecro manus tua contra me.* Affectu videlicet in suos, & dolore de ipsorum morte id exigente, vti iodidem adnotauit Ambrosius, optimè expendens plus fuisse ad ipsammet diræ mortis præsentiam gladio se offerre, quàm si ipsum sibi priùs elegisset. Ait enim. *Et tamen vbi vidit occidi populum, ipse se Angelo ferienti obtulit, vt ipse potiùs pro populo feriretur. Plus est, quòd nec ipsa perterritus specie mortuorum, gladio se obtulit, quàm si fermonum proposita conditione optasset.* Quòd si dubites, quomodo Dauid primam voluntatem mutauerit, quin in electione facta perstiterit, maximè cùm optimè nosset, ea magno subditorum vel suam præsentiam fore? Respondet opportunè Ambrosius. *In electione itaque rationem secutus est, in dolore pietatem.* Vt dixerit fortiorem & opportuniorem tunc pietatem, quàm rationem fuisse, cùm non posset bonus Rex cum morientibus subditis non commori: ideò pietatem præ ratione, imò fortiorem rationem secutum fuisse.

6 Sed iam illum dolore concolorem factum omnino obserua, quippe paulò pòst de ipso legis, adeò languidum & exsanguem, & corpore ita debilitato, atque attenuato redditum fuisse, vt neque à vestimentis ad eam curam comparatis posset confoueri. *Cumq; operiretur vestibus* (ait Sacer Scriptor 3. Reg. 1. v. 1.) *non calefiebat.* Etenim dum Patres atque Interpretes non mediocriter laborant in reddenda ratione, cur vir robustissimus, & laboribus maximè assuetus, adeò languido, frigidoque corpore esset, vt omnino exsanguis & penè mortuus videretur, præsertim cùm non tam longè eius ætas progressa fuisset (erat enim septuagenarius) vt omnem penè calorem naturalem, & vires omnino exhauserit; & plures hanc in rem rationes afferunt; illa quidem videtur aptissima, quam Stephanus Cantuariensis in allegotiis Gotfridi Tilmani ad id loci reddit, vt ea robustissimi corporis Dauidis debilitas ab eo pauore & dolore, quem de morientium subditorum specie conceperit, omnino prouenerit. Audi illum, *Nimirum frigus pertulit. Ex quo Angelum cadentem populum vidit, pauore vehementi contabuit.* En Principem suos veré amantem. En animum regiè compatientem, qui supra suorum vultus morte pallentes dolore concolor factus, quid illis vellet ipsomet vultus pallore, & corporis macie, & frigore ostendit, viuam videlicet suorum mortem in corpore assiduè perferens.

7 Vt iam hinc acriorem condolentis, & compatientis Principis sensum, doloremque facilè deprehendas, nimirum qui patitur, corpore patitur, & dolet, qui verò compatitur, tum corpore, tum etiam animo & dolet, & patitur. Ecquis verò corporis dolor eum animi sensu comparari valeat? Vis videre? Equidem cùm Abrahamo illud fuit à Domino præceptum impositum, vt filium suum propriis manibus ad aram offerret: sic acerba illa mors patrem, filiumque premebat, vt huius corpus, illius verò animum pertingeret, dum patiebatur filius, compatiebatur pater. En verò tam actis, tam diris pareotis futurus is dolor Deo visus est, vt quasi humanæ et vires impares & minimè sufficeturæ essent, affectum erga filium imminuere, siue euellere curauerit, vti videntur innuere LXX. Interpretes, qui pro illis Domini verbis, *Tolle filium tuum quem diligis Isaac.* Genes. 22. a. notaoter reposuêre, *Tolle filium tuum, quem dilexisti Isaac.* Sed quid est *quem dilexisti?* non verò quem diligis? fanè ostendere, ardenter quidem antea à patre dilectum Isaac, modò verò eum amoris ardorem, atque impetum sic fuisse à Domino misericorditer temperatum, vt parem doloti de morte illius ipse se posset exhibere, nam primæuâ innatâque dilectione stante, via potuisset paternis vita in morte filii constare. Quod cùm ita sit, minimè quidem legis, imminutum siue temperatum à Domino ipsi Isaac fuisse sui ipsius amorem erga propriam vitam, sed cum tota suimet dilectione, & innato viuendi affectu eum fuisse loctatû, quod fortè fuit in causa vt S. Zeno M. fideli patre fideliorem filium sic dixerit serm. 1. de Abraham. *Lætatus est filius patre fideli ipse quoque fidelior,* quia videlicet nullâ ei indulgentiâ siue remissione erga vitæ amorem factâ, eum eo strenuè pugnauerit, eumque deuicerit. Vnde planè facilè colligis, acriorem omnino compassionis stimulum, atque dolorem, quàm passionia esse, quando is qui patitur, par pari, velut in iusto certamine congreditur: compatiens verò impac dolori ceosetur, quippe qui volnera non corpore, sed animo, & ipsis visceribus, quorum sensus tenerrimus est, excipit.

8 Videris id quidem in Optimo nostro Principe in ipsa Passionis suæ nocte tristitiâ, pauore, tædio, animique angore, adeò conflictato, vt sanguinem ipsum copiosissimè sudarit, sic enim Lucas cap. 22. 43. *Et factus in agonia, prolixiùs orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Vbi primùm obserues velim, quid sanguineus hic sudor portendat, & quò eat; nec enim frustra sanguis hic decurrit, aut ingratis futuræ diei Passioni subtrahitur, nimirùm qui non multò pòst in Passione suum erat sanguinem profusurus: tunc ad malorum nostrorum conspectum, quæ ei ad Passionem sese exercenti, armatique oblata sunt, non potuit non compassionis affectu commoueri, ad eum quidem modum, quo & Bernardus sermone 44. in Cantic. ait. *Homini homo quasi balsami rorem sudans, pium exhibeat compassionis affectum*: eo videlicet affectu compassus, qui internum dolorem ipsomet sudore, & angore manifestet, & Hieronymus admonet. *Vulnera illius existimemus propria, & omnis in alterum duritia clementi in nosmetipsos miseratione frangetur.* Adeò quidem propria vulnera nostra Domino existimante, vt ad eorum singula sanguinem singillatim præ dolore & sensu sudaret. Sic id pulchrè adnotante Bernardo sermone 3. in Domin. Palmar. *Vbi quidem non solis oculis, sed quasi membris omnibus fleuisse videtur, vt totum corpus eius, quod est Ecclesia, totius corporis lachrymis purgaretur.* Sed enim id omnino adnotandum, pro acriori compassionis sensu, atrociorem omnino hunc Domini dolorem fuisse, quàm eum quem in Passione ipsa pertulit, cùm is multò valentior ictus sit, qui corpus per animum, quàm qui animum per corpus ferit, multoque acerbiùs cordi, quàm aliis membris infertur vulnus. Cui planè subnixos rationi S. Bonauentura, cùm de Deiparæ Cruci adstantis doloribus verba faceret, notanter inquit. *Hæc matrem dolorem habuit,*

habuit, quàm Saluator, qui tot sustinuit. Nimirum quæ A Filio intimo amoris affectu compatiebatur, quidquid ipse in corpore patiebatur, illa in corde perferebat. Vnde Domino quereribūdis vocibus dicenti, apud *Isai. 63.3.* Isaiam 63.3. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum*, sic occurrit Venerab. Richard. à S. Laurentio de laudib. Virginis: *Verum est Domine, quod non est vir tecum, sed mulier vna tecum est, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.* Ergo Dominus qui & humani generis corpus à planta pedis vsque ad verticem plagis affectum, & à toto Ecclesiæ suæ corpore Martyrum passiones emanaturas (vt inquit Augustinus in sententiis sent. 68.) vidit, quasi balsami rorem sudans, omnia suorum vulnera in corde suscipiens, pium exhibuit compassionis affectum.

Richard. à S. Laurēt.

9 En igitur bonum Regem de subditorum malis & animo, & corpore dolentem, & quæcumque illi patiuntur sic perferentem, vt omnes eorum aculei, B & caput ipsius pungant, & animum feriant vsque ad effusionem sanguinis inclusiuè. Sed quàm longè ab hoc illi inerint Principes! quos perstringebat Amos *Amos 6.1.* cap. 6. vers. 1. *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ. Optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel*, &c. *Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterij. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti*, subjicit emphaticè vers. 6. *& nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Siue vt legit ex Hebræo Pagninus: *non condolebant*: vel vt alij, *non infirmabantur*: vt cū allusione ad corpus capite, & membris constans, in quo *si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra*, 1. Cor. 12. 26. ea capita populorum quæ subditis mœrentibus & afflictis nil nisi delicias sibi cogitabant, extra germanorum Principum rationem & numerum omnino ponat Vates, cùm de ratione capitis sit, super membra dolentia condolere, atque æquè ac C illa infirmari, & pati. Vnde non sine morsu *capita populorum* signatè dicuntur à Propheta, vt dixerit, *Pulchrum caput, sed cerebrum*, sine sensum *non habet.*

Lect. Heb. Pagnin.

Ad eadem verba,

Misericordiam cantabo.

Nihil adeò sine è munere, siue è maiestate Principis esse, quàm fessis, & afflictis rebus subuenire.

ADNOTATIO XX.

1 PVLCHRVM id quidem, atque necessarium Principi monitum, quod ipsi speciosè ea Dei imitatione ingerit Gregor. Nazianz. orat. 16. & D *Nazianz.* Philo lib. de creatione Principis, vt ab eo Deo similis, imò & Deus quodammodo euadat: sic namque Theologus: *Da operam, vt non solùm opibus, sed etiam pietate, non solùm auro, sed etiam virtute sis locuples. Curæ vt proximo tuo ideirco præstantior sit, quia benignior. Fac calamitosis sis Deus, Dei misericordiam imitando*: vbi præterquam quod Principis præstantiam, siue excellentiam ad benignitatem retulit Gregorius, sic Dei naturam ex misericordia, quæ miseriis, & afflictis opem fert, scitè patefecit, vt inde Principem Dei vestigia signatè prementem opportunè reddiderit. Quid enim Deo magis consentaneum? quid illi aut proprius, aut familiarius, quàm præsentissimam opem & medicinam afflictis & calamitosis afferre? & eò potentiæ, ac magnitudinis suæ vim, impetumque dirigere, vt languentes, fessas, & deficientes res confirmet, & ad pristinam

Velasquez in Psalm. centesimum.

virtutem, consuetudinemque teneret, atque omnia in melius commutet? Sed id tam à Philone Princeps *Philo.* audiat ita ei disertissimè suggerente: *Præstat autem iuuare quoscumque possis pro viribus; nam præceptum vulgo tritum, Deum sequere, nihil aliud significat, quandoquidem ille quoque, cùm vtrumque possit mauult benefacere. vt liquet ex mundi creatione, atque regimine: non entibus enim dedit essentiam; confusa digessit in ordinem; nouas qualitates rebus indidit; similia fecit ex dissimillimis, è diuersis eadem; ex insociabilibus, & dissitis cohærentia, sociabiliaque; ex inæqualibus æqualia; ex obscuris illustria. Semper enim natura est ipsi, & beneficu eius potentis, vt quidquid delinquit deterior essentia, transformetur in melius.* Vnde tandem concludit Philo: *Huiusmodi exempla imitari decet bonos Principes, si modò cupiunt reddi Deo similes*: Hæc ille. Quod quidem nec gentilem illum Plinium latuit, qui vt Deum ea beneficentia, & ope quam mortalibus fert omnino penitabat: ita Principem suum Vespasianum cælesti passu Dei vestigia premere aiebat, quòd fessis & afflictis rebus omni modo, & ratione subueniret: etenim cùm dixisset lib. 2. capite 7. *Deus est, mortali iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via*: subiicit. *Hac Proceres iêre Romani, hac nunc cælesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis æui Rector Vespasianus Augustus, fessis rebus subueniens.* Vt cum Philone conjurans dixerit: *Plin.* Deum sequitur, qui ad illius instar fessis, & deficientibus rebus subuenit, & quidquid delinquit deterior essentia, in melius transformari curat. Quàm verò opportunè hæc de Vespasiano, & filio eius Tito dixerit Plinius, statim videro. Modò eamdem sententiam, ea Græcorum sensu à Materno ad Constantinum, & *Maternus* Constantem capite 2. audi. *Amat* (inquit) *Græcorum lenitas est, qui sibi aliquid contulerint, vel qui consilio, aut virtute se tuuerint, diuinis appellare nominibus, & sic ab ipsis beneficiorum gratia repensatur, vt deos dicaut, & deos esse credant, qui sibi aliquando profuerint.* C Ita ibi. At enim vt nostro nos instituto satisfaciamos, Deum huc omnino intentum, & maiestatem hinc suam adornatorem plus plus contemplari placet.

2 Sanè de Dei Filio ad dexteram maiestatis sedente, mira orationis elegantia, & pompa sermonis sic loquebatur Paulus ad Hebræos 1. 3. *Qui cùm sit* *Ad Heb. 1. 3.* *splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* Vbi omnino obseruā illud, *portans omnia verbo virtutis suæ*: non immeritò ambigens, cur is qui supremorum spirituum pennis, veluti triumphali curru vehi, sæpius in Scriptura dicitur: omnia hic humeris suis portare, siue baiulare, huc virtutem, siue fortitudinem suam dirigente, perhibeatur? nec non quā opportunitate id portandi munus, quod nonnihil humilitatis, siue subiectionis habere videtur: inter diuinæ faciei splendores, & collucentia diuinæ Maiestatis radios Paulus coniecerit? Sed enim, si quid inibi sit, *portare omnia* ea Chrysostomo didiceris, facili solutione dubitationem opprimes; benè siquidem censet ille, perinde hæc accipienda esse, vt cuncta à Deo mundi res suâ quidem naturâ fatigatæ ac fessæ, ad nihilum tendentes, beneficâ, & auxiliari manu contineantur, & secreentur: ita enim Chrysostom. diuinam potentiam, gubernationemque commendans. *Siquidem cadentia, & ad nihilum tendentia continet. Non enim minus est, continere mundum, quàm fecisse; sed si oportet aliquid quod admireris dicere, adhuc amplius est. Nam in faciendo quidem, ex nullis extantibus rerum essentia producta sunt: in continendo verò, ea qua facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur.* Iam verò id quàm splendidum, quàm diuinum, & felicissimâ maiestate plenum fuerit, sic statim ostendit Chrysostomus. *Chrysost.*

Z 2 Hæc

Hæc ergo dum reguntur, & ad inuicem ſine repugnantia coaptantur, magnum, & valdè mirabile, plurimaque virtutis indicium declaratur. Meritò ergo qui *ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius*, dicitur, & qui auguſtiſſimâ ſede dexteram Maieſtatis occupare perhibetur, mortalia, & cadentia, ſiue ad nihilum tendentia portat, & vi potentiæ ſuæ continet, ne labantur, atque feſſis, & afflictis rebus ſubuenit, & omnem opem præbet.

Sidon. Quæ quidem ob oculos habuiſſe diceris, tum Sidonium Apollinarem, qui lib. 6. epiſtola duodecima egregio Pontifici Patienti ſcribens dicebat: *Ego illum præcipuè puto ſuo viuere bono, qui viuit alieno, quique fidelium calamitates, indigentiamq; miſeratus, facit in terris opera cælorum.* Ac ſi diceret, qui homo cùm ſit, Deum quodammodo ſe facit, cæleſti paſſu eius veſtigia premens, & diuina opera mortalibus exhibens: tum etiam

Sen. Trag. Senecam Tragicum in Medæa actu 2. vbi vt adſtruat, nihil eſſe in Principatu leuius, inaniuſque, ſiue fugacius potentiâ, nihil verò grauius, illuſtrius, & magnificètius, quàm de miſeris benemereri, ſic inquit.

Conſide regnis, cùm leuis magnas opes
Huc ferat, & illuc caſus. Hoc Reges habent
Magnificum, & ingens, nulla quod rapiet dies,
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare Protegere.

3 Sed duo ad hæc Pauli verba noſtro inſtituto peropportuna obſerua, alterum, eum qui in præcelſo Maieſtatis throno in cælis corporaliter ſedere aſſeritur, ſimul etiam dici, fatigatos, & feſſos in terra homines velut ſuis humeris vehere & portare. Quòd ſi dubites, quonam modo id eſſe poſſit? Ipſemet Dominus, & viuus, & depictus tibi obuiam ibit: quippe primùm ait: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo de-*

Ioan. 6. 51. *ſcendi.* Ioan. 6. 51. & iterum: *Caro mea verè eſt cibus, &*

Ioan. 6. 56. *ſanguis meus verè eſt potus.* Ioan. 6. 56. Quo ſenſu? Planè vt materialis panis imagine, cor hominis confirmantis, necnon & cibi, & potus qui corpora reficiunt, recreant, atque confortant, ne omnino deficiant, ac pereant, nobis omnino innueret, ea ſignatiſſimè de cauſa ſeſe nobis manducandum dare, vt feſſos reficiat, fatigatos, lapſantes, & deficientes ſuſtentet, corruptibiles, & mortales, æternos & immortales efficiat, ſic id obſeruante Auguſtin. tractat.

Auguſt. 26. in Ioan. *Cùm cibo & potu id appetant homines, vt non eſuriant, neque ſitiant: hoc verè non præſtat niſi cibus & potus, qui eos à quibus ſumitur, immortales, & incorruptibiles facit.* Vnde poſtmodum ſubiicit. *O Sacramentum pietatis! ô ſignum vnitatis! ô vinculum charitatis! Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat.* Quò facit peculiaris, & huic rei peropportuna phraſis Hebræa, quâ *firma-*

Pſal. 104. 56. *mētū panis*, vt nos habemus Pſ. 104. 16. ſiue *robur*, vt Iſai.

Iſai 3. 1. Lect. Heb. 3. 1. dicitur *baculus panis*, quaſi feſſos & lapſantes fulciens ac ſuſtentans. Vnde appoſitè Apollinaris apud

Apollin. Maldonatum in cap. 6. numero 87. ait. *Porrò nunc in*

Ignat. M. *cibum nobis datur caro viuifica, & Verbum Vnigenitum vitam æternam ſuſtentans.* Opportuniſſimè etiam Ignatius M. in ep. ad Epheſ. Euchariſtiam appellauit, *medicamentum immortalitatis, antidotum contra mortem.* En Dominum Maieſtatem ſuam oſtendentem, &, vt ſic dicerim, implentem, dum feſſis rebus ſubuenit, & deficientes reficit, & laſſos, & fatigatos à mortalitatis itineribus, ſiue erroribus homines carne ſua in Euchariſtia portat, pulcherrimè id confirmante ipſiuſmet Domini, ſub paſtoris imagine deperditam ouem in humeris ſuis ad caulas reducentis, veteri & perpetuâ in calicibus, & arculis Euchariſtiæ conficiendæ, ſiue aſſeruandæ pictura, cuius meminit Tertullian.

Tertull. lib. de Pudicitia capite 7. & 10. *Paſtor* (inquit) *quem in calice depingis Chriſtiani Sacramenti.* Sed quo in ſtatu ouis illa eſſet, cùm illam bonus Paſtor ſuſtulit in humeros, ex eodem Tertulliano diſce lib. de Pœnit, capite 8. ſic inquiente. *Humeris ipſius paſtoris refertur, multùm enim errando laborauerat.* Ergo eam quia laborabat, quia laſſata, & fatigata erat, *humeris aduehit* (vt idem met ait lib. de Patientia cap. 12.) *baiulus patiens.* Nimirùm quòd ſplendor gloriæ, & imago Patris ſit, & ad dexteram maieſtatis in excelſis ſedeat, deficientia & ad nihil tendentia *portat Verbo virtutis ſuæ.* Imitabatur quidem bonum hunc Paſtorem, panemque viuum, bonus Paſtor Patiens, cuius modò ex Sidonio meminimus, qui depopulatos, & afflictos fame populos copioſâ panis alimoniâ ſuſtentabat: ita in- *Sidon.* didem affirmante Sidonio. *Poſt Gothicam depopulationem, poſt ſegetes incendio abſumptas, peculiari ſumptu inopiæ communi per deſolatas Gallias gratuita frumenta miſiſti, cùm tabeſcentibus fame populis nimirùm contuliſſes, ſi commercio fuiſſet ſpecies iſta, non munere. Vidimus anguſtas tuis frugibus vias: vidimus per Araris, & Rhodani ripas, non vnum, quod vnus impleueras, horreum.* Sic Sidonius.

4 Iam alterum obſeruatu dignum in iis Pauli verbis occurrit, dum peculiari locutione dexteræ maieſtatis ſic meminit. *Ad dexteram maieſtatis ſedet*, quaſi qui laſſos, & deficientes, *humeris aduehit baiulus patiens*: non aliam quidem maieſtatem, quàm dexteram, ſeu quæ ad dexteram omnino eſt, habere dicatur. Sed quare? Eſtne aliquid in Deo ſiniſtrum? aut aliqua ei ſubeſſe poteſt maieſtas, ſiue magnitudo, quæ non dextera ſit? Minimè quidem, cùm nec dextrum ſit quidquam, neque ſiniſtrum reſpectu Dei. Cur ergo dexteram maieſtatis nominauit? Sanè vt maieſtatem omnium ſplendidiſſimam, & maximam, ſimulque feliciſſimam, ac fortunatiſſimam indicaret Paulus: tantùm non dicens: *Ecce plus quàm Salomon hic.* Lucæ *Luc. 11. 31.*
11. 31. Quippe qui ſubditos portare, quàm ab illis portari vult, gaudetque: nam illos *imponit in humeros* *Luc. 15. 5.*
ſuos gaudens. Lucæ 15. 5. aliter quidem ac Salomon, qui tunc maximè lætabatur, & in ſubditis ſuis ſibi maximè complacebat, cùm iugū illis ab eo impoſitum (quod ipſis quidem *duriſſimum* videbatur, 3. Regum *3. Reg. 12. 4.*
12. 4.) alacriter perferebant. Etenim, vbi nos Canticorum 7. verſ. 6. habemus *Quàm pulchra es, & quàm* *Cant. 7. 6.*
decora chariſſima in deliciis! Paraphraſtes Chaldæus re- *Chald.*
ponit. *Dixit Salomon Rex: Quàm pulcher es cœtus Iſrael in tempore, quo portas iugum regni mei, & tu ſuſcipis illud in charitate, & videntur tibi deliciæ.* Enimverò vt nemo inficias ibit, magnum inde Regi Salomoni ſplendorem, eximiamque gloriam acceſſiſſe, quòd populum adeò ſibi ſubiectum, & ardenter obtemperantem habuerit, vt illius iugum nullo eum gemitu, aut murmure, ſed egregiâ animi alacritate perferret, ita omnino dixerit, multò auguſtiorem, atque feliciorem eam Domini maieſtatem eſſe, quæ in portandis, ac ſubleuandis potiùs ſubditis, quàm vt ab ipſis portetur, atque ſufferatur. Vnde vt illam *dexteram* maieſtatem appellauit Paulus, ſic hanc, ſiniſtram, nec tanto Salomone dignam non abs re dixeris. Cur enim ille tantoperè gauderet, ſibique applauderet, cùm cœtum Iſrael iugum Regni ſui portantem videret? Quid? quòd, ſi ei adeò pulcher populus ſibi ſubiectus viſus eſt, quòd ſibi vndequaque obſecutus, opes, facultates, ſanguinem, vitamque alacriter tradiderit. Cur non ipſe & ſibi, & populis, & Deo pulchrior, & auguſtiori maieſtate venerabilior videri curauit, feſſis, & fatigatis rebus ſubueniens, ſubditoſque ſuos ad Dei inſtar portans, atque cadentes, & ad nihilum tendentes continens? maximè cùm ipſum minimè latuerit, hanc omnino Principis naturam, & conditionem eſſe, *Feſſa refouere, vt aſperitatem caſuum mitiget lenitas iuſſionum.* Vti aiebat Rex Theodoricus apud Caſſiodor. lib. 4. epiſt. 59. tum etiam hinc potiſſimùm famam Principis penſitari Theodahado Rege *Caſſiod.*
apud eumdem Caſſiodor. lib. 10. ep. 14. ad populum Romanum ſcribente. *Vbi enim fama regnantis erit, ſi vos (quod abſit) patiamur imminui?*

5. Me-

5 Meliùs quidem Principatus onoram, maiestatemque penetrauerat Salomonis parens Noster Dauid, dum peste in popolum grassante, & morientium subditoeum specie eius oculis obiectâ adeò cum eis mori minimè renuit: vt obnixè potiùs à Domino postolauerit, vt gladium à popolo auerteret, & in capot suom illico vibraret. *Ego (inquit) sum qui peccaui, ego inique egi, isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* 2. Reg. 23. 17. vbi, si attendis, non solùm subditorum saluti, sed sibi etiam suam maiestatem & gloriam æstimanti sapieos Rex prospexit. Etenim vt illi eximiè magnificum, & gloriosum erat, cum subditis, & pro subditis mortem obire, ita deforme, & calamitosum, extincto populo siue admodum imminuto, Regem sine imperio, sine subditis degere. Sed audi id ab Isidoro Pelusiota lib. 3. epist. 219. ita scribente. *Nam cùm subditi re quidem ipsâ ob suum, verbo autem ob Regis peccatum morte afficerentur, ipse quoque in maxima calamitate versabatur. Cupiebat enim cum gloria potiùs mori, quàm amissis subditis turpiter viuere.* Polchrè, vt adstruat Regis gloriam & maiestatê è populi potiùs incolumitate, & felicitate, quàm à propria salute, & prosperitate desumi. Quæ enim ducis gloria fuerit exercitu deleto? Quæ Medici ægris, quos curandos susceperit, extinctis? Quæ patroni clientum causâ perditâ? Certè hac de causa infelix ille Rex Saul fecalem sibi ipsi mortem intulit. *Ne captum senex viueret filiis, & regno superstes* (vt inquit Ambros. in Psal. 57.) *Quo spectaculo nihil est deformius Regi.*

Isid. Pelus. — *Ambros.*

6 Nec latuit id quidem ipsummet Regem Salomonem, cùm in Sapientiæ libro Principis monus sic aperiebat cap. 6. 26. *Multitudo Sapientum sanitas est orbis terrarum, & Rex sapiens stabilimentum populi est*: bonum Principem non modò cum omnibus sapientibus componens, vt ipse solus æquè, ac cuncti illi populo suo sanitatem afferat: sed in hoc iis signatè præferens, quòd non tantùm exemplis, legibus, & consiliis, sed insuper beneficâ, & salutari potentiâ subditis suis opê omni modo ferat, ne in paupertatis, siue calamitatum, & ærumnarum lectum à quo in mortem sit descensus, vt non ineruditus Scholiastes interpretator, inerunt. Quare obserua Græcam vocem *εὐσταθεία* quæ Latinæ *stabilimentum* respondet. Ea enim propriè significat bonam corporis constitutionem, siue bonam habitudinem, vt sensus sit, Regem baculum siue fulcimentum populi languentis, ac labantis esse, quo ipse quibusuis periculis, aut calamitatibus obnoxius, omnino constat, atque subsistit: siue etiam habere se velut animum respectu corporis, quod vt ab eo incolume istud, vegetum, firmumque subsistit, simulque visum, auditum, motum, & sensum accipit, ita vniuersa Respublica, singulique ciues à suo Principe salutem, vitam, & facultates accipiant: ipso videlicet eos fulciente, portante, & ne labantur continente. Vis oculis aduidere? Audi bonum Principem Iob capite 29. 15. populi sui stabilimentum, siue bonam constitutionem sic se facientem. *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Vt diceret, quidquid subditis meis siue lucis, siue facultatum deficiebat, quominus vitam commodè & honestè transigerent, ego statim erogabam, vniuersos, & singulos peculiari prouidentiâ, & curâ iuuans, ita ibi in Catena Græca Chrysostomos. *Pro natura* (inquit) *melior quidem, quàm quiuis medicus, curator erat hominum mancorum, ac membris captorum: nam qua arte corrigi nequibant, solatio ipse, ac mira prudentia visus recreabat.* Nec iam me temperem, quin & pro Plinio fideiubeam Vespasianum maximum omnis æoi Rectorem facientem, & quasi cælesti passu cum liberis suis euntem, quòd fessis rebus subuenitet, & hosce Principes ad instar Iobi cæcis oculos, claudis pedes fuisse ostendam. Nec tam id de Vespasiano dixerim quod ipse aliquando Alexandriæ & cœco cuidam visum, & ægro manus sanitatem reddiderit, tum apud Corn. Tacit. lib. 5. Hist. & Suetonium in Vespasiano cap. 7. tum etiam apud Illustrissim. Cardin. Baroniũ, limati iudicij, & miræ eruditionis scriptorem, qui pium, ac prudens iudicium de eo portento affert tomo 1. Annal. ad annum Christi 71. à nom. 6. quàm quod eodem Suetonio auctore cap. 17. *In omne hominum genus liberalissimus, Consulares inopes quingentis annuis sestertiis sustentauit. Plurimas per totum orbem ciuitates, terra motu, aut incendio afflictas restituit in melius.* Cuius vestigia premens germana ipsius proles Titus, non alio quàm veri parentis affectu afflictis Reipub. rebus succurrebat. Vt de ipso idem Suetonius in eius vita capite 8. tradit, vbi cùm dixisset: *Quædam sub eo fortuita, ac tristia acciderunt, vt conflagratio Vesuuii montis in Campania, & incendium Romæ per triduum, totidemque noctes: item pestilentia, quanta non temerè aliàs.* His subinde malis sic bonum illum Principem singillatim succurrentem facit. *In his tot aduersis, ac talibus non modò Principis sollicitudinem, sed & parentis affectum vnicum præstitit, nunc consolando per edicta, nunc opitulando quatenus suppeteret facultas. Curatores restituendæ Campaniæ è Consularium numero sorte duxit. Bona oppressorum in Vesuuio, quorum hæredes non extabant, restitutioni afflictarum ciuitatum attribuit. Vrbis incendio nihil nisi sibi publicè periisse testatus, cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus, ac templis destinauit: præposuitq́ꝫ complures ex equestri ordine, quo quæque maturiùs peragerentur. Medendæ valetudini leniendisq́ꝫ morbis nullam diuinam, humanamq́ꝫ opem non adhibuit, inquisito omnium sacrificiorum, remediorumque genere.* O bonum Principem! cœco oculum, claudo pedem, & fessis rebus vndequaque subuenientem, quem omnes, vtinam, Principes in exemplar sibi omnino imitandum proponant. Pressit quidem eius vestigia sæpiùs mihi laudatus Alexander Seuerus, de quo inter alia Lampridius. *Pauperes iuuit, honoratos, quos pauperes verè, non per luxuriam, aut simulationem vidit, semper multis commodis auxit: agris, seruis, animalibus, gregibus, ferramentis rusticis.* Sed quid fuerit mirandum! bonis, æquisque Principibus hanc curam, hanc mentem fuisse, quando sæuo illi Tiberij animo non defuisse sic scribit Cornel. Tacit. lib. 4. Moral. Annal. *Plebs acri quidem annonâ fatigabatur, sed nulla in eo culpa ex Principe. Quin infœcunditati terrarum, aut asperitati maris obuiam iit, quantum impendio, diligentiaq́ꝫ poterat.* Ita de Tiberio Tacitus.

Sap. 6. 26. — *Lect. Græc.* — *Iob. 29. 15.* — *Chrysost.* — *Corn. Tacit.* — *Card. Baron.* — *Suetonius.* — *Lampr.* — *Corn. Tac.*

7 Enimverò, & hoc Principum esse munus, & calamitosis signatè temporibus, afflictisque rebus subueniendis ipsos à Deo orbi præpositos fuisse, egregiè confirmat Annæ Canticum lib. 1. Regum 2. 8. Etenim cùm ipsa immediatè dixisset. *Dominus fortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit: suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem.* Ac si diceret, Deum non in perpetuum obliuisci, sed potiùs iis qui aduersâ fortunâ conflictantur, & in corporis angustiis, & misera conditione, velut in puluere volutantur, opportunè succurrere: quale id opportunum remedium fuerit quo vniuersis & singulis rebus prouideat, sic aperit. *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem*, vbi & pro *cardines*, alij ex Hebræo cum Varablo legunt *columnæ*, alij *fortitudines*: alij *fundamenta*: & sub hac imagine, Reges, & Principes significari Gregorius Magnus, Glossa, Angelomus, & ex Interpretibus plures auctores sunt, quos mirè iuuat illud Iob. 9. 13. *Sub quo curuantur, qui portant orbem.* Vt sensus Annæ sit, ea omnino de causa Deum Principibus orbem imposuisse, id est, Principes orbi præposuisse, vt suis illi humeris labentem sustinerent, non secus ac columnæ ruituram

Greg. Mag. — *Glossa.* — *Angelom.* — *Iob. 9. 13.*

A. *Velasquez in Psalm. centesimum.*

domum, quæ nisi in illis inclinata recumberet, vt A dixit ille.

Ne collapsa ruant subiectis tecta columnis

Ac proinde satis superque hac ratione miseris, & pauperibus, & afflictis consuluisse, dum eos ipsis constituit Principes, qui pro munere suo medendæ valetudini, leniendisque malis nullam diuinam, humanamque opem non adhiberent. Cui quidem sententiç adsimilis siue eadem cum illa sententia est Nostri Vatis Psalm. 74.3 Dei nomine dicentis: *Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea, ego confirmaui columnas eius.* Vbi notantissimè cùm & terra, & omnes omnino habitatores eius liquefacti, ac deficientes, siue pereuntes inducantur, columnæ solummodò, hoc est Principes confirmari, ac solidati dicuntur, quòd ipsis stantibus cæteri consistant, quos ipsi in suis sedibus, opibus, ac fortuna, velut columnæ sustineant, vt benè ibi interpretatur Agellius in eundem sensum afferēs B id Prou. 29 4. *Rex iustus erigit terram:* subdens, *vt columna nempe illam sustinet.* Sed illud huic terræ liquefactæ fuerit peropportunum quod alibi ex Psalm. 71. 3. attulimus. *Suscipiant montes pacem populo*, id est, susceptam à Deo rerū copiam, & magnitudinem Principes in commune Reipub. & subditorum bonum conuehant, vt inde illi augeantur, atque subsistant: at enim montium naturam, & qua de causa à Deo formati, & confirmati sint, scire est operæpretium, & hac de re sic loquitur Plinius lib. 36. c. 1. *Montes natura sibi fecerat ad quasdam compages telluris visceribus densandas, simul ad impetus fluminum domandos, fluctusq. frangendos, ac minimè quietas partes coercendas durißimá sui materiá.* Quæ Principibus aptata innuunt, eorum munus esse, liquefactam, & deficientem terram solidare, firmamque ac stabilem reddere, malorumque ac calamitatum incursibus sese opponere, vt subditi incolumes, & florentes degant.

[Ps. 74.3. Agellius. Psal. 71.3. Plinius.]

C 8 Certè præfato Prouerb. loco Rex iustus erigit terram, siue, vt Hebræa habent, stabilem reddit terram, signatè apponitur epitheton *iustus*, quasi ex iustitia teneatur Princeps *stabilimentum populi* esse, vt & aiebat idem Sapiens n. 5. adductus, & signatè ab Ecclesiastico appellatur Ioseph quòd afflictis Ægypti rebus, consilio & ope succurrerit, sic enim ille cap. 49. 17 *Princeps fratrum, firmamentum gentis, stabilimentum populi.* Quod planè minimè Ægyptios ipsos latebat, cùm ad illum famescentes clamabant, *Cur ergo moriemur te vidente*, siue *in oculis tuis*? vt legit Pagninus Gen. 47. 19. preme illatiuam *ergo*, quæ Principatus naturæ innititur: ac si dixerint, cùm te habeamus Principem, cui suppetit opitulandi facultas, cur peribimus? cùm à te erigi, fulciri, & sustentari debeamus: tui enim oculi nobis mœstis, & velut in tenebris iacentibus lux & vita esse debent. Nihilque à Principis condi- D tione fuerit magis alienum, quàm in illius oculis subditum fame, aut calamitate quauis cōflictari. Et verò minimè dixeris, Ægyptios causâ cadere debuisse, quòd plus iusto perierint, cùm potiùs moderatè, & minus quidem, quàm quod Principis munus exigit, fuerint locuti: quippe ipse non eos solùm subditos, quos sub oculis habet, sed quotquot sibi subiecti sunt, iuuare & stabiles reddere tenetur, sic id admonente Synesio orat. de Regno ad Imperatorem Arcadium. *Rex non minùs quadißita, quàm quaproxima sunt, intelliget; neque videndi sensu Imperij sollicitudinem circumscribet. Verùm & id quod collapsum est, etiamsi non viderit, instaurabit; & in egestate laboranti populo largitionem faciet, & publicis sumptibus iam dudum vexatis publica munera remittet.* Quàm verò exactè egregius ille Pontifex Patiens id fuerit secutus, accipiat à Sidonio Princeps, qui præfato loco sic ei ipsummet repræsentat. *Cui non sufficit, illis tantùm necessitatibus opem ferre, quas noueris,*

[Eccl. 49. 17. Gen. 47. 19. Synesius. Sidon.]

A *qui vsque in extimos terminos Galliarum, charitatis indage porrecta priùs soles indigentium respicere causas, quàm inspicere personas. Nullum obest tenuitatis, debilitatisq., si te expetere non poßit Nam praeuenis manibus illum, qui non valuerit ad te pedibus peruenire.* Et statim. *Transit in alienas prouincias vigilantia tua, & in hoc cura tua latitudo diffunditur, vt longè positorum consoletur angustias. & hinc fuit, vt quin crebrò te non minus absentium verecundia, quàm præsentiū querimonia mouet, sæpè terseris eorum lacrymas, quorum oculos non vidisti.* Hæc ibi Sidonius.

9 Iam verò Principem nihil adeò illustre, atque magnificum in fortuna sua habere, quàm afflictis & desperatis rebus subuenire, satis liquet ex Nazianzeni verbis initio adnotationis appictis, *fac calamitoso sis Deus, Dei naturam imitando.* Quò mirè facit quod de Ioseph præfato loco inquit Ecclesiasticus, nimirum cùm de Henoch dixisset, *Nemo natus est in terra qualis* B *Henoch, nam & ipse receptus est à terra.* Vt rem huic adsimilem, siue maiorem de Ioseph assereret: subiecit. *Neque vt Ioseph qui natus est homo, Princeps fratrum, firmamentum gentis, stabilimentum populi.* Pende illud, *qui natus est homo.* Et quis quæso non natus est homo? Benè quidem, at vlteriùs tendit Ecclesiastici mens, vt quemadmodum de Henoch inquit, natum in terra, ad cælum, siue ad paradisum fuisse sublatum, quod magnum quidem & illustre fuerit, terrenum hominem cælestem habitationem fuisse sortitum: ita de Ioseph magnâ emphasi dixerit, ipsum hominem quidem natum in Dei naturam, & Deum quodammodò euasisse, dum gentis firmamentum, & stabilimentum populi extitit. Quo nihil maius homini potuit euenire. Sed enim, vt Deum homini esse, supra omnem dignitatem est, ita calamitoso Deum esse, supra id omne quod excogitari valet, ac proinde supra ipsum Deum quodammodo esse videtur. Cui sanè C cogitationi confirmandæ non alium quàm ipsummet Dominum produxerim auctorem apud Matthæum cap. 25. 40. coram toto terrarum orbe profitentem. *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* Quæ sic premit ibi Paschasius: *cùm sit ipse impaßibilis, & nullis egeat alimentis, in vnoquoque sanctorum alitur. Alitur cibis, & reficitur potu, vestitur nudus, & colligitur hospes.* Etenim inde sibi Dei naturam pensitabat, & Dominum sibi Deum faciebat Iacob, si sibi famelico, & è patriis sedibus extorri, vitæ alimenta, & auxiliarem manum præberet: ita enim vouebat Genes. 28. 20. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, &c. erit mihi Dominus in Deum.* Vnde quidem, cùm vna ex parte Principem afflictis, & calamitosis subditis subuenientem, & vitæ alimenta suppeditantem videris: ex alia Deum in illis ali, refici, D vestiri, & colligi noueris, non omnino importunâ argumentatione concludes, ipsum non subditis solùm, sed ipsi Deo etiam quodammodo Deum esse. Iam verò quantò id magnificentius? quantò fuerit diuinius? quàm quod aliquando summo in honore, & gloria fuit: Moysem nimirum Pharaonis Deum esse, dicente illi Domino Exod. 7. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis:* quippe ibi ad puniendum, quòd *peregrinum* à Deo *opus* Isaiæ 28. 21. hic verò ad benefaciendum, quod diuinæ naturæ proprium, & consentaneum est: ibi in barbari Regis Moyses, hic in summi, & veri Dei Deum Princeps quodammodo constituitur: ô felicem Principem, in tantum fastigium sublatum!

[Eccl. 49. 16. Matt. 25. 40. Pascha. Gen. 28. 20. Exod. 7. 1. Isa. 28. 21.]

Ad

Ad eadem verba,

Optimi Principis suos amantis esse, pro illis agere, & pati fortia.

ADNOTATIO XXI.

1 Enim totam optimi Principis faciem, qui subditos suos adeò vnicè diligat, vt non modò cum illis, sed etiam pro illis pati, & si opus sit, mori velit. Nimirum in hoc patiendi, & dura quæque perferendi cardine vertantioris ratio vertitur, hoc experimento tamquam lydio lapide germana Principis in suos dilectio examinatur, atque probatur. Vt hac potissimùm (inter alias, quas aut iam memorauimus, aut subinde sumus allaturi) de causa, Saul, vt & à Deo Principe populi electô se fuisse omnino sciret, & optimi Principis documenta perciperet, ad sepulchrum Rachelis à Samuele fuerit statim immissus, sic enim ille 1. Reg. 10. 3. *Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in Principem. Cùm abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Beniamin.* Vt illud cumprimis optimi Regis symbolum sibi assumeret, Rachelem videlicet filiorum causâ animam exhalantem: quippe de ea hæc scripsit Moyses Genes. 35. 17. *Cùm parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitq; ei obstetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Benoni, id est, filius doloris mei.* Pende illud, *Noli timere.* Sed cur non timeret, quæ mortem, terribilium terribilissimum, ob oculos habebat? *Quia hanc* (inquit) *habebis filium*: vt dicere videatur: nam præ filij vita, & ortu mors tibi timenda non est. Ecce ergo Regi signum, symbolumque datum, vt norit, eatenus populum, & subditos diligendos sibi esse, vt eum illis, & pro illis, cùm ratio, & necessitas postulet, moriendum sibi sit. Enimverò ipsissimâ hac meote erat imbutus inclytus noster Alfonsus IX. Hispaniæ Rex, qui vt ardentem amorem, quo populos sibi commissos prosequebatur, manifestum faceret, Pelicanum pectus rostro fodientem, & ad pullos suos sustentandos sanguinem elicientem pro symbolo sibi delegit, pulchræ huic imagini aureum dictum inscribens: *Pro lege, & pro grege*, tantùm non dicens, sua mergea populum charitatem, & curam, adeò dies, noctesque pectus suum vellicare, & humanitate incendere, vt pro illo sanguinem, vitamque profundere, nunquam foret recusaturos. A quo non abit bonum quidem dictum, immane verò factum Imperatoris Othonis pro militum salute propriis manibus mortem sibi consciscentis apud Xiphilin. *Faciam, vt omnes intelligant, quem Imperatorem elegeritis, qui non vos pro se, sed se pro vobis dedit.* Sic ille fucatâ, ferociqùe pietate. Verissimâ verò, regiaque ad Principum institutionem charitate, Paulus suum ex morte, siue gehenna symbolum omnino adornans, ardentia ea verba adiungebat: *Pro fratribus meis.* Ad quæ opportunè adnotauit Chrysost. hom. 5. de laudibus Pauli; Apostolum satis eminenti virtute Moysem transcendisse, quòd hic eum suis, Paulus pro suis mori vellet: audi. *Caput illius sancta anima, atque fastigium est, quoniam pro Iudæorum salute deleri elegit ex libro vitæ. Sed Moyses cum cæteris optauit perire. Paulus pro cæteris. Non tantùm cum pereuntibus perire voluit, sed vt saluarentur alij, ipse de gloria æternitate decidere.* Sic Chrysostomus.

2 Nec aliud quidem symbolum (si verè æstimas) Dei Filius gestauit dicente Matth. cap. 27. 37. *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus Rex Iudæorum.* Et apertius Marco cap. 15. 26. *Et erat titulus causæ eius inscriptus Rex Iudæorum.* Sed quid fuerit causam ipsius, siue titulum causæ posuisse, cùm causa omnimodè à Præside quæsita nunquam fuerit inuenta? ipso pro tribunali declarante, *Ego nullam in eo inuenio causam.* Luc. 23. 4. Dixeris quidem de hac causa peropportunè quod ille diuersissimo sensu.

Tu non inuenta, reperta es:

Quippe dum in Christi vita, sine in eius gestis, nulla mortis causa à Præside oculatissimè inspiciente inuenta est, in ipsius dignitate, regioque munere omnino fuit reperta: Regis enim est pro suis mori. Ergo quod ait Mateus: *Erat titulus causa eius inscriptus Rex Iudæorum*, cùm non ea Pilati, sed ex Dei sensu fuerit conscriptus, sic prorsus efferēdus videtur: Hæc totius causæ, siue mortis Christi summa est, quòd Rex hominum sit, quòd perinde est, ac si diceatur, Non à febri, non à senio, non ab hominum odio, non à criminis pœna, sed à Regia dignitate mortis ictum accepit, vt Principis munus, & partes vndequaque impleat. Certè, vt Pilatus nesciens quid diceret, rem velut acu tetigit, ita & eius milites paulò antè, idemmet de regia maiestate videntur tulisse iudicium: nam si attendis, duplici Dominum in Passione veste induerunt, alterâ purpureâ, alterâ albâ: & verò dum purpuram ipsi imposuerunt, omnino tanquam Regem consalutarunt, sic enim Matth. cap. 27. 28. *Chlamydem coccineam circumdederunt ei, &c. & genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum.* Cùm verò apud Herodem albâ veste indutus fuit Dominus, insaniæ & fatuitatis impiè ab eo notatus est, vt omnes PP. & Interpretes obseruarunt: quasi illis ea mens fuerit, fatuum ac stultum Principem eum esse, qui nihil pro suis pati velit: eum verò legitimum, ac verum Regem haberi, qui ex purpuræ, quam induit, colore, neci pro suis obeundæ se destinatum profitetur. Quò mirè facit, quod apud Titum Liuium lib. 2. historiarum Furius, & Manlios admonebant *Consulatum fasces, prætextam curulemq; sellam, nihil aliud quàm pompam funeris putent: claris insignibus, velut infula, velatos ad mortem destinari.* Verissimè. Nec enim aliud Regius splendor, & purpura, quàm accensos cereos, & funeris pompam, mortis scilicet pro suis subeundæ necessitatem adumbrauerint.

3 Enimverò hanc Principatus legem, sine optimi Principis conditionem esse, sic rursum ex Ioanne ab ipsa Dei natura, & ingenio discimus: dum ille de Dei filio Apocalyps. 13. 8. ait: *Agnus, qui occisus est ab origine mundi.* Sed obseruat Augustinum, siue Tychonium inibi pro voce *occisus* reponere *signatus*, vt eadem hæc sententia cum illa eiusdem Ioannis cap. 6. 27. de Christo fuerit. *Hunc enim pater signauit Deus* id est, quem Principem populis constituit, regiamque ei auctoritatem dedit: *Nam signare* (inquit ibi Pater Maldonatus) *est auctoritatem dare, quia solemus litteris impresso sigillo auctoritatem, & fidem adhibere.* Iam vide, quâ ratione hæ tam distinctæ voces *signatus*, & *occisus*, & qui ipsa subsunt sensus adeò in vnum coeant, vt signari, id est, in Regem constitui, atque occidi idem sint: quia videlicet ea Principatus lex est, ea Regis mens, & animus esse debet, vt pro suis, cùm ratio, & opportunitas postulet mortem subeat: vnde Ioannes accurato verbo rem vtramque complectente, dixit, Deo meadem ratione, quâ filium suum regno præfecit, simul morti destinasse. Subscribit quidem huic cogitationi idemmet Agnus, de quo ad Hebræos cap. 10. 5. sic loquitur Paulus. *Ingrediens in mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi.* Vbi eùm verbum *aptare*, præsertim Græcè à Paulo positum, omnino significet *concinnâ, & conuenienter quibus suo loco aptare, ita vt partes inter se, & cum toto congruant.* Non abs re ambigitur, quâ ratione Dominus mortale corpus fatigationibus, laboribus, ac doloribus, & ipsi

Margin notes: 1. Reg. 10. 3. — Gen. 35. 17. — Xiphilin. — Corn. Tac. — Rom. 9. 3. — Chrysost. — Matt. 27. 37. — Marc. 15. 26. — Luc. 23. 4. — Matt. 27. 28. — T. Liuius. — Apoc. 13. 8. — August. — Tychon. — Ioan. 6. 27. — P. Maldo. — Hebr. 10. 5. — Lexi Græc.

ipsi etiam morti obnoxium aptatum sibi, id est, congruentes, & concinnè conuenientes fuisse dixerit? cùm siue ad diuinitatem, quæ extra omnem telorum iactum est, cuius taberoaculo flagellum nulla ratione appropinquare potest, siue ad animā summè gloriosam, & Dei conspectu indesinenter fruentem spectes, Christo potiùs dissonare, & cum ipso malè se gerere videntur: illudque ei corpus omnino congruere, & aptari dixeris, quod impassibile, & gloriosum omni ex parte fuerit. Quippe tunc, & partes inter se, & cum toto, quod vis verbi *aptare* exigebat, conuenirent. Subsistit tamen egregiè Pauli, siue potiùs Agni Dei locutio, idque corpus quod cruciati, affligi, & immolari posset, aptum sibi, sibi inquam Principi, & humano generi Regi à Deo constituto, optimo iure esse dixit, vt hac ratione egregium sui amoris erga homines documentum daret, & sese germanum Principem ostenderet. Nam, qui *signatus* (imò verò quia *signatus*) eadem ratione *occisus* esse perhibetur. Nimirum *aduersis* (inquit huc intentus Chrysostomus serm. 6. de Passione Domini tomo 3.) *probatur amor, affectio pensatur periculis, pœnis examinatur dilectio, morte perfecta charitas innuitur.*

4 Firmat hæc, atque diffundit iterum idemmet Dominus Ioan. 3. 16. inquiens. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Preme illa, *sic Deus dilexit mundum.* Quidenum ipsum non antea dilexerat, qui & creauerat, & ingentibus donis cumulauerat? Num ipsum non etiam diligeret, si & vitam ei æternā alia ratione dedisset, quin filium suum neci addiceret? Ausim dicere ex Domini verbis, tunc signatè singulare amoris sui documentum Deum nobis dedisse: *Cùm filio suo non pepercit*: ipsúmque Dominum suorum amantem sese omnino exhibuisse, cùm pro ipsis mortem libenter subiuit, quippe vt antea, & ipsos creauerit, & bonis omnibus instruxerit, ad regiam id potiùs magnitudinem, quæ hanc sibi legem ponit, vt omnibus etiam immerentibus benefaciat, quàm ad veram, & germanam dilectionem, quæ nonnisi aduersis probatur, referendum videtur. Iam hæc accipe à Chrysostomo pulchrè hanc cogitationem pensitante præfato serm. 6. de Passione vbi cùm prius perquisisset. *Quæ patiendi necessitas, vbi saluandi inest, & possibilitas, & potestas? aut quæ ibi moriendi causa est, cui viuificandi virtus est, & facultas?* Sic postmodum respondet. *Mirans, si pro nobis posuit quod suscepit ex nobis, qui fecit propter nos tanta, & talia largitus est nobis? Quantum virtus, potestas, ac magnificentia creantis, operum contemplatione lucebat, tantum latebat dilectio Dei, tantoq́; Dei charitas habebatur obscurior. Subiectis dare, donare seruis, est assuetum donantis iudicium: pati pro subiectis, pro seruis mori, insigne est charitatis immensæ documentum, singulare est hoc amoris argumentum.* Commendat (inquit Apostolus) charitatem suam Deus in nobis, quia cùm impij tantum essemus, Christus pro nobis mortuus est, *& alibi.* Sic Deus dilexit hunc mundum, vt Filium suum vnigenitum traderet. *Præstet quinus beneficia, largiatur dona, sit benefactor in prosperis, diligat obsequentes, numquid illi poterit comparari, qui in se suorum suscepit necessitates, qui se periculis anteponit suorum, qui se pro suis dat pœnis, corpus obiectat morti, vt illos neci subtrahat, illos referuet ad vitam, &c. Hinc est quòd Christus intrat carnis iniuriam, subit contumelias passionum, pœnarum genera percurrit, mortem suscepit peramaram, quia damnari voluit, qui quod fecerat sic amauit.* Hæc omnia Chrysostomus: expende illa. *Subiectis dare, donare seruis, est assuetum donantis iudicium, &c.* vt dicere videatur, dare quidem & perdere, siue etiā, perdere, & date, magni omnino animi, ac regij fuerit: inde verò non tam dilectio, quàm potestas, & magnitudo ostenditur: at pati pro subiectis, & pro servis mori irrefragabile amoris argumentum à Principe exhibendum fuerit.

5 Iam si ad acura veniamus, vereor, ne illa Chrysostomi verba vndequaque subsistant. *Quantum virtus, potestas, ac magnificentia creantis, operum contemplatione lucebat, &c.* Nam vt in mundi, & hominis creatione Dei virtus, atque potestas eluxerit: eius quidem magnificentia non omnino perspecta, & in medium prolata videtur: vel quid magnificentia sit, priùs audi ab Aristotele lib. 4. Ethicorum cap. 2. & à S. Thoma 2. 2. quæst. 134. art. 3. dum vterque monet *magnificentiam circa magnos sumptus, ingentesq́; expensas versari*: sic enim ibi à Philosopho Angelicus Doctor: *Magnificentia non extenditur circa omnes operationes, quæ sunt in pecunia, sicut liberalitas, sed circa sumptuosas solùm, in quibus excellit liberalitatis magnitudine:* & statim cùm præmisisset, *ad magnificentiam pertinere, intendere ad aliquod opus magnum faciendum:* sic argumentatur: *Ad hoc autem quòd aliquod magnum opus conuenienter fiat, requiruntur proportionati sumptus. Non enim possunt magna opera fieri; nisi cum magnis expensis.* Ex quibus ita concludit. *Vnde ad magnificentiam pertinet, magnos sumptus facere ad hoc quòd opus magnum conuenienter fiat.* Ecquis verò tam magnificentiæ vim, naturamque perpendens, Deum, cùm mundi molem in lucem ex nihilo eduxit, magnificentiam suam ostendisse dixerit? cùm nullos ipse tunc sumptus fecerit. Quas namque tunc expensas fecisse, quos thesauros exinanisse dicetur? qui verbo, & spiritu oris omnia perfecit, atque stabiliuit? Ergo si ad sensum rei, non ad sonum vocis te exerceas, tunc omnino Dei magnificentia eluxit, cùm pro homine suo, quem ardenter amauit, immensos illos passionis suæ sumptus, atque expensas fecit: nam hi quidem Dei sumptus, hæ eius expensæ fuerint, Paulo attestante. *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Ad Philippens. 2. 7. & 8. Audis magnos, & ingentes sumptus quibus Dei thesauri quodammodo exinaniti videantur? Iam vt hæc firmiter subsistant, obserua quid priùs ex Christi sensu dixerit Apostolus: *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo:* id est, vt ex phrasi Hebræa, & P. Maldonato ad cap. 21. Ietemiæ 10 superioribus videmus, non magni duxit miranda opera perficere, quibus Dei æqualis nosceretur. Quid ergo magnum siue magnificum duxit? subiicit præfata verba Paulus, *sed semetipsum exinaniuit*: magnos scilicet sumptus facere, vt bonus Princeps non modò liberalem, sed etiam magnificum erga suos subditos se exhiberet, nec simplicem mortem subiret, sed eam, quæ magnā Passionum pompā, & crucientum apparatu constaret, vt non modò liberalitatis, sed omnimodæ etiam magnificentiæ mensuram, quæ Principem omnino decet, videretur implere.

6 Qua quidem ratione Passionem subiturus, & ea propter Hierosolymam ascendens, discipulos suos præcedere sic à Marco describitur cap. 10. 31. *Erant autem in via ascendentes Ierosolymam, & præcedebat illos Iesus, & stupebant.* Sed quare *stupebant*? Quia præter solitum morem, quo velut par cum paribus incedebat, longo illos tunc interuallo præcederet. Atenim minimè stupere debuissent, si illum ad Passionem properare animaduertissent, ea siquidem ipsius meos, is animus erat, vt discipulos suos, quantum dignitatis vertice, tantum laborum perpessione antecederet. Vnde quò illis stupotem & admirationem auferret, sic illos allocutus dicitur. *Quia ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus sacerdotum, &c. & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus. Et illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient*

Ioan. 3. 16.
Chrysost.
Aristotel.
S. Thom.
Philip. 2. 7. & 8.
P. Maldo.
Marc. 10. 31.

ficiunt eum. Vt dixerit, quid stupetis, quòd me tam in A parîendi alacritate, quàm in peenarum magnitudine tanto vos interuallo præcedere videatis, cùm ego Princeps, vos subditi; ego Deus, vos homines sitis, eosque ratione non vtcumque, sed magnificè pati, & magno cum apparatu mortem obire debeam. At enim vt videris, quomodo Dominus non tam excelsum duxerit, miranda opera pesficere, quibus Dei æqualis haberetur, quàm ingentes pro suis cruciatus perferre, compone eum præfatis Marci verbis, quibus in Passione discipulos præcedere dicitur, illa eiusdem Domini, quibus eosdem discipulos in signorum, & prodigiorum patratione ipsum fore præcessuros sic adstruit: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Ioan. 14. 12. Vides vt Magister discipulis in magnis, & mirabilibus cedat, in pœnis & cruciatibus non cedat, sed eos omni modo, & ratione quàm longissimè præcedat, ac superet, quòd hinc Principis magnificentia pensiteretur? Sed hæc iam à S. Chrysostomo præfato loco accipe, dum prædicta verba, *Ecce ascendimus Ierosolymam:* sic premit. *Ascendimus Ierosolymam, vt in die Paschæ, ad Passionis pompam, & ad spectaculum mortis, atque scandalum crucis, Iudæica vrbis vniuersitas conueniret. Non sufficit passio communis, non mors secreta, non mors simplex, non mors morti similis, nisi vt quãta erat patientia singularitas, tantu esset & singularitas passionis. Actum est, vt auctor sæculi sæculis teste moreretur, & à mundo mundi Dominum antè per pœnam, quàm per gloriam nosceretur.* Nec contentus hæc generaliter dixisse S. Chrysostomus, pergit hos sumptus, atque expensas quibus magnificentiam suam Dominus patefecit, singillatim enumerare his verbis, quæ omittere nefas duxi. *Pax tali traditur doli osculo, tenetur tenens omnia, alligatur omnium nexum. Ducitur attrahens vniuersa. A falso veritas accusatur: ... cui assistunt omnia. Iudæ gentibus traduntur, reddunt gentes Iudæis: Herodi mittit Pilatum, remittit Herodes Pilato: sic, commercium fit impietatis pietas, sanctitas in nundinam crudelitatis perducitur. Flagellatur remissio, condemnatur venia: illuditur maiestas, irridetur virtus. Perfunditur Largitor imbrium sputis, clauis ferri toli frator offigitur. Mella dator cibatur felle: propinatst fontium potatur aceto.* Pergit multis.

7 Sed illud quidę, quod ibidem ad eadem sermonis, sic inquit: *Deitatis autem non est voluntas hæc noua,* omninò re nostra fuerit, planè quòd, qui *existit Dominus* (vt dicebat adnotat. præced. adductus Tertullianus) *qui retro Deus tantùm:* Iehoua, id est, *dolens*, & *calamitosus*, doloribus scilicet, & morti iam obnoxius, ob creatum hominem ea ratione dicatur, quòd bonus Dominus pro suis seruis, quos, quia sui sunt, ardenti amore prosequi debet, dura quæque pati, & mortem subire teneatur, vt ipsos neci subtrahat, & ad vitam reseruet. Adeò fuerit antiquum, & æternâ veluti lege sancitum, Principem pro suis pati, vt cùm primùm Deus sese Dominum hominum fecit, doloribus simul & calamitatibus quodammodo obnoxium reddiderit. Hinc notantissimè Christus Dominus apud Ioannem, cap. 10. 17. cùm dixisset: *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.* Subiicit vers. 17. *Propterea diligit me Pater quia ego pono animam meam.* Vbi dum omnes penè PP. & Interpretes inquirunt, quo modo Christus dixerit, se propterea à Patre diligi quòd animam suam pro ouibus suis esset positurus, quasi eum, vel ante mortem non diligeret Pater, aut dilecturus non fuisset, si animam suam pro ouibus suis non posuisset? optimè respondet Cyrillus, Leontius, & Theophyl. apud Maldonatum ibi, sensum quidem non esse, tunc primùm diligere cœpisse cùm animam suam pro ouibus suis posuit: *Sed cùm antè diligeret Pater Filium, videret q́; deinde paratum pro ouibus suis mori, agnouisse in eo velu-*

Ioan. 14. 12.

Chrysost.

Tertul.

Ioan. 10. 17.

Cyril. Alexand. Leontius. Theophyl. Maldon.

ti naturalem Patris characterem, quòd quemadmodum Pater, ita etiam ille oues diligeret, itaq; magis, ac magis, quasi vinculo quibusdam similitudinis tractum eum dilexisse. Obseruo illa: *Agnouisse in eo veluti naturalem Patris characterem.* Quippe is Dei character, & natura est: vt יהוה, *Iehoua*, id est, is, qui & sibi essentia est, à quo pendet rerum omnium essentia, & calamitosus, ac dolens dicatur, quòd suos adeò diligat, vt pro illis mortem oppetere velit, vt videris, sapienter dixisse Chrysostomum: *Deitatis non est voluntas hæc noua:* cùm nihil Iehouæ antiquius fuerit. Accinit ipsiusmet Domini locutio Abrahamum sic alloquentis: *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum.* Genes. 15. 1. vbi signantè ea Hebræo transfert Pagninus. *Ego scutum ero tibi:* obserua vero scuti imaginem, sic eum qui ipso vtitur protegentis, vt pro illo hostium ictus in se suscipiat. Quòd si dubites, quomodo in se Dominus, qui extra telorum ictum est, ictus pro Abrahamo, & eius semine suscepit: occurrit Chaldæa Paraphrasis reponens. *Verbũ meum erit fortitudo tua:* omnino indicans Christum Dei Verbum pro ouibus suis vitam profundentem, Patris sui characterem, & lineamenta, siue ingenium, atque naturam expressisse: eò quippe diuina natura, ac voluntas fuerit, vt extremæ dilectionis signa suis dederit, & pro illis quã potuit ratione, Dei videlicet Filio humanam naturam assumente, mortem subiret. Benè quidem id noster Vates nouerat, qui aquam cisternæ Bethleem à se priùs tam ardenter concupitam, cum stomacho reiecit, quòd summo suorum discrimine, & sanguine velut pretio dato coempta fuisset: sic namque ipse: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc, num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* 2. Reg. 23. 17. Ad quæ verba Ambros. in Apologia de Dauid cap. 7. eam optimi C Principis mentem tunc fuisse obseruat: vt posteros suos commoneret: *Ne cui Regum bibendi vsum alieni periculis quæreretur.* Vt dicere videatur Dauid: O rem præposterosam! ego qui ex regio munere subditorum meorum clypeus esse debebam, vt proprio discrimine eorum incolumitati consulerem: adeò à ratione, & dignitate mea aberrauerim, vt ipsorum periculis & sanguine, meis commoditatibus inseruiam. Apage malignam & indignam Principe magnificentiam.

Gene. 15. 1.

Lect. Hebr.

Lect. Chald.

2. Reg. 23. 17.

Ambros.

8 Nec obseruare hic omiserim: inde hanc doctrinam Principibus gratissimam fore debere, quòd ex hac laborum, quos pro suis suscipiunt, patientia, eos denuò sibi acquirant, & strictissimis vinculis retentus, suos omnino faciant, siue legitimè emant: Paulo apud Acta cap. 20. 28. Episcopos monente: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Vbi primùm obserua, quod benè ibi adnotauit Montanus, non solùm de Christo Domino, sed etiam de Deo Patre dixisse Apostolum, Ecclesiam sanguine D suo adquisiisse: sic enim ille, *Christus Dei filius proprio sanguine, ac Deus Pater pretio illo inæstimabili sanguinis filij sui:* deinde preme phrasim *adquirendi*, quæ alia quidem est à phrasi rei vindicandi, siue redimendi, quæ propria eius loci videbatur: nimirum *adquirere*, propriè est de nouo adipisci, siue parare quod antea non habueris: sic apud Consultos, & hæreditas, & possessio acquiri dicitur: & signantè Cicero ad Attic. lib. 1. epist. 1. *Gratias non modò retinendas, sed adquirendas* fore monuit. Vnde meritò ambigas quomodo non tantùm Christus, sed & ipsemet Deus, homines quos fecit, & de nihilo creauit, dato pretio adquisiisse quasi antea non retinuerit dicatur? Sed ea in primis ad manù responsio est: tunc quidem suosmet subditos sanguine suo Dominum dici acquisiisse, quòd vt aliunde ad illos ius haberet: tunc tamen ipsos omnino obtinuit, atque retinuit, siue strictissimis, & indissolubilibus nexibus sibi

Act. 20. 28.

Cicero.

sibi adiunxit: cùm nouo emptionis titulo, eius videlicet dilectionis, quâ animam pro illis posuit, suos fecit. Quam sanè emphasim ea ipsius animam exhalantis facta ad Patrem verba habent: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Luc. 23. 46. quibus attexuit Lucas, *& hæc dicens expirauit*: nimirum vt Athanasius serm. de Passione, & plerique PP. interpretantur spiritus sui nomine Ecclesiam Dominus intellexit, quam suam ideò signatè dixit, quoniam pro illa mortem subibat. Audi ea de re sanctum Laurentium Iustinianum in libro de triumphali Christi agone cap. 20. sic hæc verba efferentem. *Spiritum vtique meum in manus tuas commendo, non tantùm quem gero vt homo, sed quem vt Mediator, & Redemptor adquisiui mihi. Meum planè dixerim spiritum, membra mea, Ecclesiam meam, sponsam meam, quam patiendo pro illa meam facio*, opportunè, *patiendo meam facio*: nam etsi Iurisconsulti (lege *non vi ex pluribus, D. de reg. iur. §. si rem legatarij instit. de legatis, cap. inter dilectos de fide instrument.*) repugnantes dicant: *Quod meum est, ex alia causa meum fieri non potest, nisi defecerit esse meum*: omnino tamen sublisti Christi Domini meus, cùm & peculiari ratione Ecclesiam ea Passione suam fecerit, & denuò tam strictè sibi adstrinxerit, vt eadem sibi omnino deuota, & mancipata fuerit.

Luc. 23. 46.
S. Laurẽt. Iustinian.
L. non vi ex pluribus, D. de reg. iur.

9 Sed deinde etiam respondeat non nemo, non alia de causa dixisse Paulum, Dei Ecclesiam ab eo Filij sui sanguine adquisitam, quàm quòd tunc ipse actu, & reipsa suum animum, & diuinitatis ingenium patefecit, quo homines creans, eorum Dominus esse, & dici voluit: dum eadem ductus ratione, pro illis extremè laborantibus pati, & mortem subire decreuit: quasi ea diuinitatis ratione, & Principatus lege, vt verus, & legitimus eorum Dominus haberetur, ad patiendum pro illis quodammodo maneret adstrictus, vt in יהוה *Iehoua*, id est, in Domino, contristato, dolente, & calamitoso vidimus; sanè cùm in generalibus cæli, terræque comitiis de Agni diuinitate quæsitum est, hæc vna omnium, siue cælestium, siue humanorũ spirituum vox erupit: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Apocalyps. 5. 9. Quod sic postmodum firmatum, sancitumque repetit Ioannes vers. 12. *Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus est Agnus qui occisus est, accipere diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Audis quid de diuinitate, siue cælestes, siue terrestres senatores senserint? Inde videlicet omnino dignum esse Dei agnũ ab omnibus coli, & celebrari, & Deum haberi, siue diuinos honores accipere, quòd occisus pro suis fuerit, iisque extremè laborantibus opem sanguine suo tulerit. Vt eadem voluntate quâ Deus hominum Dominus esse voluit: seipsum etiam passionibus, & morti, quâ suum erga illos affectum declararet, addixerit, & velut oppignorauerit: nec antea ipsos acquisiuisse quodammodo videatur, quàm sese verum eorum Regem patiendo ostenderit. Cui quidem sensui non leuiter adstipulatur, quòd non alio in loco Regius titulus inscribatur, nisi vbi effusus sanguis, & Passionis vestigia cernuntur: sic namque Apocalyps. 19. 16. *Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum Rex Regum, & Dominus Dominantium*: quippe & in carne vulnerum cicatrices insunt, *Et vestitus erat veste aspersa sanguine*, vt paulò ante dixerat Ioannes vers. 13. Sanguine ergo obtinetur Regnum, sanguine acquiritur populus, sanguini regius titulus, & insignia addicta sunt: dum effusus sanguis diuinitatis ingenium, & characterem patefacit. Vt hinc ad manum habeas, quod respondeas subtilibus Theologis ad quæstionem septimam, 3. p. S. Thomæ disquirentibus, qui diuinitas, quæ & immortalitas est, omnis perfectionis, atque felicitatis fons, ac origo, & cum qua nihil consistat, quod summè perfectum, faustumque non sit, Christum vt omnino sanctum, & beatum fecit, non itidem immortalem necessariò reddiderit? Nimirum dixeris, vt in priuato homine mori simpliciter, infirmitatis humanæ est, Principem verò pro suis mortem oppetere maximæ dignitatis fuerit, ita Dei filium pro suorum salute mortalem factum, & mortalitatem expleuisse, magnam fuisse perfectionem, & cum ipsa diuinitate egregiè congruentem, cùm hinc tum quanta Dei bonitas, charitas, atque benignitas sit, omnino innotuerit: tum etiam factum sit, vt ipse homines fortioribus ad se vinculis attraxerit. A quo non it, Dominum pias illas fœminas, quæ ipsum ad mortem euntem cum fletu, & lachrymis prosequebantur Luc. 23. 27. grauiter, & seuerè increpauisse. *Quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam*: vt inquit Magnus Leo serm. 10. de Passione. Pergit verò Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 285. *Quandoquidem igitur ipse sponte ad patiendum se conferebat, vt mortem extingueret, & diaboli neruos confringeret, eum autem qui laudibus, ac plausu dignus erat, illæ fletu, ac lachrymis prosequebantur, propterea calamitates ipsis euenturas prænuntiauit.* Sed de hoc alibi.

Apoc. 5. 9.
Apoc. 19. 16.
Luc. 23. 27.
Leo Mag.
Isidor. Pel.



DE

DE OPTIMO PRINCIPE, LIBER QVARTVS.

De Principis virtutibus, quæ ad Iudicium, & Iustitiam peculiariter pertinent.

Ad Psalmi verba : *Misericordiam, & Iudicium* : & *Non proponebam ante oculos meos rem iniustam* : necnon ad ea, *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.*

PROOEMIVM.



LIBER hic, qui Dauidem in reddendo iure, verè Regem ostendit, potissimum Regiæ artis, & egregiæ gubernationis munus, quod iuxta Prudentiæ, Iustitiæ, Fortitudinis, ac Temperantiæ leges suo quidque locò in Republica statuit, elucidandum suscipit: eò enim Iudicium ad Principum documentum à nostro Rege cantatum signatè iuerit, vt Principi maiestas; legibus sua reuerentia & auctoritas; Reip. pax & tranquillitas; Proceribus dignitas; popularibus suæ immunitates; sontibus pœnæ, benemerentibus præmia; cunctis verò æqualis iustitiæ administratio reddatur. Nimirum cùm, Gregor. Nazianzeno monitore, *Prudentia, & Fortitudinis ductu imperium egregiè administretur, quarum altera, quæ facienda sunt excogitat; altera quod est excogitatum facilè exsequitur.* (Naz. epist. 78.) Id nihil aliud, quàm Iustitiam, & Iudicium, quæ prudenter, & fortiter cuique suum tribuunt, esse dixeris. Vnde quidem Dauid hac omnino ratione, non modò Optimus Princeps, sed etiam *vir secundum cor Dei, qui omnes voluntates eius fecerit*, (Act. 13. 22.) esse prædicatur. Quòd etsi ipse aliquando à Dei lege aberrauerit; at in iis, quæ ad Iustitiæ administrationem, & Regni siue in pace siue in bello gubernationem, cuius ei cura peculiariter à Deo fuerat demandata, strenuè, atque fideliter se gesserit. Ergo Principi pulchram istam Reipub. faciem, in qua Iustitia ex arte administrata, legitimumque splendeat Iudicium, atque id quidem iudicium, quòd à domo eius incipiat, siue quod ipse primùm subeat, *Nam honor Regis iudicium diligit*: (Psal. 98. 4.) sequentibus capitibus, siue adnotationibus proponimus.

INDEX

INDEX ADNOTATIONVM LIBRI QVARTI.

AD EA VERBA,

Interficiebam omnes peccatores terræ.

ADNOTATIO I.

Iustitiam, quæ suum cuiq; pro meritis reddit, atque homines in officio continet, Principi *maximè colendam.*

1 PRÆCLARA alibi noster Vates, & regiam dignitatem, & bonam nominis existimationem, suo, eoque stricto iure à Principe exposcere, vt iudicium, & iustitiam diligat, ne, videlicet, cui noceatur, ne iura, legesque violentur, & vt communi vtilitati inseruiatur, sic affirmauit: *Psal. 98. 4.* *Agellius.* *Honor Regis iudicium diligit.* Psal. 98. vers. 4. Quæ verba non plenè explicauit Græcus quidam Auctor apud Agellium, loquens. *Honorem addit Regi hoc ipsum, quod iustitiam diligit*, quasi ei honori, & ornamento qui Regi aliunde subest, nouum quendam honorem, siue splendorem iustitiæ amor reddat. Nimirum à iustitia totus Regis honor subsistit; vnde si ea absit, nullum Principi relinquitur ornamentum. Quare sic plenius *Theodor.* *Basilius.* *Cyril. Alexand.* ea interpretati sunt Theodoretus, Basilios, atque Cyrillus. *Hoc Regem honorabilem reddit, quòd iustitiam diligat.* Cùm verò Hebræa vox, quæ *honori* respondet, *Lect. Hebr.* omnino significet omnem Regis potentiam, apparatum, vires, pompam, maiestatem, facultatem, cunctaque, quæ verendum ipsum, ac honorabilem reddunt, vt obseruat ibi Lorinus; *Lorin.* manifestè liquet, totum Regis splendorem, siue totum id, quod Regem regio muneri satisfacientem facit, signatè à iustitiæ amore, & cultu desumi. Cui Dauidis sententiæ omnino consonat, quod de egregio germine eidem per omnia respondente, inquit non semel Dominus apud *Ier. 23. 5. & 33. 14.* Ieremiam cap. 23. vers. 5. & cap. 33. vers. 14. *Suscitabo Dauid* (id est Dauidi) *germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra.* Vbi facilè vides totam regnandi artem, atque sapientiam, qua Rex legitimè regnans, præcellere dicitur, eò omnino ire, vt iustum subditis ius reddat, & iustitiam administret. A quo non iuit in libris Officiorũ Marcus Tullius, *M. Tull.* dum vno in loco ex Herodoto ait, *Fruendæ iustitiæ causa videntur olim bene morati Reges constituti*, & in alio, *Fundamentum est totius commendationis, & famæ.* *Alfons. Rex.* Quod lanè egregiè confirmat Rex noster Alfonsus in lege quinta, tit. 1. part. 2. vbi Regem populi animum, & cor, vitam, & spiritum ipsi reddentem, non aliunde, quàm à iustitia facit: sic enim pulchrè ait: *Ca assi como yace el alma en el coraçon, de el ome, è por ella viue el cuerpo, è se mantiene, assi en el Rey yace la justicia, que es vida è mantenimiento del pueblo de su señorio.* Quasi à Rege populus, à iustitia Rex subsistat.

2 Et verò vt multa de iustitia in commentario diximus, pluraque dari possint ea de re Principi monita, illud modò peculiariter vrgendum fuerit: *In legibus Republicæ salutem constitutam*: vt ait Philosophus *Aristot.* libro primo Rhetor. cap. 3. *Et si prohibita impunè transcendas* (sic Tiberius Imperator apud Cornelium Ta- *Corn. Tac.* citum lib. 3. Annalium) *neque metus vltrà, neque pudor est.* Ac proinde præcipuam Principis curam esse debere, opem legibus ferre, earumque custodiæ diligenter *August.* inuigilare. Vnde, Augustino interprete, sub eo signatè sensu, à nostro Vate Reges admonentur, vt

A seruiant *Domino in timore*, Psalm. 2. vers. 11. *Nam quo-* *Psal. 2. 11.* *modo* (inquit ille in epistola ad Bonifacium Comitem) *Reges seruient Domino in timore, nisi ea, quæ contra iussum Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo, atque plectendo.* Nimirum ea ratione Dei minister, & imago est, dicente Apostolo ad Rom. 13. vers. 4. *Dei enim* *Rom. 13. 4.* *minister est, vindex in iram ei, qui malè agit*; vt ea verba sic premit inibi Ambrosij Commentarius: *Ambros.* *Principes hos Reges dicit, qui propter corrigendam vitam, & prohibenda aduersa creantur, Dei habentes imaginem.* Sed & eum locum *Petr. Dam.* sapienter elucidat sanctus Petrus Damianus opusculo 57. quod est *de Principis officio in coërcitione improborum*, c. 1. Principis munus à Sacerdotis officio hunc in modum inde discriminans: *Non omnia membra Ecclesiæ vno funguntur officio. Aliud nempe Sacerdoti, aliud competit Iudici; Ille siquidem visceribus debet pietatis affluere, & in materna misericordiæ gremio sub exuberantibus doctrinæ semper vberibus filios confouere, Huius autem officium est, vt reos puniat, & ex eorum manibus eripiat innocentes; vt* B *vigorem rectitudinis, & iustitiæ teneat, & à zelo sanctionum legalium non tepescat, vt ab æquitatis linea non declinet, vt legitimi vigoris genium non eneruet.* Cui doctrinæ firmandæ cùm Pauli verba, quæ indidem habentur, *Non enim sine causa gladium portat*, adduxisset, subiicit; *In quibus vtique verbis datur intelligi, aliud esse gladium Principis, aliud infulam Sacerdotis. Non enim ad hoc præcingeris gladio, vt violentorum mala debeas palpare, vel vngere, sed vt ea studeas vibrati mucronis ictibus obtruncare. Hinc est quod sequitur:* Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè agit. Hactenus Petrus Damianus.

3 Mirum quidem alicui videatur, quàm magnæ curæ Domino in Passione sua fuerit, vt Discipuli gladiis essent instructi. *Sed nunc* (inquit) *qui habet sacculum, tollat, similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Lucæ cap. 22. vers. 36. *Luc. 22. 36.* Planè ac si ipsi extremè tunc laboranti gladiis foret à suis succurrendum; cùm tamen data occasione suppetias ferendi, & decertandi pro ipso, Petrum strenuè se gerentem non modò à cæde inferenda prohibuerit, sed etiam increpauerit, gladiumquè in vaginam C conuertere præceperit. *Cur ergo ô Domine* (ait inibi Ambrosius) *emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? cur habere præcipis quod vetas promi?* *Ambros.* Sanè quòd non illi Passioni, quam tunc libenter subibat, sed ei quam modò non libens patitur, dum à peccatoribus *iterum crucifigitur*, ad Hebræos cap 6. vers. 6. *Hebr. 6. 6.* vindicem gladium desiderabat: ministros suos ad iustam de sontibus vindictam sumendam armans, & vrgens: sic hæc verba opportunè elucidante Hugone de sancto Victore *Hug. de S. Victore.* in allegoriis Gotfridi Tilmani ad caput 22. Lucæ, hunc in modum. *Hic est gladius spiritualis, quo Prælati vitia hominum ferire debent, quem illis Petrus reliquit, si tamen sui feruoris hæredes existunt.* Vnde sic statim inclamat. *Videte igitur ô Pastores, quid facitis? Christus in oculis vestris crucifigitur, & vos adhuc gladium in vagina habetis: Quid in Passione Christi fecissetis, qui modò ad percutiendum*

pigri estis? En Dei ministrum, *qui vindex in iram sit ei, qui malè agit.* En iustitiæ scopum, Christum Dominum, scilicet patienti, siue ne patiatur, auxilium ferre: En pigri, desidisque Principis impiam pietatem, qui dum Christus Dominus in eius oculis crucifigitur, id enim est, homines publicè peccare, & aliis scandalo esse, ipse gladium adhuc in vagina habet.

A

4 Enimverò præfatæ locutioni qua Princeps *Dei minister* dicitur, duæ aliæ concinunt, quibus ad iustitiæ amorem omnino stimulatur: primùm enim, dum à Philone iustitia Dei depositum dicitur, eoque dicendi modo Princeps Dei depositarius, penes quem suam ipse iustitiam asseruandam reposuerit, censetur; omni ipsum studio, omni curà, legibus custodiendis, & ipsarum pœnis executioni mandandis, inuigilare debere omnino liquet. Quid enim fuerit in rebus humanis, quod adeò sanctè, iustè, ac diligenter custodiri, reddique debeat, ac depositum: adeò quidem, vt non de graui solùm, sed etiam de leui culpa

B

L. 1. §. Sepe D. deposit.

(vt eius rei periti aiunt) teneatur: vt ex Iurisconsulto in lege prima, §. *Sepè. D. deposit* præscribente. *Si se quis deposito obtulit, idem Iulianus scribit, periculo se depositi illigasse: ita tamen, vt non solùm dolum, sed etiam culpam, & custodiam præstet*, alibi iam adstruximus. Vnde præfato loco Petrus Damianus capite tertio cùm dixisset: *Nam vbi penitus disciplina postponitur, vbi districta legum vigoris censura reprimitur, necesse est, vt prona semper ad malum fragilitatis humanæ conditio ad illicita relaxetur*: sic notanter subiecit. *Et in eum procaldubio tota subiectorum culpa redundat, qui eos, ne præcipitanter excederent, sub disciplinæ loco cohibere debuerat: Inordinata nempe pietas Principis, quid est aliud quàm confusio plebis?* Sic ille. Planè admirationem non leuem Patribus, atque Interpretibus, bonus Rex Dauid mouet, qui cùm egregia mansuetudine, ac lenitate viuens prædirus fuerit, iamiam moriturus, cùm plus plus ad misericordiam flectendus videbatur, & qui venia opus habebat, veniam daturus, lethalia iudicia in Ioab, & Semei singillatim decreuit. Hæc enim nouissima ipsius verba ad Salomonem filium suum fuère libr. tert. Regum capit. secund. versu quint. *Tu quoque*

P. Damia.

C

3 Reg. 2. 5.

nosti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, quos occidit. &c. *Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* Et statim. *Habes quoque apud te Semei filium Gera, qui maledixit mihi maledictione pessima*, &c. *Tu noli pati eum esse innoxium*, &c. Ad quæ verba notanter subiecit Sacer Scriptor, *Dormiuit igitur Dauid cum patribus suis.* Quò hæc fuerint? aut qua temporis opportunitate, hæc iudiciorum seueritas à Dauide exercetur? Magna quidem pro suo munere: nam præterquam quòd tunc Princeps opportunissimè moritur, cùm officio suo inuigilat, singillatim quidem mortis articulus exonerandæ conscientiæ, & restitutioni faciendæ, siue deposito reddendo, omnino opportunus est: eaque de causa Dauid, qui tum iustitiæ depositum se à Deo accepisse, tum omissas publicis sceleribus debitas pœnas meminit, eas sontibus omnino infligi sedulò curauit, vt acceptum depositum sanctè, & religiosè redderet. Hæc omnia vno verbo perstringente Ambrosio libr. secund. officiorum capit. septim. *Mortem vltus, conscientiæ fidem præstitit.* Pulchrè, siue vt dixerit, Dauidem eo facto ostendisse, non ex animo impunita ea olim scelera reliquisse, sed quòd dum viueret, illa commodè vindicare non potuerit, siue vt affirmatit, illum depositi onus à se remouere voluisse, & conscientiæ fidem seruare. Quo etiam sensu idem Ambrosius Apologia 1. de Dauide, cap. 17. dixit. *Nihil tutius quàm viuentis affectus sancto Prophetæ ad-*

D

Ambros.

Ambros.

A

scribi potuit, qui vitâ decedens, supremâ voce conuenit Salomonem, vt sanguinem innocentem à se tolleret, quem fuderat dux eius exercitus Ioab. En redditum iustitiæ depositum.

5 Deinde verò hac ratione Princeps viua, & animata lex signatè dicitur, quasi vitam legibus indens, siue eas viuentes, & florentes faciens: cui locutioni ea Eliud de Deo verba apud Iob trigesimo sexto versu vigesimo secundo mirè consonant. *Ecce* Iob 36. 22.
Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus. Sed enim tibi non poterit non ad speciem difficile videri, cur ille excelsam fortitudinem Deo, quà egregius legum lator est, attribuerit. Quid enim fortitudini, & legibus ferendis? quippe & fortitudo ad bellica facinora, hostesque vincendos, barbarosque edomandos pertinet: & legum latio, prudentiam potiùs, sapientiam, & rerum vsum desiderat. Enimverò omnino subsistit Eliud sensus, atque sententia, legislatorem à fortitudine eaque excelsa commendantem: vt adstruat, nullum legum vsum, & vtilitatem fore, nisi Princeps fortiter, & pro virili earum obseruantiæ inuigilet: *Nam si prohibita impunè transcendas* (vt dicebat Tiberius) *neque metus, neque pudor vltrà.* Benè ergo qui ad leges ferendas accedit: *excelsus in fortitudine* præmittitur, qui non contentus mala prohibere, transgressores impunitos abire non sinat; sed qui in ferendis optimis legibus sapiens, & peritus visus est, in ipsarum custodia, & executione fortem se, & strenuum exhibeat. Vt Olympium Præsidem Gregorius Nazianzenus hunc in modum laudabat epistola septuagesima octaua: *Prudentia, & fortitudinis ductu imperium administras: quarum altera, quæ facienda sunt excogitat: altera quod est excogitatum facile exequitur.* Hinc certè, & verum Deum à falso, & eximium gubernatorem, siue Principem, ab eo qui nomine tenus legum lator est, iure discernas. Quid enim de Deo vero, & cui nullus ei similis sit in legislatoribus enuntiant Prophetæ? Audi Moysem Dei nomine leges ferentem, Deuteronomij sexto, versu decimo tertio: *Deum tuum timebis, & illi soli seruies*, &c. *Quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus, ne quando irascatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de superficie terræ.* Audi Moysis successorem Iosue, rebelli populo dicentem: *Non poteritis seruire Domino; Deus enim Sanctus, & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris, atque peccatis.* Iosue vigesimo quarto, versu decimo nono. Audi & Nahum Prophetam capite primo, secundo sic Vaticinium suum exordientem: *Deus æmulator, & vlciscens Dominus, vlciscens Dominus, & habens furorem: vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis. Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundans non faciens innocentem*: siue vt in Hebræo habetur, *& impunè iudicando impunem non iudicabit impium.* Vides optimum legislatorem, qui fortis simul, & æmulator sit, & prohibita impunè transcendi non patiatur. Accipe hæc iam elegantissimè à Tertulliano præscripta, verum Deum à falso quem confingebat sibi Marcion, nullas pœnas flagitiis irrogantem, sed intra lenitatis, & patientiæ metas perpetuò consistentem, hunc in modum discriminantem: *At his sufficit peruersissimum Deum ostendi in ipso præconio solitariæ bonitatis: Si enim neque æmulatur, neque irascitur, neque damnat, neque vexat, vtpote qui nec iudicem præstat, non inuenio quomodo illi disciplinarum ratio consistat, & quidem plenior? Quale est enim vt præcepta constituat, non executurus, vt delicta prohibeat non vindicaturus: quia non iudicaturus, extraneus scilicet ab omnibus sensibus seueritatis, & animaduersionis.* Et post pauca. *Stupidissimus ergo, qui non offenditur facto, quod non amat fieri, quando offensa comes sit frustratæ voluntatis:*

B

Naziang.

C

Deut. 6. 13.

Iosue 24. 19.

Nahum 1. 2.

Lect. Hebr.

D

Tertull.

aut

aut si offenditur, debet irasci, si irascitur, debet vlcisci. Sic ille libro primo contra Marcionem capite vigesimo sexto.

6 Habet hinc quidem accuratus Scripturæ indagatos mysticam sanè, & muralem, sed omnino opportunam sationem, siue solutionem, quâ eam difficultatem, quæ in Scriptura, & in Pauli epistolis maxima esse creditur, omnino opprimat: etenim *Ad Hebr. 9. 4.* Apostolus in epistola ad Hebræos cap. 9. vers. 4. in arca non modò, legis tabulas, sed & vrnam habentem manna, & virgam Aaron fuisse sic expresse affirmat. *Et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.* Cùm tamen liber Regum, & Paralipomenon his repugnare videantur, dum vtrobique expresse dicitur, in arca non aliud fuisse, quàm duas tabulas lapideas, quas *3. Reg. 8. 9. 2. Par. 5. 10.* Moyses in ea posuerat, 3. Regum 8. vers. 9. & 2. Paralipomen. 5. vers. 10. Qui sanè scrupulus B plures maximè torquet, & quod plus est, apud nonnullos tanti fuit, vt eo præcipuè argumento nixi, cœco quidem, & imprudenti impetu diuinam auctoritatem tam præclaræ epistolæ detrahere ausi fuerint: sed enim cùm hæc tunc temporis summa audacia, siue temeritas, modò verò aperta hæresis fuerit, Patres, & Interpretes, qui pro canonica huius epistolæ auctoritate fideiubent, penè infinitas excogitarunt solutiones, vt ei difficultati obuiam irent: alij enim aiunt vrnam, & virgam non à principio, sed post Salomonem reconditas in arca fuisse: alij contra inuersa responsione contendunt: hæc duo tempore Moysis in arca inducta, sed Salomonis tempore extracta: alij Pauli verba cum iis, quæ apud librum Regum habentur, sic conciliant, vt in arca tria hæc, tabulæ, vrna, & virga, prout à Paulo dictum, fuerint, sed aliter C quidem, atque aliter, tabulæ nimirum intra arcam inclusæ, vrna verò, & virga iuxta positæ in latere videlicet arcæ, cuius aliud agens meminit *Deut 31.* Moyses Deuteron. 31. ad quem sanè modum vnusquisque Interpretum in suum abit: sed enim eam nos huic difficultati expeditissimam afferre solutionem existimamus, affirmantes Paulum, Regum, & Paralipomenon verba, quæ tabularum legis mentionem solùm fecerunt, plenè elucidasse, dum ea sic capit, acsi Sacer Scriptor, non aliter legem esse, siue subsistere censuerit, nisi simul manna, & virgam: præmium scilicet, & supplicium sibi adiacentia omnino haberet. Ergo ab illo Paulus adeò non dissidet, vt eius potiùs mentem explicauerit: quin plus minùsve apud vnum, quàm apud alterum dicatur. Quæ enim lex fuerit, cui manna, & virga non adhæreant? aut quis, cùm legis tabulas audit, præmium, & supplicium non simul intelliget, D quin signatè explicentur. Videtur quidem iis sub- *Tertull.* scribere Tertullianus dum præfato libro capit. 27. sic sensu superiùs indicato aduersus eos, qui Deum legem quidem ferentem, sed non inferentem pœnas faciebant, egregiè ait: *Hoc erit bonitas imaginaria: disciplina, phantasma, & ipsa transfunctoria præcepta, secura delicta.* Vnde statim ironica emphasi pergit. *Audite peccatores, quiq; nondum hoc estis, vt esse possitis, Deus melior inuentus est, qui nec offenditur, nec irascitur, nec vlciscitur, cuius nullus ignis coquitur in gehenna, cui nullus dentium frendor horret in exterioribus tenebris, bonus tantùm est. Denique prohibet delinquere, sed litteris solis.* Pulchrè hæc omnia ille. Quæ legis tabulis sic moraliter aptabis, vt lex diuina non *litteris solis*, sed virga, & manna censeatur, & constet, quæ sontibus videlicet pœnas, benemerentibus præmia non tantùm assignet, sed etiam reapse inferat:

P. Velasquez in Psal. centesimum.

A aliàs disciplina, phantasma, & perfunctoria præcepta esse credentur: imò verò si *bonus tantùm Deus est*, qui supplicia nulla inferat, nec bonus quidem esse censebitur, sapienter id sic pensitante Chryso- *Chrysost.* stomo homilia sexta de Passione tomo tertio. *Irrita videtur bonorum promissio quæ à Deo velut ex pacto bonis facta est, si quæ ab ipso malis constituta sunt pœna, euanescant.*

7 Iam hinc & Deum falsum, siue illegitimum Principem cognosces, & cur Musca spurcum animalculum ab hominibus pro Deo habita fuerit, intelliges. Certè cùm Beelzebub hoc est *Deus Musca* sæpiùs in scriptura ab Idololatris cultus inducatur: vt 4. Regum 1. 2. 3. 6. & 16. nec nomine quidem *4. Reg. 1. 2.* solùm, sed sub muscæ etiam simulachro, vt Theo- *Theodor.* doretus, quæstione tertia in quartum Regum li- *Nazian.* brum, & Nazianzenus oratione quarta obseruant, meritò ambigitur, quæ tanta hominum dementia B fuerit, vt vilissimum animal, & quod Plinius vnum *Plinius.* inter omnia alia *nihil scire*, affirmat libro trigesimo capite sexto pro vero Deo colere non dubitauesint? Nònne Moabitæ, homines strenui, atque robusti, Leonem, Taurum, Elephantum, aut aliam fortem, & præferocem belluam opportuniùs pro Deo, siue pro Dei simulachro elegissent? *Deflenda* (inquit Theodoretus) *Moabitarum amentia,* *Theod.* *non solùm enim in deos referebant maxima animalia, sed etiam minima, & vilissima, & odiosa. Quid enim est muscâ odiosius? sed tamen & eius simulachrum Deum dixerunt, & Deo, qui verè est Deus, relicto, muscæ simulachrum de vita sciscitabantur.* At enim mihi non tam amentia, quàm immanis malitia deflenda videtur, quæ muscam Deum habet. Quid enim id fuerit? quàm eum sibi Deum, eum sibi Principem assumese, qui si cultorem suum aliquando stimulet, ac C pungat, ab eo statim flabello expellatur, quin aculeum possit infigere: à quo non longè it Theodoretus dum subdit: *Et quam viuentem flabello expellunt, eius figuram Deum appellarunt.* Vt dicere videantur, nolunt eum Principem, qui viua, & animata lex sit, qui videlicet peccantes pungat, ac meritis pœnis plectat: sed illum qui Principis tantùm figura, ac imago esse videatur, recta quidem præscribens, sed litteris solis, quin peccata vindicet, & puniat. *O Deum* (sic indidem Tertullianus) *ve-* *Tertull.* *ritatis præuaricatorem! timet damnare quod damnat: timet odisse quod non amat: factum sinit, quod fieri non sinit, mauult ostendere quid nolit, quàm probare:* Scitè *veritatis præuaricatorem*: qui ex vtraque parte (quod præuaricatoris est) & pro veritate, & contra veritatem est: vti de Imperatore Marco Antonio *Auid. Cass.* importunè clemente dicebat Auidius Cassius: *Homo sanè optimus, qui dum clemens dici cupit, eos patitur* D *viuere, quorum ipse non probat vitam.* En Deum Muscam, siue flabello excussum, siue merum muscæ simulachrum quod figurâ tantùm Rex sit. Tales quidem Reges Româ expulsos dolebant flagitiosi adolescentes Romani apud T. Liuium libro *Tit. Liu.* secundo quòd substitutæ pro illis leges, licentiam peccandi imminuerent: vnde sic subdolè mussitabant: *Hominem esse à quo impetres, vbi ius, vbi iniuria: esse gratiæ locum, esse beneficio: & irasci, & ignoscere posse: inter amicum, & inimicum discrimen esse: legem rem surdam, inexorabilem esse, salubriorem, melioremq; inopi, quàm potenti, nihil laxamenti, ac veniæ habere, si modum excesseris.* Nimirum Deum muscam volebant, quem flabello abigerent, non legem viuam qualis bonus Princeps est.

8 Nec hilum à Moabitis Israëlitæ videntur differre, dum sub impudicæ Oolibæ imagine à Domino per Ezechielem notantes perstringuntur,

Ezech. 23. 42. quòd idola sua cultissimo nomi affectu veneraten-tur. *Posuerunt* (inquit) *armillas in manibus eorum, & coronas speciosissimas in capitibus eorum.* Ezech. 23. vers. 42. Vbi non immeritò dubites, quomodo hæc cum illis Oseæ verbis consentiant, quibus eadem plebs non alia ratione se idola colere affirmat, quàm quòd ab illis ea quæ ad vitæ subsidia, atque delicias opus habebat, omnino acciperet? *Vadam* (inquit) *post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.* *Oseæ 2. 5.* Oseæ 2. vers. 5. Qui enim idem fuerit? ab amatoribus, siue idolis dona, atque delicias accipe-se, eaque de causa post illos abire: atque illis eandemmet plebem egregia munera, & speciosissimas coronas dare? Mutauitne genium, & mentem ad accipiendum procliuem impudica illa? Non opinor; sed idem illi vtrobique animus, eadem mens erat: quippe dum apud Ezechielem idolis, seu amatoribus suis armillas signatè dabat, non aliter B illos sibi demereri, atque deuincire studebat, quàm vt suimet genij, & naturæ consortes faceret, id est, vt effœminati subditi effœminatos Deos, siue muliebris ingenij Principes quibus nullus subesset animi vigor, nulla constantia ad propugnandas leges, fonteíque plectendos haberent. Nimirum armillarum ornamentum fœmininum est, & sumptum proculdubio, vt ibi obseruat P. Sanctius, à ritu nuptiali, iuxta quem sponsus in nuptialibus deliciis ad sponsæ cultum armillas conferre soler iuxta id *Cant. 1. 10.* Cantic. 1. vers. 10. *Murenulas aureas faciemus tibi:* & si verè æstimas, à viro sponsæ suæ tanquam manicæ & vincula, quibus suam faciat, sibíque omnino colligatam, & subditam habeat, conferuntur. Cui cogitationi mirè applaudit Hebræa lectio, vt *Lect. Heb.* Pagninus, & alij adnotarunt, quæ in fœminina terminatione haber: *Armillas in manibus earum, & coronas in capitibus earum.* En quos sibi Hebræi Deos, Principeſque suscipiebant. Qui videlicet manus ligatas, coostrictaſque haberent, & subditis suis tanquam fœminæ viris, non modò indulgerent, sed etiam velut feueris maritis honorem deferrent, imò & eos metuerent. Vnde obseruauerbotum structuram, quæ internum animum, & scopum quem isti collimabant, apertè indicant. *Imponebant* (inquit Vates) *armillas in manibus tarum, & coronas speciosissimas in capitibus earum.* Piæpostero quidem ordine, priùs illi manus, quàm capita Principum ornantes, siue qui priùs illos sibi deuincirent, quàm in Principes eligerent: vt diceres, coronam, imperiumque non nisi iis deferre volebant, qui priùs velut manicis coostricti, nullum verè fortitudinis specimen dedissent.

Ad ea verba.

Iudicium cantabo.

Princeps, vt non nisi accuratissima consultatione adhibita, leges ferre; ita earum, quas semel tulit, diligens custos, rigiduſq, satelles esse debet.

ADNOTATIO II.

Iob 36. 22. 2 RVrsum premo præfata Eliud de Deo verba apud Iob 36. 22. *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus.* A quibus non eunt illa lethro ad Moysem optimi Iudicis notas velut indice ostendentis. *Prouide autem de omni* A *plebe viros potentes, & timentes Deum.* Exodi 18. vers. 21. *Exod. 18. 21.* cùm pro voce *potentes* in Hebræo sit *fortes*, vt vtrobique in legislatore fortitudo signatè requiratur: non ea solùm de causa, vt prohibita impunè transcendi non sinat, & sontibus præscripta à legibus supplicia irroget; sed etiam vt qui leges iuxta prudentiæ, & sapientiæ normam semel tulit, debitum illis honorem, & reuerentiam exhiberi faciat, quin facilè, & ingratis abrogentur, siue ablegentur: Quî enim Principi, siue Reipublicæ reoerentia? qui luti honor seruari dicatur, cùm nonæ quotannis leges, sanctionesque præscribuntur, quæ paucis subinde diebus aboleantur, siue obliuioni mandentur? Satius namque fuisset, eas non tulisse, quando ipsæ forti Principis manu destitutæ, hominibus non vtilitati, sed laqueo, ipsi verò legislatori contemptui, atque ignominiæ sunt, vt iore illi dixeris, quæ Tertullianus lib. secund. contra Mar- *Tertull.* B cionem capite septimo de Deo, quem hæreticus ille somniabat, liberum homini arbitrium cum primis dante, subindeque adimente. *O Dominum futilem, instabilem, infidelem, rescindentem quæ instituit! Cur permiserat liberum arbitrium si intercedit? tur intercedit si permisit? eligat, vbi semetipsum errorn noiet: in institutione? an in resissione?* Siue etiam quod Sanctus *Hieron.* Hieronymus tam de iis, qui vxores via contracto matrimonio repudiarant, quàm de illis qui eadem die repudiatas duxerant, libro aduersus Iouinianum ait: *Vterq, reprehendendus maritus, & cui tam citò placuit, & cui tam citò displicuit.* Nimirum leges via factæ atque abolitæ, siue oblitæ, aut citò Principi placuisse, aut citò displicuisse dixeris. Et verò illa Cleonis sententia omnibus qui pleno pectore sa- *Cleon.* C piunt, maximè probatur. *Meliorem esse statum Reipublicæ, quæ legibus vtitur deterioribus, sed firmis, eâ quæ frequenter eas commutat.* Quippe hinc tum Regiæ maiestatis, Iurísque contemptus, grandiorum insolentia, tenuiorum laqueus, & insidiæ, & pessima transgressionum exempla proueniunt, tum etiam Principem sibi non constare, sed duplici in diuersum hamo scindi apparet: Vnde quidem rursus *Tertull.* Tertullianus libr. prim. contra Marcionem capite vigesimo sexto, dum in illam importunissimam bonitatem inuehitur, quam Deo Marcion affingebat, vt vna ex parte bonas, & salutares leges hominibus præscriberet, ex alia nullas transgressoribus pœnas assignaret, aut quamuis assignaret, non sumeret, hunc in modum argumentatur. *Cur enim prohibet admitti quod non defendit admissum? cùm multò rectiùs non prohibuisset, quod defensurus non esset, quàm vt non defenderet, quod prohibuisset: immò & permisisse directè debuit sine causa prohibiturus, non vt defensurus: nam & nunc tacitè permissum est, quod sine vltione prohibetur.*

D 2 Quò quidem adspexisse videtur Dominus, cùm legem hominibus daturus, non chartæ, aut tenui membranæ, quæ temporis iniurias perferre posset, sed durissimo lapidi insculptam dedit: sic enim Exodi 32. vers. 18. *Dedítq, Dominus Moysi duas tabulas testimonij lapideas, scriptas digito Dei.* Sicuti, & *Exod. 32. 18.* Ipsimet Gentiles legum latores leges suas in æs incidebant, vt Cyprianus epistola secunda, sic monet: *Cyprian.* *Sint licet in ære incisæ leges duodecim tabularum.* Et Iurisconsultus in lege 8. *ad l. Iuliam peculatus,* inquiens. *L. 8. ad l. Iul. pecul.* *Qui tabulam aneam leges continentem.* Vt videlicet, vel ab ipsa materia cui insculpebantur, perpetua, & inuiolabilis legum obseruatio commendaretur: vnde Plinius libro 34. cap. 1. *Vsus* (inquit) *æris ad Plinius.* *perpetuitatem monimentorum iampridem translatus est, tabulis æreis, in quibus constitutiones publicæ inciduntur.* Quæ omnia ad præfatum Exodi locum sic obser-

nauit

Lippomā. nauit Lippomanus in Catena: *Quid est quod Deus scripsit decalogum potiùs in lapideas, quàm in papyraceas tabulas? Cui respondebimus; Voluisse Deum his saxeis tabulis significare stabilitatem, & firmitudinem legis suæ: vt enim gentes incidebant leges suas in æs, quò significarent eas debere esse inuiolatas: ita Deus sculpsit decalogum suum in lapides, vt declaret se potiùs cælum, & terram aboliturum, quàm legem suam.* Quam planè Domini mentem omnino debent exprimere optimi Principes, legumque latores, tum vt quas populis leges dederint, non proprio, sed Dei digito, re scilicet maturè, & accuratè discussa, nec humano ductu, siue oculis in proprias commoditates, sed in Reipublicæ bonum, & vtilitatem defixis
Iob 29.16. conscribant, vti sanctus Iob se facere solitum sic affirmat cap. 29. vers. 16. *Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.* Tum etiam vt præscriptas hoc Dei digito leges, inuiolabiliter obseruari curent, excelsosque in fortitudine ad ferendam illis opem sese exhibeant, quasi in ipsis Dei digitum atque sapientiam obseruent, ac reuereantur: cùm non nisi per diuinam Sapientiam *Reges regnent, &*
Prou. 8.15. *legum conditores iusta decernant.* Prouerbiorum 8. 15.
Plutarch. Quare opportunè hic aptaueris, quod Pausanias apud Plutarchum in Apothegmatibus Laconicis ad quemdam interrogantem, *Cur ex priscis legibus nullam mouere apud Spartiatas liceret?* Respondit, *Quia leges, inquit, hominum, non homines legum dominos esse oportet.*

3 Enimverò saxeis, siue æneis hisce tabulis, quibus ad perpetuitatem leges conscribuntur, siue inciduntur, mirè concinit adamantina atque silicea facies à Domino Ezechieli populi sui institutori
Ezech. 3. 9. data: sic enim Ezechiel. 3. vers. 9. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam:* siue vt ex Hebræo legit Pagninus: *vt adamantem fortiorem silice.* Sed quò, inquis, hæc tam saxea, & indomabilis durities iuerit? ferreosne, siue adamantinos ministrorum suorum animos Dominus format, vultque? aut egregia illorum laus fuerit?

——— *Durit*

Te genuit cautibus horrens Caucasus.

Cùm potiùs *crudelia impiorum viscera* ipse auersetur
Pro. 12. 10. Prouerbiorum 12. 10. adeoque illi Principum mansuetudo, & lenitas placeat, vt hanc vnam ad ipsum sibi demerendum noster Rex proposuerit Psal. 131. vers. 1. inquiens: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Verùm iis facilè occursam, si obseruem, non animum, sed faciem ex adamante, & silice compactam Ezechieli datam, nec hac tam exquisitæ constantiæ & fortitudinis imagine, ipsum leges condentem, sed iam conditas propugnantem induci; sic enim paullò ante Dominus volumen ei comedendum, & annuntian-
Ezech. 3. 1. dum committens, ait, *Fili hominis comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel, & comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce.* En legem priùs latam, non adamantino, aut siliceo sensu; sed potiùs Dei digito scriptam, hoc est prędulci charitate, & ad subditorum bonum, & vtilitatem, & ad æquitatis, ac moderationis normā factam: sed enim quæ semel lata sic fuit, non cerea subinde, aut mulli facie, verùm adamantina, & saxea aduersus potentiorum insolentiam, qui nullis obstringi legibus volunt, propugnari debuit: ideò notanter Dominus: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eo-*
Eccles. 7. vers. 6. *rum:* qui videlicet valeas *irrumpere iniquitatem*, quin *extimescas faciem potentis.* Ecclesiast. 7. vers. 6. Vides P. Velasquez in Psal. centesimum.

A vt Princeps quas semel tulit leges defendere debeat, quin illas emori, aut extingui sinat? cæ siquidem non nisi saxeis, æreisque tabulis inciduntur: ipse verò dum à Deo earum custos fit, non alia quàm adamantina facie fortiore silice constans inducitur. Qua sanè in re infelix ille, & cætera pessimus Præses Pilatus, strenuè & fortiter se gessisse videtur, qui cùm Crucis Christi titulum, consultatione priùs adhibita sic scripsisset, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, eaque scriptura Iudæorum proceribus vehementer displicuisset, ideoque ab ipso obnixiùs efflagitarent; *Noli dicere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit Rex sum Iudæorum*; firmus tamen & constans in sua sententia perstitit inquiens: *Quod* Ioann. 19.
scripsi, scripsi. Ioan. 19. 22. tantùm non dicens: quod 22.
semel consultò, & maturè scripsi, scriptum, firmumque permanere debet. Nec enim scribo, vt deleam, sed vt scriptura velut in ære, aut lapide
B insculpta absque litura perpetuò duret. Quomodo namque ingens animi leuitas non videatur, quod modò scripsi, statim delere? Iure quidem mihi, si fecero, aliquis suggerat: *Eligat vti semetipsum erroris notet, in institutione, an in rescissione.*

4 Iam hæc ipsemet excelsus in fortitudine sua, & cui nemo sit similis in legislatoribus, re ipsa egregiè confirmat, & pro Elud omnino fideiubet: enimverò cùm homini in peccati pœnam mortem interminauerit, huius à se semel latæ legis adeò fidus custos, rigidusque satelles extitit, vt illam siue abrogari, siue vllā ratione infringi passus non fuerit: sanè cùm ipsi sanctissimus Enoch ob egregiam vitæ probitatem, & mirè placuisset, & in extremi sæculi correctionem, *vt det gentibus pœnitentiam*, opus eo quodammodo esset, quis non existimaret morti illum fore eximendum,
C atque immortalitate donandum? Sed quàm gratus ipsi fuerit, quantumque apud ipsum legislato- Gen 5.24.
rem gratiā valuerit, primùm audi. *Ambulauit* (in- LXX.
quit Sacer textus) *cum Deo*, Gen. 5. 24. vbi Chaldæus notantes reposuit *seruiuit in veritate coram Deo indicet*: Hebræam verò phrasim *Ambulandi*, propriè acceperis: *Contendit curā, & studio Deum gratum habere sibi*: siue etiam, *eò peruenit gratia, & amicitia, vt cum iudice, eoque Deo familiariter ageret, deambularetque*: ergo qui iudici adeò placet, à iudice pœnas dabit; maximè cùm extremo sæculo pernecessarius sit? Vix sanè in id animum inducis: at enim excelsus in fortitudine legislator aliter censuit, atque eum aliò transferre, quàm morti eximere maluit. Sic
enim Genes. 5. 24. *Ambulauitque cum Deo, & non ap-* Eccles. 44.
paruit, quia tulit (LXX. *transtulit*) *eum Dominus.* 16.
Et Eccles. 44. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est*
D *in Paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.* Ne videlicet latam à se legem eneruaret amicitiæ causā, & iudicem, atque legislatorem cum amico confunderet: bene id hunc in modum obseruante Chrysostomo homil. 21. in Gen. *Vides sapientiam Domini? viuentem transtulit, non immortalitatem largitus est, ne peccandi metum eneruaret, sed mortis in humanum genus suum ius reliquit.* Pulchrè, *ne peccandi metum eneruaret*; Quid enim fuerit legum obseruantiam, vel semel non propugnare, quàm hominibus peccandi metum adimere, qui ab vnius legis transgressione ad alias contemnendas gradum faciunt.

Accinit his Dei filius ita apud Matth. c. 5. 18. discipulos suos admonens: *Nolite putare quoniam veni soluere legem, aut Prophetas, non veni soluere, sed adimplere.* Sed enim cùm hæc verba duplici ex capite è re nostra sint: quā primùm ratione cum præcedentibus hæreant, obseruare placet, & verò

cùm immediatè præmisisset Dominus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona:* non facilis videtur vtriusque sententiæ nexus. Quæ enim hæc consecutio fuerit? omnimodæ puritati, & sanctitati studere, nec enim ego legem soluturus, sed impleturus veni. Respondet verò opportunè, ex Auctore operis Imperfecti homil. decim. P. Maldonatus, signatè id Christum dixisse, vt qui legem diligentissimè seruabat, suo exemplo, quàm vellet discipulos suos legis obseruatores esse, ostenderet: *Ne existimarent* (inquit) *licere sibi, quòd Christi, id est, ipsius legislatoris discipuli essent, legem violare, sicut solent, qui ex familia Principis sunt, omnibus ferè legibus soluti esse.* Vides Dominum legis suæ obseruationi vndique inuigilantem, & tam per seipsum, quàm per discipulos suos adimplentem? At enimverò præsenti instituto opportunissimus horum verborum sensus is est, quem affert Chrysostomus sermon. sext. *de Passione Domini* tom. tert. vt ea de causa Dominus se legem adimplere venisse dixerit: quòd quà homo erat, mortalitatis legem seruare, & custodire voluerit, ne si vel ab ipso violata semel fuisset, quidquid Deus, aut bonis promisit, aut malis comminatus est, irritum fieri videretur. Tanti quippe refert, legibus semel latis reuerentiam habere. Sed Chrysostomum audi. *Statutum suum Deus patiendo implere voluit, ne compelleret imperando sicut fatetur ipse.* Non veni legem soluere, sed adimplere. *Irrita videtur bonorum promissio, quæ à Deo velut ex pacto bonis facta est, si quæ ab ipso malis constituta sunt pœnæ, euanescant.* Vnde notanter statim sic infert. *Porrò iota vnum, inquit, aut vnus apex de lege non præteribit, donec omnia fiant. Aperte sibi persuadet quicumque sapit, qui sentit, intelligat; si propter sententiam suam proprio filio non pepercit, contra sententiam suam cui possit ignoscere, qui mentiri nescit, nec nouit contra quam præscripsit legem ignoscere?* Hæc Chrysost.

Ant. Imp. P. Maldon.

Chrysost.

6 Sed quod priori loco, de Domino Henochum transferente dixit Chrysostomus: *Vides sapientiam Dei, viuentem transtulit,* obseruatione, & disquisitione dignum videtur: cur enim fuerit sapientiæ opus, viuentem transferre, & non potiùs apud mortales relinquere, vt nos optimis sermonibus, & exemplis ad virtutem accenderet? Quid enim æquè mundo vtile ac salutare esset, quàm sanctissimum virum præ oculis, & in oculis habere? aut quomodo non in paradiso, siue vbilibet sit, tanquam talentum in terra defossum, aut ligatum in sudario non fuerit, qui nemini vitæ exemplo, aut doctrinâ iuuare valet? Subsistit tamen Chrysostomi sententia atque locutio Dei sapientiam commendantis, quòd qui Henoch vsque ad extrema mundi tempora viuere, & durare voluit, hinc illuc transferre, & ab oculis hominum submouere decreuerit: quia nimirum etsi morti exemptus non fuerit, nec immortalitate donatus, ne lata de morte lex infringeretur, at illo tamdiu inter homines viuente, & conuersante, nec mortis ius siue aculeum persentiente, generalis illa lex, vt non fracta, at eneruata & debilitata videretur, plusque perennis vitæ præsentia hominibus noceret, quàm vitæ probitate iuuaret, dum illi à lege tolerata, nec omnino adimpleta, siue mortis sibi metum adimerent, siue ad alias leges contemnendas sumerent animos. A qua sanè cogitatione non inerit, quod lib. 3. Regum cap. decimo octauo versu trigesimo octauo habetur, Helia nimirùm cum prophanis Baal Prophetis de vera Religione aliquando concertante, & ex pacto conuento cum illis conueniente, vt ea de re non aliunde quàm de cælo id peterent testimonium, quo ille verus existimaretur Deus, qui à suis cultoribus inuocatus misso desuper igne oblatum sibi sacrificium combureret, Dominum adeò acrem, & vehementem ignem immisisse, vt non solùm holocaustum & ligna, sed etiam lapides, ex quibus recens altare constabat, & ipsum etiam circumfusum puluerem omnino consumpserit. Sic enim ibi: *Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæ ductu lambens.* Vbi meritò ambigas, cur vehemens hic ignis de cælo delapsus, bouem concremasse non contentus, insuper altare, lapides, & puluerem ipsum circumfusum etiam absumpserit? quod quidem è vsu Eliæ non omnino fuisse videtur, cùm inter disceptantes nihil ea de re antea conuenisset, ac solummodò propositione facta, *Deus qui exaudierit per ignem,* qui oblatum scilicet sibi bouem combusserit, *ipse sit Deus.* Cui sanè dubio illa expeditissima videtur solutio, non frustrà à sapiente eo igne ipsummet altare, & quidquid circumfusum erat, fuisse consumptum, ne eius sacrificij, quod præter communem sacrificandi ritum & legem perfectum fuerat (quippe diuina lege cauebatur, ne alio loco quàm in templo sacrificia fierent, vt ad id secund. Paralipomen. septimo versu duodecimo: *Elegi locum istum mihi in domum sacrificij,* admonent Interpretes) non modò altare, sed nec leuissimus circumfusus puluis, aliudve signum, siue vestigium à quo legis dispensationem sperare homines possent, subinde remaneret.

3. Reg. 18. 38.

2. Para. 7. 12.

Ad ea verba.

Vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

A iustitia Regni pacem, & stabilitatem aduenire.

ADNOTATIO III.

1 QVæsito dicendi modo Rempublicam suam omni flagitiosorum fæce purgatam, ciuitatem Domini, quæ *visio pacis* dicitur, in qua videlicet pax summa, & felicissima tranquillitas perpetuò adest, appellauit Dauid; à iustitia enim omnes operantes iniquitatem disperdente, egregia pax, atque tranquillitas, & florentissimus Reipub. status subsistit: est enim *opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum.* Vt inquit Isaias capite 32. versu decimo septimo, *Isai. 32. 17.* vt dixerit, ex accurata iustitiæ obseruatione, & iudicij cultura id Respubl. Principesque consequuntur, vt pacatissimâ quiete, & otio perfruantur, & à noxiarum seditionis & perturbationis curarum metu soluti securitatem habeant perpetuam (id namque ibi significat silentium à verbo Hebræo quod est omnino quiescere, quin vlla perturbatio, aut tumultus, imò nec leuis mussitatio subsit.) Quod omnino expressit Athalaricus Rex apud Cassiodorum lib. 9. epist. 2. vbi venustis his imaginibus præmissis. *Arbor quam florere vides, quam summâ conspicis viriditate lætari, subterraneo succo fœcunditatis animatur, reddens in superficie quod continet in radice. Hominum quoque vultus magna hilaritate decoratur, si visceribus sanis grauamen nullius sentiat læsionis:* subiicit. *Sic Regnum iure dicitur integerrimum, si nusquam fuerit imminutum. Hoc fieri potest, cùm vndique submouetur effrenata licentia, nec datur ausus menti malignæ sub abominabili*

Cassiodor.

minabili libertate peccare. En iustitiam, florentem Reipub. arborem fucco fœcunditatis animantem, pulchrumque Regni faciem omnino decorantem, dum ipsi internam sanitatem reddit, à qua externa pulchritudo, & decor subsistat. Enimverò Athalarico pulchrè concinit Ambrosius libro de Paradiso capite tertio, vbi quatuor illos paradisi fluuios elucidans, & cum quatuor virtutibus, quas cardinales appellamus, componens, Euphratem, *qui (vt ipse ait) Latinè fœcunditas, atque abundantia fructuum nuncupatur*: ex vocabuli vi, atque significatione, iustitiæ sic primùm aptat: *Nulla enim virtutum latiores videtur habere fructus, quàm æquitas, atque iustitia, quæ magis aliis, quàm sibi prodest, & vtilitatis suas negligit, communia emolumenta præponens*: deinde verò & Græcâ Euphratis significationem, quæ à *lætando* deducitur, & eius aquam, quæ signatè *vitalis asseritur*, iustitiæ conuenire affirmat: *quòd hominum genus nullo magis quàm iustitia, & æquitate lætetur*, & ipsa Reipub. & populis vitam teddat, *omnia foueat, atque augeat*: vt quod dicebat Athalaricus. *Arbor, quam florere vides, quam summâ conspicis viriditate lætare*, mysticè Euphratis aqua irrigata, *vitali succo fœcunditatis animatur*. (Ambros.)

2 Monuit id etiam Rex Salomon Prouerb. 25. vers. 4. & 5. inquiens. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iustitiâ thronus eius*: siue vt clarius LXX. efferunt: *interfice impios à facie Regis, & rectâ procedet in iustitia thronus eius*. vt suadeat Principibus Sapiens, nihil ex eorum vsu & vtilitate adeò esse, quàm Rempublicam quæ velut argentum admixtis scoriis ex probis, improbisque fermè coalescit, ablatis sontibus indesinenter expurgare, inde enim fieri, vt regnum ipsorum firmum, & imperturbatum sit, quia videlicet dum *submouetur effrænata licentia, nec datur ausus menti malignæ sub abominabili libertate* peccare, homines 10 officio contenti nihil aduersus Principem, nec contra Rempublicam audent, cogitántve: præsertim verò cùm Deus Principi iustitiam colenti, & cui Dei iniuriæ peculiari curæ sunt, signatissimè iuuet, omnemque opem ferat, vt & florens, & stabilis in suo solio permaneat. Contrà verò cùm flagitia non vindicantur, nec illæ priuatis iniuriæ prohibentur, maiora sontes audent, & ab impunitis criminibus animos sumentes, Rempublicam Regnumque turbare non verentur. Quid quod *inter populos sempiterna nascuntur certamina nisi fuerit iustitia custodita*: vt inquit Cassiodor. libro septimo epistola vigesima tertia. Quò quidem facit Sommum Patrem Ecclesiæ gubernationem, & Regnum Christo dantem, aiente non semel Apostolo, *in hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum & mortuorum dommetur*, ad Rom. 14. 7. de quo vide dicta ad id capitis secundi versu vndecimo ad Philippens. iuxta Græcam lectionem: *& omnis lingua confiteatur quia Iesus est Dominus*: eadem ductù ratione signatè ait dedisse, Iudicem esse, qui boois præmia, & malis supplicia inferat, ipsomet dicente. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*. Sicuti & ipsius nomine iam olim abeo Dauid efflagitauerat, inquiens, *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam Filio Regis*. Psalmo septuagensimo primo versu primo. Planè quasi à iudicio & iustitia firmum & sempiternum esset Regnum futurum: vnde ibi notantet Vates: *& permanebit cum Sole, & ante Lunam in generatione & generationem*: & postmodum *& erit firmamentum in terra*. Vt dixerit, adeò firmum, & stabile regnum ipsius futurum, vt ipsummet cæli firmamentum ad terras translatum fuisse videatur, & Daniel 7. 13. *Et dedit ei potestatem & honorem, & regnum*, &c. *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur*. Vnde quidem ipse aliquando Bonus sic appellatus apud Matthæum cap. decimo nono versu decimo sexto. *Magister bone quid boni faciam, vt habeam vitam æternam*. Eam boni appellationem omnino repulit. *Quid me (inquit) interrogas de bono?* (siue vt est in lectione Syriaca. *Quid vocas me bonum?*) *Vnus est bonus Deus*. Sed quare? Nónne ipse, & Deus erat, & bonus erat? Cur ergo bonus dici noluit? Sanè quia Princeps, & Iudex ipse erat, qui vt stabile firmumque regnum retineret, malis bonus esse nonpoterat, seueritatem in illos exerciturus. Id sic inibi obseruante Hilario Canone decimo nono in Matthæum. *Is enim, cui necesse sit, impia, & iniqua punire, nomine bonitatis abstinuit, soli hoc nomen Deo Patri reseruans, qui se iudicem dando officio seueritatis exuerit: non quòd bonus & ipse non esset, sed quòd congrua in eum seueritate iudex esset vsurus*. Enimverò & egregiam diuini Iudicis pulchritudinem, & Regni sui stabilitatem, & robur hinc omoino prophetico spiritu pensitabat Moyses Deuteron. 33. versu decimo septimo. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit gentes vsque ad terminos terræ*: quippe vt ad hæc verba inquit Tertullianus libro tertio contra Marcionem capite decimo septimo. *Christus significabatur taurus ob vtramque dispositionem, aliis ferus vt Iudex, aliis mansuetus, vt Saluator*. (Ambros. — Prou. 25. 4. & 5. — LXX. — Cassiodor. — Ad Rom. 14. 7. — Ioan. 5. 22. — Psal. 71. 1. — Dan. 7. 13. — Matth. 19. 16. — Hilar. — Deut. 33. 17.)

3 Iam verò Regnum vt fœcibus purgatum à iustitia firmatur, & perenne fit, ita absente iustitia, atque iudicio, infirmum, & mille casibus, & perturbationibus obnoxium redditur: Domino hæc Principibus, dum illos iniustitiæ arguit, signatè prædicente Psalmo octuagesimo primo, etenim cùm illorum temeritatem, & inconsiderantiam in reddendo iure sic increpasset, *Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? Iudicate egeno, & pupillo, humilem, & pauperem iustificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant*: magna cum emphasi subiicit. *Mouebuntur omnia fundamenta terræ*. Quibus omnino adstruit iustitiam Regni basim, atque columnam, siue fulcimentum esse, ac proinde illa deficiente, Rempub. velut tecta, quæ columnis subductis collabuntur, necessariò fore ruituram. Vt egregiè interpretator hunc locum Antistes Agellius. Qui cùm primùm ea verba *nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, sic exstruxisset: *Nescierunt quid sibi mali euenturum sit, neque intellexerunt ex peruersis eorum iudiciis fore, vt moueantur omnia fundamenta terræ*, quid sit terræ fundamenta moueri, dilucidè statim hunc ad modum explicat. *Quia ex iniquitate iudicij sequitur, vt omnes clades in terram expetant, Deo terram ipsam, & eius habitatores, immissis calamitatibus subruente: inde enim & pestes, & bella, & frustuum, prouentuumque, penuria, & diluuia inundationesque, & terræmotus, & ignium impetus existunt, vt terra hominum sceleribus, & iudicium iniquitate contacta, his malis, atque piaculis expietur, ita vt ne fundamenta quidem terræ relinquantur, super quibus generis humani propagatio, successio, ædificatioque consurgat*. Hactenus ille. Vt hinc iam floreotem illam olim Reipub. arborem, quam videbas summâ amœnitate lætari, floribus, fructibusque nudatam, arentem, exsiccatamque conspicias, qualem Isaias cap. 1. Iudæorum Rempub. quorum Principes de reddendo enique suo iure nihil cogitabant, omnino depingit, Nimirum cùm dixisset. *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua, Principes tui infideles, socij furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retribu-* (Psal. 81. 5. — Agellius.)

tributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos: quibus iustitiam, & iudicium à Republic. exulantes facit, sic tandem versu vigesimo concludit. *Cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus absque aqua*, vitali scilicet Euphratis aqua, succum fœcunditatis dante non irrigatus. Inde iam quid tristius, funestius, aut miserabilius.

4 Quod si denuò mota fundamenta terræ videre velis, obserua miram diuinorum Christi pedum, cum pessimi Caini gressibus consonantiam, dum ab vtrisque terra commota, & suis veluti sedibus reuulsa dicitur. Sic namque de Cain Gen. 4. 16. nes. 4. 16. *Egressusq; Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra*. Vbi Lectio Hebræa & Chaldæa, & LXX. reponunt, *habitauit in terra Nod*: id est, in terra commotionis, siue in terra commouente se; quòd, vt Hebræi exponunt, quocumque ille se verteret, siue quacumque in parte poneret vestigia, terra commoueretur, & tremeret. Domino verò vix in crucem sublato terram motam fuisse, sic inquit Matthæus cap. 27. 51. *Et terra mota est, & petræ scissæ sunt*. Quod Chrysostomus homil. tert. de Passione tomo tertio pulchrè diffundit, cùm enim Dominum cruci fissixum ob oculos sic posuisset. *Ventum tandem est Crucis ad campum, vbi pias manus terebrant sæua vulnera, & compagicem palmarum rumpit violentior foratura clauorum. Crux clauis configitur, & effossa vestigia pœnalibusq; alligata impedimentis, pedum officia perdiderunt.* Quid inde fuerit secutum, ita subiicit. *Sed festinato oro. & citatis cursibus properate. Sentio enim moliri, nescio quid, creaturam, & intestinis motibus nouis nihil elementa intelligo parturire. Minatur ecce propriâ mundus excidia, & rerum natura insitato pauore terretur, & paullò pòst: axem suum mundus extremum vergere cupiebat in limitem.* Hæc Chrysostomus. Ecce tibi æquè à parricidæ Caini, atque ab ipsius Domini pedibus commotam, & trementem terram, & veluti è cardine, & centro reuulsam? Quid? iidémne iustitiæ, atque iniustitiæ gressus? eadémne terræ impressa vestigia? eodem pondere, atque impulsu vtraque terram premunt? Minimè quidem, imò verò diuersissimo, siue contrario. Qui ergo à dissimillimis iustitiæ, & iniustitiæ gressibus, contrariisve vestigiis, his ad tartara, illis ad cælum euntibus, æquè terra mouetur, & tremit? Sanè quia ab iniustitia *mouentur fundamenta terræ*. Ideò & à Domini, & à Caini pedibus eadem omnino ratione, eadem de causa commouetur terra. Iam si ambigas, quomodo à tam contrariis ad speciem causis idem possit effectus prouenire? Respondebo causas quidem non contrarias, sed vnam potiùs eamdemque pro pedum diuersitate, & situ esse. Nimirum Cain, si ue iniustitia terram premit, siue in ea gressus firmat, & iniusto passu superear vadit; ideò terra, quam inhabitat *commotionis*, est instabilis scilicet, & perpetuis motibus agitata. At Dominus, qui Dei iustitia est, dum Cruci suffigitur à terra subleuatus, ipsam premere & tangere desinit, quod eleganter obseruauit Chrysostomus, cùm ait: *effossa vestigia pœnalibusq; alligata impedimentis, pedum officia perdiderunt*. A iustitia autem à terra sublata, quin ipsa per eam incedat, sed potiùs alligata pedum officia perdat, eadem omnino ratione, quâ ab iniustitia vestigia imprimente, terram quati, & commoueri necesse fuerit. Æqualiter ergo, atque inæqualiter à Christi Domini, & à Caini vestigiis mouentur fundamenta terræ: dum Dei iustitia à terra subleuatur, & pedum officia perdit; à iniustitia verò siue Cainus impunitum peccatum ferens, pedum officiis vtitur, & gressus in terra firmat. Vt vtraque vestigia omnino coniurent in præfatam Salomonis sententiam. *Aufer impietatem de vultu Regis, & iustitiâ firmabitur thronus eius*.

Lect. Heb.
Lect. Chal.
LXX.
Matth. 27. 51.
Chrysost.

5 Sed hæc vide quàm opportunè confirmet Noster Dauid, dum agens de Christi Regno, eius firmitatem vna ex parte sic adstruit: *firmauit orbem terræ, qui non commouebitur*. Psalmo nonagesimo secundo versu secundo, ex alia iustitiam gressus suos in terra firmiter ponentem, ita inducit: *Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos*. Psalmo octuagesimo quarto versu decimo tertio, vbi Apollinaris legit *iustitia ante Deum Regem*: id est, ante Christum. Vt verò ab his iustitiæ gressibus terræ impressis firmatus fuerit terræ orbis, quin commoueatur, sic sapienter ad ea Psalmi nonagesimi secundi verba aperit Agellius. *Potest etiam ad Christi Principis institutam, & æquitatem commodissimè hæc terræ confirmatio referri, vt Prouerbior. vigesimo nono*. Rex iustus eriget terram: vir auarus destruet eam. *Quantum enim in administranda iustitia lex Christi contulerit, quantumq; ad pacificandas dissensiones, atque contentiones profuerit, ac prosit: ex comparatione priscorum sciri potest, cùm lex Euangelij lata nondum erat, quo tempore omnia litibus, pugnis, bellis, contentionibusq; feruebant, cùm iudicia iniquissima fierent: ius minimè rectè à Principibus redderetur: vnde vacillabat, & motibus quatiebatur orbis terrarum & tu sua sede quiescere non sinebatur*: Vides vt iustitia in via gressus ponens, orbem terræ firmet: ab ea verò vestigia submouens nutet, & vacillet orbis, & motibus quatiatur? quippe *ab inopia iustitiæ copiam venire tanfarum*, contentionum scilicet, litium, atque pugnarum (sic Athalaricus Rex apud Cassiodor. libro nono epistola vigesima) non dubium. Quod optimè percallebat, callidus ille Tiberius, apud Cornel. Tacit. lib. 3. Annal. vbi cùm in Senatu de iudicij, iustitiæque seruandæ cura dixisset. *Hanc P. C. curam sustinet Princeps*: subiicit. *Hac omissa funditus Rempublicam trahet*.

Psal. 91. 2.
Psalm. 84. 13.
Agellius.
Corn. Tac.

6 Ergo is Princeps tam à recta Regni gubernatione, quàm à propria tranquillitate, & throni sui firmitate, & stabilitate longè iuerit, qui ve bonos haberi, & populo morem gerere velit, delicta impunita esse permiserit. Scilicet, magna in Primis, Principis laos fuerit, fontibus, & Reipub. fæcibus bonum esse, atque æquè malis, ac bonis placere, ne illorum odium incurrat. Grande scilicet bonum, seruum Christi non esse, vt ad hominum, atque eorum quidem, qui hominum nomine sunt indigni, gustum se conformet: inclamante Apostolo. *Si hominibus placerem, seruum Christi non essem* ad Galatas primo versu decimo. Aliter sanè Clementem Ecclesiæ futurum Principem, is qui iam Ecclesiæ, & Apostolorum Princeps erat, monebat, informabatque, vt ipsemet Clemens in epistola ad Iacobum testatur, quæ ei verba suggerebat Petrus, sic referens. *Itaque si te mali è fratribus propter rigorem iustitiæ odio habuerint, ex hoc quidem non læderis, sed ex huiusmodi odiis amor tibi conciliabitur Dei. Et ideò satage magis, ac refuge, ne lauderis ab iniquis, & ne à pessimè agentibus diligaris, sed potiùs propter iustam dispensationem & aquissimam regulam disciplinæ à Christo collaudari merearis*. Aliter etiam censebat Greg. Nazianz. qui inde optimum Principem cognoscendum dabat, quòd is esset, qui non in omnibus rebus cunctis obsequeretur, sed aliquando ob recti studium in homi-

Galat. 1. 10.
Clemens.

minum offensionem incurreret: sic namque ille A oratione trigesimâ secundâ in fine: *Hoc vnum requiro, vt ex numero sit, qui aliis inuidia sit, non miserationi, qui non in omnibus rebus cunctis obsequuntur, sed qui in quibusdam etiam ob recti studium in hominum offensionem incurrunt. Alterum enim in præsens iucundissimum est, alterum in posterum vtilissimum.* Sic ille.

7 Sed enim illud deinde nouerit Princeps, magno suo malo peccasse populo placiturum, seroque cum Saüle à Regni solio deturbato, quod *abiecerit sermonem Domini*, vt populo morem gereret, dicturum: *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci*
1. Reg. 15. 24. *eorum.* 1. Reg. 15. 24. quippe priùs ei Dei nomine intonuerat Samuël: *Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* Notanter: *ne sis Rex*: sed qua ratione deinceps non fuit Saül Rex, qui vsque ad extremum vitæ spiritum regnum, regiumque diadema retinuit? Sanè, quia vt optimè monent Interpretes, subinde non pro dignitate, & regia fortuna regnum obtinuit, sed mille curis, seditionibus, perturbationibus, bellisque obnoxium. En quid sit iustitiam contemnere vt populo placeas: vt videris quàm opportunè dictum
Pausan. à Pausania libro primo fuerit, Principes populari auræ sese accommodantes infelicissimè munus suum obire. Sed id huic rei opportunissimum fuerit, quod Ephesi Episcopo, qui vt hominibus placeret, à charitatis & iustitiæ ardore defecerat, & intepuerat, Dei nomine nuntiauit Ioannes Apoca-
Apoc. 2. 5. lyps. 2. 5. *Memor esto itaque vnde excideris, & age pænitentiam, & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo nisi pænitentiam egeris.* Vbi cùm candelabri nomine Ecclesia, siue subditi designentur, vt explicant quotquot benè sentiunt, candelabrum moueri, idem omnino erit, ac Rempublicam siue subditos perturbari, sic
Andreas Cretens. ibi apud P. Alcazar, Andrea Cretensi, & Nicolao de Lyra adnotantibus, quorum prior sic ait:
Lyra. *Mouebo candelabrum tuum, id est Ecclesiam in fluctus, & tempestates coniiciam*: Lyra verò, *Obedientia tua subtraham subditos tuos.* Et verò dum Alcazar huic ex-
Alcazar. positioni subscribit, inde eam vndequaque firmat, ac subsistentem reddit, quòd propria remissionis pœna sit, vt qua ratione se existimabat Princeps quiete, & tranquillitate fruiturum, remittendo scilicet aliquid de zelo, & vigore disciplinæ, subditisque indulgendo, eadem tandem res deuoluatur in maiorem ciuium seditionem, & pacis perturbationem; tum quòd æquum sit, vt diuina prouidentia ea ratione puniat, qui ab ipsius consilio discedunt, deducendo illos ad eas ipsas difficultates, propter quas Dei consilium reliquerunt: tum etiam quia ita est hominum naturæ consentaneum, vt ex ducis remissione oriatur perturbatio militum, & disciplinâ, ac seueritate multò meliùs conseruetur, & augeatur pax, atque obedientia. Vnde tandem concludit. *Ita fit vt Prælatus dum parat quietem, inquietem pariat, & dispergatur plebs, & subditi à Prælati obedientiâ se subtrahant.* Ito ergo, & hominibus placere stude.

Ad ea verba.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.

Princeps, vt in benefaciendo Regem, ita in sontibus puniendis non Regem, qui omnia possit, sed Iudicem iuris ordinem, & modum seruantem, sese exhibeat.

ADNOTATIO IV.

1 PVlchrè à Philone de beneficentia dictum. *Beneficentia sicut Luna nunquam pulchrior apparet,* *Philo.*
quàm cùm plena est: pulchriùs verò de summi Regis beneficentia dixit Iacobus cap. 1. vers. 5. *Qui dat omni-* *Iacob. 1. 5.*
bus affluenter: omnino à Domino mutuatus apud Lucam 6. 38. promittente *mensuram bonam, & confertam,* *Luc. 6. 38.*
& coagitatam, & supereffluentem. Regiè quidē, & *omnibus, & affluenter*: nam vt de primo ea Hieron. in c. 6. *Hieron.*
epist. ad Galatas alibi mouemus: *Ne quis in largiendo dicat, ille amicus est, hunc nescio: hic debet accipere, iste contemni, sed imitandum,* (ait Paulus) *Patrem cælestem, qui* Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos, *Fons bonitatis omnibus patet, seruus & liber, plebeius & Rex, diues & pauper, ex eo similiter bibunt, lucerna cùm accensa fuerit in domo omnibus æqualiter lucet.* Ita benefaciendi mensuram ex Regia persona maiorem in cumulum augeri debere, regiæ illæ & egregiæ magni Alexandri voces demonstrant, cùm ei qui denarium petebat, vrbem donauit, alloque accipere renuente, quòd tantæ fortunæ imparem se agnosceret, magno ore respondit: *Non quæro quid te deceat accipere, sed quid me dare.* Nimirùm quò Regis fortuna aliorum hominum sortem, & conditionem superat, eò ipsius liberalitas, atque benignitas, quæ Regiæ dignitatis primaria nota, & veluti character est, frequentem aliorum benefaciendi rationem & modū debet excedere. Sic quidem cùm apud Marthæum c. 25. v. 31. Dei filius homines iudicaturus in- *Matth. 25. 31.*
ducitur, filius hominis appellatur, ait enim: *Cùm autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo*: dum verò ad præmia iustis reddenda accedere dicitur, mutata hominis appellatione, notanter Rex cognominatur: sic enim vers. 34. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt,* &c. Quid? aliúsne hic est, qui præmia reddit, ab eo, qui iudicaturus accessit? aut fors inter iudicandum regiam dignitatem innenit? non opinor; sed sua cuique muneri appellatio reddita est. Certè vt homines ab homine examinari, & iudicari oportebat, *vt condolere possit iis, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.* Ad Hebr. 5. 2. ita & ipse præmia redditurus *Ad Hebr. 5. 2.*
Regis nomen omnino sumere debuit, vt argumento esset, non quamlibet mensuram, sed bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem ab ipso fore retribuendam, cùm Rex dona non pro accipientis paruitate parua siue mediocria, sed pro regio fastigio & excellenti fortuna, magna atque egregia dare debeat, quippe qui non quærit, quid te oporteat accipere, sed quid ipsum dare. Sic omnino hæc Alexandri verba ad Deum referente Vrbano PP. in *Vrban. PP.*
sua Metaphrasi in Psal. 50. dum ea verba: *Secundùm magnam misericordiam tuam*, hunc in modum premit: *Magnam quæro misericordiam, quia nō decet tuam magnificentiam parua dare, imò exaudiri dignus non essem, si à magno parua peterem: ego enim te illum Magnum existimo Alexandrum, qui non attendis, quid me oporteat accipere, sed quid te dare.* Sic vrbanissimè Vrbanus.

2 Sed eadémne Regi in puniendo ineunda ratio, & is in pœnis inferendis stylus erit? Num cùm aliquis in Rempublic. aut in Principem deliquit; ipse iuris ordine non seruato, & iudicialibus cognitiu-

cognitionibus omissis, siue spretis, ad vim denominationis se conuertet, & pro potestate potius, quàm pro legum dispositione gladium vibrabit, & atrocia sontibus supplicia inferet? Minimè quidem. Alia nimirùm beneficentiæ, alia iustitiæ vindicatiuæ ratio, & natura est: illa enim dum per amœnissimum benefaciendi campum diuagatur, quò citiùs, quò faciliùs, quò liberaliùs exercetur, pulchrior, & gratior redditur: hæc verò certis, & strictis rei, temporis, & modi limitibus constricta, si ab illis deflectat, & constitutas sibi à legibus metas transiliat, sic omnino perit, vt à iustitia in iniustitiam conuertatur: *sumus nimirùm* (dicebat Cassiodorus Regis sui personam gerens, libru vndecimo variarum) *ad nocendum priuati, ad præstandum iudices*: ac si dixerit, ad benefaciendum & opitulandum publicam personam, quæ ad benignitatem procliuis esse debet, gerimus; at verò ad puniendum, & pœnas de sontibus sumendas, non secus ac alij priuati, legibus sumus addicti, imò verò constricti, ne iudicia pro potestate, & vi dominationis, sed pro iuris ordine, & legum dispositione exerceamus. Expressit sapienter hanc cogitationem Seneca libr. secund. natural. qq. cap. 43. vbi addncta illâ Philosophorum sententiâ, asserentium duplea Ioui ad manum subesse fulmen ad homines siue conterendos, siue afficiendos supplicio: alterum placabile, alterum perniciosum; & placabile quidem à Ioue solùm quin de eo consilium adhibeat, iaculari: perniciosum verò non nisi iudicio cum aliis diis collato, & de eorum consilio ab eo mitti: hæc ad sanıorem sensum sic reuocat; *Quare ergo id fulmen, quod solus Iupiter mittit, placabile est, perniciosum id, de quo deliberauit, & quod alii quoque dii auctoribus misit? Quia Iouem, id est, Regem, prodesse etiam solum oportet: nocere non, nisi cùm pluribus visum est.* Vnde Reges sic instituit. *Discant hoc y, quicumque magnam potentiam inter homines adepti sunt, sine consilio nec fulmen quidem mitti; aduocent, considerent multorum sententias, placita temperent, & hoc sibi proponant, vbi aliquid percuti debet, ne Ioui quidem suum satis esse consilium*. Ita Seneca. Sed multò opportuniùs Gregorius Magnus libr. octau. epistol. feat. Childebertum Franciæ Regem his verbis admonens. *Benignum Excellentia vestra, suis subiectis semper se exhibeat, & si qua sunt, quæ eius animum offendere valent, ea indiscussa non sinat: tunc enim verè Regi Regum, id est, Omnipotenti Domino ampliùs placebit, si potestatem suam restringens, minus sibi crediderit licere, quàm poterit.* Obserua illud *indiscussa non sinat*: ne videlicet, vel de ipsismet Principis offensis eius potestas, & dominationis vis decernat, sed ius, legesque legitimo ordine iudicent, ac inde ipse Deo maximè placeat, cùm minimum sibi in sua causa licere vult.

3 Sed & id etiam monitum Ptolomæo Regi LXX. illi sapientissimi viri, quibus egregiam Bibliorum translationem debemus, signatè dederunt. Etenim cùm ab iis Princeps ille perquisiisset: *Quonam modo Rex in negotiis, ac iudicia peragendis, delictisq; puniendis bonam assequeretur famam?* Sic omnium ore vnus ea ipsis ei respondisse fertur apud Aristæam in libro ad Polycratem fratrem: *Si omnibus te æquum ratione præbueris, & nihil superbè, nihilq; pro potentia viribus contra delinquentes agat.* Ad quem modum Iacobus Aragoniæ Rex cùm benè nosset, generum suum nostrum Alphonsum Castellæ Regem, qui cognomento *Sapiens* dictus est, apud suos malè audire, quòd reos indefensos, & inauditos sæpiùs morti addiceret, sic eum Burgis monuisse dicitur apud Marianam libro tertio capite vigesimo: *De nullo occultè supplicium sumeret formidinis indicio, maie-statis dedecore. Qui enim in alteram partem decernit inauditâ causâ, ius licet decernat, iniuriam tamen facit.* Ita ille omnino ad mentem Theodorici Regis, apud Cassiodor. lib. prim. epistol. 30. dicentis. *Quid enim discrepat à peccante, qui se per excessum nititur vindicare? impœnitenda est vltio, quæ de legibus venit, & excellenter videtur de pulsato triumphasse qui victor pronuntiatur à iudice.* Nec aliter quidem Iulianus Imperator, licet malæ fidei homo in libello *de Regno*, Principes omnes instituebat inquiens: *Bonos Reges nihil per iniuriam facere, neque vti suâ potentiâ ad quæuis, neque laxare frena iræ tamquam equo feroci, cui desit frenum, aurigam deferentis*: & post pauca. *Rex quidem non vtitur viribus suis, & armis, idem enim est minuere iram & potentiam*, &c. Optimè quidem, vt obiter & Neronem Principem perstringat, qui à Vestino facetiis aliquando derisus, ipsum præter ius, fasque, vi dominationis iniuriam, morti addixit: sic id referente Cornel. Tacito lib. 15. Annalium. *Igitur non accusatore existente, quia speciem iudicij induere non poterat, ad vim dominationis conuersus Gerellanum Tribunum cum cohorte militum immittit. Misero abscinduntur venæ, adhuc balneo infertur calida aqua, versatur nulla edita voce, qua semet miseraretur.* Et multò magis vt pessimum omnium Regum Herodem, in ipsammet Dei iustitiam, atque sapientiam totis exercitus sui armis irruentem traduceret, nimirum cùm Dei Filius ei iudicandus sisteretur, nec ad prauum illius gustum miraculum vllum edere voluisset: *spreuit illum Herodes cum exercitu suo.* Lucæ 23. 11. En malum Principem! pro iure & iustitia totis viribus suis, & armis vrentem, quo quid magis iniustum, aut turpe? Hæccine iustitia? hocne ius, & iudicium fuerit, in hominem inermem, & vinctum armato exercitu irruere? At hoc inquis, est Regem, rerumque potentem esse. O inscitiam, vel à Gentili Tullio accusatam! cùm oratione pro Oppio sapienter inquit. *Etenim multum posse ad salutem alterius, honori multis, parum potuisse ad exitum, probro nemini fuit.*

4 Aliter quidem ipsemet Dominus, qui modò tamquam reus ab Herodis exercito spretus est, cùm debitum sibi iudicandi munus suscipit, in iudiciis exercendis se gerit. Sic enim ipse apud Ioannem cap. 5. 30. *Non possum ego à meipso facere quidquam, sicut audio iudico, & iudicium meum iustum est.* Quibus nonnihil emphasis in Lectione Syriaca subest, quæ sic habet: *Non possum ex voluntate meipsius quidquam agere, sed prout audio iudico, & iudicium meum rectum est.* Vbi si attendis cùm primùm ad iudicandum Dominus accedit, & potestate se sua, & voluntate abdicare videtur: *Non possum* (inquit) *à me ipso*, siue *ex voluntate mei ipsius*: vt omnino exprimat illud Cassiodori: *sumus nimirùm ad nocendum priuati, ad præstandum iudices.* Sanè ad benefaciendum Dominus effusam, & vt sic dixerim, effrænem potestatem habet, at ad iudicandum, & puniendum, nec voluntatem, nec potestatem habere quodammodo dixeris. Sed quis ergo est, qui iudicat? quis damnat? Respondet, *sicut audio iudico*: ac si dicat: Merita causæ sunt, quæ iudicium conficiunt, hæc damnant, & absoluunt: iis tota potestas, non apud me est. Sunt hæc omnia ex pharetra Ambrosij serm. 20. in Psalm. 118. vbi pulchrè ea Christi verba cum illis Pilati, potestatem suam in vtramque partem, & absoluendi, & condemnandi iactantis: *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* hunc in modum componit: *Bonus enim iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domestica proposito voluntatis, sed iuxta leges, & iura pronuntiat, statutis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum, & meditatum domo defert, sed sicut audit, ita & iudicat, & sicut se habet iudicij natura,*

natura, decernit. Audite quid Index dicat calistis; Non possum à me facere quidquam, sed sicut audio, iudico: *& Pilatus dicebat ad Dominum* IESVM: Potestatem habeo dimittendi te, & potestatem habeo crucifigendi te. *Vsurpas ô homo! potestatem, quam non habes, cùm Dominus neget se habere, qui habet super omnia potestatem,* &c. *Tua Pilate voce constringeris, tua damnaris sententia, pro potestate ergo, non pro æquitate crucifigendum Dominum tradidisti.* Opportunissimè; Nimirùm Princeps dum iudicat, non potens, sed priuatus, & legibus adstrictus est, nec reum potentiâ, sed examinatâ causâ morti addicit: vt, sicut audit, iudicet. Vnde bene omnino Regi dicebat Rex ille. *Qui enim in alteram partem inauditâ causâ decreuit, ius licet decernat, iniuriam tamen facit.* Cui sententiæ mirè fauet Cassiodorus lib. 7. epistol. 8. dum Principis sui nomine, Præfecto vigilum vrbis Rauennatis, formulam aduersus fures præscribit. Vbi cùm illum ad munus strenuè gerendum pro rei grauitate multis fuisset adhortatus, hæc optimè subiicit. *Sed quamuis nomen odiosissimum furum generalis persequatur assensus, tamen quia de effusione humani sanguinis agitur, nihil subitum aut indeliberatum iubemus assumi. Modestiam sequere, qui damnas audaciam; continentiam dilige, qui furta condemnas. Ad gesta producti audiantur aliquid pro salute dicturi: Quoniam quidquid non discutitur, iustitia non putatur.* Sic quidem Galbæ Imperatori apud Cornel. Tacit. lib. 1. historiarum, vitio datum est quod Cingonium Varronem, & Petronium Turpilianum alioquin perditissimos homines, inauditos, atque indefensos interimere iussetit. *Tardum Galbæ iter* (inquit ille) *ac cruentum interfectis Cingonio Varrone Consule designato, & Petronio Turpiliano Consulari, ille vt Nimphidij socius, hic vt dux Neronis, inauditi, atque indefensi velut innocentes perierant.* Pende hæc extrema, & scito Galbam integrum quidem & senetum Principem fuisse; hosce verò reos sontes, atque inuisos. Sed enim dum ille ipsos inauditos, & indefensos interfecit, mutata rerum facie, nocens, & iniustus; ij verò innocentes, & miseratione digni habiti sunt.

Cassiodor. — *Corn. Tac.*

5 Sed præfatis Domini verbis, suam in iudicando potestatem abnegantis, omnino concinunt, quæ multo antè de Deo pœnas de flagitiosissimis Chananæis parcè & minutatim sumente quæstiis & elegantibus locutionibus dixerat Salomon Sapientiæ cap. 11. & 12. Sic enim primùm vers. 18. cap. 11. *Non enim impossibilis erat Omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa; immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, aut noui generis irâ plenas, & ignotas bestias, aut vaporem igneum spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes, quarum non solùm læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere. Sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Deinde quæ hæc mensura fuerit, quis numerus, quod pondus? sic aperit cap. 12. vers. 8. *Misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent.* Vt videlicet qui ad benefaciendum mensura bona, conferta, coagitata, & supereffluente vtitur, ad puniendum angustissima mensura, & minimo pondere, minutissimis scilicet vespis, quæ dum punctim ferirent, & criminum confessionem à reis extorquerent, non tam potestatem in iudicio, quàm ius & æquitatē iudicantis ostenderent. Quare pergit Salomon: *Cùm ergo sis iustus, iustè omnia disponis.* Et statim vers. 18. *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos.* Vbi omninò preme eum dicendi modum; *Dominator virtutis:* obseruans Græcas voces; nam & pro *dominator* Græcè habent *dominans*, & voci virtutis, ea respondet, quæ significat, *robur, potentiam, vires.* Ideò Vatablus legit, *Dominus potentiæ:* vt ad verbum possis reponere dominans, siue frænans potentiam, & vires, vt sit epitheton Dei, velut Principis summi, iustè iudicium exercentis, quippe qui ad iudicandum accedens, potentiam imprimis suam, vires & robur frænet, ac contineat, ita pro potestate, sed pro iure, & iuxta iustitiæ præscripta; ac proinde nihil iræ, nihil furori tribuens, tranquillo, & sedatissimo animo sententiam ferat. Quod sic statim plus plus firmat Sapiens: *Subest enim tibi cùm volueris posse:* accurato verbo *subest* tantùm non dicens potentiam in Deo non esse quasi dominam, & effrænem, vt solet esse in hominibus potentibus, sed subesse & parere bonæ voluntati diuinæ, Sic omnino Leuitici 24. 14. in impium illum, qui nomen Domini blasphemauerat, hisce in modum consultus à Moyse Dominus iudicium tulisse fertur: *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt manus suas super caput eius, & lapidet eum vniuersus populus.* Sed quid opus fuit, vt in caput rei qui Deo notissimus erat, homines manus imponerent, hoc est testimonium solemniter, & iuridicè ferrent? Scilicet ei, in quem iniustitia esse non potest, aliquis aut fidem non haberet, aut iudicij rationem exposceret? Subsistit tamen optimo iure ea diuini iudicij ratio, vt summus omnium Dominus sui exemplo Principes admoneret, non satis esse iusta supplicia decernere, nisi etiam iustè, id est, ad legum normam, & iudiciariis circumstantiis obseruatis exerceantur, præsertim in eos, qui ipsummet Principem, aut verbo, aut facto læserint, ne videlicet ipsi miseros reos sibi inuisos pro potestate & libito, non ex iustitiæ debito punire videantur: id hunc in modum ad id loci obseruante Saluiano Massiliensi lib. 1. de gubernatione Dei: *Porrò autem non punitus tantùm sed punitus sub testimonio, vt damnare scilicet videretur reum iustitia, non potestas.* Quod penè imitatum dixeris Adrianum Imperatorem, de quo refert Dio Cassius, mulctasse quidē morte nonnullos, qui ei in venatione insidias instruxerant: *quos tamen* (subdit ille) *nec indicta causa damnauit, neque ægrè tulit, quòd hi causam dicerent, imò patrocinium, & defensionem eorum suscepit.*

Vatablus. — *Leui. 24. 14.* — *Saluian.* — *Dio Cas.*

6 Sed & hanc iudicandi rationem omnino diuinam esse, inde liquet, quòd Moyses Dei iussu Pharaonis flagitia, & extremam duritiem vindicaturus, Deus Pharaonis creatus dicitur, sic enim Exodi 7. versu 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis;* Sed quâ ratione Deus? Planè vt diuinæ eminentiæ, & potestatis participatione contra Pharaonem ageret, ac proinde omnia elementa, omnesque creaturæ ipsi omnino subiiciantur, & ad nutum deseruirent. Quid quæso tum Moyses? Pharaonémne statim, quem idololatram, & tyrannum in subiectos sibi Israëlitas optimè nouerat, inauditum, & indefensum puniuit? Non quidem; imò ad Dei instar, dominator; virtutis atque potentiæ, cum tranquillitate iudicauit, & velut iuris ordine seruato, illum & conuenit, & admonuit, & increpauit, & pœnam priùs quam inferret, minitatus est. Sed iam, cùm ipsum inobedientem atque rebellem expertus, ad sumendas de eo pœnas accessit, *Num vrsorum multitudinem, aut audaces leones, aut noui generis irâ plenas ignotas bestias* pro potestate sua illi immisit? Minimè quidem, imò potentiam suam iuri, & æquitati subiiciens, & lentiori cursu procedens minutissimorum culicum plagis, & vocalium ranarum strepitu, quasi acu pungens, minutatim, paulatimque puniuit. Ad hæc, vt omnino ostenderet, se Dei vicem gerere, ac proinde non pro potestate, sed pro iustitiæ ratione reos plectere; ideoque robur, & potentiæ suæ vires frænare, ne omnia quæ posset, exequeretur, sic de industria potentiam suam cum Magorum Ægypti potentia composuit, vt ipse illatas plagas reuocaret, atque suspenderet, illi haudquaquam in adhi-

Sap. 11. 12. 18. — *Sap. 12. 8.* — *Exod 7. 1.*

in adhibitis suppliciis pedem retulerint: sic ad ea verba Eaodi 7.22. de aqua in sanguinem conuersa: [Exod. 7. 22.] *Feceruntq́ similiter malefici*, adnotante Thendoreto q. 18. [Theod.] *Mutabant aquam in sanguinem, sed aquam in pristinam naturam redacere non poterant. Concessit itaque Deus incantatoribus, vt hac facere possent, vt Aegyptios castigarent: non tamen dedit illis vt vltionem sedarent.* Ac si Deus inde potentiam suam à maleficorum potentia discriminet, quòd vt isti eam cohibere & frænare nequibant, vt quò vellent pro ratione ducerent, ita ipse eam retro ire, pedemque velut habenis constrictam referre faceret, vt videris frænatam, sedatamque potentiam, diuinam; eam verò quæ impetu ducitur, maleficam esse.

7 Videris & id in ipsamet Moysis virga, quæ ipsius potestatem, vt & nunc moris est, adumbrabat; quippe vt illum officij sui Dominus admoneret, eam primùm in manu habere, & tum quidem virga recta omnino erat, postmodum in terram mittere ei iussit, *& versa est in colubrum.* [Exod. 4. 3.] Eaodi 4. 3. tantùm non dicens, eamdemmet potestatem, manu & ratione cohibitam, iustitiam, & rectitudinem esse, terrenu verò affectu gubernatam in colubrum, seu iniquitatem verti, Principemque, qui in aliquem inaudita causa decernit, non virga, siue iustitia, sed colubro, hoc est furore duci. Certè hac ratione Abrahamus pessimum illum diuitem auarum, adhuc, cùm apud inferos pœnas daret, mollissimo filij nomine sic compellabat: *Fili, memento quia recepisti bona in vita tua.* [Luca 16. 25.] Lucæ 16. 25. Quòd si dixeris: nónne id *musica in lucta* fuerit? hominem à Dei iam manu repulsum, & extremæ ignominiæ, & infelicitati addictum, qui canis, & impius appellari meruit, prædulci filij nomine appellare? Respondet ad ea verba Chrysolog. [Chrysolog.] *Voco filium, vt intelligas iudicij esse quod pateris, non furoris*, nec te colubrum, sed virgam percutere.

C

8 Hinc quidem Moyses cùm ad sumendas iam de Pharaone, & Ægypto pœnas virgæ potentia accessit, primam Nili aquis ex Dei præscripto plagam inflixit, sic enim Eaod. 7. 20. [Exod. 7. 20.] *Et eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, & seruis eius, qua versa est in sanguinem.* Notanter quidem virga Nilum percutit: iusta scilicet, & recta potestas tyrannam, & iniquam. Quæ enim Nili natura? accipe ea Plinio lib. [Plinius.] 18. c. 17. *Exagere incipit à Solstitio, aut noua Luna, primò leniè, deinde vehementiùs, quamdiu in Leone Sol est, mox praegressit in virginem transgresso. atque in Libra residet.* Vides præpusteram potestatem? quæ ad Libræ conspectum certo pondere, iustaque mensura omnia dimetientis quiescit, & otiosa est, cùm videlicet maximè se se exercere debuerat, at verò cùm Sol in Leone feruet, cùm ira nimirùm, & furore æquè, ac potentia est instructus, & incensus Princeps, tum virga in colubrum D conuersa, vehementiùs agit. Vt hac de causa eam Nili aquam *turbidam* à Dnmino appellari non abs re dixerit: apud Ieremiam enim cap. 2. 18. vbi nos habemus. [Ierem. 2. 18.] *Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam?* Hebraicè, vt vertunt Pagninus, & alij, dicitur, *vt bibas aquam Nili* Sed hæc iam non in ænigmate, sed historicè in Nilo, & Rege eius Pharaone obserua, hanc illo in Hebræorum infantes nascituros sententiam proferente. *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite.* [Exod. 1. 22.] Exod. 1. 22. Itáne ô Rex? quod ob crimen? quo accusatore existente? imò verò, quem in reum decernis, cùm adhuc natus non sit? Sed hæc ab Augustino operæpretium fuerit audire, qui serm. 2. de Pharaone tom. 2. in illum sic inuehitur. *O prodiga furoris audacia! necdum natis pœna mandatur; cohibe nefarie homo insaniam tuam; quos necdum vides, insequeris; quid scelestius? nondum natos occidis. Seruet ordinem feritas tua, nascantur antè, quos punias.* Scitè, pergit verò eamdem

A rationem ex iudiciali ordine sic vrgens. *Antè sententia profertur, quàm obnoxius sententia demonstretur. Vsque reorum mos est, vt reatus sui sententiam expectare soleant. Nec enim reus potest antè damnari, quàm eius culpa inuenta manifestari.* [August.] Hæc pulchrè Augustinus. Quæ non tantùm Pharaonem, sed plures etiam Principes, atque Dynastas pungunt, qui *acuto ferro*, vt est in Prouerbio, causas diuidentes, factis exprimunt illud impiorum: *Sit fortitudo nostra lex iustitia.* [Sap. 2. 11.] Sapient. 2. 11. Quod sapienter accusat, damnatque Plutarchus in commen- [Plutarch.] tariis ad Principem indoctum, his verbis: *Quare magni est discriminis, qua non decet, hac velle facere eum, qui qua velit, possit, &c. Vt semel est dictum, simul actum est de illo, qui offendit, si suspicio est, occidit delatos.* Adhibet perpulchram imaginem. *Ac quo modo fulgur docent Physici posterius quàm tonitru elidi; vt post vulnus exilire sanguinem, sed conspici priùs, quod fragorem excipiat, quàm occurrat hominis visui: ita praeuertunt supplicia in imperio accusatio-* B *nes, & damnationes probationes pracurrunt, nisi pradita pondere mens constringat, & reprimat licentiam.* Hactenus ille.

Ad eadem verba.

Non proponebam ante oculos meos rem iniustam.

Principem, pro ratione, atque modestia potestatem suam castigare debere, ne omnia qua omnino potest, exequatur.

ADNOTATIO V.

C 1 FVit illa quidem perpetua Regum labes, nullum omnino potentiæ suæ modum ponere, nullos potestati terminos præfigere, sed sese deos arbitrantes, omnia se posse, credere, omnia comprehendere velle, non secus ac si (quod Dei nomine inquit Isaias [Isai. 40. 12.] cap. 40. 12.) aquas pugillo dimetiri, & cælos palmo ponderare, & tribus digitis molem terræ appendere valeant: vt (quod prouerbio Latino cessit) *longas esse* [Pindarus.] *Regum manus*: & Græco ex Pindaro in Pythiis, *dij* (id est Reges) *omnia possunt*, nihil omninò in rerum natura, siue in toto terrarum orbe, tam longè dissitum, aut tam altè, & sacrosanctè collocatum, tamque abditum atque reconditum, siue tot difficultatibus implexum, & ferreis vectibus, & adamantinis muris custoditum sit, quò ipsi manibus suis non pertingant, quasi omnia illis peruia, penetrabilia & facilia sint, aliter quidem non Reges, & rerum dominos, sed priuatos, & viles sese existimantes. Nec huic cogitationi firmandæ iustum illud par superbissimorum D Regum (naturæ mõstra consultiùs appellaueris) Romani Caligulæ, & Græci Xerxis, qui vt manifestum facerent quid summa libido in summa fortuna posset, prior tum *in extructionibus villarum, & prætoriorum* (sic Suetonius in Caligula capite 37.) *omni ratione posthabita nihil tam efficere cupiebat, quàm quod effici posse negaretur*, tum ponte nauibus iungens & viribus imperij ludens (vt inquit Seneca libro de breuitate vitæ [Senec.] capite 18.) stupendo opere inter Puteolos, & Baulos maria consternere tentauit apud eumdem Sueto- [Sueton.] nium capite 19. posterior verò non modò maria pedibus, sed terram nauibus traiicere contendit, & montem Athos velificatum iri, non inquam hæc monstra, sed eum Regem quem in optimorum Regum exemplar toto hoc libro proponere studemus, in medium adducimus, quippe Dauid cùm aliquando in castris esset, nullis belli negotiis, & periculis obnoxius, aquam de cisterna Bethleem, vbi Philistæi castra,

ſtra, & ſtationem ſuam habebant, ardenter concupiuit, ſuiſque militibus votum ſuum expoſuit: ſic enim 2. Regum 23. 15. *Deſiderauit ergo Dauid, & ait: O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethleem iuxta portam!* Quid? deeratne ad bibendum aqua? aut ea ſolùm, quæ è ciſterna illa hauriebatur, Dauidis ſitim poterat explere? aut is, qui paſtoritiam vitam egerat, & obuiis ac cœnoſis aquis erat aſſuetus, cùm vix regiæ fortunæ delicias libauerat, adeò delicatum animum iam habebat, vt non niſi dulcem illam aquam bibere poſſet? An ipſe non tam aquam illam optauit, quàm experiri voluit, ecquid eſſet in militibus audaciæ, ac fidei? nihil ſanè horum in cauſa fuit: ſed originali (vt ſic dixerim) Regum labe iam infectum Dauidem nullum potentiæ ſuæ modum ponere, ſed id omnino optaſſe, & exequi voluiſſe, *Quod effici poſſe negaretur.* Audi ea de re Ambroſium lib. 1. de Iacob, & vita beata cap. 1. ſic Dauidis votum arguentem. *Nam cùm aliis defuiſſe non inueniamus* (aquam) *id eſt, tanto exercitus numero, cùm vtique multò minus Regi deeſſe potuerit ex cæteris fontibus aqua, irrationabilem quamdam concupiſcentiam paſſus: deſiderauit eam, quæ hoſtium erat circumfuſione vallata, vnde ſine maximo periculo non facilè potuiſſet deferri.* Vides Dauidem vix regiam fortunam expertum (erat enim tunc recenter inauguratus Rex) cùm iam tam longas ſe habere velit manus, vt aquam hoſtium circumfuſione vallatam, ſummoque obnoxiam periculo hauriat, nihil ſuo deſiderio imperuium & impenetrabile eſſe volens.

2 Nec fuerit omittendum expendere, quanto animi ardore, quantâ contentione ea Reges optent, atque procurent, quæ vix aut ne vix quidem effici poſſunt. Et huc quidem omnino pertinet acer ſtimulus, quem Sacer Scriptor Dauidi in præfatis verbis infixit. Nimirum verbum, *Deſiderauit* in ſuo fonte penſitatum non eſt in maſculina, qualis Dauidem decebat, ſed in fœminina terminatione: ad indicandum Regum voluntates præ libidine poteſtatis non modò effœminatas, & muliebres eſſe, ſed vel hac ratione adeò vehementes, & fortes, vt ad inſtar mulierum prægnantium ſe habeant, quæ niſi concupita ſtatim adipiſcantur, & aborſum faciant, & certo vitæ periculo obnoxiæ ſint. Vnde cùm ſtrenui illi Dauidis milites in vitæ diſcrimen, ſiue potiùs in certiſſimum interitum ire videbantur: ſic poſſis Regem ſecum ratiocinantem facere, vt dum vna ex parte ſuorum mors in hoſtium exercitum temerario auſu irrumpentium, ex alia ipſiuſmet non impleta voluntas animo voluitur, melius ei ad aquam, quàm ſuorum ad vitam ius ei videatur, cùm æquè omnes de vita decertent; illi hoſtium mucronibus eam obiicientes, ipſe certæ morti illam exponens, niſi cupiditatem ſuam expleuerint: ergò tantùm non dicit; pergite amici, non aquam, ſed vitam Regi veſtro allaturi. Fideiubet pro hoc ſenſu Rex Achab, qui regiis nemoribus, villis, hortis non contentus, vineam, quam Naboth Iezraëlita à parentibus iure hæreditario relictam habebat, ac proinde quæ minimè alienari poſſet, ardenter concupiuit, vt è vinea hortum faceret, ad inertis, & delicioſi animi voluptates. Cumque Naboth patriæ religionis amator, tenax vineam nullo modo diſtrahere pateretur, & interpoſitâ iuriſiurandi religione, omnem ſibi fundi alienandi facultatem præcidiſſet. *Venit Achab in domum ſuam, indignans, & frendens ſuper verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth, &c. & proiiciens ſe in lectulum ſuum, auertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem.* 3. Regum 21. 4. Sed cur non comedit panem? planè vt ſe fame necaret: quam verò ob cauſam? quòd ſuam omnino voluntatem non potuiſſet explere, meliùs ſecum actum reputans ſemel obire, quàm voluntate, & deſiderio fraudatus, diutius viuere: id ſic conſiderante Ambroſio lib. de Helia, & Naboth cap. 3. *Certè non manducauit panem ſuum, volens ſe morte multare, quòd ei aliquid negaretur.*

3 Hinc equidē illud inter glorioſas Dei notas à Vate celebratur. *Terribili qui aufert ſpiritum Principum, terribili apud Reges terræ.* Pſalmo 75. 13. Sed enim cùm Noſter Vulgatus de morte, quam Principibus Deus infert, omnino hæc ceperit, vt omnes explanatores interpretantur, iure ambigas, quomodo hæc cum iis, quæ in Originibus habentur, conueniant? Nimirum ex Hebræo potiùs legeris, *qui frangit, coercet, frænat, ſiue comprimit ſpiritus faſtum, arrogantiam, animoſitatem, & tumorem Principum.* Vt ex Rabbi Dauid Genebrard. & Lorinus obſeruant. Ad quem modum Chaldæus etiam habet. *Qui comprimit tumorem ſpiritus Magnatum.* Quaſi ea peculiaris Dei gloria, & potentiæ ſpecimen celebretur, qui longiſſimas Regum manus decurtet, & temerarios ipſorum conatus, quibus nullum poteſtati ſuæ modum poni patiuntur, comprimat, atque coerceat. Vnde ſic opportuniſſimè hæc verba explicat Agellius ibi. *Qui cohibet, coercet, frænat, ne pro arbitrio faciendi poteſtatem habeant.* Verumenimverò nec latum vnguem noſtra editio ab Hebræa, & Chaldæa differt, imò ipſas egregiè de more explicare videtur. Certè primarius Vatis ſenſus eò ire videtur, vt Dei Sapientiam, atque potentiam mirificè commendet, quæ Principum impetus comprimit, atque frænat quin pro arbitrio faciendi poteſtatem habeant: quod quidem, ſi verè æſtimas, plus eſt, ſiue plus energiæ, & ſalis habere videtur. Quid enim magnum Deo fuerit, Principes, qui non ſecus ac alij hominum mortales ſunt, de medio tollere, vt de ipſo id ſingillatim enuntietur? At illud magnam habet epitaſim & Deo dignam, quòd inſanas regum cogitationes, quibus ſydera cæli ſe contingere, & terram nauigabilem, mare verò pedibus peruium facere ſe poſſe præſumunt. (Hæc enim omnia Reges ſibi vendicare ſolitos ex ſacro Machabæorum libro nouimus. Sic enim libro 2. capite 5. verſu 21. de Antiocho, *exiſtimans ſe præ ſuperbia terram ad nauigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum*; & cap. 9. verſu 8. & 10. *Qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, & montium altitudines in ſtatera appendere, &c. & ſydera cæli contingere arbitrabatur*) omnino deludat. Quod ipſis quidem morte ipſa acerbius, ac terribilius eſt: eaque ſignatè ratione præmiſit Dauid *terribili*, iterumque ſubiecit, *terribili apud Reges terræ.* Quòd ſi attendis, iuſtiſſimum hunc ſanè Dei morem non iure, ſed atroci iniuriâ dixeris imitari voluiſſe illum Adonibezec. Iudicum 1. 7. qui vt inſanum Regum ingenium irrideret, ſeptuaginta ſub menſa Reges, manuum ſummitatibus ſiue articulis amputatis, habebat; ſic enim ipſe: *Septuaginta Reges amputatis manuum, ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias.* Planè vt iuſtâ retributione inſanas Regum cogitationes caſtigaret, vt qui antea eamet, quæ non modò in extremis mūdi partibus, ſed ſupra nubes, & inter cæli ſydera præ manuum ſuarum longitudine ſe contingere & comprehendere poſſe iactabant, ſubinde vel ipſas micas de menſa decidentes, quibus veſcebantur, manibus colligere non valerent, ſed canum inſtar ore ipſo, ac lingua captarent: ac ſi acerbiſſimo, & morte multò amariore morſu ipſos ſic perpetuò laceſſeret: iactate modò frequentem vobis verſiculum:

An neſcis longas Regibus eſſe manus?

4 Quæ ſanè Vulgatus ob oculos habens, ſic ea omnia lectione ſua exprimere voluit, vt ſimul diceret à

P. Velaſquez in Pſal. centeſimum.

frustrata voluntate ac præfixo potentiæ modo mortem Regibus aduenire, & cùm semel eorum frænatur potestas, quin placita pro arbitrio faciant, iam actum esse de illis, vt eum mortuis omnino computari possint. Ergo cùm de Deo ait David: *Qui frenat tumorem, seu potentiam Regum*, sic cape, ac si dixerit: *Qui aufert spiritum, & vitam Principum*, vel vide Antiochum Regem, eius quidem de quo modò mentionem egimus patentem, qui cùm ciuitatem Elymaidem capere non posset, *decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristitia, & arbitratus est se mori.* 1. Machab. 6. 8. *Et mortuus est illic.* vers. 16. Sed quo quæso vrgente morbo? Ait Sacer Scriptor: *Quia non factum est ei, sicut cogitabat.* Nimirùm frustratum Regis votum mors omnino est; accedit huic cogitationi magnum pondus ex mortis sententia in Adamum à Deo lata: *In quocumque die comederis, morte morieris.* Genes. 2. 17. Quæ vt de corporis morte capiêda esse non dubium, ita meritò ambigitur, quo modo Adamo peccante, non statim mortuus, sed superstes fuerit? siue cur ipso superstite morte mortuus dicatur? Sed expedita ad manum responsio est, eâ ratione Adamum, illico vt peccauit, mortem obiisse, quia statim appetitum suum rationi contrariantem, ac proinde, qui satiari non posset, expertus est. Principem enim desiderium suum non explere nihilo melius esse, quàm de vita decedere iure diceris, Paulo bis non leuiter applaudente, qui cùm dixisset. *Condelector enim legi secundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* Subiecit. *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Voluntatem non impletam, sed frustratam mortem appellans. Cui sanè cogitationi illa videtur esse affinis Hebræorum Doctorum obseruantium, nostrum Dauidem cùm in scriptura Regis titulo perpetuò ornetur, in die tamen mortis suæ depositâ regiæ dignitatis appellatione de solo nomine proprio appellari, sic enim 3. Regum 2. 1. *Appropinquauerunt dies Dauid vt moreretur*, & versu 10. *Dormiuit David cum patribus suis.* Quid? num regnum cum morte perdidit, qui illud filio suo hæreditariâ successione reliquit? aut quam viuens regiam appellationem iure adeptus est, moriens meruit amittere? Minimè quidem, cùm etiam post mortem sæpiùs Rex ab Scriptore Sacro appelletur, vt 4. Reg. 11. 10. *arma Regis David*: & 1. Paralip. 29. 27. *gesta autem Dauidis Regis*, & 2. Paralip. 7. 6. *quæ fecit Dauid Rex*, & Matthæi 1. 6. iterum atque iterum. *Iessè autem genuit Dauid Regem, Dauid autem Rex*, &c. Cur ergo moriens Rex non dicitur? Respondet quidem filius eius Salomon Eccles. 8. vers. 8. Vbi de Rege verba faciens emphaticè ait. *Non est in hominis potestate prohibere spiritum: nec habet potestatem in die mortis* vt dixerit, nulla Regi in die mortis potestas est, nihil ei in mortem licet; sed ipsa illum inuitum & reluctantem rapit. En ergo cur ea in die Rex non appelletur, qui reapse Rex est, quòd videlicet qui ea die voluntatem suam non implet, nec quod vult exsequitur, Rex non esse videatur, planè quasi magis à voluntate non cohibita, sed quæcumque placent exsequente, quàm à regno Rex fit.

[1. Mach. 6. 8. — Gen. 2. 17. — Rom. 7. 22. — Rabb. Sabb. — 3. Reg. 2. 1. 10. — 4. Re. 11. 10. — 1. Par. 29. 27. — 2. Par. 7. 6. — Matt. 1. 6.]

5 Vides, vt fuerit è re Regis pro ratione & modestia potestatem suam moderari, nec effrænè, sed castigatâ potentiâ vti, & cùm ipse plurimùm possit, non nisi quod honestissimum sit velle, vti de se diuinitus instituto dicebat Synesius Episcopus, epist. 57. *Erat quippe hoc mihi diuinitus tributum, vt cùm ego auctoritate plurimùm possem, tum honestissima quæque vellem.* Quod planè magno iudicio de seipso expressit Rex Theodohaldus, apud Cassiodor. lib. 10. epist. 16. Senatum Romanum sic alloquens. *Imperiosa nimium res est P. C. pietas nostra, quando propriâ voluntate vincimur, qui alienis conditionibus non tenemur. Nam cùm (Deo præstante) possimus omnia, sola nobis licere credimus laudanda.* Nihil melius, nihil regalius dici potuit. Pende illa. *Imperiosa nimium res est pietas nostra*: quibus tantùm non dicit, maius in nos imperium virtus, maioremque potestatem habet, quàm nos in subditos nostros exercemus; nos siquidem moderato in illos imperio vtimur, illa verò nimiùm imperiosa in nos est, quæ nobis non nisi optima & laudanda posse permittit. At enimverò tanta hæc moderatio regiæ dignitati adeò non repugnat, vt hinc potiùs eius magnitudo certissimè pensitetur, sic namque disertissimè Plinius ad Traianum hoc sensu imbutum. *Vt felicitatis est, quantum velis posse, sic magnitudinis, velle quantum possis.* Hoc est quantum iure possis, quantum liceat, quantum deceat, quantum honestissimum fuerit: & eadem mente Seneca lib. 3. de benef. cap. 37. *Hoc est regnum, nolle regnare cùm possis.* Vt dicere videatur, tunc verè Rex es, & regiam auctoritatem præ te fers, cùm regiam dignitatem castigas, nec eam nisi ad ea quæ honestissima sunt, vsurpas. Nec aliud innuit datum Caino à Deo monitum. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Genes. 4. 7. siue vt LXX. habent. *Et tu principatum habebis ipsius.* Vel vt Caiet. legit. *Et tu præsidens eris in illo.* Vt non obscurè principatus, siue præsidentia tribuatur Caino, vt appetitiones suas sub se, & rationi subditas habeat, nec illæ in eo, sed ipse in illis præsideat, ne nisi ad honestissima se extendant. A quo non it quod malus quidem & desertor Imperator Iulianus in libello de regno benè monebat, inquiens. *Boni Reges non vti potentiâ suâ ad quæuis.* Et non multò pòst, *non tantùm egere consilio, sed moderatione quoque in exsequendis iis, quæ sunt constituta.* Enimverò Reges qui Dauidem in exoptanda aqua, quæ mille hostium gladiis erat vallata, errantem secuti sunt, sequantur etiam pœnitentem, desiderium videlicet suum ita frænantem, vt allatam sibi à militibus tanto discrimine aquam sitiens, & concupiscens bibere noluerit, sed Domino libauerit.

[Synesius. — Cassiod. — Plinius. — Seneca. — Gen. 4. 7. LXX. Caiet. — Iulianus. — 2. Re. 23. 17.]

6 Disquisiuit iam hoc in libro, cur quæsitâ locutione Dei Filium appellauerit Salomon, *Speculum sine macula Dei maiestatis, & imaginem bonitatis illius.* Sapient. 7. 26. tribuens maiestati epitheton illud *sine macula*, quod bonitati aptiùs conuenire videatur, modò verò ei dubio non leue robor addiderim, obseruans Græcè pro voce *Dei maiestatis* esse eam, pro qua Origenes lib. 1. Periarchon capite 2. & ab eo Augustin. lib. 1. de incarnatione verbi capite 13. reponunt *operationis*, siue *inoperationis*, Iansenius verò *efficaciæ*, id est, vis effectricis, siue potentiæ ad operandum, à qua longiùs ire videtur illud *sine macula*. Sed enim mirè adhuc sub eo sensu epitethon id subsistit, omnino astruens Salomon Deo vnicè conuenire, potestate, & vi effectrice suâ *sine macula* vti, soliuique diuinæ virtutis & operationis esse potentiam suam explicare, siue totâ potentiâ vti, quin vlla ipsi macula adhærere possit. Cuius sanè sententiæ, quamuis lumine naturæ notæ & quæ ratione, aut confirmatione minimè indigeat, pulchram reddidit Sapiens rationem eodem libro cap. 12. 16. sic primùm inquiens. *Virtus enim tua iustitiæ initium est.* Sed obserua vocem *virtus*, hic nullo modo sumi pro virtute morali, sed pro *robore, viribus, potentia* (id enim omnino Græca vox significat) Quare is est sensus. Ad summum Dei robur, vires, atque potentiam, quâ absque vllius opera perficere valet quidquid voluerit in cælo, & in terra, signatè pertinere, vt non nisi summo semper iure, & iustissimè agat eomet sensu, quo dicebat Plinius: *vt felicitatis est, quantum velis posse: sic magnitudinis, velle quantum possis.* Vnde sic subinde subiicit, *& ob hoc quòd omnium iustus Dominus es, omnibus te parcere facis*,

[Sap. 7. 26. — Origen. August. — Sap. 12. 16. — Plinius.]

Vatablus. *facis*, siue vt Vatablus *legit*. *Et tum in omnia dominatus, facit vt parcas omnibus.* Vbi duo peculiariter ex nostris commentariis adnotanda, alterum Græcum verbum respondens *parcere*, propriè esse, *parcè & moderatè aliqua re vti.* Alterum Græcè etiam verbum *facio* cum infinitiuo iunctum, vt hic est, coactionem, aut necessitatem quamdam significare, idiotismo Græco (vt apud Xenophontem Helena 6. pag. 353. editionis Henrici Stephani videre est) & Hispano *Hizole callar*, *hizole huyr*, &c. Vt velit Salomon, Deum, quòd immensam potentiam, & omnipotens robur habeat, quodammodo cogi, vt parcè ac moderatè se gerat, quin vires suas ex[illegible]eet siue laxet. *Hoc est regnum, nolle regnare cum possis.* Adstipulatur huic cogitationi Nazarius in panegyrico ad Constantinum, inde omnino Principem capacem, siue incapacem, imperij obseruans, si aut potestatem frænet ac contineat, aut de ea licentiam faciat. Audi. *Hominem non imperando habilem, non tanta maiestatis capacem, talem esse, vt magnitudo malè crediti muneris extra animi angustias effluat, quod qui tueri nequeunt, vbi sub tanto onere fortuna, infirmitas lapsa est, faciunt de licentia potestatem.* Pulchrè.

Xenophon. *Seneca.* *Nazarius.*

7 Huc quidem omnino facit modus, quo in omnium rerum creatione Deus se habuit. Porrò cùm non leuis inter PP. & Auctores controuersia fuerit, an simul & vno ictu, an verò successiuè per sex dies hanc cæli & terræ molem in lucem Deus eduxerit (Sacrâ Paginâ vtrique opinioni ad faciem fauente: nam vt Moyses sex naturales dies rerum creationi singillatim tribuit, & sub hoc sensu ab omnibus pœne PP. accipitur, ita Ecclesiasticus omnia omnino simul producta fuisse asserere videtur cap. 18. inquiens. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul*, & ab hac parte August. lib. 4. de genesi ad litter. cap. 22. lib. 11. de Ciuit. Dei c. 7. Philo lib. 1. allegor. Origen. Caiet. & Canus, & alij stant) S. Thomas 1. p. q. 74. art. 2. neutri parti præiudicandum censuit. Quod sanè sic fuerit omnino accipiendum (ne aut Augustini auctoritati præiudicemus, aut à communi PP. sensu facilè nos abripi sinamus) vt Deus apud se in intentione, vt aiunt, omnia simul, & velut vno ictu perfecerit, in executione verò cùm Sapientiam suam adlegauit, vt *cum ea cuncta componeret*, & singulis rebus pro dignitate propriam sedem assignaret (bene siquidem Tertull. lib. 2. con. Marc. cap. 12. *Bonitas operata est mundum, iustitia modulata est*) non nisi successiuè per dies singulos creaturas produxerit, vt vel tam inde ad Principum informationem ostenderet, nolle se pro potestate, *sed secundùm consilium voluntatis suæ operari*, vt ait Paulus ad Ephes. 1. versu vndecimo, *& ob hoc quod omnium Dominus est*, parcè & moderatè potentiâ suâ vti, non omnia omnino quæ potest, siue eo modo, quo potest, executioni mandans. Vnde huic etiam instituto opportunè aptaueris Ammiani Marcellini libro vigesimo nono in Valentis Imperatoris odium factam exclamationem, quam alibi etiam appingimus. *O præclara informatio doctrinarum, munere cælesti indulta felicibus! quæ vel vitiosas naturas sæpè excoluisti, quanta in illa caligine temporum correxisses, si Valenti scire per licuisset, nihil aliud esse Imperium, vt sapientes definiunt, nisi curam salutis alienæ, bonique esse moderatoris, restringere potestatem, resistere cupiditati omnium rerum.* Hæc Ammianus.

Eccl. 18. 1. *August.* *Philo.* *Origen.* *Caiet.* *Can.* *S. Thom.* *Tertulli.*

Sed hîc forsan aliquis clamabit adulator, istud esse Principem in ordinem cogere, regium fastigium solo æquare, & è supremo domino seruum facere, cùm hinc & eius imminuatur, siue infringatur potestas, & regnandi suauitas, vt quæ in eo videtur esse sita,

Sit pro ratione voluntas,

Euanescat, & amittatur. At enimverò, si bene æstimas, longè aliter se res habet, nihil enim æquè Principi gloriosum, & maiestatis plenum fuerit, quàm potestatem iudicio restringere, atque castigare: nihil eo magis indignum, & quod ita vulgo persimilem reddat, quàm omnia sibi licere velle, & voluntatem pro ratione habere. Certè sub hoc sensu disertissimè Noster Vates Psal. 98. 4. cùm dixisset. *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctum est*: quasi Dei nomen mirè illustre, ac maiestatis plenum sit, ornanter adiecit. *Honor Regis iudicium diligit*, ac si dixerit, vt bene explicat Agellius. *Confiteantur item, quòd tanta Maiestas eius, atque potentia iudicio minimè careat; sed simul conueniant & summa potestas, & summa æquitas.* Quod sic apud eumdem Agellium Græcus quidam ita vrget. *Honorem addit Regi, hoc ipsum quod iustitiam diligit.* Quod si iudicium, & iustitiam diligere, & potestatem ad omnia impetu euntem cohibere *honorem addit Regi.* Ergo à iudicio & iure, vt liberè potestate vtatur, deflectere, honorem, gloriamque ipsi imminuet, & regio honore spoliatum vnum quempiam è media plebe faciet. Quid enim aliud fuerit Principem in ordinem cogere, quàm talem reddere, quale hominum, siue belluarum vulgus est? quibus solemne fuerit *lege manuum*. vt est in Prouerbio, & prohibito agere. Cui rei mirificè facit Tertulliani ratiocinatio, aduersus Marcionem adstruentis legem homini à Deo impositam ex beneficentiæ affectu, vt eò illum ipse signatè honoraret, à belluis discriminâs, quò lege adstrictum iri volebat: sic namque dicebat ille lib. 2. contra Marcion. cap. 4. *Sed & quam arguis legem quam in controuersiam torques, bonitas erogauit consulens homini, quo Deo adhæreret, ne non tam liber, quàm abiectus videretur æquandus famulis suis, cæteris animalibus solutis à Deo, & ex fastigio liberis.* Benè *non tam liber, quàm abiectus videretur*: qui à Deo, & ratione solutus, cæteris animalibus æquaretur.

Psal. 98. 4. *Agellius.* *Tertull.*

Ad ea verba,

Iudicium cantabo tibi Domine.

Bonus Princeps, nemini iniuriam, nemini vim infert.

ADNOTATIO VI.

1 DIgna omnino Principe vox, qua *iudicium* se indefinitè, omni videlicet loco, tempore, & occasione factorum pollicetur; ita quidem vt non solùm quemadmodum dicebat Petrus epist. 1. cap. 4. 17. *incipiat iudicium à domo Domini*, sed etiam ab ipsomet Principe, qui æquitatis, & iuris obseruantissimus vi dominationis nunquam innixus, alicui ex subditis vim, aut iniuriam inferat, imò cùm res exigat, non contemnat *iudicium subire* cum seruo suo, vti de seipso Principe quidem potente, & florentissimo bonus Iob aiebat cap. 31. 13. Et de magno illo Imperatore Tiberio antequam in deterius mutaretur inquit Corn. Tacit. lib. 4. Annal. *Siquando cum priuatis disceptaret, forum, & ius.* Etenim si ad dona, & dignitatum munera distribuenda regiè locutus fuit Principis sui nomine Cassiodorus lib. 6. epist. 23. inquiens *Exeunt à nobis dignitates relucentes vt à sole radij, vt in orbis nostri parte resplendeat custodita iustitia*: quantò fortiori ratione in commutatiua iustitia, & in ipsamet Principis, iura toti orbi reddentis, persona locum id habeat. Scilicet siue obscurus, aut sub luce maligna, siue à se obscurata iustitia, orbi omnino resplendebit. Prudenter quidem Theodoricus Rex itidem apud Cassiodorum libro primo epistola quarta cùm de eodem Cassiodoro dixisset. *Vixit enim tantâ continentiâ, vt*

1. Pet. 4. 17 *Iob. 31. 13.* *Corn. Tac.* *Iob. 31. 15.* *Cassiod.*

aequitatem & instrueret monitis, & doceret exemplis. Subiicit opportunè. Facilis enim recti persuasor est innocens Iudex, sub cuius praedicabili conuersatione pudet mores probabiles non habere. Quis enim vereatur scelus, cùm in suggestu greum complicem videt? luc assum personam ficta seueritatis induceit, cùm auarus pecunia ambitum dissuadet, cùm legibus parendum censet iniustus; quoniam excessus tunc sunt in formidine, cùm creduntur iudicibus displicere. Sic ille.

2 Enimverò parum fuerit de se Iobum dixisse, si contempsi subire iudicium cum seruo meo, nisi ipsemet Rex Regum: cui subest cùm voluerit, posse: vt

Sap. 12. 18. loquitur Salomon Sapientiae 12. 18. *Quis enim dicet tibi* (indidem vers. 12.) *Quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? Non enim est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus, vt ostendas, quoniam non iniustè iudicas iudicium. Neque Rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti.* Summo iure, & iustissimo iudicio cum seruis suis agat, & suas iniurias non nisi ex iure & iustitia, multa simul cum aequitate, & sedatissimo animo iudicet. Vnde subdit Salomon. *Cùm ergo sis iustus, iustè omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum aestimas à tua virtute. Virtus enim*

Mich. 6. 2 *tua iustitiae initium est.* Vis videre? Audi ipsum apud Michaeam debitum iudicij formulam sic omni ex parte obseruantem, capite 6. 2. *Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terrae, quia iudicium Domini cum populo suo, & cum Israel diiudicabitur.* Vbi, si attendis, adeò iudicialem in modum Dominus cum Israële disceptat, & eum eo conuenire vult, vt non vereatur simul iudicio sisti, atque ab eo diiudicari:

Lect. Heb. *cum Israel* (inquit) *diiudicabitur*: vbi Hebraeum verbum

Ribera. optimè vertitur à Ribera *reprehendet se*, id est, vt ipse explicat: *patietur se reprehendi ab Israele, si qua in re eum laesisse, aut iniuria affecisse deprehendatur.* Quod itidem ad

Ambros. id loci sic praestrinxit Ambrosius in Psal. 50. *Tamquam reum se constituit, & te iudicem.* Vnde Hierony-

Hieron. mus cùm montium nomine Angelos, hoc est Principes, quibus terum humanarum commissa est procuratio, intellexisset, de quo nos alibi, sic Deum inibi loquentem facit. *Et contende iudicio, vt fiat montes, sine colles reperti fuerint, non dignè populos procurasse, vel meum videatur esse crimen, qui tales praeposui, vel culpa tollatur à populo, & referatur ad Principes.* O bonum Principem, qui ab inferenda iniuria aut vi tantùm abest, vt rationem reddere, & in iudicium venire paratus sit! Sic id expendente Chrysostomo orat. 5. de Prouidentiâ. *Nos cùm aliquem punimus, vix dignamur causam dicere, Deus nisi priùs te docuerit, nisi tuum ipsius acceperit suffragium, ipsum te iudice iustum iudicium inferre, non punit eos, qui iam diu animaduersione digni erant: & rationem saepè reddere paratus est, & cùm accusatur abs te, in iudicium etiam venire non grauatur.* Pergit multis, quibus haec Michaeae

Basil. verba illustrat. Sed enim Basilius in cap. 1. Isaiae, Dei magnitudinem id maximè decere, ne aliquid cum tyrannide commune habere videatur, sic monet. *Decet Dei iudicium nihil habere confine tyrannidi, sed iudicum more, qui inter homines familiarem ineunt communicationem, quâ fit, vt locum exhibeant sui purgandi in, qui ad causam dicendam sistuntur in iudicio.* Haec Basilius.

3 Et verò vt egregium, & nobilissimum Dei ingenium id omnino commonstret, at si attendis, minus quidem fuerit mirandum, tantâ aequitate, tamque exacto iure suam cum homine causam agere, quin eius iudicium subuertat, atque perturbet, qui nec minutissimae aniculae, quae semel se vsnit, vim, aut laqueum inferr, accuratissima id locutione Sa-

Matt. 10. 29. pientia Dei expendente, hunc in modum, apud Matthaeum capite decimo versu vigesimo nono. *Nonne duo passeres asse veneunt? & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro.* Preme id *fine Patre vestro*: notanter dictum, ne passeris in rete lapsus, à Dei curâ, manu, consilio, operâ dispositus videretur, sed tantùm ab illius scientia, quam nihil latere, aut subterfugere potest, praecognitus: vti Graeci PP. acutè obseruarunt Luc. 12. 6.

tam ad ea Matthaei verba, quàm ad consimilia Luc. Geometra.

12. 6. in Catena Graeca Corderij. Sic enim primùm ibi Ioannes Geometra, illud *fine Patre vestro: non voluntatem designat, sed praesentiam: eorum enim quae fiunt, alia secundùm voluntatem & consilium Dei, alia verò secundùm beneplacitum, alia denique ex permissione eius accidunt.* Vt passerculi casui, nec [illegible]nanimo, nec consilium, nec beneplacitum suum Dominus accommodet. Sed quid interest? velitne Deus, passerem escae auidum in gulae suae poenam, in laqueum cadere? Sanè quòd diuini ingenij non sit, aliquam ex suis creaturis, quantumuis minutissima fuerit, illaqueare, insidiasve ei tendere: ita ibi Theophylactus. *Ne putes quod operante*

Chrysost. *Deo illaqueentur passeres.* Sed pleniùs Chrysostomus in Catena, adductis his verbis. *Quid, inquit, velim passeribus? Sed tamen numquam, ignorante Deo, capientur. Non enim procurante Deo cadere ait, quod diuinâ Maiestate indignum est: sed nihil prorsus eorum, quae geruntur, Deum latere ostendit.* Optimè id diuinâ Maiestate indignū est. Quid enim à maiestate, & magnitudine lōgiùs fuerit, quàm vim inferre, insidias moliri, laqueos, aut lapsum adornare, cùm ea in protegendo, fouendo iure iustitiaque cuique reddenda, omnino censeatur.

4 Sed neque adhuc cùm Deum tam exactum cū passerculis ius seruantem vides, eius aequitatem, & iustitiam omnino cognouisti: illud planè supra omnem admirationem est, pessimae omniū creaturae, insidiatori, deceptori, accusatori, funestissimae belluae, diabolo videlicet suum etiam, licet iniquum, & exuentum ius, non sine ingenti suimet (vt sic dixerim) dispendio, seruare, & reddere: nec cum illo ad vim dominationis conuersum agere voluisse: nimitum si attendis, hoc in cardine tota humani generis Redemptionis ratio, & oeconomia vertitur, quippe,

Origen. vt benè inquit Origenes hom. 6. in Exodum. *Omnes eramus Dei, tamen pretio peccatorum vendidimus nos, & tradidimus daemoni, ideò cùm pretio sanguinis Christi liberati summus, dicimur redimi.* Quae quidem ex eodem Origene, Augustino, & Bernardo tantisper diffundere placet longissimam ea de re dissertationem ad nostros de Dominicae passionis Sacramento libros transmittentes. Ergo ait indidem Origenes. *Rectè quidem dici-*

Idem. *tur redemisse nos Christus, qui pretium nostri sanguinem suum dedit, quid tale autem vt nos mercaretur etiam diabolus dedit? Ergo (si videtur) ausculta. Homicidium pecunia diaboli est, ille enim ab initio homicida est. Fecisti homicidium; diaboli pecuniam suscepisti. Adulterium diaboli pecunia est, diaboli enim in eo imago est, & superscriptio. Commisisti adulterium? accepisti diaboli numisma: Furtum, falsum testimonium, rapacitas, violentia, haec omnia diaboli census est, & diaboli thesaurus. Talis enim pecunia de eius moneta procedit, hac igitur pecunia emit ille quos emit, & efficit sibi seruos omnes, qui de huius mundi censu quantulumcumque*

August. *susceperunt.* Haec Origenes. Quae sic probat August. tractat. 52. in Ioan. *Possidebat diabolus genus humanum, & reos supplicio rum tenebat chirographo peccatorum.* Quid igitur tunc Dei Filius? *Dedit semetipsum* (inquit Paulus Galat. 1. 4

ad Galat. 1. 4. *pro peccatis nostris, vt eriperet nos de praesenti seculo nequam:* Et ad Colos. 1. 13. *eripuit nos de potestate tenebrarum.* Sed quonam modo? subiicit in eadem Coloss. 1. 13

dem epist. cap. 2. 13. *Delens quod aduersum nos erat chi-* Coloss. 2. 13

rographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud Cruci & expolians principatus & potestates traduxit confidenter. Sed quid rogo, Domino,

mino, tam exacto, & summo iure cum diabolo agere opus fuit, vt seipsum pro peccatis nostris daret? qui solo verbo, nullo pretio persoluto ab ipsius potestate potuit eripere? Nónne *nos eramus Dei* (vt dicebat Origen.) diabolus verò *fur* erat *& latro*, vt inquit Dominus, Ioannis 10. 1. & ab eo Gregor. Nazianz. orat. 42. optimo ergo iure ab ipsius potestate tanquam rem propriam, cuius ille dominium numquã amisit, potuit nos sibi omnino vindicare. Quòd si ille nos peccatorum pretio coemit, nónne iniusta pactio, siue potius deceptio, & enormis supra dimidiam pretij partem læsio, quæ iure rescindi debuit, illa fuit? Satius ergo fuisset iniquum illum iure suo, non iure acquisito, sed nequiter vsurpato, in hominem vtente (vt ait Bernard. epist. 191.) cogere, conculcare, & prædam ex ipsius manibus extorquere; vti se fecisse gloriabatur bonus Princeps Iob, cùm cap. 29. 17. aiebat: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Sic equidem tu animum inducis; at Deo aliter visum, qui nec cum ipsomet iniquissimo dæmone, quòd sua, licet in malum abiens, creatura esset, vi vti, seu acuto ferro diuidere: sed iure, & iustitia agere voluit, ita accuratè, & singillatim obseruantibus PP. Leone serm. 1. de Natiuitate, Damasceno orat. 1. de Natiuitate Virginis, Augustino lib. 13. de Trinitate cap. 13. Gregorio Nysseno oratione de Natiuitate, cuius verba opportunissima fuerint: sunt ista. *In hoc beneficio iustus cernitur, in seruitute continentem, & emptionis iure possidentem non coegit, sed seipsum pro illo, qui victus erat, tradidit.* Opportunè illud *iustus cernitur:* quia nimirum *non coegit:* sed stricto iure agere voluit. Pergit Leo, & ipsum cum hoste certamen tantâ æquitate, & iure initum fuisse pondit, vt diuinitatis ipse armis sepositis, non aliter accinctus pugnam fuerit aggressus, quàm in ea carnis humilitate, peccati tamen omnimodò experte quam sæuissimus hostis sæpius triumphauerat. Sic enim ille *In quo conflictu pro nobis inito, magno, & mirabili æquitatis iure certatum est, dum omnipotens Dominus cum sæuissimo hoste, non in sua maiestate, sed in nostra congreditur humilitate, obiiciens ei eamdem formam, eamdemq; naturam, mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem.*

5 Enimverò perpetuum hunc Dei morem fuisse, ipse Dei gladius, cùm primùm de eo Scriptura meminit, satis manifestat: quippe Adamo è paradiso eiecto, ne ei aliqua imposterum superesset spes furto aggrediendi arborem vitæ: *Collocauit Dominus ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeũ gladium atque versatilem: ad custodiendam viam ligni vitæ.* Genes. 3. 24. Vbi si ambigas, cur cùm Seraphim ordine, & dignitate præstantiores quàm Cherubim sint, non illis, sed his Dei gladius fuerit commissus? facilis quidem est responsio, Seraphim voluntatis ardore adeò signatè excellere, vt ab ipso nomen accipiãt: eaque ratione ad iustitiæ typum gerendum non æquè, ac Cherubim opportunos extitisse, ne gratia in iustitiæ terminos irrumpere, aut ius cum fauore confundi videretur; sed horum vnumquodque suo loco stabile, & immotum affigeretur. Quod sanè non multò pòst Dominus ratum, sancitumque esse voluit: quippe cùm Henoch, ob vitæ probitatem, tum apud ipsum gratiâ plurimum valuerit, sic enim Genes. 5. 24. *Ambulauit cum Deo:* vbi Hebræa (vt suprà adnotat. 2. num. 4. admonuimus) sic efferri possunt, *eò peruenit gratiæ, & amicitiæ, vt cum Deo familiariter ageret, ambularetq;:* tum etiam ad extremi temporis salutem eo vti decreuerit, non ideò tamen immortalitate ipsum donare, quod & gratia, & futurum ministerium videbantur exigere, sed in paradisum transferre statuit, ne videlicet morti ex præscripta iam lege ius in omnes homines habenti derogaret, iusque gratiâ perverteret: sic inibi adnotante Chrysostomo homil. 21. in Genesim. *Vides sapientiam Domini? viuentem transtulit, non immortalitatem largitus est, ne peccandi metum eneruaret, sed morti in humanum genus suum ius reliquit.* Sed quid (inquis) erat opus adeò scrupulosè mortis ius, gratiæ anteferre, quin amicitiæ aliquid daretur? Sanè quòd vbi alicuius ius interuenit, Deus non amici, sed Iudicis vice fungatur. Quod videtur adnotasse Paraphrasis Chaldæa, quæ pro citatis verbis *ambulauit cum Deo*, transtulit, *seruiuit in veritate coram Deo iudice:* vt innueret, Deum, ab inita cum Henoch amicitia, illum præmonuisse, se quidem in gratiam suam ipsum libenter accipere, vt eum donis suis maximè ornaret, at ea lege vt vbi alterius ius intercederet, non amicum, sed iudicem se ei exhibiturum fore, nosset.

6 Ad quem planè modum cum Beato Iob se Deum gessisse etiam videris: nam qui Petrum de insidiis dæmonis ipsum expetentis priùs admonuit, vt eum præmuniret: inquiens: *Simon ecce expetiuit vos Sathanas, vt cribraret sicut triticum.* Luc. 22. 31. Sancto Iob futurum certamen quod erat subiturus minimè prædixit, nec singularem ei coronam quâ erat donandus proposuit; sic id expendente Chrysostomo homil. 3. de patientia Iob. *Nouit Iob, se pro virtute certare, non nouit se pro patientia coronandum, sed existimauit tantummodo esse calamitatem à Deo illatam: si nouisset coronam, multò magis certasset.* Et statim: *Non dixit, vide quam rem agis: futurum est, vt tibi prælium per diabolum paretur, decerta, potenter age, quo ne tuam mentem in fugam vertat.* Quod si inquiras, cur aliter cum Petro, atque cum illo se gesserit? Num alter (inquis) altero charior? alter præ altero ad coronam electus? Respondet indidem Chrysost. imò id potiùs ad Iustitiam Dei ius suum cuique seruanti fore referendum, quasi aliter ipse se habeat cum amico, vbi alterius ius non intercedit, ac dum velut in forensi iudicio vltrò citroque concertatur: nimirum Petrum Sathanas aggressus *expetiisse* eum dicitur, noxia scilicet appetitione, & desiderio nocendi ductus: at cùm Iobum vexauit, priùs illum à Deo postulauit, tanquam gladiator, aut hostis æmulum à Rege solet reposcere, vt in eius oculis singulare cum illo certamen ineat. Quare non immeritò aliam erga Iobum personam ac erga Petrum Dominum egisse dixeris, qui huic videlicet tamquã amico faueret, & futuro illius discrimini prouidè occurreret: Iobo autem tãquã certaminis iudex assisteret: interiùs quidem pugili suo opem ferens: at verò exteriùs seueras stadij leges, quæ neutri parti fauere sinunt, omnino seruans; sed hæc iam à Chrysostomo indidem accipe: etenim cùm præfatam dubitationem, cur Iob à Deo de futuro certamine non fuerit admonitus? sic vrget. *Sed neque alienum id esse dicas, deceptiones, errоremq; dimicatori nuntiare. Nam Petro dicit Dominus:* Petre ecce expetiuit vos Sathanas, vt cribraret sicut triticũ. *Apostolis prædicit tentationes, Iob autem dimicationem non prædicit.* Nũquid iniquitas apud Deum? *Absit*, sic luculenter discrimen assignat: *sciebat enim Deus diaboli malitiam, sciebat inuidiam, sciebat versutiam quâ inficere virtutem poterat, si dixisset ei Deus, Caue tibi ipsi, & certa, si sustinueris in finem, substantiam tibi duplo magis restituam, regnum cælorum hæreditabis, immortalitatis accipies coronam, vniuersus orbis tuis laudibus resonabit: si hoc dixisset, certasset vtique iustus, sed iterum diabolus occasionem cepisset, & siquidem certans ille vicisset Deo dixisset, Nunquid gratis certauit? promisisti ei immortalitatem, promisisti regnum, promisisti coronam.* Hæc ille. En Dominum siue in bello, siue in pace ius suum vnicuique, etiamsi ille hostis, mors, aut dæmon sit, accuratissimè seruantem.

7 Discant ergo hinc Principes, sic cum suis subditis agere, vt vel illorum minimo vim, aut iniuriam vllam, siue in pace, siue in bello non inferant: omnino persuasi, maximum ipsorum ornamentum, atque coronam id esse; sicut è contrà nihil ipsorum fastigio, & magnitudine indignius quàm in subditorum iniuriam potentiâ abuti: sic planè censebat noster Rex egregius quidem factis doctrinam suam firmans. Nimirum cùm ferox Ioab Dauidis exercitus Dux, armaque illius tenens, Regis nomine vocasset Abner, eumque ob priuatas simultates incautum, adacto in viscera pugione, interfecisset, David non modò de re iniustissimè peracta, vehementer indoluit, sed maximam sibi iniuriam illatam fuisse reputauit, quòd populus non leuiter suspicari posset: ipsius consilio, siue imperio facinus illud perfectum fuisse. Eò quippe omnino iuerit, quòd & feretrum defuncti vsque ad sepulturæ locum, ad instar consanguinei fuerit comitatus: sic enim ibi. *Porro rex sequebatur feretrum*, 1. B

2. Reg. 3. 31. Reg. 3. 31. & hæc postmodum verba fit locutus vers. 39. *Ego autem adhuc delicatus. & vnctus Rex*: quæ, vt alibi vidimus, LXX. sic efferunt: *Ego sum propinquus hodie*: & verò vt hæc alio in loco retulerim ad propinquitatem, & intimam veluti sanguinis coniunctionem, quæ Principi cum suis subditis ex regia dignitate intercedit: modò peculiarem aculeum illi aduerbio, *hodie* inhærentem obseruo: quasi ex more, quo cùm aliquis iniustè interemptus est, vt eum, qui illi propinquior est, omnino tangit iniuria: sic & ius expostulandi, & debitas pœnas à iudice in reum petendi, is Dauidis sensus fuerit: se eo facto maximè læsũ, ipsumque signatissimè iniuriam illam tetigisse, qui eredi potuit vim, & noxiam fandem subdito suo intulisse. Adiungo in re dissimili, similem Augusti optimi Principis animum, qui Lepidum, licet olim Triumuirum, & summæ potentiæ socium, ac proinde timendum, subinde verò infensum sibi hostem, noluit occidere: præsertim cùm egregius ea illius morte Pontificis Maximi titulus, & ornamentum quod ille iniuriâ retinebat, iure sibi accederet, ne idipsum quod suum erat vi abstulisse videretur, sic id optimè expendente Seneca lib. 1. de Clementia cap. 10. *Ipsum Lepidum quamdiu mori passus non est: per multos annos tulit ornamenta Principis retinentem, & Pontificatum Maximum non nisi mortuo illo transferre in se passus est, maluit enim illum honorem vocari quàm spolium.* Ita ille.

LXX.

Seneca.

8 Hæc quidem bonorum Principum mens atque gubernatio fuerit: à qua longissimè illi iuerint de quibus Habacuc conquerebatur cap. 1. 4. *Factum est iudicium, & contradictio potentior: Propter hoc lacerata est lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium.* Pende singula, & verò iudicium, & cõtradictionem potentiùs præualere, optimè à P. Gaspare Sanchez elucidatur: D *Vt non tam significent armatam manum, quàm instructam iniquè criminationem, non tam in illos, qui conserti lacertis, & ferro, quàm qui conserti iure, ac legibus rem suam, aut repetunt ablatam, aut auferre student alienam.* Quasi queratur Propheta Principes, & potentiores, penes quos legum ius, & iudicium est, armata legibus manu vim, atque iniuriam tenuioribus inferre, eo sensu quo & celebri illa epistola ad Donatum dicebat Cyprianus. *Incisa sint leges duodecim tabulis, & publicè aeri præfixo iura præscripta sint, inter leges ipsas delinquitur, inter iura peccatur, innocentia nec illic, vbi defenditur, reseruatur.* Et statim. *Qui sedet crimina vindicaturus, admittit, & vt reus innocens pereat, fit nocens iudex.* & eleganter Chrysostomus enarratione in cap. 1. Isaiæ: *Qui portus esse debet, fit scopulus.* Sed preme illum dicendi modũ, quo signatè vsus est Vates: *lacerata est lex*, quasi infestis dentibus morsu discerpta fuerit. Quòd si ambigas, quorsum id dicatur, siue à quibus laceretur lex?

Habac. 1. 4

P. Sanchez.

Cyprian.

Chrysost.

A Respondebit Ezechiel c. 22. 27. *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem.* Ezech. 22. 27. Notatissimè Principes cum lupis potiùs, quàm cum aliis noxiis animantibus componens; quippe lupi malos Principes tyrannidẽ exercentes denotant: vnde Plato in Phædone dum inducit transitum animarum in alia corpora etiam irrationalia, ait: *Qui iniurias, tyrannides, rapinas præ aliis executi sunt, in genera* (migrant) *luporum*: vt idem sibi velit Vates, quod dicebat Cyprianus. *Qui sedet crimina vindicaturus, admittit*: eam videlicet mutationem res accepisse, vt qui aduersus lupos canes esse debebant (nam hoc Principum, hoc Magistratuum munus est, vel gentili Plutarcho in commentatio *ad Principem indoctum* asserente: *Ille est benignus & generosus Principis metus, timere subditis, ne lædantur ignaro ipso: sicut canes in vestibulo sedulò excubant, & laborant, cùm feram trucem audierint, non pro se, sed pro ouibus, quas custodiant*) iidem è canibus lupi, B qui tam homines, quàm leges, quas seruandas & protegendas susceperunt, dentibus & morsu dilacerent, omnino euaserint. Mirè ergo *lacerata lex*: cum Principibus, ac Magistratibus lupis euenerit, dum pro iustitia, & iure vim, & iniuriam inferunt: *Et innocentia, nec illic vbi defenditur reseruatur*: imò verò laceratur, & premitur, *& è portu fit scopulus.*

Plato.

Plutarch.

9 Accinit peculiaris LXX. translatio apud Michæam c. 5. v. 5. vbi cùm apud Vulgatum nostrum legatur. *Suscitabimus super eum septem pastores, & octo primates hominum*, siue vt est in Hebræo, *octo Principes hominum*, ipsi notanter legunt, *octo morsus hominum*. & verò vt id ex frequenti Interpretum expositione in bonam partem sumatur, vt alibi latiùs expendimus, ei explicandi rationi subscribentes: vereor tamen ne nimis benigna, & indulgens ea interpretatio sit: tum quòd *mordendi* phrasis non benè sonet in Scriptura, C sic Galatis increpante Paulo cap. 5. vers. 15. *Quod si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini*: & apud eumdem Micheam cap. 3. vers. 5. *Qui seducunt populum meum, & mordent dentibus suis*: & Habacuc cap. 3. 7. *Consurgent qui mordeant te.* Tum etiam quòd ex illa numerorum *septem*, & *octo* distributione, in qua *octo* pro pluribus, siue pro magna multitudine sumitur (de quo non dubium) mala omnino horum *octo* causa sit: cùm plures semper mali, quàm boni sint: quippe *stultorum infinitus est numerus.* Sic Bias apud Ausonium in ludo septem Sapientum dicit.

Mich. 5. 5.

Lect. Heb.

Gal. 5. 15.

Mich 3. 5.

Habac. 3. 7.

Eccl. 1. 15.

Plures hominum sunt mali.

Imò Terentius in Eunuchi prologo, plurimos absolutè pro malis posuit: bonorum verò raritati septenarium numerum, sic tribuit Iuuenal. Satyr. 13.

Iuuenal.

Rari quippe boni, numero vix sunt totidem quot
D *Thebarum portæ, aut diuitis ostia Nili.*

Vnde *septem* pastoribus hoc est optimis, ac iustis Principibus: *octo*, siue multò plures, iniqui, & iniusti respondere videntur. Ergo ex Michea etiam vides laceratam à Principibus legem, qui cùm subditos ab iniquorum morsibus custodire deberent, prodita eorum causa, & & proprio munere deserto, illos mordent, atque opprimunt. O peruersitatem! dum qui portus esse debet, fit scopulus: pulchrè hac de re Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 4. epist. 22. *Detestabilis quidem est omnis iniuria & quidquid contra leges admittitur, iusta execratione damnatur, sed malorum omnium probatur extremum, vnde detrimenta suscipere, vnde credebamur auxilia prouenire. Exaggerat enim culpam in contrarium versa crudelitas. & maius reatui pondus est inopinata deceptio.* Vnde post nonnulla sic opportunè exclamat. *O execrabilem casum! impugnauit hominẽ auxilium suum.* Sed multò opportuniores quæ tibi sũdæ Domini voces apud Amos cap. 6. vers. 13. *Quoniam conuertistis*

Cassiod.

Amos 6. 13.

uertisti in amaritudinem iudicium (siue vt ex Hebræo Pagninus *in venenum*) *& fructum iustitiæ in absinthium*, ac si dicat, qui pro dulci iustitiæ fructu, salute scilicet, & vitæ incolumitate, quam Principes, & Magistratus subditis afferre debent, exitio, & ruinæ ipsis extitistis.

10. Sed illud modò iis placet adiicere, quod vt illa confirmat, ita Principibus ne subditis suis vim vllam afferant, magno documento, & terrori procul-
Gen. 4.10. dubio fuerit, clamantem videlicet sanguinem Abel ad Deum de terra, Genes. cap. 4. vers. 10. At enim
S. Ephrem. quomodo hæc verba à sancto Ephrem legantur, atque explicentur, scire erit operæpretium. Sic igitur
Moses Barcepha. ipse legit citante Venerab. Mose Barcepha Episcopo libro de Paradiso parte 1. *Vlulat mors in suo initio, ostendens quem sit habitura finem.* Pulchrè. Sed obserua quæso vlulatum, qui cum iis quæ modo diximus sensum communem habere videtur. Nimirum vt rugitus leonis, hinnitus equi, latratus canis, balatus ouis, ita vlulatus lupi est: vti apud Virgilium libro primo
Virgil. Georgic. vers. 486.

Per noctem resonare lupis vlulantibus vrbes.

Cerda. Vbi vide meum Cerdam. Ergo mors ibi tamquam lupus, qui, vt ex Platone vidimus, tyranni, & iniuriam facientis typum gerit, à Domino vlulans inducitur, quòd ab ipso tamquam iudex ad plectendam malitiam constituta, in Abelis etiam innocentiam grassata, commisso sibi munere meritò spolianda sit, eique aliquando exprobrandum, *vbi est mors victoria*
1. Cor. 15. 55. *tua? vbi est mors stimulus tuus?* 1. Cor. 15. 55. & illud *ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.* Osee 13. 14. vt
Osee 13. 14. quæ tanquam iniquus Princeps, aut Magistratus iniustè hominum morsus fuit, morsum etiam hominis in eam præualentis experiatur. Sic hæc indidem elucidante Mose Barcepha. *Dilata est mors Adæ, ne iusto ini-*
Moses Barcepha. *tio mors imperium suum auspicata esset in genus humanum, prorsus hoc indissolubile deinceps obtinuisset, at enim posteaquàm ille primus est morte extinctus, qui præ cæteris mortalibus Deo placebat, & omnino morte indignus erat, atque improbo principio mors suam occupauit tyrannidem, meritò ea tyrannis dissoluenda fuit per Christum, qui suo illam aduentu viribus cassam reddidit.* Hæc ibi. Ergo qui mordent, mordentur, & qui iniuriam, & vim faciunt, vim etiam, & iniuriam patiuntur.

Ad eadem verba.

Iudicium cantabo.

Principem ex munere suo patrem orphanorum, & Iudicem viduarum esse, qui egenos, & tenuiores à potentiorum oppressione, & iniuria vindicet.

ADNOTATIO VII.

1. MOnebat quidem Principem Philo libro de
Philo. *Creatione Principis*, vt iuxta Moysis exemplum qui multitudine negotiorum obrutus, vicarios
Exod. 18. 25. sibi ad reddendum populo ius assumpsit. Exodi 18. 25. aliquot administrationis, reddendique iuris socios eligeret, quòd vnus non sufficerat, quantumuis alacer, fortisque corpore, simul atque animo in tanta mole negotiorum, ac multitudine quotidie aliis affluentibus super alia; addebatque. *Præterea, cùm aliquando res magnæ, aliquando minores tractandæ sint, ne in exiguis conterat operam Princeps, sed præfectis eas delegabit, maiores verò ipse examinabit diligentissimè.* Iam verò quæ hæc maiora negotia fuerint, sic præter vulgarium hominum opinionem, non nisi ad magnates, & potentes aspicientium mihi aperit. *Maiora dico negotia, non vt quidam existimant, controuersias, quæ inter claros, diuites, potentesque incidunt, sed quoties priuati, egeni, obscuri premuntur à potentioribus, cùm nulla præsidij spes est, nisi in iudice.* Adsimilis omnino Bernardo mens lib. 1. de Consideratione cap. 10. Eugenium Ecclesiæ Principem, sic admonenti. *Ergo illas, quas ad te necesse erit intrare causas (neque enim omnes necesse erit) diligenter velim, sed breuiter decidere assuescas. Causa viduæ intret ad te, causa pauperis & eius, qui non habet, quod det. Alias alias multas poteris committere terminandas.* Exceperat quidem ohuiis manibus hoc philonis, & Bernardi monitum Theodo- *Philo. Bernard.*
ricus Rex apud Cassiod. lib. 3. epist. 20. inquiens. *Cassiodor.*
Inter gloriosas Principis curas, quas perpeti cogitatione, Deo adiuuante, reuoluimus cordi nostro, est leuamen humilium contra potentiam superborum. Pulchrè gloriosam Principis curâ existimans, egenos à potentiorum cæde, & iniuria vindicare: quasi ipsi Dei vices, officiumque gerenti: *Derelictus sit pauper, orphanoque tu sit adiutor.* Psal. 9. v. *Psal 9.14*
14. Sed & Principis sui sensu imbutus idem Cassiodorus Præfecti Prætorio nomine omnibus, ac singulis Prouinciarum cancellariis eam curam, sic iniiciebat. *Persona tua refugium sit oppressis, infirmo defensio, præsidium aliqua calamitate concluso. Sic enim propriè nostros cancellos agitis, si læsorum impia claustra soluatis.* Vt dixerit, tunc pro dignitate, & tuum munus, & meam personam geris, cùm pauperi oppresso, & infimo, adiumento, & præsidio fueris.

2. Illustrat quidem hoc monitum pulchra montium imago quâ Principes adumbrari iam ex iis Psal. *Psal. 71. 3.*
71. 3. verbis. *Suscipiant montes pacem populo*: quâ ex aliis Scripturæ testimoniis in superioribus adstruximus: maximè si quem in illis efficiendis scopum natura habuerit, ex Plinio obseruës: sic namque ille lib. 36. *Plinius.*
cap. 1. *Montes natura sibi fecerat ad quasdam compages telluris visceribus densandi, simul ad impetus fluminum domandos, fluctusque frangendos, ac minimè quietas partes coërcendas durissima sui materia.* Vbi si attendis, inter alia Principum munia, quæ iam expendimus, illud ex montium vmbra sigillatim elucet, quòd pro tenuiorum, & infirmorum auxilio aduersis potentiorum incursibus sese robore, ac potentiâ suâ opponant, & eorum impetus non solùm consilio, ac facultate, sed viribus, & armis coërceant, frangantque: ita quidem disertissimè elucidat hanc imaginem Aristoteles lib. *Aristot.*
5. Politicorum cap. 10. hunc in modum; *Reges custodiæ, defensionisque causa constitutos, vt & locupletes prohibeant iniuria, & inopem multitudinem contra locupletum iniurias tueantur.* Cui rei opportunissimam alibi reddidit rationem præfatus Rex Theodoricus, sic scribens apud
Cassiodorum lib. 1. epist. 8. *Cordi nobis est cunctos in* *Cassiod.*
commune protegere, sed eos maximè, quos sibi nouimus defuisse. Sic enim æquitatis libra seruabitur, si auxilium largiamur imparibus, & metum nostri pro paruulis, insolentibus opponamus. Obserua illud, *æquitatis libra seruabitur*: vt è Principis munere, & maiestate sit: æqualitatem inter impares suâ potentiâ facere, ne potentior in inferiorem viribus suis innixus præualeat, vt quod paruulo in fortuna sua deest, Princeps è sua magnitudine impartiatur. Nam cùm reapse nihil inæqualius quàm diues, & pauper sit, bene adnotante illo.

——— *Vltimus autem*
Ærumnæ cumulus, quòd nudum, & frustra rogantem, *Iuuenal.*
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque iuuabit,
Si magna Asturici cecidit domus, horrida mater
Pullati proceres, differt vadimonia Prætor;
Tunc gemimus casus vrbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc, & iam currit qui marmora donet
Conferat impensas.

Iure Principi, cui cordi est, cunctos in commune protegere, iis maximè manum porriget, qui sibi ipsis

desuisse, & quibus alius etiam non deesse modò, sed obesse etiam nouerit, Deum quodammodo unitatis, qui vt iam Principes, & potentes, quàm tenues, & humiles ad æqualitatem redigat; illorum arrogantiam, & fastum depcimens, horum verò tenuitatem excitans, & attollens, Principes terrore alloquitur, & se illorum Regem, & Dominum notanter appellat; humiles verò & tenues peculiaribus clementiæ signis demulcet, atque illorum partem, & defensorem se esse dicit: Sapienter hæc adnotante Chrysostomo hom. 5. de Pœnitentia, hunc in modum. *Cùm enim viderit in dignitate potentes, & insignes Reges, Principes, omnes quotquot diuitiis vtent, hos terrore alloquitur, ac doctrina timorem humiliter infert.* Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quoniam Rex est Regum, & Dominus Dominantium. *Idem ipse sui dignitate excellens iuxta diuinam scripturam pater inuenitur orphanorum & viduarum iudex: Regum Rex, Dominorum Dominus: vbi enim potentiam videt ad solamen sufficere, ibi metum ad vilitatem imponit: vbi verò ad orphanitatē paupertatemq; vilitate viduitatem imbecillitatemq; discretam videt, ibi clementiam ad consolationem induxit, Ego pater orphanorum.* Hæc & plura ibi Chrysostomus.

Chrysost.

Psal. 2. 10.

Apoc. 19. 16.

Psal. 65. 5.

3 Enimverò & huc signatissimè Dei gubernationem, & regendi artificio, & eam iis verbis: *Misericordiam, & iudicium cantabo.* exprimere voluisse nostrum Vatem, sic ex eodem mer liquet Psal. 102. 6. de Domino affirmante. *faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus.* Ad quę verba Agel. cùm præmisisset. *Cū sit mūdi Dominus, & Rex vniuersi ū, nihil mirum, si quæ summo omnium Principe, ac Rege digna sunt faciat, nempe misericordiam & iudicium.* Quid sit iudicium iniuriam patientibus facere, sic explicat; *Iudicium (facit) cùm inde, & seuere ... entiorum vnquitatem coercet, qui vel ficlā iustitia specie per fraudem, vel etiam per vim timores homines opprimunt: eisq; iniuriam faciunt, vel etiā eorum bona sibi vendicant. vel cum mercede debita priuant: vel in eorum quoque corpora tāquam vilia mancipia seuiunt.* Sed his Psal. verbis illa ipsissimę Ps. 71. 1. & 2. sunt attexeda, quibus Regi, & Regis filio, Salomoni scilicet, & ei qui plusquam Salomon. Matth. 12. 42. id iudicium precatur hunc in modum: *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.* Et statim. *Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Saoè vt tunc Salomon verè Rex Dei vicem gerens, & munus suum egregiè implens existimaretur, cùm Dei inſtar faceret iudicium omnibus iniuriam patientibus. Vnde quidem de ipso hac ratione super solium Domini sedisse notanter dicitur 1. Paralip. 29. 23. *Sedit Salomon super solium Domini in Regem:* & eodem libro cap. 28. 5. *Elegit Salomonem filium meum, vt sederet in throno Regni Domini* Quasi Dei solium, & thronus inualidis, & tenuioribus protegendis, & à potentiorum vi, & manibus extorquendis sit factus. Quod planè ipsamet Regis institutio à Deo primùm facta, omnino firmat: sic namque Dominus, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis vniuersæ terræ.* Genes. 1. 26. Vbi cumprimis obſetua pro verbo *præsit*, LXX. & omnes Græcos Patres reposuisse *Habeat principatum:* Deinde in hoc imperio Dei imaginem signate consistit, ita id Gregorio Nysseno, Basilio, & aliis Patribus adnotantibus. *Ibi est imperandi vis* (inquit Nyssenus) *illic & imago Dei.* Iam quò hæc Dei imago, & principatus eat, disces, cum ex Hebræo, verba *Radah*, respondente nostro *præsit*, quod, vt ibi obseruat Oleaster, propriè significat *extendere*, siue *operire*, quòd Principis potentia ex-

Psal. 102. 6.

Agellius.

Psal. 71. 1.

Matt. 12. 42.

1. Par. 29. 23.

1. Par. 28. 5.

Gen. 1. 26. LXX.

Nyssen. Basilius

Test. Heb. Oleast.

tendat se super subditos, operiens, & protegens eos. Vnde Ezech. 28. 14. Rex Babylonis dicitur, *Cherub extensus, & protegens*, quasi extensis potentiæ suæ alis (qui est habitus Cherubin) subditos suos foueat, & protegat: tum vel maximè ex structura sermonis Basilio, Nysseno, & aliis obseruata dum hic Principatus, siue protectio in pisces priùs, quàm in volatilia, & bestias terræ assignatus est. *Non dixit* (inquiunt) *præsit animantibus, sed piscibus, qui vitam in aquis degunt. Primò igitur nobis in pisces traditum est imperium.* Sed quare? Planè, quia vt volucres pennis ad fugam, rostro, & vnguibus ad vltionem instructæ sunt, terrestria verò animantia fortioribus telis dentium, & cornuum armata: ita pisces inermes, inualidi, improtecti, prædæ perpetuò expositi, superiori tutelâ, & prouidentiâ maximè indigent. Ita id adnotante Ambrosi. lib. 5. Hexameron cap. 5. *Quò quisque infirmior, eò præda magis patet: minor apud illos esca maioribus.* Præsit ergo primum Princeps piscibus, præsit inquā tenuioribus. *vt eripiat pauperem à potente, & inopem cui non est adiutor.* Quæ omnia Hispania lege restata, sanciraque reliquit noster Alphonsus Rex lege 20. tit. 23. partita 3. his verbis huic cogitationi peropportunis. *Bindas, ò huerfanos, & omeres al..adn, ò otros pleytos, porque ayan de venir à la Corte del Rey, se los deve iuzgar. E esto es, porque maguer el Rey es tenudo de guardar todos los de su tierra. señaladamente lo deve facer à estos: porque son assi como desamparados, e mas sin consejo que los otros.*

Ezech. 28. 14.

Basil. Nyssen.

Alphonsus Rex.

4 Qua signatè de causa dum Deus alios potentiores, alios pauperes, & infirmos fecit, dumq; ij, quibus minor est auctoritatis, & virium, potentioribus ludibrio, & prædæ sunt, nulla omnino ratione perfectorum aceeprot dici potest, quod Regibus à se custodiæ, defensionisque causâ constitutis *æquitatis libram*, & æqualitatem fecerit, vt auxilium largiantur impetitibus, & metum sui pro paruulis insolentibus opponant. Quid enim aliud ipse, cùm *stetit in Synagoga deorum, in medio deos diiudicans*, clamare consueuit? audi: *iudicate egeno, & pupillo, humilem, & pauperem iustificate: Eripite pauperem, & egenum de manu peccatorum liberate.* Psal. 81. 3. Vnde quidem quidquid iniustum à potentioribus patiuntur pauperes, super Principes cadit, & ipsorum culpæ, ac negligentiæ adscribitur: tunc enim inter dixeris, Regem in terris non esse, id est ea ratione, & modo tes, ac negotia peragi, ac si nulla lex, nullus Rex esset: sic omnino monente Habacuc c. 1. 13. dum his causam pulsasse querelis fertur. *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris: quare respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se? & facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens Principem.* Vbi cum præfato illud, *facies homines quasi pisces maris*: eodem penè sensu, ac nuper dicta accipiendum sit de tenuioribus à potentibus vexaris, & oppressis, dum piscis, *quò infirmior est, eò præda magis patet.* Vnde ortū est Prouerbium *Piscium vita*, ab Ambr. inibi Basil. hom. 7. in Hexam. & Chrysost. in Psal. 103. illustratum ad significandam potentiorum in minores tyrannidem, quòd (vt dixit ille) *pisces minutos magnus comest*: emphaticè subdit Vates: *Quasi reptile non habens Principem*: ac si diceret, vt minuti pisces à maioribus deuorantur, quòd nullus illis Princeps, nullus dux constitutus sit; qui infirmiores à validioribus meatur: ita tenuiores homines potentiorum prædæ patent, quasi Principem ad eos tuendos non habeant: vt dicere videatur, dum non tuetatur eos Princeps, à munere suo sie defecit, ac si in rerum natura non esset: vnde post citatā verba, quibus Dei nomine Principes admonebat Dauid, vt eriperent pauperem, & egenum de manu peccatoris liberarent: quod id reapse non præstitetint, subnicit. *Nescierunt, neque intellexerunt. in*

Psal. 81. 3.

Habacuc. 1. 13.

Ambros. Basilius Chrysost.

tenebris

tenebris ambulant: vt dixerit, Ipsos munus suum (quo nihil turpius esse potest) ignorare, nec aptiores ad alios ducendos, & gubernandos, quàm *si cæcus cæcum ducat*, esse videntur. Quæ omnia sic breuiter perstrinxit citata epist. 8. lib. 5. Rex Theodoricus. *Fortuna minor Principem quærit, quia in vituperationem nostram corruunt, quibus se publica vota subducunt*. Et quidem rectè: *etenim cum populi stabilimentum*, Sapient. 6. 26. signatè verò oppressorum refugium, & infirmorum defensio Princeps sit, in eius omnino vituperationem, & iniuriam corruent, qui tegminis regij vmbram non assequuntur.

Cassiodor.

Sap. 6. 26.

5 Vt verò hinc, & regium munus ingeniumque, ita & Regis ornamentum, & gloriam desumi, facile fuerit animaduertere. Porrò si dubites, cur inter omnes filios Isai, bellico robore præstantes, vnicè Deo placuerit Dauid, vt ad regni gubernacula vocaretur, qui omnium ætate minimus, & nullo apud domesticos, aut postremo loco erat? 1. Reg. 16. 12. non immeritò respondebitur: egregium Principis specimè omnino illum dedisse, cùm pastoritiam vitam agens leones sæpè, & vrsos, qui raptas oues auferebant, audaciùs aggrediebatur, & interficiebat, & ex eorum faucibus tam prope deuoratam prædam extraheret: rem sic ipsomet ad Saülem referente 1. Reg. 17. 34. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis. Et persequebar eos, & percutiebam, eruebamq́; de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq́; eos*. Quid enim id fuerit quàm regium munus, perfectamque Regni gubernationem præludere? non secus, ac de seipso *iustitia indutus*, & regio *diademate* ornato dicebat Iob cap. 29. 12. *Eò quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non esset adiutor*. Et statim vers. 17. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam*: vbi Chrysostomus in catena Græca, *more optimi vigilantisq́; pastoris eruebâ quasi ab ore leonis oues cruribus abstractis, summisq́; auribus auulsis*: siue, vt subinde ipsemet Vates optimam Dei gubernationem collaudans, dicebat Psal. 34. 10. *Domine quis similis tibi? eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum*. Vt quemadmodum à leonibus, qui vitibus agentes, oues aggrediebantur, vt dilacerarent, bonus pastor prædam eripiebat, sic Dominus potentiorum incursibus, qui nulla iuris, ac iudicij saltem ostentata specie, sed violentia, & iniuria pauperes diripiunt, sese robore, ac potentia suâ opponat, & humanam diuina vi repellat. Verumenimverò illud signantissimè regium hoc, siue diuinum Dauidis ingenium ad eripiendum inopem de manu fortiorum maximè prodiue ostendit, quòd ipso in adulterij, & homicidij crimen prolapso, & tam Dei, quàm sui met oblito, & alto peccati sopore demerso, Nathan Propheta à Deo ad commonendum Regem missus, quæsitâ parabolâ inductâ prædiuitis, & potentis hominis, qui vnicam pauperculi cuiusdam ouem occidit, vt peregrino cuidam epulas instrueret, ad odium proprij peccati in alieno expressi, ipsum vehementiùs commonuit, vt in eo quem proprio ingenio ad eruendam ouem de ore leonis prono ductus, reum capitis esse iudicaret, utriusq́; ignarus, semetipsum condemnaret. Sic enim tunc ille. *Iratus autem indignatione Dauid aduersus hominem illū nimis, dixit ad Nathan, viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc: ouem reddet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum istud*. Sanè vt Propheta tanquam industrius auceps, sine piscator in eo cibo, quo auis, aut piscis maximè oblectatur, retis, aut laquei insidias instrueret. Vnde vt ipse audiuit à Propheta: *Tu es ille vir, Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi*, conscium statim peccati animum

1. Reg. 16. 12.

1. Reg. 17. 34.

Iob. 29. 12. & 17.

Psal. 34. 10

2 Reg. 12. 5.

granis pœnitentia subiuit: inquitque, *peccaui Domino*.

6 Mirantur quidem quotquot Dominum bono latroni ob simplicem confessionem regnum suum è vestigio dantem considerant, quæruntque, quânam ipse ratione Dei Filio adeò vehementer placuerit, vt ab eo paradisum, & regnum, cui promerendo quàm longissimæ vitæ merita imparia sunt, in breuissimo temporis momento obtinuerit? Hæc enim totius eausæ series fuit. *Domine memento mei: cùm veneris in regnum tuum*. Cui statim confessioni Dominus sic annuit. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*, Luc. 23. 42. & 43. Videamus inquit S. Maximus hom. 1. de sancto Latrone: *Cur tantorum criminum reus tam citò Saluatore paradisum promeretur, cùm alij multorum temporum lachrymis, frequentibusq́; ieiuniis vix delictorum suorum veniam consequantur*? Pergit ille humil. 2. addens latronem non modò paradisum, sed, quod plus est, Christi consortium prometitum, & quasi regiæ sedis factum fuisse participem: *Petro dicitur à Christo*. Non potes me modò sequi, sequeris postea, *& huic dicitur*, Hodie mecum eris in paradiso. *Tanquam discipulus ille differtur, & hic tanquam socius inuitatur. Ille adhuc reseruatur ad præmium, etiam ad consortium iste deligitur*. Non potes *inquit* me modò sequi: *Impossibile est Petro sequi Dominum, etiam facile latroni est esse cum Domino*. Hodie mecum eris in Paradiso: *Ipsa horâ, quâ paradisus Deum suscepit, suscepit & latronem: vnum passus est pro salute cunctorum, & duobus pariter immortalitatis ianua reseratur*. Quid? rapuit ne de more hic latro cæleste regnum? eique armata manu vim intulit? in hunc sacè loquendi modum, & rude, & eruditum vulgus ire solet. At enimverò si verè æstimas, non vi, non ex rapto, sed magno quidem iure cæleste regnum, Christique consortium is promeruit, qui regij ingenij egregium specimen dedit, dum Christum crucifixum Dominum, ac Regem ingenti ore appellare non dubitauit, inquiens: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum*. Sed cur, inquis, tam pretiosa, tantique meriti hæc confessio fuerit, cùm alibi audiamus, nonnullos Christum pleno etiam ore Dominum appellantes, quos tamen cælesti ingressu omnino prohibitos videmus, dicente Domino. *Nescio vos* Matth. 25. 11. & 12. & Luc. 13. 25. Vis nosse? Sanè, quia vt ij, qui de manu Dei repulsi sunt, tunc illum Dominum siue Regem appellarūt, cùm ille *in sede maiestatis sua*, Angelico exercitu stipatus, Regni sui splendoribus colluxebat: quod quidem quid valeat ad meritum? aut quantum facinus fuerit? cùm & dæmones credant, & contremiscant: ita bonus latro summa Christum opportunitate Regem dixit: & tunc regnum eius asseruit, cùm illud omni ex parte apud potentiores nutaret, & lacesseretur: eò enim tot illa ludibria, irrisiones, atque supplicia ibant, vt Christum falsum, fictúq; Regem ostenderent, eaq́; de causa Crucis supplicijū subiret, vt satis liquet ex purpurâ, coronâ, Crucis titulo, iisque opprobriis; *Si Rex Israël est, descendat de Cruce*. Matth. 27. 42. & *quia ipse dixit Rex sum Iudæorum*. Ioan. 19. 12. En ergo animosum latronis fidem, regiique ingenij specimen regno dignum, dum ipse aduersis potentiorum incursibus Christi regnum diripientibus sese opposuit, & regnum inuisâ ab illis affectum, & lacessitum asseruit, ac vindicauit, pro eo signatè cùm vndique quateretur, animosè decertans; sic id obsernante præfata hom. 1. S. Maximo *Deinde illud ad gratiam maioris est meriti, quòd Christum in Cruce positum credidit, & passio, quæ aliis scandalum fecit, illi ad fidem profecit: Mira res! confitetur latro, quem discipulus abnegauit. Mira inquam, res! latro honorificat patientem, quem Iudas perdidit osculantem. Ab hoc pacis blandimenta venduntur ab illo Crucis vulnera prædicantur*. Ait enim. Memento mei Domine, cùm veneris in Regnum tuum.

Luc. 23. 42. & 43. S. Max.

Matt. 25. 11. & 12.

Luc. 13. 25.

Matt. 27. 42.

Ioan. 19. 12.

S. Max.

Pulchrè

Pulchrè illud, *honorifi. at pauentem*, verum scilicet Regem eum prædicans, & honorans, qui vt falsus, fictusque supplicium subibat, tantum ei audacter deferens, quantum ab ipso potentiores iniustè auferebant.

7 Quàm stricto autem iure Principes ad inopes de manu fortiorum per seipsos eripiendos teneantur, quàm id ipsis gloriosum fuerit, inde collige, quòd Dei Filius, qui omnia miracula, atque prodigia, siue Moysi, atque Iosue fidissimis eius administris, siue Prophetis, & insignibus sanctitate viris in veteri testamento patranda commisit, vni sibi dæmones expellere, vt bonis auctoribus ante me obseruatum est, de industria reseruauit, quòd hoc omnino fuerit *eripere inopem de manu fortiorum eius, egenum, & pauperem à diripientibus eum*: tum vt innueret, quod dicebat suprà citatus Philo, maiora negotia ab ipsomet Principe examinanda: *Nimirum quoties priuati, egeni, obscuri premuntur à potentioribus*: tum etiam quòd nihil Regi illustrius, aut gloriosius hoc fuerit. Vnde quidem qui Moysi mare rubrum in diuisiones aperire: Iosue Solem sistere: Eliæ cælum claudere dedit: facultatem expellendi dæmones illis non fecit, quòd id vt multò maius, & illustrius, quàm ea omnia miracula, ita vni sibi debebatur. Porrò hac signatè de causa, vt Regum Regem ab omnibus Principibus, atque gentibus adorandum fore, sic noster cecinit Vates Psal. 71. 11. & 12. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei* Sed quam ob causam? *Quia liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor. Parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorũ corã ipso*; nec contentus id dixisse, subiicit. *Et erit firmamẽtum in terra*: quod perinde sit, ac si diceret: adeò illustre, atque præclarũ magnitudinis suæ specimen edit, cùm inopem de manu potentioris eripit, vt cælestem aulam, ac diuinum solium in terram transtulisse videatur, vt hinc planè videris, tam longè à veræ Religionis, quàm ab optimi Principis genio iuisse Iulianum Augustum, qui Ethnicorum Principum egregiis in bello factis recensitis, Christum Dominum nihil memoratu dignum fecisse, nisi claudis, & cæcis medicinam adhibere, & dæmones expellere; sic aiebat apud Cyrillum Alexãdrinum contra Iulianum: *At Iesus, quo vixit tempore, nullum opus memoratu dignum fecit, nisi quis claudos, & cæcos curare, & dæmones adiurare in Bethsaida, & Bethaniæ castellu, opus esse maximum putet*. Nimirum quisquis sano, & pleno pectore sapiat, adeò maximum opus esse putauerit, tam iis qui iniustè à potentiore opprimuntur, quàm afflictis & egentibus opem omnem, & auxiliatem manum præbere, vt inde optimi Principis ingenium, veræ diuinitatis rationem omnino pensitauerit, cùm ipsemet Gentilis Plinius absolutissimè pronuntiauerit, vt sæpius vidimus. *Deus est mortali iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via*: & hoc vnum ad cæleste fastigium Principibus iter esse sic subiicit; *hac proceres iere Romani: hac nunc cælesti passu vadit cum liberis suis maximus Vespasianus Augustus fessis rebus subueniens*. Sed hæc multò opportunius nobis aduersus desertorẽ illum sic admonuit Cyrillus. *Diuina quoque signa per Christum Dominum facta perturbare audens, admirari nescit, quæ admirari decet. Nunquid maximum illud, & immensum euolueret cælum, & terram aliam præter hanc iuberet nobis ex aquis seruire, & innouaret quiddã circa Solem, & Lunam, astraq; cætera? Verùm non hic spectabat, cùm fieret homo. miserabitur enim potiùs hominem dæmonorum seductionibus in extremam miseriam deductum*. Egregiè omnino. Obserua illa: *Admirari nescit, quæ admirari decet*. Quid enim admirabilius? quid regiâ magnitudine, & diuinâ potentia dignius, quàm pauperẽ, & inopem, cui non erat adiutor à potente liberare? vt dicebat Theodoricus. *Inter gloriosas Principis curas cordi nostro est leuamen humilium contra potentiam superborum*. Num maius fuerat cælum euoluere? Solem sistere, aut nouum alium orbem creare? Minimè quidem, hæc quippe, vt *ipse dixit, facta sunt*, imò & aliis, siue hæc, siue iis similia facienda, permisit; inopi verò opem ferre, sibi vni reseruauit: quòd id ad gloriosas Principis curas, & maiora negotia, non nisi ab eo expedienda, omnino spectet.

Psal. 71. 11. 12.

Plinius.

8 Iam si attendis, huc in cardine tum Dei Principibus factæ exhortationes, intentatæ minæ & assiduæ de illis habitæ querelæ, tum etiam promissa ab eo ipsis felicitas, & pacata omnia singillatim vertuntur. Porrò cùm apud Isaiam cap. 1. cum populi sui Principibus disceptans Dominus, infelicissimum ipsorum statum ob oculos proposuisset, siue quòd vsque adeò afflictus, atque percussus miser populus esset, vt à planta pedis, vsque ad verticem capitis, nulla esset pars à dolore vacua: siue (quod peius erat) quòd eorum sacrificia, & dona, propter animi sordes ipsi ingrata, imò & molesta, inuisaque essent, ab his omnibus & vindicaturum se, & mundaturum absolutè promittit, si eam rectè viuendi formam discant, quâ æquitatem in iudicio seruent, illique subueniant, quẽ potentiorum vis, & iniuria premunt; viduarum solitudini, ac pupillorum orbitati subsidio sint: Audi. *Discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. Vbi obserua primùm, quibus imaginibus Principum peccata describat, à vermiculi scilicet sanguine rubentia, vt innuatur tenuiorum, & pauperum sanguinem, quem Princeps pro munere suo non defendit, super ipsum recidere, ipsumque inficere, & quasi proditi officij desertorem grauare, planè quasi pupillorum, & infirmorum sanguis à Principe non propugnatus, atque defensus de ipsius manu requirendus sit. Deinde quàm præclara sint, quæ à Dei benignitate ipse Principes sperare iubeat, si mutato instituto, orphanorum patres, & viduarum iudices se exhibeant, *velut lana* (inquit) *alba erunt*: diuinitatis nimirum notas, & ornamentum cui florentissima sors & felicissimus rerum status subest, illis tribuens, cùm de Deo in solio, & tribunali suo residente à Daniele dicatur: *Capilli capitis eius quasi lana munda*: vnde statim subdit, *si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*. Adeò videlicet magnum pondus infirmorum defensio habet, vt à rubore vermiculi ad diuinitatis candorem Principes transferat; iam verò quàm firma, & secura, sine quæ manu teneatur, hæc promissio sit, illud omnino euincit: *& venite, & arguite me, dicit Dominus*: nimirum Græcum verbum non tam arguere, siue disceptare, quàm cõuincere, & redarguere significat: vt dixerit Deus, si vobis pupillo, & viduæ opem ferentibus felicem rerum statum non dedero, violatæ me fidei proditorem habetote, quo nihil absurdius, & creditu difficilius excogitari potest, cælum enim priùs ruet, aut transibit, quàm verba mea inaniter transeant.

Isai. 1. 17.

9 En Dei ea de re exhortationes, & promissa: audi iam increpationes, & minas: sic enim indidem non multò pòst. *Principes tui infideles, socij furum*, sed quare infidelitatis, quasi officium suum deserentes, necnon eiusdem cum furibus notæ arguantur? *Pupillo* (inquit) *non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos*: vbi LXX. *iudicio viduarum non attendentes*. Tantum non dicẽs Dominus: cũ pro iniuncto sibi munere sollicitè egredi debuissent ad expedienda miserorum negotia & viduarum causas curandas, vt in ipsis Dei imago

resplen-

resplenderet: qui pater orphanorum, & iudex viduarum est: illique in suas commoditates, & lucra intenti, nihil minus curare videantur, quomodo officium suum deserere non dicetur. Dixeris iis quadrare Principibus, quod Simoni Mago, qui impudicam Helenam circumferebat, stultè, & ridiculè asserens illam esse eademmet Helenam, pro qua Græci, & Troiani tam atrociter pugnarunt: addens blasphemo ore se tanquam Spiritum sanctum ad infelicem illam è prostibulo redimendam aduenisse: falsè obiiciebat Tertullianus libro de Anima, cap. 34. vbi cùm dixisset. *O Helenam inter Poëtas, & hereticos laborantem tunc adulterio, nunc stupro infamem, nisi quod de Troia gloriosiùs eruitur, quàm de lupanari, mille nauibus de Troia, nec mille denariis forsitan de lupanari.* Subiicit disertissimè. *Erubesce Simon, tardior in requirendo, inconstantior in retrahendo. At Menelaus statim insequitur amissam, statim repetit, ereptam decennij prælio extorquet, non latens, non fallens, non cauillabundus. Vereor ne ille magis pater fuerit, qui circa Helenæ recuperationem, & vigilantiùs, & audentiùs, & diutiùs laborauit.* Opportunè illud *vereor ne ille magis pater fuerit*: is enim verè Princeps, verè pater orphanorum est, qui vigilantiùs, audentiùs, & diutiùs pro illis laborauit, at qui iudicio miserorum non attendit, tardior in requirendo, inconstantior in retrahendo, officij sui proditor omnino haberi debet. Quare hæc fulminat statim Dominus. *Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israël. Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Hostes & inimicos hos Principes signatè appellans, & de illis tanquam de hostibus, & inimicis grauiorem vindictam sumens, quòd filiorum suorum causas contemnant, ac proinde ipsius Numen lædere videantur.

Tertul.

Ad ea verba, Misericordiam,

Clementiam Regiam esse virtutem & Principis coronam.

ADNOTATIO VIII.

1 EN virtutem egregiam, & verè regiam, quâ, velut charactere, Princeps dignoscatur, & à cæteris hominibus discriminetur: & quæ (vt Vopisci in *Aureliano* verbis vtar) *prima dos Imperatorum, ac Principum sit*: siue etiam Principes constituat, & efficiat: nec enim aliò ire videtur vetus consuetudo, quâ illi ex Dei præscripto oleo inungebantur, siue inaugurabantur, sic obseruante Chrysostomo hom. 4. in ep. ad Philip. vbi cùm dixisset. *Oleum pro symbolo Dei misericordiæ habebant.* Subdit post pauca. *Reges oleo inungebantur. Et si quis Principem laudet, nihil quod æquè ipsum deceat afferet, ac misericordiam: Principatus enim proprium est misereri.* Vnde noster Vates mirificè se à Deo, ob benignum, & clemens ingenium in Regem fuisse electum, sic dicebat Psal. 4. vers. 4. *Scitote, quia mirificauit Dominus sanctum suum*: vbi ex Hebræo plures legũt. *Quia elegit sibi misericordem me*: planè quasi regno idoneum, ac dignum: aliàs regiam maiestatem minimè impleturus. Benè quidem hæc nosse videtur Theodohaldus Rex apud Cassiod. lib. 10. variarum, qui cùm primùm ad Regium culmen se euectum cognouit, vt regiæ dotis specimen præ se ferret, dicebat: *Mutauimus cum dignitate propositum, & si anteà iusta districtè defendimus, nunc clementer omnia mitigamus.* Certè eximium Theodosij Imperatoris ornamentum clementiam fuisse, eaque ratione humani generis hostem, cui tanta lux erat inuisa, omni modo illud ab

Vopiscus. Chrysost. Psal. 4.4. Lect. Heb. Cassiod.

A ipso auferri procurasse, ad diram cædem Thessalonicæ factam Principem impellendo, sic ei eleganter scripsit Ambrosius epist. 28. *Etsi in præliis felicissimè egeris, etsi in aliis quoque laudabilis, tamen apex tuorum operum pietas semper fuit. Id tibi inuidit diabolus, quod habebat præstantissimum.* Pulchrè *apex tuorum operum*, quod inter omnia eminentiùs, & splendidiùs emicat.

Ambros.

2 Dixeris, si bene æstimas, hanc etiam Salomonis mentem fuisse, cùm arcanâ, & difficili locutione, Ecclesiastes 9. 8. dicebat. *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo* (siue vt Hebræa & LXX. habent *super caput tuum*) non deficiat: nam primùm, vt omnino dixerim quod sentio, eorum explicatio, qui hæc perinde capiunt, quasi à Salomone quis moneatur, vt redolens ac vnguentatus incedat, & splendenti, & nitidâ togâ, non verò incultâ, & sordidâ vtatur, mihi vndequaque sordet, & Salomonis sensu alienam, & indignam puto. At verò illud deinde B non immeritò ambigas, qui vestium omnimoda munditia cum oleo capiti indesinenter imposito queat subsistere? nec enim facilius fuerit oleum deferre, nec vestis candorem infici, quàm picem tangere, & ab ea non inquinari. Sed enim quæ in cortice obscura videntur, germano & spirituali sensu accepta, plana & perspicua sunt. Nimirum dum candor vestium ad vitæ puritatem ex frequentissima scripturæ phrasi, & Paraphraste Chaldæo sic explicante: *In omni tempore sint vestes tuæ lotæ ab omni contaminatione peccati*: necnon oleum capiti impositum ad regiam clementiam, quæ non secus ac diadema, eximium Principis ornamentum est, commodissimè refertur, is sensus elicitur, semper opportunam Principi clementiam esse, eaque ipsum indesinenter vtentem, vix aut ne vix quidem vllam sordem, noxamque contrahere, quod sanè seuerius ipsi agenti non sic euenit, C sæpiùs enim calore, & colore iustitiæ, conscientiæ, & bonæ existimationis candori notam aliquam inurit, hæc sic exactissimè sub Principis sui persona profitente Cassiodoro libro 11. variarum epistola 40. *Nam qui periculosè iusti sumus, sub securitate semper cognoscimus.* En vestimenta sub oleo candida omni tempore, quia Princeps sub securitate semper ignoscit. Quare semper? cùm & ipsi iustitiæ cura etiam subeunda fuerit. Respondet primùm Symmachus & ipse quidem Iurisconsultus, & Iudex, libro 10. epist. 63. *Alia est enim conditio Magistratuum, quorum corruptæ videntur esse sententiæ, si sint legibus mitiores, alia Dominorum Principum potestas, quos decet acrimoniam seueri iuris inflectere.* Deinde verò Gregorius Nazianzenus epistola 78. Quòd qui ignoscit, Dei benignitatem imitetur: enimverò hinc ille Olympium Principem omni ex parte laudabilem ostendit; sed prætereà non D omnino abs re ex verbis Saluiani Massiliensis libro 3. ad Ecclesiam Catholicam aliò sensu prolatis respondeas; ideò sub clementiæ oleo, candida semper Principem vestimenta gestare, quòd vt aliquando ex lenitate à iure tantisper deflectat (nam de ignaua & importuna clementia, quæ quòd indiscriminatim & sine delectu peccantibus veniam tribuit, vitium potiùs, quàm virtus est, ideòque eam in superioribus insectati sumus, modò non agimus) veniabilis ea culpa sit, quæ & candori maculam non inferat, & plausibilem ad manum habeat excusationem. Sic enim rigidus ille Saluianus, qui omnia ad viuum resecare volebat de parentibus, qui sine vlla in pauperes erogatione, facultates hæreditarias filiis derelinquunt, præfato loco inquit. *Habere aliquam excusationem pietatis videntur dicentes: Pietas vicit, vis sanguinis compulit, natura ipsa quasi amoris manu in ius suum traxit: sciuimus quid iustitia deposceret, quid sacra veritas postularet, sed subacti (fatemur) sumus iugo incarnatæ necessitudinis, & dedimus cap-*

Eccl. 9. 8. LXX. Chaldæus Cassiodor. Saluian.

mas captiuas manus vinculis obsecrauit, cessit sanguini fides, & vicerunt deuotionem iura pietatis. Hæc ille. quæ vt circumspectè sub sensu ab eo dicto accipienda, ita cautè etiam nostro instituto aptanda sunt.

3 Enimverò clementiam, siue acrimoniam seueri iuris inflectentem, siue pro re nata veniam miseris reis aliquando dantem, Dei quidem inuentum esse, quo ipse maximè gaudeat, & Principibus omnino indat, ab ipsisque signatè exigat, & si sic loqui fas fuisset, ab illis quodammodo imitetur, & addiscat: inde colliges quod Numerorum c. 17. (*Num. 11. 17.*) Moyse à Deo efflagitante, vt gubernandi populi onus in alios etiam homines, qui illius collegæ, & quasi adsessores essent, diuideret, sic ei Dominus locutus dicitur. *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi.* Sed obserua pro illis verbis *de spiritu tuo* LXX. (*LXX.*) legere *de spiritu, qui in te est*, hoc est de Spiritu diuino siue sancto, vt optimè explicat Chrysostomus (*Chrysost.*) hom. de Spiritu sancto tom. 3. sic hæc efferens: *Non dixit accipiam tuum, sed de spiritu, qui in te: de meo accipiam.* Quid ergo, adeóne Dei spiritus angustus est, vt quòd de eo aliis diuidendum fuerit, à Moyse auferre opus sit? Minimè quidem, dicente Ioann. 3. 34. (*Ioan 3. 34.*) *Non enim dat Deus spiritum ad mensuram*; vnde pro iis verbis. *Auferam de spiritu tuo*; Paraphrastes Chaldæus (*Chaldæus.*) legit. *Augebo de spiritu qui est super te, & ponam super eos.* Quare ergo noluit Dominus Spiritum à semetipso nouis ducibus immediatè immittere, sed eum, quem iam dudum in Moyse posuerat, augere, & cum illis diuidere? Num Dei spiritus quòd in Moyse fuerit, melior, & idonior, & Principi opportunior fuerit? Ita quidem Deo quodammodo visum fuisse, non importunè dixeris, quasi ille in homine mitissimo primùm collocatus, humanitatis sibi saporem sugens, atque attrahens, vt humanior factus, ita moderandis hominibus quasi opportunior videatur. Hæc vt decenter & inoffenso pede currant, Christo Domino, qui hominis filius est, cuius inibi personam Moyses gerebat, vt Chrysostomus (*Chrysost.*) indidem affirmat, omnino aptanda sunt, ipsomet dicente; *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*, Ioann. 5. 22. (*Ioan. 5. 22. & 27*) Quare? subiicit vers. 27. *Quia Filius hominis est.* Quæ sub sensu quem persequimur sic premit Bernard. (*Bernard.*) serm. 73. in Cant. *Denique ipse Pater dedit Filio iudicij potestatem, & non quia suus, sed quia Filius hominis est. O verè Patrem misericordiarum! vult per hominem homines iudicari.* Vides, vt Deo spiritus suus humanitati admixtus; & ab humanitate temperatus, & humanus factus, maximè placeat, & mero spiritui quodammodo præferatur, quòd nullum Principi ornamentum clementiâ maius, aut illustrius?

4 Concinit noster Vates Psalm. 44. 7. (*Psal. 44. 7.*) peculiarem his lucem reddens pariter & accipiens, dum cum Dei Filio, ac si præsentem haberet, sermonem faciens, ait: *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quæ verba cùm difficilia sint, & varios explicatus habeant, cum Cyrillo Alexandrino (*Cyril. Alex.*), epistola ad Solitarios, & Anastasio (*Anastas.*) orat. 2. contra Arrianos, de coniunctione humanitatis cum diuinitate commodissimè accipiuntur. Sed enim si statim ambigas vtrum diuinitatis, an humanitatis imaginem, oleum præ se ferat? indubitanter ex Augustino, & Eusebio, respondendum est, ad humanitatem fore referendum; nimirùm benè admonet August. (*August.*) ad id loci, vocem *Deus* quæ inibi duplicata est, priore loco in vocatiuo esse, idque in Græco manifestè conspici, vt sit, *vnxit te, ô Deus Fili, Deus ipse Pater tuus oleo lætitiæ.* Quod itidem obseruat Eusebius (*Euseb. Lect. Græc.*) inquiens Aquilam, & plerosque Græcos Hebraicis litteris obsequentes transtulisse, *Vnxit te ô Deus, sine Deo, &c.* Vt ex præfata Cyrilli, & Athanasij expositione, & hac Græcorum Codicum lectione is sensus eliciatur, Deum Patrem, vt Deum Filium opportunè homines gubernaturum mitteret, humanitatem cum diuinitate copulasse, quòd humana & benigna gubernatio in clementiam, & pietatem prona aptissima & gratissima fuerit, quasi vngere oleo lætitiæ præ consortibus suis fuerit, dari ei potestatem *iudicium facere, quia Filius hominis est.* (*Cyril. Alex. Athanas.* *Ioan. 5.*) At, vt ea cogitatio plenè subsistat, quid Principem admoneat Salomon Prouerb. 20. 28. (*Prou. 20. 28.*) audi. *Misericordia, & veritas custodiunt Regem, & roborabitur clementiâ thronus eius.* Sed quid fuerit misericordiam & clementiam Regem custodire? Respondet S. Thomas (*S. Thom.*); eius seueritatem inflectere, & ardentem iustitiæ zelum frænare & coercere, non secus ac ignis, sic ab oleo fouetur, vt ardeat quidem, ac luceat, lampadem verò non effringat: Audi illum lib. 1. *de eruditione Principis.* cap. 15. sic monentem. *Multùm necessaria est Principi misericordia, custodit enim illum, ne ignis zeli, & iracundia illum destruat: vnde Prouerb. 20. dicitur. Misericordia, & veritas custodiunt Regem. Ignis zeli ardere debet in oleo misericordiæ: deficiente verò hoc oleo, ignis zeli destruit Principes, sicut ignis, si desit oleum materiale lampadem effringit.* En diuinitatem humanitatis oleo circumscriptam, & ab eo opportunissimè ardentem, & lucentem. Sed pergit in eamdem sententiam indidem Bernardus (*Bernard*). *Quid putas foret si ignis ille consumens (Deum loquor omnipotentem) in illa sua diuinitatis magnitudine, fortitudine, puritate venisset, contra folium, quod vento rapitur, ostensurus potentiam suam, & stipulam siccam persecuturus. Nunc verò, cùm exarserit in breui ira eius, quàm grata propter filios gratiæ apparebit blanda quadam visio bonitatis.* Hæc Bern.

5 Iam verò quàm decens Principis ornamentum clementia fuerit, vel inde collige, quòd in præfato Dauidis loco pro *oleo lætitiæ* plures è translatoribus reponant *oleo nitoris & splendoris*, quasi à clementia, Regis gubernatio, atque ipsamet iustitia nitida, atque splendida reddatur, aliàs, si summo iure Princeps agat, totas legum pœnas exigendo, quin aliquid de supplicij seueritate remittat, obscura & inuisa hominibus fit. Ita quidem malè audit Valentinianus Imperator quasi sæuioris naturæ, quàm Principem deceret, quòd cùm ad ipsum priuatorum iudicum sententiæ, quibus reos capitis damnabant, subscribendæ ferebantur, scriptam pœnam nec tollere, nec mitigare soleret, cùm id alij Principes quamuis sæui, & immites de more haberent. Audi Ammianum (*Ammian.*) Marcellinum lib. 30. *Et ita erat effusior ad nocendum, vt nullum aliquando damnatorum capitis eriperet morte subscriptionis elogio leni, cùm id etiam Principes interdum fecerint sæuissimi.* Hinc Gregorius Nazianzenus (*Nazianz.*) Principis gladium à cæde alienum, purum, & splendidum vocat, cruentum verò, etsi iniquus non fuerit libentibus tamen oculis non aspici causet. Sic enim de primo oratione 17. Principem affatur. *Cum Christo imperium geris, cum Christo munus hoc administras, ab illo gladium accepisti, non tam vt eo vtaris, quàm vt minoris ac terreas. Quare tibi videndum est, vt illum tamquam denarium quoddam purum, & integrum ei, qui dedit, serues.* Hæc Gregorius. A quibus nihil dissidens, quæ de Nerone clementissimo tunc Principe sub eius persona sic elegantissimè dicebat Seneca (*Seneca.*) initio libri primi de Clementia. *Conditum, immò constrictum apud me ferrum est: summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis, nemo non, cui alia desint, hominis nomine apud me gratiosus est. Seueritatem abditam, clementiam in procinctu habeo: sic me custodio, tamquam legibus, quas ex abdito, ac tenebris in lucem euocaui, rationem redditurus sim, &c. Hodie dijs immortalibus, si à me rationem repetant, annumerare genus humanum*

humanum paratum sum. Quid pulchrius de Principis gladio? quid illustrius dici potest? Sed rursus Na- *Nazianz.* zianzenos alio in loco cruentum gladium sic tractat. *Nec iniquus est gladius, quo de improbis supplicium sumimus: nec tamen laudatur carnifex, nec cruentus gladius libenti animo tractatur.* Reddit rationem. *Humanus enim animus, si tamen humanus, in humanitatem, & benignitatem potiùs inclinat.* Sic ille epistola 181.

6 Sed noone (inquis) suprema Principis potestas, eiusque merum & altissimum Imperium multò magis elucet, cùm de hominum vita decernit? ipseque ad instar Dei, qoi supremus omnium iudex est, iudiciariam in sontes potestatem exercet, atque eos de medio tollit? Minimè quidem scilicet, magnum quid, & excelsum fuerit, vitam homini adimere, quod & priuatus quiuis exiguæ villulæ iudex, quod sicarius, qood latro, quod leo, aut vrsus præstare possunt. *Seneca.* Pulchrè Seneca præfato libr. 1. de Clementia capite quinto. *Clementia in quamcumque domum peruenerit, eam felicem trauqnillamq; præstabit, sed in Regia, quò rarior, eò mirabilior. Quid enim est mirabilius, quàm eum cuius ira nihil obstat, cuius grauiori sententiæ, ipsi qui pereunt, assentiuntur, quem nemo interrogaturus est, imò si vehementiùs excanduit, nec deprecaturus quidem, ipsum sibi manum iniicere, & potestate suâ in molim, placidiusq; vti, hoc ipsum cogitantem: Occidere contra legem nemo non potest, seruare nemo præter me.* Benè. Sed & rem opportunè augere posset, addens, & ex lege etiam quemlibet *Symmach* Magistratum occidere posse, seruare autem præter Principem neminem posse: nam vt allatus iam Symmachus dicebat. *Alia est enim conditio Magistratuum, quorum corrupta videatur esse sententia, si sint legibus mitiores, alia Dominorum Principum potestas, quos decet acrimoniam seueri iuris inflectere.* *Themist.* Quò mirè facit quod magno Theodosio ingerebat Themistius orat. 5. eâ potissimùm ratione Veteres Imperatorem cum Deo componere solitos, *quòd nutus in Dei, Principisq; potestate sit, vitam alteri concedere.* Hinc notantissimè Dei Fi- *Seneca.* lius, homo factus, & supremam in homines potestatem habens, qui multò meliùs quàm Romanus ille Imperator apud Senecam libro primo de Clementia cap. 1. dicere poterat. *Ego ex omnibus mortalibus placui, electusq; sum, qui in terris Dei vice fungerer: ego vitæ, necisq; gentibus arbiter, qualem quisque sortem, statumq; habeat in mea manu positum est. Hæc tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit, ad nutum meum stringentur, quas nationes funditus excidi, quas transportari, quibus libertatem dare, quibus eripi, quos Reges mancipia fieri, quorumq; capiti regium circumdari decus oporteat, quæ ruant vrbes, quæ orientur, mea iurisdictio est.* Sic omnino potestatem suam exercuit, sic eam hominibus manifestam fecit, vt (quod indidem idem aiebat) seueritatem abditam, *Act. 10. 38.* clementiam in procinctu haberet: & qui *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes.* Act. 10. 38. neminem morte mulctasse, aut supplicio affecisse dicitur, quòd multò meliùs, multò opportuniùs ex clementia, & vita, ac salute omnibus data, sese, & Principem, & supremum Dominum, hominumque iudicem ostenderet.

7 Certè hoc intentus paralyticum sanaturus a- *Luc. 5. 24.* pud Lucam cap. 5. vers. 24. & potestatem suam ostensurus, Filium hominis (& tunc quidem primùm) sic sese nominauit. *Vt autem sciatis, quia Filius hominis* *Dan. 7. 13.* *habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c.* Sed quare? Planè, quia apud Daniëlem c. 7. 13. suprema Iudicis potestas filio hominis signatè attributa erat, sic enim ibi. *Et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum.* Vnde quidem, vt sese, & Principem, & iudicem designatum demonstraret, eam iudicis notam, quæ in appellatione Filij hominis censebatur, clementiæ, & remissioni peccatorum inseruit, tantùm non dicens eum cui vtriga iudicantis data est, non quòd in nubibus solium suum constituturus, & homines, & Angelos reos iudicandos adducturus sit, sed quòd in terra peccata dimittat, sontesque absoluat, iudicem agnosci velle, quòd non minùs iudicem sese ostendat, qui absoluit, quàm qoi damnat; cùm absoluere, & sententiam ferre, & iudicare sit: & hinc multò faciliùs, atque honorificentiùs suprema potestas cognoscatur. Hæc omnia hunc in modum expendente Tertulliano libro quarto con- *Tertul.* tra Marcionem capite decimo ad fin. *Nisi quia ideò ipsa voluit eos appellatione Filij hominis ex instrumento Danielis repercutere, vt ostenderet eum, & hominem qui delicta dimitteret, illum scilicet solum Filium hominis apud Danielis prophetiam consecutum iudicandi potestatem, ac per eam vtique & dimittendi delicta. Qui enim iudicat, & absoluit: vt scandalo isto discusso per scripturæ recordationem facilius eum agnoscerent, ipsum esse Filium hominis ex ipsa peccatorum remissione.* Et statim: *Denique nusquam adhuc professum est se Filium hominis, quàm in illo loco primùm, in quo primùm peccata dimisit, id est, in quo primùm iudicauit, dum absoluit.* Vides Principem clementiâ vtentem, Iudicis etiam partes, & quidem supremi, qui non constrictus legibus, sed tamquam earum Dominus in remissionis & indulgentiæ campo liberiùs discurrat, nobiliùs sustinere? Subscribit omnino huic sententiæ sub Principis sui persona, in festis Anastasis *Cassiod.* Christi, regia clementia vtentis Cassiodor. libr. 11. variar. epistol. 40. vbi cùm dixisset. *Quamuis nomen ipsum Iudicis dicatum videatur esse iustitiæ, & totius anni orbitam æquitatis iubeamur ambulare vestigiis, his tamen diebus in domicilium pietatis iure deflectimus.* Subiicit. *Quapropter pœnas abdicamus, tormenta damnamus & tunc verè iudices sumus. Macte indulgentia, qua solus & præsul es.* Pulchrè.

Ad eadem verba,

Misericordiam cantabo tibi Domine.

Principem Deo similem clementiâ fieri.

ADNOTATIO IX.

1 HOminem ad Dei imaginem, & similitudinem factum, quòd egregiis virtutibus Dei naturam, & diuinos mores æmuletur, concors PP. sententia est: at enim siue apud ipsos, aliosque externos auctores, siue apud sacras litteras nihil frequentius fuerit, quàm eam Dei similitudinem in clementiæ virtute singillatim censeri, quasi hac signatè homo propiùs ad Deum (non leui quidem ratione, postmodum afferenda) accesserit. Sic primùm huc reuocante Theodoreto diuina verba, *Faciamus hominem ad* *Gen. 1. 26.* *imaginem & similitudinem nostram.* Genesis libro pri- *Theodor.* mo versu vigesimo sexto quæstione vigesima. *Quemadmodum Deus longanimis est, ita homo longanimis habet se ad imaginem Dei. Iustus & sanctus est Dominus, condolens, & misericors. Igitur qui amat iustitiam, & sanctitatem, & peragit, atque obseruat præceptum istud Saluatoris:* Estote misericordes, quemadmodum Pater vester cælestis misericors est, *est imago Dei per om-* *Seneca.* *nia.* Nec ab hoc abiuit Seneca, clementiæ excellentiam, siue dignitatem extollens, libro primo de clementia capite quinto ad hunc modum. *Seruare proprium est excellentis fortunæ, quæ numquam magis suspici debet, quàm cùm illi contigit idem posse quod dijs, quorum beneficio in lucem edimur tam boni, quàm mali. Deorum itaque animum sibi asserens Princeps, alios ex*

euibus suis, quia viles, boniq; sunt, libens videat, alios in aeternum relinquat, quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur. Quæ quidem omnia benè confirmasset Pius Imperator M. Antonius, nisi religiosæ locutionis terminos prætergressus, non iam Dei similitudinem, sed ipsammet diuinitatem in homine Principe ex clementia affectasset: sic namque ille vxori Faustinæ ad cædes, & vindictam anhelanti rescripsit apud Vulcatium Gallicanum in Auidio Cassio, Capitolinum, atque Xiphilinum. *Nihil enim est, quod Imperatorem Romanum meliùs commendet gentibus, quàm clementia. Hæc Cæsarem Deum fecit, hæc Augustum consecrauit.* Sic ille, & alia.

Vulc. Gall. Capit Xiphil.

2 Enimverò huc maximè inclinat ipsiusmet Dei loquendi modus, humanam diuinitatem, id est Dei imitationem, omnino ex clementia peusitantis; sic enim ipse ad Moysem porestatem, vicemque ei suam committens, Exod. 7. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis:* siue vt est in Hebræo apud Pagninum. *Vide, dedi te pro Deo ipsi Pharaoni,* id est vt capit Oleaster, *in tua potestate situm erit, facere omnia, quæ Deus illi facere potest.* Sed quæ rogo? num plagas illi immittere, seueriusque punire? poterat quidem hæc illi facere Moyses, sicut & reapse fecit; at enim non ideò Deus appellari meruit. Vis videre? Similis quidem potestas Magis à Deo facta est, vt non secus ac Moyses plagas inferrent, quibus denuò Ægyptus affligeretur: Moyses siquidem aquas fluminis in sanguinem conuerterat: *fecerant similiter malefici Aegyptiorum incantationibus suis.* Exod. 7. 12. deindeque ranarum plagâ Pharaonem percutiente: *fecerant & malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntq; ranas super vniuersam terram Aegypti.* Exod. 8. 7. Sed nũ ea ratione pesimi illi dij Pharaonis appellari poterunt? Minimè quidem. Sanè cùm vetus ille error apud Romanos inualuerit, vt Imperatores suos vità defunctos consecrarent, siue deos facerent, vt modò adductus dicebat Antoninus, ea omnino de causa Adrianus Imperator cæterà felix, & moderatus, iustitiæque sectator, Deus fieri, aut vocari prohibitus est, quòd nonnullos optimatum interfici curauerit, sic affirmante Dione Cassio in Adriano. *Cæterum Adrianum quamquam humane & moderatè imperasset, tamen propter cades optimorum quorumdam, quos in principio imperij, & antequam è vita decederet, interfici curauerat, multum calumnia, etiam infamia subiuit, quapropter minimè minus in deos relatus non fuit.* Cur ergo Moyses Deus Pharaonis signatè vocatus, eiusque potestas tanquam diuina, à malefica magorum potestate discriminata est? Planè quòd isti, plagas quidem solùm inferre, non verò reuocare valuerunt, Moyses verò vt percusserit, plagasque intulerit, eas tamen clementer auferre, & indignationem mitigare valuerit, simulque voluerit, id sic adnotante Theodoreto quæst. 18. in Exod. *Deus concessit incantatoribus, vt quædam facerent, quæ Moyses faciebat, vt pateficret discrimen: etenim mutabant illi etiam virgas in serpentes; sed virga Moysis eorum virgas deuorabat: mutabant etiam aquam in sanguinem; sed aquam in pristinam naturam reuocare non poterant: ranas quoque produxerunt, non tamen ab illis poterunt liberare domos Aegyptiorum. Concessit itaque Deus incantatoribus, vt hæc facere possent, vt Aegyptios castigarent, non tamen dedit vt vltionem sedarent.* Sed quare *non dedit vt vltionem sedarent?* equidem quia non ipsis, sed Moysi dederat, vt Deus Pharaonis esset.

Exod. 7. 1. Lect. Heb.

Oleaster.

Exod. 7. 21.

Exod. 8. 7.

Dio. Cass.

Theodor.

3 Hæc quidem ita esse, inde facilè colligas, quòd Moysem iampridem igneum animum, & ad pœnam inferendam vindictamque sumendam procliue ingenium habentem, videtis: vix enim aliquando Ægyptium quemdam iniuriam vni ex Hebræis inferentem animaduertit, cùm illum aggressus interfecit, Exod. 2. 12. *Viditq; virum Aegyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis. Cumq; circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Aegyptium abscondit sabulo.* Et verò vt ea cædes à crimine à patribus vindicetur, Augustino contrarium sic docente, libro vigesimo secundo contra Faustum capite septimo. *Consulta æterna lege reperio, non debuisse hominem à Moyse, qui nullam ordinariam potestatem gerebat, quamuis iniuriosum, & improbum, occidi:* at nemini non probatur quod indidem ipse munet, incultam eam Moysis animositatem, velut feracem quamdam terram quæ ingentes herbas progignens, magna fertilitatis signa fundit, dextri agricolæ manu excolendam fuisse. Compone ergo Moysem cum Moyse, atque eam animositatem & impetum, quo absque ordinaria potestate, (vt putat Augustinus) nullâ interpositâ morâ, Ægyptium interfecit, cum hac mansuetudine atque clementia, quâ impium & immanissimum Regem minutis ictibus lenissimè feriens, plagas ad percussi nutum libenter reuocabat, vltionem patientissimè sedans. Quòd si miretis, & ambigas, quonam modo tam mutatus hic Moyses ab illo fuerit, qui tam citò, atque irreuocabili impetu in sanguinem alterius armabatur? facilis est responsio: tum hominis, nunc verò Dei vicem, atque personam gerere, qui cùm primùm illi suas vices, & nomen tradidit, humanum eius impetum exarmauit atque cauit, animumque clementissimũ, ac benignissimum attribuit, quo summâ potestate, & diuinis viribus mitissimâ leuitate vteretur: sapienter hæc perpensitante Oleastro ad præfata Domini verba; *Ecce constitui te Deum Pharaonis* hunc in modum. *Expende quæso quanta sit dignitas sancti Moysis, quem Deus sic euexit, vt Deum Pharaonis constituerit. Et similiter quanta sit prudentia eius, & misericordia, vt non eum statim occiderit, sed patientiâ quasi Dei tulerit, & admonuerit. Quis enim hominum habens Dei potestatem in inimicum suum tam sæuum, ad momentum illum ferret? Sed Dominus simul cum potestate dedit sanctis viris longanimitatem, quâ regem æquo animo ferret.* Ita ille.

Exod. 2. 12.

August.

4 Nec hinc aliò eundum, quin obiter monendus ex dictis sit Princeps, quàm grata Deo clementia fuerit, cùm idololatriæ ipse tam grauiter infensus, qui vel falsorum deorum nominum mentionem fieri non sinat, dicente Dauide: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Pſ. 15. 4. Humanitatis tamen, & clementiæ amore, nouos quodammodo deos fieri, & appellari patiatur, imò & ipse appellet, faciatque. *Ego (inquit) constitui te Deum Pharaonis.* Quòd si ipsum ex ore suo conuenire sic velis, & vbi illud Domini? *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.* Isaiæ 42. 8. Ecce gloriosi nominis tui laudem homini attribuis. Respondet pro eo Chrysostomus, peculiarem hanc clementiæ, ac humanitatis excellentiam ac priuilegium esse, quæ adeò Deo placet, eaque ipse tantopere lætatur, vt deorum appellationi semper infensus, eos tamen quodammodo patiatur, quòd à clementia & humanitate efficiantur. Sed audi Chrysostomum hom. 4. in epist. ad Philipp. Qui cùm dixisset. *Magnum quiddam est, & præclarum homo misericors, hoc est enim hominem esse, vel potiùs hoc est Deum esse.* Subiicit. *Sed cur eùm Deus solus esset, tot deos fecit? nonne propter benignitatem, atque humanitatem.* Quæ verba sic acutè elucidat Noster Salazarius in cap. 20. Prouerb. num. 25. ac si diceret Chrysostomus. *At inquiens Deus vnus est, si autem multos deos inducimus, ipsi Deo iniuriam irrogamus: Imò ex eo colligere licet, quantum Deo placeat misericordia, & humanitas, qui ne misericordes vtique desint, deorum quodammodo multitudinem induci patiatur.* Subscribit his elegantissimè Gregorius Nazianzenus oratione *in ciues timore perculsos:* vbi Imperatorem excandescentem, sic demulcet, vt pro

Pſal. 15. 4.

Isai. 42. 8.

Chrysost.

Nazianz.

vt pro vindicta, quam de iis, à quibus fuerat offensus, erat relaturus, diuinitatem offerre non dubitet hunc in modum: *Licet tibi nullo labore diuinitatem assequi: alij opes suas effundunt: alij exhaustam carnem spiritui mancipant, & se à mundi consortio abripiunt: alij charissima pignora Deo consecrant; nec enim tibi Abrahæ sacrificium inauditum est: horum à te nihil postulamus, sed clementiam tantùm in nos.* Pende modò illud, *Licet tibi* (nam cætera subinde commodiùs expendemus) vt quæsito vocabulo indicet Theologus licitè ex clementia diuinitatem quodammodo adfectari, siue licitam eam ad assequendam diuinitatem viam.

5 Hinc signantissimè Noster Vates ad Regnum à Deo quæsitus, capax illius inuentus quòd iuxta cor Dei esset, qui videlicet cor simile Dei cordi haberet, sic namque Dominus Actuum 13. 22. & 1. Reg. 13. 14. *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum.* Sed quâ, inquis, ratione exiguum hominis cor diuino adsimile perhiberi potest? Equidem haud difficilè noueris, si vtrumque seorsim examinaueris. Et verò cùm ad cognoscendum Dei cor in Scriptura accedis, tunc primùm illius mentionem fieri videris, cùm ob pœnam homini infligendam *tactum dolore intrinsecus* dicitur, sic enim Genes. 6. 6. de Domino Moyses: *tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo inquit hominem.* Mirum, tunc primùm in Scripturis Dei cor asseri, tunc primùm Deo cordis dolorem, & mollem affectum adscribi, cùm homo iniustus, & ingratus ob sua peccata pœnas dat, vt documento sit, quàm tenerum, & paternum affectum, quàm benignum & clementem animum erga suos habeat, vt dare illum pœnas appareat, cùm exigit, ac proinde clementia illi in procinctu, seueritas in abdito sit: quod bono Principi sic attribuebat Seneca lib. 1. de clemẽtia cap. 14. *Quod ergo officium Principis? Quod bonorum parentum, qui obiurgare liberos nonnunquam blandè, nonnunquam minaciter solent, &c. Patrem quidem patriæ appellauimus, vt sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens suaq; post illos ponens. Tardè sibi pater membra sua abscindat, etiam cùm absciderit, reponere cupiat, & in abscindendo gemat, cunctatus multùm diuq;.* Sed vt iam Dauidis cor, Dei cordi persimile videris, reuoca in memoriam eius corpus adeò languidum, & exsangue, quodque naturalis caloris inopiâ ita laboraret; vt neque à vestimentis ad eam curam comparatis posset confoueri 3 Regum 1. vers. 1. *Cùmq; operiretur vestibus, non calefiebat,* de quo superiori lib. adnotat. 19. num. 6. egimus, eam assignantes rationem ex Stephano Cantuariensi in allegoriis Goifredi Tilmani ad id loci, cur vir robustissimus adeò frigido, & attenuato esset corpore, vt omnino exsanguis, ac penè mortuus videretur, quòd cùm Angelum subditum sibi populum ferientem vidit, tanto pauore, & dolore affectus fuerit, vt omnem penè naturalem calorem, totasque vires ea subditorum visa strages ei exhauserit: *Naturalis frigus pertulit* (inquit Stephanus) *ex quo Angelum cædentem populum vidit, pauore vehementi contabuit.* En verè regium, & ad Dei naturam comparatum cor. Is siquidem qui neque ferocientis leonis occursum, neque ad sæuissimi gigantis conspectum leuissimo saltem timore affectus est, cùm populum sub ictu ferientis Angeli vidit, adeò vehementi pauore correptus est, atque contabuit, vt tactus dolore cordis intrinsecùs exsanguis, exanimisque euaserit. Tanti suorum sanguinem faciebat: adeò suorum vitam amabat: ita ad illorum mortem pauebat, horrebatque. Quid putas illum in suorum causis facturum? quàm clementer, quàm humanè gladio vteretur, qui ad cruenti gladij conspectum *pauore vehementi contabuit?*

Act. 13. 22.
1. Reg. 13. 14.
Genes. 6. 6.
Seneca.
3 Reg. 1. 1.
Stephanus.

6 Iam & Dei Patris, & Dauidis germanum filium vide. Nimirùm Dominus in ipsamet Passionis suæ nocte, vt se Deum de Deo, & verum Dauidis filium ostenderet: *cœpit pauere, & tædere, & ait, tristis est anima mea vsque ad mortem* Marci 14. 33. & 34. Sed quò is pauor, lethalisque mœror Domini ierit? Num quòd tristissima mortis imago oblata ipsi fuerit? Minimè quidem: eius enim mortem, quam ipse ardenter sitiebat, vehementer amabat, paueret? Num vt hominem humanis infirmitatibus obnoxium se esse ostenderet? dicat id nonnemo. Ego verò potiùs dixerim pauore, mœroreque affectum, vt se Dei Filium, qui de hominis morte *tactus dolore cordis intrinsecus* dicitur, & Dauidis germanam sobolem, qui ob suorum cædem *pauore vehementi contabuit*, omnino demonstraret: sic propemodum id mihi adnotante Paschasio lib. 12. in Matthæum. *Quia post Adæ lapsum transita tali nobis ex hoc sæculo recedendum erat, vt mors necesse esset.* En pauoris, tristitiæque causam, non tam quòd seipsum sub Patris ferientis ictu, mortéque à tergo instante viderit, sed quòd suos subditos necessariæ corporis morti obnoxios considerauerit: quippe vt eos ipse propriâ morte ab animæ interitu, quod maximè oportebat, liberauerit, de corporea adhuc suorum morte angebatur, pauebat, & tristis erat vsque ad mortem, quòd, *si id possibile* esset, non modò eus à morte eripere, sed nec vllam sanguinis ipsorum stillam effundi vellet. Planè quòd nihil Deo dignius, quàm clementia, nihil ipsi iam proprium fuerit, quàm vitam omnibus dare velle: nihil magis auersetur, quàm mortem, quippe qui *mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Sapient. 1. 13. Porrò pulchras has Dauidis voces dixeris imitatum M. Antonium Pium, ad Senatum, quòd eos qui cum Auidio Cassio in ipsum rebellassent capitis damnasset, sic scribentem apud Vulcatium Gallicanum initio adnotationis adductum. *Quod ad defectionem Cassianam pertinet, vos oro, atque obsecro P. C vt censurâ vestrâ depositâ, meam pietatem, clementiamq; seruetis, imò vestram, neque quemquam vllum Senatus occidat: nemo Senatorum puniatur, nullius fundatur viri nobilis sanguis, deportati redeant, proscripti bona recipiant, atque vtinam possem multos ad vitam excitare!*

Marc 14. 33. 34.
Paschas.
Sap. 1. 13.
Vulcat.

7 Sed iam præfata Nazianzeni verba cursim allata placet pensiculatiùs obseruare, vt non adscititiam, sed quasi ingenitam clementiæ diuinitatem subesse videris. Ait ergo ad Imperatorem. *Licet tibi nullo labore diuinitatem assequi, alij opes suas effundant, alij exhaustam carnem spiritui mancipant, & se ab mundi consortio abripiunt, alij charissima pignora Deo consecrant: neque enim tibi Abrahæ sacrificium inauditum est, horum nihil à te postulamus, sed clementiam tantùm in nos.* Vbi preme primùm illud *nullo labore*, quod ingentem clementiæ supra cæteras virtutes excellentiam adstruit, quippe illæ multo labore, multo sudore, magnisque exantlatis difficultatibus, & quod plus est, non nisi post longa temporum curricula diuinitatis lineamenta exprimunt: at clementia nullo labore, nullaque interpositâ morâ Principi diuinitatem attribuit, & esto, ille à mundi consortio non se abripiat, nec charissima pignora Deo consecret, nec exhaustam carnem spiritui mancipet, diuinitatem tamen assecutus videtur. Vnde quidem illud subinde non obscurè euincitur, quod clementiæ diuinitatem plus plus firmat atque commendat: nimirùm illam præ cæteris virtutibus ad Dei naturam propiùs accedere; cui diuinitas nullo labore parta, nullo sudore conquisita est. Æmulâtur ergo aliæ virtutes diuina vestigia, sed quasi æmulatrices, quæ Dei similitudinem laborum pretio comparare contendunt, at clementiâ præditus non tam emere, quàm Dei instar diuinitatem naturâ quodãmodo habere, & quod suum est, accepisse videtur. Cui sa-

Nazianz.

P. Velasquez in Psal. centesimum.

nè cogitationi mirè fanet præfato loco Gregotins A Nyssenus, obseruans Dauidem eu in Psalmo postquam voeem illam Dco dignam, *Ne disperdas*, edidit, alium subitò effectum, & supra humanam naturam euectum, non itidem vt praeedentibus Psalmis se ab hominibus concnlcari, conqueri, imò potiùs velut hominum Legislatorem, & ipsorum quodammodo Deum factum illos non modò summa auctoritate commonere, & velut terrenos arguere, sed interna etiam ipsorum consilia, & abdita sensa externis verbis nullatenos cohærentia, quæ vni Deo peruia sunt, omnino pulsare, dum ait: *Si verè vtique iustitiam loquimini, recta iudicate Filij hominum. Etenim in corde iniquitates operamini, in terra iniustitias manus vestræ concinnant* Sed Nyssenum audire operæpretium erit, ait enim: *Porrò magnitudinem profectus, qui super huius Psalmi gradum ascendit, ex ipsis itidem Psalmi verbis perspicere licet, quantum videlicet magnitudine, &* B *excelsitate superiorem exsuperet: non enim ampliùs se ab inimicis conculcari conqueritur, neque misericordiam in subsidium aduocat, sed in altum euectus, velut è specula quadam excelsa his, qui infra in huius humana vita vallibus degunt, reprehensionis modo ista intonat: Heus mortales quid loquimini? quid facitis? Num iustitia consonat id quod loquimini? num rectum iudicium instituitis? atqui video vestra corda in terra esse.* Hæc & alia Nyssenus. Pende illa: *non enim se ab inimicis conculcari conqueritur, neque misericordiam in subsidium aduocat.* Etenim Psalmo 55. & se ab hominibus conculcari conquerebatur, & diuinam misericordiam non sine lachrymis efflagitabat, sic enim versu 1. *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo tota die, impugnans tribulauit me. Conculcauerunt me inimici mei tota die.* Et versu nono. *Deus vitam meam annunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Sanè quasi modò non in terra tanquam mortalis homo, sed seipso superior factus, supra omnes mortalitatis molestias lachrymarum expers sit. Sed quomodo C inquit Nyssenus. *Neque misericordiam in subsidium aduocat*; quis enim misericordiâ Dei non indigeat? Planè quasi à clementia diuinitatem Vates assecutus, procul iam à miseria, cui misericordia debetur, misericordiam tanquam Deus aliis quodammodo præstare iam valeat.

Nyssen. Ps. 57. 1. & 2.

Ps. 55. 1. & 9.

Ad ea verba,

Misericordiam cantabo.

Eam signatè Principem decere clementiam, quæ vt non vulgaris, & abscissa, ita duplo maior seueritate sit.

ADNOTATIO X.

a Opportunissimè clementiæ, & iustitiæ numeros disquitat Princeps; vt modulatas misericordiæ, & iudicij voces ad harmoniæ concentum edat, quippe iudiciariæ potestatis gladium in hanc vel illam partem vertere, magnæ sapientiæ opus fuerit, vel vide cui primùm iudici tanquam sui vicario illum Dominus commiserit. Certè (quod superiùs adnot. 5. præstrinximus) cùm ipse Adamum in peccati pœnam è paradisi amœnitate eiecit, & *exterminatum paradiso, pellitum orbi, vt metallo datum* (vti eleganter inquit Tertullianus libro primo de pallio cap.) esse voluit, signatè *collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Genes. cap. 3. vers. 24. Sed cur potiùs Cherubim, quàm Seraphim, quibus incensi, siue flammantes cùm sint (id enim eorum D nomen & munus valet) flammeus omnino gladius responderet? Equidem, vt ex eo, quòd Cherubim *plenitudinem scientiæ* significent, Seraphini verò charitate incensi ferantur, iam inde Dominus præstrueret, potestatem, & gladium, non voluntati, sed intellectui, & scientiæ fore cōmittendum, nec Principem, aut iudicem scientiâ, & regendi arte destitutum, etsi moribus Angelus esse videatur, iustitiæ exercendæ, iurisque dicundo fore opportunum. Nec satis quidem visum est LXX. Interpretibus dixisse, collatum ibi Cherubim, nisi etiam adnotassent, recto ordine, & ipsamet ratione exigente eum fuisse constitutum: etenim illi pro *collocauit* legunt *ordinauit*: quasi ex ordine, norma, & iure: ergo vt non alij quàm Cherubino scientiæ pleno tradendus est gladius; ita ille, non nisi ea scientia, & ratione, ipsum in hanc, vel illam partem vertere, ignoscere scilicet, aut punire debet, quantumque clementiæ, quantum iustitiæ, deferendum sit, omnino nosse.

Tertull.

Gen 3. 24.

LXX.

2 Enimverò potiores semper partes, primumque clementiæ, & pietati locum fore deferendum tam ipsa naturæ ab humanitate doctæ lege, quàm ipsismet scriptis legibus, & Iurisconsultorum responsis monemur. sic nemo nescit, *promptiores nos ea iure ad absoluendum, quàm ad condemnandum* esse debere, & *melius* esse *nocentem absolui, quàm innocentem condemnari, & æquitatem rigori præferendam*, quibus omnino assonant Senecæ monita lib. 1. de clementia capite secundo. *Modum tenere debemus, sed quia difficile est temperamentum, quidquid æquo plus futurum est, in partem humaniorem præponderet*: & epist. 81. *semper quidquid dubium est, humanitas inclinat in melius, & paribus sententiis reus absoluitur.* Quod planè acutè ab Ambrosio obseruatum est, in duplici illo calice siue potione, cuius Psalm. 74. 10. sic meminit Noster Vates. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non est exinanita*: quasi merum iustitiæ vinum in calice, qui certam mensuram designat, repositum; à mixtione cui plenitudo notanter assignatur maxima ea parte diluatur, humaniore videlicet parte præponderante, quin Dominus quidquid fuerat minatus, reapse exequatur. Audi illum pulchrè in hanc rem Dei benignitatem expendentem, quâ Angelum à cæde populo ex ira, & optione à Dauide facta, infligenda reuocauit libro 2. Regum capite vigesimo quarto versu decimo sexto. *Vide autem Domini gratiam, quòd & ipse à proposita conditione deflexit. Numquid aliquod miserationis est crimen quia plus minatur, & minus exigit, qui in remuneratione præmiorum sua promissa custodit, in exactione pœnarum præscriptum remordet?* &c. *Vnde & alibi ait Propheta de Domino*: Calix in manu Domini vini meri plenus est mixto, verumtamen fæx eius non est exinanita. *Ad terrendum plenus est calix, ad feriendum non est exinanitus. Plenus erat calix, cùm mors per triduum mandaretur, sed occurrit misericordia Dei, tenuit manum Angeli priùs, quàm calicem istum exinaniret.* Vides potiores partes clementiæ datas, quæ in exactione pœnarum præscriptum remordet, & vinum aquâ diluit, cùm tamen à remuneratione præmiorum nihil diminui, aut decurtari patiatur? pergit verò Ambrosius, & hæc Principibus sic accommodat. *Imitamini ergo Imperatores exemplum diuinum, vt sitis in statuendis legibus seueriores, in exigendis suppliciis misericordes. Seueritas legum insolentem restringat audaciam, misericordia Principum reos subtrahat pœnæ* Sic Ambrosius. Planè, vt qui sæpiùs hoc in libro Principes ex Michæa 5. v. 5. iuxta LXX. translationem, variis rationibus *morsus hominum*, siue quia mordent, siue quia mordentur, siue quia mordere debent, esse diximus; modò non minus opportunè ex Ambrosio pœnarum morsus eos faciamus,

Senec.

Ps. 74. 10.

2. Reg. 4. 16.

Ambros.

Mich. 5. 5.

LXX.

Luc. 16. 5. faciamus, vt ad Dei exemplum in exactione pœnarum præsceptum remordeant ad instar villici illius, qui Domino prudens dictus est, quòd à debitoribus minùs, quàm illi debebant exegerit, vti obseruauit
Theoph. S. Theophilus Antiochen. libro 4. in Euangel. sub hoc sensu inquiens. *Ideò autem laudauit Dominum Iesus fraudatorem Domini sui, vt eius sequentes exemplum non summa debita exigamus.*

3 Verùm enimverò hæc generaliter dicta examinare, atque singillatim vnicuique virtuti suas adnumerare partes, siue quantum aquæ vino sit admiscendum, hoc est, quâ proportione clementia ad iustitiam se habere debeat, penitiùs euoluere, fuerit operæpretium. Et quidem cùm Vates calicem meri, mixtione siue temperamento plenum affirmauerit, non immeritò quis dixerit, vni meri parti duas ad minus aquæ fore iniciendas, id est, clementiam duplo maiorem seueritate esse debere. Vis videre? Nónne ex pacto conuento cum ipso Dauide, toto triduo pestis in eius populum erat grassatura? audi ergo quomodo primus vix die elapsa Dominus præscriptum remor-
2. Reg. 24. 15. LXX. derit, sic enim ibi: *Immisitq. Dominus pestilentiam in Israël de mane vsque ad tempus constitutum* (vbi LXX. *& dedit Dominus mortem in Israël vsque ad horam prandij*) *Cùmque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem, vt disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum, sufficit*: pro quibus LXX. *Et reuocauit se Dominus super malo, & dixit Angelo corrumpenti in populo: Multùm nunc, remitte manum tuam.* Quæ Ambrosius præfato loco sic expendit. *Nam qui proposuerat, mortem triduo exercere in terra, ne vnum quidem diem passus est præterire, sed ad horam prandij libenter indulsit, & (vt verbo Scripturæ vtar) habuit pœnitentiam super malo*, Ergo dum duos mortifero triduo dies Dominus dempsit, duas aquæ partes vino iustitiæ iniecit, duploque maiorem iustitiâ clementiam ostendit. Sed audi rursus opportunissimum huic rei testimonium apud Ioan. Apocalyps. 8. 7.
Apoc. 8. 7. vbi dum quatuor Angelos ea præscripto Dei percutiëtes facit, sic de primo inquit: *Et primus Angelus tuba cecinit, & facta est grando, & ignis mista in sanguine, & missum est in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est.* Nonne vides signatè duas misericordiæ partes datas, cùm tertia tantùm terræ pars combusta, tertia tantùm arborum pars iustitiæ igne concremata dicitur, ita quidem ibi P. Alcazar inquiens. *In hac supplicij moderatione, & ad tertiam partem contractione, splendet imprimis pietas, & misericordia Dei, qui paulatim ac pedetentim in pœna exigenda procedit*: At omne *fœnum* (inquis) *combustum est*: Quid mirum? cùm id ad iumentorum pabulum, non ad hominum victum, spectet? imò veròinde videris, quanta cum tranquillitate Dominus homines iudicet, & quàm magna cum reuerentia eos disponat, dum cunctum bestiarum fœnum indistinctè absumés, eorum quæ ad homines spectabant non nisi tertiam partem percussit.

4 Sed pergit Ioannes, & eodem ductu alios tres Angelos percutientes sic describit. *Et secundus Angelus*
Apoc. 8. *tuba cecinit, & tamquam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis, & mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebat animas in mari, & tertia pars nauium interijt. Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cælo stella magna ardens tamquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum, & nomen stellæ dicitur Absinthium, &c. Et quartus Angelus tuba cecinit, & percussa est tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars stellarum, ita vt obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter.*
And. Cæs. Quid manifestius? quid illustrius? dum Domino cum hominibus bellum solenni ritu, & tubarum signo dato gerente, non nisi tertiam partem eorum omnium, quæ ad humanos vsus pertinent, siue terra fuerit, siue arbores, siue mare, siue flumina, siue pisces, siue naues, siue Sol, siue Luna, siue stellæ, notanter percussit, vt planum faceret se adeò magis in misericordiam, quàm in seueritatem propendere, vt huic vnam, illi verò duas partes assignaret, & duplicatâ aquæ portione calicem meri temperaret. Sic enim id expendente Venerabili Andrea Archiepiscopo Cæsariensi cap. 15. serm. 9. tom. 1. Bibliothecæ veterum Patrum. *Vt hinc discamus, neque tunc quoque Deum, pœnam omnis misericordiæ expertem illaturum, neque enim die, & nocte totâ sanciatos affligi patietur, sed tertiâ tantùm, hoc est minori temporarij interualli parte, per illam indulgentiam pœnarumq. relaxationem ad resipiscentiam tacitè eos prouocans.* Sic ille. At enim ad præfatam calicis diuini imaginem, & hunc quem ei reddimus sensum omnino aspiciens, sic subiicit: *Quis enim diuinæ iræ calicem perferre posset, si purè, hoc est nulla clementia temperatus proponatur.* Benè omnino; humanissimus siquidem Deus, humanæ imbecillitati attendit, atque indulget, ne illa aliquo prætextu de Dei benignitate causetur. Sed hæc vincat, cùm iudicatur. Quare compone hanc Absinthij plagam, qua tertia tantùm aquarum pars amara est reddita, cum illis Hierosolymitanæ vrbis verbis Threnor. 3. 15. quibus illatas sibi pœnas sic exaggerat: *inebriauit me absinthio*, quasi plagæ magnitudine non satiata modò, sed inebriata etiam, id est, extra se facta queribunda feratur: at o bona! quo iure tam grauiter expostulas, & de iustitiæ calice quereris, cui duas misericordiæ partes admixtas vides? Est hæc ingratorum, & amentium hominum consuetudo, vt ad accepta beneficia, & clementiam ac misericordiam illis exhibita non attendant, ad pœnam verò, quantumcumque moderata illa sit, totis oculis aspiciant, & de ea grauissimas querimonias moueant.

5 Iam noster Vates, diuinam misericordiam duplo maiorem iustitiâ, hoc est multò magis splendentem, & sese plus plus explicantem passim facit, dum accuratis locutionibus sic de Dei misericordia, & iustitia sermonem instituit, vt iustitiam simplicem, misericordiam verò duplicem assignet, siue semel iustitiæ, misericordiæ verò bis mentionem faciat, sic enim Psalmo trigesimo secundo, cùm dixisset: *opera* *Psal. 32. 5.*
eius in fide, id est, fidelissima & vera, à quibus eius diuinitas fide inuestigari, & deprehendi queat, vt plures è PP. interpretantur; subiicit vers. 5. *Diligit misericordiam, & iudicium, misericordiâ Domini plena est terra*: audis simplex iudicium, & duplicem misericordiam? nec aliter Psalm. 83. vers. 12. *Misericordiam &* *Ps. 83. 12.*
veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus. Et Psalm. 102. vers. 8. *Miserator misericors Dominus,* *Ps. 102. 8.*
longanimis, & multum misericors. Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. Similiter Psalm.
111. 4. *Misericors & miserator, & iustus*: sic id adno- *Ps. 111. 4.*
rante Hieronymo, siue eo qui Auctor commenta- *Hieron.*
riorum in Psalmos fuerit, hunc in modum. *Videts quid fecerit prudentia Psalmistæ, iustitia simplex est, misericordia duplex est.* Iam eadem locutionis serie Psalmo
114. 5. inquit. *Misericors Dominus, & iustus & Deus no-* *Ps. 114. 5.*
ster miseretur. Quæ tam idem Hieronymus, quàm Ambrosius in oratione de obitu Theodosij in hanc rem premunt: ille siquidem cùm ex persona pusillanimis, & diffidentis peccatoris priùs dixisset. *Sed videtur quasi æquale esse, misericors Dominus, & iustus, verbi gratia, decem partibus est misericors, & decem partibus est iustus. Si pensentur peccata mea, nonne possum tanta habere mala, quanta habeo bona?* Sic statim confidenter occurrit. *Incipiunt me grauare peccata mea, & vincit in sua misericordia. Propterea semel iustus posuit, &*

P. Velasquez in Psal. centesimum.

ſecundò miſericors, opportunè, vt dicere videatur: non A rectè ſupponis, *decem partibus eſt miſericors, & decem partibus eſt iuſtus*: *Iacob.* nam cùm Iacobo auctore *miſericordia ſuperexaltet iudicium*, & in miſericordiæ, & iudicij lance, miſericordia omnino præponderet, & vincat, omnino debuiſſes dicere, decem partibus eſt iuſtus, & viginti partibus eſt miſericors: eâ enim mente Dauid poſt libratas paribus momentis iuſtitiam, & miſericordiam *ſecundò* poſuit *miſericors*, vt decem denuo partes miſericordiæ libræ addat: ad quem etiam modum *Ambroſ.* Ambroſius, *Semel* (inquit) *iuſtitiam, bis miſericordiam poſuit.*

6 Sed vt iterum ad meri calicem reuertamur, obſerua eam Dominici aduentus rationem & cauſam fuiſſe, vt miſero homini, qui inciderat in latrones, & ab eorum plagis ſemiuiuus iacebat, omni modo ſalutem & opem allaturus accurreret: quòd ſi medendi rationem auſcultas, hæc omnino fuit, *appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum*; B *Luca. 10. 34.* Lucæ cap. 10. verſ. 34. ad artia videlicet legea, non miſericordiæ ſolùm, ſed iuſtitiæ etiam medicamentis vſus: nam vt oleum vulnerum dolorem lenit, ita vinum putridas carnes mordet, vti alibi à nobis adductus dicebat Gregorius Magnus lib. 20. Moral. cap. 6. *Greg. Ma.* *Hinc eſt quòd ſemiuiui illius vulneribus, qui à Samaritano in ſtabulum ductus eſt, & vinum adhibetur, & oleum, vt per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueantur, quatenus vnuſquiſque, qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum diſtrictionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, per vinum mundentur putrida, per oleum ſananda foueantur.* Sed quam quæſo vini, quam olei menſuram adhibuit? num decem partibus miſericors, decem partibus iuſtus extitit? vt dicebat Hieronymus. Aliter quidem hæc penſitauit Iſaias, qui dum multiplici diuini ſpiritus dono ad medendum venientem ſic facit: *Iſaia. 11. 2.* *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini*: C vbi ſi attendis, & S. Petrum Damianum interpretem adhibes, *S. Pet. Da.* quinque miſericordiæ partes, duæ verò omnino iuſtitiæ medicinæ adhibendæ tribuuntur: ſic enim ille, ſiue apud eum alius adſimilis pietate, & ſtylo Pater ſerm. 61. qui eſt de Natiuitate Domini. *Nonne Samaritanus noſter nobis à latrone peſſimo vulneratis attulit oleum, & vinum ad purgandum, & mitigandum vulneris magnitudinem? ſed multum olei, parum vini, multum miſericordia, iuſtitia parum, ſic quippe decebat miſerantem, ſic miſero expediebat.* Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, *ait iuſtus*, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. *Sed corona me* in miſericordia & miſerationibus. *Veniens quippe hodie quinque vaſa attulit olei, non niſi duo vini. Spiritus enim ſapientiæ, & intellectus, conſilij, ſcientiæ & pietatis, nonne dulcedinem ſonat? miſericordiam fragrat? eructat abundantiam ſuauitatis. Fortitudo & timor vinum ſunt, ſed hoc vino potatus eſt potens ille, cùm Chriſtus in ſpiritu fortitudinis deſcendit ad inferos, non timidus, ſed timendus.* Hæc ille. D

7 Imitamini ergo Imperatores exemplum diuinum, vt ſitis in ſtatuendis legibus ſeueriores, in exigendis ſuppliciis miſericordes: clementiam duplo maiorem ſeueritate omnino habete: quid enim aliud *Prou. 20. 28.* Principes moneat Sapiens Rex? Prou. 20. 28. cùm ait: *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus eius.* Semel etenim ibi iuſtitiam, bis miſericordiam poſuit, vt clementiæ naturam ob oculos illis poneret, quæ in bilance plus quàm iuſtitia præponderare debet, ſic diſertè Seneca libro ſecundo *Seneca.* de Clementia capite 3. cùm dixiſſet, *Clementiam eſſe moderationem, aliquid ex merita, ac debita pœna remittentem.* Sic ibi obiicit, *reclamabitur, nullam virtutem, cuiquam minus debito facere.* Verùm ſtatim ſapienter reſpondet. *Atqui hoc omnes intelligunt, clementiam eſſe, quæ ſe flectit circa id, quod meritò conſtitui poteſt.* Enim verò Præfata Salomonis verba pulchram in hanc rem emphaſim habent, nimirùm cùm in verbo *cuſtodiunt*, à Salomone adſtruatur, vt alibi vidimus, verum Principis ornamentum, imò verò tutiſſimum munimentum, ac ſatellitium in hiſce virtutibus cenſeri, quæ velut Prætoriani milites eius latus cingant, ac muniant, ſemel iuſtitiæ, bis verò miſericordiæ, ſiue clementiæ mentionem feciſſe; perinde fuit, ac duplicatum è clementia ſatellitum numerum, quàm è iuſtitia Principi aſſignare, vt, verbi gratiâ, hæc centum, illa verò ducentos milites habeat, ac proinde duplo maiorem gloriam, & munimentum à clementia, quàm à ſeueritate Regi accedere. Quòd equidem in illuſtri illa ac regia pompa, quâ Dominus inſtante Paſſione ſuâ vrbem Ieruſalem intrauit, belliſſimè adumbratur, Matth. 21. 8 Marci 11. 8. Ioann. 12. 13. *Matth. 21. 8.* etenim dum B ſic à ſuis diſcipulis tanquam à regiis ſatellitibus circumdatus incedebat, *Marci 11. 8.* vt alij palmas (quæ veritatis, & iuſtitiæ ſymbolum ſunt, vt ex Deuteron. 25. 1. *Ioan. 12. 13.* verbis ibi vidimus) in manibus geſtarent, ait enim Ioannes: *Acceperunt ramos palmarum*, alij verò ramos oliuarum de arboribus cæſos per viam ſparſim ſternerent: ſic namque Marcus cap. 11. 8. *Alij autem frondes cædebant de arboribus* (oliuarum ſcilicet, cùm à Monte Oliueti aduenirent) *& ſternebant in via*, quid aliud innuere videatur, quàm iuſtitiam velut palmam manu certis limitibus conſtrictam, clementiam verò velut oliuæ ramos in via ſparſos, laxiorem, & diffuſiorem eſſe debere? Quæ opportuniſſimè ſic videtur expreſſiſſe Rex Theodoricus, apud Caſſiodorum lib. 2. ep. 30. *Caſſiod.* *Ira leuius coerceatur grauiſſimis inſtitutis, impatiens ambitus iure frænetur; clementia non habet legem, nec debet ſub anguſtis terminis benigna ſequi, quem decet ſine fine laudari.* C Ita ille.

Ad eadem verba,

Miſericordiam cantabo tibi Domine.

Eam in Principe clementiam egregiè prælucere, quâ illatas ſibi iniurias liberaliter remittit.

ADNOTATIO XI.

1 EGregium illud dubio procul, & huic rei maximè opportunum Senecæ ad Principis clementiam inſtituendam, & adornandam documentũ *Seneca.* lib. 1. de Clem. c. 20. *Nunc illum hortamur, vt manifeſtè D læſus, animum in poteſtate habeat, & pœnam, ſi tutò poterit, donet, ſin minus, temperet, longeq́; ſit in ſuis, quàm in alienis exorabilior iniuriis.* Reddit pulchram rationem. *Nam quemadmodum non eſt magni animi qui de alieno liberalis eſt, ſed ille, qui quod alteri donat, ſibi detrahit, ita clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, ſed eum, qui cùm ſuis ſtimulis exagitetur, non proſilit, qui intelligit magni animi eſſe, iniurias in ſumma potentia pati, nec quidquam eſſe glorioſius Principe impunè læſo.* Hæc ille gentili ore, quæ pluſculum diffundere, ſiue potiùs Chriſtiana facere placet: *Caſſiod.* ergo inde primùm hanc in remittendis iniuriis facilitatem, ac clementiam Principi commendamus, quòd nõ modò magni animi ſit, ſũmæque apud homines gloriæ, ſed multò magis, quòd diuinum ingenium omnino exprimat, & veluti ad ſe transferat, hominibuſque, velut de facie, noſcendum proponat: vel noſtrum Regem pro iis omnibus vno verbo fideiubentem audi; nimirùm cùm is varias, eaſque egregias de vicinis hoſtibus retuliſſet victorias, quibus Iſraeliticum

raelitieum imperium mirum in modum amplificasse A dicitur toto cap. 8. lib. 2. Regum, ex abrupto sequenti cap. vers. 1. interrogans inducitur: *Putasne est aliquis, qui remanserit de domo Saül, vt faciam cum eo misericordiam propter Ionatham?* Cumque ad manum adfuisset illi quidam seruus Saül interrogationi responsurus: sic statim tantisper variata locutione interrogasse fertur: *Numquid superest aliquis de domo Saül, vt faciam cum eo misericordiam Dei?* Vbi duo quæso, obserues, alterum, quo tempore egregius it & verè Reg ut Dauidi sensus obuenerit: cùm videlicet, multos & perillustres de hostibus reportauerat triumphos, planè vt vel clementiæ opere debitam Deo pro collatis donis referret gratitudinem, vel potiùs, quasi bellicâ gloriâ non contentus, maius aliquid diuinum ingenium vinaeius exprimens, in hostes videlicet clementiam molitetur. Alterum in prima interrogatione, cùm ipsi misericordia ob Ionatham exercenda in B mentem venit, solummodò dixisse, *vt faciam cum eo misericordiam*: postmodum verò, cùm sensum altiùs extulit, & amotâ ab humana gratitudine consideratione, & condonandis domui Saül iniuriis, sic cogitauit, vt bonum pro malo redderet, dicendi modum notanter immutasse, sine correxisse, dum addidit non quamlibet, sed signatè *misericordiam Dei* se fore eum eo facturum, quasi iam non tam pro regio, quàm pro diuino more ageret, diuinumque in se conditionem, & ingenium ostenderet, sapienter ad id loci sic hæc expendente optimo Scholiaste P. Gaspar Sanchez. *Addit quòd cùm de Saulupsiteru ageret Dauid, dixit ad Sibam*, vt faciam cum eo misericordiam Dei; *Dei porrò misericordia ad ipsius inimicorum beneficium extenditur, quibus spiritum largitur, & vitam; & cùm illis posset à se procul abiicere, cumulat tamen dona, nequeillorum malitia Dei impediunt mitissimam naturam, quominus Solem suum oriri faciat super bonos, & malos, & pluat super iustos* C *& iniustos*: pergit & rem plus plus explicat. *At hac misericordia, si non spectaret Saulis intestinum odium, & auidam sitim Dauidici sanguinis, in eo quem dixi sensu, non diceretur* misericordia Dei: *quid potius erat Dauid Ionatha prouocatus meritis, quàm offensus iniuria.* En Dei misericordiam, Dei ingenium, Dauidemque hinc multò magis, quàm à bellicis gloria, victoriis, atque triumphis Deo adsimilem.

2 Sed enim vt quam Dauidi Dominus mentem primùm iniecerat, subinde perficeret, & coronaret; *Deus est enim qui operatur in nobis velle, & perficere*: eam ipsi faciendi misericordiam occasionem obtulit, quæ opportunissima esset: sic enim ibi Dauidi Siba respondit: *Superest filius Ionatha debilis pedibus*: & vers. 13. *erat claudus vtroq; pede.* Quæ enim opportunior, & ea diuinis moribus magis exhibita misericordia, quàm quæ ei exhibetur, qui victorem effugere minimè potest? Suam hinc Deo fortitudinem maximè commendame, dum infensissimum sibi hostem Pharaonem D sic alloquitur, Exudi 9. 26. *Nunc extendens manum percutiam te, & populum tuum peste, peribisq; de terra: idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra*: vbi cùm pro posui te, Hebraicè sit, *stare feci te*, & apud LXX. *conseruatus es*, Chaldæusque similiter reposuerit: *sustinui te*: Paulus verò ad Romanos 9. 17. signatè legerit, *excitaui te*, sique vt aliij Codices habent, *sustitaui te*, manifestè hiquet, perinde hæc capienda esse, vt ex Hebræo leguntur à Pereyra ibi: *Et quidem si voluissem, potuissem te interimere peste, quia occidi pecora tua, veruntamen ideo stare te feci*, &c. Tantùm non dicens Dominus, quid mihi foret facilius, quàm grassante in populum peste te extinguere, siue sinere te perire? possesne tunc effugere, aut communi malo te subducere? Ergo ideò stare feci te, & conseruaui, siue potius vitam tibi dedi, vt nosses meum ingenium, meam fortitudinem, meam potentiam, & maiestatem, quâ cùm tam facili negotio te possem extinguere, malui de industria te seruare, & morti eximere. Sed quonam modo Regius Dauidis animus Miphiboseth fuerit misertus, recognosce. Nec enim fuit contentus, si ei, tàm tutò vitam posset eripere, ignosceret, nisi etiam liberali manu paternos agros restitueret, & quod plus est, mensæ suæ vsum familiarem indulgeret, sic enim versu septimo, *restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper*: quæ itidem vers. 10. rursum reperit. Quod equidem diuinum sapit ingenium; is enim Dei mos est condonandi iniurias, vt non modò peccatori ignoscat, sed in suam etiam amicitiam recipiat, & pristinæ dignitatis stolam simul restituat, vt & in filio prodigo videre est Lucæ 15. 22. & apertè monuit Paulus ad Roman. 5. 1. inquiens. *Iustificati ergo fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum; per quem & habeamus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloria filiorum Dei.* Quæ sic elucidauit Lectio Syriaca. *Quoniam igitur iustificati sumus per fidem, habeamus pacem apud Deum*, &c. Cui Dauidis clementiæ opportunè videtur locutus Marcus Tullius dum oratione pro Marco Marcello ait: *Non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem, hac qui faciat, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.*

3 Sed liberaliter claudum Miphiboseth, Regiæ Dauidis mensæ accumbentem, penitiùs considerare, & si attendis, non perfunctoriè à Dauide ad eam est vocatus, qui semel atque iterum, sese Miphiboseth, & eius etiam nomine Siba ab illa præ modestia excusantibus, & submonentibus illum coëgit, vt cum eo quasi vnus de filiis Regis vesceretur: nam præter allata ea de re testimonia, vbi non vers. vndecimo habemus: *Dixitq; Siba ad Regem: Sicut iussisti, Domine mi Rex, seruo tuo, sic faciet seruus tuus, & Miphiboseth comedet super mensam tuam quasi vnus de filiis Regis.* Hieron. in tradition. Hebraicis, Abulensis, & alij legunt, *super mensam tuam*, aut si retinendum est *meam*, ad Dauidem promissionem suam tertiò repetentem, referendum esse, & proinde supplendum, *& dixit Dauid*, optimi Interpretes contendunt. Sed iam cur tanto nisu, tantâ contentione, egit Dauid, vt cum eo inter filios suos ille vesceretur? nonne aliis honoribus commodiùs poterat augere? quin homo vtroque pede claudus, & impeditus, regalis mensæ salutationibus, & cæremoniis importunus, & sibi, & aliis molestiæ, & impedimento esset? quid ergo claudo illi, & regiæ mensæ splendori? vir nosses sanè vt ab illo claudo regia Dauidis mensa decorem, & ornamentum acciperet; nec enim illa tanto ornatu, & pompâ ab abaco auro, argento que grani, vel à delicatissimis, & exquisitis cibis, vel ab ipsomet tandem filiorum Regis pulcherrimo grege splendebat, quàm à claudo Miphiboseth ad illam consistente: quod & ipsum Miphiboseth nomen, quod ab Stephano Cantuariensi ad id loci Regum in allegoriis Gotfridi Tilmani interpretatur *decor*, satis ostendit: & Chrysostomus hom. de Dauide & Saüle sic scitè, & luculenter monet. *Dauid mortuo Saule non modò non occidit illius posteros, sed tum plura prastitit quàm erat pollicitus: siquidem filium eius cùm esset claudum, in suam domum induxit, suaq; mensa fecit participem, non arbitratus regiam mensam claudicatione pueri dehonestari, sed decorari.* Vides decorem Regiæ mensæ à Miphiboseth inditum? Sed pergit Chrysostomus, rationem reddens; *Quotquot enim cum Rege discumbebant, abibant, magnam Philosophia doctrinam consecuti; cùm enim viderent illum Saulis filium, qui tanta mala patrarat aduersus Dauidem, tanto in honore haberi*

1. Reg. c. 8. & c. 9. v. 1.

P. Gaspar Sanchez.

Exod. 9. 16.

Lect. Heb. LXX. Chaldæus.

Rom. 9. 17.

Pereyra.

Luc. 15. 22.

Rom. 5. 1.

M. Tull.

2. Reg. 9. 11.

Steph. Cant.

Chrysost.

apud ipsum, etiamsi feris omnibus essent immitiores, pudore tamen, ac rubore cum omnibus inimicis redibant in gratiam. Hæc Chrysostomus.

4 Hinc mentis oculos altiùs effer, & à Dauidis ad Christi mensam transfer, & Iudam inibi immane detestabilis proditionis scelus exhalantem, inter filios Regis cum Domino conuiuantem vide. Quorsum verò? Dixerim, vt Christi mensa tali conuiua decoretur, & ornetur, *non arbitratus regiam mensam claudicatione pueri dehonestari, sed decorari.* Quid enim magis decorum, quàm nullam omnino inimico exasperationis causam dare, qualis ea foret si à mensa submoueretur? vti obseruauit Leo serm. 7. de Passione aiens, *nec ab eo quidem mysterio, traditore submoto, ne ostenderetur nulla iniuriâ exasperatus qui in voluntaria erat impietate persisturus.* Deinde, quid honestius, aut pulchrius, ac Dominum trucem hostem suæ mensæ adhibere, vt omni modo eum delinire, & è fero mansuetum reddere, *si mens non læua fuisset*, procuraret? Sic id considerante Victore Antiocheno in Marcum cap. 172. *Dominus autem licet omnium consiliorum Iudæ gnarus esset, attamen à Sacramenti sui accessu illum non prohibuit: quid ita? nempe, vt hinc discas, nihil eum prætermisisse, quæ eum ad sanam mentem reducere quoquo modo poterant.* Quid Dei ingenio aptius, aut dignius, quàm iniurias suas beneficiis compensare, & pro nouis peccatis, noua dona apponere, vt eius bonitas cum hostili malitia decertaret? Audi ipsum apud Vatem Psal. 40. 9. causam suam sic perorantem. *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*: obserua id, *in quo speraui*, quod perinde esse (inquiunt Chrysostomus & Hesychius) ac præ cæteris discipulis in mensa honoratus, vt ille solus intinctum Dominicum panem in catino comederit, ac si illa intinctio siue obsonium peculiaris dilectionis significatio, & veluti veneficium in beneficio fuerit. *In quo tantum sperauit Christus* (ait Chrysostomus in secunda expositione eius Psalmi) *id est, acquieuit, vt ipse comederet panes Dominicos in catino, cum illo solùm intingens.* A quo non abit & illud, *Magnificauit super me supplantationem*, siue vt Cyprianus in symbolo, Cassiodorus, & alij legunt, *ampliauit*. Etenim cùm supplantandi imago à colluctantibus sumatur, cùm quis inter alterius tibias pedem furtim insinuat, vt in terram prosternat, magnificare, siue ampliare supplantationem non modò significabit graues insidias, aut voluntatem quammaximam nocendi, sed signatè validiùs altero supplantare, siue in supplantatione præcellere, vel supplantantem durius atterere, & supplantare: planè quasi Dominus cum Iuda in mensa colluctatus sit, & sacratissimo corpore suo, veluti amoris insidiis, siue veneficio, aut supplantatione ad edomandum ferreum illum animum vsus fuisset, ad eum modum, quo diuinas has benignitatis artes sic Iudæ, citato loco, proponit Magnus Leo. *Cur infelix Iuda tantâ benignitate non vteris? ecce parcit ausibus tuis Dominus, & nulli te nisi tibi indicat Christus, nec nomen tuum, nec persona detegitur, sed veritatis, & misericordiæ verbo cordis tantùm tui arcana tanguntur: non Apostolici ordinis honor, non Sacramentorum tibi communio denegatur: redi in integrum, & deposito furore resipisce; clementia inuitat, salus pulsat, ad vitam vita reuocat.* Iudam verò supplantationem magnificasse, siue validiori supplantatione & calcitratione in Dominum irruisse, dum pœnitere noluit, nec è hoste amicum fieri. Vnde Theophylactus in cap. 26. Matthæi hac de re agens ait: *Apposuit autem vescentibus, vt ostenderet crudelitatem Iudæ, quia in mensa, & communione ciborum illius, quando si & fera fuisset, mansuetiorem se exhibuisset, tunc neque cùm argueretur, intellexit, sed & corpus illius gustans non pœnituit.* Hinc sanè gemebunda illa Domini protestatio, cuius sic meminit Ioannes cap. 13. 21. *Cùm hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestatus est.* Hoc est, vt scitè expendit Lorinus ad præfata verba Psalm. 40. Turbatus spiritus est, *quia videbat, nihil tali obsequio, & tam diserta prædictione flecti, nec retardari à peruicaci prodendi proposito, protestatus est, ac palam testatur, ac veluti testes inuocans cælum, terram, discipulos, Angelos, infernum, Patrem, omnia se quæ corrigendo discipulo accõmodata erant, fecisse, dixisse, non tectè dumtaxat, sed etiam satis clarè, humiliando se illi, offerendo munera, minando; quæ reconciliandæ amicitiæ ratio triplex opportuna.* Hæc ille. Vides regiam mensam Iuda non dehonestari, sed decorari, cùm inibi, tantaque clementiæ, mansuetudinis, ac benignitatis signa Domino exhibente?

Leo Mag. *Victor.* *Ps. 40. 9.* *Chrysost.* *Cypr.* *Cassiodor.* *Leo Mag.* *Theophyl.* *Ioan. 13. 21.* *Lorin.*

5 Non equidem opportunè hinc discessero, quin statim egregium regiæ clementiæ exemplum, quod Noster Henricus IV. Castellæ Rex in hoc Christi speculo sese intuens, Principibus dedit, omnino adiunxerim. Habuit ille inter plures alios infidos familiares, eum, quem à puero educatum Regiæ arci Madritensi præfecit: is fidem cum tempore mutuans, & rebellium partibus se adiungens, Regi in summo discrimine constituto, & ad arcem suam confugienti, aditum tantâ obstinatione præclusit, vt non nisi expugnata suamet arce, & infractis foribus, valuerit Princeps intrare. Quid tum ille? ad regios pedes aduolutus veniã supplex exposcit. Negabãt obnixiùs regij familiares eam illi fore donandam, qui tantum proditionis facinus admiserat: at clementissimus Rex misero iacenti libens pepercit, suosque mussantes, siue insultantes præfato Christi exemplo hunc in modum allato confregit. Quid me hominem, qui humanum à me nihil alienum puto, proditori huic veniam dedisse indignamini? qui pro comperto habeo Assertorem nostrum mundi Dominum sceleratissimo Iudæ, adhuc proditione peractâ, veniam libentissimè fuisse concessurum, si infelix ille supplex postulasset? o bonum factum! o verum Regem Christi mores imitantem, Dei vocem exprimentem! ita enim Gregorius Nyssenus pendens eas Dauidis voces, *Ne disperdas*, quas ei qui pro se ad cædem Saülis festinabat, dixit, quasque ipse pro titulo Psalmi quinquagesimi septimi scripsit: sic sapienter inquit; *Deo digna vox, quæ hominis interitum vetat.* Sed iam audi in eo simili Senecam libro primo de clementia cap. 10. *Bonum Principem Augustum, & bene illi conuenisse parentis nomen fatemur, ob nullam aliam causam, quàm quòd contumelias quoque suas, quæ acerbiores Principibus solent esse, quàm iniuria, nullâ crudelitate exequebatur, quòd probrosis in se dictis irrisit.* Subiicit post pauca. *Hoc est ignoscere, cùm scias multos futuros, qui pro te irascantur, & tibi alieno sanguine gratificentur, non dare tantùm salutem, sed præstare.*

Nyssen. tractatu 2. in Psal. *Seneca.*

6 At enim quod paulò antè de eodem Augusto, etsi Ethnico sensu dixerat, ad diuinam tamen clementiæ naturam cognoscendam mirè facit: ergo cùm dixisset; *Hæc eum Clementia ad salutem securitatemq; perduxit, hæc gratum & fauorabilem reddidit, quamuis nondum subactis Reipublicæ ceruicibus manum imposuisset: hæc hodieq; præstat illi famam, quæ vix viuis Principibus seruit.* Subiicit. *Deum esse non tamquam iussi credimus*: vt dicere videatur, non decreto Senatus, & publica apotheosi coacti, sed diuinum in eo ingenium agnoscentes, spõte, & ex animo diuinitatem illi tribuimus. Hæc ille pro suis tenebris: quæ vt verissima facias, sine vmbris, & nebulis, atque ad veram lucem transiens, audi Christum Dominum nostrum, cùm in Crucem suam hilaris, & lætabundus scanderet, sic dicentem: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Cantic. cap. septimo v. 8. siue vt legunt LXX.

Cant. 7. 8. *LXX.*

cacumina,

cacumina, vel *altitudines eius*; excellentiores videlicet fructus: quos verò? Diuinitatis videlicet Christi manifestationem, nominis sui claritatem, hominum salutem. At quonam modo celsiores hosce fructus Dominus apprehendit? subiicit. *Et erunt vbera tua sicut botri vineæ.* Vbi LXX. & Hebræa notantes apponunt *nunc* ad hunc modum, *& erunt nunc vbera tua:* vt cùm primùm Dominus Crucem ascendit, memor humanitatis, regiæque clementiæ, quam è maternis vberibus suxit, adeò in dirus hostes, Cruci ipsum affigentes non excanduerit, vt ardentes potiùs pro illis preces fuderit, scitè hunc locum sic elucidante Venerabili Richardo de Sancto Laurentio libro quinto de laudibus Virginis. *Ego dixi, id est, ab æterno disposui quod ascendam in palmam, id est, in arborem Crucis triumphalem,* & apprehendam fructus eius: *fructus scilicet victoria mea, &c. Et tunc inter mortis angustias in hora indignationis meæ contra crucifixores: tunc inquam* erunt duo vbera tua sicut botri vineæ *Recordabor enim quòd de te carnem assumpserim, quòd lac de tuis vberibus suxerim, recordabor incarnationis meæ mysterium, & ista recordatio tamquam vini potus præsentis irritationis, & indignationis obliuisci me faciet, ne festinem ad vindictam.* Et post pauca. *Omnium siquidem in hunc modum lac, quod sancta labia Domini expresserunt, & traxerunt à maternis vberibus, ipsum delectauit, & quadam inenarrabili dulcedine inebriauit, ne recordaretur de cætero, sed facilè nobis condonaret irrogatas sibi iniurias, & largiter nobis daret gratias & in præsenti, & in futuro gloriam sempiternam.* Ergo ascendente Domino in palmam, vt cacumina, & altitudines eius, siue eminentiores fructus apprehenderet, memor Virginei lactis, quod suxit, clamauit ad Patrem: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Lucæ capite vigesimo tertio versu trigesimo quarto. En excelsos, atque præclaros crucis fructus, illustremque diuinitatis Christi manifestationem illam cæcis pharisæorum oculis inibi Christum Dei filium negantium, & dicentium, *si filius Dei es, descende de Cruce:* Matthæi 27. 40. & versu quadragesimo secundo. *Si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce, & credimus ei,* ad hunc modum inferente Tertulliano libro de patientia capite tertio. *Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis. Patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret. Talia, tantaq́ documenta, quorum magnitudo penes nationes detractio fidei est, penes nos verò ratio, & instructio, satis apertè, non sermonibus modò in præcipiendo, sed etiam passionibus Domini sustinendo probant his, quibus credere datum est, patientiam Dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenitæ cuiusdam proprietatis.* Obserua illud: *penes nos ratio, & instructio*, quod perinde est, ac si dixerit Tertullianus, si à nobis quis interroget: cur creditis Christum esse Deum? indubitatò respondebimus, quia patiens, & beneficus in hostes suos extitit: hæc quippe est Regia, diuinaque natura: *quæ cùm habeat in potestate vindictam* (Cyprianus libro de potentia) *mauult diu tenere patientiam.* Nec hoc contentus: *amanter adhæret iis, qui se deserunt, contendit rogatq́,* (Dionysius Areopagita in epistola ad Demophil.) *ne indignus habeatur ab iis, quos amat, ipse occurrit; ipse obuiam procedit, totusq́ totos osculatur irruens in complexus, &c. Quærit errabundum in montibus, & fugientem accersit.* Vnde quidem vt ex Christi in hostes suos patientia instruimur, & necessariâ ratione conuincimur, vt credamus ipsum Deum esse, qui *inter cætera admirabilia virtutum suarum quibus indicia diuinæ Maiestatis expressit* (sic Cyprianus indidem) *paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore seruauit:* ita ex ipsa Dei natura manuducimur ad Christum Patri æqualem velut de facie agnoscendum.

Lect. Heb. — *Richard.* — *Lucæ 23. 34.* — *Matth. 27. 40. 42.* — *Tertull.* — *Cyprian.* — *Dio. Areop.* — *Cyprian.*

7 Habet verò magnam in hanc rem vim, & epitasim ipsamet Domini ad Patrem allocutio, dum non modò summâ fiduciâ, sed etiam eximiâ animi magnitudine, & dicendi maiestate ait: *Pater dimitte illis*, per nullas videlicet ambages preces ducens, nec vllis ad impetrandum rationibus adductis; sed neque illis timoris, siue reuerentiæ exhibitis signis, quibus Lazarum suscitaturus, & turbabatur, & gratias tanquam inferior agebat Ioannis capite vndecimo versu quadragesimo primo, sed omnino vt æqualis æqualem alloquens. *Pater*, inquit, *dimitte illis.* Pupugit quidem hæc loquendi maiestas latronem in cruce pendentem, & tam ea ipsa, quàm ea diuina in hostes clementia: Regem statim ac Deum, eum, quem cruci suffixum videbat, animosè confessus est, scitè hæc omnia ad ea Lucæ verba expendente Tito Bostrensi Episcopo, vbi cùm hunc in modum interrogasset. *Ast vnde his, cùm miracula, quæ circa Crucem paulò pòst acciderant, nulla adhuc vidisset, ad mentem rediit?* Respondet. *Ex oratione, quam Iesus Christus magna cum fiducia ad Deum, tanquam ad Patrem transmittebat:* Pater, *aiebat*, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *Nam & perinde cum eo loquitur, atque par cum pare; & Patrem vocat, & magna cum libertate,* dimitte illis, *clamat. Non enim dixit: Domine rogo te, vt hanc illis noxam condones, sed simpliciter,* dimitte illis, *inquiebat:* obserua illa *par cum pare:* planè, quasi inimicis ignoscens, & pro illis rogans, humanitatis fuerit oblitus, quâ minor est Patre, & ac si esset in sinu Patris, vt *in principio erat Verbum* se gesserit; quippe clementia in hostes, Dei natura est: pro qua cognitione sic vides fideiubentem Paulum ad Hebræos capite quinto versu septimo, dum de iis precibus verba faciens, vt optimi Interpretes explicant, inquit: *exauditus est pro sua reuerentia:* siue vt plures Codices habent, & Anselmus, & alij Patres legunt, exauditus est *pro sui reuerentia:* vel vt Cornelius explicat *propter sui reuerentiam:* quasi dignitas personæ Christi tanta fuerit, tantaque orantis pro inimicis maiestas, vt eum Pater nonnullâ sit reuerentiâ prosecutus.

Ioan. 11. 41. — *Tit. Bostr.* — *Heb. 5. 7.* — *Anselm.* — *Cornel.*

Ad eadem verba,

Regiam clementiam veræ fortitudinis specimen esse, & quæ dignam Principe de hostibus victoriam referat.

ADNOTATIO XII.

1 Sed pergo vlteriùs. *Par cum pari?* Non ergo imbellis, & ignauus, qui iniurias suas liberaliter remittit, sed eximiâ fortitudine, & magnitudine animi præditus, quippe qui Deo persimilem, & quasi supparem se facit. Abeat ergo exitialis, & indoctus error, qui Principis Maiestatem ex ira, & vltione potentiæ suæ respondente metitur: mentitur enim, & errat, & vehementer errat, qui non aliam Principis potentiam, & fortitudinem esse credit, nisi eam, quæ hostes suos vsque ad internecionem extinguit; cùm pestifera vis sit, valere ad nocendum. Pulchrè ea de re Themistius oratione 16. agens, si inde, inquit, tibi Magnus & diuinæ fortitudinis Princeps est, quòd cadaueribus campi æquor consternat: diuinam etiam fortitudinem terræmotui, aut pesti attribues. *Ex terræ motu enim vno, aut peste, huiusmodi, hisque longè maiora, & stupenda magis existunt:* vnde veram postmodum potentiam, & fortitudinem sic assignat: *Sic nimirum par est, verum Regem non iniuriam iniuriâ rependentem, sed beneficiis certantem, qui ipsum offenderat, superare. Virtutis hæc nempe victoria*

Themist.

victoria vindicta pottatię eſt, neque per iracuadiam, ſed magaitudine animi ſe magnum reddere oportet. Hæc enim magnitudo diuina eſt, illa coatrà puſilla, atque humana, redditq́; qui ſe ſubmittunt, non qui reſiſtuat, excelſiores. En diuinam potcntiam & magnitudinem, ſcire iniuriam ſoſtinere, & illam non iniuriâ, ſed beneficiis repenſare.

Iſai. 25. 3. Accinit egregiè Iſaias capite vigeſimo quinto verſu tertio, Dominum ſic allocutus. *Super hoc laudabit te populus fortis; ciuitas gentium robuſtarum timebit te.* Quæ de populo Chriſtiano, & Eccleſia, cui verum & cæleſte robor, egregia, atque diuina fortitudo ſubeſt, omninocapienda ſunt cum Hieronymo, Haymone, Gloſſa interlineari, & aliis. Vnde verò hæc Chriſtianorum fortitodo, & robur ſubſiſtat, atque eluceat: ſic omnino expreſsêre LXX. reponentes: *Ciuitas hominum iniuriam ſuſtinentium benedicet tibi*, vbi pro vna, & eadem re, & iniuriam ſuſtinere, & egregiâ fortitudine præditum eſſe recenſent; vides fortes, robu- B ſtoſq́ue viros, veroſq́ue Samſones, à quibus ſi Dalila

Iudic. 16. 6. interrogarit; *Dic mihi obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo?* reſpondeant, in patientia, & tolerantia iniuriarum; virtutis hæc nempe victoria vindicta potentiæ eſt: neque per iracundiam, ſed magnitudine animi ſe magnum reddere oportet: adeoq́ue non fuerit ignominia, iniuriam ſuſtinere, vt eam inferre ignominia fuerit.

2 Ita quidem de Iacobo, qui fratrem ſuum ſupplantare ſolitus fuerat; ſubinde verò humilis, atque ſubmiſſus ei obuiam iuit, & ſe ſuaq́ue ad illius pedes

Gen. 33. 3. abiecit, dicente Sacro Scriptore: *Eleuans autem Iacob oculos ſuos, vidit venientem Eſau; & ipſe progrediens adorauit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater*

Nahum 2. 2. *eius*: notantiſſimè dixit Propheta Nahum, capite ſecundo verſu ſecundo. *Quia reddidit Dominus ſuperbiam Iacob, ſicut ſuperbiam Iſraël*: vbi obſerua LXX. hæc ad hûnc modum reddidiſſe. *Quoniam auertit Dominus contumeliam Iacob, ſicut contumeliam Iſraël.* Sed quam C rogo contumeliam? cùm minimè nouerim eum aliquando contumeliam ſuſcepiſſe; immò fratrem iterum, atque iterum ſupplantaſſe? Reſpondet verò inibi Hieronymus; tunc à Iacob ablatam, & abraſam fuiſſe contumeliam, cùm mutatus ab illo, qui antea fuerat, ſupplantare, ſiue iniuriam inferre ceſſauit. Audi Hieronymum qui cùm dixiſſet; *Ambiguum eſt, aut enim ipſius Iacob contumeliam, quâ cæteris faciebat iniuriam, auertit, aut contumeliam, quam ab aliis ſuſtinebat Iacob, auertit Dominus*: hæc ſtatim ſubiicit. *Sed mihi videtur melius eſſe vt contumelia, quam Iacob ſolebat cæteris facere, à Domino ſit auerſa: Non enim tanta virtutis eſt ab aliis factam iniuriam ſuſtinere; quanta gratia Domini eſt, placidum, mitem, atque tranquillum iniuriam facere non poſſe.* Non ergo, qui iniuriam ſuſtinet, ſed qui facit, ignominiæ obnoxius eſt: Nam vt iniuriam ſuſtinere magnum eſt, & glorioſum; ita inferre puſilli, & abie- D cti animi fuerit. Quare pende vtrumque ſtatum Iacob: eum videlicet, in quo fratrem ſupplantabat; & illum in quo ab omni iniuria ei inferenda abſtinuit: & ſi noſſe cupis, quid fuerit in cauſa cur tantam ille ſuſceperit mutationem? Reſpondebo, hoc illi à vera fortitudine, & cæleſti robore aduenîſſe, cùm videlicet tantæ fortitodinis, & excelſi roboris pugilem ſe exhibuit, vt ad Angelum inualuerit Oſeæ 12. 4. Vn-

Oſeæ 12. 4. Gen. 32. 28. de ad illum Angelus Geneſ. 32. 28. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael, quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines præualebis?* Audis tunc ei ablatam contumeliam, cùm & ablatum fuit Iacob, id eſt, ſupplantatoris nomen, & ingenti

Hieron. robore munitus extitit? Obſeruauit quidem id ibidem Hieronymus his verbis. *Poſtquam luctatus eſt Iacob cum Angelo, Iſraelis nomen meruit accipere, & quia vi-* A *dit Deum, iniuriam facere ceſſauit. Sicut ergo Iſrael, ſenſus, vel vir, videns Deum, & ſemper de Deo cogitans facere neſcit iniuriam, ſic omnis procacitas, & contumelia auerſa eſt à Iacob, hoc eſt à ſupplantatore: ab eo qui adhuc in certamine poſitus ſupplantat inimicos.* Nec omittendum quod ei tunc Angelus ſuggeſſit: *Quanto magis contra homines præualebis?* oſtendens tunc veram de hoſtibus victoriam relaturum, cùm iniurias non iniuriis, ſed beneficiis repenſauerit, vti dicebat Themiſtios. *Sic nimirùm par eſt, verum Regem non iniuriam iniuriâ repenſantem, ſed beneficiis certantem, qui ipſum offenderat, ſuperare.* Themiſt.

3 Enimverò ab hac lenitate Principi tanquam victori, qui tam de ſeipſo, quàm de hoſtibus egregium triumphum refert, illuſtrem coronam aduenire, ſic canit Noſter Vates Pſalmo quinto verſu decimo tertio. *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis coronaſti nos*: Pſ. 5. 13.

vbi primùm notetur peculiaris coronæ ex ſcuto ſtructura: & quidem cùm ſcutum ſit ad retundendos hoſtium ictus; corona verò, ſiue Regum, ſiue victoriæ inſigne, nonnemo ambigat, quâ ratione ſcutum, & corona ſimul coire poſſint? cui dubio ſic reſpondet ibi ſanctus Thomas: *Conſuetudo fuit Romanis* S. Thom. *vti ſcutis rotundis, & in illis habebant ſpem victoriæ, & quando triumphabant, vtebantur ſcuto illo vt coronâ: & inde Sancti pinguntur cum ſcuto rotundo in capite, quia de hoſtibus adepti ſunt triumphum.* Deinde obſerua quale id ſcutum coronans fuerit. Sanè vbi nos habemus *ſcuto bonæ voluntatis*; in Hebræo eſt vox quæ omnino Lect. Heb. ſignificat *placabilitatem*: vnde Euthymius *legit ſcuto* Euthym. *placabilitatis*: alij verò apud Lippomanum in Catena *ſcuto clementiæ*. Ex quibus illuſtris illa ſe prodit Vatis ſententia, vt affirmet, ipſammet placabilitatem, quâ velut ſcutum aduerſariorum ictos perfert, coronam regni, & victoriæ eſſe, egregiumq́ue fortis, & regij animi inſigne, Preme id attentiùs, non perinde ca- C piens, quaſi à placabilitate & clementia, ſiue ab iniuriarum tolerantia, corona poſtmodum obtingat: ſerò quippe præmium id adueniret, ſed potiùs quòd ipſamet placabilitas & patientia, regia corona ſit, quæ animum verè regium, magnum, fortem, & victoriam de hoſtibus referentem oſtendit: id enim ibi volt Dauid dum ait, ſcutum ipſum pro corona eſſe, à quo non abiit Rex Theodoricus apud Caſſio- Caſſiod. dorum libro primo epiſtola vigeſima ſeptima, inde maledicta & conuitia patienter à Principe ferêda adſtruēs quòd illi pro ornamento, & corona ſint. *Quorum garrulitas* (ait ille) *ſi patienter excipitur, ipſos quoque Principes ornare monſtratur*: quò & mos ille Romanis obſeruatus it, de quo ſanctus Thomas, *quando triumphabant vtebantur ſcuto illo vt coronâ*, à manu ſcilicet ad caput ſcutum transferentes, victoriam ſuam ictus ſcilicet ſuſceptos & perlatos oſtentantes, quemadmodum apud nos ſanctiſſimi Martyres vt fortiſſimi D pugnatores *cum ſcuto rotundo in capite*, quod patientiam ſuam in cruciatibus perferendis adumbrat, notanter pinguntur, *quia de hoſtibus adepti ſunt triumphum*: placabilitate ſcilicet, & patientiâ, quâ ſeſe illis excelſiores exhibuerunt, veriſſimè enim Seneca libro tertio de ira. *Non eſt magnus animus, quem incuruat iniuria*: Seneca. & indidem: *ille ingens animus eſt verus æſtimator ſui, non vindicat iniuriam, quia non ſentit.*

4 Sed huic rei illa ſunt opportuniſſima, quæ de inclyto Protomartyre Stephano ſubobſcurè quidem ſed elegantiſſimè dixit Gregorius Nazianzenus in oratione in funere Patris hunc in modum. *Stephanus, cùm lapidibus obrueretur, pro lapidantibus preces fundebat, cuius cauſa cruciatus quoque ipſe præclarior illi erat, quàm mors ipſa, quippe qui Chriſto lenitatis, & patientiæ fructum offerret.* Preme illa: *cruciatus quoque ipſe præclarior illi*

erat,

erat, quàm mors ipsa. Et verò ad ea iure ambigas, quomodò illi cruciatus morte ipsa præclarior esse potuerit, cùm à morte corona, & beatitudo, à cruciatibus verò pœna, & dolor ei obtigerint? Sed subsistit egregiè sententia Nazianzeni, dum præmittit Stephanum in cruciatibus pro lapidantibus orasse, lenitatis ac patientiæ fructus edidisse, quod quidem morte videtur esse præclarius: nam vt hæc beatitudinem attulit, ita lenitatis & patientiæ fructum circumscripsit; cruciatus verò, in quo pro inimicis orabat, illustrissimam ei patientiæ coronam imponebat, quæ quodammodo ipsa beatitudine videbatur præclarior, & illustrius triumphandi genus adepta. Nec pigebit bis etiam aptare, quod Gentilis Themistius oratione 56. ad Imperatores Valentinianum, & Valentem habet: etenim cùm ibi egregium Constantij Imperatoris factum sic primùm retulisset. *Cùm quemdam qui plurimum sibi molestiæ facesßit in rebellione Occidentis, post Barbari fugam deuicisset, simul atque imperium est consecutus, etiam inimicitias deposuit, conuiciaq́ beneficiis largè tributis vindicauit, ita vt hostem suum ad pænitentiam traduceret, mæstitiaq́, quam apud se sētiret, pro delictis vlcisceretur: dum ex beneficiis, quæ in ipsum conferebantur, intelligeret quantum iniustitiæ commisisset.* Subiicit. *Sic nimirum par est verum Regem non iniuriam iniuriâ repensare, sed beneficiis certantem, qui ipsum offenderat, superare.* Bellissimè, vt videris ipsummet placabilitatis scutum esse coronam victoriæ, eiusque, quæ omnium inclyta & gloriosior sit. Quare pergit Themistius. *Virtutis hæc nempe victoria vindicta potentia est, neque per iracundiam, sed magnitudine animi, se magnum reddere oportet. Hæc enim magnitudo diuina est, illa contrà pusilla, atque humana, redditq́ qui se submittunt, non qui resistunt, excelsiores.* Hæc Themistius. Quibus omnino sunt consentanea, quæ pari sapientiâ, pari elegantiâ Principes admonuit Seneca libro primo de Clementia capite vigesimo primo hunc ad modum. *Vti itaque animosè debet tanto munere deorum dandi, auferendiq́ vitam potens, in his præsertim, quos scit aliquando suo fastigio obstitisse: hoc arbitrium adeptus vltionem impleuit, perfecitq́ quantum vera pœnæ satis erat: perdidit enim vitam qui debet, & quisquis ex alto ad inimici pedes abiectus alienam de capite suo, regiamq́ sententiam expectauit, in seruatoris sui gloriam viuet, plusque nomini eius conferet incolumis, quàm si ex oculis ablatus esset.* Ita Seneca; qui & paulò antè in eamdem sententiam dixerat. *Nam si quos pares aliquando habuit, infra se videt, satis vindicatus est:* optimè: nam

——— Ignoscere pulchrum
Iam misero, pœnaq́ genus vidisse precantem

Ita quidem deuictus hostis apud eumdem Claudianum in 6. consulatu Honorij grauiùs de clementia, quàm de Marte sibi infenso querebatur hunc in modum,

——— Expugnat nostram clementia gentem,
Mars grauior sub pace latet.

5 Firmat hæc illustris illa benedictio, quam primogenito suo Ruben hunc in modum Patriarcha Iacob impertiuit. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio.* Genesis 49. versu 3. vbi pro illis verbis *prior in donis, maior in imperio.* Hieronymus in quęstionibus in Genesim monet LXX. legisse *durus ad ferendum:* in Hebræo etiam haberi. *Maior ad portandum, & maior robore:* Planè, quasi imperium, & magnitudo in maiori potentia, & sufferentia demonstretur, imò verò huc Imperij dignitas eat, tutaque eius excellentia in hoc cardine vertatur: quod quidem Pagnini Lectio Lippomano etiam probata omnino adstruit: ipse enim ex Hebræo pro his verbis legit: *excellentia dignitatis, & excellentia fortis.* Lippomanus verò in Catena. *Excellentia dignitatis, vel amplitudinis, aut sublimitatis, & excellentia fortitudinis, vel imperij.* Tantùm non dicens Iacob, eum esse verè Regem, verè potiorem in donis, & maiorem in imperio, sese cunctis excellentiorem, digniorem, & fortiorem exhibentem, qui ad portandum & ferendum minorum iniurias durior, & fortior sit, hoc est ad illas facilè condonandas promptissimus, eo omnino sensu quo dicebat Colossensibus Paulus capite tertio versu decimo tertio. *Supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.* Quæ verba, vt ad illa rectè monet Iustinianus, eadem sunt cum illis ad Galatas 6. 2. *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Sed obserua, quàm aliud Principibus, ac priuatis pro excellentiæ discrimine detur monitum: his enim sic inuicem, & mutuâ vicissitudine onera portare præscribitur, vt aliis donare, sibimet donare sit: id enim est, *alterum alterius onera portare,* siue supportare inuicem: Principibus verò, quorum excellentissima dignitas, & altissima sublimitas est, absolutè consulitur, vt quò maiores in imperio, & potiores in donis sunt, pro ratione suæ dignitatis non ad inuicem, sed generaliter omnium onera alacriter perferant, & illatas sibi iniurias liberaliter ignoscant: Quod quidem pulcherrimè etiam expressit Seneca lib. 5. de clementia cap. 5. inquiens. *Magnam fortunam magnus animus decet, qui nisi se ad illam fortunam extulit, & altior stetit, illam quoque infrà ad terram deducit. Magni autem animi est proprium, placidum esse, tranquillumq́, & iniurias, & offensiones supernè despicere.* Obserua illa. *Nisi se ad illam extulit, & altior stetit, illam quoque infrà ad terram deducit:* vt dixerit, nisi iniuriarum onera supportauerit, cadet sub onere, & alios perdens, fortunam etiam suam, & maiestatem perdet: ita de Domino signatissimè Paulus ad Hebræos 1. 3. dicebat. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq́ omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* Vbi, si attendis, simul Dei Filio, & splendorem Patris esse, nec non ad dexteram maiestatis in excelsis sedere, & signatè portare omnia, ac purgationem peccatorum facere, hoc est iniurias suas liberaliter condonare, à Paulo tribuitur: quasi lege diuinitatis, & magnitudinis, quò maior in donis, maior ad portandum omnes, & omnia sit: eaque ratione dum altior stetit, maiestatem, & splendorem suum firmiùs retinuerit: à quo non aberint, quæ Libanius in oratione ad Theodosium Ethnico ore sic inquit. *Nam dij hominibus quotidie condonant quædam verba aduersus se prolata, quando tristitiâ afficiuntur ex rebus non commodè gestis: etenim homines sæpè seipsos perdunt, & tamen culpam in deos contumeliosè reijciunt, at dij tolerant: hinc hominum propago maior.* Ita ille.

6 Noueris hinc quò ear præceptum à Domino de diligendis inimicis datum, Matth. 5. 44. posset enim nonnemo existimare consultò id à Deo tanquam communi omnium parente in gratiam inimicorum fuisse prouisum, ne, qui iniuriam aliis fecissent, è vestigio statim tollerentur, in se aliquando, & ad bonam frugem redituri, vti Iobius Monachus libro nono de *Verbo incarnato* capite quadragesimo quarto, apud Photium in Bibliotheca bene expendit, ideò nos in Baptismo ex Domini præscripto renuntiare Satanæ, & operibus eius, non verò improbis hominibus, qui Deo, aut nobis iniuriam intulerint, quòd, vt Deus securitatis nostræ curator, terminum inimicitiarum immobilem inter dæmonem, & homines præfixit, quia ille inemendabilis malitiæ est: ita quòd lapsis hominibus spes restitutionis superfit, ipsos quoad fieri potest amare iubeat: ad quem etiam modum dicebat Augustinus in Psalm. 54. *Et plerumque cùm tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis.*

Sed

Nazianz. Themist. Senec. Claudian. Gen. 49. 3. LXX. Hieron. Pagnin. Lippom. Coloss. 3. 13. Galat. 6. 2. Seneca. Libanius. Matth. 5. 44. Iobius. August.

victoriæ vindicta potentiæ est, neque per iracundiam, sed magnitudine animi se magnum reddere oportet. Hæc enim magnitudo diuina est, illa contrà pusilla, atque humana, redditq; qui se submittunt, non qui resistunt, excelsiores. En diuinam potentiam & magnitudinem, scire iniuriam sustinere, & illam non iniuriâ, sed beneficiis repensare.

Isai. 25. 3. Accinit egregiè Isaias capite vigesimo quinto versu tertio, Dominum sic allocutus. *Super hoc laudabit te populus fortis; ciuitas gentium robustarum timebit te.* Quæ de populo Christiano, & Ecclesia, cui verum & cæleste robur, egregia, atque diuina fortitudo subest, omnino capienda sunt cum Hieronymo, Haymone, Glossa interlineari, & aliis. Vnde verò hæc Christianorum fortitudo, & robor subsistat, atque eluceat: sic omnino expressêre LXX. reponentes: *Ciuitas hominum iniuriam sustinentium benedicet tibi*, vbi pro vna, & eadem te, & iniuriam sustinere, & egregiâ fortitudine prædituum esse recensent; vides fortes, robustosque viros, verosque Samsones, à quibus si Dalila *Iudic 16. 6.* interrogarit; *Dic mihi obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo?* respondeant, in patientia, & tolerantia iniuriarum; virtutis hæc nempe victoriæ vindicta potentiæ est: neque per iracundiam, sed magnitudine animi se magnum reddere oportet: adeoque non fuerit ignominia, iniuriam sustinere, vt eam inferre ignominia fuerit.

2 Ita quidem de Iacobo, qui fratrem suum supplantare solitus fuerat; subinde verò humilis, atque submissus ei obuiam iuit, & se suaque ad illius pedes *Gen. 33. 3.* abiecit, dicente Sacro Scriptore: *Eleuans autem Iacob oculos suos, vidit venientem Esau; & ipse progrediens adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater* *Nahum 2. 2.* *eius*: nitidissimè dixit Propheta Nahum, capite secundo versu secundo. *Quia reddidit Dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israël*: vbi obserua LXX. hæc ad hunc modum reddidisse. *Quoniam auertit Dominus contumeliam Iacob, sicut contumeliam Israël.* Sed quam C rogo contumeliam? cùm minimè nouerim eum aliquando contumeliam suscepisse; immò fratrem iterum, atque iterum supplantasse? Respondet verò inibi Hieronymus; tunc à Iacob ablatam, & abrasam fuisse contumeliam, cùm mutatus ab illo, qui antea fuerat, supplantare, siue iniuriam inferre cessauit. Audi Hieronymum qui cùm dixisset: *Ambiguum est, aut enim ipsius Iacob contumeliam, quâ cæteris faciebat iniuriam, auertit, aut contumeliam, quam ab aliis sustinebat Iacob, auertit Dominus*: hæc statim subiicit. *Sed mihi videtur melius esse vt contumelia, quam Iacob solebat cæteris facere, à Domino sit auersa: Non enim tanta virtutis est ab aliis factam iniuriam sustinere; quanta gratia Domini est, placidum, mitem, atque tranquillum iniuriam facere non posse.* Non ergo, qui iniuriam sustinet, sed qui facit, ignominiæ obnoxius est: Nam vt iniuriam sustinere magnum est, & gloriosum; ita inferre pusilli, & abiecti animi fuerit. Quare pende vtrumque statum Ia- D cob: eum videlicet, in quo fratrem supplantabat; & illum in quo ab omni iniuria ei inferenda abstinuit: & si nosse cupis, quid fuerit in causa cur tantam ille susceperit mutationem? Respondebo, hoc illi à vera fortitudine, & cælesti robore aduenisse, cùm videlicet tantæ fortitudinis, & excelsi roboris pugilem se exhibuit, vt ad Angelum inualuerit Oseæ 12. 4. Vn-
Oseæ 12. 4. Gen. 32. 28. de ad illum Angelus Genes. 32. 28. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel, quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines praualebis?* Audis tunc ei ablatam contumeliam, cùm & ablatum fuit Iacob, id est, supplantatoris nomen, & ingenti
Hieron. robore munitus exstitit? Obseruauit quidem id indidem Hieronymus his verbis. *Postquam luctatus est Iacob cum Angelo, Israelis nomen meruit accipere, & quia* A *vidit Deum, iniuriam facere cessauit. Sicut ergo Israel, fortis, vel vir, videns Deum, & semper de Deo cogitans facere nescit iniuriam, sic omnis procacitas, & contumelia auersa est à Iacob, hoc est à supplantatore: ab eo qui adhuc in certamine positus supplantat inimicos.* Nec omittendum quod ei tunc Angelus suggessit: *Quanto magis contra homines praualebis?* ostendens tunc veram de hostibus victoriam relaturum, cùm iniurias non iniuriis, sed beneficiis repensauerit, vti dicebat Themistius. *Sic nimirùm par est, verum Regem non iniuriam iniuriâ repensantem, sed beneficiis certantem, qui ipsum offenderint, superare.* *Themist.*

3 Enimverò ab hac lenitate Principi tanquam victori, qui tam de seipso, quàm de hostibus egregium triumphum refert, illustrem coronam aduenire, sic canit Noster Vates Psalmo quinto versu decimo tertio. *Domine vt scuto bonæ voluntatis coronasti nos:* *Ps. 5. 13.*
B vbi primùm notetur peculiaris coronæ ex scuto structura: & quidem cùm scutum sit ad retundendos hostium ictus; corona verò, siue Regum, siue victoriæ insigne, nonnemo ambigat, quâ ratione scutum, & corona simul coire possint? cui dubio sic respondet ibi sanctus Thomas: *Consuetudo fuit Romanis vti scutis rotundis, & in illis habebant spem victoriæ, & quando triumphabant, vtebantur scuto illo vt corona: & inde Sancti pinguntur cum scuto rotundo in capite, quia de hostibus adepti sunt triumphum.* *S. Thom.* Deinde obserua quale id scutum coronans fuerit. Sanè vbi nos habemus *scuto bonæ voluntatis*, in Hebræo est vox quæ omnino *Lect. Heb.* significat *placabilitatem*: vnde Euthymius *legit scuto placabilitatis*: alij verò apud Lippomanum in Catena *Euthym.* *scuto clementiæ*. Ex quibus illustris illa se prodit Vatis sententia, vt affirmet, ipsammet placabilitatem, quâ velut scutum aduersariorum ictus perfert, coronam regni, & victoriæ esse, egregiumque fortis, & regij animi insigne. Preme id attentiùs, non perinde capiens, quasi à placabilitate & clementia, siue ab iniuriarum tolerantia, corona postmodum obtingat: serò quippe præmium id adueniret, sed potiùs quòd ipsamet placabilitas & patientia, regia corona sit, quæ animum verè regium, magnum, fortem, & victoriam de hostibus referentem ostendit: id enim ibi vult Dauid dum ait, scutum ipsum pro corona esse, à quo non abiit Rex Theodoricus apud Cassiodorum libro primo epistola vigesima septima, inde *Cassiod.* maledicta & conuitia patienter à Principe ferēda adstruēsquòd illi pro ornamento, & corona sint. *Quorum garrulitas (ait ille) si patienter accipitur, ipsos quoque Principes ornare monstratur*: quod & mos ille Romanis obseruatus it, de quo sanctus Thomas, *quando triumphabant vtebantur scuto illo vt coronâ*, à manu scilicet ad caput scutum transferentes, victoriam suam ictus scilicet susceptos & perlatos ostentantes, quemadmodum apud nos sanctissimi Martyres vt fortissimi D pugnatores *cum scuto rotundo in capite*, quod patientiam suam in cruciatibus perferendis adumbrat, notantèr pinguntur, *quia de hostibus adepti sunt triumphum*: placabilitate scilicet, & patientiâ, quâ sese illis excelsiores exhibuerunt, verissimè enim Seneca libro tertio de ira. *Non est magnus animus, quem incuruat iniuria:* *Seneca.* & indidem: *ille ingens animus est verus æstimator sui, non vindicat iniuriam, quia non sentit.*

4 Sed huic rei illa sunt opportunissima, quæ de inclyto Protomartyre Stephano subobscurè quidem sed elegantissimè dixit Gregorius Nazianzenus in oratione in funere Patris hunc in modum. *Stephanus, cùm lapidibus obrueretur, pro lapidantibus preces fundebat, cuius causa cruciatus quoque ipse præclarior illi erat, quàm mors ipsa, quippe qui Christo lenitatis, & patientiæ fructum offerret.* Preme illa: *cruciatus quoque ipse præclarior illi erat,*

Digitized by Google

erat, quàm mors ipsa. Et verò ad ea iure ambigas, quomodò illi cruciatus morte ipsa præclariores sit poenetit, cùm à morte corona, & beatitudo, à cruciatibus verò pœna, & dolor ei obtigerint? Sed subsistit egregiè sententia Nazianzeni, dum præmittit Stephanum in cruciatibus pro lapidantibus orasse, lenitatis ac patientiæ fructus edidisse, quod quidem morte videtur esse præclarius: nam vt hæc beatitudinem attulit, ita lenitatis & patientiæ fructum circumscripsit; cruciatus verò, in quo pro inimicis orabat, illustrissimam ei patientiæ coronam imponebat, quæ quodammodo ipsa beatitudine videbatur præclarior, & illustrius triumphandi genus adepta. Nec pigebit his etiam aptare, quod Gentilis Themistius oratione 16. ad Imperatores Valentinianum, & Valentem habet: etenim cùm ibi egregium Constantij Imperatoris factum sic primùm retulisset. *Cùm quemdam qui plurimam sibi molestia fecisset in rebellione Occidentis, post Barbari fugam deuicisset, simul atque imperiam est consecutus, etiam inimicitias depofuit, conuiciaq́ beneficiis largè tributis vindicauit, ita vt hostem suam ad pœnitentiam traduceret, mœstitiaq́, quam apud se téterct pro delictis vlcisceretur: dum ex beneficiis, quæ in ipsum conferebantur, intelligeret quantum iniustitia commisisset.* Subiecit. *Sic nimirum par est verum Regem non iniuriam iniuriâ repensare, sed beneficiis certantem, qui ipsum offenderat, superare.* Bellissimè, vt videris ipsummet placabilitatis scutum esse coronam victoriæ, eiusque, quæ omnium inclyta & gloriosior sit. Quare pergit Themistius. *Virtutis hæc nempe victoria vindicta potentia est, neque per iracundiam, sed magnitudine animi, se magnum reddere oportet. Hæc enim magnitudo diuina est, illa contrà pusilla, atque humana, redditq́, qui se submittat, non qui resistunt, excelsiorer.* Hæc Themistius. Quibus omnino sunt consentanea, quæ pari sapientiâ, pari elegantiâ Principes admonuit Seneca libro primo de Clementia capite vigesimo primo hunc ad modum. *Vti itaque animosè debet tanto manere deorum dandi, auferendiq́, vitam potens, in his præsertim, quos scie aliquando suo fastigio obstitisse: hoc arbitrium adeptus vltionem impleuit, perfecitq́, quantum vera pœna satis erat: perdidit enim vitam qui debet, & quisquis ex alto ad inimici pedes abiectus alienam de capite suo, regiamq́, sententiam expectauit, in seruatoris sui gloriam viuet, plusque nomini eius conferet incolumis, quàm si ex oculis ablatus esset.* Ita Seneca; qui & paulò antè in eamdem sententiam dixerat. *Nam si quos pares aliquando habuit, infra se videt, satis vindicatus est*: optimè: nam

——— Ignoscere pulchrum

Iam misero, pœnaq́, genus vidisse precantem

Ita quidem deuictus hostis apud eumdem Claudianum in 6. consulatu Honorij grauiùs de clementia, quàm de Marte sibi infensos querebatur hunc in modum.

——— Expugnat nostram clementia gentem,

Mars grauior sub pace latet.

5 Firmat hæc illustris illa benedictio, quam primogenito suo Ruben hunc in modum Patriarcha Iacob impertiuit. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio.* Genesis 49. versu 3. vbi pro illis verbis *prior in donis, maior in imperio*. Hieronymus in quæstionibus in Genesim monet LXX. legisse *durus ad ferendum*: in Hebræo etiam haberi. *Maior ad portandum, & maior robore*: Planè, quasi imperium, & magnitudo in maiori potentia, & sufferentia demonstretur, imò verò huc Imperij dignitas erat, totaque eius excellentia in hoc cardine vertatur: quod quidem Pagnini Lectio Lippomano etiam probata omnino adstruit: ipse enim ea Hebræo pro his verbis legit: *excellentia dignitas, & excellentia fortis*. Lippomanus verò in Catena. *Excellentia dignitatis, vel amplitudinis, aut sublimitatis, & excellentia fortitudinis, vel imperij*. Tantùm non dicens Iacob, eum esse verè Regem, verè potiorem in donis, & maiorem in imperio, sese cunctis excellentiorem, digniorem, & fortiorem exhibentem, qui ad portandum & ferendum minorum iniurias durior, & fortior sit, hoc est ad illas facilè condonandas promptissimus, eo omnino sensu quo dicebat Colossensibus Paulus capite tertio versu decimo tertio. *Supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.* Quæ verba, vt ad illa rectè monet Iustinianus, eadem sunt cum illis ad Galatas 6. 2. *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Sed obserua, quàm illud Principibus, ac priuatis pro excellentiæ discrimine detur monitum: his enim sic inuicem, & mutuâ vicissitudine onera portare præscribitur, vt aliis donare, sibimet donate sit: id enim est, *alterum alterius onera portare*, siue supportare inuicem: Principibus verò, quorum excellentissima dignitas, & altissima sublimitas est, absolutè consulitur, vt quò maiores in imperio, & potiores in donis sunt, pro ratione suæ dignitatis non ad inuicem, sed generaliter omnium onera alacriter perferant, & illatas sibi iniurias liberaliter ignoscant: Quod quidem pulcherrimè etiam expressit Seneca lib. 1. de clementia cap. 5. inquiens. *Magnam fortunam magnus animus decet, qui nisi se ad illam fortunam extulit, & altior stetit, illam quoque infrà ad terram deducit. Magni autem animi est proprium, placidum esse, tranquillumq́, & iniurias, & offensiones supernè despicere.* Obserua illa. *Nisi se ad illam extulit, & altior stetit, illam quoque infrà ad terram deducit*: vt dixerit, nisi iniuriarum onera supportauerit, cadet sub onere, & alios perdens, fortunam etiam suam, & manifestam perdet: ita de Domino signatissimè Paulus ad Hebræos 1. 3. dicebat. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq́, omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* Vbi, si attendis, simul Dei Filio, & splendorem Patris esse, nec non ad dexteram maiestatis in excelsis sedere, & signatè portare omnia, ac purgationem peccatorum facere, hoc est iniurias suas liberaliter condonare, à Paulo tribuitur: quasi lege diuinitatis, & magnitudinis, quò maior in donis, maior ad portandum omnes, & omnia sit: eaque ratione dum altior stetit, maiestatem, & splendorem suum firmiùs retinuerit: à quo non merint, quæ Libanius in oratione ad Theodosium Ethnico ore sic inquit. *Nam dij hominibus quotidie condonant quædam verba aduersus se prolata, quando tristitiâ afficiuntur ex rebus non commodè gestis: etenim homines sæpè seipsos perdunt, & tamen culpam in deos contumeliosè reijciunt, at dij tolerant: hinc hominum propago maior.* Ita ille.

6 Nouerîs hinc quò erat præceptum à Domino de diligendis inimicis datum, Matth. 5. 44. possit enim nonnemo existimare consultò id à Deo tanquam comuni omnium patente in gratiam inimicorum fuisse prouisum, ne, qui iniuriam aliis fecissent, è vestigio statim tollerentur, in se aliquando, & ad bonam frugem redituri, vti Iobius Monachus libro nono de *Verbo incarnato* capite quadragesimo quarto, apud Photium in Bibliotheca bene expendit, ideò nos in Baptismo ea Domini præscripto renuntiare Satanæ, & operibus eius, non verò improbis hominibus, qui Deo, ant nobis iniuriam intulerint, quòd, vt Deus securitatis nostræ curator, terminum inimicitiarum immobilem inter dæmonem, & homines præfixit, quia ille inemendabilis malitiæ est: ita quod lapsis hominibus spes restitutionis superfit, ipsos quoad fieri potest amare iubeat: ad quem etiam modum dicebat Augustinus in Psalm. 54. *Et plerumque cùm tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis.* Sed

Digitized by Google

Chrysost. Sed enim opportuniùs occurrit Chrysostomus A eius præcepti causam in gratiam condonantium iniurias, sic referens: *Puto quòd non tantum pro inimicis nostris Christus illa mandauit, quantùm pro nobis: non quia illi digni sunt, vt diligantur ab aliquo, sed quia nos non sumus digni, vt aliquem odiamus: odium enim spiritus est tenebrarum, & vbicumque inciderit, sordidat pulchritudinem.* Obserua illa. *Sed quia nos non sumus digni, vt aliquem odiamus:* Planè quòd odium cum dignitate & excellentia sublimitatis omnino pugnet, nec alio turpiori dedecore fœdetur. Cui cogitationi omnino subscribit noster Vates, qui moriturus Salomoni filio mandauit, ne Ioab belli Ducem sineret esse impunitum, quòd ipsi maximè iniurius fuerit: *Tu quoque nosti* (ait 3. Reg. *3. Reg. 2. 5.* 2. 5.) *quæ fecerit mihi Ioab Filius Saruiæ, &c. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos:* vbi obserua, non omnino inter interpretes conuenire, quo modo Dauidi iniurius extiterit Ioab, B quòd adeò non legamus aliquid in illum molitum fuisse mali, vt potius nouerimus pro eius dignitate, & vita strenuè semper dimicasse. Et verò dum hac in re multi multa dicunt à nobis alijs in locis obseruata, placet modò amplecti sententiam Abulensis, *Abulens.* affirmantis signatè in Dauidem peccasse Ioab, quòd Absalonem Filium eius interfecerit, cùm ipse belli ducibus tam seriò, vt Regem decebat, iussisset, tam suppliciter, tanquam pater, obsecrasset, ne illum vllâ ratione occiderent. En tam quàm molliter cadunt Dauidis verba. *Tu nosti, quæ fecerit mihi Ioab*: vt diserit, non in Rempub. non in religionem, non in leges, sed in me, in meam dignitatem, & excellentiam. Sed quâ ratione, inquis, in Dauidem peccauit, qui pro eo, & pro ipsius iure, & regno egregiè decertans, immanissimum ipsius hostem de medio sustulit? Sanè vel ea omnino de causa in Dauidem, & in eius dignitatem C Ioab peccauit, qui ei gratum se fecisse existimauit, si ipsius nomine hostem suum interficeret: nam vt ille dignus non esset, qui diligeretur à patre; at Dauid non erat dignus vt aliquem odisset: ideò illius dignitatem, sublimitatem, & excellentiam dirus vltor maximè læsit: qui in hominum opinione regiam pulchritudinem sordidauit.

7 Quò etiam mirè facit vltima Patriarchæ Iacob voluntas, siue testamentum, in quo prætermissis grandioribus natu filiis Ruben, Simeone, & Leui, regium primogenituræ ius in Iudã transmisit: de qua quidem re grandis inter expositores controuersia, & lis est: & verò cùm de Ruben minor querela, siue quæstio sit, ipsomet Iacob causam cur eum exhæredauerit aperiente, ipsamque iustissimam omnibus suadente: quòd videlicet paternum cubile impiè ascenderit, eiusque stratum turpiter commaculauerit: Genes. 49. 3. de Simone quidem, & Leui meritò ambigitur, cur D *Abulens.* testamento exhæredes à patre facti fuerint? Respondet verò sapienter Abulensis eos optimâ ratione à parente quasi regiæ dignitatis non capaces fuisse prætermissos, quòd vindictæ auidi, & sæuæ ac pertinacis iræ fuerint, vt in Principis Sichem nece, & vrbis Sichimitarum euersione patet. Audi illum: *Quia primogenitus Liæ scilicet Ruben, illud non meruit, debebat trãsferre ad alterum sequentem post primogenitum: & iste erat Simeon; sed rursus ipse non meruit; quia valde contristauit patrem suum Iacob in occisione Sichimitarum: post ipsum sequebatur Leui, ad quem conuenienter ius istud pertinebat; sed non traditum fuit ei, quia peccauerat sicut Simeon:* vt dixerit homines ad vlciscendum iniurias pronos Regno idoneos non esse: sed enim id ipsemet testator, si attendis, enucleatiùs videtur expressisse: nam cùm præmisisset, *Simeon, & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea*: causam cur hæreditate excluderet, sic expressit: *Quia in furore suo occiderunt virum; & in voluntate sua suffoderunt murum: maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura*: siue vt in Hebræo: *quia indurata est* Genes. 49. 7. tantùm non *Gen. 49. 7.* dicens: Quid enim à regia dignitate magis alienum, quàm furor pertinax, & indurata ira? Consentit præfato loco Seneca subdens: *Muliebre est, furere in ira: ferarum verò, nec generosarum quidem præmordere, & vrgere proiectos. Elephantes, leonesq; transeunt, quæ impulerunt: ignobilis bestiæ pertinacia est. Non decet Regem sæua, & inexorabilis ira: non enim multùm supra eum eminet, cui se irascendo exæquat.* Nec latuit id Poëtam, qui scitè Iouem inducit Iunonem irridentem, quòd Regina non parceret, & Iouis coniux perpetuas gereret iras. *Virgilius.*

Olli subridens hominum, rerumq; repertor.
Es germana Iouis, Saturniq; altera proles
Irarum tantos voluis sub pectore fluctus?

Id est, cùm sis nupta Ioui, & filia Saturni tantumne B irasceris? & tam immensum? imò mitesce, nam deos, & Principes mitia decent.

8 Concludam, si adstruxero cum Chrysostomo, *Chrysost.* vel eâ etiam ratione vltionem à regia dignitate esse alienissimam, quòd nemo de alio pœnas sumat, quin ipse priùs det, nec alium lædere possit, quin se priùs lædat: sic enim ille hom. 4. in epist. ad Ephes. *Misericordes simus erga debitores, tam in pecuniis, quàm in delictis: nemo enim iniuriæ sit memor, nisi velit seipsum lædere.* Quod *Senec.* quidem pulchrâ apum imagine Principi sic aptat Seneca libro primo de clementia capite decimo nono. *Iracundissimæ, & pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt; Rex ipse sine aculeo est: noluit enim natura nec sæuum esse, nec vltionem magno constaturam petere, telumq; detraxit, & iram eius inermem reliquit*: scitè illud *vltionem magno constaturam*: quid enim C à Rege magis alienum, quàm sui dedecore vltionem, siue victoriam emere, & dum irâ vti vult, sese iræ, & sordidis & abiectis iræ ministris vtendum dare? vti apud Iob inquiebat Baldad. *perdis animam tuam in furore tuo*: Iob 18. 4. vbi LXX. signatè reponunt: *vsa est te ira*: quippe ira priùs exigit ab irato pœnas, & sæpenumerò efficit, vt atrociora, & sordidiora in se, quàm in hostem committat. Vel vide Iudæos Christum cruci affigentes vt sese de illo vindicarent, quanto sui dedecore vltionem emerint, dum Pilatus, à quo renuente mortis sententiam extorserunt, in eorum odium, vt obseruauit Augustin. in Psalm. 56. scripsit titulum. *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*: vt diceret, coëgistis me, vt eum cruci affigerem, quòd vlcisci de eo concupistis: en ignominia & infamia in vos recidit, dum hominem cruci suffixum Regem habetis: vnde quidem ipsis eo aculeo compunctis succlamantibus. *Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit Rex sum Iudæorum*, ipse respondit. *Quod scripsi, scripsi*: tantùm non D dicens: quid? vltionem gratis, & non potiùs magno constaturam obtinere volebatis? Minimè quidem id erit: sed atrocius aliquid in vos, quàm in illum commisisse apparebit. Sic pergit ibi Seneca de Principe vindictam experente. *Tantum enim necesse est, timeat, quantum timeri voluit, & manus omnium obseruet, & eo quoque tempore, quo non captatur, peti se iudicet, nullumq; momentum immune à metu habeat*: & Libanius superiùs adductus. *Non satis prudenter consilio inito descenderunt ad mulctas, quæ mulctantes ipsos mulctarunt, & fatebantur res suas in deteriore conditione esse, quòd nesciuerant deos imitari. Nam dij ipsis quotidie condonant quædam verba aduersus se prolata.* Hæc ille & alia.

Iob. 18. 4. LXX. *August.* *Ioan. 21. 21.* *Senec.* *Libanius.*

Ad ea verba,

Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum.

Egregium virtutis, & iustitiæ specimen Principem dare, cùm optimos, & dignissimos, in Præfectas, & Magistratus deligit.

ADNOTATIO XIII.

1 EN pulcherrimum iustitiæ opus, Principem, in deligendis Reipub. Magistratibus, Iudicibus, Præfectis, non gratiæ, non fauori, non opibus, aut nobilitati quidquam dare, sed probissimos quosque à morum integritate, prudentia, & eximia sapientia, & B litteris commendatos, muneribus, & Præfecturis (Lamprid.) præficere, ad instar optimi Imperatoris Alexandri Seueri, de quo in eius vita Lampridius. *Præsides verò, & Proconsules, & Legatos numquam fecit ad beneficium, sed ad iudicium, vel suum, vel Senatus.* Quid enim iustitiæ, & gratiæ, siue rem meritis debitam, & merita exigenté fauori dare, eaque beneficium conficere? Apage tale beneficium, quod Principe indignum, & ab officio, & iure alienissimum est. Audiat mundi Dominum matri filiorum Zebedæi ei suggerenti: *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo*: minimè erubescentem respondere. (Matt. 20. 23.) *Sedere autem ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare vobis.* Matthæi 20. 23. Sed quare *non est meum*? Num quòd minor Filij, quàm Patris dignitas aut potestas sit? (vt insanè triumphabant hîc Arriani) aut quòd sedes singulis diuidere ad Christum non pertineat? minimè quidem: cùm potiùs (Ioan. 5. 22.) *Pater omne iudicium dederit Filio*, Ioann. 5. 22. sed quòd æquè Christi, ac Dauidis diuina vox fuerit. *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum*: ac proinde eius non sit, gratiæ dare quod iuris & iustitiæ est. Quare expende quid bona mater petierit, (Matt. 19. 28.) *vt sedeant ad dexteram tuam, & sinistram*: iudicandi videlicet munus: id enim *sedere* est, vt Matth. 19. 28. *Sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes*, &c. Vnde signatè Dominus; *Sedere autem ad dexteram*, &c. *non est meum dare*, vt dixerit, etsi summus Princeps, & quod plus est, Dei Filius, Deus de Deo, & Patri consubstantialis sim, non possum rerum ordinem & iura, siue etiam naturæ leges transgredi, vt quod proprium iustitiæ est, carni & sanguini, siue fauori, & gratiæ tribuam; & præfecturas ad beneficium, non ad iudi- (Basil. Sel.) cium dederim. Expressit hæc bellissimè S. Basil. Seleuciens. orat. 24. vbi cùm interrogasset. *Cur ergo vnus es cum Patre Creator, cum Patre consides, cum Genitore simul gubernator es, excitas à mortuis vt ille, quos vis, viuificas vt ipse, & modò dicis*, non est meum dare; *cur?* ita opportunè respondet. *Quia remuneratio accipientis meritum consequitur, non solùm facultatem donantis, thronus laborum præmium est, non ambitionis donum gratuitum: ex rectè gestis thronus comparatur, nudam postulationem datio non consequitur: monstra meritum tuum, & meam intuere potestatem.* Opportunè omnia. Sed extrema hæc *Monstra meritum tuum*, &c. opportunissimè, ac si dixerit Dominus; ne me potentem ad munera, & præfecturas dandas intuearis, nisi opportuna illis adipiscendis merita priùs ostenderis: nam officia confundere, & quod iustitiæ est, ad gratiam reuocare, *non est meum*. Sed dum ait Dominus, *non est meum, sed quibus paratum est à Patre meo*: num aliam ab hac potestatem, aut voluntatem Patri adscripsit? existimasne, aliam summo Patri mentem, aliudve iudicium subesse? Minimè quidem

A dicente de Domino Ioann. 13. (Ioan. 13.) *Sciens quia omnia posuit Pater in manus*, vt dixerit, quidquid potest Pater, potest similiter & Filius: quod Filij non est, nec Patris quidem esse potest: ex quibus illud omnino inferas cum Tertulliano, solius diaboli esse munera, & honores iustitiæ debitos, ad gratiam distribuere: nam *quod Dei non est* (ait ille) *diaboli est negotium.* Nec omittenda, quæ statim subiicit Basilius. *Si reperero quod his condignum sit, tunc est meum dare: vocant enim dantis potestatem accipientis merita*: vt dixerit, potestatem non vocare, sed respondere: nec aliò ire posse, nisi eò vnde meritis interpellauerint. Quam profectò sententiam disertis etiam expressisse Regem Athalaricum apud Cassiodorum lib. 9. epist. 22. cùm ait. (Cassiod.) *Electio nostra de meritis venit: & tanto quis regali animo approximatur, quanto bonis studiis societate coniungitur.* Sic ille Rex.

2 Sed & rursus hanc doctrinam discet opportunè Princeps à summo rerum Conditore in ipso mundi exordio inter potestates siue Præfecturas distribuendas, & inter beneficia conferenda signatè distinguente. Sic enim Genesis capite primo versu decimo sexto. (Genes. 1. 16.) *Fecitq; Deus duo luminaria magna, luminare maius vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas, & posuit eas in firmamento cæli, vt lucerent super terram.* Vides duobus luminaribus magnis Præfecturas diei, & noctis non tam ad beneficium, quàm ad iudicium datas, quòd tantæ dignitatis capaces essent, secùs verò stellis non tam Præfecturam, quàm splendorem ad beneficium impertitum, *vt lucerent super terram*: vt Principibus documento sit, aliud quidem esse, homines Præfecturis præficere, aliud dona amicis conferre, siue splendorem, & opes dare; nam vt hoc *ad beneficium*, ita illud non nisi *ad iudicium* faciendum est: det ergo Princeps amicis, & familiaribus de ipso benemerentibus beneficia, det dona, & splendorem, vt C luceant, & splendidè degant, at potestatem, & publica munera, *vt præsint diei, ac nocti*, non stellis, sed maioribus luminaribus, non ad beneficium, sed ad iudicium, vel suum, vel Senatus tribuat. Concinit huic cogitationi Tertullianus libro secundo contra Marcionem capite duodecimo de tota rerum creatione, & collocatione à Deo facta, sic loquiens: *Bonitas operata est mundum: iustitia modulata est*: vt diserit primam creaturarum molitionem, siue è nihilo eductionem *ad beneficium* quidem factam, at subinde, locum & dignitatem singulis constitutum, ad iudicium spectasse, vt cuique quod suum est modulatè & concinnè daretur. Quare subiicit. *Iustitiæ opus est, quod inter lucem, & tenebras separatio pronuntiata est inter diem, & noctem, &c. inter luminaria maiora, & minora, diurna atque nocturna*: Obserua id *iustitiæ opus est*: sicut & illa, *iustitia modulata est.* Quòd si ambigas quâ ratione iustitiæ, & non potiùs bonitatis opus D fuerit, eam lucis lanceam Soli attribuisse, quâ alia omnia luminaria superarit, ac proinde diei præesse meruerit? Respondebo, à bonitate quidem lucis robur Soli inditum dimanasse, *Bonitas quippe operata est mundum*; at potestatem in diem, & Præfecturam lucis; iustitiæ iam opus fuisse, quæ munus, & dignitatem ad iudicium dedit, quòd illud præ minoribus luminaribus Sol fuerit prometitus: ad eum pene modum, quo Augustinus inter gratiæ, & iustitiæ opera, quibus Deus homini primùm non merenti benefacit; deinde verò merentem coronat, sapienter ait libro de gratia, & libero arbitr. cap. 6. *Cui redderet coronam iustus iudex, si non donasset gratiam misericors pater?* (August.)

3 Et verò cùm Princeps Christi exemplum, & verba secutus, honores ad iudicium, non ad beneficium distribuens, iis qui non virtute, sed fauore ambiunt,

nit: *Non est meum dare vobis*: nullo modo existimare debet, ideo ipsom, aut in ordinem cogi, aut aliquam regiæ dignitatis partem amittere; quasi id sit regnare, res suas suas, sine aliorum pro arbitratu, & libidine versare, & distribuere: cùm potiùs hac omnino ratione, verum, & legitimum Regem, regiâ, immò diuinâ auctoritate fungentem sese exhibeat, vel quid Sedechiæ Regi Dei nomine minitatus fuerit Ezechiel, audiat: sic enim ille, cap. 21. 25. *Tu autem prophane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita. Aufer cidarim, tolle coronam*: id est, vt omnes explanatores interpretantur, depone coronam, & regia insignia; neque enim iam tibi in regio ordine viuendum est: cùm tempus supplicij, vt de tuo capite corona cadat, ad maturitatem iam aduenerit. Sed quam ob causam? subiicit; *Nonne hæc est, quæ humilem sublenauit, & sublimem humiliauit*? vt dixerit: Nonne hæc est corona, quæ pro regia potestate non pro iustitia & ratione ad honores euehit, & ab honoribus deiicit quos vult? Cur ergo iam de regio capite non cadat, cùm à regia dignitate deflexerit, nec munus suum obeat? Sic hæc explicantibus Hieronymo, & Theodoreto: Quorum prior ait: *Nonne hæc est cidaris, & hæc corona, quæ nihil fecit iudicio, sed ad imitationem Regis Babylonij quos volebat, exaltabat; & quos volebat humiliabat*? similiter Theodoretus: *Quod excelsum erat, propter virtutem depressisti quod humile erat, propter iniustitiam extulisti*: vbi imprimis obiter obserua: tunc tempus supplicij à Rege exigendi maturuisse, cùm iustitiâ, & ratione posthabitâ, honores pro libito, & potestate conferebat: Deinde duo pro rei opportunitate, & regio munere expende; alterum in Hebræo ea verba *Nonne hæc est, quæ humilem sublenauit*? &c. sic omnino legi: *Hæc, non hæc*, sed quæ (inquis) hæc antilogia fuerit? nam si *hæc* signatè: quomodo *non hæc* fanè, vt apertissimè dixerit Dominus; Hæc corona, quæ honores ad beneficium, non ad iudicium dat, non est corona, nec regium insigne; cùm regium munus non expleat: alterum, notantes prophanum à Domino appellatum fuisse eum Regem: *Tu autem prophane*, &c. Cur? an, vt aliqui volunt, quia iotum cum Chaldæis fœdus violauit? aut, vt alij, quòd antea à sacra vnctione sacer, iam cædi obnoxius, prophanus esse erat? non opinor; sed hac eadē potius ratione, quòd tunc se putaret regnare, cùm pro suo arbitratu honores, & munera indignis impertiretur: nimirum Rex ideò à Deo eligitur, vt ipsius imago sit: tunc verò ipse Dei personam, & vicem signatissimè gerit, cùm hominibus pro ratione meritorum præmia, & honores confert, vti lib. 3. adnot. 18. adductus S. Cyrillus Alexand. Theodosio Imperatori hunc in modum suggerebat. *Supremum humanæ gloriæ culmen Christianiss. Impp. longè maximo discrimine cæteris omnibus antecedens, præstausq́, præclara inde sori, munuq́, perillustre à diuina excellentia in vos desfluxit, nempe quò summa illius celsitudinis, & dignitatis aliquod quoque vestigium, & quasi simulacrum in terris exstaret. Vos etenim omni terreno fastigio superiores, amplissimarum dignitatum fontes estis*: ergo, si inde Dei imago, & sacrum quid, ac veluti diuinum est; necessariâ ratione concluditur, illum ab hoc præscripto discedentem, prophanum habendum fore: quod planè videtur innuisse Hieronymus cùm Sedechiam Regem aliùs populi Deo sacrati, & sacro oleo vnctum, cum Rege Babylonis, qui prophanus, & barbarus erat composuit, inquiens: *Nihil fecit iudicio, sed ad imitationem Regis Babylonis, quos volebat, exaltabat*, quasi eodem vterque modo honores, & munera distribueret.

Ezech. 21. 25.

Hieron.

Theodor.

Lect. Heb.

Cyril. Alexand.

Hieron.

4 Ad hæc Princeps, vt nihil Reip. vtilius, nihil ad eam stabiliendam opportunius; ita nihil sibi honorificentius fecerit, quàm præfecturis dignissimos præficere. Enimverò; si imprimis ad Reipub. incrementum, & ipsorummet munerum splendorem, & dignitatem inspicias, oraculum fuerit, quod apud Stobæum, serm. 44. gentilis Iamblicus inquit. *Omne honoratum augetur, contemptum imminuitur, & hoc est signum clarissimi imperij bene administrati: promouet enim subditos ad honesta studia, dum conuenientem singulis dignitatem attribuit*. Ad quem modum Symmachus lib. 10. epist. 25. *Ornamentis bonorum incitatur imitatio, & virtutis æmulatio alitur exemplo honoris alieni*. Quid quod, vt regio ore inquit Constantius Imperator, cùm vnum quempiam benemerentem debito honore Princeps afficit, de omnibus in vniuersum bonis optimè meretur: vtpote virtutem, & merita, quæ illis communia sunt honorans. Sic namque ille Princeps in oratione de Themistio in senatu habita: *Quin potius, si quomodo se res habet dicendum est, quando vnum quempiam honore afficio, de vniuersis benè promereor. Nullum namq; beneficium cum ratione, & iudicio datum, illum tantùm sit, qui id accipit, sed omnibus in vniuersum tamquam præmium similium laborum proponitur*. Egregiè omnino, & quod res est, dixit Constantius: quibus illud adiunxeris à Lampridio de infami Imperatore Heliogabalo adnotatum, corruptas ab illo, ac dedecore affectas publicas dignitates, dum illis indignos, & immerentes præfecit: ita enim ille in eius vita cap. 11. *Præsides, Legatos, Consules, Duces, omnes dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum*. Benè polluit, splendorem videlicet dignitatibus, & dignitatem auferens, dum quod virtutis erat præmium, perditorum hominum mercedem, & beneficium fecit: vnde notantes ab eius successore Alexandro Seuero egregio quidem Principe, illis amotis purgatas, & purificatas ipsas fuisse dicuntur: sic enim Lampridius in Alexandro Seuero. *Vbi ergo Augustum agere cœpit Imperium, primum remouit iudices omnes à Republica, & à ministeriis, atque muneribus, quos impurus ille Heliogabalus ex genere hominum turpissimo prouexerat: deinde senatum, & equestrem ordinem purgauit, ipsas deinde tribus, & eos qui militaribus vtuntur prærogatiuis purgauit*. Hæc ille.

5 Porrò ab hoc honestissimo Præfectorum delectu, Principis virtutem atque iustitiam à subditis signatè dignosci, & commendari, extra omnem dubitationem fuerit: sic namque Democritus apud Stobæum sermone 44. absolutissimè dicebat. *Iustitia, & virtutis maximam partem habet, qui honore dignos honorat*: & de seipso apud Cassiodorum lib. 6. epist. 23. Rex Theodoricus cùm dixisset; *Hoc cunctis laudibus meretur efferri, quod diuersarum ciuitatum decora faces apris administratoribus videtur ornari, vt & conuentus nobilium occursione celebri colligatur, & causarum nodi iuris disceptatione soluantur*. Subiicit. *Exeunt à nobis dignitates relucentes quasi à sole radij, vt in orbis nostri parte resplendeat custodita iustitia*: omnino innuens Principem dignitates, & munera aptis magistratibus ornantem, & splendidas reddentem, simul seipsum pulcherrimum Solem, puritatis, & iustitiæ assertorem, & vindicem ostendere, à quo virtutis, & iustitiæ radij tamquam illius pars exeant. Porrò vt à radiis & luce sol ipse tanquam luminare maius, & fons luminis esse cognoscitur; sic omnino Princeps iustitiæ, & virtutis maximam partem habere creditur, cùm honore dignos honorat, & Magistratibus præficit, sic quidem ipsemet Sol iustitiæ à nostro Vate, *Speciosus formâ præ filiis hominum, & in cuius labiis gratia fuerit diffusa*, ac proinde à Deo.

Stobæus.

Symmach.

Constant.

Lamprid.

Stobæus.

Cassiod.

à Deo in æternum benedictus inducitur Psalmo 44. 3. nec tamen à populis eximiè laudatus, & concelebratus dicitur, donec ab ipso relucentes dignitates veluti à sole radij crinisse perhibeantur; sic namque vers. 17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui in omni generatione, & generationem.* Ad quæ verba S. Cyrillus Alexand. *In ordine Patrum discipuli sapientissimi Ecclesia prapositi sunt, ideò hi sunt Principes in omni terra.* Quid verò hinc iam subiicit Vates? *Propterea populi confitebuntur tibi in sæculum, & in sæculum sæculi:* ob istam causalem illam *Propterea*: quia omnino inquit Vates, quòd Ecclesiæ, ac publicis muneribus sapientissimos & optimos quosque præposueris, miris ab vniuersis populis laudibus celebraberis, eximiamque iustitiam, & sanctitatem tuam omnes agnoscent, & impensis studijs omni semper tempore prædicabunt: sic hæc omnia breuiter complectente Chrysostomo ibi. *Propter quenam? quòd tales Principes constitueris, &c.*

6 Vnde quidem, si benè æstimas, ea, quàm priuatis hominibus importunè, & insanè infisam in honoribus, & præfecturis perendis ambitionem videmus, opportunè omnino, & sapienter ad Principes in iisdem honoribus, & muneribus dandis transiret, vt quanto studio & ardore illi honores, tanto isti homines honoribus aptos ambirent: maiorem quidem inde sibi gloriam, & dignitatem, quàm ambitiosi ea honoribus aucupantes. Cui cogitationi ipsummet cælum, siue, vt dixerim, quod res est, cæli Dominum applaudentem vide, cùm Saulum *tanquam lupum nectarnis tenebris oberrantem* (sic Ambrosius libro de Benedict. Patriarcharum cap. vlt.) *effusâ luce cæcatam* sibi vendicauit: sic namque hac de re Luc. 9. 3. *Et cùm iter faceret, contigit, vt appropinquaret Damasco: & subitò circumfulsit eum lux de cælo:* & ipsemet Paulus hanc lucem accuratiùs describens Actuum 26. 3. *De cælo* (inquit) *circumfulsit me lux copiosa:* & vers. 13. *Vidi de cælo supra splendorem Solis circumfulsisse me lumen:* vbi obserua lucem figuratè *de cælo* venientem, nec tam occurrentem Paulo, quàm eircumquaque ambientem: ad eum planè modum, quo Salomon diuinam sibi sapientiam exoptans, & ambitiosè procurans, dicebat: *Cogitans apud me, & commemorans in corde meo, quoniam immortalitas est in cognatione sapientia, & præclaritas in communicatione sermonum ipsius, circuibam quærens, vt mihi illam assumerem.* Sapient. 8. 18. notantes *circuibam*, quòd non solùm ardenter amatum est, qui domum sponsæ millies circumire, & perlustrare solent; sed etiam candidatorum, siue ambientium, siue etiam mercatorum, & negotiatorum, qui ardore diuitiarum, & honorum circuire solent mare, & aridam, vt voti cõpotes euadant: compone ergo cum Salomone sapientiam circumdante, lucem circumfulgentem Paulum, vt quemadmodum illam Rex sapiens accuratissimo, & ardentissimo studio ambibat, ita & lux cælestis, ipsa scilicet cælestis beatitudo, siue etiã ipsemet gloriæ Dominus ardenter circuiret, & ambiret Paulum, illum sibi tanquam egregiam dignitatem vindicaturus: ita id adnotante Photio apud Oecumenium. *Ambibat Paulum præuenient gratiam cælestis gloria:* pulchrè *ambibat Paulum*, quasi honorem, quasi dignitatem, & gloriæ gloriam, & ornamentum, quid enim dignius? honorificentius? gloriosius? quàm dignos eligere, & egregium iudicij specimen dare? Sed id iam ab ipso Salomone audi: sic enim ille de diuina sapientia disertissimè. *Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, & in vijs ostendit se hilariter.* Sapient. 6. 17. En diuinam lucem non Paulum solùm, sed dignos seipsa ambientem, vt omnino ostendas locum, vbi ambitio opportunè sit, omitto apud ipsos Principes egregiam Velasquez in Psalm. centesimum.

proſectò laudem, eximiumque ornamentum consecuturos, si optimos atque dignissimos honoribus præfecerint: erat id quidem omnino persuasum bono Imperatori Valentiniano, dum apud Theodoretum lib. 4. historiarum cap. 6. mirè sibi plaudebat, quòd Ambrosius, quem ille Mediolanensi vrbi Præfectum designarat, eiusdem vrbis Episcopus à Deo factus fuisset: sic namque ipse ea de re gratias Deo agens dixisse fertur: *Gratia tibi sit Domine omnipotens, & Saluator noster, quòd cùm ipsi corpora huic viro commisissem, tu ei etiam animas commendasti: vtrumque declarasti, meam iustam fuisse sententiam.* Secùs quidem Hadriano Imperatori euenisse omnimos, qui cùm Ceionium Commodum adoptasset, atque in Consulem delegisset, cùm postea minus sanum videret, sæpissimè dolentes dictitabat: *In caducum parietem nos inclinauimus*: vt Spartianus in eius vita memoriæ prodidit.

Ad eadem verba,

In medio domus meæ.

Princeps præmia, & supplicia omnibus æquâ lance sine personarum acceptione decernat.

ADNOTATIO XIV.

1 ILLA quidem perpolchrâ ratione omnes ad se homines quos iugo suo subdere ceruicem optabat Dei Filius, efficaciter alliciebat: *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Matth. cap. 11. vers. 29. Nimirum Græca vox, quæ voci *iugum* respondet (vt statim ex Clemente Alexandrino constabit) æquè significat iugum, ac stateram, vt legis suæ suauitatem, & imperij felicitatem non eò solùm Dominos referret, quòd ipsius iugum maximè sit librarum, onerisscilicet viribus commensuratum, atque respondeos, vt in adnotatione de tributorum exactione expendimus, sed etiam, quòd ipse æqualitate librarũ suis subditis prospiciat, nullius omnino personam, siue in præmiis, siue in suppliciis inferendis accipiens, aut excipiens: sic hæc verba expendente Clemente Alexandrino lib. 5. Stromatum hunc in modum. *Etenim, quæ à Moyse dicta sunt de iustitia compendium fecit Pythagoras, dicens: stateram non esse transiliendam: hoc est, non prætergrediendam esse æqualitatem, quæ versatur in distributionibus honorando iustitiam. Propterea Dominus: Tollite inquit iugum meum super vos,* quoniam benignum est, & leue. Ita ille: vbi non modò video diuinæ legis rationem, gubernationisque œconomiam ad instar stateræ esse, æqualitatem inter omnes constituentis, quin à iustitiæ mensura, siue à beneficentiæ ornamento aliquem submouet, sed etiam hac ratione, & modo tum iustitiam signatissimè honorari, quæ statam in manu habens, vt cuique suum reddat, omnes omnino respicit, tum etiam hinc maximè suaue, & leue, siue diuinæ, siue humanæ gubernationis iugum reddi; cùm sciat vnusquisque non pro fortunæ suæ conditione, quæ eius in manu non est, siuè pro fortunæ arbitrio, quæ, *vt varia, & libidinosa mancipiorum suorum negligens domina* (sic scitè loquitur Seneca in consolatione ad Marciam cap. 10.) *& punit, & muneribus errat*; sed pro virtute, & meritis iudicandum, atque remunerandum fore. Certè vt Hieronymus alibi adductus, tam ea cælestis Patris imitatione, quàm ex iis verbis Pauli ad Gal. 6. vers. 10. *Operemur bonum ad omnes*, beneficentiæ æqualitatem sic omnibus generali oratione ingerebat: *Ne quis in largiendo dicat, ille amicus est, hunc nescio, hic debet accipere, iste contemni,*

sed imitandum, ait, Patrem cælestem, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. *Fons bonitatis omnibus patet, seruus, & liber, plebeius, & Rex, diues & pauper ex eo similiter bibunt: lucerna cùm accensa fuerit in domo omnibus lucet æqualiter:* Symmach. ita id monitum Principibus Symmachus, & Plinius sub eadem lucis vmbra, siue imagine dabant: sic namque ille lib. 9. epist. 1. *Sicut omnibus in hac vita positis, ac locatis commune est cœli spiritus lux diei, ita clementiam maximi Principis sentiant vota, & facta cunctorum.* Plinius Plinius verò in Panegyrico de Traiano. *Vt Sol diei non parte aliqua, sed statim totus, nec vni, aut alteri, sed omnibus in commune profertur.*

2 Quid hæc sibi velint, & quonam modo Princeps omnes æqualiter suos sine personarum acceptione respicere debeat, tacitè mihi accuratâ sententiâ visus est explicare Dominus, cùm de cælestibus spiritibus verba faciens apud Matth. cap. 18. 10. inquit. Matt. 18. 10. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Vbi cùm de insigni dignitate, atque præstantia Angelorum, qui paruulos custodiendos suscipiunt, loquatur Dominus, vt inibi Chrysost. & Origenes adnotarunt, mirum alicui videatur: cur supremæ eorum excellentiæ, sapientiæ, fortitudinis non meminerit, nec cælestis aulæ Principes esse diserit; sed signatè affirmauerit Dei Patris faciem videre? est tamen duplex ad manum ea Christi sensu digna responsio. Altera, id solùm à Domino, de ipsius more, hominibus fuisse ob oculos propositum, quod vnicè, & verè in bonis est, nempe Dei faciem videre, & æternam salutem consequi, quæ vera quidem sapientia, fortitudo, dignitas, & principatus fuerit, & sine qua omnia quotquot sunt, nihil sunt. Altera, id à Domino de Angelorum dignitate notatum fuisse indicatum, quod æquè illis, ac hominibus commune est: cùm Dei visio æquè hominibus, atque Angelis in meritorum suorum præmium, atque retributionem proponatur: ideò de hominibus beatis Dominus, Luc. 20. 36. Lucæ cap. 20. vers. 36. diait: *Aequales enim Angelis sunt:* imò verò etius naturæ sit, vt in ea possit homo Angelo anteire, atque præferri, quippe cùm valeat maiora, quàm Angelus meritа, atque virtutes afferre, potior etiam atque præstantior in Dei visione ea de causa esse poterit: grandioribus enim meritis, clarior, atque perfectior Dei visio respondet. Qua sanè de Chrysost. re egregiè disserit Chrysostomus homil. 32. in Acta: vbi de homine hæc ait inter alia. *At hoc certè maius, quia vt fiat & Deus, & Angelus, & Dei Filius, potestatem ipse accepit.* Et post pauca. *Attamen si virtus Angelos facit, vtique Angelos possumus facere, etsi non naturâ, certè proposito, & electione: nam hoc quidem absente nulla vtilitas est Angelis esse naturam, id quod diabolus indicat, qui antea Angelus erat. Hoc autem præsente nullum damnum est esse hominem naturâ, vt in Ioanne, & Helia perspicuum est, qui in cælum ascendit, & omnes habitatori sunt illic.* Pergit verò Chrysol. Chrysol. & hominem pudicum Angelo sic antefert serm. 143. *Si vultis scire, Angelicam gloriam acquirere, maius est quàm habere.* Hæc iam nostro instituto sic aptes, vt ex Christi imitatione, id quod omnium maius bonum, & eximium est, Dei scilicet visionem, æquè Angelis, & hominibus pro meritorum ratione proponentis, bonus Princeps maiora, & potiora munera, officia, magistratus, dona, omnibus indiscriminatim, sine personarum acceptione, pro virtutum, & meritorum qualitate obtinenda proponat, atque decernat: nec ad personas, & homines, sed ad merita, & virtutes, vbilibet inueniantur, attendat. Ita quidem Arnobius dicebat sapienter Arnobius lib. 6. aduersus gentes. *Magnarum est mentium pari pradere functos laute, & indiuiduas cunctis beneuolentias exhibere.* Contrà verò mali gubernatoris, & iudicis fuerit, personam pro persona, non pro causa, præmio, siue supplicio afficere, vti de Principibus Pharisæorum Christum criminantibus, quasi in Beelzebub eiiceret dæmonium, ipse pulchrè eus reuincens dicebat. *Si autem ego in Beelzebub eiicio demonia, filij vestri in quo eiiciunt*, Luc. cap. 11. Luc. 11. 19. Chrysost. vers. 19. quod sic expendit sapienter Chrysostom. homil. 42. in Matthæum. *Tale ergo est quod dicitur, si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, Apostoli, & discipuli mei, in quo eiiciunt? expulerant iam discipuli demonia potestate illis à Christo datâ, neque ipsos criminabantur, non enim rem, sed personam persequebantur.* En malos Principes, qui personam, non merita persequantur, siue præmiis afficiant. Alia quidem mens erat Theodohado Regi apud Cassiod. lib. 10. epist. 5. æqualem, iustamque statera omnibus subditis suis sic proponenti. Cassiod. *Potestatis nostræ censuram rerum volumus esse modestiam, vt quantum diuina beneficia percepimus, tantum æquabilia plùs amemus. Priuata siquidem studia à nostro animo probantur exclusa, quia generalis dominus custos factus sum, Deo auxiliante, tractorum.* O verè regias voces!

3 Quò sanè mirè facit cælestis Sponsi venter, prout Cantic. cap. 5. vers. 14. sic describitur: *Venter eius eburneus, distinctus saphyris:* quâ quidem imagine, & Cant. 5. 14. mollissimus Christi affectus quo homines complectitur, & *viscera misericordiæ, quibus tunc primùm visitauit nos oriens ex alto*, Luc. 1. 78. tum etiam indesinenter fouet, & modis omnibus prospicit, omnino exprimuntur: sed obseruare est operæpretium pulchram quorundam lectionem apud Genebrardum ibi, quæ Luc. 1. 78. Genebrar. facta allusione ad cælestem Zodiacum, quem astruunt Astrologi, sic habet. *Viscera eius sicut ciagulum medium, in quo stant duodecim similitudines syderum.* Quæ sanè eò inerit, vt quemadmodum in Zodiaco omnis generis animantia, terrestria, aquatilia, fera, rationalia, atque mansueta à nobis concipiuntur, siue confinguntur, ad hunc modum, *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces.* Ita à Dei visceribus omnes omnino homines, siue parui illi fuerint, siue magni, siue reges, siue rustici materno aff-ctu consoueantur: inde omnes pro suo modo, & ratione vitam, & spiritum hauriant, quin aliquis, qualiscumque is sit, eius beneuolentiæ, ac prouidentiæ expers habeatur: sic ipsum omnino videris dedisse *potestatem Filios Dei fieri iis, qui crêduat in eum*, quotquot tandem ij fuerint. Ioannis Ioan. 1. 12. cap. 1. vers. 12. Quòd si hæc è Canticorum vaticinio in historiam translata videre velis, quid Petro vetustatis legibus imbuto, eaque de causa Dei gratiam intra Iudaici populi terminos coercenti monstratum fuerit, attende apud Lucam Actuum cap. 10. Act. 10. 11. vers. 11. *Et vidit cælum apertum & descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terra, & volatilia cæli.* Vides cælestem Zodiacum omnia animantia complectentem? pende modò linteum illum omnia hæc animantia sustinentem, & cooperientem: & de eo quidem sic censet Hilarius canon. Hilarius. 33. in Matthæum eundem omnino esse cum mundissima illa sindone, in qua Dominicum corpus à Ioseph inuolutum, ac sepultum fuit. *Hic mundâ sindone corpus inuoluit; & quidem in hoc eodem linteo reperimus de cælo ad Petrum vniuersorum animantium genera submissa. Ex quo fortè non superfluè intelligitur sub lintei huius nomine consepeliri Christo Ecclesiam, quia tum in eo vt in confusione Ecclesia, mundorum, atque immundorum animalium fuerit coagesta diuersitas.* Sanè quòd bonus Dominus omnes paterno affectu complectatur, omnibus pater, & amicus, & Princeps sit, qui propriâ eos sindone excipiat, foueat, cooperiat, & à morte in vitam reuocet:

cet? quippe idem omnino fuerit à Christi ventre in lucem edi, & potestatem habere, vt Filij Dei fiant, ac cum illo in mortem à qua vera vita oritur sepeliri, dicente Paulo: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt in nouitate vitæ ambulemus*, ad Rom. 6. 4. Rom. 6. 4. Iam in præfata Zodiaci imagine obserua, inter ea signa, quæ animalium similitudinibus adumbrantur, mediam notanter appingi libram, vt argumento fuerit, Deum in generali prouidentiæ suæ gubernatione æquè omnibus prospicere, æqualemque in præmiis, ac suppliciis inferendis sese omnibus exhibere. Quod disertis odoratum Cyprian. Cyprian. epist. 59. ad Fidum, dum ait: *Nam Deus, vt personam non accipit, sic nec ætatem, cùm se omnibus ad cælestis gratiæ consecutionem æqualitate librata præbeat patrem* (siue vt alij malunt legere, *parem*) sic ille. En pulchram quidem Principis mentem, atque mensuram æqualitate librata parem se, & patrem omnibus præbentis, vt de gentili Imperatore Traiano hunc in modum dicebat Plinius in Plin. Iun. Panegyrico. *Tam æqualis ab omnibus ex aduenta tuo lætitia percepta est, quàm omnibus venisti*: nec aliter de Pacatus. Theodosio etiam nostro Pacatus. *Vt te omnibus Principem, singulis exhiberet Senatorem, vt crebro, ciuiliq; progressu non publica tantū opera lustraueris, sed priuatas quoque ædes diuinis vestigiis consecraueris.*

4 Sic equidem diuina sapientia apud Ecclesiasticum cap. 24. 11. de seipsa dicebat. Eccl. 24. 11. *In omnibus requiem quæsiui*. Sed quid est requiem quærere? Planè diligere, & iis quos diligis amoris signa exhibere: dixit quippe Bernard. in epist. 90. ad Ogerium: *Quos amamus in* Bernard. *ipsis profectò requiescimus*. Pende verò vbi hanc requiem quærat bonus Princeps? *in omnibus* inquit, vt non hunc, aut illum, sed omnes omnino diligat, cunctisque benefaciat. Audi eundem Bernardum serm. 3. in festo Sanctorum omnium hunc sensum iis verbis sic dantem. *Vis nosse quò eat Agnus? & quò necesse habeant beatæ animæ sequi eum?* In omnibus requiem quæsiui. *Hæc est planè requies Domini, non intercisa, non circa aliquid certum restricta, quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur: in omnibus requiem quærit, & inuenit*: bona quidem requies, bonus amor, opportuna beneficentia *non intercisa, non circa aliquid certum restricta*: sed æquè omnibus exposita, vti ipsemet Dominus accurata locutione dicebat. *Ego autem* Luc. 22. 27. *in medio vestri sum*, Luc. 22. 27. Notetur dicendi modus *in medio vestri*: id est tamquam circuli medium, siue centrum, à quo omnes lineæ ducuntur ad circumferentiam æquales: æqualiterque ab eo distant: sic Theophyl. hæc efferente Theophylacto ibi: *Neque ego vni quidem seruiui, alteri autem non seruiui, sed ex æquo omnibus vobis.* Vis oculis ipsis videre? audi quid post egregium illud miraculum, cùm quinque hominum millia ex duobus panibus saturauit Dominus, Ioannes referat. *Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerant duodecim cophinos fragmentorum.* Ioan. 6. 12. 13. Ioan. 6. 12. & 13. Sed cur ex quinque panibus duodecim superfuere cophini, non plures, nec pauciores? Quæ huius numeri ratio, siue proportio fuerit? Respondet inibi ex PP. Maldonatus hunc in modum. *Duodecim cophinos* Hieron. Chrysost. Theophyl. Euthym. Maldon. *superasse propterea Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius existimant, quia duodecim erant Apostoli, vt etiam Iudas, inquit Chrysostomus, suum cophinum ferret.* At cur deceret (inquis) Iudam suum etiam cophinum æquè ac alios, qui eo digni erant ferre? Respondeo, non decebat quidem is honos Iudam, at decebat Dominum sic in medio discipulorum esse vt cæteris cophinum suum ferentibus, Iudas vacuus, inglorius, tristis, & submurmurans non abiret. Is enim germanus Princeps est, quem singuli peculiari ratione suum Regem, id est, qui beneficas in singulos vires effundat, omnino experiuntur. Qua Gregor. quidem ratione Gregorio Magno signatè ex nomine placuit Melchisua filius Ionathæ filij Saul, quòd in- 1. Reg. 14. 49. terpretetur *Rex meus*, 1. Reg. 14. 49. sic eam inibi his verbis ipso vrgente *eam à subditis nominatur, non Rex noster, sed* Rex meus *dicitur. Quid est ergo quòd* Rex meus *dicitur, nisi quia tam familiaris debet esse omnibus, vt singulorum esse per amorem sentiatur?* Subdit elegantissimè; *sed qui meus dicitur,* Rex *nominatur, quia quod præeminet non videtur esse suum singulariter, sed speciale singulorum, cùm tam communis per gratiam esse nititur, vt eius celsitudo propria vniuscuiusque esse videatur.* Sic Gregorius.

5 Hinc equidem Paulus Euangelij lucem Romanis illaturus notantissimè dicebat. *Ita (quod in me) promptum est, & vobis, qui Romæ estis, euangelizare. Non enim erubesco Euangelium.* Emphatica quidem sententia, & valde peculiaris Euangelij commendatio, illud non erubescere. Hæccine tota Euangelij laudatio, & præconium fuerit? Quò ergo it mens Pauli? Audi quam reddat rationem, cur non erubescat Euangelium, & egregiam, ac Paulo dignam sententiam videris: *Virtus enim* (inquit) *Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco*, siue, vt habet Lectio Lect. Syr. Syriaca. *Quoniam virtus Dei est ad salutem omnibus in ipsum credentibus, siue ex Iudæis primùm, siue etiam ex gentilibus.* Ad Roman. 1. 12. En dignam Euangelij com- Ad Rom. 1. 12. mendationem omnibus indiscriminatim hominibus salutem, gratiam, & vitam proponentis, simulque appositam rationem, cur Paulus accurata locutione diserte, illud se minimè erubescere, quòd videlicet eius Dei nomine agat, & annunciet, cuius virtus non vni tantùm vrbi, aut genti sit addicta, sed toti terrarum orbi sit: vt hæc omnino epitasis, & energia Pauli verbis insit. Erubescerem quidem, si eum vobis Deum annunciarem, qui personarum acceptor esset, & non pro meritis, sed pro libito hunc saluare, illum non saluare, huic benefacere, illi nihil boni reddere vellet: at enim cùm Deus, cuius Euangelium prædico, velit *omnes homines saluos fieri*, gratiamque, & virtutem suam omnibus ineundam proponat, fidenter, & aperta facie ipsum annuntio, & vobis colendum, adorandumque propono. Quid enim tali Deo sanctius? tali Principe æquius, iustius excogitari valeat? Sic penè ad eum locum Chrysost. Chrysost. inquiens. *Quamuis enim gentilis fueris, quamuis per omne vitiorum genus volutatus, quamuis Scytha, ac Barbarus, quamuis mera bellua, quamuis omnis rationis expers, & peccatorum sarcinis sexcentis onustus, simul atque de cruce sermonem excepisti, & baptizatus es, fit certè, vt illa omnia deleas.* Ita ille. Quæ plus plus diffundit August. in August. Enchirid. ad Laurentium: vt adstruat, quàm generali, & communi affectu omnes homines Deus velit saluos facere, eiusque virtus sit in salutem omni credenti. Audi. *Omnes* (inquit) *homines vult Deus saluos facere, hoc est omne hominum genus per quascumque differentias distributum, reges, priuatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, diuites, pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros, adolescentes, iuuenes, senes, in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum, & conscientiarum varietate innumerabili constitutos, & si quid aliud differentiarum est in hominibus.* Hæc Augustinus opportunè, sapienter, & eleganter.

6 Ergo is Deus, is Princeps sine rubore, siue verecundia ab eius ministris colendus proponitur, cuius virtus, potentia, atque beneficentia omnes sibi sub-

ditos respicit, atque complectitur, qui præmia, atque supplicia æquè sublimibus, ac humilibus, nobilibus, ac ignobilibus, diuitibus, & pauperibus sine personarum acceptione decernit; eaq́ue gubernatio omnium æquissima, & humanissima censetur, quæ merita, non personas attēdēs, humilibus, & ignobilibus pro meritis, & virtute dona, & munera impartitur. Cui rei iterum opportunè locutus est Apostolus in epist. ad Titum cap. 2. vers. 10. *Ad Tit. 2.10.* vbi dum ea signatè de causa seruos, qui Christo nomen dederant, ad rectè viuendū vrget: *Vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus.* Subiicit. *Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus.* Quod perinde fuit, ac si diceret, vt *Anselm.* interpretatur, atque elucidat Anselmus: Non est enim aliqua differentia liberi & serui, Græci, & Barbari, circumcisi, & præputium habentis, viri, & mulieris, sed cuncti in Christu vnum sumus, vniuersi ad regnum Dei vocamur, omnes post offensam Patri nostro reconciliati sumus: sed preme illud *doctrinam Sal-* B *uatoris nostri ornent*: cur enim serui potiùs, quàm liberi, & nobiles Christianæ doctrinæ ornamento, & decori sint? cùm potiùs hæc à Dynastis, & Principibus non mediocrem splendorem accipere videatur, vti alibi ex Iosepho ab Arimathia, *qui erat nobilis decurio*, Christi corpus à crucis ignominia vindicante Marci cap. 15. vers. 43. *Mar. 15. 43.* fusiùs obseruo. Sanè quòd ingens Euangelij, & Christianæ doctrinæ ornamentum fuesit, abiectissimæ conditionis seruos, æquè ac maximos Principes ad Dei gratiam, & cæleste regnum vocari: inde enim Dei iustitia, sanctitas, puritas, & humanitas maximè elucet.

Ad eadem verba,

Misericordiam, & Iudicium.

Optimus, & suorum amans Princeps, æqua & legitima tributa, & vectigalia ab illis exigit.

ADNOTATIO XV.

1 NOn tantùm misericordiæ, & charitati, quâ bonus Princeps commissos sibi subditos prosequitur, eam lenitatem, & moderationem in tributis, & vectigalibus ab eis exigendis, quæ regiis facultatibus sic consulit, vt populum supra illius vires grauari non patiatur, cum Ambrosio *Ambros.* in oratione de laudibus Valentiniani Imperatoris tribuerit, dum illius Principis erga suos amorem huc ipse sic reuocat: *Quid de amore prouincialium loquar, vel quo eos ipse complectebatur, vel qui ab iis consultori suo rependebatur? quibus nihil vnquam indictum passim est. Preterita inquit non queunt soluere, noua poterunt sustinere?* Sed etiam iudicio, quod accuratâ, & æquâ lance suum cuique ius tribuit, vt duo inclyti D Principes Herngius, & Theodoricus inferiùs adducendi disertè adnotarunt, dum hic *tributa iustissimo pensanda iudicio* inquit: ille ad ea imponenda *iudicium salutare* requirit. At enimverò, & iis qui de salutari, & iusto Principis iudicio in exigendis tributis sunt acturi, salutari, & accurato iudicio, siue examinato, libratoque sententiarum, ac verborum pondere opus esse censemus, ne aut Principum potentiæ omnia dare, aut ad indocti vulgi gustum, & plausum populi omnia recusantis loqui videantur: vt huic signatè instituto ille Monitor, siue Scriptor aptandus fuerit, qualem ex Isidoro Pelusiota, *Isid. Pelus.* & Cornelio Tacito Regiū familiarem alibi describimus: sic enim de illo Isidorus lib. 3. epist. 379. *Nec vanum, & arrogantem esse oportet, nec adulatorem, verùm vtriusque vitij excessum fugientem, liberum esse: sic nempe, vt nec in fastidium, & insolentiā* A *quispiam declinet, nec in seruilem quandam animi affectionem prolabatur.* Ad quem modum, & Tacitus etiam loqui videtur lib. 4. Annal. dum occasione M. Lepidi prudenter, ac moderatè in Aula se gerentis, ac proinde tam Principis, quàm cæterorum gratiam firmiter retinentis, inquit. *Dubitare cogor, fato & sorte nascendi, vt cætera, ita Principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis: liceatq́, inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium pergere iter ambitione, ac periculis vacuum.* Nec alia sanè ratione nauim inter hos scopulos direxisse Dominus videtur: etenim cùm Matth. 22. 15. *Matt. 22. 15.* Pharisæi rimam quærerent, *vt caperent eum in sermone* in nulla alia quàm in lubrica hac tributorum materia laqueos instruxerunt, hunc in modum: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum: dic ergo nobis, quid tibi videtur: licet censum dare Cæsari an non?* Vt videlicet quocumque inclinaret B Dominus, offenderet, aut populo, videlicet, qui tributa ægrè ferebat, aut Cæsari, qui exigebat, iniurius; & si verè æstimas, ad Cæsaris scopulum, qui periculosior erat, illum allidere studuerunt, eò enim hamus ille ibat, *& non respicis personam hominum*: notanter enim *personam*, & non personas dixerunt, vt ad Cæsaris contemptum ea adulatione inducerent. Quid verò tunc Dominus? *Reddite* (inquit) *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*: diuina planè sapientia responsionem suam non ad gratiā, sed ad ius, quod cuique suū reddit, omnino reuocans, quin vllam in partem declinare videretur: vnde ad hæc verba Hilarius can. 23. *Hilarius.* in Matthæum inquit. *O plenam miraculi responsionem, & perfectam dicti cælestis absolutionem! ita omnia inter contemptum sæculi, & contumeliam lædendi Cæsaris temperauit, vt curis omnibus, & officiis humanis deuotas Deo mentes absolueret, cùm Cæsari, quæ eius essent, reddenda decernit.* At enim vt videris, quàm lubricus hic sermo sit, audi C quomodo maligni isti insidiatores eundem Dominum, qui diuina sapientia eorum os modò obstruxit, postea versa pelle calumnia hinc structa in Passione sua sic onerauerint. *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari.* Lucæ 23. 2. *Luc. 23. 2.* At, ô boni, vnde locus? Num quòd custoditè & sub distinctione locutus est? siue quòd rem ad ius, non ad gratiam retulit?

2 Et primùm quidem iusta Principi deberi tributa, quæsito vocabulo tam Dominus, quàm Domino edoctus Paulus ad Rom. 13. vers. 17. *Ad Rom. 13. 17.* admonuerunt. Nam vt Christus Dominus respondit. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, sic Paulus inibi ait: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Notanter vtrobique opposito verbo *Reddite*, vt ad hunc modum expendit Chrysostomus in Paulum. *Chrysost.* *Et non dicit date, sed reddite, & adiecit, quod debetur. Nihil enim gratuito dat, qui hoc fecerit. Debitum siquidem res est ista: quòd si non feceris, perfidiæ pœnas dabis*: sic ille, & ab D eo Theophylactus. *Theophyl.* *Debitum tibi quoddam inexcusabile impositum est, quod persoluere Principibus debeas gratitudinis scilicet.* Quā verò ratione inexcusabile id debitum fuerit, sic inibi paulò antè edisserit Chrysostomus. *Chrysost.* *Cur enim vectigalia Regi damus? Numquid non tanquam prospicienti? numquid non tanquam præsidenti? curæ, tuitionisq́, mercedem soluentes. Atqui nihil illi soluissemus, nisi ab initio vtilem nobis talem fuisse præfecturam cognouissemus. Verùm propterea ab antiquis temporibus communi sententia Principes à nobis sustentari debere visum est, ob id quòd sua ipsorum negligentes, communes res curant, vniuersumq́, suum otium ad ea impendunt, quibus non solùm ipsi, sed & quæ nostra sunt saluantur.* Hactenus Chrysostomus. A quo planè non fuerit Christi sententia insculptæ numismati imagini innixa. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*: sic namq́ue priùs quæsiisse dicitur. *Cuius est hæc imago, & superscriptio? Dicunt*

cunt ei, Cæsaris. Quasi Principis imago pecuniæ insculpta suo inde iure pecuniam sibi exposcat, quòd Principem non secus, ac pecuniam omnium vsibus, & bono inseruientem, & quá res humanæ subsistunt, subditorum bono semper inuigilantem repræsentet, vti de ipsomet Cæsare, cui Dominus tributum reddere præscripsit sæpius à nobis adductus Cornel. Tacitus lib. Annalium dicebat. *At Tiberius nihil intermissâ rerum curâ, negotia pro solatiis accipiens, ius ciuium, preces sociorum tractabat:* & de seipso Imperator Iustinianus. *Non in vanum vigilias ducimus, sed in huiusmodi eas expendimus consilia, pernoctantes, & noctibus sub æqualitate dierum vtentes, vt nostri subiecti sub omni quiete consistant sollicitudine liberati.* Quod videtur innuisse Chrysost. ad ea Domini verba hom. 71. in Matth. inquiens: *Non enim dare, sed reddere istud est, quod tam ab insculpto simulacbro, quàm à superscriptione ostenditur.* Monent, & id Theologi quotquot de hac re agunt, vide Leonardum Lessium lib. 2. de iustitia, & iure, cap. 33. dub. 2. 6. & P. Vazquez opusculo de restitutione cap. 6. §. 2. dub. 2. n. 18.

Corn. Tac. — *Iustinian. in Authēt. Sine quo suffragio.* — *Chrysost.* — *P. Lessius.* — *P. Vazquez.*

3 Sed & Reipublicæ, necnon omnium subditorum negotium agi, cùm debita ab illis Principes tributa exigunt, dum iis munitus, atque instructus Princeps communi quieti, ac paci inuigilat, extra omnem dubitationem fuerit. *Nam ita demum cuiusq; ciuitatis libertas firma retinetur* (inquit Thucydides lib. 4. historiarum) *si adsit potentia, quæ hostibus, finitimisq; populis resisteri possit.* Quod pensiculatius admonuit Cornel. Tacitus, cùm lib. 4. historiarum inquit. *Nec quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queunt.* Porrò cùm aliquando, nondum videlicet humanitate exutâ, Nero Princeps de mortalium genere benè mereretur, cuncta vectigalia subditis remittere vellet, à Senatu reuerenter cohibitus est, quasi minus salutare Reipublicæ id consilium foret, dum imminuta Principis potentia necessaria ratione in præceps esset ruitura: rem eodem Tacito lib. 13. Annal. sic referante: *Crebris populi flagitationibus immodestiam publicanorum arguentis dubitauit Nero, an cuncta vectigalia omitti iuberet, idq; pulcherrimum donum generi mortalium daret, sed impetum eius multum priùs laudata magnitudine animi attinuere Senatores, dissolutionem Imperij docendo, si fructus, quibus Respub. sustineretur, diminuerentur.* Enimverò sanior Iosepho quàm Neroni mens erat, cùm Ægyptios profrumento, quod Regis nomine exhibebat, tributo subiecit: *Non vt omnes exueret suo* (vt inquit Ambros. lib. 2. offic. cap. 16.) *sed vt fulciret, publicum tributum constitueret, quo sua tutius habere possent.* Vnde sic postmodum sapienter exclamat idem Ambros. *O virum magnum, qui non largitatis superflua temporalem captauit gloriam, sed perpetuam commoditatem constituit prouidentia. Fecit enim vt tributis populi se iuuarent suis, nec in tempore necessitatis aliena subsidia desiderarent.* Ita Ambros. Sed & ipsismet legibus sancitum nouimus in tributis *Reipub. neruos* esse, vt apud Leonem Imperatorem Nouella 62. videris: iam verò ea de re opportunissimè locutus videtur Rex Theodoricus apud Cassiod. lib. 5. epist. 19. vbi cùm præmisisset. *Fisci volumus legale custodire compendium, quia nostra clementia rebus propriis videtur esse contenta: & sicut nullum grauare cupimus, ita debita nobis perdere non debemus.* Reddit rationem. *Indigentiam iustè fugimus, quæ suadet excessus, dum perniciosa res est in imperante tenuitas. Modus vbiq; laudandus est. Nam cur aut vituperabilis negligentia iu propriis defluat, aut aliena cupiditas turpis abradat?* Hæc ille regiè, & sapienter.

Thucyd. — *Corn. Tac.* — *Gen. 47.* — *Ambros.* — *Leo Imp.* — *Cassiod.*

4 Vnde quidem si benè æstimas, æquè è subditorum vsu, ac è Principis re dixeris vectigalia, ac tributa esse, vt ei subditi conuenienter subiecti, ab ipso commodiùs, & faciliùs gubernentur. Certè tributa, accuratâ locutione fræni imagine in Scriptura significantur: sic enim 2. Reg. 8. 1. *Et tulit Dauid frænum tributi de manu Philisthijm.* Nam cumprimis si attendis, equitare adeò aptum gubernandi symbolum est, vt idem Hebræum verbum equitare, & gubernare significet: sic Psal. 65. 12. vbi, Noster habet, *imposuisti homines super capita nostra,* Hebraicè est, *equitare fecisti, &c.* & quidem opportunâ imagine moderandi habenas; vnde eximius Poëta Regium munus sic expressit.

2. Reg. 8. 1 — *Psal. 65. 12.*

——— Regemq; dedit qui fœdere certo
Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.

Virgil. 1. Æneid.

Hinc tributum meritò frænum dicitur: nimirum, vt eques equo insidens eum sic fræno coërcet, vt in quamcũque velit partem inflectat, ac ducat; sic Princeps tributis populo impositis, eum quasi iniecto fræno moderatur, & pro iustitia, & ratione ducit, ac versat. Sed quâ (inquis) ratione, quâve tributorum cum fræno similitudine? Preme fræni imaginem, & facilè videris: Quare finge tibi seorsim præferocem absque fræno equum, seorsim equitem, qui eum ducere, & inflectere velit, nec fræno, nec habenis instructum. Quid rogo id fuerit nisi iniustitiæ imago? dum eques minus, equus autem plus habeat, quàm habere debeat. Ergo vt æqualitatem, & iustitiam feceris, equo frænum iniicies, cuius habenas eques habeat. Ad quem sanè modum Principis potentia, & vires, ac populi subiectio se habet: quia videlicet ex congestis è tributis pecuniis, vt Principis potentia iustè crescit, ita populi robur, ac vires iustè etiam tantisper decrescunt, ne velut ferox, & lasciuiens equus sine fræno præceps feratur: huc namque intentus Hannibal apud T. Liuium Decade 3. lib. 10. dicebat. *Nulla magna ciuitas diu quiescere potest. Si foris hostem non habet, domi inuenit, vt prævalida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur.* Ergo vt equus infrænis sessorem non pro eius arbitratu, sed pro suo impetu fert, iniecto verò fræno non proprio impetu, sed ad insidentis nutum in hanc vel illam partem inflectitur; sic populus si Rege indigente, atque confracto opibus nimium abundet, facili negotio ferox, & indomitus euadet gubernantisque iugum, & dominatum excutiet: *Dum perniciosa res est* (vt dicebat Theodoricus) *in imperante tenuitas,* attamen si debita Principi tributa pendat, quibus eius potentia ad iustam magnitudinem perueniat, non secùs ac fræno sibimet iniecto, & noxium sibi impetum adimet, & iustum illi robur attribuet. Quæ omnia ob oculos omnino habuisse videtur laudatus non semel à nobis Flauius Heruigius Hispaniarum Rex, cùm in Concilio Toletano XIII. de moderatione in tributorum exactione seruanda regio ore dixit: *Iudicium est quippe salutare in populis, quando sic summissa regantur, vt nec incauta exactio populos grauet, nec indiscreta remissio statum gentis faciat deperire.* Vbi æquè salutare populis iudicium sapiens Rex appellauit, eos incauta exactione non grauare, atque indiscreta remissione laxare, vt tanquam præferoces equi præcipitato cursu in exitium ruerent.

T. Liuius. — *Conc. Tol.*

5 Consentiunt his, siue æquorum Principum, siue bonorum subditorum mentes, sic enim præfato Genesis loco Ægyptios Iosepho legitima tributa imponenti dicentes audis: *Salus nostra in manu tua est, respiciat nos tantùm Dominus noster, & læti seruiemus Regi.* Gen. 47. 25. Planè vt dixerint, en in manu tua frænum, & habenas, quibus ducendi sumus, habes, vt pro rei opportunitate, & publica salute, adducas, aut remittas. Vnde indidem Ambrosius post illa verba, *publicum tributum constitueret, quò sua tutius habere possent.* Subiicit, *Quod ita fuit gratum omnibus, quibus terras ademerat, vt non venditionem sui iuris, sed redemptionem salutis putarent. Denique dixerunt: Sanasti nos, inuenimus gratiam in*

Gen. 47. 25. — *Ambros.*

conspectu Domini nostri. Quintam portionem collationis statuit, & in prouidendo perspicatior, & in tributo liberalior.
1 Duo omnino infectas, in quibus tota huius rei æquissimè, & commodissimè dispositæ ratio vertitur: alterum Principem tributorum habenas tantum omninò adducturum, quantum publicæ salutis, & rectæ Reip. gubernatio exigat: alterum, nullum tunc populo ius, siue ad tributa detrectanda, siue ad querelas faciendas subesse, cùm tanquam ingenuus equus sessori liberaliter, & ad leges artis moderanti, Principi non tantùm re ipsa, sed mente etiam, & animo subditus esse debeat. Et verò Principibus nonnisi propter publicas necessitates; & prout ipsis occurrere opus fuerit, tributa determinantibus egregius Imperator Alexander Seuerus exemplo cumprimis esse debet, Lamprid. de quo in eius vita Ælius Lampridius hæc habet. *Vectigalia publica ita contraxit, vt qui decem aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem aurei præstarent, hoc est tricesimam partem: tunc quoque primùm semisses aureorum formati sunt, tunc etiam cùm ad tertiam partem aurei vectigal decidisset, tremisses, dicente Alexandro etiam quartarios futuros, quod minus non posset, quos etiam formatos in moneta detinuit expectans, vt si vectigal contrahere potuisset, eosdem ederet, sed cùm non potuisset, propter publicas necessitates conflari eos iussit, & tremisses tantùm, solidosque formari.* Bonum quidem Principem, & strenuum equitem, qui habenas tamdiu remittat, siue vectigalia contrahat, quamdiu publicæ necessitates patiuntur: huc misericordiam, & benignitatē, huc æquitatē, & moderationem, huc etiam iudicium, & iustitiam aduocans. Quod planè aspexit Rex Heruigius dum quæsito vocabulo *cautam exactionem* dixit, vt incautam, & importunam Cassiod. damnaret: & eodem quidem sensu apud Cassiod. lib. 4. epist. 38. sapiens Princeps Theodoricus iustissimū designandis tributis iudicium sic exoptans. *Cùm omnes Reip. nostræ partes æqualiter desideremus augeri, certa tamen fiscalium tributorum iustissimo sunt pensanda iudicio.* Eatenus videlicet iusta atque legitima censenda, C quatenus necessaria, & opportuna fuerint.

6 Sed enim vt nonnihil de iis, quæ ad vtramque partem pertinent, breuiter & strictim, latiùs subinde hæc explicaturi, modò attingamus: Quidni (vt à Principe incipiam) cautâ circumspectione, & iustissimo iudicio pensentur, & circumscribantur ea res quæ generosam hominis conditionem maximè deprimit: dum *in chamo, & freno maxillas* eius constringit; & humanam naturam, vt peccato obnoxiam, ita supplicio subditam arguit. Certè à primi parentis transgressione, & seruitutem, & tributa ortum habuisse, non est dubium: sic enim Adamo Dominus, *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ, spinas, & tribulos ger-* Gen. 3.17. *minabit tibi.* Genesis capite tertio vers. 17. Inde hæc D extrema in quibus terra tribulis, hoc est tributis addicta dicitur; nimirum præfato loco lib. 2. Reg. 8. 1. P. Sanch. vbi nos habemus *frenum tributi*, alij apud P. Gasparē Sanchez legunt *stimulum tributi*, quasi tributum stimulus, siue tribulus, aut spina sit: terram verò cultori suo tributa germinare quid aliud fuerit, quàm æquè ipsum, ac illam pungentibus tributis manere subiectam, ac proinde terram viliorem, hominem subinde Tertul. ignobiliorem censeri. Audi Tertullianum in Apologetico cap. 13. sic hæc firmantem: *Sed enim agri tributo onusti, viliores: hominum capita stipendio censa ignobiliora: nam hæ sunt notæ captiuitatis.* Quantâ ergo moderatione, quàm cautè, & custoditè bonus Princeps ea in re se gerat, à qua prima mali labes & pœna, & iugum, & acerbitas? Num iugum iugo, oneri onus, ignominiam ignominiæ frustra, hoc est iustâ, & graui ratione non vrgente superinducere æquum erit? Sunt hæc omnia

A è pharetra Gregorij Nazianzeni oratione 9. quæ est Greg. ad Iulianum tributorum exactorem, vbi cùm dixisset; Naz. *Satis superque graue est, liberis hominibus seruitute premi, tantumque, inter eos, qui ex eadē terræ massa coagmentati sunt, interesse: vt alij imperio teneantur, alij tributa constituant, alij tributi causâ describantur, alij iniuriam inferre, maloque afficere impunè possint, alij ne quid patiantur, laborent, ac precibus contendant, eaque circa vnam, & eandem imaginem, circa vnam, & eandem dignitatis præstantiam contingere, circa eiusdem vitæ hæredes, & pro quibus Christus æquè mortuus est.* Subiicit grauiter, & opportunè. *Satis inquam hæc liberis hominibus molesta sunt, ne quid huic iugo ponderis addatur, ne quid pœnæ illi, qua primum nostrum peccatum mulctatum est, acerbitatis accedat.* Sic Gregorius. Quid verò acerbius fuerit, quàm plures omnino tribulos terram, quàm fructus progignere? nec ex agello, qui in hæreditatem homini obtigit tantum lætitiæ, quantum molestiæ percipere? dum potest dicere quod ille B de villula pignori, & hypothecæ addicta.

Furi, villula nostra, non ad Austri Catullus.
Flatus opposita est, nec ad Fauoni,
Verùm ad millia quindecim, & ducentes.

Quippe vt verissimè huic rei intentus dixit Rex Theodoricus apud Cassiod. lib. 11. epist. 7. *Ille solus* Cassiod. *delectabilis ager est, in quo superuenire non timetur exactor.*

7 Enimverò huc signatè spectare credidesim, quòd populus penes Principem, velut penes depositarium pretiosa res deposita esse dicatur: sic omnique Paulus 1. ad Timoth. 6. 20. *O Timothee depositum custodi.* I. Tim. 6. 20. Ad quæ verba S. Thomas, qui mihi pro multis S. Thom. expositoribus est, & ab eo Caietanus, & alij, depositi Caietan. voce commissum Principibus, atque Prælatis gregem significari sapienter volunt. Nam si ad depositi naturam, & leges attendis: videris nihil strictius, siue scrupulosius esse, cùm depositarius adeò rem depositam in vsus suos transferre, aut peioris conditionis quàm acceperit efficere non possit, vt ad hæc magnâ illam C curâ integram, & illæsam custodire, & propriæ vtilitati aliquando præponere teneatur. Sic hæc Iurisconsulto in leg. 1. §. sæpè D. depositi, præscribente. *Si* L. 1. §. Sæpè *si quis deposito obtulit, idem Iulianus scribit, periculo se depositi* D. depositi. *illigasse, ita tamen vt non solùm dolum, sed etiam culpam, & custodiam præstet.* Quæ si Principi populum tanquam depositum sibi à Deo creditum retinenti aptaueris, omnino videris, debere ipsum subditos suos omni curâ incolumes, & integros sicut accepit, custodire, quin in fortunis, aut in honore detrimentum aliquod patiantur, maximè cùm ipse non modò præsentem Reipublicæ felicitatem tueri, verùm etiam florentiorem reddere ex munere suo teneatur. Quæ quidem omnia gentilis Eusebius non minus dilucidè ac luculenter expressit, quàm si præfata Pauli verba à S. D Thoma explicata expensaque vidisset: ait enim apud Stobæum serm. 46. *Vir bonus, qui gentis alicuius, aut ciui-* Stobæus. *tatis imperium suscepit, non propter fiscum, aut dona capiendi, & à diuitibus pecuniam comparandi causa similis est homini, qui pretiosum aliquod depositum accepit. Nam vt hic quod datur, non retinendi, aut sibi vendicandi gratiâ sumit, sed vt custodiat, & integrum reddat ei, qui deposuit, quandocumque repetierit, ita Principem quoque non ob quæstum priuatum, sed ob salutem custodiamque subditorum omnia facere oportet, sic vt ipsos quoad efficere potest, illæsos, & in felici statu ei, qui credidit, restituat.* Hæc gentilis religiosè, atque opportunè, quæ si cùm illis Tert. *Agri tributo onusti viliores,* Tertull. *hominum capita stipendio censa ignobiliora*, composueris, haud difficilè elicies, quàm iusto sint pensanda iudicio à Principe vectigalia, quæ commissos sibi, & velut depositos subditos non tenuiores solùm, sed etiam viliores reddunt.

8 Iam verò è contra, quâ ratione populi vocea

&

& questus, ob tributa imposita iustitiæ, & æquitati consonare videantur, dum illa eò omnino tendunt, vt *sua ipsi* (quod dicebat Ambros.) *tutiùs habere possint*, nonne tunc ipsis adeò prospicitur vt redēptionem salutis potiùs quàm iuris venditionem putare debeam? Fueritne melius immanem, & praeferocem domi hostem sustinere, qui arborem radicitus euellat quàm ei arcendo necessaria conferre? At (inquiunt) graue malum est noua in dies pendere tributa, quin olim statuta satis sint: sed huic querelæ opportunè occurrit Archidamus Agesilai apud Plutarchum in Apophthegmatibus Laconicis. *Nam sociis (inquit Plutarchus) in bello Peloponnesiaco quærentibus quot pecuniæ satis forent, rogantibusq́; vt tributa determinaret. Bellum, inquit, statuta non quærit*: vt dixerit, cessent bella, cessabunt tributa, bello autem velut incendio grassanti, quis non libenter tributis illud velut aquâ extincturus occurrat? Enimverò vt præfato loco Nazianzenus Iuliano tributorum exæquatori Domini natiuitatem ob oculos ponit, vt moderatissimè illa exigat (quod inferiùs expendemus) ita Paulus Orosius opportunè expendit, tunc illa tributa Imperatori Augusto à populis bello fessis pro pace conseruanda libentissimè fuisse persoluta. Audi illum lib. 5. cap. 1. sic disertissimè obseruantem. *Maiores nostri bella gesserunt, bellis fatigati pacem petentes tributa obtulerunt. Tributum pretium pacis est. Nos tributa dependimus, ne bella patiamur, ac per hoc in portu, ad quem illi tandem pro euadendis malorum tempestatibus tandem confugerunt, nos consistimus, & manemus.* Pergit, & tempora cum temporibus componens feliciora omnino præsentia in quibus tributa pendebantur, quàm elapsa atrocibus bellis afflicta, atque fœdata sic censet. *Igitur nostra tempora viderimus, vtrum felicia. Certè feliciora illis ducimus, quia quod illi vltimò delegerunt, nos continuè possidemus. Inquietudo enim bellorum, quâ illi attriti sunt, nobis ignota est. In otio autem, quod illi post Imperium Cæsaris, natiuitatemq́; Christi tenuiter gustauerunt, nos nascimur, & senescimus, quod illis erat debita pensio seruitutis, nobis est libera collatio defensionis.* Hæc Paulus Orosius. Quibus alia alterius Pauli quamuis recentioris appositè adnectas: sunt ista: *Plerumq́; accidit, vt quæ prouinciæ pecuniæ parcendo remota pericula contemnunt, incumbentibus demum malis, desperato sæpè remedio grauiora sentiant detrimenta.* Verissimè.

Plutarch. | Paul. Oros. | Paul. Iou.

Ad eadem verba, Misericordiam, & Iudicium.

Ea vectigalia, seu tributa grauia omnino non videri, quæ subditorum viribus commensurantur.

ADNOTATIO XVI.

1 ERGO omnes omnino, siue Theologi, siue Politici Scriptores Principem tributa imponentem cumprimis admonent, ne ea importabilia, & supra subditorum vires, & robur sint; sed quæ ipsorum copiæ, siue inopiæ omnino aptentur. Quod sanè monitum appositis quidem imaginibus ab ipsis vrgetur, dum Principem secus facientem, siue cum olitore, qui ab radice olera exscindat, siue cum pastore, qui oues non tondeat, sed deglubat, siue etiam cum eo, qui auium pennas ita incidat, vt nequeant renasci, eleganter componunt: at enim ipsimet subditi, vt non adeò eleganter, at viuaciùs, & opportuniùs iugi imagine rem hanc expresserunt, Regi Roboamo non sine gemitibus suggerentes: *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis* 3. Regum cap. 12. vers. 4. Quid enim ad tributorum naturam, & vim significandum aptius, quàm iugum fuerit? nempe vt illud, si leue aut mediocri grauitate, & pondere præditum sit, à subiectis ceruicibus ad illud natis commodè fertur, si verò grauius, ac enormius fuerit quàm boum vires sustinere possunt, ipsorum ceruices sic atteret, atque franget, vt vsui esse non possint: ita tributa mediocria, & pro subditorum copia, aut angustia prudenter aptata, à subiectis populis non grauatè sufferuntur: at si nimis grandia, & immania fuerint, intolerabilia videntur, & quæ ab attritis, & lassis humeris sustineri nequeant, quin oneri cedentes succumbant. Quam sanè doctrinam simul, ac imaginem visus est omnino firmare Dominus, cùm vna ex parte homines ad ferendam indesinenter crucem admonebat Matthæi cap. 10. vers. 38. inquiens. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Ex alia verò, Crucis, siue iugi sui suauitatem, & oneris leuitatem eum admodum proponebat, vt ad illud hilariter suscipiendum illos facilè inuitaret: sic enim Matthæi cap. 11. vers. 29. *Tollite iugum meum super vos, &c. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Sed vnde diuino iugo, siue cruci suauitas? Vnde facilitas? Sanè ipsamet Græca vox, quâ iugū ibi significatur omnino indicat: nam vt hoc eodem lib. adnotat. 14. num. 1. monuimus æquè significat *iugum*, ac *stateram*. Quippe Clemens Alexand. lib. 5. Stromatum cùm adduxisset Pythagoricum illud Symbolum. *Stateram non esse transiliendam*, ex his Domini verbis sic confirmat. *Propterea Dominus, tollite inquit iugum meum super vos, quoniam benignum est, & leue.* Vbi non dubium, quin Græcè scribens Clemens vtramque iugi, & stateræ significationem exprimere voluerit. En ergo æquè suaue, ac iustum tributorum *iugum*, quod *statera*, siue cum statera simul sit, quod videlicet subditorum primùm vires, & facultates pōderet, vt illis æqua lance respondeat, & commensuretur, nec illas vlla ratione superet. Quod planè in priori loco cùm de ferenda cruce disseruit Dominus, omnino etiam indicauit: nimirum qui affirmaturus erat, qui *non sequitur me*, crucem scilicet ferentem, dicturus quidem videbatur, qui non accipit crucem meam: & tamen accurata locutione dicere maluit *Crucem suam*: ne videlicet vna eademque crux, eaque grauis diuersis hominum humeris, quorum alij fortiores, infirmiores, & imbecilliores alij, nullo magnarum, pusillarumque virium discrimine adhibito, sed sua vnicuique crux, propriis scilicet viribus aptata, librata, atque commensurata imponatur, sic id Magno Leone adnotante serm. 9. de Quadragesima, vbi præfatis Domini verbis adductis subiicit. *Sicut ergo totius est corporis piè viuere, ita totius est temporis crucem ferre: quæ meritò ferri vnicuique suadetur, quia propriis modis atque mensuris ab vnoquoque toleratur.* Pulchrè, *propriis modis, atque mensuris*, qui videlicet singulorum viribus respondeant, atque commensurentur.

3. Reg. 12. 4. | Matt. 10. 38. | Matt. 11. 29. | Lect. Græc. | Cl. Alex. | Leo. Mag.

2 Iam verò cùm statera iustitiæ sit symbolum, eamque adumbret, haud difficilè videris, ab hac tributorum cum populi humeris, ac viribus collatione, & commensuratione, illorum honestatem, & æquitatem, siue *cautam exactionem* fore desumendam. Hæc omnino ex S. Thom. 2. 2. quæst. 63. art. 4. elicientibus, atque firmantibus Theologis, signatè verò P. Francisco Suarez. lib. 5. de legibus cap. 16. *de forma, & materia legum tributorum*, his verbis, quæ præfatis S. Leonis mirè consonant. *Præter proportionem inter quantitatem totius tributi, & causam eius, seruanda est proportio tributi ad personas, quibus imponitur, & hæc vocatur forma tributi, pertinetq́; ad iustitiam distributiuam respectu communitatis, sed redundat in commutatiuam respectu singulorum. Non est enim iustum, vt omnes æqualiter soluant, sed iuxta facultatem,*

S. Thom. | P. Suarez.

tatem, & conditionem vniuscuiusque: plus enim à diuite, quàm à paupere exigendum est cæteris paribus. Ex quibus statim sic infert. *Vnde fit vt iuxta proportionem quam personæ inter se seruant quoad facultatem, seu conditiones alias requisitas ad tributum, seruanda sit proportio inter eas in impositione tributi, & hæc est proportio distributiua iustitia. Est autem talis proportio necessaria, vt à nullo subdito plus exigatur, quàm iustè possit, & debeat contribuere, & quoad hoc resultat æqualitas commutatiua iustitiæ.* Hæc ille, à quibus nec latum vnguem discessisse videris Regem Theodoricum dum apud Cassiod. lib. 5. epist. 24. Seuerianum tributis exigendis, & legitimè designandis præficiens, eum sic instituit: *Atque ideò prudentia quâ notus es, vniuersum possessorem considerata iustitia te subtiliter inspicere, & æqualitatem tributi hac ratione moderari, vt quæ sub aliis facta est, omnium redemptione cassata, pro possessionum atque hominum qualitate asse publicus imponatur.* Vides vt legitima tributa iusta staterâ librentur cum possessionibus, siue facultatibus, humerorum scilicet viribus aptantur, & commensurantur: Pergit verò Rex, & iustitiæ opus id esse sic adstruit: *Sic enim & iustitia perficitur, & vires nostrorum prouincialium subleuantur:* ac si diceret, tunc ad iustitiæ normam exigi tributa, cùm subditorum vires velut in statera ponderantur. Porrò hinc fieri, vt illa non grauatè, sed libenter pendantur, pulchrè idemmet Rex hunc in modum adstruit lib. 1. epist. 3. Nullus enim grauanter offert, quod sub æquitate persoluit. Quidquid ex ordine tribuitur, dispendium non putatur.

Cassiod.

3 En quâ ratione Roboami iugum graue subditis videretur. Ad quem sanè modum Isaias superbum Nabuchodonosoris regnum immaniaque tributa, quæ lassi, atque attriti suorum humeri ferre non potuerunt, bellissimâ ingentis simulachri ærei imagine, quod tantæ ad asportandum molis esset, vt humanas vires vsque ad lassitudinem fatigarit, & fregerit, sic ad viuum delineauit cap. 46. 1. *Confractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulachra eorum bestiis, & iumentis, onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem.* Obserua illum dicendi modum, *facta sunt simulachra eorum bestiis*, qui etsi ab expositoribus difficilis, & impeditus videatur, eaque ratione varios explicatus habeat: ex præfata tamen iugi similitudine quam persequimur, facilem, & expeditum sensum accipit, vt eo indicetur grauissimum onus, cui humanæ vires impares sint. Nimirum cùm simulachra illa vna ex parte ab hominibus gestari deberent, ex altera colossorum instar tam enormis essent magnitudinis, vt eorum humeros frangerent, & idcirco portari non possent, elegantissimè *facta bestiis* dicuntur, quòd earum viribus potiùs quàm humanis æquarentur: nempe onera quæ hominum humeri portare non valent, bestiarum dorsis imponuntur. En tributorũ iugum non liberorũ, nec subditorum viribus æquum, *graui pondere vsque ad lassitudinem*, quod ipsorum humeri ferre recusent: *imponendo enim grauissima onera* (verba sunt Ferdinandi Diaconi Carthaginensis in Christiani militis Pædagogo ad Reginum Regula 3.) *succumbere faciunt populos fatigatos, nec relinquunt successoribus suis præter luctum, & lachrymas.* Ad eum sanè modum quo Valentinianus apud Ambrosium dicebat: *Præterita non queunt soluere, noua poterunt sustinere?* Et Imperator Tiberius quamuis ferreus ipse alioqui, & immitis: *Ne prouincia nouis oneribus turbarentur, vtque vetera sine auaritia, aut crudelitate magistratuum tolerarent, prouidebat:* apud Cornel. Tacit. lib. 4. Annalium.

Isai 46. 1. *Ferdinãd.* *Ambros.* *Corn. Tac.*

Deut. 22. 9. 4 Quò sanè pulchrè referas per allegoriam vetus Domini præceptum apud Deut. 22. 9. *Non seres vineam tuam altero semine:* siue vt est in fonte Hebræo: *Non seres vineam tuam diuersis generibus rerum:* vbi dum ex sententia Theodoreti, & aliorum Patrum nimiæ auiditati colonorum Dominus occurrit, qui vt duplicatos prouentus ex terra suscipiant, eam tandem exhaustam, & exinanitam reddunt; simul Principes admonet, ne subditos tributorum iugo sic premant, vt eos ad extremam inopiam redigant: hæc monita pulchrè inter se committente, & componente Philone lib. de creatione Principis: nam cùm hanc inter alias huius præcepti rationem attulisset. *Ne bonus ager prematur onere grauissimo vexatus, vel serratum, plantantiumque operis in orbem redeuntibus, vel duplicatâ feracitate fructuum. Satis enim est, si Dominus ex suo prædio tributum exigat annuum, sicut Rex à sua ditione;* eam Principi sic adaptat. *Qui verò plura tributa conatur imponere subditis, non facit officium Principis, sed auari; & pugnantia cum natura legibus.* Deinde verò in vtramque rem ita pergit: *Quapropter quicumque colonus nimis ad rem attentus inter arbusta seminat, potest obiurgari his verbis legislatoris, cum saniores et Regibus, ciuitates, regionesque debellantibus: illi prospicientes futuro tempori, suis parcant prouincialibus, contenti vno tributo annuo, ne subiectos citò redigant ad extremam inopiam: Vos autem cùm ex eodem fundo colligatis in vere hordeum, atque triticum, in æstate fructus arborum duplici eum tributo grauatum opprimitis: fieri non potest, quin exhaustus deficiat, quemadmodum athleta, cui respirare non datur, ac vires colligere, vt certamen redintegret.* Aurea sanè verba, quæ vt auaros colonos duplicatis fructibus terram exhaurientes pungunt, ita Principes admonent, ne immoderatis tributorum exactionibus subditos vexent, sed eis tamquam athletæ prudenter donent spatium respirandi, & vires colligendi, vt denuo ad certamen redire possint.

Philo.

5 Enimverò cùm Principes ea potissimũ de causa à suis subditis vectigalia exigant, vt eos ab hostium incursibus defendant, incolumesque ac florentes conseruent, eum omninò modũ, quem in suis protegendis, atque muniendis Summus Dominus seruat, imitari, atque obseruare debent: sic etenim ipse populo suo suggerebat Exod. 19. 4. *Vos ipsi vidistis quæ fecerim Aegyptiis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi:* siue, vt LXX. sumptam ab aquila imaginem aperientes reponunt: *Et assumpsi vos tanquam super alas aquilarum:* vbi cùm Dominus de Israelitarũ ex Ægypto eductione verba faciat, asseratque non aliò quàm paterno affectu eorum se tutelam suscepisse, meritò ambigitur, cur aquilæ, quæ seuerior mater esse perhibetur, signatè comparari voluerit? Sed ad manum est ex natura aquilæ responsio, quippe quæ vt pullorum incolumitati consulat cautioribus consiliis, quàm aliæ aues vtitur. Nam præterquàm quòd altiùs volans sese quasi clypeum opponit pro pullis suis, quin à sagittarum ictibus lædi queant: sic id ibi obseruante R. Salomone, *Cùm enim nulla auis altiùs ipsa volet, propterea collocat pullos suos in alis suis, cogitans, satius est, vt in me penetret iaculum quàm in pullos meos.* Illos etiam præter aliarum auium morem non vnguibus, sed dorso aduehit, ne videlicet tenelli, & implumes pulli ab acrioribus vnguibus pungantur, & malè habeant, ita ad ea Exodi verba adnotante Lippomano in Catena hunc in modum. *Commemorat se portasse quasi in humeris eum populum, & baiulasse ex Aegypto more aquilarum gestantium dorso, & alis pullos suos præter morem aliarum auium, quæ illos vnguibus quò volunt portant.* Planè vt documento Principibus sit: ne dum subditos tuendos, & protegendos suscipiunt, adeò inhumanè cum illis se gerant, vt plus periculi, & iacturæ ab ipsis, quàm ab hoste timeri possit, imò potiùs præsidia, id est vectigalia, quæ pro præsidiis exigunt, tenuitati subditorum commensurari curent. Quò quidem opportunè retulit Gregor. Nazianz. præfatâ orat. ad Iulianum tributorum exactorem, tempus, quo bonus Dominus nasci dignatus est, cùm videli-

Exod. 19. 4. *LXX.* *R. Salom.* *Lippom.* *Naziãz.*

cet:

ca: Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Luc. 2. 1. vt tam homo, & hominum socius in tribulatione, & tributorum solutione effectus, Principes vectigalia hominibus imponentes admoneret quã ipsos moderatione vti æquum fuerit, cùm à Deo homine, imò verò ab infante tributa exigunt: tenentim ipsomet disertissimè affirmare. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Mat. 25 v. 40. Sed Gregorium audire operæpretium fuerit: Ipse quoque saluator descriptionis tempore nascitur: exiit enim inquit edictum à Cæsare Augusto, &c. & quidem describebatur: cum Christo describitur, cum Christo tributum expendit, cum capite censuram facit, cum verbo rationem subducit. Nunc Christus tibi nascitur, & Deus est, & homo efficitur, & cum hominibus conuersatur. Et quidem vt descriptores pudore quodam afficiat, tum demum commoueat, carnem assumit, & cum hominibus versatur. Obserua illa, vt descriptores pudore afficiat: nam si sapiunt, non possunt non pudefieri, si paruulo eadem atque giganti onera se imposuisse obseruent: necnon & hæc tum demum commoueat, carnem assumit: ecquis enim Princeps non commoueatur, vt moderatissimè enim iis agat in quibus ipse Deus puer factus est, quique in illis tributa pendit?

5 Altè quidem hæc regio animo imbiberat Rex Theodoricus, qui apud Cassiodorum, lib. 2. epist. 25. in vectigalium exactores, à quibus potiùs, quàm à Principibus tributa grauia redduntur, grauiter eacandescens aiebat. Detestamur miseros premi, commouemur & non querentium malis, velociusq̃ ad nos peruenit quod dissimulatio patientiæ abscondit. Meritò quando cunctorum nos respiciunt auido ore lasiones. Dum illud pietati nostræ perire credimus, quod per mediotrium damna sentimus. Ira ille pulchrè quidem vna fidelia duos parietes dealbans, dum Regibus benignitatem in exigendis tributis, & subditis in illis exoluendis patientiam suadet: obserua egregias illas, & verè regias voces. Detestamur miseros premi, commouemur, & non querentium malis. Adeò enim subditos suos tributis premi oolebat inclytus ille Rex, vt quæsito verbo id detestaretur tamquam extremum malum, & rem execrandam, atque pestiferam, cum iis enim adiunctis hoc verbum coniungi à M. Tullio solet. Et quidem meritò dum illud pietati (inquit) nostræ perire sentimus, &c. quid enim Principi charius, pretiosius pietate in suos fuerit? Vnde rursum idem [illegible] Princeps eodem lib. epist. 38. eodem regio [illegible] dicebat. Opes nostras cupimus thesauro pietatis augeri, execrantes commoda, quæ nobis vexatorum fuerint calamitatibus adquisita, molesta est illatio nostræ clementiæ, quæ desletur. Beoè omnino molesta: quomodo enim bono Principi molestæ non sint suorum lachrymæ, qui illis exsiccandis natus est? Vnde quidem Ferrand. Diaconus Regiuum Comitem post præfata verba sic monebat. Nolo tristiù similem reperiri, si prodesse diligis, non præesse. Præsta aliquid dignum memoria quod recordetur posteritas, & temporum tuorum nulla nascatur obliuio. Da operam diuites relinquere, quos inueneris pauperes.

6 Audiuit hæc, & obaudiuit clarissimos motibus, & imperij gloriâ Rex noster Henricus III. (cuius vestigia inclyti ipsius successores gloriosè, atque feliciter premunt) qui vt inter multa alia præstaret aliquid dignum memoriâ, quod recordaretur posteritas quin temporum suorum nulla nasceretur obliuio, consiliatiis aliquando suadentibus noua subditis vectigalia imponere, vt imminentibus hostium armis potentiùs occurreret, omnino negauit se facturum ingenti ore diuinam illam vocem æternùm duraturam subiiciens Populi mei ego execrationes ampliùs quàm hostium arma formido. O voces verè regias, verè sapientes, quibus non tantùm populo suo, sed sibi etiam ipsi suisque fortunis prudentissimus Rex prospiciebat, minimè quidem ocius, à facie maledictionis lugere terram, & a tefieri arua deserti Ieremiæ 23. 10. pecuniis scilicet acerbè conquisitis (quod à Corn. Tacito lib. 3. histor. monetur) plus inuidiæ Principibus quàm vitium addi: nec lugere solùm terram, sed deuorari, atque consumi. Oraculo clamante maledictio vorabit terram: Isaiæ 24. 6. Cui sententiæ tum Basilius Imperator in exhortatione ad Leonem filium, tum Gregor. Nazianz. opportunissimè loquuntur: sic enim Imperator cap. 14. Pecunia enim si iustè colligitur, possidenti multum affert emolumenti, & neruos imperio addit. Quæ verò ex lachrymis subditorum atque ex iniquitate corrasa fuerit, etiam iustè collectam dissipabit. Quippe vt tunc Princeps subditorum bonis velut tinea est, ita & subditorum lachrymæ Principum fortunis itidem tinea, & rubigo fuerint. Audi Nazianz. præfata orat. 9. ad Iulianũ tributorum exactorem. Ne diuitias nostras cum alienum lachrymis misceamus, à quibus tanquam à tinea ac rubigine consumentur, aut vt Scriptura verbo vtar, euomentur. Quæ Gregorij verba optimè illustrat eius Scholiastes Nicetas ex illis Iob. 20. Diuitias quas congregauit euomet hunc ad modum. Vt enim qui noxium aliquem cibum sumpsit, vnà cum eo probos etiam euomit; sic qui iniquè congerendis opibus studet, non solùm ipsas, sed eas etiam, quas prius iure possidebat, plerumq. amittit. Sed de his plura nos tom. 2. in epist. ad Philip. cap. 1. 27. adnot. 1.

7 Nec illud facilè prætereundum de quo veluti in transitu subditos Theodoricus sapienter admonuit, siue laudauit, nempe ab illis tributa patienter, & absque querelis persolui. Commouemur (inquit) non querentium malis: velociusq̃, ad nos peruenit quod dissimulatio patientiæ abscondit. Vt quemadmodum bonum Regem adstituit, qui vt populo indulgeat, minimè expectat, oneri cedentem eum videre, ità subditos instituat onera non modò patienter ferentes, sed etiam fortiter dissimulantes, pulchrè videlicet inter se Regiæ benignitate, & subditi obedientia contendentibus, illã, vt commoueatur non querentium malis, hæc vt illa patienter dissimulet, imò & abscondat, vt Principi suo obsequatur. Et verò illud omnino subditis ingerere est operæpretium, quod Theologi, & cæteri Scriptores censent, valde anceps atque periculosum esse tributa à Principe iusto imposita damnare, cùm nequeant populis æquè ac Principi causæ, & rationes innotescere, quas sæpe sæpius occultas esse interest, Qua sanè de re vt multi multa disserunt, omnium opportunissimè videntur locuti PP. Franciscus Suarez, & Ioannes de Salas, dũ hac de re ex professo, & accuratissimè egerunt, sic enim prior præfato tractatu de legib. lib. 5. cap. 18. num. 25. sub titulo de praxi in soluendis tributis. In primis nunquam debet quis excusari ab omnibus tributis soluendis, nisi cautâ sit paupertas, vt impotentia excuset. Regulariter verò obligatio pendendi tributum Principi, adeò naturalis est, & per se orta ex ratione iustitiæ, vt non possit quis omnino excusari propter apparentem iniustitiam, aut nimium grauamen tributorum. Nam esto aliqua essent iniusta, alia erunt iusta, & in cumulo tributorum semper includitur illa generalis ratio contribuendi ad dandum Principi iustum stipendium, & auxilium ad publicas expensas sui muneris. Hæc Suarez ibi, & alia non minus opportuna. Quæ plus plus diffundit P. Salas in libro de legibus tract. 14. disput. 5. sect. 10. his verbis. Difficillimum autem est indicare, iniustum esse tributum à legitimo Principe subditis non exemptis, quia non possunt priuati omnes indicare de causa, quæ Principem mouit ad imponendum tributum; sæpe enim est occulta, & insta: sæpe etiam videri potest cessasse, quia temporalis erat, & nihilominus tributum non statim est iniustum, vel quia alia causa exorta est, vel quia Princeps aliis actionibus, vel oneribus vexatus cogitur cessare ab vno opere, vt aliquid magis vrgens efficiatur. Deinde ex defectu solius distributionis difficile est damnare tributum, cum quia vix constare potest de forma distribuendi,

Luc. 2. 1. Mat. 25. 40. Cassiod. M. Tull. Ferrand. Mariana lib. 19 cap. 14. Ier. 23. 10. Corn. Tac. Isai. 24. 6. Nazianz. Basil. Imp. Nicetas. P. Suarez. P. Salas.

diſtribuendi, quando tributum in aliqua materia ſimpliciter imponitur, & accidentarum eſt ab illis vendi, aut emi: tum etiam, quia ſi quid maioris oneris redundet in quaſdam perſonas ex aliquo tributo, ſolet per alia compenſari, vt augendo pretium aliarum rerum. Vnde ſola incertitudo cauſæ, & aliarum conditionum ad iuſtitiam tributi requiſitarum non ſatis eſt, vt ceſſet obligatio ſoluendi tributum, quia cognitio horum non pertinet ad perſonas omnes particulares, & Princeps qui habet prudentiam vniuerſalem multis iuſtis rationibus moueri poteſt, qua non facilè poſſunt ſubditis innoteſcere. Vnde concludit, in dubio pro Principe præſumi debere. Planè vt hic non importunè locum habeat quod M. Terentius Tiberio Imperatori ſuggerebat apud Cornelium Tacitum lib. 6. Annalium. *Tibi ſummum iudicium dij dederunt, nobis obſequij gloria relicta eſt.*

Ad eadem verba,

Principem ſibiipſi maximè conſulere, cùm ſubditorum vtilitati proſpiciens, in tributorum exactione temperanter, ac moderatè ſe gerit.

ADNOTATIO XVII.

1 ENIMVERO Principem ſubditorum incolumitati, commodis, ac rebus familiaribus, ſiue diuitiis proſpicientem, eodem ſimul ductu ſibimet maximè conſulere, ſuiſque opibus, atque theſauris omnino proſpicere, conſtans omnium ſapientium ſententia fert, ſicuti & perpetua experientia ſuadet, non aliunde quàm à ſubditorum copia regios fore theſauros penſitandos. Sanè nec populo exhauſto, atque exinanito locuples, & affluens Princeps eſſe poterit, nec ipſum ſubditis florentibus, & locupletibus, pauperem vllâ ratione, aut egentem dixeris. Non enim Rex, & populus, ſic ſe habent, velut in libra lances, quarum vna grauis pondere alteram attollit, & quò hæc plenior, illa exilior, & inaniot eſt; imò verò eadem omnino vtriuſque menſura eſt, quæ à populi quidem opibus, & copia ſumenda fuerit, vt Regem populum ſuum exhaurire, idē omnino ſit, ac ſeipſum, & regios theſauros abſumere, & exinanire, id quod pulcherrimâ imagine rubi ardentis, & incombuſti Moyſi à Deo in exemplum oſtenſâ adumbratur: ſic namque Exodi 3. 2. *Apparuitq; ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Quod à Philone ſic dilucidè illuſtratur lib. 1. de vita Moyſis. *Rubus ibi erat frutex ſpinoſus & inualidus: hunc nemine ignem admouente ſubitò incenſus eſt, correptuſq; totus à radicibus vſque ad cacumen. flammâ in morem fontis ſcatentis, manebatq; integer, & illæſus, quaſi non eſſet incendij materia, ſed ipſe ab igne aleretur:* & poſt pauca: *ille verò rubus ignis voraci naturâ non abſumebatur, quin etiam conſeruabatur, qualis antea fuerat permanens, adeoq; nihil amittens, vt luculentior fieret etiam magis:* Hæc Philo. Quæ vt noſtro inſtituto facilè aptaueris, ſub ignis imagine, Deum qui *ignis conſumens* dicitur, Deuteron. 4. 24 ſub rubi incombuſti vmbra populum, vt omnes penè Interpretes volunt, accipe, vt ſenſus fuerit, Deum, qui ipſa bonitas, & humanitas eſt, non aliter quàm ad inſtar mirabilis illius ignis viueret eterim vt ie ſe rubo illô alebatur, & ad lucendum, & ardendom fomentum accipiebat, vt ipſum minimè abſumeret: tamdiu inibi duraturus, quamdiu rubus illæſus ſubſiſteret, eo quippe combuſto, ipſum quoque ignem diſſipatū iri neceſſe erat: quippe *cùm defecerint ligna, extinguetur ignis.* Prou. 26. 20. ita Dei vitam noſtræ vitæ, atque ſaluti quodammodo inniti, atque ab ea pendere, & fomenta ſiue nutrimenta ſibi accipere, vt ea imagine Moyſi obiecta, ipſum, qui populi Dux & Princeps erat futurus, & in eo Reges omnes admoneret, ipſorum ſplendorem & magnitudinem, ſubditorum incolumitati, & ſaluti omnino inniti, atque ea ſubſiſtere, & tamdiu magnos, & potentes futuros, quamdiu populus ab ipſis non fuerit abſumptus, ſed integer, atque illæſus perſeuerauerit, quaſi non ſit incendij materia, ſed ipſe ab igne alatur, & conſeruetur, tantùmque de proprio ſplendore, atque magnitudine detracturos, quantum ſubiecta ſibi ligna, ſubditos ſcilicet populos, abſumpſerint. Nam *cùm defecerint ligna, tunc extinguetur ignis.* Quod ſanè omnino ob oculos babuiſſe dixeris Regem Theodoricum, cùm Fauſto Præpoſito reſcribēs apud Caſſiodor. lib. 4. variar. epiſt. 38. cùm dixiſſet. *Cùm omnes Reipub. noſtra partes æquabiliter deſideremus augeri, crementa tamen fiſcalium tributorum iuſtiſſimo ſunt penſanda iudicio, quia ſeruientium imminutio eſt huius illationis acceſſio, quantumq; pars illa proficit, tantum ſe hac à firmitate ſubducit:* Subiicit magno iudicio. *Sed à nobis qui fiſci vtilitatem ſtabili volumus diuturnitate conſiſtere, excludenda eſt diſpendioſa ſemper enormitas. No augmento ſuo tumens ſumma deficiat, incipiatq; magis decreſſi, quia immaniter viſa eſt accreuiſſe.* Sic ille ſapientiſſimè, & ad præſens inſtitutum, & imaginem opportuniſſimè. Sanè quaſi ignem ligna conſumere; perindè ac ſeipſum abſumere fuerit: & Regem populum exhaurire, ſemetipſum exinanite ſit, Rege noſtro Alfonſo *el ſabio*, peculiari reſcripto id declarante: ſic enim ille lege 14. titul. 5. part. 2. *ca el mejor teſoro que el Rey ha, è el que mas tarde ſe pierde, es el pueblo quando es bien guardado.* Ergo is ſibi, ſuiſque fortunis Princeps maximè conſulit, qui populo proſpicit, is verè & ſplendidè imperat, qui locupletibus imperat. Nam *diuitiarum regni Dominum* (vt ſapienter ſcripſit Franciſcus Petrarcha ad Seneſcallum Siciliæ) *inopem eſſe non poteſt*, is imperio fraudatur, cui pauper & egens populus ſubeſt. Sed enim ea omnia quæ hucuſque diximus adeò opportunè egregius Imperator Baſilius in præceptis ad Leonem filium firmauit, vt penè ipſamet imagine ignis ſeipſum abſumentis vſus fuerit, etenim ille cap. 27. cùm dixiſſet: *Rem autem publicam optimè adminiſtrabis, ſi pecunia publica curam diligenter habebis, eiq; iuſtis rationibus colligendæ ſtudueris, non ex oppreſſione, vel ex lachrymis ſubditorum corradenda:* hanc ſtatim ignis ſimilitudinem, ſic appoſit. *Ignis, non ita celeriter paleam conſumit, vt malè & iniuſtè congeſta opes, etiam iure partas* [illegible]*erniciem ſecum abducunt.*

2 Ambigat fortè nonnemo, quid ſibi voluerit Dominus eùm in parabola debitoris decem millium talentorum: Deum tam ingens debitum liberaliter remittentem fecit? Sic enim ibi Matth. 18. 24. *Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem non haberet, vnde redderet, iuſſit eum Dominus eius venundari, & vxorem & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autē ſeruus ille orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit illi.* Vides immenſam benignitatem? Dixerim id liberalitatem, an prodigalitatem? cùm illa ſuum etiam modum, atque rationem habeat, hæc nullis circumſcripta terminis, ſine modo, ſine ratione ſit? Scitè enim Ambroſius lib. 2. offic. cap. 16. *Modus liberalitatis tenendus eſt, vt quod benè facis id quotidie facere poſſis, ne ſubtrahas neceſſitati, quod indulſeris effuſioni.* Nec aliter Seneca huius rei apprimè gnarus lib. 4. de Beneficiis cap. 10. monuit. *Nihil tam ſine ratione faciendum eſt: non eſt autem beneficium, niſi quod ratione datur, quoniam ratio omnis honeſti comes eſt, &c. Turpiſſimum damni genus eſt inconſulta donatio.* Quæ autē enormior, aut immēſior donatio, quàm ea quæ decē millia talenta proiicit, dici, aut excogitari queat? Ego verò contrà puto, adeò hæc dum in Deo, & in Principe conſiderantur ad prodigalitatem, & effuſionem non eſſe referenda, vt auaritiam

Margin notes: Exod. 3. 2. — Deut. 4. 24. — Prou. 26. 20. — Caſſiod. — Rex Alſ. — Baſil. Imp. — Matt. 18. 24. — Ambroſ. — Senec.

etiam potiùs quodammodo sapere videantur, quasi hic signatè id locum habeat, quod alibi idem Seneca dixit, *ut prodigum quidem auaritia liberamus*, lib. 4. de benef. cap. 27. Quando enim Deum? quando Principem diuitem, locupletioremque consideres, quàm cùm diuitibus, & locupletibus hominibus imperat? quippe à diuitiis, & rerum copia subditorum numerus augetur, & crescit. Vnde sapienter Marcus ille Curius apud Valerium Maxim. lib. 4. legatis Samnientium magnum auri pondus ei offerentibus, non sine risu respondit: *Superuacuè, ne dicam ineptè, aurum obtulistis. Dicite Samnitibus M. Curium malle locupletibus imperare, quàm ipsum fieri locupletem.* Quando verò Regis res angustiores, & infirmiores videris, quàm cùm *populus eius gemens, & quaerens panem?* Thren. 1. 11. quippe ab egestate, & miseria minuitur populus sine ad nihilum redigitur, vel lege praefatae parabolae pattem quâ iussit Dominum seruum *venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quae habebat.* Nunne haec in ipsiusmet domini caput omne istud deuorantis recidebant, qui familiam & subditos dissipabat, dicente Salomone: *In multitudine populi dignitas Regis & in paucitate plebis ignominia Principis.* Prouerb. 14. 28. Quae LXX. non sine peculiari emphasi sic efferunt. *In multa gente gloria Regis, & in defectu populi contritio Principis.* Planè quasi à plebe multiplicata aut diminuta regia dignitas aut stet, aut cadat. Vnde Plato epist. 1. quae est ad Dionysium, sapienter adstruit, Principes non pecuniarum, sed amicorum defectu petire, ait enim: *Meminisse autem te volo, tragicos plurimos, cùm tyrannum aliquem pereuntem inducunt, huiusmodi illi voces attribuere. Heu miser pereo multis fultus amicis! Auri verò defectu pereuntem aliquem nullum vnquam finxit Poëtarum.* Prudenter ergo, & suis rebus attentus Dominus, maluit eius misereri, & debitum remittere, quàm venundari illum, & vxorem eius, & filios, quia vt *in defectu populi* (vt inquit Salomon) potiùs quàm *auri defectu* (vt ait Plato) *Principis contritio & ignominia* est, ita in subditorum incolumitate tota Regis opulentia vertitur. Sed iam haec omnia accipe à Chrysostomo hom. de parabola debitoris decem millium talentorum, sic dicente: *Deus autem in remittendis debitis maximè ditescit: nam opulentia Dei, hominum incolumitas est.* Quae Principi omnino aptaueris, cuius vera & stabilis opulentia subditorum incolumitas est.

3 Sed enim nullibi opportuniùs, quàm in Augustissimo Eucharistiae Sacramento ea de re Principes à Domino tam re ipsâ, quàm quaesitis iis verbis admonentur. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Ioannis 6. 57. sed vt à re ipsâ incipiam, nemo quidem ambigit (quod nos multis adstruximus in commentariis in epistola ad Philippenses capite secundo versu nono adnotatione quinta à numero decimo octauo) sic nos in Eucharistia Christum Dominum manducare, vt etiam ab ipso simul manducemur. Sic inibi à nobis adductus dicebat Hieron. epist. 115. *Ipse conuiua & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur:* & sub ipsius Domini persona Augustin. lib. 7. confess. cap. 10. *Cibus sum grandium, cresce & manducabis me, nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me.* Quò satis accurata locutio, & signatum verbum quo pascitur velut Agnus inter lilia dicitur Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Vbi Hebraeum verbum aequè ad actiuam significationem, quasi Sacer sponsus lilia ad victum suum pascat, ac ad passiuam, quasi ipsemet tamquam herba, aut pabulum à suis depascatur, referri posse nemini dubium est, quò aspiciens ad ea verba Bernard. inquit. *At pascens ita, puto nihilominus pascitur ipse, & quidem scit, quibus libenter vescitur, profectibus nostris.* Et post nonnulla, *Nolite mirari hoc, & manducat nos, & manducatur à nobis.* En ergo optimi Principis imaginem, aequè suorum rebus ac suis (si suis aeque ac suorum bonus Princeps attentus esse potest) consulentem; nimirum ipse à suis subditis necessaria ratione alendus, ac nutriendus, & debitis tanto fastigio splendoribus illustrandus est: at eâ ratione & modo, vt eos ipse à quibus alitur simul sustentet, ac nutriat quin rerum suarum imminutionem, ac iacturam patiantur: nam vt *boni pastoris est pecus detondere, non deglubere*; ita infelicis & in exitium ruentis erit, pecus à quo ipse victum accipit, deglubere, atque omnino deuorare: absumpto quippe pecore, & arbore radicitus exceptâ, quae pastori, aut ollitori fructus, victusque spes superstit? Vnde notanter Dominus inibi apud Ioannem vers. 56. praemisetat. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Innuens, easdem Principis & subditi se innuicem manducantium, sese inuicem alentium leges esse, vt quemadmodum Dominus quamuis à suis manducatur, inconsumptus, & imminutus manet, iique quos ipse pascit, & in seipsum traiicit, integri, & illaesi, imò potiùs fortiores, & florentiores permanent: ita subditi à Principe nullâ ratione imminuantur, neque absumantur, quò ipsi semper duraturus victus, & splendor sit. Quam ad rem opportunissimè locutus est Latinius Pacatus in Panegyrico ad Theodosium his verbis. *Nullam maiorem crediderim esse Principum felicitatem quàm fecisse felicem. Itaque Imperatori propriam maiestatem aestimanti non tam illud suum videri debet, quod abstulit, quàm quod dedit.* Subdit eandem rationem quam persequimur. *Nam cùm intra ipsum voluantur omnia, & vt ille, qui cuncta ambit, Oceanus, quas suggerit aquas terris, recipit è terris; ita quidquid in ciues manat à Principe, redundat in Principem.* Fluminibus ad locum vnde exeunt reuertentibus, sine subditorum opibus ad Principem denuò redeuntibus: vnde sic pulchrè concludit Pacatus. *Et rei, & famae benè consulit munificus Imperator; lucratur enim gloriam, cùm det pecuniam reuersuram.* Vides Principem in suos benignum, sibimet, & suis rebus consuleotem?

4 Iam praefata Christi Domini verba: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* huic cogitationi omnino concinnunt: sed ad ea imprimis omnino probanda, & obuiis manibus suscipienda, est obseruatio Maldonati ad illud, *sicut misit me viuens Pater*, monentis *comparationem non fieri inter missionem, & vitam, aut inter missionem, & manducationem, sed inter vitam, & vitam: quis enim ignorat* (ait ille) *comparationem in rebus eiusdem generis fieri debere?* Vnde subiicit, eam rationem ex Hebraismo illi imbibito obscuram, sic facilem latinitate donatam reddi: *Sicut Pater qui misit me viuit, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Ad quem deinde modum aequè probandum est quod ex Chrysostomo, Theophylacto, & aliis Patribus addit, non vnam iis verbis, sed duplicem comparationem subesse: alteram *sicut Pater misit me, viuit: ita ego propter ipsum viuo*: alteram, *sicut ego viuo, ita qui manducat meam carnem propter me viuit.* Iam verò illud omnino videndum quid sit: *Sicut Pater viuit, ita ego propter ipsum viuo.* Num Dei Filius secundùm diuinam naturam à Patre viuit per participationem vitae eius, sicut nos qui *in ipso viuimus, mouemur, & sumus?* Apagè, cùm ipse (vt egregiè inibi Cyrillus, & Ammonius adnotatunt) non solùm viuens, sed vita sit, eometdicente, *Ego sum via veritas, & vita.* Ioan. 14. 6. sed eâ omnino ratione propter Patrem viuit, quâ ab eo per aeternam generationem acceperit, vt per se viuat,

P. Velasquez in Psal. centesimum.

uiuat, & vita sit: ideò vt vna Patris, & Filij natura, ita vna Patris, & Filij vita est: & vt Pater sine Filio non est: ita nec viuere potest. Hæc iam Theologicè dicta, moraliter, & accommodatè secundæ illi comparationi, quâ & Christus, & qui ipsum manducat, viuere dicuntur, suo etiam modo aptanda sunt: vt sicut Hieronymus dicebat. *Ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & comeditur*. Et vt dicebat Bernardus: *Pascens nos, & qui pascitur à nobis*: dum ipse nimirum *libenter vescitur profectibus nostris*: vt tanta sit Domini benignitas, vt de eo quodammodo dici possit, vitam cum nostra suam adeò connexam, siue coniunctam habere; vt nostrâ salute, incolumitate, atque profectu alatur, & viuat: atque hic sit sensus ei sententiæ, siue comparationi subintellectæ; *Sicut ego viuo, ita & qui manducat me, viuet propter me.* Sed enim iam hic iure ambigas, cur in hac comparatione, quæ priori respondebat, in qua signatè, & Patris vitam, & suam in medium adduxit; singillatim vitæ suæ non meminit, inquiens, ad eum etiam modum, & ipsum, & eos qui ipsum manducauerint, fore victuros, contentus id subintelligendum relinquere, & solius suorum vitæ mentionem facere? Sanè, vt non obscurè innueret, à subditorum vita, atque incolumitate Principis salutem, & vitam dependere: quasi factâ mentione vitæ subditorum, Princeps necessariâ ratione viuere, & florere simul dicatur: nec opus esse aliquid de eius vita singillatim asserere. Ergo vt viuit, alitur, crescit, & augetur populus, Principem etiam viuere, ditescere, & florere censendum est: vt minuitur, deflorescit, & paupertie vexatur: illum etiam decrescere atque inopiâ conflictari necesse est. Ita quidem de bono Imperatore Valentiniano noua nunquam tributa imponere volente, vt initio adnot. præced. vidimus, Ambrosius, eum à Iuliano desertore omnino discriminans, inquit. *Ille* (Iulianus) *plurima reperit, & exhausit omnia, iste nihil inuenit, & omnibus abundauit.*

Hieron. *Ambros.*

5 Fauet quidem huic sententiæ ingens illud miraculum, cùm ad firmandum Regis Ezechiæ animum timore mortis perculsum, atque in superadditæ vitæ signum, Solis vmbra in horologio Achaz, Isaiâ Dominum inuocante, per decem lineas retro conuersa est: sic enim Sacer Scriptor. *Inuocauit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus* 4. Reg. 20. 11. *Regem scilicet* (inquit Gregor. Nazianz. orat. 19.) *gratiâ simul, & signo honorans, atque per diei augmentum dierum augmentum confirmans.* Etenim magna quidem inter auctores quæstio sit, an Sol retrorsum redierit decem horas: seu potiùs cùm institutum teneret cursum, vmbra tantùm in horologio contra naturam retrouersa sit? valde probabilis ea opinio est, quæ huic posteriori parti fauet, quam Paulus Burgensis ad id loci, & Arias Montanus, & Vatablus in Isaiæ 38. mordicùs tenent, & in eam propendet P. Gaspar Sanchez in lib. Reg. quòd & præfatis scripturæ verbis magis hæreat, & promissioni Regi factæ omnino consonet: nec enim ipsi oblatum est signum retrogradationis Solis, sed vmbræ, dicente Isaiâ: *Vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?* Vt nimirum cùm Sol Regis imago sit, vmbræ verò ad significandos subditos, qui ad Regis morem, & exemplum non aliter quàm vmbræ ad Solem se componunt, omnino referantur: hinc manifestum fiat: certum Regiæ vitæ argumentum, non tam ab ipso Rege, quàm à subditis desumendum: nec ad salutem, & incolumitatem Principis cognoscendam ipsius venam, siue pulsum, sed populi esse tangendum, quòd fieri non possit, quin populo ægrotante, & ad interitum ruente Princeps etiam non ægrotet, & ad mortem eat. Nec ab hac quidem cogitatione iuerit altera illa sententia, quæ in ipsomet Sole retrorsus acto celebre illud prodigium constituit: imò verò peculiarem huic rei epitasim habet, nimirum cùm Regi eam optionem circa ipsummet Solis cursum dederit Vates: vt aut ille decem lineis ascenderet, aut retroactus descenderet, ipseque regressum potiùs quàm progressum elegerit: animum quidem suum sic videtur induisse: quò Sol plus in cælo ascenderit, eò quidem minor vmbris locus erit: sole enim crescente decrescunt vmbræ: contrà verò quantum Sol à cœpto cursu retroactus fuerit, tantùm vmbras increscere necesse est: tunc enim.

4. Reg. 20. 11. *Nazianz.* *Burgens. Montan. Vatab. Sanchez.*

Maioresq; cadunt altis de montibus vmbræ.

Malo ergo vt vitæ meæ regiæque fortunæ, ac felicitatis certum capiam experimentum vmbrarum quàm Solis; subditorum videlicet, quàm meipsius incrementum felicitatemque videre: *Nam diuitis regni dominus inops esse non potest*: subditisque florentibus, & felicibus Princeps felicior, & florentior non potest non esse.

6 Sed enim id apertissimè rem hanc demonstrat, quòd non semel à Deo Regum siue maiestas, & splendor, siue certissima clades, & exitium, non in regio, sed in subditorum pallio, siue integro, & illæso, siue dilacerato, atque discisso figurata, ac prænuntiata fuerint. Primùm enim 1. Reg. 15. 28. cùm Samuël diris Regi Saüli nuntiatis, conuerso ad eum dorso discedere vellet, Rexque abeuntis pallium ne recederet violenter arripuisset: eaque contentione pars pallij Samuëlis violentâ Regis manu *abscissa fuerit*: sic illum Propheta affatus dicitur. *Scidit Dominus regnum Israël à te hodie.* Ad quem etiam modum libro 3. Regum 11. 29. Abias Propheta, vt denuntiaret regnum Salomonis ob eius impietatem diuidendum, decemque ab eo tribus auferendas, Ieroboamo, in quem illæ transferendæ erant, *in via opertus pallio nouo occurrit. Apprehendensque Abias pallium suum nouum, quo opertus erat, scidit in duodecim partes, & ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israël: ecce ego scindam regnum de manu Salomonis.* Vbi nullis ambagibus, nullis inuolucris opertum vides, subditorum pallium Principes cooperire, & confouere, & ab eo ipsorum felicitatis, & splendoris indicia fore desumenda, discissamque, & laceratam populi vestem Principis ruinam, atque exitium adumbrare, vt è contrà nouum subditorum pallium incolumem, atque florentem Regis statum designat: sed ais, nonne meliùs deflorens Principis fortuna in suo ipsius, quàm in subditorum pallio indicaretur, sicut mea inopia in mea, non in vicini veste dignoscitur? Enimverò id tibi qui ad rerum superficiem non ad intimum sensum attendis, videbitur: at Diuinus Spiritus, cui, & causæ & effectus, præsentia simul atque futura in oculis sunt, longè aliter censet, & è subditorum pallio Regiæ fortunæ crisim, siue iudicium facit. Vnde quidem vt Adami principatum imminutum ob peccatum, atque decurtatum ostenderet: vestes illi è subiectorum sibi animalium pellibus confecit: tantùm non dicens, ex denudati, & spoliati subditi pelle vestiris; decisa iam res est. A quo non it emphatica ironia, quâ ad ipsum tunc locutus dicitur: sic enim Genes. cap. 3. vers. 21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos, & ait: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Quippe ipse è subditorum pellibus vestitur: nos verò nostris subditis pallio, & indumento, quo operiantur, & confoueantur sumus: hæc enim Dei voces sunt. *Induimini Dominum Iesum Christum.* Ad Roman. cap. 13. 14.

1. Reg. 15. 28. *3. Reg. 11. 29.* *Genes. 3. 21.* *Ad Rom. 13. 14.*

Ad

Ad eadem verba,

Nihil esse Principi gloriosius, aut splendidius, quàm si, vt vexato, & afflicto populo compatiatur, splendorem ipse suum contraxerit.

ADNOTATIO XVIII.

1 VEREATVR forsitan Princeps, ne sese contrahente, & amplitudinem, ac splendorem suum non circumquaque extendente, atque explicante, suus etiam maiestatis splendor decusque aliqua ei ex parte desit, atque imminuatur, quasi populus ad externam rerum faciem aspiciens, Principum magnitudinem, siue magnificentiam ex ea censere, ac pensitare soleat. Verùm enimverò, contrà omnino se res habet: etenim, vt alibi vidimus, cùm generaliter de modo sumptibus, qui omnino necessarij non sunt, imponendo disseruimus, vt inaniter, atque ridiculè Princeps se magni habendum crediderit apud suos, si nimio luxu, immoderato cultu, insano strepitu sese quammaximè ostentet: quis enim magnum credat Principem multo auro, & gemmis ornatum, siue etiam oneratum, & exquisitis cibis stomachum implentem, ac numerosissimam familiam alentem? cùm norint omnes, aut tantum ei esse, quantum vult, aut potiùs in eo splendore nihil aliud, quàm calamitatem, sudorem, & sanguinem suorum ostentare suo dispendio eum alentium luant; ita maximus, & summo in honore apud omnes habebitur, si ipse ne suos grauet, siue etiam vt fessis eorum rebus subueniat, splendorem suum contrahat: & suos sumptus pro regni sui viribus temperet atque moderetur. Etenim si Magno Alexandro Oceani vincula perstringere tentanti Albutius Sylus apud M. Senecam suasoriat. lib. primo prudentissimè aiebat. *Modum magnitudini facere debes, cùm fortuna non facit. Magni pectoris est inter secunda moderatio:* & indidem eidem Fabianus. *Illa demum est magna felicitas, quæ arbitrio suo consistit*: quàm potiori iure magni pectoris erit Principem magnitudini suæ modum facere, cùm fortuna rebus suorum facit, siue etiam ne faciat? Quàm splendidè! quàm gloriosè felicitatem suo arbitrio consistere faciet, & splendorem tantisper implicabit, atque imminuet, vt subditorum felicitatem plus explicet, atque adaugeat. (Seneca.)

2 Hæc quidem sic omnino se habere, æquè à Christi Domini gloria, atque splendore, ac ab ipsius exemplis planè nouimus. Nimirum ipse consummato mortalitatis suæ curriculo sic à nobis discedere, vt simul nobiscum ad auxilium, ad victum, ac delicias, & ad omnes denique vsus nostros, *vsque ad consummationem sæculi* esse Matth. 28. 20. suam apud nos Regiam, & tam diuino Principe dignum palatium figere, & statuere voluerit. (Matt. 28. 20.) Quo sanè sensu prædixerat Isaias 32. 9. *Deus, cuius ignis est in Sion, & caminus in Hierusalem*: quòd sese nobis per angustissimum Eucharistiæ Sacramentũ præsentẽ exhibens, noster sit conciuis, & contubernalis, qui apud nos commodum, & gratum habeat domicilium. (Isai. 32. 9.) (Hispani Interpretes, inter quos P. Gaspar Sanchez Hispanâ locutione Vatem exprimunt, ac si diceret: *Tiene entre nosotros casa y hogar.*) (P. Sanch.) Sed enim Aulam hic sibi extructurus, quæ vt ad nostrum perfugiũ, atque delicias, ita ad sui honoris ornamentũ, laudis insignia, & monumentũ gloriæ esset, sumptus quidẽ, & materiam fabricæ cõstruendæ à nobis iure exegit, atque accepit. Sed quãnam quæso, ac qualem? *Accepit* (inquit Matthæus cap. 26. vers. 26.) *Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq́; discipulis suis, & ait. Accipite, & comedite: hoc est corpus meum.* (Matt. 26. 26.) En quid sibi ad Regiam, ad habitaculum, ad sedem à te sumit, frustum videlicet, siue micam panis, vt sub eius speciebus maneat, atque conquiescat. Sed nonne ipse (quod infamis ille vitulus, vt opere fusorio formaretur Deus, à suis cultoribus exegit. Exodi 32. vers. 4.) aureas inaures, & gemmas à nobis posset accipere, vt sub illis consistens, eius circumquaque splendor vibraret? (Exod. 32. 4.) Potuit quidem, sed omnino noluit: & duplici sanè de causa. Altera, ne suis grauis aliquo modo esset, dum illos suis rebus, suoque splendore spoliaret atque in arctum, & angustias deduceret. Nimirum cùm ad eum articulum perducta res est, vt Dei Filius ad suum inter nos palatium, sedemque statuendam, aut seipsum contraheret, atque exinaniret, nobis omnino extensis, ac dilatatis, aut è contra, sese inter nos pro sua dignitate, & amplitudine extenderet, atque dilataret, nobis contractis, atque exinanitis, bonus sanè Princeps omnino censuit, multò opportunius, atque expedientius esse, seipsum potiùs in vsus nostros, quàm suos subditos ad sui splendorem exinanire, & ad panis micam maiestatem suam quanta quanta est, cõtrahere. Hæc ad hunc penè modum pensitante S. Dionysio Alexand. in epistola contra Paulum Samosatenum, dum sub hoc sensu capit ea Pauli verba ad Philippenses cap. 2. vers. 7. *Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit*, sic inquiens. (Dion. Alexan.) (Philipp. 2. 7.) *Deus igitur qui habitat in nobis secundùm testamentum, quod disposuit nobiscum, dicens*: Accipite, & diuidite inter vos: hoc nouum testamentum est: hoc facite in meam commemorationem. *Hæc est exinanitio facta ad vsum nostrum, vt possimus capere eum; hoc enim mysterium pertimescendum dicit Sanctus Apostolus.* Quod seipsum exinaniuit. Et post pauca eodem sensu. *Exinanitri vocat Apostolus, capi à nobis mysterium vitæ per manus eius incontaminatas, & incorruptibiles, & diuinas, vt possimus, qui sumus fideles eius, capere eum, & fieri mansio eius, accipientes eum totum.* Obserua illa. *Hæc est exinanitio facta ad vsum nostrum*, necnon & hæc, *vt possimus fieri mansio eius*: quibus pulchrè astruit Dionysius, Dei Filium non modò ad vsus nostros, nostrosque profectus sese effingere; sed etiam cùm apud nos mansionem suam habere voluit, maluisse semetipsum potiùs exinanire, nostris vsibus, nobisque sese coaptando, nec à nobis, nisi micas, quæ omnino ad subsistendum necessariæ erant, accipiendo, quàm suâ maiestate instructum nos coangustare, atque in arctum deducere. O bonum factum!

3 Et verò (si benè æstimas) peculiarem emphasim habet, quod inibi subiicit Dionysius, nempe Dei Filium totas potentiæ suæ vires huc instruxisse, atque ordinasse, vt seipsum pro nostro captu, & vtilitate exinaniret, sub hoc omnino sensu accipiens diuini Psaltis verba apud Lucam cap. 1. vers. 51. *Fecit potentiam in brachio suo*: sic namque ille. (Luc. 1. 51.) *Veruntamen qui se exinaniuit Christus Iesus habens in seipso caput Patrem.* Caput enim Christi est Deus 1. ad Corinth. cap. 11. vers. 3. (1. Cor. 11. vers. 3.) Fecit potentiam in brachio suo, & exaltauit humiles, *vt ipsi capiant Altissimum, & inhabitet in nobis propter suam in homines charitatem, & bonitatem, quâ dilexit nos.* Pulchrum Principibus exemplum, atque documentum, vt potentiam suam in seipsos, dixerim explicatiùs, aduersus seipsos, non in suos subditos instruant: eoque illam referant, vt sibiipsis vim quodammodo faciant, non subditis inferant, etsi ipsos potiùs superfluo fastu, ac pompâ inutili, quàm suos facultatibus, rebusque ad victum, vitamque necessariis exinanire studeant. Quæ omnino diuina, & admiranda potentia in Principe fuerit: vt ad ea verba, Exodi capite trigesimo quarto versu sexto. *Dominator* (Exod. 34. 6.)

Domine Deus misericors: pro quibus in lectione Hebræa habetur, *Fortis, pius*: sic optimè pendit Oleaster. *Expende quod dicunt fortis, pios, ac si dicatur, fortis ad pietatem. Sunt quidam homines fortitudine præditi, sed qui eam ad crudelitatem exercent, qui ad hoc solum potentes sunt, vt alios opprimant, &c. Non sic autem Dominus Deus tuus, qui etsi fortis sit ad hostium acies debellandas, non tamen ad hoc fortis esse vult, sed ad miserias releuandas.* Faciat ergo potentiam in brachio suo Dei instar Princeps, non vt subditos suos opprimat, sed vt releuet, atque eò mentes suas, consilia, industriam, atque vires referat. Certè regia illa, & sapiens Dauidis sententia fuit, cùm ad propositos sibi à Nathan ænigmatis illius laqueos de viro potente. *Qui habebat oues, & boues plurimos valde, & parcens sumere de ouibus, & de bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ouem viri pauperis.* 2. Regum cap. 12. vers. 4. Ipse in illos calore iustitiæ se conijciens, omnino nesciens quòd in se causam diceret, clamauit. *Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. Ouem reddet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum istud, & non pepercit.* Vbi notanter apud LXX. extrema hæc sic leguntur, *pro eo quòd fecerit verbum istud, & pro eo quòd non pepercerit*: quasi duplex Principi illi imputetur crimen, alterum, quòd ouem iniustè reapse tulerit, quod commune iniustitiæ peccatum fuerit, alterum quòd misericorditer non pepercerit, id est, tenero affectu erga subditum non commotus, illius dispendia non redemerit: quod singillatim Principem pungit, & inuidiam adducit. Quare compone hæc Dauidis, dum sententiam protulit, verba: *pro eò quod non pepercerit*, cum illis, quæ Nathan in accusatione proposuerat: *parcens sumere de ouibus suis*: vt dicere videatur Rex: ô præpostera indulgentiam, & commiserationem viri Principis, & peruersam potentiæ vsum! qui sibi pepercit, & suis non pepercit: cùm contrà omnino se res habere debuisset: sibi enim instè immisericors esse, vt molli affectu suis maximè prospexerit, & eorum rebus magna circumspectione pepercerit.

Oleaster.

2. Reg. 12. vers. 4.

B

Ibid. v. 6.

LXX.

4 Sed enim vt melius videris, quàm gloriosè Dominus in mica panis subsistat, obserua quid apud Lucam de purpurato illo diuite sibi omnino indulgente, & parcente, quin pauperi Lazaro aliquando pareeret, Lucæ cap. 16. vers. 19. sic enim ibi. *Erat quidam homo diues, qui induebatur purpurâ, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè: & erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat.* Pende istanos diuitis sumptus, immoderatam epularum magnificentiam, nimium cultus splendorem, potiùsne erga se indulgentiùs, & splendidiùs: erga pauperem verò inhumaniùs, atque crudeliùs agere, qui panis micas ei denegabat: sed cur imprimis, ô inhumane, dum Dei amicos pauperes, & vlceribus plenos ob oculos habes tam magnificè, tamque splendidè regeris? Audi Dominum: *Ecce quos ædificaui, ego destruo: & quos plantaui, ego euello, & vniuersam terram, & tu quæris tibi grandia? Noli quærere.* Deinde quâ ratione, ô dite, humanitatis sensum sic exuis, vt eas pauperi micas deneges, quæ necessariò perituræ sunt: nonne meliùs inter egentis, ac esurientis sinum reponentur, quàm spatiæ inter famulantium pedes conculcabuntur? Respondet eius nomine Chrysologus, esse quidem id etiam è pompa diuitis, vt multa inaniter spargantur, multa inutiliter pereant: illum verò plus suæ pompæ insaniam, quàm pauperis salutem velle. Audi illum sermon. 124. *Spargebatur panis: fundebatur vinum, & quod ad extremam pauperis vitam negabatur, hoc totum diuitis peribat ad pompam.* O virum mortis prorsus, quod parcens sibi, non pepercit. Sed ô auctorem vitæ, verumque

Luc. 16. v. 19.

D

Ier. 45. 4.

Chrysol.

A

Principem! qui adeò suis pepercit, vt sibi non pepercerit, sed semetipsum exinaniuit *ad vsum nostrum*: vt micis panis contentus, totam frumenti adipem nobis delegarit: *adipe frumenti* (inquit Vates Psalm. 147. vers. 3.) *satiat te.* Cur enim in Eucharistia non adsit panis substantia; sed nudis accidentibus Christus subsit, nisi vt sibi documento sit: Bonum Dominum secus quidem quàm diuitem *cui spargebatur panis, fundebatur vinum*, quàm minimum sibi sumere, vt totum suis relinquat: maiestatem que sue splendorem suum quammaximè circumscribere, atque frænare, quò nos spatiosiùs agamus, & in pinguibus, ac vireotibus herbis pascamur.

Psal. 147. vers. 3.

5 Iam verò Domino quàm gloriosum, atque magnificum id fuerit, Apostolorum Princeps dilucidè nobis aperuit epist. 1. cap. 1. ta. vbi de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento verba faciens (vt ipsius discipulus S. Marcus Euangelista in Missa quam composuit in Ecclesia Alexandrina, quæ vsque ad hodiernum diem in vsu Ecclesiæ illius est, interpretatur, & ab eo monet eximius Theologus, fortissimusque hæreticorum malleus Franciscus Turrianus libro secundo de Eucharistia contra Volanum cap. 18.) sic inquit. *Spiritu sancto misso de cælo in quem desiderant Angeli prospicere.* Quæ Eucharistiæ sic aptat S. Marcus. *O qui in animam beneficia confers, & eis qui in te submisso animo fiduciam collocant, illa tribuis, in qua Angeli prospicere desiderant.* Sed obserua, quid dixerit Petrus, Angelos in Eucharistiam intentissimâ auiditate, & desiderio inexplebili prospicere: vbi meritò ambigas, quâ ratione cælestes spiritus, qui in cælis Dei Filium reuelatâ facie intuentur, & in excelso gloriæ throno ad Patris dexteram suæ Diuinitatis, & immensæ claritatis radios circumquaque diffundentem, nullo interposito velamine conspiciunt, peculiari ipsum auiditate, & nunquam explebili desiderio in Eucharistia videre studeant, & nouis dilectionis stimulis accendantur? vt Dei Filio ab ipsis inibi conspecto opportuniùs, veriusque illud aptaueris, quod eodem dicendi modo de magno Theodosio aiebat Latinus Pacatus in Panegyrico. *At noster hic omnibus spectandus offertur, nec magis communem hunc diem, atque Solem, quàm nostrum Imperatorem videre licet. Qui cùm vicinum habeant permissa fastidium, nunquam iste mirantes explet oculos, magis, magisq; visus expetitur: nouum dictu! præsens desideratur.* Nimirum in ipsum Angelos prospicere desiderare, quid aliud fuerit, quàm eum adeò mirantes illorum oculos non explere, vt præsens desideretur? Numquid ea sit velatæ pulchritudinis vis, atque efficacitas, quæ plus plus accendat, nam *aperta* (inquit alicubi Seneca) *transimus, occulta rimamur*: quod non latebat pulcherrimam illam Sabinam Poppæam Neronis coniugem, de qua Tacitus lib. 13. Annalium. *Rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum.* Non equidem abnuerim (quod alibi diffuderim) eâ etiam nobiscum ratione Dominum in Eucharistia quodammodo agere, vt constantiore in illum amore rapiamur. *Cauet enim fortè* (inquit Petrus Bles. sermon. 19. de Assumptione) *ne vilescat amor suus: & quia citiùs in tadium veniret, si semper præsens esset: ideò aliquando se subtrahit, aliquando ad tempus recedit, vt dum requiritur absens, teneatur præsens.* Sed enim fragili nostræ mortalitati, languentique amori id fuerit opportunum: at cælestibus animis, oculatissimisque spiritibus, constantissimis mentibus, quâ hæc conueniant? Ergo ad peculiarem quemdam decorem, atque venustatem, siue ad nouum, & incircumscriptum exinanitæ, contractæ, & circumscriptæ diuinæ maiestatis splendorem in Eucharistia fuerit id omnino referendum, quasi acutior prospiciendi, vndique

1. Petr. 1. 12.

Turrian.

S. Marcus.

C

Pacatus.

Seneca.

Corn. Tac.

Petr. Bles.

amandiq́ue stimulus super nos spiritus pungat: acrior A admirationis vis eorum mentes pulset, splendidior lux ipsorum oculos quodammodo verberet, atque perstringat, cùm Dei Filium ad nostros vsus plus plus exinanitum intuentur. Quid enim adeò regium? adeò diuinum, & omni admiratione maius fuerit, quàm eum, quem cęli cælorum non capiunt, immensi splendoris sui aciem pro subditorum bono ita constringere, atque circumscribere, vt indiuisibili puncto contracta, atque circumscripta teneatur? Accendit id quidem supernas mentes, atque inexplebili desiderio ardentes intueri suspirant, regiam ac diuinam celsitudinem tantâ frugalitate agentem, vt quò sui in pascuis spatiosis dilatentur, sese ipsam magis coërceat, ac frænet, regium illud ac diuinum potiùs censentes, vt Princeps pro subditorũ bono splendoris sui aciem constringat, quàm si vt radios suos vltra terrarum orbem extendat, subditorum bona, atque facultates ipse circumscribat.

6 Subsistit quidem inde ea cogitatio, quòd iidemmet Angeli, qui in Dominum in Eucharistia apud Petrum prospicere desiderant, apud Isaiam velatâ facie præ tanti Numinis maiestate adstare dicantur: sic
Isa. 6. 1. & 2. enim cap. 6. vers. 1. & 2. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum. Seraphim stabant super illud sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius,*
Pagnin. siue vt est in Hebræo apud Pagninum. *Duabus vnusquisque velabat faciem suam*: quæ de Augustissimo Eu-
S.Ephrem. charistiæ Sacramento sic capit S.Ephrem homilia de festis diebus. *Angeli mundi cum tremore ministrant, faciemq́; obtegentes non audent respicere.* Quòd si ambigas, quî vno in loco faciem obtegere, in alio desiderare prospicere dicantur? videntur enim siue locutiones ipsæ, siue desideria, & actiones sibi inuicem aduersari. Respondebo, immò verò vtramque sententiam, ac verba eodem ire, vt æquè vtrobique significetur, tam immensam Christi in Eucharistia gloriam, tantamq́ue exinanitæ maiestatis claritatem esse, vt Angeli qui reuelatâ facie in cælis ipsum speculantur, tanto hîc iubari impares sese agnoscant, eaque ratione facies obtegant, nec in illum tam prospiciant, quàm prospicere desiderent. Planè, vt quò magis seipsum pro suorum vtilitate exinaniuit, splẽdoremq́ue suum contraxit, eò illius splendor in immensum extendatur, & crescat.

7 Quò omnino reuocaueris duplicatum Heli-
4. Reg. 2. 9. sæo præ Helia spiritum 4. Reg. cap. 2. 9. *Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus.* Etenim cùm PP. & Interpretes dum egregios hos viros, siue in patrandis facinoribus, siue in vitæ sanctitate pares vident, multa ambigant, multa respondeant, atque meditentur, vt duplicem hunc Helisæi spiritum explorent: nos ad vi-
4. Reg. 4. 34. tam puero restitutam 4. Reg. 4. 34. non abs re referendum ducimus. At (inquis) Helias etiam alium pue-
3. Reg. 17. 21. rum mortuum rediuiuum parenti reddidit. 3. Reg. D 17. 21. Quò ergo maior, siue duplicatus Helisæi spiritus? Planè quòd vt vterque singulos pueros è mortuis excitauerint, alio tamen, & alio modo alter ab altero se gesserit. Quippe Helias vt puerum animaret, sic super illum incubuit, vt nihil de corporis proceritate remitteret, sed se potiùs super illum expanderit: sic enim ibi. *Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus.* Helisæus verò ad pueri mensuram grandis corporis molem ita contraxerit, vt cum illius membris membra composuerit: ita id singillatim obseruante Scriptore Sacro. *Et incubuit super puerum, posuitq́; os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri.* En duplicem spiritum: magnum enim Principem ad vitam exanimi populo reddendam incuruare se, & suam maiestatem, & amplitudi-

P. Velasquez in Psal. centesimum.

nem, prout suis opportunum est, coarctare, atque constringere, vt illis non grauis, sed vitalis sit, illustrissimum facinus, & omni admiratione, & veneratione maius esse videtur.

8 Nec hinc discedendum, quin addiderim, adeò Deo displicere, quòd ipso in Eucharistia Principibus in exemplum, ad contrahendum pro populi vtilitate splendorẽ, proposito, ab eius imitatione longè eant; vt vel hac ratione ipsorum opes, & fortunas euerti, ac dissipari, & sumpta circa illas consilia infelicem exitum, & ab eorum expectatione dissidentem habere, velit. Vel vide quid fecerit Dominus, cùm ementes, vendentes, atque nummularios in templo inuenit. *Cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.* Ioan. cap. 2. vers. 15. Sed quâ ratione tanto ardore in eos homines exarduit, qui non omnium pessimi habebantur, eaque quæ sacrificiis ne- Ioan. 2. 15.
B cessaria erant, nemini irrogatâ iniuriâ diuendebant, vt & eos flagris cæderet, & quod illis forsan plus indoluit, æs effudit, & mensas subuertit? Vis nosse? Sanè quòd illi è regione mensæ in qua panes propositionis erant: quæ Eucharistiam omnino adumbrabat, de diuitiis congerendis, & vita lautè, & deliciosè agenda cogitarent, dum pauperes esurire, atque erubescere viderent: sic id adnotante Theodoreto in 1. ad Co- Theodor.
rinth. 11. *Quomodo non est absurdum, intus in templo Dei, qui communem mensam nobis apposuit, vos quidem lautè viuere; eos autem qui sunt pauperes, esurire, & propter paupertatem erubescere?* Ac si dicat: Quid magis absurdum, quàm vt ad præsentiam Dei, qui seipsum exinaniuit ad suorum vsus, & pro ipsorum vtilitate splendorem, ac maiestatem suam contraxit, Principes lautè viuant, & splendoris sui aciem quoquo versus extendant? Quid iustius, atque opportunius, quàm eorum æs effundere, mensasque subuertere, vt malo accepto sa-
C piant? Huic illud etiam supplicium consonat à Deo Ierosolymitanis Principibus illatum, apud Daniel. 1. Dan. 1. 2.
vers. 2. ab eodem etiam Theodoreto expensum: sic enim ibi. *Venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manu eius Ioachim Regem Iuda, & partem vasorum domus Domini.* Vbi dum vides, quod adnotauit Hieronym. non tam à Hieron.
Babylonio Rege, quàm à Deo direptam vrbem, captaque spolia fuisse, meritò ambigis, cur Deus victis vehementiùs infensus, non omnia omnino vasa, sed dimidiam partem inde in Babyloniam transmitti voluerit. Num quia hoc Dei ingenium est, vt supplicia non ex integro, sed ex parte inferat? siue etiam, quòd barbarus ille Rex loci sanctitate deterritus, à cæde, & direptione manus temperauerit? Benè id quidem, sed non minus opportunè ad ipsammet Dei indignationem elegantiæ plenam retulit Theodoretus, existimans de industria partem thesaurorum relictam, par-
D tem inde ablatam in Babylonem, vt hæc cum illa collata, & se vtraque mutuo respicientibus, acriùs pungerentur Iudæi, Deo ipsis, non tam verbis, quàm rebus ipsis dicente: dum thesauris, quos vobis ego liberaliter tribuo, non in miserorum leuamen; sed in superfluos sumptus vtimini, tantundem mihi est, illos aut in Babylone, aut apud vos esse. Sed audi Theo- Theodor.
doretum: *Tradidit itaque barbaris vasa, tantùm non rebus ipsis ita vos obiurgans, nullum inter vos, barbarosq́; discrimen est: æquè enim & vos sceleribus ea polluitis: & tantumdem est, & vos & Babylonios ea possidere.* Sic ille.

Ad eadem verba,

Optimum Principem calculum cum Imperio, & sumptibus modum ponere debere.

ADNOTATIO XIX.

1 NIHIL, opinor, iis, quæ de æquitate in tributis à Principe seruanda, dicta sunt, opportunius adnexeris, quàm moderationem, & temperantiam in faciendis sumptibus, scitè id admonente Synesio in oratione *de Regno* vbi cùm dixisset. *Neque tributis ciuitates exhaurire regum est.* Subiicit. *Bono enim Principi, vbinam tantis pecuniis opus est cùm neque insolenti animi fastu sumptuosa opera moliatur, nec temperantis vsui loto inanem, atque ambitiosam magnificentiam affectet, neque inutili consilio in scenicos ludos gnauorum hominum labores perperam insumat, sed nec plurimorum bellorum necessitate cogatur, quæ non de mensis vesci, Laces slim quidam dicebat. Ab insidiis enim & inuasione securum eum qui bonus sit, nostra faciebat oratio.* Vnde sic concludit. *Quamobrem si ad ea contrahatur, quæ necessaria sunt, superuacuis nihil opus erit, erumq; minimè molestus exactor esse potest: cùm de residuis quidem, quæ necessaria sunt remittet: qua verò pro cuiusque facultatibus conseruentur, aqui, bonique, censulet.* Ita Synesius, omnino quidem adstruens Principi, qui sumptibus modum imponat, ad illa videlicet ipsos contrahens quæ necessaria sunt, minimè opus fore tributis ciuitates exhaurire: & vel hac ipsum ratione immoderatis sumptibus parcere debere, ne illas exhaurire opus habeat. Cui sententiæ pulchrè adstipulatur Cassiod. lib. 10. varia. *Qui rationabiliter disponit propria, non appetit aliena: tollitur enim Principibus necessitas excedendi, quibus assueuerint propria moderari laudata nimirum sententia, quarerum præcipit modum, quia nimium non placet etiam quod bonum putatur.* Pro qua sanè cogitatione Aquilæ imago ab Ezechiele Principibus aptata, egregiè in vtramque partem fidelubet: etenim dum cap. 1. illustria illa animalia sic describit, vt aquilæ faciem, & pennas ipsis assignatet, notanter addidit vers. 10. *Et manus hominis sub pennis eorum*: vbi LXX. teddiderunt: *Et leues pennæ eorum: & manus hominis sub penna eorum*: notanter quidem *leues pennæ eorum*: notantissimè verò: *& manus sub pennis eorum*: nimitum, cùm pennæ, quibus *auium corpora* (vt inibi ait Gregorius Magnus) *in altum sublenantur*, regium splendorem, & magnificentiam adumbrent, ipsas signatè *leues* dici omnino indicat splendoris, & magnificentiæ modestiam, siue moderationem, temperantiam, & modum quo superflui, & inutiles ornatus, & insani sumptus resecantur; vti Nicoclem Regem admonebat Isocrates inquiens. *Magnificentiam ostentes non in vllis hisce sumptibus, qui protinus euanescunt.* Quod planè manus hominis pennis subiectæ pulchrè confirmant: nam si dubites, quid pennis aquilæ, & manibus hominis commune fuerit? siue cur pennis vngues aquilinos, qui eis omnino congruebant, non supposuit, et imago hæc siue pictura ad instar chimæræ esset? Respondebimus hanc quidem leuium pennarum, siue regij, iustique splendoris conditionem esse, vt manibus vtatur, non vnguibus, tùm quòd *qui rationabiliter disponit propria, non appetit aliena*: tùm vel maximè quòd regius splendor, siue magnificẽtia non in accipiẽdo, sed in dando, & benefaciendo cẽsetur: vtrique autẽ rationi manus hominis imago mirè concinit: nam imprimis si bene meministi, manus ex veteri more supputationibus, & rationibus conficiendis, deseruiebat: vnde sub pennis manus esse, idẽ omnino fuerit, ac cum imperio calculum ponere ad eum modum, quo in Traiano, ita prædicabat Plinius. *Augeo P.C. Principis munus, cùm ostendo liberalitati eius inesse rationem: ambitio enim, & iactantia, & effusio, & quiduis potiùs, quàm liberalitas existimanda est, cui ratio non constat.* Sed & indidem Plinius, cùm magnam eiusdem Principis moderationem in longissimi itineris pro publica vtilitate confecti sumptibus celebrasset: inde Principes omnes generali oratione sic admonet. *Assuescat Imperator cum imperio calculum ponere, sic exeat, sic redeat, tamquam rationem redditurus, edicat quid absumpserit, ita fiet, vt non absumat quod pudeat dicere.* Vides manum supputantem, & quæ cum imperio calculum sic ponat, vt rationes cum ratione conficiat? Audi modò Ambrosium hanc manum sic instituentem, vt *hominis manu* benefica scilicet, & salutaris, iridem & ratione gubernata omnino sit: ita enim ille lib. 2. officiorum cap. 21. *Non enim prodigos nos docet esse Scriptura, sed liberales. Largitatis enim duo sunt genera. Vnum liberalitatis, alterum prodiga effusionis. Liberale est, hospitio suscipere, nudum vestire, redimere captiuos, non habentes sumptum iuuare. Prodigum est, sumptuosis affluere conuiuiis, & vino plurimo. Prodigum est, popularis fauoris gratiâ exinanire proprias opes. Quod faciunt, qui ludis Circensibus, vel etiam theatralibus, & muneribus gladiatoriis, vel etiam venationibus patrimonium dilapidant suum, vt vincant superiorum celebritates, cùm totum illud sit inane, quod agunt.*

2 Pergit verò indidem Ambrosius, & pro Principum institutione, vt calculum cum imperio, & modum sumptibus ponant, subiicit. *Quandoquidem etiam bonorum operum sumptibus immoderatum esse non decet:* Pulchrè quidem, vt veram Principis magnificentiam, & liberalitatem adstruat, cui ratio, & modus constat: vti dicebat Plinius: *Augeo Principis munus, cùm ostendo liberalitati eius inesse rationem*, aliàs enim & liberalitas liberalitate, & munificentia ipsa, munificentiâ peribit, vt à M. Tullio scitè dixit Hieronym. epist. 15. Cui sanè cogitationi ipsemet Dominus, *qui diues est in misericordia*, ad Rom. 9. 12. *& dat omnibus affluenter* Iacob. 1. 5. adhuc etiam cùm dona sua distribuit, omnino subscribit: quippe de eo Cant. 1. 2. dicitur, *Oleum effusum* (siue vt LXX. habent *vnguentum exinanitum*) *nomen tuum.* En liberalitatem, cui ratio constet. Sed vnde locus, inquis? cùm oleum effusum, effusionem, siue profusionem, & prodigalitatem potiùs quàm liberalitatem adumbret. Sanè, quòd dum oleum modò è vase effusum dicitur, in ipso priùs vase fuisse conclusum, vt non temerè & iactanter; sed suo tempore, opportunè, & cum ratione dispensaretur, manifestè indicatur: vt & Didymus lib. 1. de Spiritu sancto, Ambros. lib. 3. de Virginibus, & Anselmus ad id loci obseruarunt. Audi Ambrosium. *Semper vnguentum hoc erat; sed erat apud Patrem: erat in Patre: olebat tantùm Angelis, & Archangelis tamquam intra vas cæli, aperuit ei Pater dicens*: Ecce posui te in testamentum generis mei in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ, Isaiæ. 34. vers. 6. *Descendit Filius. Repleta sunt omnia noua odore.* Vides Patrem salutare hoc vnguentum intra vas cæli retinentem? vt aliquando opportunè promeret *in dispensatione plenitudinis temporum*, ad Ephesios 1. vers. 10. Vide etiã ipsummet Filium ad Patris exemplum sese componentem: subiicit enim postmodum Ambrosius. *Ipse Dei Filius in corpore tamquam in vase odorem primò cohibebat, suum operiens tempus, sicut ait*: Dominus dat mihi linguam eruditionis, vt sciam, quando me oporteat dicere sermonem. *Venit hora, aperuit se, exiuit vnguentum. Quando virtus exibat de eo.* Preme illud *in corpore tamquam in vase odorem cohibebat.* Sed quare? num, vt tenacitet apud se retineret aut parcè, & auarè distribueret? minimè quidem, sed vt augeret munus, cùm ea vteretur liberalitate, cui & opportunitas, & ratio constaret. Benè siquidem Seneca libro quarto de beneficiis cap. 20. *Videbo quando dem, cui dem, quem-*

Synesius.

Cassiod.

Ezech. 1. 10.

Isocrates.

Plin. Iun.

Ambros.

M. Tull. Hieron.

Rom. 9. 12. Iac. 1. 5.

Cant. 1. 2. LXX.

Didym. Ambros. Anselm. Ambros.

Isai. 34. 6.

Eph. 1. 10.

Isai. 50. 4.

Seneca.

quemadmodum, quare: nihil enim sine ratione faciendum est: non est autem beneficium nisi quod ratione datur, quoniam ratio omnis honesti comes est. Sed iam id ab ipso Domino accipe: Porrò cùm *mulier illa, quæ sanguinis fluxum patiebatur accessit ad eum retro, & tetigit* clanculum *fimbriam vestimenti eius, dicens intra se, si tetigero tantùm vesti-*
Matth. 9. 20. *mentum eius salua ero.* Matthæi cap. 9. vers. 20. ipse notanter dixit. *Tetigit me aliquis, nam ego noui virtutem de*
Luc. 8. 46. *me exiisse.* Lucæ cap. 8. vers. 46. obserua id: *Ego noui virtutem de me exiisse,* cum Maldonato ad locum Matthæi interpretante: *Quasi ita ab illo virtus exiisset, quemadmodum solet ex corpore sectâ venâ sanguis exire.* Quid? doluitne ad exitum virtutis? aut ægrè tulit præreptam à fœmina sanitatem? aut sic ei illam erogare voluit, vt improperaret? non opinor. Quid ergo (inquis) fuit opus profiteri, minimè nescium fuisse virtutis quæ à se exierat? Equidem vt ostenderet, eam se probare liberalitatem, cui ratio constet, & quod scitè dixit Seneca, *facilem se sinum, non perforatum* habere: *ambitio enim, & iactantia, & effusio, & quiduis potiùs, quàm liberalitas existimanda est, cui ratio non constat.*

3 Iam verò Aquilam non leuibus quidem, sed grauibus, & enormibus pennis præditam, ac proinde multis vnguibus instructam, sic in Nabuchodonoso-
Ezech. 17. 3. re describit idem Ezechiel cap. 17. vers. 3. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plu-*
LXX. *mis, & varietate.* Sed obserua primùm LXX. pro his verbis *longo membrorum ductu* reponere, *longa extensione,* quæ omnino iudicant regium splendorem debitos rationis fines transilientem, & vsque ad profusionem, & insanos ornatus cultus sese extendentem, ad eum modum, quo de Sole aliter ab Epicuro, atque à Pe-
Tertull. ripateticis dimenso aiebat Tertullianus in libro secundo ad Nationes cap. 4. *Sed & Epicurus cùm in cælum inspicere desiderat, solis orbem pedalem deprehendit. Adhuc scilicet & frugalitas in cælo agebatur. Denique vt ambitio profecit, etiam sol aciem suam extendit, illum illum orbis maiorem Peripatetici denotarunt.* Ac si nostro instituto opportunus dixerit, pulchrum illud, & verè aureum sæculum extitisse, cùm apud summos Principes ea vigebat frugalitas, quæ nimium splendorem intra modestos, iustosque temperantiæ limites coercebat, ne videlicet in cultu, mensa, deliciis, venationibus, & ædificationibus tantum profunderent, quantum possent; sed certum modum iuxta rationis præscriptum sumptibus ponerent, subinde verò malam ambitionem Principum animos adeò corrupisse; vt insano ipsorum splendori vix totus terrarum orbis satis fuerit:
Sueton. vti de Nerone inquit Suetonius cap. 30. *Diuitiarum, & pecuniæ fructum non alium putabat, quàm profusionem: sordidos, ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret: prælautos vereque magnificos, qui abuterentur, ac perderent. Quare nec largiendi, nec absumendi modum tenuit. Nullam vestem bis induit. Quadringentis in punctum H. S. aleam lusit. Piscatus est rete aurato, purpura, coccoque funibus nexu. Nunquam carrucis mille minus fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, &c.* Et de Caligula in eius vita c. 37. *Nepotatus sumptibus omnium prodigorum ingenia superauit: commentus nouum balnearum vsum, portentosissima genera ciborum, atque cœnarum, vt calidis, frigidisque vnguentis lauaretur: aut frugi hominem esse oportere dictitans, aut Cæsarem.* Et denique vt insanissima Heliogabali portenta Lampridio asserta silentio premam, de sui temporis Dynastis non aliter palatia, & domos ornare contentis, [illegible] auro vndequaque vibrarent; Gregorius Nyssenus homilia secunda in Eccles. sic ait. *Taceo aurum, quod in auream membranas dissecatur, & in iis vbique illinitur, vt auidos oculos in se conuertat. Ebur autem quod asciscitur, vestibulorum, & atriorum superfluos ornatus, & quod eorum cælaturis illinitur aurum, aut quod clauis illiditur argentum: domorum pauimenta, quæ variis resplendent coloribus, vt etiam pedes in*

A *splendore lapidum luxurient.* En aquilam longo membrorum ductu, siue longâ extensione.

4 Deinde verò id pensiculatiùs animaduerte, iisdem Septuaginta pro *plena plumis,* reponere *plena vnguium:* & paulò pòst sub eadem imagine Regem Ægypti adumbrans Ezech. cap. 17. vers. 7. *Et facta est* Ezec. 17.
aquila altera grandis magnis alis, multisque plumis. Iisdem 7.
eosdem Septuaginta legere, *multa vnguibus.* Quod si vtrobique ambigas, quâ ratione multæ plumæ, multi dicantur vngues, cùm ingens inter plumas, & vngues discrimen sit? facilis est ex dictis responsio, nimium Principum splendorem, & profusionem eò tandem deuenire, vt quemadmodum dicebat Synesius tributis ciuitates exhauriant, quippe non aliter immoderatus splendor, & luxus potest subsistere. Vnde totidem illis Aquilis, siue Principibus vngues, quot superflui ornatus, & insanorum sumptuum plumas esse,
B scitè à LXX. obseruatū est: quasi dum longiùs quàm par esset, regium splendorem explicarent, atque protraherent, vnguibus in subditos vti opus illis fuisset.
Quod planè non reticuit Dominus apud Ieremiam Ier. 2. 34.
cap. 2. 34. dum in populi Principes sic inuehitur: *In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum, & innocentum.* vbi LXX. eodem ferme modo, ac in superioribus pro *in alis tuis:* reposuerunt, *in manibus tuis:* LXX.
quasi magnæ illæ splendoris, & luxus alæ non aliunde quàm à pauperum sanguine subsistant, atque explicentur, & ambitioso volatu vndequaque extendantur: sic id ipsismet pauperibus interpretantibus, & clamantibus apud Bernardum epistola 42. *Nostrum* Bernard.
est (pauperes clamant) quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur quod vos inaniter expenditis. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias: nostris necessitatibus detrahitur quidquid ac-
C *cedit vanitatibus vestris.* Sed & duas illas aquilas Neronem, & Caligulam quorum meminimus, vt plenas plumis, & longâ extensione, ita plenas vnguibus obserua: nam post insanos Caligulæ sumptus descriptos, subiicit statim Suetonius cap. 38. *Exhaustus igitur, atque* Sueton.
egens ad rapinas conuertit animum, vario, & exquisitissimo calumniarum, & auctionum, & vectigalium genere. Similiter & de Nerone impendiorum furorem supra fiduciam imperii extendente cap. seq. subdit. *Ita iam exhaustus, & egens, vt stipendia quoque militum, & commoda veteranorum protrahi, ac differri necesse esset, calumniis, rapinisque intendit animum.*

5 En quis sit insanorum sumptuum exitus? quam quæ veraciter, atque sapienter dixerit Cassiodorus. *Qui rationabiliter disponit propria, non appetit aliena: tollitur enim Principibus necessitas excedendi, quoties assueuerint propria moderari.* Sed & hac de causa graue plerumque subditis tributorum onus videri ex illis Israelitici populi ad Roboam verbis: *Pater tuus durissimum iugum*
D *imposuit nobis: tu autem itaque imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis,* 3. Reg. cap. 12. vers. 4 manifestè didicimus. Ni- 3. Reg. 12.
mirum si ab iis perquisieris: cur, ô boni, vnum Salo- 4.
monem Roboami parentem, & non potiùs Dauidem eadem ratione sugillatis? cùm eadem ille vobis imposuerit tributa, vt facilè apparet ex ingentibus expensis, quas ipse ad templum Domini præparatas reliquit. *Auri (videlicet) talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, omnisque generis lapillos pretiosissimos.*
1. Paralipo. cap. 20. vers. 2. Quæ ab exactis Scriptu- 1. Par. 20.
ræ Interpretibus, & veterum ponderum, ac numisma- 2.
tum pensitatoribus, non minus quàm ad tria millia millionum ex Hispanicis ducatis accedere perhibentur: facilem illi ad manum habebant responsionem ex diuersitate causarum, à quibus illi Reges ad ea tributa exigenda impellebantur: nec non ex moderatione, siue ex intemperantia quâ in conficiendis sumptibus alter ab altero ibat: enimverò Dauid tum non

aliam ob causam à pupulo tributa exigebat, quàm A vt ex Dei præscripto, & templo construendo, & bellis pro Religione, & publica vtilitate gerendis opportunas præpararet expensas, cum etiam in sumptibus, qui vsibus suis erant necessarij, ea tunc moderatione vtebatur, vt vis sibi sumeret, quæ ad vitam sustentandam opus erant. Sic id ipsomet affirmante 1. Paralip. cap. 22. vers. 14. *ego in paupertate mea preparaui impensas domus Domini*. Sed quid est (inquis) *in paupertate mea*. Quando enim Dauid postquam ad regni solium est euectus pauper fuisse perhibetur? aut quà ratione, qui tantam auri, & argenti vim habebat, pauper dici poterat? Audi Iosephum lib. 7. Antiquit. cap. 12. *Tantas diuitias reliquit, quantas nullus alius Rex, vel Hebræorum, vel aliarum gentium*. Subsistit tamen Danidis sermo ea lectione huius loci apud Bibliam Regiam, quæ habet: *ego in afflictione mea*: hoc est meipsum affligens, dum non contentus superfluos resecare sumptus, ab ipsismet rebus, quæ siue ad regium splendorem, siue ad vitæ commoditates necessariæ videbantur, manus B cohibebam: ac si diceret, vt impensas domus Domini præpararem, & quæ Reipublicæ necessaria erant, cōferrem, parciùs vinebam, quàm pro fastigij ratione potuissem: mihimet, meisque deliciis, immò & propriis vsibus plura adimens, vt meam sustentationem arctâte, & ipsam vitam affligere viderer (expressisset Id omnino Hispanâ phrasi. *Quitandome el bocado de la boca*.) Audis causam, rationem, & modum, quem in tributis exigendis, & sumptibus faciendis noster Rex seruabat? Hæc ergo cùm præ oculis subditi haberent, quomodo non libentissimè quæcumque ipsis imponerentur tributa persoluerent? aut quâ ratione seipsos cum Rege semet affligente non affligerent? & non tantùm delicias sibi denegarent, sed necessarios etiam sumptus imminerent, & ab ipso esurienti ore escas extraherent, vt Regis consiliis, Dei religioni, & C bono publico intentis omnino inseruirent?

6 Iam verò quàm alia (si benè æstimas) sumptuum Salomonis ratio fuit: corradebat quippe ille vndecumque pecunias, & vt nonnullas in ipsammet templi fabricam (quod non negauerim) insumpserit; at in insanum luxum, & profanos vsus, quantam auri vim quotidie profundebat? *Qui adamauit mulieres alienigenas multas, fueruntq; ei vxores, quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ*. 3. Reg. 11. vers. 1. & 3. *Qui ædificauit sibi domos, & fecit hortos, & pomaria, & extruxit sibi piscinas aquarum, qui fecit sibi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos, & vrceos in ministeriis ad vina fundenda*. Eccles. 2. à vers. 4. qui veneri, & gulæ deditus pretiosarum auium, ferarumque carnibus vescebatur. *Erat q; cibus Salomonis per singulos dies triginta chori similæ, & sexaginta chori farinæ: decem boues pingues, & viginti boues pascuales, & centum arietes; excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium*. Qui habebat *quadraginta millia præsepia equorum* D *currilium, & duodecim millia equestrium*. 3. Reg. 4. vers. 22. & 26. Quanto autem luxu, quàm insano splendore vibrantes, cùm quotidie extra vrbem ad hortos procederent, equites ipsum comitabantur? Audi Iosephum. *Equis pulcherrimis, & ad cursum exercitatissimis decem addebant equites flos iuuentutis, procerâ staturâ, promissoq; capillitio conspicui, & tunicas è Sarrana purpura induti, ac hac ramentis auri capillum quotidie spargebant, vt ad solaris radiorum contactum fulgor à capitibus eorum reflecteretur. Hi armati, & pharetris succincti regium currum stipabant, quo sublimis inuectus, & amictus veste candidâ mane solebat vrbem egredi*. Hæc dum præ oculis subditi indesinenter haberent, quomodo non gementes tributa persoluerent? quomodo non grauissimum vnus dicerent, & durissimum iugum dicerent, pecunias, sanguinem scilicet, & vitam miserorum mortalium (vt ait ille) quas ipsi labore manuum suarum, multoque sudore conquirebant in tot mulierum ornamenta, pigmenta, & effusas cupiditates, in eos superfluas ædificationes, in tam immensæ gulæ expletionem, in tot equitum purpuram, & aurum, quod cum Solis radiis inaniter decertarent, penderet? Sed & quâ ipse ratione à noxa immunis esse posset, cùm subditis suis ad tam propbanos vsus tributa indiceret? quod ipsemet postea erroris pœnitens hunc in modum confessus est. Ecclesiastes cap. 2. vers. 8. *Coaceruaui mihi argentum, & aurum*. Preme id *coaceruaui mihi*, non Reipubl. non subditis, non communi bono, sed *mihi*. At sibi ipsi (inquis) potuit ille vectigalia exigere. Bene quidem, sed sibi ipsi iustis scilicet expensis, & legitimis sumptibus. Sed quid regio splendori opus erat tot domibus de nouo ædificatis, tot hortis, & pomariis, tot piscinis aquarum, tot cantoribus, & cantatricibus, tot scyphis, & vrceis in ministerio ad vina fundenda? Audi Gregorium Nyssenum præfatam auri coaceruationem sic castigans. *Mens congregandi non potest esse à culpa immunis, tamquam enim regia liceat potestati, ex prædiis congregare copiam pecuniæ, vectigalia scilicet imponere, decimas exigere, pecuniam conferre, eos, qui eius imperio subditi sunt cogere, sic dicit se argentum, & aurum congregasse*. Ac si dicat: meritò quidem pecuniam ad Dei cultum, & Reipublicæ bonum, & honestum Principis statum cōseruandū ex vectigalibus subditis impositis cōgregasset: at ad insanos sumptus, & profanos vsus, quonâ iure illi licere id potuit?

7 Sed quàm seuerè hunc Salomonis luxum suo exemplo verus Salomon castigauit, quamque opportunè, & salutariter Principes omnes calculum cum imperio ponere instituit: cùm Regis personam in terris aliquando sustinere, & regio cultu, & maiestate præditum se suis exhibere voluit: nimirum tunc adeò aspernatus est tot illa equorum millia, & plurimorum equitum purpurâ, & ramentis auri splendentium comitatum, vt humili iumento discipulorum vestibus ornato fuerit contentus, regiam hanc pompam sic describente Matthæo cap. 21. vers. 7. *Et adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt*. Similiter & Ioann. cap. 12. vers. 14. *Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum*. Vbi ab vtroque Euangelista videris obseruatum: iam olim hæc à Zacharia sic fuisse prænuntiata. *Noli timere filia Sion. Ecce Rex tuus venit tibi sedens super pullum asinæ*. Planè vt vel hac ratione omnino dici posset. *Ecce plus quàm Salomon hic*. Matthæi cap. 12. vers. 42. qui regiam maiestatem non superfluo ornatu, sed frugalitate subditis salutari impleat. Quare pende illa verba opportunè præmissa. *Noli timere filia Sion*: ne videlicet cùm populus Regem à Salomone originem ducentem audiret, turbaretur, quasi æquè ac ille immoderatis sumptibus illius tes foret vexaturus: ideò notante subditis Vates *venit tibi*: venon modò innueret, eum non tam sibi, fuisque commoditatibus, quàm Regni vtilitati, & bono regnaturum, sed alia ratione, & modo regium vrbatum fore contracturum, quali populo afflicto, atque vexato opus erat. Vbi duo obseruare fuerit operæpretium alterum, quàm opportunè tunc Dominum non Salomonis, sed Danidis filium turbæ compellarint dicentes, *hosanna filio Dauid*, Matth. 21. 9. eius videlicet Regis, qui *in paupertate sua præparauit impensas domus Domini*, non autem illius, qui superfluo luxu, & immoderatis sumptibus populum grauauit: alterum, et Principi, qui splendorem suum contrahit ad ea quæ necessaria omnino sunt: subditos non tributa solùm, quæ ab eis exigit, libenter persoluere; sed quidquid tandem apud se habent gratanter offerre, subiiciente Matthæo: *Imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt*: preme verbum *fecerunt*,

Marginalia: 1. Paral. 22. 14. — Ioseph. — 3. Reg. 11. 1. & 3. — Eccl. 2. 4. — 3. Reg. 4. 22. & 26. — Ioseph. — Eccle. 2. 8. — Nyssen. — Matth. 21. 7. — Ioan. 12. 14. — Matt. 12. 42. — Matth. 21. 9. — Matth. 21. 7.

runt, quod in Scriptura ad coactionẽ referri iam alibi admonui: quasi huic Principi ipsasmet vestes, & pallia tantâ promptitudine populus tribuat, vt ipsum ea accipere renuentem cogant. Quæ verò illustrior pompa? quis splendidior comitatus? aut nobilior triumphus? imò verò quis plenior, & vberior regnandi fructus Principi esse possit, quàm suos sibi subditus tantâ lætitiâ, & alacritate applaudentes videre? vti hæc modestissima dominandi ratio, quâ vsus est Dominus, Matthæo sic celebrata dicitur: *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini.* Pulchrè

Cassiod. siquidem dicebat Athalaricus Rex apud Cassiodor. lib. 9. epist. 25. *Gloriosis quippe dominis gratiora sunt præconia, quàm tributa, quia stipendium, & tyranno penditur, prædicatio autem nisi bono Principi non debetur.*

8 Nec illud fuerit omittendum, inde etiam Principi frugalitatem esse gloriosam, quòd ad ipsius exemplum subditi, alioqui ad luxum, & superflua proni, componantur, & frugaliter subinde, ac temperatè agant, hac signatè in re Principis vitâ validiùs, & efficaciùs eos perurgente: vti & in Vespasiano Cornelius Tacitus, & in Tiberio Dio Cassius adnotarunt,

Corn. Tacit. Dio Cas. de illo enim cùm dixisset Tacitus lib. 3. Annal. *Sed præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu, victuq;.* Subiicit: *obsequium inde in Principem, & æmulandi amor, validiora quàm pœna ex legibus, & metus.* De Tiberio autem Dio lib. 57. purpurearum vestium luxum legibus antea intercedentibus minimè cohibitum suo exemplo corripuisse sic affirmat. *Gestabant eo tempore permulti etiam viri vestem purpuream, quanquam vetitum esset iampridem: id neque reprehendit in quoquam Tiberius, neque multauit, tantùm ludis cùm plueret, pallâ ipse penalâ indutus effecit, ne quis etiam alius vestem inconcessam vsurparet.* Nec mirum quidem, quippe is subditis mos

Prou. 29. 26. LXX. est, *vt requirant faciem Principis.* Prouerb. 29. 26. siue vt ibi LXX. habent *colunt*: hoc est à Principis facie velut à sole colorantur, & cultum, lucemque accipiunt, id omnino habentes pro ornamento, quod Principi placere animaduerterint. Sed & gustui, siue palato simile ex Principum moderatione adhibitum

Pacatus. frænum videris apud Pacatum: etenim cùm in laudem temperantiæ Imperatoris Theodosij dixisset. *Nam delicati illi, ac fluentes, quales tulit sæpè Resp. parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hiberna poculis rosa innatassent, nisi æstiua in gemmis glacie Falerna fregissent: horum gulæ angustus erat orbis noster: namq; appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimantes, illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut posita extra Romanum Colchis imperium, aut famosa naufragiis maria misissent, quos inuita quodammodo reluctantiq; natura hominum pericula rapuissent. Tua, Imperator, mensa communibus parciores locorum, ac temporum fructibus instruuntur.* Hinc ad Principis exemplum omnes subinde gulam frænasse, & moderationem, ac frugalitatem coluisse, sic affirmat. *Hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parcimonia cultus inoleuit, & quiescentibus legum minis subiit quemque priuatim sui pœnitentia: sic enim est. Exasperat homines imperata correctio, blandissimè iubetur exemplo.* Et post nonnulla. *Ad hæc Aulam omnem Spartanis gymnasiis duriorem, laboris, patientiæ, frugalitatis exemplis abundantem, neminem vnum inuenies, qui auderet ad penum regiam flagitare remotorum littorum piscem: peregrini aeris volucrem, alieni temporis florem.* Quibus consonant, quæ de

Sueton. Tiberio sic inquit Suetonius cap. 34. *Vt parcimoniam publicam exemplo suo iuuaret, solemnibus ipse cœnis pridiana sæpè, ac semesa obsonia apposuit, dimidiatumq; aprum, affirmans omnia eadem habere, quæ totum.*

Ad ea verba,

Misericordiam, & iudicium.

Bonus Princeps bella nisi lacessitus, aut Religione, & iustitiâ efflagitantibus non moueat.

ADNOTATIO XX.

1 CVM vna quidem ex parte nulla res humano generi æquè vtilis, honesta, & iucunda, ac pax sit, quam Dominus, siue per se, siue per Apostolum tam impensè suis commendauit. Marc. 9. 50. Ioan. 14. 27. & 1. Corinth. 7. 15. & cap. 14. 33. & 2. Corinth. 13. 11. ad Ephes. 4. 3. ad Coloss. 3. 15. & alibi passim, quam sacræ paginæ tantoperè laudant, vt ei signatè ex Dei ore pulchritudinem assignent Isai. 32. 18. & omnia simul bona ipsam complecti moneant, Isaiæ. 26. 12. & quam *Dei*, & *enim Deum*, & *quam Deum esse* pronuntient, vt scitè obseruat Nazianzenus orat. 3. de pace; ex alia verò nihil itidem fuerit tam pestilens, tam hominum societati exitiale, atque inimicum, quàm bellum, ex quo semel omnium bonarum rerum naufragium oriatur, omnium malarum rerum pelagus exundet, & omnium maximi, & concatenati sibi labores, & luctus succedant, quam bella bellis seruntur, & pullulant, Principis sanè optimi, suosque amantis, peculiaris nota fuerit, omnino inuitum, atque reluctantem in bellum descendere, cùm illud videlicet omnibus vndequaque tentatis, saluo decore honestique ratione, nullâ ratione vitare potuit, sic id monente Augustino epistola 207. tomo 2. *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas.* Quâ planè mente, si bene æstimas, quotquot optimi, & in bello clari Principes censentur, præditos fuisse constat: & de nostro quidem Rege ita disertissimè primùm Ambros. lib. 1. officiorum cap. 35. ait. *Nunquam David nisi lacessitus bellũ intulit, itaque prudentiã fortitudini comitẽ habuit in prælio.* De magno verò Theodosio Aurelius Victor scitè inquit: *Adeò cupiditatẽ triumphandi abominatus est, vt bella non mouerit, sed inuenerit*: ab aliis videlicet sibi illata, in quę nõ nisi lacessitus, & prouocatus, vt sese defenderet descendit: ad quem modũ de Octauiano Augusto idem Aurelius Victor: *Nisi iustis de causis nunquam genti vlli bellum intulit*, & de Traiano Plinius in Panegyrico. *Sed tantò magis prædicanda moderatio tua, quòd innutritus bellicis laudibus pacem amas: non times bella, nec prouocas.* Nec aliter de Hadriano Dio Cassius. *Nullum ipse bellum mouit, quod si motum erat, composuit.* Generali verò oratione, & Agellius lib. 13. cap. 3. monuit, *Perrarò bonum Imperatorem in pugnam descendere, nisi magna instet necessitas, & occasio*, & Marcianus Imper. dicere est solitus. *Imperatori arma capienda non esse, quamdiu colere pacem liceret.* Vnde quidam non ineptus Poëta non minùs gloriosum Cæsari fuisse dixit: bella restinguere, quàm feliciter vicisse, atque triumphasse: sic enim lib. 2. elegia 16.

Mart. 9. 50. Ioan. 14. 27. 1. Cor 7. 15 & cap 14. 33. 2. Cor. 13. 11. ad Eph. 4. 3. Ad Coloss. 3. 15. Isai 32. 18. Isai. 26. 12. Nazianz. August. Ambros. Aur. Vict. Plinius. Dio Cas. Propert.

Cæsaris hæc virtus, & gloria Cæsaris hæc est;
Illa quâ vicit condidit arma manu.

2 Ergo cùm Principi pacem cõmendamus, quam non nisi belluæ aspernantur: cùm à bellis absterremus, non illum timidũ, fugacem, aut ignauũ, sua iura non defendentem facimus, aut volumus, sed fortem, magnanimum, se, sua, suosque seruantem, & in ipso discrimine in quod inuitus inciderit, plus plus valentem. At enimverò præfatum monitum ex Christi Domini doctrina educere, atque efformare fuerit in primis operæpretium. Certè in ipsamet Passionis suæ nocte, cùm ipse tamquam agnus ad mortem per propria

prios pedes ibat, peculiarem de gladiis curam habuisse videris, & ab Apostolis, an illis satis essent instructi, perquisiisse hunc in modum: *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Lucæ cap. 22. vers. 36. Sed quid tunc gladiis opus fuit? maximè cùm in ipso discrimine Petrum gladium distringentem increpauerit, & gladij vsum (Tertulliano pulcrè obseruante lib. de Patienna cap. 3.) *maledixerit in posterum.* Sanè, vt qui tot vineos de pace seruando dederat monita: iamiam morituros Principes de bellis sollicipiendis, quod ipsis adeò frequens est, & verbis, & exemplis commoneret. Et quidem admonitionis scopus, & summa hæc esse videtur, vt Principi semper parata sit defensio, nimirum, vt eâ armorum, & pecuniarum vi sit instructus, quâ infestos hostium conatus retundere valeat; sed non ideò bella nocet, aut moueat: imò verò si eo inuito aliquod motum sit, aut componat, aut si quando in illud inciderit, modestissimè iubeat geri. Hæc omnia ex præfatis Domini verbis sapienter obseruantibus Ambrosio, Bernardo, & Beda: sic namque primùm Ambrosius ad verba Lucæ. *O Domine, cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur habere præcipis, quem vetas promi? Nisi fortè vt sit parata defensio, non vltio necessaria.* Vides, vt hoc Principi gladij necessarij, & quasi tecti esse semper videlicet sit parata defensio: nam vt Rex Theodoricus alibi à nobis adductus apud Cassiodorum lib. 1. epist. 17. dicebat. *Munitio quippe tunc efficitur praeualida, si diutinâ fuerit excogitatione roborata. Omnia subitò probantur incauta, & male constructio loci tunc quæritur, quando iam pericula formidantur.* At enim, dum Dominus Petri factum priùs gladiù euaginantis, quàm abeo, quem ipse percussit, fuisset lacessitus, acriter reprehendit, omnino monuit, bella vt timenda non fuerint, non tamen esse prouocanda, nec gladium sponte, sed ab inuito, & reluctante, nec tam propriâ, quàm alterâ manu fore distringendum: sic id acutè ad Domini verba permouente Bernardo lib. 4. de Consider. cap. 3. *Tuus ergo (gladius) etsi non tuâ manu euaginandus.* Ac si Principem admoneat: Non quòd tibi ad manum gladius sit, exercitis videlicet, milites, magnaque potentia, tu illum educere non lacessitus debes, quippe vt dicebat Augustinus. *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas,* & (Seneca id egregiè monente) *felicior est pax nunquam lacessita, quàm multo reparata sanguine.* Certè ab vtraque huius moniti parte non longiùs iuisse inuenies gentilem Marobodium de quo Velleius Paterculus. *Gerebat se ita, vt ne quem bello lacesseret, etsi lacesseretur, superesse sibi vim, ac facultatem resistendi declararet.* Quamquam in eo ille à Christi schola errarem se ostendebat, quòd *superesse*, non adesse resistendi vim declararet, id est, quòd maiores, potentioresque ad resisteodum, quàm opus erat, vires, conarumque adhiberet, vt defensio in vltionem transisse videretur. Nimirù, vt benè in euaginaro vno Petri gladio admonuit Beda, modestissimè à discipulis gestum pro Christo bellum, siue suscepta defensio fuit, dum è duobus, qui ad manum erant gladiis, vnicus omnino districtus est. Ita enim ille Domini verba ad discipulos duos se habere gladios dicentes: *Satis est*, vrget. *Duo gladij sufficiunt ad testimonium sponte passi Saluatoris, vnus, qui & Apostolis audaciam pro Domino certandi, & eiusdem ictu eius auriculâ Domino etiam morituro putatem, virtutemq; doceret inesse medicandi: alter, qui nequaquam vaginâ exemptus, ostenderet, eos nec totum, quod potuêre, pro eius defensione facere permissos.* Opportunissimè.

3 Iam vt videris, id omnino Dei ingenium esse, cui vehementer displiceant bella sine magna causa suscepta: contra verò pax gratissima, & amica sit, omnino obserues velim quàm magnâ, atque diuturnâ indignatione in populum Amalech ipse exarserit, qui, Regem eius, & quotquot viuentia ibi erant, adeò funditus deleri, atque extingui iussit, vt ea illorum genere, ac rebus nihil reliquum esset: sic namque id negotij Saüli Dei nomine dedit Samuel 1. Reg. 15. 3. *Vade, & percute Amalech, & demolire vniuersa eius, non parcas ei, neque concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem, bouem, & ouem, camelum, & asinum.* Vbi si ambigas, quam ob causam tam acerbè, tamque vniuersè populus ille fuerit à mitissimo Domino mulctatus, vt etiam ipsimet paruuli, & lactentes à cæde exempti non fuerint? ipsemet Dominus ibi rationem disertissimè reddit. *Recensui quæcunque fecit Amalech Israeli, quomodo restitit ei in via cùm ascenderet de Aegypto.* Quod planè nihil aliud fuisse dixeris, quàm Amalecitas ingratis Israelitis pacificè euntibus armatos occurrisse, quo illos per terminos suos transire permitterent, eaque de causa bellum ipsis iniustè intulisse. Quod fusiùs refertur Num. 20. vers. 20. & Deuter. 25. vers. 18. dicente Domino. *Memento quæ fecerit tibi Amalech in via, quando egredieberis de Aegypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame, & labore confectus.* En grauissimum Amalechitarum peccatum! En gentem Deo maximè infensam, quæ non pro iure aut religione, sed pro libito bella gerebat, en supplicium in omnes, siue magnos, siue paruulos iustissimè illatum, ne gentis iniustè bellatricis semen, quod feros parentum mores imitaretur, remaneret. Sed enim minùs fuerit mirandum, barbaros, & atroces homines ob bella Dei populo illata severum id subiisse supplicium, quando Regum optimus, Deoque gratissimus Iosias ea signatè de causa in bello cadere meruerit, quòd Ægyptio Regi aduersus Assyrios in prælium eunti armatus occurrerit, illoque eum adhortante, ne sibi molestus esse pergeret, quando sibi cum eo nihil esset negotij, obstinatò tamen in bellandi motu perstiterit, rem hunc in modum sacro Historico referente 2. Paralip. 35. 20. *Postquam instaurauerat Iosias templum, ascendit Nechao Rex Aegypti ad pugnandum in Charcamis iuxta Euphratem, & processit in occursum eius Iosias. At ille missis ad eum nuntijs, ait: Quid mihi, & tibi est Rex Iudæorum aduersum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Dominus festinarè ire præcepit, desine aduersus Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te. Noluit Iosias reuerti, sed præparauit contra eum bellum, nec acquieuit sermonibus Nechao ex ore Dei: verùm perrexit, vt dimicaret in campo Mageddo, ibiq; vulneratus à sagittariis, &c. mortuus est.* Adeò Deo importunus ille bellandi ardor displicuit, vt PP. & Interpretes ibi adnotarunt, Iustinus M. q. 79. ad Orthodoxos; Theodoret. quæst. 27. in lib. 3. Regum; Abulensis, & Caietan. ibidem, & quidem meritò. Sapientes enim magnos ille Augustus dicebat apud Aurelium Victorē. *Lacessitos esse ingenij, & leuissimi, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id est folia infructuosa in discrimen per interitus euentus certaminum, securitatem ciuium præcipitare.*

4 Nec opus fuerit longiùs examinare, cur tantoperè bella Dominus execretur, cùm ipse Deus pacis, & pax ipsa sit, ac proinde cum ipso immediatè bella quodammodo pugnare videantur: nimirù vt ille homines ardentes, & impensè diligit, ita bellum ipsos maximè odit: ille humanum genus omnino complectitur, & fouet, bellum contrà, illud absumit, & petdit: ille quà communis hominum parens est, ipsos germanitatem & mutuam cognationem inter se habere, & iuuicem copulari studet: bellum verò homines disiungere, & in mutuas illas cædes auidos facit, Nam, vt ille.

Inuisum miles sitiens haurire cruorem Claudian.

Contemptas

Luc. 22. 36. — Tertul. — Ambros. — Cassiod. — Bernard. — August. — Velleius. — Beda. — A — B — C — D

1. Reg 15. 3. — Num. 20. — Deut. 25. 18. — 2. Par. 35. 20. — Iustin M. — Theodor. — Abulens. — Caietan. — Aurel.

de bello Getico.

Contemptas coacalcat opes, pretiosior auro
Sanguis erat, paßim neglecti prodiga lucri
Ira furens stricta odium matronibus implet.

Quid ergo diuinis cogitationibus de hominum bono, & concordia adeò sollicitis ita aduersetur, vt bellum? dum ab eo homines hominibus pro cognatione, germanitate, amicitia, gratia, odium, discordiam, offensionem, & ipsam denique mortem reddunt? Didicimus quidem hanc rationem ab ipsomet Domino, qui suos milites ad illatas sibi iniurias vleiscendas, & iustissimum de Madianitis qui Israelitis exitiosissimi extiterant, supplicium sumendum sic immittens: Numer. 31. 1. *Vlciscere priùs filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum*: cùm ipsi Dei iussa executi, victores è prælio rediissent, non illico intra castra eos suscipi voluit, sed septem priùs dies extra castra manere, donec purificarentur: ita enim ibi primùm. *Cumq; pugnassent contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt, & reges eorum*, deinde sic eos Dei nomine allocutus Moyses dicitur vers. 19. *Manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio, & septimo.* Quòd si ambigas, cur milites qui Dei iussa fuerant executi, bellumque ipsius nomine, quod sanctissimum erat, atque iustissimum, gesserant: purificatione indiguerint? Respondebo, purificari debuisse, quia à bello recenti, & ab humana cæde veniebant: nam quantumuis iusta hæc fuerit, humana tamen cædes est hominum cognationi inimica: sic hæc obseruante S. Isidoro Pelusiota lib. 4. epist. 200. ad præfatam Numerorum historiam, vbi Ophelio interroganti. *Si cædes illa quidem, quæ aliter committuntur, non sunt pura, atque innocentes, à bello autem scelus abest: quamobrem Moyses qui ex bello reuertebantur extra castra purgandos relegauit*: hunc in modum respondet. *Ego igitur, quamuis legitima esse videantur hostium in bello cædes, & columnæ victorum erigantur præclara ipsorum facinora prædicantes, tamensi accurata, ac suprema cognationis, quæ inter homines est, ratio habeatur, ne has quidem planè innoxias esse. Quam ob causam ipsis præcepit, vt purgationibus, & abstersionibus, vterentur.* Hæc ille, non quidem quòd legitimam hostis in iusto bello cædem damnet, quasi crimini obnoxiam: sed quasi germanitati, & cognationi humanæ dissonam, ac proinde per se (vt aiunt) minimè expetendam, vt hue non importunè aduoces, quod libro primo historiar. inquit Tacitus. *Atque apud bonos miserum est occidere quàm perire.* Sed & præfatæ obseruationi sacræ ipsosmet Ethnicos subscribentes videris: nam Poëta libro secundo Æneid. Æneam à iusto, & legitimo pro patria cum Græcis bello digressum: sic sacra tractare renuentem facit.

Num. 31. 1. & 19.

S. Isid. Pel.

Corn. Tac.

Virgil.

Tu genitor, cape sacra manu, Patriosq; Penates,
Me bello tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero——————

Sen. Trag.

Et apud Senecam Tragicum in Hercul. Furente, Amphytrio ipsum Herculem sacrificaturum monet, vt qui à bello rediret, cruentas priùs manus abluat.

——— *Nate manantes priùs*
Manus cruentâ cæde & hostili expia.

A quo planè non iuerit, quod Plutarcho in qq. Romanis, quæstione trigesimâ nonâ assertum est, apud Romanos, eum qui nullâ obstrictus necessitate sacramenti militaris hominem etiam in bello occidisset, cædis reum esse.

Ad eadem verba,

Christiani signatè Principis esse, pacem quàm bellum amare, nec illud mouere, nisi cùm tentatis omnibus vitari non potest.

ADNOTATIO XXI.

1 QVÆ præcedente adnotatione diximos, ad omnes omnino Reges pertinent, quos sic generaliter de hoc monet Augustinus lib. 4. de ciuitate Dei. *Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos solâ regni cupiditate conterere, quid aliud, quàm grande latrocinium nominandũ est?* Christiana tamẽ sæcula, fidelesque Principes singillatim respiciunt, quippe quibus pacis pulchritudo à Domino, & promittitur, & suadetur Isaiæ 32. 17. hunc in modum. *Et erit opus iustitia pax: & cultus iustitia silentium, & securitas, vsque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*: tantùm non dicens, ex accurata obseruatione iustitiæ, pacem & quietem inter Christianos Principes veræ virtutis studiosos omnino orituram, eo sensu, quo ratiocinationem à contrario conficiens argumentabatur Iacobus Apostolus cap. 4. 1. *Vnde bella, & lites in vobis? Nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris. Concupiscitis, & non habetis: occiditis & zelatis, litigatis, & belligeratis.* Nimirum vt ex praua concupiscentiis, & indomitis affectibus iræ, auaritiæ, ambitionis, vindictæ, apud eos qui rationi, & iustitiæ non obtemperant, bella, & contentiones oriuntur, dum aut alteri cedere turpissimum putant, aut regiũ esse credunt de alienis regnis contendere, vti ille apud Tacitum lib. 15. Annalium dicebat: *Id in summa fortuna æquius quod validius; & sua retinere, priuatæ domus; de alienis certare, regiam laudem esse*, & generali oratione Sallustius in coniurat. Catil. *Vna & ea vetus causa bellandi, profunda libido imperij, & diuitiarum.* Ita apud Christianos Principes, qui cum fide modestiam, temperantiam & omnes virtutes didicerunt: summa pax & tranquillitas colitur, quia ferrum nisi pro Religione, aut pietate (ad quam meritò quidem referas subditorũ incolumitatem, & commissorum sibi regnorum custodiam) distringant. Cui sanè cogitationi duo mirè concinunt: alterum, inter omnes Reges Israel, non Dauidem, aliosve excellentioris meriti, & sanctitatis, sed vnum Salomonem, qui re & nomine pacificus, dictus est, Christum Regum Christianorum Regem adumbrasse, & eius figuram & imaginem exprimentem, magnificum illud templum, quod Christianam Ecclesiam referebat, construxisse, id omne ipsomet Dauide Dei nomine Filio Salomoni, sic dicente 1. Paralip. 22. 7. *Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei: sed factus est sermo Domini ad me dicens: Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me. Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus. faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam pacificus vocabitur, & pacem & otiũ dabo in Israel cunctis diebus eius, ipse ædificabit domum nomini meo, & ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem, &c.* Planè, quòd pax, concordia, humanitas Christianæ disciplinæ nota, & quasi character esset futurus, benè ad similia verba 2. lib. Reg. 7. obseruauit Procopio, qui cùm latè in Dauidis laudes hunc in modum excurrisset. *Qui imperium intrepidè gessit, cultum diuinum exercuit, intentus orationi, psalmodia, diuina dilectioni, & saluti totius populi magnam curam habuit, præterea erga amicos fidus fuit. gratus erga benefactores, non crudelis in eos, qui iniuriâ aliqua eũ affecissent. Deinde si quis-*

August.

Isaiæ 32. 17. & 18.

Iacob. 4. 1.

Corn. Tac.

Sallustius.

1. Par. 22. 7.

Procop.

quisquam alius vnquam, certè hic pauperes amplexatus est, ob quas rei homo secundùm cor Dei esse dicitur. Ideo illi prohibitum fuisse monet, ne templum Christianæ Ecclesiæ typum erigeret, quòd hæc cum iis bellis à quibus pax & humanitas læditur, non benè se gerat: sic enim ille. *Domum orationis construere Deus Dauidi non permisit, docens humanitatem omnes quotquot hoc in loco Deum erant inuocaturi. Nam qui videns, Prophetam non concedere Dauidi propter cædes quamtumuis iustas, vt Deo ædificet, puras manus habere docentur.* Vt dixerit, si ei, qui iustissimè dimicanit, domum orationis construere non fuerit permissum, quomodo ij Deo placere dicentur Christiani Reges, qui bella non tam pro Religione, & iustitia, quàm pro libito, & ambitione mouent?

Gen. 32. 26. 2 Alterum, sic Dominum in lucta illa cum Iacobo Genes. 32. 26. se gessisse, vt qui totâ nocte constanter fuerat luctatus, illucescente die, cùm ardentiùs pugnæ insistere debuerat, vt pugilem suum tandem superaret, contrario quidem consilio missionem ab illo, sic petierit: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Sed quæ oro, hæc ratio fuerit cessandi à lucta? buiusmodi illa nocte, quàm die exercetur? Respondent frequentiùs Interpretes, noluisse Dominum, siue Angelum personam eius gerentem in forma humana clarâ luce conspiciendum se præbere. Scilicet, tunc solùm, & non sæpiùs, aut Dominus, aut eius nomine Angelus, humanis se conspectibus ingerebat? de quo totæ sacræ paginæ plenæ sunt. Ergo illa videtur expedita responsio, quam in manibus habemus: nam cùm noctis tempus Synagogam, dies verò Christianam Ecclesiam adumbret, vt apud Paulum habeo. *Nox præcessit: dies autem appropinquauit*, ad Rom. 13. 12. Dominus qui pro temporis opportunitate vnà cum illa gente: siue etiam pro illa tot annos bella gessit, Christianis temporibus pacem suam sic aptauit, vt *Principes pacis* esse, & dici voluerit: ac proinde qui noctu luctauerat, die adueniente à luctâ opportunè cessauit, quasi iam importunissimum bellis tempus esset, cùm pax Dei ad terras descendit. Pro quo satis fideiubet ipse Angelorum chorus ad Principis huius natiuitatem canentium: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ cap. 2. 14. Sed multò magis ipsemet eiusdem Domini sanguis pro bono pacis, vt homines scilicet coniungeret, & faceret vtraque vnum, ad Ephes. 2. 14. omnino effusus; audi Nazianz. orat. 42. prope finem, sic inquientem. *Nullum tamen cum salutis meæ miraculo conferendum est: in quo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuersum instaurarunt atque idem, quod lacti coagulū hominibus præstiterunt, in vnū nos coniungentes & constringentes.* Quid ergo inquis, Deusne à Deo discordat, qui in nocte luctatur, in die non luctatur? Minimè quidē, cùm ad Principū institutionē, illius prælia eodem ac pax ineunt, siue non alia de causa, quàm pro pace, & paci militauerit. Quæ potissimùm bellandi causa, ratio, & scopus esse debet. Audi Augustinum præfata epist. 107. ad Bonifacium Comitem. *Non quæritur* (inquit) *pax, vt bellum exerceatur, sed bellum geritur, vt pax acquiratur: esto ergo in bellando pacificus, vt eos quos expugnas ad pacis vtilitatem vincendo perducas.* Sed enim modò obserua in præfato Angelorum cantico, quàm sit coniuncta, imò indiuidua Deo adscripta gloria cum pace ab ipso data. Quòd nihil gloriosius Principi arma tenenti fuerit, quàm pacem dare, vti dicebat ille,

Rom. 13. 12.

Isai. 9. 6.

Luc. 2. 14.

Nazianz.

August.

Propert. *Cæsaris hæc virtus, & gloria Cæsaris hæc est;*
Illâ quâ vicit, condidit arma manu.

3 Sed enim inde signantissimè à Christianis Principibus importunus bellandi ardor abesse debet, quòd iis charior esse debeat sua gens Christi sanguine coempta, maioremque ei beneuolentiam exhibere ipsi teneantur: nec gentia suæ sanguinem appellantim solummodo corporis vitam, sed etiam animarum salutem, rectam disciplinam: bonos mores, cum quibus bellum malè se gerere, quis non videat? Quare ad Iosiam iure à PP. ex Scriptura reprehensum, quòd bellum non necessarium susceperit, rursus redire operæpretium fuerit. Et verò dum tam PP. quàm Interpreteres accuratè disquirunt, quâ ratione pius ille, & seruantissimus æqui Rex criminis arguatur, cùm bellum, gesserit cum Rege idololatra, à quo per terras suas transeunte aliquid mali non temerè sibi metuere poterat: rectè si quid mihi iudicij hac in re est, respondisse videtur Cardin. Caietan. ea de causa, Principem illum culpæ fuisse obnoxium, quòd Deum, quid sibi ea in re esset faciendum, non consuluerit: nimirum, si quid aliud in rebus humanis, magno consilio, & exquisitâ consultatione siue cum Deo, siue cum prudentissimis viris habendâ indiget, id omnino bellum est, quippe quod de iis omnibus, quæ apud Principem pretiosissima haberi debent, suorum videlicet incolumitate, innocentia, salus, vita, facultates absolutè decernit. Num hæc tam magna, tam sibi chara in aleæ arbitrium, & fortunæ manus dabit Princeps, quin prius altiora consilia, maturamque ac sedatissimam deliberationem ineat, & bellandi causas ex veritate accuratissimè pendat? præsertim cùm & victoria non semper meliori parti faueat, & (quod est in prouerbio) *in bello bis errare non liceat.* Sed quàm opportuni consultores hac ei in re fuerint cù Mucianus ille, apud Cornel. Tacit. lib. 2. Historiar. Vespasianum Principem sic admonens. *Omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur Reipubl. vtile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certè non arduum sit.* Tum Sidonius Apollinaris lib. 4. epist. 6. sapientissimè affirmans. *Ego huiusmodi consilio album calculum minimè appono, cuius temeritas absolui nequit, nisi beneficio felicitatis.* Enimverò hanc Magno illi Principi Augusto egregio belli, pacisque arbitro mentem fuisse, sic refert Suetonius in eius vita cap. 25. *Prælium quidem aut bellum suscipiendum omnino negabat, nisi cùm maior emolumenti spes, quàm damni metus ostenderetur. Nam minima commoda non minimo sectantes discrimine similes aiebat esse aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum nullâ captarâ pensari posset.*

Caietan.

Corn. Tac.

Sid. Apol.

Suetan.

4 Hinc quidem si Princeps bellicæ gloriæ auidus maioris emolumenti spe, quæ illum blandè allicit, vna ex parte opposuerit ingentes curas, sumptus, pericula, trucem belli faciem, cruentas & atroces eius manus vnà sæpè horâ tot millibus hominum Christi sanguine coemptorum vitam eripientis, tot orphanos, viduas, orbos, mendicos, infelices reddentis, & quod pessimum est, bonos à malis non discriminantis: nam *in pace causa* (sic Tacit. lib. 1. Annal.) *& merita spectari, vbi bellum ingruat, innocentes, & noxios iuxtà cadere*, imò meliores, sæpè, sic obseruante Minutio in Octauio: *Cùm belli ardore sæuitur, meliores potiùs occumbere.* Ex alia attentiùs perpenderit, à bello maximam, & præsentissimam morum perniciem, audaciam, temeritatem, rapacitatem, & turpitudinem esse: quod Theodoricum Regem apud Cassiodorum lib. 1. epist. 21. minimè latuit: sic enim eleganter inquit: *Militaribus officiis assueti ciuilitatem premere dicuntur armati, & ob hoc iustitiæ parere despiciunt, quoniam ad bella Martia semper intendunt: dum nescio quo pacto assiduè dimicantibus difficile est morum custodire mensuram:* omnino quidem crediderim, ad pacis consilia animum adiecturum: minima commoda non minimo sectetur discrimine. Aduoces eos opportunè quidem Senecam: dum eos qui bella transmaria parant, sic castigat lib. 5. natur. qq. cap. 18. *Quid in arma cogimus populos? Quid exercitus scribimus directuros aciem in medijs fluctibus. Quid maria inquietamus? parum videlicet ad mortes nostras terra latè patet.* Nimis

Tacit.

Minut.

Cassiod.

Seneca.

Nimis delicatè fortuna nos tractat, nimis dura dedit corpora, felicem valetudinem: non depopulatur nos casus incurrens, emetiri cuique annos suos ex commodo licet, & ad senectutem decurrere. Itaque eamus in pelagus, & vocemus in nos fata cessantia. Miseri quid quaritis? Mortem, quæ vbiq́ superest? Petet illa vos in lectulo, sed vbique innocentes petat: occupabit vos in vestra domo, sed occupet nullum molientes malum. Hoc verò quid aliud quis dixerit quàm insaniam, circumferre pericula, & ruere in ignotos, iratum sine iniuria occurrentia deuastantem, ac ferarum more occideris, quem non oderis. Hæc ille & plura ibi. Sed multò sunt opportuniora, quæ præfatus Rex Theodoricus, Ludouico Francorum Regi, qui Alarico Gothorum Principi leuibus de causis bellum inferebat, ita suggerit apud Cassiodorum lib. 3. epist. 4. (*Cassiod.*) *Miramur animos vestros sic causis mediocribus excitatos, vt cum filio nostro Alarico Rege durissimum velitis subire conflictum, vt multi, qui vos metuunt, de vestra concertatione latentur: Ambo estis summarum gentium Reges: ambo atate florentes. Non leuiter regna vestra quassatis, si datâ partibus libertate confligitis.* Concludit submonens disertissimè. *Virtus vestra non fiat patriæ inopinata calamitas. Quia grandis inuidia Regum in causis leuibus est grauis ruina populorum.* Hæc ibi Theodoricus Rex.

Ad ea verba,

In medio domus meæ.

Principem intra Regni sui limites magna bella gesturum, ire ipsum, & agmina ducere debere.

ADNOTATIO XXII.

1 VIDEO omnes penè ciuilis doctrinæ Doctores, quamuis omnino togati, imò & Ecclesiasticis canonibus adstricti ij fuerint, non tantùm bonis Principum moribus formandis intentos, sed bella etiam, præliaque gubernantes, & militaribus illos monitis imbuentes, nec perfunctoriè solum & strictim, sed copiosiùs & accuratè differentes, quæ arma curanda? quibus bellicis machinis vtendum? quomodo & castra componenda? & instituenda acies? & obsidendæ vrbes? & traiicienda flumina? itidemque ad victoriam equites, an pedites plus faciant? ac demum quidquid Vegetius in libris de re militari, & Onosander in Strategico, velut è tripode locuti sunt. Nos verò tum ne actum agamus, tum vel maximè ne nos Hannibal tamquam Phormionem Philosophum coram illo de præliis, & acie instituenda disputantem, apud Plutarchum in Hannibalis, & Scipionis comparatione meritò irrideat: (*Plutarch. in Hannib.*) nec enim opportunè quis velut sutor vltra crepidam de iis iudicare conetur, quæ sunt ab eius arte, & professione aliena; ab hoc instituto abstinendum duximus, omnia rei militaris documenta ad bonitatem causæ, propter quam decertatur, & ad ipsiusmet Principis ipso in prælio præsentiam reuocâsse contenti: omnino persuasi totum præliorum momentum in his potissimùm verti. Et de primo quidem oraculum Dei est ad Regem Amasiam per Propheram enuntiatum 2. Paralip. 25.8. (*2. Par. 25. 8.*) *Si putes in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est & adiuuare, & in fugam conuertere:* Dum opem videlicet ipse pro iustitia & fide pugnantibus affert, siue legitimè certantibus coronam reddit. Vnde quidem Chrysostomus in Psal. 43. (*Chrysost.*) illustres fortissimorum Machabæorum victorias & triumphos non bellico robori, sed bonitati causæ, pro qua pugnabant, sic tribuit. *Cùm ergo aciem dirigerent, & suas animas reducerent, fundebant aduersarios non armis fidentes, sed loco omnis armaturæ pugnæ causam suffi-*

P. Velasquez in Psal. centesimum.

A *cere ducentes.* Quod planè nec ipsosmet Ethnicos latuit, cùm & Cyrum Hircani ducibus dixisse sciamus. *Ita enim animis comparati esse videmur, vt si veraces sitis, nos ad benemerendum de vobis idoneos sitis habituri, si decipiatis, eam putamus rerum nostrarum fore conditionem, vt non in vestra potestate simus futuri, sed vos in nostra, diis adiuuantibus arbitremur.* Et ipsemet Onosander in Strategico, siue in Imperatoris institutione, cùm hoc omnino militaribus præceptis præponat. *Bellum nisi ob iustam, & legitimam causam non suscipiendum*, pulcherrimè id, tum à Dei auxilio, tum à militum promptitudine sic firmat. *Principia ipsa belli prudentissimè constitui oportere censeo, ita vt æquitatis ratione suadente suscepta esse manifestè appareat: tunc enim exercitui contra hostes socius bellorū Deus, propitiusq́ adsistet, ipsiq́, adeò milites erunt adeundis periculis promptiores.* Hæc ille, & alia, quæ Lector videat.

B 2 Vt ego aliquid, quod vt è nostris Regibus, & quod paucorum oculis peruium est, ita aptius, & opportunius proferam: illa inquam verba, quæ inclytus Rex noster Ferdinandus V. cui eximius tuendæ Religionis ardor, & bella pro ipsa gloriosissimè confecta Catholici nomen dederunt, Lusitano Regi amicitiæ, & affinitatis vinculis coniuncto hanc in rem rescripsit. Equidē cùm Ferdinandus Religioni, & purissimo Numinis cultui multo magis quàm thesauris congerendis intentus, Iudæos gentem Christiano nomini exosam, & bonis moribus exitialem è suis regnis expulisset, eamque ob causam à Lusitano Principe tamquam imprudens, & necessarij æris prodigus non leuiter increparetur, quasi homines locupletissimos suis sedibus propellere, nihilo melius foret, quàm Rempub. ingenti vectigali spoliare, & sese multis

C tunc, & periculosis bellis immersum, inermem reddere, ille amici Principis increpationibus, per litteras tanto scriptore dignas, quæ vtinam omnium Principum manibus tererentur, sic obuiam iuit. *Cùm opus sanè, ô Rex, sit, vt aut regiæ diuitiæ detrimenta, aut Religio contagia sentiat, nusquam auri vim tanti duxerim, vt æquâ lance cum Religione contendat. Pecunia enim aut Maiestatis conducit ad gloriam, aut bellis subsidia præstat: sed mei palatij sumptus aliena non desiderant, cùm propria supersint, vbi modestia quidem, non superbia præscribit quid regium faciat ad pretium: bella autem, quæ aut suscepta gero, aut illata repello, ea iustitiâ, & bonitate causæ innituntur, vt multis pecuniis non indigeant; ego enim, & Dei prouidentia, & certissimis experientiæ documentis fidem faciens, sic existimo, non tam conductionem militum, aut exercituum robur, quàm Religionem, & iuris integritatem neruum esse præliorum.* Hæc in epistola Heros ille. Quæ Gregor. Nazianz. orat. 32. egregiè confirmare videtur, (*Nazianz.*) dum similem cum homine politico ratiocinationem instituit, hunc in modum. *At tu*

D *parietes, & tabulas arctissimè tenebas, & scitè, atque eleganter cæsos lapides, & longos cursus, & ambitus, atque auro fulgebas, & collucebas, illudq́, partim aqua instar spargebas, partim, quasi arenam aggerebas, nimirum ignorans, præstantiorem esse fidem sub dio degentem, quàm copiosam, & magnificam impietatem: ac tres in nomine Domini congregatos plures apud Deum censeri, quàm multos diuinitatem abnegantes. Quid? an trecentos illos viros, qui cum Gedeone lamberunt, tot hominum millibus pedem referentibus inferiores esse contendes? An Abrahæ vernaculos numero haud multò plures multis illis Regibus, atque innumerabilibus copiis quas, quamuis ipsi pauci essent, persecuti tamen sunt, atque in fugam verterunt?* Sic pro Ferdinando nostro Gregorius Theologus.

3 Iam verò Principi siue ad nominis sui famam, siue ad victorias, & triumphos obtinendos opportunissimum esse, in campum in primis descendere & exemplo potiùs, quàm imperio monstrare militibus tolerare labores. Sic sapienter admonet Synesius orat.

Synes. de Regno ad Arcadium Augustum. *Vnde paulatim nostra procedens oratio Regem è palatio eductum post amicos militibus secundis quasi amicis conciliat, atque in campum descendere iubet, vt hominum, armorum, equorumq; recognitionem faciat. Ibi & cum equite equitabit, & cum pedite decurret. & cum armato armatus incedet, & cum cetrato cetrâ exercebitur, & cum leui armatura militibus iaculabitur, vnumquemque operum communione in viuam societatem, amicitiamq; pelliciens, vt ne erga eos dissimulator, aut cauillator sit, dum commilitones vocabit, sed in concione verba facientem cognoscant, testenturq; vt ipsa nomen istud ab eo comprobari.* Deinde nihil ipsi esse gloriosius, quàm ferro onustum, armis grauem ipsimet præliorum discrimini interesse. Ita eleganter pendit Chrysostomus homil. 6. de feria 5. Passionis. *Rex quando gloriosior? quando indutus purpurâ, diademate decorus, aspersus auro, solio sublimis, ad pompam tamen non parat ire, sed hec in secreto fruntur quãdo in campũ iens, vultu, & honore vltimus? periculi primus, onustus ferro, grauis armis, pro patria, pro ciuibus, pro liberis, pro vita omnium promptè hostem, discrimina dispicit, contemnit vulnera?* Vnde quidem apud Scriptores hinc frequenter laudati aut improbati Principes: nam de Iulio Cæsare Suetonius in eius vita cap. 57. *In agmine nonnunquam in equo, sæpiùs pedibus anteibat capite detecto, seu Sol, seu imber esset.* De Augusto verò non modò ducis, sed & militis officio functum esse, ac media in dimicatione aquilifero suæ legionis grauiter saucio aquilam humeris subiisse, diùque portasse, ait: de Catone verò Lucanus lib. 9.

Chrysost.

Sueton.

Monstrat tolerare labores,
Non iubet.

Tacit. Similiter de Othone Cornel. Tacitus lib. 2. hist. *Nec ille segnis, aut corruptum luxu iter, sed loricâ ferreâ vsus, & ante signa pedester, horridus, incomptus famæque dissimilis.* Similiter de Tito lib. 5. histor. *Decorum se, promptumq; in armis ostendebat, ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus.* De nostris verò Traiano, & Theodosio (in quibus Hispanos omnes Principes describi ptos ac delineatos nosce, Philippos, Carolos, Ferdinandos, Alphonsos, Sanctios, egregios quidem bellatores, & belli duces) eadem habent Plinius, atque Pacatus, ille namque prior. *Cùm in illa meditatione campestri militaribus tarmis Imperatorium puluerem, sudoremq; misceres, nihil à cæteris nisi robore & præstantiâ differens.* De Theodosio similia hæc Pacatus. *Ne tum quidem cùm in altiorem prouectus gradum iubere tantùm & diuidere cum negotio etiam, & partâ gloriâ velut reposito frui posses honore, operam remisisti, quin omnium castrensium munerum numeros, primus aut cum primis obires, stare pro signis, excubias sortè agere, vallum ferre, locum bello antecapere, speculatum egredi, castra metari, in prælium primus ire, prælio postremus excedere, dux esse consilio, miles exemplo.* Quod sanè & ipse filio Honorio ad hunc modum præcipiebat apud Claudianum in 4. Honorij Consulatu.

Plinius.

Pacatus.

Claudian.

Nunc eques in medias equitum te confere turmas
Nunc pedes assistas pedeti.

Er verò vt hi laudati, ita hinc abeuntes Principes grauiter reprehensi, vt apud Tacitum lib. 1. Annal. Tiberius: hunc in modum: *Trepida ciuitas incusare Tiberiũ, quod dum Patres, & plebem inualida, & inermia cunctatione fictâ ludificetur: dissideat interim miles, neque duorum adolescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat. Ire ipsum, & opponere maiestatem Imperatoriam debuisse, cessuris, vbi Principem longa experientia eum seueritatis & munificentiæ summum vidissent. An Augustum fessâ ætate toties in Germaniam commeare potuisse: satis prospectum vrbanæ seruituti, militaribus animis adhibenda fomenta.* Et lib. 3. historiae. Vitellius dum pro illius imperio Romanus exercitus atrociter pugnabat vmbraculis hortorum abditus. Ita enim Cornelius. *At Vitellium profectò Cecina, cùm Fabium Valentem paucis post diebus ad bellum*

Corn. Tac.

Idem.

A *impulisset, curis luxum obtendebat: non parare arma, non alloquio, exercitioq; militem firmare, non in ore vulgi agere, sed vmbraculis hortorum additus, vt ignaua animalia, quibus si cibum suggeras, iacent, torpentq; præterita, instantia, futura, pari obliuione dimiserat.* Sed & bonus Imperator Alexander Seuerus bellis ipse assuetus & militaris disciplinæ custos, rigidusque satelles, quòd suasu matris ad bellum cum Parthis non iuerit, notatus ab Herodiano hunc in modum. *Ipse ad prælium cum Partho non venit, incertum, metúne proprio, an quia mater retinuerit fœminea pudore. Omnes enim illius generosi spiritus retundebat, suadens alios potiùs periclitari pro se fineret, quàm vt ipse in acie consisteret.* Quàm verò id fuerit exitiale postmodum videro. Modò pro his ipsummet Dominum fideiubentem intuere.

4 Enimverò qui ad dexteram Patris sedere notanter dicitur, vt inde eius diuinitas & consubstantialitas vndequaque adstruatur, dum eâ locutione eiusdem cum Patre gloriæ & throni particeps asseritur; B in primi Martyris passione non sedere, sed stare sic legitur Actuum 7. 56. *Video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* Vbi si primùm ambigas, quâ ratione is stare dicatur, quare sedere omnino nunquam respondebimus, imò verò quâ ratione non steterit, quasi pugnans, & opem ferens, qui militem suum bellico puluere conspersum, & sese pro illo estremo vitæ discrimini obiicientem videbat? Quidni bonus Princeps strenuusque belli Dux, à sua quiete & gloria (quodammodo) non surgeret, vt cum pugnante pugnaret, & cum dolente indolesceret etiam (si sic loqui fas est) ostenderet? Audi S. Petrum Damianum homil. de sancto Stephano. *Surgit ipse Rex filius Regis, & lapidantium aciei interrumpens triumphatoris certaminis non sine dolore cordis assistit. Videt opprimi primum, & primicerium purpurata cohortis, & grandinariâ* C *lapidum densitate fontes sanguinis de corpore Protomartyris ebullire. Vbi pietas, & misericordia tua Domine, si non compateris patienti?* Ar, inquis: Non immeritò tunc è solio non surrexerit Dominus, qui nouerat, ad hunc lapidem hæreticos offensuros, inde ipsum minorem Patre, nec illi consubstantialem pensitantes, quòd consedente, ipse ad eius dexteram non sedens, sed stans, inducatur. Cur enim cum tanto dispendio, vt aiunt, in prælium pro suis esiret? Verùm enimverò, velhinc vide, quanti faciat Dominus, suis decertantibus adstare, & veluti prælio interesse, vt suam apud homines gloriam hinc lapsantem negligere videatur. Sed enim, si verè æstimas, nonnisi lippientibus oculis stans ille despicitur: quippe qui pleno pectore sapiunt, hac omnino ratione Patri æqualem censent, prædicantque: quid namque diuinius, quàm Dei filium cum stante stare, & cum bellante bellari, imò, & cum lapidato lapidari? Audi indidem Petr. Damia- D num. *Videtur Dominus stans à dextris virtutis Dei; ne Patre minor esse putetur, stat cum stante, cũ bellante bellatur, qui lapidatur in lapidato.* Obserua illud, *ne Patre minor esse putetur, stat,* &c. Ac si diceris: imò verò ideò æqualis Patri esse putatur, quia cum stante stat; nimirum tegiam tunc, atque diuinam maiestatem vndequaque implet.

Act. 7. 56.

Petr. Dam.

5 Ambigunt quidem non immeritò PP. & Interpretes, cur Saül Dauidem, quem non modò ad delicias, sed ad sanitatem etiam habebat, dum eius in canendo, & pulsando suauitate ab spiritu malo, qui eum vexabat & distorquebat, mirum in modum leuabatur 1. Reg. 16. 23. à se abire iusserit, vt ex cap. seq. manifestè appatet, Et verò dum variæ à variis afferuntur rationes, quas alibi expendimus: illa nobis videtur opportunissima, quam ex Iosepho lib. 6. cap. 10. & Abulensi, q. 39. affert P. Sanctius, ideò à Rege remissum fuisse Dauidem ad patrem, *Quia bellandi tunc tempus aderat, & bellu iam erat in Israelitarum terminos ingressus,*

1. Reg. 16. 23.

Iosephus. Abulens. P. Sanctius.

gressus, noluissetq́; in castris habere cytharistam & musicum, cùm armis tunc opus esset bellicis, non musicis, & ludicris instrumentis. Quid enim magis importunum, siue à regia dignitate adeò alienum videretur, quàm inter horribiles tubarum voces, inconditos militum clamores, confusáque signa, & mutuas cædes, Principem musices suauitate oblectari? Meritò ergo Saül hostium vlulatu audito cytharistam è castris pellit, nec nisi arma & bellum cum suis meditatur.

Sed & hinc non strenuos tantùm & fortes Reges dignoscas, sed ipsosmet præliorum exitus facilè coniicias; quid enim ad victoriam opportunius, & ad militis animos inflammandos efficacius, quàm Regia maiestas bello adstans & hostibus opposita?

Claudian.

——————Tam promptius ibunt
Te socio, tunc conspicuum, gratusq́; geretur
Sub te teste labor:

dicebat Honorio præfato loco Theodosius: nimirum scitè Seneca. *Hominibus & perditis, & ad omne dedecus expositis tenerrima est oculorum verecundia.* Vnde teste

B

Principe nullus tam ignauus fuerit miles, qui non strenuè decertet, & sese audenter periculis obiiciat, vel nostri Regis milites, cùm ipse aquam de cisterna Bethlehem, quæ à præsidiaria Philisthinorum cohorte occupata erat, ardentiùs concupiuit, per media armatorum hostium castra, & mille sequentia tela, & lectus irrumpentes, donec aquam haurirent, & ad Regem suum deferrent, vide: sic enim 2. Reg. 23. 16.

2. Reg. 23. 16.

Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid. Quid enim ipsos in præsentissimum vitæ periculum potuit coniicere, nisi tenerrima oculorum verecundia à qua feruidiùs, quàm ex imperatoris præscripto vrgebantur? Credisne illos, tam cæco impetu in mortem fore ruituros, nisi ipsummet Principem, non tam iubentem, quàm monstrantem tolerare labores, & sese discrimini offerentem vidissent? Ergo regiæ personæ bello adstanti id tribue: nam in Regis oculis supremo quisque conatu decertat, nec tam in hostem, quàm pro Rege accensus vltima audet. Enimverò hac ratione Antigonus gubernatori de ingenti hostium numero admonenti scitè inquit: *Me verò ipsum præsentem, quàm multis antepo-*

Chrysost.

nis? Vt diceret, tantam meis militibus alacritatem & ardorem in pugnando afferet mei præsentia, vt singuli pro multis esse videantur. Ita quidem Beatum Stephanum à Christi conspectu ad grauissimum martyrij stadium alacriter percurrendum constantissimè animatum atque incensum videris, vt pulchrè ex Augustino ad præfatum Actuum locum sic adnotat Lorinus. *Generosum militem ducis conspecta cicatrices animauerunt, armaueruntq́; ad pugnam.* Cui rei ita opportunè

Lorin.

A

locutus est iam citatus Synesius. *Homerus enim quendam ex diis Græcorum certamini præsentem inducens, sceptri percussione ab ipso iuuenes ait impletos* robore forti: *ita vt eorum animi* maiore pugnæ furerent, & Martis amore. *Neque eorum pedes, manusue quietem sustinere possent. Nam hoc,* Pes infra, supraque manus iam sponte cientur. *Nihil aliud est, quàm sponte sua ad pugnæ certamen gestiunt. Ego verò idem planè facturam Imperatorem iudico, si nominatim suos appellet, & vel eum, qui classici clangore non moueretur ad gloriæ studium inflammaturam, vel bellicosam militem ad prælium instigaturam. Nemo enim est, qui non coram Rege strenuè velit laborem suscipere.* Hæc ibi, & alia Synesius. Quibus omnino adnexeris quæ è contrario de militibus, Principe à præliis absente, sic inquit Chrysost. hom. 1. ad populum Antiochen. *Milites ducem suum lectis detentum cernentes, segniores fiant, & ad pugnam tardiores.*

Synesius

7 Hinc quidem signatissimè in Scriptura notator Dauid quòd *eo tempore quo* Regibus mos est *ad bella procedere*, ipse à se mutatus Hierosolymæ lecto detentus remanserit 2. Reg. 11. 1. Quod & miserandi ipsius lapsus primam labem, & florentissimæ domus excidium fuisse alibi adstruximus. Ad quem modum Alexander Seuerus, quòd ad prælium cum Parthis matris suæ suasu, cui in imperij administratione plus iusto indulsit, non iuerit, regij nominis fulgorem obscurauit, vt Herodianus in eius vita sic ait. *Alexander ipse ad prælium cum Parthis non venit: incertum metúne proprio, an quia mater retinuerit, feminæo pudore: omnes enim generosos illius spiritus retundebat, suadens, alios potiùs periclitari pro se fineret, quàm vt ipse aciei consisteret.* Non acquiesceret, opinor, muliebri huic, & eneruí monito, noster ille Alphonsus Ioannis II. Regis filius, & Henrici IV. frater, vt optimæ spei, & regiæ, siue egregiæ indolis puer, ita à crudeli morte immaturè præreptus, qui in memorabili prælio ad Olmedum facto,

Herodian.

Alphons. de Palencia.

C

cui ipse animosè interfuit, cùm à Mirandensi Comite admoneretur, vt discrimini se subduceret, regio ore, nec sine indignatione respondit: *Apage vt à prælio discedam, in quo Toletanus Antistes, & tot generosi viri pro me periclitantur.* Nec alia quidem præferoci Mahumeti Turcarum Imperatori mens: nam cùm ab amica, quam vnicè amabat, multis precibus & magnâ lachrymarum vi rogaretur, ne belli periculis se obiiceret, adeò mollibus consiliis non acquieuit, vt illis grauiter offensus mulierem propriâ manu necarit, ratus eo consilio Imperij sui stabilitatem lapsuram, vt Lazar. Soran. in Ottoman. auctor. est. *Milites* quippe *ducem suum lecto detentum cernentes, segniores fiunt, & ad pugnam tardiores.* Sed de his satis. Iam ad Principis Administrum, Deo auspice, conuertamus stylum.

Laz. Sor.

DE OPTIMI PRINCIPIS OPTIMO ADMINISTRO.

LIBER QVINTVS.

Ad ea verba verſ. 6. *Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat*, & verſ. 7. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam:* necnon ad illa verſ. 5. *Superbo oculo, & inſatiabili corde cum hoc non edebam.*

PROOEMIVM.

Philo lib. de creatio. Princip. Syneſius de regno. Plinius in Panegyrico.



IAM tandem noſter Rex minimè neſcius, *vnum, quantumuis alacer, & fortis animo, & corpore ſit, non ſufficere in tanta mole negotiorum, ac multitudine, quotidie aliis affluentibus ſuper alia, & magna negotia magis adiutoribus* egere; à ſeipſo progrediens, de Adminiſtro ſibi deligendo agit. Et vero, ne *minus præclara fuerint, quæ limine tenuiſſet, quàm quæ in publicum* proferret, qui ſeipſum *in via immaculata intelligere* affirmauit, non alium ſibi in negotiorum expeditionem, & curarum ſocium legere voluit, quàm illum, qui *ambulans in via immaculata* ſpectatiſſimus eſſet, & regiâ amicitiâ omnino dignus. Verùm, dum Rex ſibi in Adminiſtro conſulit, vix Adminiſtro ſuo in Rege conſulit: quid enim caſui, ruinæ, moleſtiis, odio, & æmulationibus adeò ſubiaceat, vt regia gratia; dum Principum voluntates, vt vehementes, ita plumâ leuiores, Aulici & Proceres Adminiſtro ſemper inuidentes, & infenſi, atque ipſa regij fauoris *excelſa* nonniſi *prærupta ſunt*. Sed enim aduerſus hæc diſcrimina ſuum Adminiſtrum format, firmatque Dauid, dum periculis à Rege, & ab ipſa faſtigij conditione firmiſſima primùm præſidia ex Dei timore parat, à quo labentia non modò ſubſiſtunt, ſed in maius promouentur, deinde verò ex modeſtia & animi ſubmiſſione, vt quò plus ille emeruerit, hoc præſumat minùs, adeoque iter nolit præcipitare, vt pedem potiùs referat, itidemque quæ Regi præſtiterit obſequia, non iactet, nihilque ſuo, ſed omnia regio nomine conſignet. Ad quem etiam modum iis diſcriminibus, quæ ab æqualium inuidentia proficiſcuntur, humilitate, comitate, & beneficentiâ fore occurrendum monet. Quæ fuſiùs ſeqq. adnotationibus propoſita, & explicata videris.

Seneca lib. de tranq. animi cap. 10.

INDEX

INDEX ADNOTATIONVM LIBRI QVINTI.

AD EA VERBA,

Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.

ADNOTATIO I.

Principis summaque potestatis officium esse, aliquem sibi ad negotiorum expeditionem adiutorem, Regium scilicet Administrum eligere.



NOn equidem fuit contentus Noster Rex ad Principum institutionem accuratiùs explicare, quâ ratione munus ipse suum obiret, & Principis maiestatem regiis virtutibus impleret, nisi etiam palàm profiteretur, *Deum quidem sibi* *Synes.* *sufficere* (ita Synesius oratione de Regno) *& antiquam eam esse naturam, quæ supra id omne, quod subditum est, assurgit. Homini verò multis, atque eiusdem conditionis hominibus imperanti, ad cuiuslibet rei animaduersionem propriam naturam satis superq́; non esse*: Ac proinde aliquem magni pretij hominem, quem vita immaculata dignum regiâ amicitiâ faceret, sibi delegisse, quo adiutore, & veluti administrationis socio siue in curarum leuamen, siue ad negotiorum expeditionem vteretur. Opportunum Principi, sine necessarium documentum Synesio indidem, & Philoni priùs assertum: ille enim cùm post accuratissimam Principis institutionem, vt B ad Administrum ei designandum gradum faceret, affirmasset. *Hinc à seipso progrediens Rex, cum propinquioribus primùm, & amicis cõuersabitur, quibuscum vnà coeuntibus de summa rerum consilium capiet, non id nominis dissimulanter vsurpans, neque perinde agens, vt qui molestam, & inuidiosam dominationem longè reipsâ, & factis humaniori, quàm veriori appellatione emolliunt*: subiicit opportunè. *Nam quæ vlla Rege dignior possessio, quàm amici consortium? Quis secundarum rerum particeps iucundior? Quis in aduersis fortunæ casibus tolerandis stabilior? Quis in laudando syncerior? Quis in acriter obiurgando minùs molestus?* Pergit *Philo.* verò Philo lib. *de Creatione Principis*, cum firmam certamq́ue rationem, siue necessariam argumentationem adiungens, quòd nisi Principes vicariam Administrorum opem non quæsierint, publicis laboribus minimè sufficient, quamuis firmiores Atlante humeros incumbenti negotiorum moli subiecerint: sic C enim ille: *Vnus enim non sufficit, quantumuis alacer, fortisq́; corpore simul atque animo in tanta mole negotiorum, ac multitudine quotidie aliis affluentibus super alia: proinde assumendi sunt optimates selecti, spectata prudentia, fortitudinis, iustitia, pietatisq́; incorrupti, & ante omnia infensi superbiæ: nam huiusmodi viri maximè idonei sunt ad subleuandum ope sua bonum, honestumq́; Principem.* Nouerat quidem hæc *Cassiod.* omnino Athalaricus Rex, apud Cassiodor. lib. 8. epist. 9. qui vt Tolonicum patritium clarissimumq́ue virum in regiæ administrationis socium assumeret, tam aui sui Theodorici Regis exemplo, quàm præfatæ Philonis rationi innitebatur. Etenim cùm primùm dixisset. *Licet ad regendos populos idoneos efficiant, quos ad Augustum culmen diuina prouexerint (quando nec ætas impedit* A *vbi sese potentia cælestis infundit) tamen ad releuandam florentissima nostra ætatis sollicitudinem, visum est te virum prudentissimum conuenienter adhibere, quem constat etiam domus aui nostri tractatibus iugiter, & laudabiliter adhæsisse.* Deinde verò sapienter adiunxisset. *Magna est enim, infinitaq́; prudẽtia, quã nemo sic assequitur, vt eam non necessariò, & per alios quærere videatur. Senes ipsi consiliis sapientiã discunt, & à maturis in commune quæritur, quod pro omnium vtilitate tractatur.* Ex his ita opportunè concludit: *Solatium curarum frequenter sibi adhibent maturi Reges, & hinc meliores æstimantur, si soli omnia non præsumunt.* Pulchrè quidem *hinc meliores æstimantur*. Quid enim Principibus melius? quid sapientius, quàm nolle sibi omnia prudentiæ munia arrogare? sed optimis Administrorũ consiliis & industriã ad plus plus intelligendum, videndumq́ue vti? Nam vt est apud Euripidem.

Princeps sapiens sapientum commercio. *Euripid.*

2 Et verò huc diuina humanaque exempla ab ipB so mundi exordio concurrunt. Nam præterquam quòd siue in sacris, siue in prophanis Scriptoribus videris, *Magnos & eminentes viros magnis adiutoribus* (sic *Vell. Pat.* inquit Velleius Patercul.) *ad gubernandum fortunam suam vsos esse*: vt apud sacras paginas, ne externa commemorem, quæ vix numerem, Pharao Iosepho Ge- *Gen. 41. 44.* nes. 41. 44. Assuerus Amane primùm, deinde Mardo- *Esther 3.1. & 8.1.* chæo Esther 3. 1. & cap. 6. 6. & cap. 8. 1. Dauid Ioabo *2. Reg. 14. 21.* 2. Reg. 14. 21. Salomon Zabude filio Nathan 3. Reg. 4. 5. Ioas Sacerdote Ioiada 4. Reg. 12. 2. Rex Syriæ *3. Reg. 4. 5.* Nahamano 4. Reg. 5. 1. Darius Daniele Daniel. 6. 4. *4. Reg. 12. 2.* ab hoc sanè Dei consilium & verba non erant, cùm in hominis formatione ait: *Faciamus hominem ad ima-* *4. Reg. 5. 1.* *ginem & similitudinem nostram, & præsit*: Genes. 1. 26. *Dan. 6. 4.* *Gen. 1. 26.* Nimirum qui seipso nullâ omnino difficultate omnia gubernare, & moderari valet, quippe qui omnia potest, hominis tamen cooperationem, & quasi auxiliarem manum requirit: ideoque Adamo tamquam C adiutore, & administrationis socio, vti voluit: acutè id ad hæc verba obseruante Oleastro hunc in modũ. *Oleast.* *Arguit locus iste hominum superbiam, qui nolunt sibi similem, aut æqualem habere, qui si viderint vicinum crescere, non solùm inuident, sed deturbant eleuatum si possunt. Numquid maior es Deo, qui sui similem non solùm patitur, sed facit? Nec hoc solùm, sed puluerem ita euehit, vt omnium creaturarum suarum dominium ei tribuat, ita vt ferè sibi æqualem fecisse arbitretur.* Ita ille. Ad hæc idemmet Dominus supernis spiritibus tanquam administris ad humana curanda, & veluti cognoscenda (si sic humano more loqui licet) signatè vtitur: nam & illi Dei oculi esse dicuntur Zachar. 3. 9. vt sæpiùs in sequentibus adnota- *Zach. 3. 9.* tionibus inculcamus, & à Paulo administratorij spi-

ritos appellantur: vt vel hinc Principes admoneantur inde *meliores æstimari* (vti dicebat Athalaricus) *si soli omnia non præsumant*. Quod quidem egregiè præfato loco firmat Synesius his verbis. *Hunc igitur naturæ defectum supplens (Rex) amicos in eiusdem naturæ communionem adsciscit, vim quodammodo suam multiplicans: ita enim fiet, vt & omnium oculis videat, & omnium auribus audiat, omniumq; animis in vnam consentientibus consilium capiat*. Ita Synesius.

Synes.

3 His externa mirè stipulantur: Magnus siquidem Vates 1. Æneid. non poëticâ leuitate, sed morali, & sapiente sensu Æneam Principem vnicè sibi in socium comitemque adlegentem Achatem, sic inducit.

Virgil.
Cerda.

——*Ipse vno graditur comitatus Achate.*

Ad quem locum doctissimus Cerda ex pluribus eruditis auctoribus optimè euincit, dari à Poëta Achatem comitem Æneæ ad significandum Regis administrum, qui ei veluti speculum, & lux sit, ductâ similitudine ab Achate præcipuæ dignitatis gemma, quæ auctore Plinio libro 37. cap. 1. & 10. tum in externa ipsa facie ita variis coloribus distinguitur, vt nemorum, fluuiorum, montium, curruum, ac penè rerum omnium species referat: eius virtutis est, quæ oculis prosit, atque in eos iniecta sitim sedet: necnon aduersus araneorum, & scorpionum ictus miram vim habeat. Quod quidem quid aliud fuerit, quàm opus Principi esse, vt vno comitatus Achate gradiatur, qui dum omnium rerum peritiâ, egregiaque sapientiâ est instructus, ipsum in regni administratione mirum in modum iuuare possit. Nimirùm Princeps, qui minùs aptè potest in libris versari propter multiplices regias curas, in eo, cum quo perpetuò fabulatur, ipsique à consilio est, obuiam habebit sapientiam, vnde salubres præceptiones ad publicum bonum hauriat: bonusque ille Achates optimis consiliis lucem interni Principis oculis afferet, & optima suggerendo noxiarum cupiditatum sitim extinguet, vti præfato loco de Tolonico Theodorici Regis Administro disertè inquit Athalaricus. Nam cùm præmisisset, quo modo Princeps ille cum suo familiari se gereret inquiens: *Tecum pacis certa, tecum belli dubia conferebat, & quod apud sapientes Reges singulare munus est, ille solicitus ad omnia securè tibi pectoris pandebat arcana*; egregium Administri ingenium Principi omnino salutare; sic describit. *Amasti in audiendo patientiam, in suggestione veritatem, sæpè quæ ad eum peruenerant, rectis studio corrigebas, &, quod rarum conscientiæ genus est, interdum resistebas contra vota Principis, sed pro opinione Rectoris*. A qua quidem cogitatione non abit Noster Rex dum ait, *superbo oculo*, &c. Etenim vt iis verbis familiarem superbum auersetur, at simul indicat, illum, qui Principi Administer, & à consiliis est, antequam superbiâ vitietur, et pro oculo & luce esse: sic sanè de Naaman Regis Syriæ familiari, Regi, regnoque valde salutarem fuisse sic dicitur: *Erat vir magnus apud Dominum suum: per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ*. 4. Reg. 5. vers. 1. & de Parmenione, qui apud Alexandrum plurimum valuit, nobiliter inquit Q. Curtius: *Multa sine Rege prosperè, Rex sine illo nihil magnæ rei gessit*. Quibus similia sunt, quæ de Augusto bono quidē Principe, sed ob amissos Agrippam, & Mæcenatem eius familiares in decretis, & deliberationibus aliquoties aberrante, ideoque sæpiùs indolente, sic refert Seneca lib. 6. de benef. cap. 32. *Hæc tam vindicanda Princeps, quàm tacenda (quia quarumdam rerum turpitudo etiam ad vindicantem redit) parum potens iræ publicauerat. Deinde cum interposito tempore in locum iræ subijsset verecundia, gemens quòd non illa silentio pressisset, quæ tamdiu nescierat, donec loqui turpe esset, sæpè exclamauit: Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa, aut Mæcenas vixisset*. Vides Achatis naturam oculis medentis, cupiditatumque ictus sanantis? Ergo hinc, quanti hæc gemma pretij, & dignitatis sit, facilè colliges, sic id statim pensitante Seneca. *Adeò tot habenti millia hominum duos reparare, & difficile est. Cæsæ sunt legiones, & protinus scriptæ: fracta classis, & intra paucos dies natauit noua; sæuitum est in opera publica ignibus, surrexerunt meliora consumptis, totâ vitâ, Agrippæ, & Mæcenatis vacauit locus*. Planè quasi Augustus aureus quidem annulus, sed sine Achatis gemma vacuus, orbusque, & inglorius esset. Quid plura? ipsemet Tiberius, aliàs callidus & ciuilis, à Seiano quamuis improbo oculabatur, & ad malum procliuis frænabatur: nam de eo Cornel. Tacit. lib. 6. Annal. *Obtectis libidinibus dum Seianum dilexit, timuitve; postremò in scelera simul, ac dedecora prorupit postquam remoto pudore, & metu, suo tantùm ingenio vtebatur.*

4 Reg. 5. 1.
Q. Curt.
Seneca.
Corn. Tac.

4 Nec Principi tantùm opportunus Regius Administer, sed etiam ipsi populo vtilis & necessarius est, quemque ille versis rebus omnino accommodatum habere percupit. Nimirum cùm regia maiestas quantumuis à fastu & supercilio immunis, innato tamen sibi splendore, subditorum oculos aciemque præstringat, eum ipsi sibi, suisque negotiis expediendis hominem exoptant, cui vt eiusdem cum illis conditionis, eiusdemque hierarchiæ, & facilis sit accessus, & pectora sua nudare, fidenterque loqui possint, & à quo haud difficilè optata impetrare valeant: ad eum quidem modum, quo & populus terribilem Dei maiestatem ægrè ferens, aiebat Moysi: *Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*. Exodi 20. 19. & Paulus de Christo Domino, Dei hominumque mediatore ad Hebr. 4. 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia, &c. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius*: & statim. *Omnis namq; Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum. Qui condolere possit iis qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate*. Vbi illud notanter dictum est ab Apostolo, *pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum*. Vt mediatoris officium plenè exponat, qui sic videlicet inter Deum & populum intercedit, & medius est, vt dum Deum adit, & cum ipso aut familiariter, aut pro munere suo versatur, populi quidem res curet, & dona ipsi, ac veniam, cùm eâ ille opus habet, obtineat. Quod planè non obscurè innuit ipsemet Dominus apud Matth. 11. 28. vbi cùm dixisset. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, subiunxit. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*: ita id adnotante Athanasio in tractatu super hæc verba hunc in modum. *Tradita sunt enim illi vt medico, qui sanaret morsum serpentis, & vt vita, quò excitaret mortuum, & vt luci, quò illuminaret tenebras, & vt rationi, quò redintegraret vim rationalem. Certè quâ ratione sibi omnia tradita essent, indicare volens Saluator per Matthæum subintulit*: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. *Datum est enim mihi, vt fatigatos reficiam, & mortuos viuificem*. Hæc ille. Quæ vt mediatoris Dei & hominum munus scopumque explicant; ita Regij Administri officium populo maximè vtile, ac salutare adumbrant, quasi magnam ideò auctoritatem à Principe ipse accipiat, plurimumque apud ipsum gratiâ valeat, vt fatigatos subditos reficiat, eisque Principem suum placatum & beneuolum reddat.

Exod. 20. 19.
Hebr. 4. 15.
Hebr. 5. 1.
Matth. 11. 28.
Athanas.

5 Quoad voces malignas dæmonis in S. Iobum, artes, atque venena, dum illam coram Deo in eum calumniam adhibiturus; quâ benignum Dominum illi infensum faceret, non clanculum & secretò, quod delatorum, & calumniatorum proprium est, sed signatè coram Angelis criminationem, & accusationem adornauit: sic enim Iob cap. 1. 6. *Quadam autem die cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit*

inter eos etiam Satan. Sed quò (inquis) hæc dæmonis cogitatio iuit? curve opportunum sibi id tempus fuisse existimauit, cùm Angeli coram Domino assisterent? Sanè, quòd non minus è re sua esse crederet, Angelis Iobum, ac Deo inuisum reddere: Etenim cùm ipsi Dei Administri sint (dicente Paulo ad Heb. 1. 14. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*) eaque ratione non possint non hominibus consulere, & itatum Deum ipsis placatum reddere, nihil à se callidus criminator actum esse putauit, si Iob apud Angelos gratiâ valeret, quòd vt Deus illi esset infensus, boni tamen Administri eum ab ipsius manibus essent erepturi: duplici ergo mucrone malus ille Iobum percutere studebat, dum & Principis sui gratiam, & Administri opem atque subsidiũ ei auferre moliebatur, scitè id obseruante Iuliano in Catena Græca Comitoli ad cap. 2. Iob hunc in modum. *Dicitur autem* (dæmon) *in medijs Angelorum cœtibus versari, vt Iobum cùm deposcit, ab eius procurandis rationibus Angelos alienet*: vt dixerit: nam si Angeli in Iobum proni persisterent, denuò illi ad Deum aditus sperari posset.

Ad Hebr. 1.14.

6 Huc sanè etiam ire dixeris ea verba, quibus Absalon regni Israëlitici candidatus, singulos ciues prehensans Dauidem patrem onerabat, vt ab eo subditorum animos disiungeret, ac abalienaret, & sibi demereretur. *Videntur mihi sermones tui boni & iusti, sed non est qui te audiat constitutus à Rege.* 2. Reg. 15. 3. Ad quæ verba benè adnotant Interpretes, eò callidi iuuenis studium, artesque tendere, vt suaderet populo, Dauidem publica negotia negligere, nec de iure subditis reddendo, & eorũ rebus promouendis curare. Quod si inquiras, quâ fide, siue quo colore hæc Absalonis verba subsisterent? cùm nihil esset populo manifestius, quàm Regem in iure reddendo valde strenuũ, & diligentem esse, sic enim 2. Reg. 8. 15. *Et regnauit Dauid super omnem Israël: faciebat quoque Dauid iudicium, & iustitiam omni populo suo*: id est, vt ait Iosephus lib. 7. antiq. cap. 6. *in reddendo iure verum tantùm, & æquum respiciebat*: ad manum illi fuisset responsio, minimè quidem se negare, patrem Dauidem subditis suis verè Regem in reddendo iure se exhibuisse, at in eo errare, quòd idoneum sibi aliquem negotiis expediendis Administrum non eligeret, ad quem subditi facilem haberent aditum, cuique vt res suas palam aperire, & nudare possent, ita haud difficilè optata per eum se fore consecuturos sperarent: *non est* (inquit) *qui te audiat constitutus à Rege*: vt dixerit, habetis quidem Regem, qui vos audiat, sed dum regio splendore præditus, &, vt dixerim quod res est, maiestate suâ armatus est, quanta illi inest grauitas? quanta seueritas? quæ aut palam & fidenter petere, ac loqui impediant, aut spem vobis rei obtinendæ præcidant: debuisset ergo tam ad demerendos sibi subditorum animos, quàm ad facilem negotiorum expeditionem aliquem eximiæ probitatis, & sinceritatis virum constituere, ad quem tamquam ad asylum, vtpote vestræmet conditionis, & fortunæ, magna cum fiducia & securitate accedere siue confugere possetis. Porrò iis verbis, & artibus Absalonem Israëlitatum corda sollicitasse, siue furatum fuisse, (vt est in Hebræo) omnino constat, quasi illi ex magno suo vsu existimarent, hominem à Rege constitutum habere qui eos audiret. A quo sanè non abit, quod à Hieron. in cap. 2. Danielis obseruatum est. Etenim cùm inibi Daniel à Rege Nabuchodonosore plurimis, maximisque muneribus cumulatus, & apud ipsum omnia potuisse sic dicatur: *Tunc Rex Danielem in sublime extulit. & munera multa, & magna dedit ei, & constituit eum Principem super omnes Prouincias Babylonis*: eaque ille de causa à Porphyrio infensissimo Christianorum inimico quasi modestiæ fines egressus, ambitionis, & auaritiæ insimuletur, huic calumniæ ita occurrit Hieronymus, vt affirmet non casu, aut temerè, sed Dei dispensatione id fuisse effectum, vt subditi, præsertim verò Hebræi in homine suæ gentis & conditionis, qui eorum facilè commiseraretur, suasque res benigniùs tractaret, opportuna solatia haberent. Sic namque Hieronymus. *Et in hoc calumniator Ecclesiæ Prophetam reprehendere nititur, quare non recusarit munera, & honorem Babylonium libenter susceperit, non considerans ideò Regem vidisse somnium, & interpretationis mysteria per puerum reuelata, vt Daniel cresceret, & in loco captiuitatis Princeps omniũ fieret Chaldæorum, & Dei omnipotentia nosceretur. Quod quidem & in Ioseph apud Pharaonem, & Aegyptum factum legimus. Et in Mardochæo apud Assuerũ, vt in vtraque gente haberent captiui, & peregrinantes Iudæi solatia, videntes hominem gentis suæ Aegyptiorum esse Principem vel Chaldæorum.* Sic Hieronymus. En Regiũ Administrum, non tantùm regiæ administrationis, atque oneris socium: *solatiumq; curarum*: vt dicebat Athalaricus, sed etiam qui ex magno subditorum vsu sit, dum magna illis ipse solatia ex regia gratia affert, & in omnes beneuolus cuncta in melius promouet. Sic scitè dicebat Venerab. Petrus Blesensis epistol. 150. *Scio quia ij, qui in regiæ familiaritatis sacrarium admittuntur, multa facere possunt, & dicere, quibus pauperum necessitas subleuetur, foueatur religio, fiat æquitas, Ecclesia dilatetur.* Hæc ille.

2. Reg. 15. 3. — 2. Reg. 8. 15. — Iosephus. — Dan. 2. 48. — Hieron. — Petr. Bles.

7 Dixeris præfato Absalonis acumine punctum Salomonem, ne ad eum lapidẽ offenderet, regium sibi Administrum peculiari studio delegisse: etenim cùm 3. Reg. 4. cultissima atque ordinatissima ipsius Aula describitur, & tam priuata Regiæ domus, quàm publica Regni munera dignis, & idoneis viris, vt inde & regius splendor colluceret, & publicæ res optimè constitutæ florerent, demandata memorantur: illustris quidem inter omnes Regij amici siue Administri mentio fit: sic enim vers. 5. *Zabud filius Nathan Sacerdos, Amicus Regis*: vbi cùm cõstet, quod omnes omnino interpretes obseruant, Nathan neque Sacerdotem, neque de genere Leuitico fuisse, ac proinde eius filios sacerdotium obtinere non potuisse, manifestum sit, Sacerdotis ibi nomen non esse sacri ministerij, sed mysticum, quod ad dignitatem Amici Regis, non sine allusione & similitudine muneris sacerdotalis omnino spectaret. Sed quid (inquis) commune fuerit sacerdotali dignitati, & Regio Administro? Respondet opportunè Caietanus ibi, ideò Amicum Regis Sacerdotem vocati, *quoniam tamquam Pontifex honorabatur eò quod proximus esset Regi.* Sed opportuniùs dubio occurrit noster Ioannes de Pineda summæ eruditionis & limati ingenij vir, lib. 5. de rebus Salomonis cap. 13. de domus Regiæ Principibus num. 18. dum id ad munus Amici Regis, siue priuati delineandum, & suis coloribus depingendum reuocat, vt nimirum, siquidem Rex germana Dei Regis imago est, eiusque in terris vices gerit, suos etiam tamquam ille Sacerdotes habeat, peculiarem scilicet & intimum amicũ, qui ei tum deuotiori obsequio, & maiori diligentiâ inseruiat, tum vel maximè medius, siue mediator inter Principem & populum sit *constitutus à Rege* (vti dicebat Absalon) vt omnes omnino *audiat*: vt & per ipsum ad Regem inferiorum aditus facilè pateat, eique ipsorum vota, supplicationes, querelæ ac lachrymæ innotescant, & à Rege ad subditos dona, honores, & beneficia diffundantur. Cui cogitationi mirè congruit (inibi etiam id adnotante Pineda) Amicum Regis itidem appellari Principem *quietis* siue *recreationis*, atque etiam *Principem munerum*, siue *largitionum*: diuersis quidem nominibus, sed sensu in idem recidente: quòd nimirùm Administri curâ & industriâ Princeps quiescat, tam quòd diuisis cum eo curis recreetur,

3. Reg. 4. 5. — Caiet. — Pineda. — Cassiod.

recreetur, & ab immenso negotiorum pondere respiret, vt aiebat Rex Athalaticus. *Solatium curarum frequenter sibi adhibent maturi Reges,&c.* quàm quòd per illum quies, refectio, & largitionum, bonorumque copia ad populum perueniat, vt ibi explicat Isidor. Clarius. Isid. Clar.

8 Fuerit verò huic instituto peropportunum quòd bonus Dominus in præfato loco Iob malum dæmonē, cùm inter cælestes spiritus ei assistere ausus est, sic interrogauerit: *Vnde venis?* Quòd si ambigas: cur Dominus cui omnes viæ & semitæ quātumvis abstrusæ, & occultæ patent? qui totus oculus, totus sensus, totus mens est, eâ interrogatione vsus fuerit? Occurrunt LXX. reponentes: *vnde ades?* vt dixerit ei Dominus sic explicāte Olympiodoro in Catena Græca. Quæ tua audacia, siue dementia fuerit, vt inter meos Administros venias, & status mei rationibus non vocatus te ingeras, cùm meus Administer non sis? *Tu verò vnde*, (ait ille) *neque enim meus es Administer*. Sed si attendis, non deerat omnino dæmoni huic interrogationi & increpationi ea ad manum excusatio, siue responsio: non importunè videlicet se Dei consiliis immiscere, qui itidem etiam eius minister sit, homines ex ipsius iussu affligens & crucians: dicente Vate Psal. 77. 49. *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per Angelos malos:* & disertissimè 1. Reg. 16. 14. de Saule à dæmone durè vexato, *exagitabat eum spiritus nequam à Domino:* ad quæ verba Greg. Magn. lib. 2. Moral. cap. 6. *Diabolus etsi afflictionem iustorum semper appetat, tamen si à Deo potestatem non accipit ad tentationis articulum non conualescit. Ideò idem spiritus & Domini appellatur, & malus: Domini per licentiam iustæ potestatis; malus per desiderium iniustæ voluntatis.* Verùm enimverò minimè ad rem ea excusatio fuerit, quæ Administri munus non penetrat, quippe ille non in subditorum perniciem, vt eos calumnietur, affligat, atque exagitet, sed potiùs, vt apud Principem suum foueat, & eius dona, & beneficia in illos distribuat, ac tanquam Sacerdos pro ipsis indesinenter oret, siue tamquam Angeli in ministerium salutis missi regiam gratiam illis paret, omnino eligitur. Vnde pulchrè Dei interrogatio subsistit, *Vnde ades? Neque enim meus es Administer.* Nam si esses: hominibus quidem consuleres, & eorum saluti & bono perpetuò inuigilares.

Iob. 1. LXX. Olympiod. Psal. 77. 49. 1. Reg. 16. 14. Greg. Mag.

Ad eadem verba,

Hic mihi ministrabat.

Princeps Administro suo, vt gubernationis adiutore, sic vtatur, vt totam dominationis vim penes se retineat.

ADNOTATIO II.

1 REGII Administri tam munus, quàm vsus, & quidquid ad id omnino spectat, nullus, opinor penicillus viuaciùs expressit, quàm Petri Apostolorum Principis vmbra, quam sic delineauit Lucas Actuum 5. 15. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum. Ita vt in plateas eiicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem afferentes ægros, & vexatos ab spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* Nimirum, dum hîc primùm vides omnes omnino subditos ad Principem suum, siue salutis, siue honoris, siue commoditatum, & demum negotiorum omnium causâ concurrentes, satis planè liquet, vnum

Act. 5. 15.

A Principem, *quamtumuis fortis, & alacer corpore & animo sit, non sufficere* (vti dicebat Philo) *in tanta mole negotiorum quotidie aliis affluentibus super alia.* Philo. Vnde quidem Numer. 11. 17. cùm Moysi Dominus collegas adiunxit, qui vnà cum illo *onus populi* sustentarent: LXX. pro *onus populi* notanter reposuerunt *impetum populi*: quasi in Principem populus non aliter, quàm impetu, & incursione vndequaque irruat, vt singuli ab illo quidquid opus habent, siue etiam, quod libet obtineant: ad eum modum, quo scitè dicebat Seneca epist. 36. *Sic ad illum quemadmodum ad lacum concurritur, quem qui exhauriunt, & turbant*: ac proinde ne ipse prematur, imò opprimatur, necesse fuerit vmbram habere, non quidem vmbratilem, sed salutarem & viuam, cui eadem penè ac sibi sit virtus, vt singulorum rebus & necessitatibus, regio nomine, & auctoritate subueniat: *Veniente* (inquit) *Petro vmbra illius obumbraret quemquam illorum, &* B *liberarentur ab infirmitatibus suis.* Opportuna sanè & elegans Regij Administri imago, qui eam à Principe auctoritatem accipit, quâ & populi impetum à Principe remouere, & plura & grauia regni negotia per seipsum ad subditorum vtilitatem expedire valeat. Refert enim plurimùm, vt Regius Administer apud populum in honore sit, non nudam Principis vmbram esse, sed eadem sæpiùs ac ipsum potestate vti, Principe tamen in grauioribus negotiis consulto. Quò opportunè referes, quod de vna Dei, & Moysis manu ad ea Domini verba Exodi 7. 17. superiùs lib. 2. adnot. 7. num. 6. ex Caietano obseruauimus, etenim dum ipse acutè dubitat, quo modo aut virga, quam Moyses in manu sua habebat, in Dei manu esse, aut Dominus ipse percussisse aquas dicatur: *Nam nec Moyses percussit virgâ aquas, nec virga erat in manu Dei, sed Moysis?* Scitè quidem respondet: C *manum Moysis appellat Deus manum propriam, quia iam constituerat eum Deum Pharaonis*, quod perinde est, ac si dixerit, suam Moysi potestatem, auctoritatem, manumque Dominum tradidisse, vt ille Administri munus impleret, & magno apud populum in honore esset.

Num. 11. 17. LXX. Seneca. Exod. 7. 17. Caiet.

2 At enimverò inde hæc Petri vmbra huic instituto opportunissima videtur, quòd officia omnino distinguit, & velut acu tangit, corpusque ab vmbra, Administrum à Rege, sic discriminat, vt suum cuique singillatim reddat. Et quidem, vt hæc in sequentibus sæpiùs sint euoluenda, eam modò in hac vmbra vim facimus, vt Regem adstruat reapse regnantem, leges dantem & iura, nec auctoritatem solùm, sed imperium in suos tenentem: Administrum verò velut vmbram, quæ corpus sequitur, sic Principi ministrantē, vt eum semper ductorem, & gubernatorem habeat. Hæc quippe ordinatissima dispositio, & pulcherrima rerum facies est, quæ suam cuique muneri personam, & personæ cuique suum munus tribuit. Quid enim D ordine pulchrius? opportunius, diuinius, & magis necessarium? Audi Gregorium Nazianzenum oratione 26. *Ordo omnia constituit, & colligauit: ordo cælestia, & terrena continet: ordo in iis, quæ ratione & animo intelliguntur locum habet: ordo in iis, quæ sensibus percipiuntur: ordo in Angelis, ordo in astrorum motu, magnitudine, mutua relatione, & splendore. Alia enim Solis gloria est, alia Lunæ, alia Stellarum,* & post nonnulla, *Ordo cunctis animantibus ortum, & alimentum, sedesq; vnicuique aptas, & congruentes indixit, & quasi lata lege præscripsit. Ac nec delphinum quisquam arua sulcantem vidit, nec bouem per aquas lubricum iter carpentem, quemadmodum nec Solem noctu decrescentem, vel augescentem, nec rursus Lunam mortalibus interdiu prælucentem.* Ergo vt ordo in re omnium maxima seruetur, Rex corpus sit, Administer vmbra: ille regnet, imperet, & Solis gloriam interdiu prælucentis habeat: hic velut vmbra corporis ductum sequatur, ac velut

Nazianz.

Luna à Sole lumen accipiat, quin mortalibus interdiu præluceat. Enimverò hanc nostro Regi mentem, hanc gubernandi rationem, hunc Administri vsum fuisse, vt eo adiutore sic vteretur, vt totam penes se dominationis vim retineret, non solùm indicant hęc verba in quibus sumus, sed illa etiam Ieremiæ 23. vers. 5. quibus ipsi is filius dicitur nasciturus, qui eius mores adeò exprimat, vt germana ipsius proles, & proprium adeò egregiæ arboris germen appareat: *Suscitabo* (inquit) *Dauid* (id est Dauidi) *germen iustum, & regnabit Rex & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra*. Vbi omnino obserua, quis Princeps à Vate iustum Dauidis germen, & germana eius proles esse dicatur? *Regnabit* (inquit) *Rex*: is videlicet qui Rex regnans fuerit? Ergo omnes (inquis) omnino Reges, quotquot ij fuerint, germana Dauidis germina erũt; ecquis enim Rex est, qui eo ipso quòd Rex sit, non regnet? Sed enim non benè colligis: aliud quippe hæc verba Ieremiæ tinniunt duo innuentis: alterum esse plures Reges, qui vt Reges sint, non tamen regnant, quòd tota dominationis vis penes eorum Administros sit, vti de Claudio Imperatore imprimis Suetonius cap. 29. inquit. *His* (familiaribus) *addictus, non Principem se, sed ministrum egit. Compendio cuiusque horum, vel etiam studio, & libidine honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est, & quidem insciens plerumq́; & ignarus.* Vides Principem non Regem, siue non regnantem, sed ministrum? Audi quid de Sergio Galba nec malo, nec iuuene Imperatore idem Scriptor dixerit cap. 14. *Regebatur trium arbitrio, quos vnà & intra palatium habitantes, nec vnquam non adhærentes, pædagogos vocabant, &c. His diuerso vitiorum genere grassantibus adeò se abutendum permisit, & tradidit, vt vix sibi ipsi constaret, modò remissior, ac negligentior, quàm conueniret Principi electo, atque illius ætatis*. En alium Principem, qui regeretur, non regeret. Adde his Domitianum, de quo Cornel. Tacitus lib. 4. historiarum. *Pleraq́; tantùm amicis instigantibus audebat: vis autem omnis penes Mucianum*: vt nimirum ostenderet, inane se imperium, & sine vi habere: iam verò generali oratione Plinius in Panegyrico in hanc sententiam ait. *Pleriq́; Principes cùm essent ciuium domini, libertorum erant serui: horũ consiliis, horum nutu regebantur: per hos audiebant, per hos loquebantur, per hos præturæ etiam, & sacerdotia, & consulatus, imò & ab his petebantur.* Bene ergo Vates vt ab his Regibus Dauidem discriminet, & regnantem faciat, ait, *Regnabit Rex*. Alterum, esse itidem nonnullos homines priuatos, qui vt priuati sint, at imperio potiuntur; & regnant: quòd Principes illis imperium in se dederint, & ipsorum consiliis se totos subiecerint: quemadmodum de Antiocho Imperatoris Theodosij familiari, non sine morsu dicebat sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 36. *Quoniam non modò Imperij minister es, sed ipsum etiam arbitratu tuo, ac libito moderaris*; & de Eusebio cubiculi Constantij præposito Ammianus Marcellinus lib. 18. *Mercari quamplures nitebantur Eusebij fauorem cubiculi tunc præpositum, apud quem, si vera dici debent, plura Constantius potuit*: notanter illud, *si vera dici debent*, hoc est, si ad rei sensum & veritatem, non ad sonum vocis, & externam rerum faciem adspexeris, Eusebius potens rerũ, & imperij arbiter erat, Constantius verò ipsius Administer siue familiaris, qui plura ab eo obtinebat: quo etiam modo de Imperatoris Commodi Administris, per quos omnia agebantur (vt inquit Lampridius in Commodo) Imperatore extincto Romani ciues seipsos miserantes dicebant, *seruis seruiuimus*, vt dicerent, serui regnabãt, & reapse Imperatores erant. Ecce iam tibi, & Ieremiæ mentem, & Dauidem suis coloribus depictum, dum Rex regnans, & sapiens asseritur, qui nulli familiarium imperium in se daret, nec cuiusuis prudentiæ, & consiliis se totum subiiceret, sed datâ sibi à Deo tum potestate, tum sapientiâ vteretur. A quo non longiùs iuerit quod de Alexandro Seuero optimo quidem Principe inquit Lampridius. *Amicos sanctos & venerabiles habuit, non qui illum quasi fatuum circumducerent, sed sanctos, venerabiles, continentes, amantes Principis sui.*

[Margin notes, left column: Ier. 23. 5. — Sueton. — Corn. Tac. — Plinius. — S. Isidorus Pelusio. — Ammian. Marcel. — Lamprid.]

3 Ne sit igitur contentus Princeps si Rex sit, nisi etiam regnet, sicque cum Administro suo se gerat, vt summum quidem ei honorem, sed tanquam Administro habeat, egregium Principem Traianum imitatus, de quo post præfata verba Plinius. *Tu libertis tuis summum quidem honorem, sed tamquam libertis habes, abundeq́; sufficere his credis, si probi, & frugi existimentur, &c. Ac primum neminem in vsu habes, nisi aut tibi, aut patri tuo, aut optimo cuiquam Principum dilectum: statimq́; hos ipsos quotidie deinde ita formas, vt se non tuâ fortunâ, sed suâ metiantur: & tantò magis digni quibus honor omnis præstetur à nobis, quia non est necesse.* Vbi omnino vides optimi Principis, optimique Administri formam, dum hic à Principe sic formatur, vt non regiâ, sed priuatâ fortunâ seipsum dimetiri velit, semper seipsum, & Administrum & sub domino considerans: sed hæc sacra facete, siue sacris firmare, fuerit operæpretium. Quare obserua modum, quo Dominus se gesserit tam cum Adamo, quàm cum Abraham, & cũ Moyse, quos sibi Administros, & familiares delegit. Et quidẽ in primis, vt Deus indulgentissimè, & liberalissimè Adamo omnia terræ bona permiserit, orbisque curã, & imperiũ dederit; peculiarẽ tamen ei legem præceptumque imposuit, ne manũ extenderet ad arborẽ scientiæ boni, & mali. *Ex omni* (inquit) *ligno paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo morte morieris*. Genes. cap. 2. vers. 16. Ad quem locum dum PP. & Interpretes frequentiùs ambigunt, cur præter legem naturalem, quam Deus Adæ simul cum ipsa natura ingenerauit, & illã supernaturalem fidei, spei, & charitatis, quâ itidem vt creatus est, adstrictus tenebatur, hac etiam lege speciali positiuâ, vt aiunt, eum voluerit obligare, de ea videlicet re illi imposito præcepto, quæ non per se mala, ac fugienda esset, sed ob id tantùm, quòd à Deo prohiberetur? Illa opportunissima ratio esse videtur, quam affert Chrysostomus homilia 17. in Genesim, vt videlicet Deus se Regem, & Dominum ostenderet: homo verò intelligeret, se, quantumuis Deo charus ac familiaris, & rerum omnium potens esset, adhuc tamen sub Domino esse, nec se Dei conditione, cui omnia licent, sed suâ, id est, serui, & creaturæ Domino subditæ metiri, ac proinde manum à Deo acceptam non pro libito, sed pro Domini sui voluntate extendere debere. Audi Chrysostomum Dei nomine sic loquentem. *Nonne omnium, quæ in paradiso sunt potestatem dedi tibi, & dumtaxat ab hoc vno vt abstineres præcepi vt scire posses, te sub Domino quodam esse, cui obedientiam debes.* Audis Dominum Administro suo summum quidem honorem, sed tamquam Administro deferentem, ne ipse socius regni, & non subditus esse sibi videretur? Concinit quidem huic Adæ manui tantisper cohibitæ, ille Petri pes in maris fluctibus, per quos firmis, solidisque vestigiis ire cœperat, tandem vacillans: sic enim Matth. cap. 14. 30. *Videns autem ventum validum, timuit, & cùm cœpisset mergi, clamauit.* Sed cur (ais) qui ipsi potestatem fecit ambulandi super aquas, solidum, atque integrum ei donum nõn præstitit, quo tam fluctibus, quàm formidine superior fieret, quin lapsari timeret? Respondet Chrysost. in Catena S. Thomæ. *Hic autem quòd Petrus timuit, differentiam monstrabat Magistri, & discipuli*: vt dixerit: Fuit quidem regio Christi ingenio dignum, tanto honore Administrum suum afficere, vt æquè ac ipse maris fluctibus imperaret, at etiam sapientiæ Domini fuit, timorem

[Margin notes, right column: Plinius. — Gen. 2. 16. — Chrysost. — Matt. 14. 30. — S. Thom.]

timorem ei non omnino auferre, vt scire posset se sub Domino esse.

4 Nec minorem quidem emphasim, & opportunitatem habet magna eiusdem Domini cum Abrahamo familiaritas: etenim vna ex parte ipsum eo in honore habuit, vt & affinitatem, & sanguinis coniunctionem cum eo contraxerit, adlecto nimirum in patrem vnigeniti sui, & arcana ineffabilia ipsi patefecerit, quin ei celaret quidquid esset facturus, sic enim
Gen. 18. 17. Genes. 18. vers. 17. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum, cùm futurus sit in gentem magnam, & robustissimã, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ?* Ex alia sic penes se regiam maiestatem, supremamque dignitatem retinuit, vt sæpiùs ad ipsum familiariter veniens magna cum eo negotia tractaturus, nunquam (si attendis) eius domum fuerit ingressus, ad ilicem Mam-
Gen. 18. 1. Gen. 15. 5. bre eum educere solitus: sic enim ibi vers. 1. *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre*, & cap. 15. 5. *eduxit eum foras, & ait illi, suspice cœlum, &c.* Vt Principibus documento fuerit, non debere ipsos sic sese omnino, & veluti sine fideiussore suis familiaribus dare, vt nullum regiæ gratiæ terminum præfigant, nec ipsis aliud aliquid in dies dandum supersit: ita id adnotante
Oleaster. Oleastro in cap. 24. Exodi ad finem hunc in modum. *Sic & Abrahæ dilectissimo suo fecit, ad quẽ etsi aliquando descendere dignatus est, nunquã tamen domũ eius ingredi voluit: solet enim homo etiam iustus ex diuinis fauoribus insolescere: ideò ad mensuram sibi cuncta ostendenda sunt, & præstanda.* Hæc ille; vbi non minus opportunè etiam obserues: sapienter & pro maiestate sua Principem domum sui familiaris ingredi nolle, ne inibi ab eo quasi conclusus, & manibus captus videatur, qui sui omnino iuris, nemini subiectus, aut addictus esse debet. Vnde apud Isaiam Dei Filius ad nos descendere dignatus, egregiam benignitatem & mansuetudinem suam sapiente dignitatis suæ sale temperatam, & conditam
Isai. 16. 1. videris: sic enim de illo Vates cap. 16. vers. 1. *Emitte Agnum Domine, dominatorem terræ, &c. & erit quasi auis fugiens.* Pende (rogo) imaginum elegantiam, sed in earum diuersitate iure dubites, cur is, qui suis vt agnus mansuetissimus venit, mirâ affabilitate, & humanitate eos demulcens, simul tamquam auis fugiens, auolansque inducatur? Idemne fuerit venire & fugere? aut ideò venit, & amauit, vt desereret? Minimè quidem, sed illud nobis significari voluit, tamdiu Principem Agnum suis familiaribus futurum, affabilem scilicet, benignum, & humanum, quamdiu ab ipsis digno, ac decenti cultu, & veneratione fuerit prosecutus: secùs verò si manibus eum illi comprehendere velint, sic hac illac circumducere, si velut pupillũ iussis alienis obnoxium facere, velut auem auolaturũ. Quid enim à Principe magis alienum, immò verò quid ita repugnans, atque contrarium, quàm subditum, & subiectum, siue etiam seruum esse? sic quidem callida illa Sabina Poppæa, vt Neronem Principem aduersus matrem Agrippinam exacerbaret. *Aliquando per face-*
Tacitus. *tias* (sic Tacitus lib. 14. Annalium, initio) *incusare Principem, & pupillum vocare, qui iussis alienis obnoxius, non modò imperij, sed libertatis etiam indigeret.* Verùm id sapientiùs, & efficaciùs summo Ecclesiæ Principi Eugenio
Bernard. ingerebat Bernardus lib. 1. de Consider. cap. 3. hæc primùm inquiens. *Magna virtus patientia, sed non hanc tibi ad ista optauerim: interdum impatientem esse probabilius:* vt dixerit: Nolo semper agnus sis, sed aliquando auis auolans, vnde statim adductis illis Pauli verbis 2. ad
2. Cor. 11. 19. Corinth. 11. vers. 19. *Libenter suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes: Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit,* sic ait: *Nisi fallor ironia erat, & non laus, sed suggillatio quorundam mansuetudinis, qui quasi datis manibus Pseudoapostolis, à quibus seducti erant, ad quæque ipsorum peregrina, & praua dogmata trahi se patientissimè ferrent. Vnde & subdit:*

A sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit. *Non bona patientia, cùm possis esse liber, seruum te permittere fieri. Nolo dissimules seruitutem, in quam certè in dies, dum nescis redigeris. Nulla turpior seruitus, grauiorue, quàm Iudæorum, quam quocunque post se trahunt, & vbique dominos offendunt suos: tu quoque, dic quæso, vbi vnquam sis liber, vbi tutus, vbi tuus?* At enim quòd iis nodis sic se Principes extricare soleant, vt dicant, non inuitos quidem, sed volentes, libentesque in hanc seruitutem descendere, ac proinde non turpem illam, sed generosam, vtpote voluntariam esse, sic illis indidem sequenti cap. occurrit Bernardus. *Quid interest volens seruiat an inuitus? nam etsi coactà seruitus miserabilior, sed affectata miserior est.*

5 Sed vide iam ipsummet Dominum, & Agnum mansuetissimum, & auem fugientem, vide inquam Dei Filium imprimis cum Petro familiarissimè agentem, eoque adiutore frequentiùs vtentem. Quid
B enim aliud fuerit, ei claues regni cælorum dedisse? Matth. 16. vers. 19. Quid ipsum negotiorum expeditioni, & feriarum rerum consultationibus adhibere? Matt. 16. 19. vel cùm de vectigali Cæsari persoluendo ab illius exactoribus fuit admonitus, quomodo cum Petro deliberauerit, audi. *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis? an ab alienis?* Matth. 17. 23. & 24. Quid? tunc tributum signatè pro Matt. 17. 23. & 24. seipso, & pro Petro persoluere? *Vade* (inquit) *ad mare, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te.* Vide iam è agno auem factũ, & sese Petri manibus subducentẽ. Enimverò cùm statim post datas Petro regni claues Dominus de salute mundo afferenda, & Redemptionis œconomia per passionem, & mortem suam dispensanda ageret: ille Principis sui gratiæ nimium fidens, sic se non accitus tanto huic negotio ingessit, vt rem pro arbitratu suo componere, ac dispensare
C voluerit: imò & Dominum à propria sententia dimouere, & quod plus est, ipsum increpare ausus fuerit: sic namque Matthæus. *Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens, absit à te Domine, non erit tibi hoc:* Mat- Matt. 16. 22. thæi 16. vers. 22. Quid verò tum Dominus? tulitne libenter insipientem, cùm esset ipse sapiens? aut sustinuit à familiari suo in seruitutem redigi? Minimè quidem, imò verò grauissimâ hac obiurgatione illi restitit, atque repugnauit. *Vade post me Sathana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Vbi opportunè illud *vade post me*: vt eum muneris sui vmbram scilicet esse admoneret, ac si diceret: Quid tu mihi in Regni mei administratione, tuâ voluntate, & consilio præire, & me ad tui nutum circumducere præsumis, quasi tu iam Princeps, ego verò tuus sim Administer? *Vade ergo post me*, & me sequere, voluntati scilicet meæ implendæ, & executioni mandandæ, quod tui officij est, diligentem operam impen-
D dens, me verò Principem agere sine: ita penè hæc verba premente Victore Antiocheno apud Marcum Victor. Antioch. cap. 8. 33. dum sic ait. *Petrus proinde à Christo audit: Vade post me: hoc est, sequere me, neque voluntati meæ, quâ sponte cruci me submitto, in posterum aduersare.* Sic Victor.

6 Enimverò si attendis, hinc quidem signatè probati, aut improbati Principes, si videlicet ipsi, aut Administros suos sibi ligare norint, aut contra ab ipsis ligari, & vincula sibi inferri patiantur. Porrò nemo est, qui non ambigat, cur, vt Deus Saülem, quòd regio fuerit fastigio indignus, ab eo excutere voluerit, Ionatham ipsius primogenitum dissimillimo quidem ingenio Principem, & bellicis, ac vrbanis virtutibus florentem ad regnum non euexerit; sed Dauidem infimæ sortis pastorem, qui vix vllum regiarum virtutum specimen ediderat, ei antetulerit? Parumne fuerit,

A rir, pattem vitâ, tegnoque mulctare, nisi etiam ad filium supplicij grauitas pertingeret, aut iure pastor Dauid Principi bello inclyto præferri potuit? Ita omnino, nec alio quidem quàm ipsomet Ionatha iudicium super hac re ferente, & Dauidem potiores tegno partes habere haud obscurè confirmante, dum illum ipse sic dilexit, vt anima eius Dauidis animæ agglutinata fuerit: sic namque 1. Reg. cap. 18. vers. 1. *Et factum est cùm complesset loqui ad Saul, anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam, &c. Nam expoliauit se Ionathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad baltheum.* Obserua primùm hæc *vsque ad gladium, & arcum suum*, & vt egregiam Principis indolem, & regium animũ probes, qui amicum vnicè diligere nouit, & in eum summè liberalis esse voluit; qui approbes gladium, potestatis videlicet insigne, ei tradidisse? fueritne id aliud, quàm vmbram cum corpore confundere? B Deinde verò cur meliorem, & regno magis idoneum eum dixeris, cuius anima agglutinata est animæ Dauid? Nonne ipse huc facto palam fassus est, Dauidem multò meliorem, & regio fastigio opportuniorem esse, qui nimirum vincula inferre sciret, ligari verò ab alio nesciret? Audi, rogo, Gregorium Thaumaturgũ in oratione ad Origenem bellissimè hac de re huoc in modum disserentem: *Vincula inferre præstantioris erat, non inferioris, agglutinari autẽ deterioris*; ita quidem vt *vinculis expedire se quodammodo non posset.* Vt dixerit, dedit quidem Dauid præ Ionatha pulcherrimum Principis specimen, dum ipse tamquam præstantior vincula Ionathæ intulit: hic verò sic agglutinari, & vinciri passus est, vt sese vinculis expedire, quod à Rege est alienissimum, minimè posset.

1. Reg. 18. 1.

Gregor. Thaum.

7 Nec multùm ab hoc fuerit quod de Zaram à primogenitura, & Christi genealogia excluso legimus Gen. 38. vers. 27. etenim cùm inter ipsum, & fratrem C Pharesactis in ipso matris vtero rixa, & colluctatio fuisset, vter prior nasceretur, vt & domus primogenitus, & Christi parens foret, ipseque Zaram acriùs, & vehementiùs contendens, manum, veluti palmam prærepturus, extraxerit, quam ei statim obstetrix dedit, inquiens, *iste egredietur prior*, siue vt est in Hebræo: *iste egressus est prior*: quasi dicat, iste est iam primogenitus: quia prior manum extulit: Deo tamen æquiora certaminis iudice, in lucta cecidit, ipso enim statim *manum retrahente egressus est alter*: qui primogenituram, & regnum occupauit. Sed quid tantùm, inquis, Zaram commisit, vt causâ caderet? qui magna ausus, quantum potuit contendit: præsertim cùm Iacob itidem cum fratre Esau in ventre matris colluctatus, quòd eius plantã manu tenuerit, etsi ortu posterior, primogenituram sit tandem adeptus? Vis nosse? quid igitur passus fuerit cùm manum extraxit, audi: *Protulit* (inquit textus) *manum*, (siue vt Hebræa apud Pagninum habent *dedit manum*) *in qua obstetrix ligauit coccinum*: dedit manum, & ligari permisit: quid plura? alienum quidem à regia dignitate ingenium se habere D ostendit. Audi Bernardum opportunissimè in hanc rem in tractatu de Passione Domini cap. 4. his verbis. *Benè quidam Rex cùm percussus humanâ sagittâ peteretur, vt se ligari permitteret, donec excideretur, quia leuissimo motu mortem posset incurrere. Non decet* (inquit) *vinciri Regem. Libera sit Regis, & semper salua potestas.* Planè quasi peius sit Principi ligari, quàm mori: & optimâ quidem & necessariâ id ratione suadente: cùm minimè alienum à Regia conditione sit mori? ligari autem cum regia dignitate, & potestate omnino pugnet: quæ libera semper & salua esse debet. Quo placet aduocare id quod Gregorius Nazianzen. num. 2. adductus, dum de ordine in rebus omnibus seruan-

Gen. 38. 27.

Lect. Heb.

Pagnin.

Bernard.

Greg Naz.

do agit, iis quæ appinximus hæc addit. *Ordo in elementis, ex quibus corpora constant: ordo cælum in orbem duxit: aërem exporrexit: terram supposuit, humidam naturam fudit, atque in vnum locum contraxit, ventos emisit, &c. Atque ordine quidem florente, atque dominante mundus est. Vniuersum hoc, ac pulchritudo certa, & stabilis. Contrà autem perturbatio, & confusio in aëre tonitrua, in terra motus, in mari naufragia, in vrbibus, domibusq; bella, & dissidia, in corporibus morbos, in animis peccata procreauit.* Hæc quippe haud difficilè præsenti aptabit instituto quisquis, aut superiorum ætatum meminerit, cùm siue Seianus, & Pallas, siue etiam Aluarus de Luna, & Ioannes Paciecus, vt apud suos Principes gratiâ valebant, ita omnia sursum, deorsum, vltro, citroque iactabant, ventum seminantes, & turbinẽ metentes, vt est apud Oseam cap. 8. vers. 7. illi quippe Principes suos, quibus iure naturæ tamquam aëri super terram exporrecto omnes suppositi, atque subiecti esse debebant, sub terræ viscera includentes, turbines, tonitrua, & terræ motus procreabant; aut in nostra tempora animum, & oculos intenderit: in his enim ingenti Dei beneficio, ordine quidem florente atque dominante, mundus est, Vniuersum hoc, ac pulchritudo certa, & stabilis.

Osea 8. 7.

Ad ea verba.

Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

Principem eum sibi Administrum eligere debere, qui eximiâ morum probitate, ac puritate conspicuus sit.

ADNOTATIO III.

1 QVIA omnino idoneus Principis Administer censeatur, itidem Petri vmbra eleganter ostendit, dum ea quidem esse dicitur, cui eædem penè virtutes, ac corpori inessent, nec minùs benefica in ægros, & indigentes existeret: eam quippe aliquem obumbrare, sanare erat: vt appareat, Regium Administrum indiuiduum Principis asseclam, qui eius virtutes imitetur, & exprimat, esse debere; vt quemadmodum Principis vitam non modò à vitiorum fæce purgatam, sed purissimam, & castissimam, omnium virtutum choro ornatam adstruximus; ita illius Administer iisdem virtutum gemmis splendeat, Principisque velut speculum fuerit, in quod ille sese intueatur, quòdque nobis honestissimam ipsius vitam gloriosasque actiones repræsentet, vti Dei sapientia opportunè dicitur à Salomone Sapientiæ 7. 26. *Candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*, vbi cùm pro *maiestatis* Græcè, vt superiùs vidimus, sit *inoperationis* (quam sic explicat Origenes lib. 1. Periarchon cap. 2. *Inoperatio est vigor quidã* (*vt ita dixerim*) *per quam inoperatur Pater, vel cùm creat, vel cùm prouidet, vel cùm iudicat, vel cùm singula quæque in tempore disponit, atque dispensat*, quod planè idoneum Administrum opportune descripsisse, fuit) notanter *speculum sine macula*, hoc est limpidissimum, siue purissimum, *& imago bonitatis* esse dicitur, quæ diuinas perfectiones in se contineat, exprimatque; vt dum omni ex parte pura, & immaculata conspicitur, optimi Administri idæa, & exemplar fuerit, sic id optimè adnotante Tertulliano lib. 2. contra Marcionem cap. 4. dum ait. *Adhibet operi bono optimum etiam ministrum sermonem suum.* Eructauit inquit cor meum sermonem optimum. Sic ille (Dei quidem Filium Patris ministrum appellans, quà minor est Patre, non quà Deus de Deo æqualis est Patri) vt bonus Princeps bono operi

Sap 7. 26

Origen.

Tertull.

operi intentus, bonum etiam habeat Administrum, A tali Principe, & regiis eius cogitationibus dignum.

2 Certè hinc summi Patris, simulque vnigeniti ipsius Filij gloriam eleganter hunc in modum efferebat S. Zeno Veronensis Episcop. & M. serm. de æterna Filij generatione. *Gloriosum Filium glorioso dignum consortio Patris; gloriosum Pater glorioso dignum consortio Filij.* Vt tunc indiuisa vtriusque gloria æqualiter in alterutrum diuisa, & partita videatur, cùm Filium habeat Pater, qui glorioso consortio suo non tam gratiâ, quàm naturâ dignus sit. Quod nostro instituto videtur accommodasse Athalaricus Rex apud Cassiodorum libro 9. epist. 24. vbi cùm quendam Theodorici aui sui Administrum miris laudibus hunc in modum commendasset. *Fuisti nimirum summa temporum laus, vt illum sic ad omnia solicitum inoffensâ redderes famulatione securum, dum molem tantam regalis ingenij facundia tua viribus sustineres. Te in dictationibus amœnum, te ad iustitiam rigidum, te habuit à cupiditatibus alienum.* Subficit. *Hinc est quòd videbaris æquissimo Principi gloriosâ dilectione sociatus, quia eras à vitiis probabili sequestratione diuisus.* Optimè quidem, vt is solùm optimo Principi opportunus sit Administer, qui vt socius potentiæ, ita regiarum virtutum imitator, & speculum est. Quo planè sensu de Affranio Burrho Præfecto Prætorij, & Neronis egregij in primo quinquennio Imperij Principis intimo familiari, ad ipsummet Neronem sic alloquebatur Seneca libro 2. de Clementia cap. 1. *Animaduertit in latrones duos Burrhus Præfectus tuus, vir egregius, & tibi Princips natus:* pulchrè id *tibi Princips natus*: vnâ fidelià duos parietes dealbans, *quasi ille Præfectum optimus* (inquit à Mureto lustus Lipsius) *dignus optimo Principe esset, & in id aut à Deo datus*: siue quia optimus Princeps dignus erat optimo Administro, & alter alteri natus videretur. Quæ quidem omnia complexum fuisse nostrum Vatem his verbis, quæ in manibus habemus. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*, scitè obseruauit Chrysostomus, hic etenim cùm præmisisset Dauidis nomine. *Tales enim diligo ministros, qui ambulent in via immaculata, qui non ad dexteram declinent, neque ad sinistram, qui nullâ fraude peruerterunt dogmata viam concernentia iustitia, & veritatis.* Subiicit. *Ad illam igitur elocutionem priùs dictam respiciens Propheta, nempe:* Psallam, & intelligam in via immaculata, *hoc loco dixit*, Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat. *Rursum quia dixerat:* Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ, & superbo oculo, & insatiabili corde cum hoc non edebam, *correspondet dicens*: Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, *sed & ait*: Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. Hæc Chrysost. planè vt adstruat Dauidem non alios quàm sibi persimiles, suæque iustitiæ, & sanctitatis æmulatores, Administros velle, qui sibi Principi nati, suâ videlicet gratiâ digni essent, & quos ipse optimo merito in vsu haberet: vt omnino exprimere videatur illud Athalarici Regis apud Cassiodorum lib. 9. epist. 22. *Tanto quis Regali animo proximatur, quanto bonis studiis societate coniungitur.*

Zen. Veron.

Cassiod.

Seneca.

Chrysost.

Cassiod.

3 Ita planè Regum sapientissimus à Patre edoctus Prouerb. 22. vers. 11. dicebat. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum habebit amicum Regem.* Benè enim ad id loci obseruat P. Salazar, ea verba sic cum immediatè præcedentibus, *Eijce derisorem, & cessabit cum eo iurgium*, fore coniungenda, vt ab illis non tam priuati, quàm Principes de Administris sibi deligendis moneantur, vt nimirum & illos, qui mendaces, conuiciatores, & detractores sunt, à sua gratia, & vsu longiùs amoueant, & eum sibi familiariter adiungant, qui ambulat in via immaculata, defæca-

Prou. 22. 11.

P. Salaz.

P. Velasquez in Psal. centesimum.

tam animo puritatem & sinceritatem gerentem. Sed enim rursus inibi ex eodem Scholiaste adnotandum, Hebræam vocem pro qua noster posuit *munditiam*: ex sua germana significatione ad metalla spectare, quasi ea Regij administri munditia, & puritas à Salomone desideretur, quæ auro mundo, aut argento defæcato, & probato similis sit. Quòd si bene æstimas, mira & incredibilis venustatis energia huic imagini subest, quippe vt cudendæ monetæ exactissima metalli puritas, integritasque desideratur, quòd inibi Principis facies imprimenda, & exprimenda sit; sic præscribente Athalarico Rege apud Cassiodorum lib. 7. epist. 32. *Omnino moneta debet integritas quæri, vbi & vultus noster imprimitur, & generalis vtilitas inuenitur. Quidnam erit tutum, si in nostra peccetur effigie? &c. Sit mundum, quod ad formam nostra serenitatis adducitur. Claritas regia nihil admittit infectum. Nam si vultum cuiuslibet syncero colore depingitur, multo iustius metallorum puritate Principalis gratia custoditur.* Ita hac omnino ratione vehementiùs vrgente, purissimam, atque honestissimam esse oportet Regij familiaris vitam, eamque illum probitatem animo gerere, quæ adiostat auri defæcatissimi sit; cùm in ipso Regia effigies sic omnino imprimatur, vt ab eo Principis, siue virtus, & iustitia, siue prudentia, & recta gubernandi ratio à subditis æstimetur, ac certà, mirabilique ratione non fallente vndequaque pensitantur: ita id obseruante & Principibus ob oculos subiiciente gentili Themistio oratione 17. habita in Senatu his verbis. *Nescientes, quicumque tandem gubernationis manus sortitus sit, illum exiguam imperij imaginem inducere. Porrò ex imagine homines formam exempli primarij coniectant. Ridiculum verò sit, statuam nisi prorsus adsimilis sit, proiicere, tabulam delere, qua nihil exemplaris ita repræsentet, de animatæ autem imaginibus omni curâ solutos non laborare.* Pergit, vrgetque. *Et sanè si ea imago viuam effigiem Imperatoris non exprimat, nihil ob id spectatoribus incommodi affert, at verò Præfectus, nisi formam tuam referat, malè fati instar subditis efficitur, potentiamq; quam ad benefaciendum est consecutus, in contrariam partem traducit.* Hæc ille opportunissimè, vt videris quàm exacta mundities Administro quæri debeat, vbi Regius vultus imprimitur, cunctis ex eo Regium animum pensitantibus, vnde apud Cassiodorum lib. 4. epistol. 3. hoc sensu dicebat Theodoricus Rex. *Adornatum Palatij credimus aptas dignitatibus personas eligere. Quia de claritate seruientium crescit fama dominorum.* Opportunius verò Ioannem Cancellarium sic alloquebatur idem Cassiodorus libro 11. epist. 6. *Actus enim tui, Principis opinio est, & sicut penetrali domus de foribus potest congruenter intelligi, sic mens Præsulis de te probatur agnosci.* Reddit rationem: *non iniuria, quia talem vnusquisque ad responsa sua videtur eligere, qualem se custos decreuerit æstimari.*

B

C

Cassiod.

Themist.

Cassiod.

Cassiod.

D

4 Quòd si huic monetæ imagini tantisper hæreas, sive immoreris, in ea clarè videris illam thesim non modò communi sapientum calculo probatam, sed in quemenam, sine eruditum, siue rude vulgus cursu inuerit: tanti esse Principem, tantumque valere, apud homines fuerit æstimationem commeritum non secus ac regia imago tantum splendoris, & æstimationis habitura fuerit, quantum pretij, momentique metallum, cui imprimitur, habnerit, ad eum sanè modum quo summi Patris gloriam pendebat S. Zeno, inde ipsum gloriosum adstruens, quòd eum haberet Filium, & operi bono Administrum, qui glorioso ipsius consortio omnino esset dignus, quippe ideò eius facies in ipso gloriosè irradiat: qui *candor lucis æternæ, & speculum sine macula, & imago bonitatis illius est.* Nec satis quidem esse publicæ

Sap. 7. 26.

vtilitati, ac Reip. bono Principem omni virtute conspicuum, siue omnibus numeris absolutum esse, nisi adsimilem sibi habuerit Administrum, vt pretiosum eius metallum Augustæ illius faciei respondeat. *Parui* *M. Tull.* *enim refert* (dicebat M. Tull. epist. 5. ad Q. Fratrem) *abs te ipso ius dici æqualiter, & diligenter, nisi idem ab iis fiat, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris.* Cui rei valde opportunum audiat Princeps e a Dei ore testi- *Mich. 6. 1.* monium: ipse etenim apud Michæam 6. 1. sic hac de re iudicandum sese populo suo exhibebat. *Surge, contende iudicio aduersus montes, & audiant colles vocem tuam. Audiant montes iudicium Domini & fortia fundamenta terræ, quia iudicium Domini cum populo suo, & cum Israel diiudicabitur.* En Dominum ita iudicialem in modum disceptantem, vt se etiam iudicio sistere, & cum populo suo conuenire velit; sed quæ iudicij materies, & occasio? aut quibuscum disceptare Deus dicitur? *Contende* (inquit) *iudicio aduersus montes.* Montium nomine Angelos intelligens, qui Dei nomine homines guber- B *Cyril. Alexand.* nant, atque custodiunt, vt Hieron. & Cyril. Alexand. ibi interpretantur, quasi seuero, ac iudiciali examine Deus exploret, an suo munere in hominum tutela fideliter, atque constanter perfuncti fuerint. Sic nam- *Hieron.* que Hieron. *Ita in iudicio Dei vel ad Angelos crimen referetur, si non egerint cuncta quæ ad suum officium pertinebant, vel ad populum, si illis vniuersa facientibus ipsi audire contempserint.* Quæ eò quidem spectant, vt benè ibi ad- *Sanct.* notat P. Sanctius, vt cùm in eo iudicio liquidò constet, nullam Angelis in procuranda hominum salute inertiam, aut obliuionem fuisse, manifestum fiat, totam in hominibus culpam hærere, atque ideò ipsos optimo iure exilio, cædeque mulctari. Sed quorsum (inquis) Deus hic diiudicari, siue in iudicio sisti dicitur, cùm tota iudicij ratio, aut supra homines, aut supra Angelos cadat? Planè quia si (quod fieri nulla ratione potest) aliqua in Angelis deprehenderetur in dato sibi negotio incuria, aut culpa, hæc Deo quodammodo affigi posse videretur, qui tales sibi Admi- *Hieron.* nistros delegisset. Hæc sic ibi pensitante Hieronymo. *Iudicio contende aduersus montes, quos non alios significari puto, quàm Angelos, quibus rerum humanarum commissa est procuratio. Et contende iudicio, vt siue montes, siue colles reperti fuerint, non dignè populos procurasse, vel meum videatur esse* (crimen) *qui tales præposui, vel culpa tollatur à populo, & referatur ad Principes.* Hæc ille: vides quomodo in Principem tandem referatur quidquid ab eius Administro peccatum fuerit?

2. Reg. 8. 5 Sanè cùm 2. Reg. 8. nostri Dauidis Aula, & varia variis commissa ministeria describerentur hunc in modum. *Faciebat quoque Dauid iudicium, & iustitiam omni populo suo. Ioab autem filius Saruiæ erat super exercitū: porrò Iosaphat filius Ahilud erat à commentariis. Et Sadoch filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar erant Sacerdotes, & Saraias scriba: Banaias autem filius Ioiadæ super Cerethi, & Phelethi.* De filiis ipsius Regis, qui Aulæ Principes erant, & quos ipse in vsu, & ad manum negotiis expediendis habebat, subditur: *Filij autem Dauid Sacerdotes erant.* Sed quomodo erant Sacerdotes, qui Sacerdotes esse non poterant? cùm non essent ex tribu Leui, cui tantùm ad altare, & Sacerdotale ministerium aditus patebat. Planè, empbatico hoc, & valde honorifico vocabulo, tam Administrorum ministerium, quàm honestissimam ipsorum vitam, quam cæteri venerarentur, & suspicerent, indicare voluit Sacer Scriptor. Vnde obseruo duo, alterum inibi *LXX.* LXX. pro *Sacerdotes*, legisse *aulæ Principes*, & 1. Para- *1. Par. 18. 17.* lip. 18. 17. hanc omnino sententiam sic efferri. *Porrò filij Dauid primi ad manum Regis*: vbi notanter LXX. *primi vicarij Regis*: vbi manifestè apparet, sermonem esse de Administrorum ministerio, perindeque esse, ac si diceretur, eos in Regia domo non modò Regi A familiares, qui cum eo plurimum versarentur, fuisse, sed etiam quorum opera res ipse publicas administraret: alterum, Sacerdotij vocabulo in Scriptura non semper verùm, & legitimum Sacerdotium, sed eximiam quandam puritatem, atque munditiem denotari: vt Exodi 19. 6. *Vos eritis mihi in regnum Sacerdotale,* *Exod. 19. 6.* *& gens sancta*: & 1. Pet. 2. 9. *Vos autem genus electum, rega-* *1. Pet. 2. 9.* *le Sacerdotium, gens sancta*: & Apoc. 5. 10. *Redemisti nos* *Apoc. 5.* *Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* Quæ cùm vel de tota Synagoga, vel de tota Ecclesia Christiana, vel etiam de beatorum cœtu dicantur, satis liquet ad sanctitatem potiùs, atque puritatem, quàm ad verum Sacerdotium pertinere, cùm omnes omnino Synagogæ filij, aut Ecclesiæ Christianæ homines, Sacerdotes simul esse non possent. Vnde ad id loci Regum benè monet P. Gaspar Sanctius sic *P. Sanct.* subaudiendam ibi esse notam similitudinis: *Filij autem Dauid quasi Sacerdotes erant*, id est, eodem habitos B loco, & eadem puritate conspicuos fuisse, ac illos de quibus paulò antè dixerat. Planè quòd vt Principi, ita & eius Administro egregia vitæ puritas, & sanctitas quæ Sacerdotalem munditiam omnium quidem exactissimam, & maximè inuiolatam imitetur, necessaria sit. Hæc omnia egregiè firmante Rege Theodorico apud Cassiod. libro 1. epist. 12. dum Eugenium, *Cassiod.* quem in vsu habere volebat sic admonet *Esto innocentiæ templum, temperantiæ sacrarium, arx iustitiæ: pio Principi sub quodam Sacerdotio seruiatur.* En quò Regij Administri Sacerdotium erat, vt videlicet simul ara, templū, sacrarium, & arx innocentiæ, temperantiæ, & iustitiæ fuerit, id est, is cuius vita tanquam honestissima, & cunctis virtutibus ornata ab omnibus veneretur, & suspiciatur.

6 Subest verò peculiaris epitasis, & vis huic veluti Sacerdotali puritati, quæ ab Administro exigitur, quasi hæc suo ministerio speciatim opportuna, siue C potiùs omnino necessaria fuerit. Nimirum ad illum in primis spectat Regia sensa, cogitationes, & decreta cæteris aperire, siue explicare, ac manifesta facere: sed enim cùm hæc maximè pura, & sincera sint, sincerum etiam, & mundum instrumentum, per quod purè, ac sincerè decurrant eatenùsque esse oportet: nam oraculum est.

Sincerum nisi vas sit, quidquid fundis acescit. *Horat.*

Vnde hoc omnino sensu ministris Dei, ex eius præscripto dicitur. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Isaiæ. *Isai. 52. 11.* 52. 11. vbi ex PP. & optimorum Interpretum expositione Sacerdotes, & ministri Dei vasa vocantur, ad eum modum quo Paulus *vas electionis* dicitur, Actuū *Act. 9. 15.* 9. 15, & ab eo 2. ad Timoth. 2. 20. *In magna Ecclesiæ do-* *2. Timoth. 2. 20.* *mo vasa aurea*, atque *argentea* esse perhibentur, vt per- D inde ibi sit, ac si dicatur, mundi estote, qui estis vasa Domini, cùm per vos ipsamet mundities, & sanctitas sese hominibus communicanda prodat: alioqnin si ab eo quod temerare, ac polluere solet, manus non abstinetis, ei ministerio minimè eritis idonei, ipse siquidem purissimus diuinarum cogitationum, siue sermonum liquor in vase insincero, & immundo acescet. Quæ nostro instituto ab ipsomet Domino aptata videris Exodi 4. 14. Etenim cùm ipse Moysem po- *Exod. 4. 14.* puli Principem, & Pharaonis Deum constituisset, ipseque datum sibi munus declinare vellet, quòd impeditioria esset ad proferendos sermones linguæ: signatè ei à Domino Aaron Leuites in Administrum, qui eius sensa & verba proferret, sic designatus est. *Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit, &c. Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, &c. Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum.* Ad quem locum Hebræus Philo libro. *Quod deterius potiori insidietur*: dum ambi- *Philo.* git, quid fuerit Moysi in memoriam reuocare, Aaron ex Leui genus ducere, quasi ipse id ignoraret, aut

obliuisci

obliuisci potuisset?opportunè respondet, ideò factâ Aaronis mentione Sacerdotale eius ministerium, notanter etiam additum fuisse, vt innueretur, quantâ animi puritate ad verba, & arcana Principis proferenda opus fuerit, quòd ea ab impuro deturpentur, & corrumpantur. Audi illum. *Attamen nec omnis sermo, nec cogitatio occurrat omnibus, sed præfectus Aaron perfectissimi Moysi cogitationibus. Alioquin quid opus erat? postquam dixit.* Ecce Aaron frater tuus *addere* Leuita, *nisi doceret, quod soli Leuitæ, Sacerdoti, & bono conuenit sermone proferre cogitata, quæ sunt perfecta animæ germina. Nam mali viri sermo nunquam interpretari potest diuina dogmata. Pulchritudinem enim eorum suis deturpat cogitationibus.* Sic ille. Quò mirè facit Dauidem, qui filios sui vicarios, & Administros habebat, quod quasi Sacerdotes puritate, & sanctitate essent, hac ratione Absalonem fraternâ cæde inquinatum, licet ei commissi flagitij veniam dederit, ab eo tamen loco, & ordine amouisse.

2.Reg 20.26. *Reuertatur* (inquit 2.Reg.20.26.) *in domum suam, & faciem meam non videat*, id est, vt benè præfato loco P. Gasper Sanchez. *Non sit mihi vt antea Sacerdos, aut inter primos ad manum.* Nam mali viri sermo nunquam interpretari potest regia dogmata. *Pulchritudinem enim eorum suis deturpat cogitationibus.*

7 Quâ sanè ratione, si benè æstimas, inter cæteros Christi Domini rebus scribendis adhibitos historicos, Ioanni singillatim summa Vnigeniti Diuinitas pensiculatiùs conscribenda, explicandaque concredita est, quòd ipse specialis castitatis, & omnimodæ puritatis prærogatiuâ fulgeret, vt Diuinitatis videlicet pulchritudo, & puritas, puro priùs Ioannis cordo imbibita, puris subinde cogitationibus, puro ore, & labiis interpretaretur, atque exprimeretur, pulchrè id obseruante Ruperto lib. 5. in Ioan. cap. 6. his verbis. *Ecce Veritas, quæ de terra orta est, carnem de Virgine sumens, vt nos à diabolo liberaret, eadem de Virginalis Ioannis anima generatur, vocem corpoream induens, &c. Qui enim de corde suo Verbum bonum eructauit in vterum Virginis, vt Deus inuisibilis visibilis fieret, ipse castis complexibus ascitam Ioannis dilectam animam eodem verbo fœtam reddidit, vt Verbū ineffabile per vocem eius, ac litteram audibile procederet.* (Rupert.) Optimè, & rei nostræ peropportunè, vt Dauidis in eligēdo sibi Administro ratio, & œconomia omnino subsistat: quippe eius qui psallebat, *& intelligebat in via immaculata* sensa atque decreta, non aptè ab alio quàm ab eo, qui *ambularet in via immaculata* interpretarentur: soli enim Leuitæ, & bono conuenit, sermone proferre cogitata, quæ sunt puræ animæ germina. Planè hac omnino de causa Isaias in Dei Administrū, qui eius consilia, & cogitationes proferret, explicaretque, eligendus, vt sequenti adnotat. videbimus, & (Isai. 6.) sibi subindignans dolenter aiebat. *Væ mihi, quia vir pollutus labiis ego sum*, id est, pulchritudini diuinorum dogmatum explicandæ non aptus: & à Seraphino candenti carbone eius labiis admoto purificatus, pariter atque ignitus est, vt Christi futura gesta, sole quidem mundiora, & igne ardentiora non pollutis, & frigidis, sed mundis, & ignitis labiis tractaret, & verbum ineffabile per vocem eius, ac litteram congruè audibile procederet.

8 Sed deinde ideò potissimùm eximia animi puritas, & candor à Principis Administro exigitur, vt eius arbitrium sequatur, illius exequatur mandata, quæ Regni administrationi videntur opportuna, excogitet, mediretur, inueniat, imò verò diuinet: & ex bonorum affectuum sympatia, quid Princeps voliturus est, cognoscat, & exequatur, vti de Tocolo Regis Theodorici familiari dicebat Athalaricus in Cassiodor. lib. 8. epistol. 10. (Cassiod.) *In tantam se similitudinem eius cogitationis adiunxerat, vt causis recognitis, quod ille velle poterat, iste suâ*

P. Velasquez in Psal. centesimum.

sponte peragebat. Secùs verò si hæc Administro desit innocentia, & pro animi puritate prauum cor afferat, regiâ potiùs auctoritate abutetur, vt suis inseruiat cupiditatibus, & regni administrationem ad suos vsus detorquebit: opportunissimè id obseruante, & præmonente callido Principe Theodorico apud eundem Cassiod. libro 1. epist. 13. (Cassiod.) vbi cùm Eugenitem suum quæstorem, & Administrum ab hac animi puritate, & sinceritate hunc in modum commendasset. *Hic est, qui nostro pridem lateri veridicus quæstor adhæsit, quem liuoris nebula nulla fuscauit: nec maleuolentia studia nocendi artes fellitis sensibus exquisiuit.* Subiicit. *Syncero pectoris arcano puritati nostræ paruit, & ad pietatem iussionum innocentiam suam præbuit. Animus enim dolosus non arbitriū sequitur imperantis, sed suas potiùs explicat cupiditates.* Pende illa primū *syncero pectoris arcano, puritati nostræ paruit*, quibus tantùm non dixit, sibi perambulanti in innocentia cordis, illum ambulantem in via immaculata ministrasse, atque paruisse, ministri puritate Regię innocentię aptissimè concinente. Deinde ad hæc: *Animus dolosus suas explicat voluntates*, preme vim verbi *explico*, quod est implicita, siue plicata euoluere, exponere, & dilatare: vt dixerit sapiens Rex, Administrū prauo corde, & insincero animo præditum, non de Regis obsequio, sed de suis cupiditatibus explendis cogitare, eoque animum, artes, & potestatem conuertere, vt quæ ipse tanquam priuatus concupiscit, opes videlicet, delicias, aut etiam vindictam de inimicis, hæc regiâ gratiâ, & auctoritate in Regis fraudem, & publicæ Rei damnum exequatur, vt in Administro suo Aman Assuerus Rex publico edicto professus est, Esther cap. 16.

9 Quam ad rem placet pensiculatiùs expendere ea Domini verba quibus dæmonem increpauit, cùm sese Administris suis ingessit, Iob. 1. 14. leuiter adnot. (Iob. 1. 14.) 1. num. vlt. ex Olympiodoro illustrata: sic namque ibi: *Quadam autem die cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus: Vnde venis?* Et verò ei dubitationi, quam ibi mouebamus, qui Deus id interroget, quasi nesciat? sic scitè occurrit Olympiodorus, vt eundem sensum contineant, & eo dictionis sono accipienda fuerint, ac illa eiusdem Domini ad Adam, è summo diuinæ imaginis fastigio, in iumentorum similitudinem prolapsum; *Adam vbi es?* vt eo mucrone feriatur dæmon, tanquam is qui in Administrorum Dei gradu aliquādo fuisset, (Gen. 3. 9.) tanto honore seipsum suâ malitiâ defraudauerit. Audi Olympiodorum in Catena Græca sic pulchrè hæc diffundentem. (Olympiod.) *Illud autem:* vnde venis? *exprobandi causâ dicitur diabolo, propterea quod ordinem ministrantium spirituum deseruit; sicut Adam cùm dictum est*, vbi es? *pro illo eū è quibus, in quas res decidisti?* Et statim in eandem sententiam: sese accommodans lectioni LXX. (LXX.) *vnde ades?* id est, vnde locus tibi hîc? subiicit. *Fortasse etiam eadem verba valent ad stultam, ac temerariam agitationem diaboli coarguendam, ac si diceret: Angeli, qui mihi obsequuntur, qui diuina mea missa capessunt, eadem cùm perficiunt, verè mihi assistunt: hoc illis est assistere, voluntati meæ satisfacere omnino. Tu verò vnde? Neque enim meus es Administer.* Opportunissima omnia, sed obserua illa: *eadem cùm perficiunt, verè mihi assistunt*: & compone cum his. *Tu verò vnde?* vt Dei ore dixerit Olympiodor. Angelis qui mihi obsequuntur tamquam filij, qui omnimodâ puritate florentes mihi nati videntur, qui syncero pectoris arcano puritati nostræ parent, & ad pietatem iussionum innocentiam suam præbent, qui egregiis virtutibus meam imaginem, & similitudinem gestant: qui verba mea mundissimis cogitationibus excipiunt, atque exprimunt, Administrorum munus iure conuenit, *operi* enim *bono* boni opportunè ad-

ministrant; *tu verò* qui totus impurus, & fraudulentus A *maleuolentia studio nocendi artes fellitis sensibus* exquiris, *vnde hinc* inter Administros meos *ades*? Num vt mandatorum meorum *pulchritudinem tuis deturpes cogitationibus*? & pro Administro insidiatorem agas? *Animus enim dolosus non arbitrium sequitur imperantis, sed suas potiùs explicat cupiditates.*

Ad ea verba,

Non adhæsit mihi cor prauum.

Idoneum publicis curis Administrum à Principe, non affectu, seu amore, sed iudicio, ac mente deligendum.

ADNOTATIO IV.

1 PLANE cùm eum Administrum Regi exoptamus, qui ipsius imago, & speculum regias virtutes referens sit: siue *quòd ex imagine homines formam exempli primarij coniectant*, vt dicebat Themistius, siue quòd adinstar summi Parentis *operi bono optimum etiam ministrum* adhibere operæpretium fuerit; illud necessariò conuincitur, hunc non cæco voluntatis impetu, & hianti affectu, sed magno iudicio, & legitimâ deliberatione fore deligendum, ad eum planè modum, quo optimus summi patris Administer, quâ eius imago, & speculum est, ab ipso non affectu & voluntate, sed intellectu gignitur: vnde cùm ipsi apud homines auctoritatem facere, & mundo Doctorem,

Ioã. 4. 34. & Magistrum, qui opera sua perficeret Ioan. 4. 34. designare voluit: sic de eo locutus est: *Hic est Filius*

Matth. 3. 17. & cap. 17. 5. *meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 3. 17. &

Cypr. iterum cap. 17. 5. Sed obserua Cyprianum vtrobique C legere tam lib. 2. epistol. 3. quàm lib. 1. testimoniorũ ad Quirinum: *hic est filius meus dilectissimus, in quo bene sensi*: nutum non innuens summus Parens, ideò sibi in filio, vt operi bono optimum ministrum adlegeret, vnicè complacuisse, quòd de eo priùs bene senserit: iudicio videlicet amorem, & electionem anteuertente, quòd Administri, imò & amici electio non voluntatis, & affectus, sed iudicij, ac mentis opus fuerit.

Seneca. Plutarch. Cui sanè sententiæ gentilis Theophrastus, & Seneca omnino adstipulantur: ille enim apud Plutar. l. de fraterno amore absolutè ait. *Non amantem iudicare, sed cùm iudicaueris, amare oportere.* Seneca verò epist. 3. eiusdem ipsius sententia sic loquitur. *Tu verò omnia cum amico delibera, sed de illo priùs. Post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum; isti verò præposterè officia permiscent, qui contra præcepta Theophrasti, cùm amauerint, iudicant, & non amant cùm iudicauerint. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit, cùm placuerit fieri,* D *toto illum pectore admitte.* Et quidem rectè, siue vt toto

Sid. Apoll. ille pectore admittatur: nam vt scitè Sidonius Apollin. amico suo blandè simul ac seuerè dicebat. *Namque vt sodalis tibi deuinctior fierem iudicaui.* Quod si fas fuerit, magnis parua, & cælestibus terrena componere, sic summi Parentis verba cape, vt dixerit: ideò dilectissimum sibi Filium suum esse quòd intellectu, ac mente genitus, iudicij partus, ac fructus sit, eâque ratione operi bono optimum ministrum, in quo eius effigies omnino conspiceretur, adhibuisse. Quod penè videtur ob oculos habuisse Rex Theodoricus,

Cassiod. qui Cassiodorum sibi Administrum deligens, apud eundem lib. 1. epist. 4 dicebat. *Hos viros nostra perscrutatur intentio, in morum thesauris gaudemus inuenti, in quibus velut figuratũ bonorum vultibus, clementia nostra serenitatis exprimitur.*

2 Cui sanè rei peropportuna fuerit celebris illa A Isaiæ visio, cap. 6. vers. 1. cùm eius oculis illustris Dei species obiecta est. Nimirum ipsum in excelso, & eminenti solio sedentem vidit, cuius vndequaque defluentes in regia maiestate laciniæ totum replebant templum: & iuxta solium Seraphinos duos senis alis instructos, alternis vocibus diuinum illud trisagium iterantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, cuius gloria totam impleuit terram. Sed primùm visionis magnificentiam, & amplitudinem obserua; vix enim in tota Scriptura Deum, siue ipsum, aut cùm mundum creauit, aut dum ei prouidentiâ summâ prospicit, consideres; tantâ maiestate conspicuum animaduerteris: cùm inibi omnino maximæ gloriæ, & dignitatis summum gradum compleret. Deinde verò, si attendis quò hæc tam insignis pompa maiestatis, auctoritatis, gloriæ, atque sapientiæ iuerit; inuenies profectò eò omnino tendere, vt vnicum sibi idoneum prouideat, adlegetque Administrum: neque enim vllas alias Dei voces inibi audies, quàm has,

B *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Isaię 6. 8. Tantæ videlicet molis est, aptum, dignumque ministrum designare. Isa. 6. 8.

Quare tum Vates Dominum hæc dicentem quæsito nomine *Adonai*, quod imperium, dominationem, potestatemque significat, expressit; tum ipsemet Dominus cùm dicere potuisset, quis nostro iussu, aut nostri causâ ibit: notantissimè potiùs dandi casu vsus, quo cuiusque vtilitas damnúmve exprimitur, dixit *quis ibit nobis?* vt à ministri delectu, & fideli commissi ei muneris administratione totum quodammodo imperium, dominatio, potestas, atque existimatio Dei penderet, quasi nostro more dixerit: nostra quidem id interest: nostrum negotium agitur, nostræ hinc fortunæ pendent. Iam verò ex Aria Montano sapienter, & accuratè id obseruante, expende hæc Ar. Mont.

Domini verba consultationis formam, quæ propria C summorum Principum in grauissimis rebus expendendis esse solet, obtinere: quasi suam sapientiam cõsulat Deus, suamque virtutem, & sanctitatem (notanter quippe tota hîc Augustissima Trinitas loquens inducitur) quem huic rei aptiorem, digniorémque ministrum designet? Audi Montanum: *Neque consultatio illa diuina*: Quem mittam? & quis ibit nobis? *de Prophetarum defectu, sed potiùs de delectu est; quippe eadem tempestate illâ alij quoque Vates erant præter Isaiam, vt Amos qui fuit in diebus Iosiæ, & Oseas eodem tempore fuit Ioathan, & Ezechiæ, & Michæas, qui vaticinatus est tempore Ioathan, &c. Itaque non quærebantur Vates, quorum satis idonea copia extabat, sed consultabatur potiùs quisnam ex iis, qui ea tempestate essent, ad rem grauissimam Israëlitis denuntiandam maiori libertate, audaciâ, & promptiori animo præditum sese præberet.* Vides, vt Deus Administrum sibi deligat *secundùm consilium voluntatis suæ*? Ad Eph. 1. 11. adhibitâ videlicet consultatione, & iudicio, at- Eph. 1. 11.

D que ratione voluntati præeunte, nec amantem indicate, siue eligere, sed potiùs cùm iudicauerit, amare, & toto pectore admittere. Quam planè eligendi rationem, secutum dixeris Athalaricum Principem apud Cassiodor. lib. 9. epist. 22. cùm aiebat. *Electio nostra de meritis venit, & tanto quis Regali animo proximatur, quanto bonis studiis societate coniungitur.* Cassiod.

3 Sed enim vt hæc vndequaque cogitatio subsistat, quid tum muneris erga Deum deliberantem, cõsultationemque instituentem Seraphini adstantes exhiberent, obserua: *Duabus* (inquit Vates) *alis velabant faciem eius*: ac si ad nostri potiùs institutionẽ, & Principum documentum, quàm quòd reipsa opus esset, expansis, ac diductis alis diuinos oculos obtegerent, quò electio non *iuxta visionem oculorũ*, vti de Domino ab eodem Vate capite vndecimo versu tertio dictum est, *sed secundùm consilium voluntatis* omnino facta perhibeatur, iudicio videlicet interiùs pro nostra capiendi, Isa. 6. 2. Isa. 11. 3.

piendi, & intelligendi consuetudine, cautam penitus agente, & suis momentis personas, quæ in consultationem inciderant expendente, nulla exteriorũ rerũ, quæ oculos illicere solent, ratione habitâ. Quod sanè documentum Principibus dedisse Salomonem verbis illis adnotat. præced. ea lib. Prouerb. 22. 11. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem*; videris: nam præterquã quòd is est sensus, vt diximus, qui animo sincerus, & candidus, & adinstar auri defæcatissimi virtutem, & puritatem sectatur, hic sane amicus Regi esse debet, siue, hunc Rex, si sapit, sibi familiariter adiungere curabit: eò imago auri, siue argenti defæcati spectat, vt quem sibi in familiarem, siue Administrum adiungere Princeps velit, hunc priùs omni ratione exploret, eiusque dotes, & integritatem examinet; vti de amico deligendo admonuit Plutarch. *Vt nummum exploras, num sit adulterinus prinsquam eo sis vsus, sic amicum ante vsum probandum est*: & de eo qui aliis præferendus est Nazianz. à nobis sæpius adductus. *Quippe cui primum illud curandum erit, vt argenti, atque auri adinstar omni ex parte versatus, atque in omnibus temporibus, ac rebus nunquam adulterinam, aut fabaratum quiddam tinniat. Nihilq; deterioris materiæ, flammaq; acriori dignum in se ipso gestet.* Quasi is solùm vt regiâ gratiâ & familiaritate dignos, negotiis expediendis adhibendus sit, qui eam animo puritatem gerat, vt qualicumque ratione versatus tinnitu ipso, verbis scilicet, famâ, & hominum testimonio renuntiet. Hæc omnia nostro instituto omnino aptante Theodorico Rege apud Cassiodor. libro 5. epistol. 40. vbi cùm præmisisset. *Quamuis vltra desideria supplicum frequenter nos præstitisse beneficia gaudeamus, & quod est difficillimum, humanæ ambitionis interdum vota superemus, hæc tamen libenter amplectimur, quæ nos meritò fecisse gloriamur.* Subiicit opportunè. *Diu quippe trutinandus est, cui traduntur examina, talisq; debet à Principe deligi, qualis ab ipsa potest lege dictari.* Vbi, si attendis, prudentissimè à Rege Theodorico distinguitur inter beneficium, & ministri electionem, quasi ad beneficia præstanda supplicum desideriis annuere satis sit, ad deligendum verò Administrum non illius desideria, sed merita inspicienda, & diu trutinanda sint: vt videlicet rerum cura, & negotiorum expeditio non sit beneficij loco alicui ex amicis committenda; sed tanquam onus, cui humeros ille pares habeat, imponenda fuerit. Vnde idemmet Rex alibi dum fidelem sibi deligebat Administrum, scirè aiebat, adeò illi tunc beneficium non dare, vt ab eo ipse potiùs acciperet. Ita enim apud eundem Cassiodor. libro 5. epist. 4. *Nam licet in honoribus aliis beneficia conferamus, hinc semper arripimus.* Subdit rationem: *Est nimirum curarum nostrarum felix portio, iannam nostræ cogitationis ingreditur, pectus, quo generales curæ voluuntur, agnoscit: æstimate quid de illo debeat iudicari, qui tanti particeps fit secreti.*

Prou. 22. 11.

Plutarch.

Nazianz.

Cassiod.

4 At enim his diuinis oculis, expansis Seraphinorum alis velatis, vt argumento fuerit non secundùm visionem oculorum ministros à Deo eligi, Dauidis oculos forsan oppones hoc in Psalmo affirmantis oculis suis ministros, qui secum sedeant, conquirere. *Oculi* (inquit) *mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum*: vbi Regem non modò non operire, aut velare oculos ad ministros deligendos videris, vt potiùs illos acuere, magis, magisque intendere videatur: vt in commentario vidimus: verùm, si rectè æstimas, Dauidis oculi à diuinis nec hilum dissident, imò illis conformes omnino sunt: quippe ipse oculorum aciem non in personas, sed in merita, & animi ornamenta, vt ex illis eum, qui maximè esset idoneus deligeret, acriter intendisse affirmat: *Oculi mei* ait *ad fideles terræ*: vt dice-

P. Velasquez in Psal. centesimum.

A re videatur, non ad hunc, aut illum, qui mihi aut amicus, aut affinis esset; sed ad eos qui fideles, veraces, iusti, & seruantissimi æqui essent, acrem aciem in omnes regni mei partes intendebam; ad eum planè modum, quo Rex Athalaricus, inde prudentior, & melior, vt ipse ait, quòd solus omnia non præsumeret, Thelonicum virum patritium in sui Administrum, ideò deligere dicebat, quòd auo suo Theodorico fideliter, & laudabiliter adhæsisset: sic enim ille apud Cassiodorum lib. 8. epist. 9. *Ad releuandam florentissimæ ætatis nostræ sollicitudinem visum est, te virum prudentissimum conuenienter adhibere, quem constat etiam domni aui nostri tractatibus integer, & laudabiliter adhæsisse.* Quippe hic Theodorici Principis mos erat, vt non nisi dignis munera distribueret ipsomet indidem lib. 1. epist. 12. affirmante. *Pompa meritorum est regale iudicium, quia nescimus ista nisi dignis impendere.* Vnde statim subiicit: *in hoc campo exercitatum cursu meritorum ad palmam nostri* B *iudicij peruenisti.* Quod planè eidem Cassiodoro sub Principis persona scribenti lib. 7. epist. 34. ita erat persuasum, vt diceret, Regum, qui Deo chari sunt, iudicia diuino lumine peculiariter illustrari, vt rectum in deligendis sibi familiaribus, atque Administris iudicium ferrent. *Desiderat enim Aula nostra* (inquit Princeps) *præsentiam bonorum, dum nescio quo pacto quidquid regali sapientiæ gratum esse cognoscitur, & diuino iudicio comprobatur. Quia ille, qui corda nostra regit, ipse etiam quid debeamus statuere concedit.* Ac si diceret tantâ sapientiâ, tamque accurato examine amicos, & ministros sibi adlegere, vt inde à posteriori, vt aiunt, fieret manifestum, eius *cor in manu Dei* esse, qui illud regeret, & certum, maturum, ac sincerum iudicium inspiraret: quò opportunè referas ea verba, quibus M. Terentius apud Cornelium Tacitum lib. 6. Annal. ob amicitiam Sejani, cui Tiberius Imperator ad extremum C tantùm fuit infensus hostis, quantùm antea fuerat beneuolus amicus, in iudicium vocatus, suam defensionem coram illo Principe in omnes amicos Sejani ferociter sæuiente hunc in modum adornabat. *Non est nostrum æstimare, quem supra cæteros, aut quibus de causis extollas; tibi summum rerum iudicium dij dedêre, nobis obsequij gloria relicta est.* Inde videlicet Tiberium mitigare, & placare conatus, quòd Administrum sibi Sejanum non impetu, & affectu, sed iudicio, atque hoc diuinitus accepto delegisset, ac si ei ingereret quod præfata epist. 22. libro 9. apud Cassiod. dicebat Athalaricus. *De illo nefas est ambigi, qui meruit eligi iudicio principali. Non enim quidquam, aut odio decernimus, aut pellecti aliquâ gratificatione laudamus. Electio nostra de meritis venit.*

Cassiod.

Cassiod.

Corn. Tac.

Cassiod.

5 Sed vt è nostris etiam historiis aliquid ponam: D quàm longe à Dei, atque Dauidis oculis in fideles, & optimos quosque, vt secum sederent intentis, nostri Regis Petri (illius inquam Petri, qui aliis Crudelis, alis Vindex visus, te ipsû (vt vt id fuerit) infelix quidem, & durâ, ac crudeli fortunâ ad extremum calamitatem deiectus) oculi in eos sibi familiares adiungendos, per quos regni munia obiret, ferebantur: quippe non *ad fideles*, id est, ad maiora merita, atque virtutes, sed ad gratos malè partâ amicitiâ familiares, plerumque quidem ignobiles, semper verò improbos, & crudeles, ac turpium amorum quibus ille indesinenter accendebatur, conciliatores, quod supremo exitio illi fuit, omnino adspiciebat. Sed enim cùm tam Regij fratres, quàm Regni Proceres Rempublicam hac de causa sursum, deorsum agi, prædæque haberi grauiùs ferrent, vi primùm, & armis regios conatus infringere, deinde opportunioribus mitium, & humilium sermonum remediis ad meliorem frugem reuocare curarunt. Ergo dum in pago dicto *Tejadillo* non longè à

deligendo diximus, non tantùm in Principis gratiam, sed etiam in ipsiusmet Administri bonum, & constãtem in regia gratia durationem dici. Certè cùm præced. adnot. citatus Tertullianus, *Deũ operi bono optimum etiam ministrum sermoneni suum* adhibentem faciebat, simul Marcionem refutabat, quasi imperitissimum rusticum, qui in malam arborem bonam inseruisset. Vnde subiicit. *Sed non valebit blasphemia surculus, arescet cum suo artifice:* scitè quidem dicente Domino: *Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus eradicabitur,* Matth. 15. 13. Quæ sic nostro instituto aptauero, vt omnino dixerim cum Ennodio lib. 3. epist. 12. *Non firmis radicibus nititur amor indebitus, & citò ad examen reducitur, quidquid gratia aura surripuit.* Nimirum, non iudicio, & examine, sed cæco voluntatis impetu Reipub. & negotiis expediendis delectus Administer, infirmis sunè radicibus innititur; amoris quippe impetu languente, surculus non arte, sed imperitè insertus omnino arescet, & gratia ad examen redacta, leuiùs pluma auolabit: ille verò firmissimis perpetuò hærebit radicibus, qui examine probatus, & iudicio electus fuerit: debitus enim amor semper placebit, hæc sic firmante Theodorico Rege apud Cassiodor. lib. 4. epist. 3. *Tales enim prouehere Principem decet, vt quoties procerẽ suum fuerit dignatus aspicere, toties se cognoscat recta iudicia habuisse.* Sic ille. Hæc de Rege erga Administrum suum dixisse sit satis: iam de iis, quæ ipsius Administri propria sunt, longiorem dissertationem contexamus.

Tertul. — Matt. 15. 13. — Ennod. — Cassiod.

Ad eadem verba,

Regij Administri munus, lubricum, ac periculosum, & exitio vicinam dulcedinem esse.

ADNOTATIO V.

1 PRINCIPEM pro muneris sui ratione idoneum sibi Administrum deligentem iam vidimus. Sed enim, modò in ipso huius dissertationis limine non immeritò perquiris: ecquis tandem fuerit futurus, præsertim si egregiis iis animi dotibus, quas ipsi assignauimus, sit conspicuus, qui munus tam anceps, tam molestum, tamque exitio vicinum vltro velit suscipere? quippe nemo planè est, qui nesciat, eximium supremi huius fastigij fulgorem opinione potiùs quàm viribus stare, neque Regium familiarem, si propiùs eum inspexeris, esse aliud quàm, animũ infinitis curarũ stimulis transfixũ, leui illo splendore magna laborum, dolorũ, molestiarũ, & cruciatuum vlcera tegentem, qui, vt egregiè inquit Gregor. Naz. orat. 34. *Quò magis in altum pedem ponit, eò magis vertigine laborat, & æstuat;* & incunctanter per proprios pedes in mortem ruit. Enimverò vt insignis illa Iacobi cum Angelo lucta, in qua illi feliciter præualuit, nihil non fortunatum Patriarchæ obuentutum denotauit, ita si ex verbis, quibus ab Osea Propheta describitur, ad Principum gratiam, quã ipsorum amici apud eos plurimum valent, per accommodationem illam inflexeris, quod omnino Regij familiaris munus sit, plenè dignosces. Ait enim Vates cap. 12. vers. 3. *In fortitudine sua directus est cum Angelo. Et inualuit ad Angelum, & confortatus est: fleuit, & rogauit eum.* Obserua quæso illa *inualuit ad Angelum, & fleuit:* quæ miram epitasim habẽt. Nihil enim, dum ille præualuit, minùs sperares, timerésve quàm fletum, & lachrymas: in omnimodam lætitiam, gaudium à tanta felicitate promanantem intentus: sed si benè æstimas, nihil ad primum adeptæ regiæ gratiæ momentum fletu, & lachrymis fuerit opportunius, quæ illam eandem faciant cum humana vita, in qua vel florentissimus quisque Salomon *primam vocem*

Greg. Naz. — Osea 12. 3.

A *emittit plorans:* Sap. 7. 5. vt à lachrymis vitam auspicatus, nonnisi ad labores, tristitias, supplicia, & mortem à natura edi se norit: *Nihil enim habet hæc vita nisi lachrymas,* (ait Chrysost. hom. 22. ad popul. Antioch.) *& opprobria, & conuitia, & tristitias, & labores, & morbos, & senectutem, & peccata, & mortem:* scitè hanc cogitationem sic aperiente Plin. lib. 7. natur. histor. in proœmio: *Hominem tantùm nudum, & in nuda humo natali die abiicit (natura) ad vagitus statim, &ploratũ, nullumq; tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus à vitæ principio:* & statim penitiùs: *flens animal cæteris imperaturũ, & à suppliciis vitam auspicatur, vnam tantùm ob culpam, quia natũ est. Heu dementiam! ab iis initiis existimantium ad superbiam se genitos.* Hæc ille. En regiam familiaritatem suis coloribus depictam, dum à lachrymis incipit, & primam vocem emittit plorans, flens animal cæteris imperaturum, tristitias, labores, sollicitudines, & cunctarum miseriarum cumulum, quæ eum manent, iam inde B præsagiẽs: vt si sapiat sit omnino dicturus quod apud Senecam lib. 7. de benefic. cap. 9. Demetrius Philosophus ei, qui sibi res omnes possidendas traderet. *Ego verò me ad istud inextricabile pondus non alligo: nec in illam facem rerum hunc expeditum hominem demitto. Quid ad me defers populorum omnium mala?*

Sap. 7. 5. — Chrysost. — Plinius. — Seneca.

2 Et verò dum Regij Administri, siue familiares in Regiæ gratiæ mari, tot procellis, scopulis, atque naufragiis obnoxio periculosissimè nauigãt: maximũ illis periculum ab ipso Rege egregiè illos amante, fouente, atque fauente, omnino esse, sic disertissimè admonet Sapiens Ecclesiast. 9. 18. *Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem mortis: et si accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne fortè auferat vitam tuam. Communionem mortis scito.* Pulcherrimè: nam primùm, sic à Principe procul, quàm à morte vult hominem cordatum esse: nec aliam ab hac, quàm ab illo esse distantiam, vt dixerit, immatu- C ram tui mortem ex Regis propinquitate, & familiaritate coniice: si à Principe longiùs abes, longiùs à morte, si propiùs illi coniungeris, propiùs morti subes: sic disertissimè Sidon. Apollin. Hecdicium suum æquè cum Rege, ac cum rogo agere hunc in modum admonebat lib. 3. epist. 3. fine: *Igitur si quid nostratum precatibus acquiescis, ac tuto in patriam receptui canere festina, & assiduitatem tuam periculosa Regum familiaritati celer exime, quorum consuetudinem spectatissimus quisque flammarum natura benè comparat, quæ sicut paululum à se remota illuminant, ita satis admota sibi comburũt.* In quam planè sententiam apud Scotos (vt Guillelmus Barclaius lib. 6. contra Monarch. cap. 4. refert) prouerbij loco iactatur: *Quò quisque Regi propinquior, eò propinquior patibulo.* Pro quibus (ne te, bone lector, oneramus in- D finitis omnium ætatum exemplis nemini non obuiis, & denuò tibi Sejanos, Narcissos, Plautianos, Ruffinos, Eutropios, Belisarios, & è nostris eos, qui in ore omnium natant, ad fastidium, & nauseam ingeramus) abundè quidem fideiubet Herodes Rex apud Egesipp. lib. 1. de Excid. cap. 36. etenim cùm ad illum Hircanus plus plus accederet, & quò propinquior fieret, neptem ei suam despondenerit: Rex statim ipsum satis sibi admotum combussit. Audi Egesippum. *Laqueus igitur mortis Hircano, coniugium neptis fuit, cuius gratiâ properauit ad Herodem, nesciens, tutius apud hostes captiuus degere, quàm apud Regem propinquos.* Pende hæc extrema: *apud Regem propinquos:* quasi ad Reges appropinquare, flammæ se committere, atque ad mortem appropinquare, fuerit, nec aliquem infelici captiuo infensiorem hostem, quàm suo familiari Principem esse.

Eccl. 9. 18. — Sid. Apollin. — Guillelm. Barcla. — Egesipp.

3 Sed enim pulchriùs id expressit illis verbis Sapiens: *Si accesseris, communionem mortis scito:* quod perinde fuit, ac si diceret, vt boni Interpretes expẽdunt:

scito tuam cum Principe communionem esse communionem mortis, siue communicatiunē cum morte. Pende pulchrum dicendi mudum, siue appositam imaginem hominis cum morte, quasi cum te, aut persona animata communicantis: ea enim innuitur, Regiam familiaritatem lethalem omnino esse, siue, regium familiarē, quocumque se vertat, & quouis tandem modo cum Principe agat, in mortem incidere: nempe communicatio cum morte, quæcumque, aut cuiusuis modi ea fuerit, mors est. Nam si fingas, mortem udio aliquem prosequi, siue sæuo illum ictu ferisse, mortuum putas: sin ipsam hunc amplexantem consideras; itidem eundem in mortuis putas: in quo enim mortis amplexus à mortis ictu differat? Ad quem planè modum si iratum experiaris Principem, certa tibi statim mors est: nam *indignatio Regis nuntij mortis*, siue vt est apud LXX. *Angeli mortis*, Prouerb. 16.14. velocissimè scilicet, quin possis euadere, mortem tibi inferens: sin autem placatum, & amicum babeas, inter eius amplexus, vt Amhæus ille inter Herculis bruchia cum à terra subleuantis itidem animam exhalabis; sic sēnē de sui æui Principibus dicebat Plinius in Panegyrico. *Erant sub oculis naufragia multorum, quos insidiosâ tranquillitate prouectos improuisus turbo perculerat. Quod enim tam infidum mare, quàm blanditia Principum illorum, quibus tanta lenitas, tanta fraus, vt facilius esset iratos, quàm propitios habere?* Vt ei qui tantæ illi maris tranquillitati fidentes, opportunè occinas.

LXX. Prou.16. 14.

Plinius.

O nimium cælo, & pelago confise sereno;
Nudus in ignota Palinure iacebis arena.

Quare vt certum hunc interitum significet Sapiens, subiicit: *Quoniam in medio laqueorum ingrederis, & super dolentiū arma ambulabis*: id est in tāto periculo versatis, ac si per mille laqueus incideres, quorum vt vnum aut alterum effugeris, at omnes cauere nun poteris, aut si per armatus milites à te vulneratos, qui dulore cuncta te ex vulnere concepto perciti insanu impetu ad mortem te aggrederentur: à quo nou abit illud apud Veter. Epigrammat. lib. 1.

Viue, & amicitias Regum fuge, pauca monebas,
Maximus hic scopulus, non tamen vnus erat.
Viue, & amicitias nimio splendore nitentes,
Et quidquid colitur perspicuum, fugito.

4 Hinc noster Rex in variis Regum aulis satis antea versatus emphaticè aiebat. *Nolite confidere in Principibus, in quibus non est salus* Psalm. 145. 2. Quæ verba Agellius, & alij, vt ex sensu Dauidis adstruant, omnino in huminibus non esse confidendum, sic capiunt, ac si dicatur, quòd si in Principibus, qui cæteris, & opibus, & potentiâ, & virtute præstant, fidendum non est, quantò minùs in aliis? Ego verò ea interpretandi ratione, & Dauidis sensum euerti, & sententiæ saporem obtundi crediderim: quippe ille eò signatè it, vt homines à communi errore eripiat, quo Principibus fidere, obsequi, & toto animi nisu eorum gratiam assequi ambiunt. Ergo tantùm non inquit. Si id in quo nobis confidendum est, elusmodi necesse est, vt spem confidentis non fallat, neque frustretur: cuiuis mortalium potiùs quàm Principibus fidere operæpretium erit. Quare? Quia *in ipsis non est salus*: hoc est, quia eius naturæ, ac conditionis sunt, vt alios iuuare, salutem, & opem constanter ferre nesciant: sanè quasi eadem hæc verba cum illis Domini apud Ieremiam, de his mundi idolis fuerint cap. 14. 22. *Numquid sunt in sculptilibus gentium, qui pluant? aut cæli possunt dare imbres?* Quibus ea subest epitasis, grandinem & turbinem dare possunt, & dant, quibus omnia perdant, pluuiam, aut imbrem salotarem nequaquam dare possunt. Sed hæc accipe iam à Chrysostomo ad id Psalmi. *Nec mihi* (inquit) *dixeris, Est Princeps: Princeps enim non est quolibet homine plebeio superior: est enim tidem*

Psal. 145. 2.
Agellius.

Ier. 14. 22.

Chrysost.

A *incertitudini obnoxius, atque adeò si quid est dicendum admirabile, propter hoc ipsum maximè non est fidendum, quòd sit Princeps: sunt enim summoperè lubrica, & periculosi hi principatus, & si nullum ei casus accidat, est ad iram proclius, & potestate in ingratis animi crimine, & beneficiorum, oblitione abutitur, vt rationem non redditurum eorum quæ accepit ab initio.* Sic Chrysost. Verissimè, verissimè: nec coniectandu, aut conciunando, sed exactissimè interpretando id dixisse putes: nimirum Hebræa vox *Nedibim*, pro qua Noster posuit *Principes*, propriè significat *voluntarios*: & vt apud Genebrardum obseruant nonnulli, eā ideò voce *appellantur Principes, quòd suo viuant arbitrio*: nullis scilicet gratitudinis, aut humanitatis adstricti legibus. Cui obseruationi illa omnino consonat, quā ex Biblia Veneta adnotauit Pineda in Ecclesiasten cap. 8. vers. 3. num. 10. Regem dici posse, *Hhephets*: id est *creatura, quæ voluntate & affectu ducitur.* Benè ergo hæc interpretatur Chrysostomus, vt velit

Geneb. Lect. Hebr.

Pineda.

B Dauid, propter hoc ipsum maximè nun esse fidendū, quòd sit Princeps, qui potestate abutitur, ne gratus, & beneuolus sit, tanquam legibus solutus, & rationem non redditurus.

5 Certè huc intentus Salomon, & ipse Rex & Regum ingenia optimè rimatus & callens, ancipiti, & obscurā locutione, sed accuratā quidem & venustissimā imagine vsus, dicebat. *Cælum sursum, & terra deorsum, & cor Regum inscrutabile.* Prouerb. 25. 3. vbi cùm omnino constet Sapientem affirmare eam esse cordis, siue animi, ac voluntatis Regum naturam, quæ penitùs cognosci, & firmiter retineri, & aut muneribus, aut obsequiis deuinci, & allıgari tenaciter nequeat: pulchrè cæli, ac terræ imaginem huc aduocauit: tam vt suam firmet sententiam, quàm vt iis qui Principum gratiam sectantur ostendat, difficilem illus omnino prouinciam assumere, & in summum discrimine versari. Quare duplex huic imagini ex interpretatione Salazarij per opportunus sensus subesse potest. Alter quo Principis animom siue voluntatem medium inter cælum, terramque constituat, ut e quieto motu cursum suum quaqua versus conficientem, ac prolnde familiares suos iam ad cælum vsque sublimes leuantē, iam eosdem vertente rotā à cælu deturbatus ad terram, siue ad profundum terræ (nam LXX. habent: *terra autem profunda*) deprimentem ad eum modum, quo ille Orontes Regis Artaxersis gener ob subitam eius indignationem honoribus amotus, & ad summam ignominiam redactus dicebat. *Quemadmodum supputatorum digiti nunc myriadas, nunc vnitates præferūt: ita Regum amici, nunc plurimùm, nunc minimum valent.* Pergit verò Salazar, & ad exprimendam sententiam Salomonis. *Cor Regum inscrutabile;* subdit. *Quid tamen, quomodo, aut quando velit, nemini exploratum est: nam cùm ipsum voluntatem nihil obstringat, velle, ac nolle illi valde liberum existit.* En quod dicebat Chrysostomus, sic se Principes gerere, cùm eum, quem cælo priùs intulerant ad terram deponunt, *quasi rationem non redditurī*: necnon quàm opportunè, quàm verè Principes eā voce Hebræā appellentur quā significatur *suo viuere arbitrio*. Quò mirè facit, vt indidem obseruat idem Salazar. translatio LXX. quæ pro *cor Regis inscrutabile*, reponit. *Cor autem Regis redargui non potest.* *Quasi dicat* (ait ille) *quidquid vult impunè facit, & nullus est, qui rationem facti exigat.* Videtur hæc omnia ob oculos habuisse Petrus Chrysologus serm. 161. inquiens. *Quidquid Dominus indebitè, iracundè, libens, nolens, oblitus, cogitans, sciens, nesciens circa seruum fecerit, iudicium, iustitia, lex est. Imperantis ira subdito ius est, & ad libitum Domini vocem non habet conditio seruitutis.* Exige iam ergo ab eo facti rationem.

Prou. 25. 3.

C

D

Salazar. LXX.

Chrysol.

6 Iam alter sententiæ Salomonis sensus æquè appositus, atque è re nostra est: qui cæli, ac terræ imaginem

nem inter Principem, & eius subditum partitur: cælum Principi, terram verò eius familiari ficaccommodans, vt ipse non minùs infra Regem iaceat, quàm terra infra cælū. Quocirca vt cælum è terra speculari, atque mortalium euentus, quos portendit, penitus cognoscere, anceps, ac perdifficilis res est: non modò ob cæli distantiā, sed etiam ob dissimiles eius facies, atque instabiles motus, à quibus quidem sæpè sæpius prouenit, vt Astrologus de hominis natiuitate iudicium ferens, et cæli faciei tenaciùs hæreat, & radio velut acu fignet, & quasi manu teneat, quæ citato cæli motu iam pertransierat, & cum alia fuerat commutata, ac proinde de illius euentibus, atque felicitate toto aberret cælo, felicissimum fortè faciens, qui postea infelicitatis imago est: ita omnino priuatum hominem Principum animum, studia, & gratiam assequi, & quod caput est, firmiter retinere, arduum omnino, lubricum, ac perdifficile fore, tum ob longissimam vtriusque distantiam, tum ob mobile, & nullis adstrictum legibus Regum ingenium: quin aliquā vel ansā fecurè comprehendi ac retineri queat: vnde cùm putas te vel meritis, vel obsequiis, vel amore, quo eum impensiùs prosequeris, ipsum tibi deuinxisse, atque obstrictum tenere, longiùs à te recessisse videris: affectu siue impetu suo aliò eum ducente, atque inclinante: quippe ea *creatura est: qua affectu, & voluntate ducitur, & arbitrio suo viuit.* Enimverò huc dixerim adspexisse eundem Salomonem, sibi ipsi mirificè concinentem, atque applaudentem, dum Sap. 7. 20. hominum cogitationes se penetrasse gloriatur.

Sap.7.20. Etenim cùm ibi dixisset. *Ipse enim dedit mihi horum qua sunt scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum,* &c. Subiicit. *Naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum & cogitationes hominum.* Vbi duo primùm animaduertas Salomonis mentem introspicias, obseruas: alterum pro *cogitationes* Græcè esse, *ratiocinationes, deliberationes,* quidquid videlicet rationis consilio, & animi imperio homo eligit, amore, atque odio complectitur: alterum vocem *hominis* in Scriptura propriè significare virum Principem, & potentissimum hominum, vt ad ea verba eiusdem Salomonis Ecclesiast. 1. 3. *Quid habet amplius*

Eccl.1.3. *homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub Sole?* Necnon

Cant.8.7. ad illa Cantic. 8. 7. *Si dederit homo omnem substantiam domus sua,* vbi vtrobique pro homine potentissimo, & summæ dignitatis ponitur, alibi obseruasse me memini. Iam meritò ambigas de structura verborum Salomonis: cogitationes, & deliberationes, amorea scilicet & odia Principum cum naturis animalium, iris bestiarum, & vi ventorum coniungentis atque adnectentis. Quid? vnáne atque eadem horum omnium scientia, & cognitio? vnáne, atque eadem rationalis hominis, & irrationalium ferarum natura, atque ingenium? vnáne, atque eadem ventorum terras turbine perflantium, ac Principum in modum simulacrorum throno insidentium vis fuerit?

7 Equidem minimè videtur dubitandum, vt orationis series, & sententiarum Salomonis acumen substat, ipsum hoc loco tropologiam cum physiologia copulasse: & Principum cogitationes cohærenti sermone cum ferarum affectibus, & ventorum impetu coniunxisse, quòd vel in suis vicibus expertus, præclaram iis omnibus similitudinem subesse viderit: omnium quod in bestiis est impetus, & ira, quibus ad concupita rapiuntur, quod in ventis est pondus atque impulsus, quo (vix attingente Philosophiā, sed hærente, ac hallucinante) hac illac feruntur: nam *spiri-*

Ioan.3.8. *tus* (ita Dominus Ioann. 3. 8.) *vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat:* hoc videtur esse Principum cogitationes, & interiores animi motus, dum proprio arbitratu viuunt, & voluntate & affectu suo ducuntur. Certè vbi Ierem. 8. 4. dicitur.

Omnes conuersi sunt in cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium, apud Chaldæum est insignis Regum nota, quam persequimur: *omnes multiplicant voluntates animæ suæ,* & similiter apud Theodoretum: *omnes aguntur suo sensu.* A quo non abit nostri Vatis locutio Psal. 2. 1. *Quare fremuerunt gentes?* Vbi translationem à ferocientibus equis omnes Interpretes agnoscunt: sese verò statim explicans Dauid subdit. *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum.* En Principum affectus frementes, & in cursum suum conuersi, quasi equos impetu currens in prælium. Vide iam illos ventis omnino adsimiles. Porrò in ventorum natura duo opportunè obserues: alterum motus eorum causam, & originem, alterum summam ipsorum celeritatem, & instabilitatem, & hac de causa quidem pulchrè Seneca lib. 5. natural. qq. cap. 5. cùm dixisset. *Quid ergo? hanc esse solam causam ventis existimas, aquarum, terrarumq. euaporationes?* Subdit. *Ego verò & hanc iudico. Cæterum illa est longè verior causa, valentiorq., habere aëra naturalem vim mouendi se, nec aliunde concipere, sed inesse illi vt aliarum rerum, ita huius potentiam. An hoc existimas, nobis quidem datas vires esse, quibus nos moueremus, aëra autem inertem, inagitabilem relictum esse.* Quæ non leuiter confirmat illud Iob. 28. 25. *Qui fecit ventis pondus:* suum scilicet impulsum & vim indidit. Iam ventosum celeritas prouerbio cessit *ocyor vento:* sicut & instabilitas venti *campus* apud Diogenianum, & quod plus est apud Dominum, Matth. 11. 7. dicentem *arundinem vento agitatam.* De vehementia verò rursus opportunè Seneca lib. 2. natural. qq cap. 8. *Quid est autem quod magis credatur ex semetipso habere intensionem, quàm spiritus? hunc intendi, quis negabit? cùm viderit iactari terram cum montibus, tecta, murosq., plures, & magnas cum populis vrbes, cum totis maria littoribus.*

8 Vides vt ea ventorum imagine ostendere voluerit Salomon, cogitationes Principum celeres esse, subitas, concitatas, vehementes, instabiles, incertas, *nec aliunde* quàm à sua potestate, & licentia summa *conceptas:* atque vt in campo, aut planitie venti nullo obstaculo coërciti huc, atque illuc liberrimè diuagantur, ita ipsos pro libito atque arbitrio suo, & homines in cælum extollere, & in infimum terræ, siue in sepulchrum deprimere. Iam hinc collige, nihil esse tam arduum, ancépsve, quàm Principum gratiam sectari, nihil tam difficile, & quod omnino fieri nequeat, quàm ipsam retinere, nihil tam lubricum, atque periculosum, quàm in ea viuere: nam si sectaris, ventum insequeris, si comprehendere niteris, ventum comprehendis: inde verò quod consectetis emolumentum aperiet Oseas cap. 8. 7. *Ventum seminabunt, & turbinem metent:* quippe ventus seminatus, & inclusus, cùm non habeat de more coërceri, & sub aliena potestate detineri, sed suo pondere, & motu ferri, se seipsum intendit, *vt terram cum montibus iactet, tecta, murosq., plures, & magnas cum populis vrbes, cum totis maria littoribus.* Nec omittendum hic fuerit, in scriptura ventos ea ore Dei spirantes induci, vt acutè obseruat Pineda ad id Iob. 37. 10. *Flante Deo concrescit gelu.* Quod bene referas ad summam licentiam, & merum Imperium, quo suo arbitratu & sensu Principes de vita, & facultatibus hominum decernunt, quasi eorum placita ex ipsomet Dei ore spirent. Vt ingratiis apud Suetonium cap. 37. dixerit Nero dum summam potestatem cum summa licentia coniungebat, *nescisse quemquam Principum quid sibi liceret.*

9 Opportunè ergo eadem Salomoni scientia asseritur, quæ *iras bestiarum* immeretes occidentium: *vim ventorum* terram cum montibus, & cum totis maria littoribus intensione ex semetipsis habitā iactantium, & *cogitationes,* siue deliberationes Principum, qui

Ierem.8.4. Chaldæus. Theodor. Psal.2.1. Seneca. Iob.28.25. Diogenia. Matth.11.7. Seneca. Osea.8.7. Iob.37.10. Sueton.

qui suo arbitratu viuunt, & homines paulò antè amicissimos, & maximis à se honoribus opibusque cumulatos, ob leues suspiciones & interdum falsas, de statu præcipites dare, inque maximas miserias conijcere solent: æquè cognoscit, ac penetrat: vt hinc iam non minùs opportunè dubitatum videris initio adnotationis, ecquis Regij familiaris munus vltrò susceptururus sit? tot millibus pereuntium Sejanorum in oculos coniectis. Vno Maximo è regio solio deturbato dicebat Pacatus in Panegyrico. *Quisquis purpurâ quandoque regali vestire humeros cogitabit, Maximus exutus occurrat: quisquis aurum, gemmasq; priuatis pedibus optabit, Maximus explautus nudus appareat: quisquis imponere capiti diadema meditabitur, auulsum humeris Maximi caput, & sine nomine corpus aspiciat.* Tot Maximi exuti, & laniati audaces gressus non repriment? *Graue est sapienti offendere, vbi alterum reperit cecidisse*: inquit grauiter Rex Athalaricus apud Cassiodorum lib. 8. epist. 20. grauiùs verò Augustinus lib. de singul. clericorum. *Nimiùm præceps est, qui transire contendit, vbi conspexerit alium cecidisse, & vehementer infrunitus est, cui non incutitur timor alio pereunte* Hinc sanè illud è Sybillæ folijs est,

Pacatus. *Cassiod.* *August.* *Laberius.*

Summum ad gradum cùm claritatis veneris,
Consistes agrè, & quàm descendas, decides;
Cecidi ego, cadet, qui sequitur.

Ad eadem verba,

Id esse Principum ingenium, vt nullam sui ansam dent, quâ vel amore, vel absequio, vel probitate, sed neque improbitate, à suis familiaribus valide apprehendi, & firmiter retineri possint.

ADNOTATIO VI.

1 MIRVM quidem foerit, quàm par, atque æquale ubsequium, sibi, ac summo Regi Deo, Principes à suis subditis exhiberi velint, vt nimirum quemadmodum Domino ex Pauli ad Philippenses 2. vers. 12. & Dauidis Psalm. 2. 11. monitis *cum metu, & tremore* inseruire debemus, ita ipsis eorum Administri, ac familiares non nisi *in timore* seruiant, & exultent cum tremore. Sed enim illud fuerit multò magis mirandum, quàm longè ipsi in ferenda gratia huic tam meticuloso & tristi obsequio à Dei ingenio & conditione mutint. Nempe ipsum hac suorum diffidentiâ, *quæ validissima gratiæ custos est*, vt ait Hilarius in Psalm 14. necnon eorum pietate, meritis, probitate, bonis operibus, pilorum etiam munere placari, conciliari, promereri, atque apprehendi nouimus; semel verò conciliatum, & à suis apprehensum non priùs nos deserere, quàm à nobis deseratur, ex fide nouimus: vnde quidem vnus ex ipsius familiaribus animosè dicebat. *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Genes. 32. 26. alter verò eadem prorsus religiosâ fidentiâ iactabat: *tenui eum nec dimittam.* Cant. 3. 4. imò ipsemet adeò tenaciter à suo Administro Moyse cóprehensum se teneri cognoscebat, vt adhuc cùm grauissimè offensus à iustissima ita ad sumendas de sontibus pœnas stimulabatur, in ipsumet iracundiæ æstu submissiùs ab ipso efflagitaret. *Dimitte me, vt irascatur furor meus.* Exod. 32. 10. Ad quæ verba Hieron. epist. 22. pulchrè ait. *Quando dixit.* Dimitte me, *ostendit se teneri posse.* At Regis alia omnino natura, aliud ingenium est: vix enim vllam viam ineas, aliquam rimam noueris, quâ ad eius gratiam, & amicitiam securè ingredi possis: ipse quippe vice versâ rimam quâ elabatur perpetuò nouit, ostenditque se teneri non posse. Audi huic rei opportunam Senecæ de callido illo Imperatore Tiberio erga Sejanum suum, quem in

Phil. 2. 12. *Psal. 2. 11.* *Hilarius.* *Gen. 32. 26.* *Cant. 3. 4.* *Exod. 32. 10.* *Hieron.*

A summo honore & arcana gratia habebat, obseruatione in consolatione ad Marciam cap. 15. Etenim cùm dixisset. *Tiberius Cæsar, & quem genuerat, & quē adoptauerat, amisit: ipse tamen pro rostris laudauit filium, stetitq; in cōspectu posito corpore, interiecto tantummodo velamento, quod Pontificis oculos à funere arceret: & flente populo Romano nō flexit vultum*: statim, quâ mente, quo cōsilio tam constans & rigidus videri vellet, sic subiicit. *Experiendum se dedit Sejano ad latus stanti, quā patienter posset suos perdere.* Voluit dicere: vt benè pendit Iustus Lipsius: *Monuit Sejanum hoc ipso facto, quàm duraret animo etiam ad sanguinem suum perdendum, nedum ad amicos, aut affines*, hoc est: nulla ipsum ratione teneri, nulla apprehendi ansa posse, neminem nisi se vnum in pretio habere, nulli verè & tenaciter inhærere.

Seneca. *Iust. Lips.*

a Enimverò si aliquo Principes vinculo illigari à suis possent, amoria quidem nexu vincirentur: sicuti
B & Deum ipsum vel Gentiles faciunt

Æterno deuinctum vulnere Amoris.

Anacreo.

At illi neminem omnino amant, qui seipsos vnicè amant: nimirum cùm ventorum, vt vidimus, pondus sit, vt vbi velint spirēt, quin scias vnde veniāt, aut quò vadant: atque Augustino auctore. *Amor meus pondus meum, illo feror, quocumque feror*: Non abs re iis significati dixeris Principes nonnisi suo pondere, siue sui amore quocumque ferri, nec aliud quàm se, suaque amare, & solùm seipsos ob oculos habere, quin aliquo humanitatis sensu ad alios diligendos, nisi suiipsorum met causâ tangantur. Quò sanè in primis primum idololatriæ ortum, siue originem à Salomone in libro Sapientiæ descriptum referre placet. Sic namque ille cap. 14. 15. *Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc, quasi homo mor-*
C *tuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia.* Vbi cùm non sit dubium de Rege Ægyptio Syrophane sermonem esse, vt ex Fulgentio lib. 1. Mythologiarum inibi adstruo; meritò quidem ambigitur, cur Rex filium potiùs quàm patrem suum adorari, & pro Deo haberi voluit, cùm illud naturæ legibus, non tantùm dissonare videretur: certè cùm filius à patre ortum ducat, & quidquid sit habeat, nescio quid inde similitudinis cum Deo pater habere videretur: vnde Paulus Diuinitatis & Maiestatis Dei diligentissimus assertor, omnem paternitatem à Deo in cælis & in terra nominari signatè scripsit ad Ephes. 3. 15. Igitur, vt tanto delitamento aliquod obtenderetur pietatis velamen, filius potiùs patrem suum tanquā Deum colere, non verò pater filium repugnante naturâ adorare debuit. Pupugit quidem tam acutè nonnullos hoc acumen, vt hinc ausi fuerint affirmare, non certam hanc, sed vagam quandam & incertam rei, quæ nunquam con-
D tigerit, narrationem esse, nec à patre filium colente, idololatriam initium sumpsisse, sed è contra à filio, Rege videlicet Nino, qui Belum patrem suum pro Deo vero coluit, & adorari fecit. Sed enim non tutò, sed audacter, ne grauius aliquid dixerim, id affirmari ad id loci copiosiùs dissero: modò præfatæ dubitationi ex eodem Salomone satis obuiam iri certum est: quippe ipse immediatè antè superbiam, atque ambitionem initium idololatriæ fuisse sic affirmauit. *Superuacuitas enim hominum hæc aduenit in orbem terrarum*: vbi pro *superuacuitas* Græcè est *Vana gloria*, siue *Ambitio*, vt legit Varablus. Quòd si inquiras, quomodo ambitio siue superbia patrem impulerit, vt filium pro Deo coleret? respondebo, causam quidem fuisse vt seipsum ille coleret, atque adoraret, & omnibus adorandum proponeret, quippe vt scitè dixit Nazianz. orat. 36. *Omne quod genitum est genitorem suum tacitâ quadam voce definit*: adeoque filius patris imago & diffinitio est, vt dixerit Sapiens. *Mortuus est pater, &*

Sap. 14. 15. *Ephes. 3. 15.* *Sap. 14. 14.* *Lect. Græc.* *Vatabl.* *Nazianz.* *Eccl. 30. 4.*

quasi

quasi non est mortuus, similem enim filium reliquit sibi post se. Eccles. 30. 4. Vnde quidem filium colere, & pro Deo habere, nihil aliud fuit, quàm sumet imagine sive se ipsum colere, atque adorare, quod minimè contigisset, si patrem suum adorasset, aut pro Deo colendum proposuisset, cùm pater nec pars, nec imago, aut definitio filij sui sit. En igitur Regum ingenium, atque naturam, seipsos solummodo intueri, observare, & tamquam Deos colere, omne amoris & obsequij pondus in se vnicè derivantes, & ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, atque ex totis viribus, qui dilectionis in Deum modus est, semetipsos diligentes.

Eccl. 30. 4.

3 Sum ad primum huius Psalmi versum, ex Chrysologo num. 16. eorum durissimè, & stuporem generaliter insectatus, qui in suorum funeribus conductos gemitus, quòd proprios non habeant, & emptas tibias, quæ in nuptiis (vt Theophyl. ad verba Matthæi statim afferenda docet) sive etiam in conuiualibus festis, vt in filij prodigi historia apparet Lucæ 15. in vsu esse solent, adhibent: sic enim pulchrè dicebat ille. *Numquid tales piaculum de pietate non faciunt, qui ad luctum musicam, ad funera pulsum trahunt, extranea lamenta conducunt, vbi verus planctus non est, ibi est empta, & mercenaria cantilena. Mortuum non artifex fistula, sed simplex plangit affectis.* Modò verò, cùm tandem hi fuerint, qui mortifica in luctu vtantur, designare est operæpretium ex Matthæo cap. 9. 23. sic enim ibi de Domino ad filiam Principis suscitandam accedente: *Et cùm venisset Iesvs in domum Principis, & vidisset tibicines:* sive vt legit Chrysologus iam adductus, *vidit symphoniam.* Principes ergo omnino sunt, qui verè & ex animo in suorum funeribus non dolent, quod nullâ ipsorum charitate afficiantur, nullis consanguinitatis, aut cognationis vinculis ad amandum devinciantur: imò verò sibi, suisque rebus, quibus aliquando suorum mortes proficiunt, vndequaque attenti: nonminus in ipsorum funeribus, quàm in nuptialibus, aut conuiualibus festis gaudent, & exhilarantur.

4 Porrò ad hos Narcissos sese vnos amantes de facie agnoscendos non abs re observabis, atque introspicies illud Regi à Domino impositum præceptum Deuteron. 17. 18. vt exemplar Legis propria ipse manu conscribat. Sic enim ibi. *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus.* Quid enim causæ fuisse existimas, vt vni Regi diuina lex propria manu conscribenda & exaranda commendetur? Num vt ipsi altiùs animo infigeretur? sic quidem censuit Philo in libro de creatione Principis inquiens. *Post acceptam potestatem iubetur Deuteronomium, hoc est legum compendium describere manu propria, quò magis ea præcepta inhæreant animo, nam legentibus elabuntur sententiæ, quod lectio moras non patitur: qui autem scribit, per otium imprimit, & infigit menti singula fideliter, non in transcursu animaduersa, sed cunctanter, nonpriùs cogitatione transeunte ad sequentia, quàm benè pensitatis quæ præcesserant.* Sed enim in ea responsione animus plenè non quiescit, quippe cùm subditi æquè ac Princeps in lege Dei die, ac nocte meditari teneantur, eadem etiam ratio ad Deuteronomium manu propriâ describendum nos stringeret. Ergo opportuniùs (credo) dixeris, ex Dei præcepto languidæ, ac frigidæ Regum voluntati, nihil præter se, suaque amantium, mirè consultum fuisse, vt vel ea ratione diuinæ legis amore caperentur, quòd suam illi manum, & operam cõmodassent, inde eam bonis oculis aspicientes, & affectu non tepido prosequi, quòd suis charactibus, & propriæ manuum labore conscriptam viderent. Quòd si ergà Dei legem adeo languenti affectu Principes afficiantur, nisi in illa seipsos inueniant, quo ardore suos prosecuturos fore speras? At inquis, nostrum Dauidem aliquando

Deut. 17. 18.

Philo.

A. videmus de militis sui Vriæ requie, commoditate, atque deliciis maximè sollicitum: nam & illum è castrorum labore & discrimine euocauit, & blandissima hæc ei iussa subinde dedit. *Vade in domum tuam, & laua pedes tuos.* 2. Reg. 11. 8. Vides Principem de quiete, & voluptate famuli sui anxium?

2. Reg. 11. 8.

Scilicet is superis labor est: ea cura quietos Sollicitat.

Audi Chrysostomum apud Salianum ad id loci tom. 3. Annal. vbi cùm ab eo perquisiisset. *Propter quam causam, ô Dauid sollicitus es?* sic statim Dauidis nomine respondet: *ob hoc plenum pietatis do consilium, si quo pacto potero obumbrare sceleris magnitudinem, & vulneri superinducere cicatricem, vt illum esse dicatur quod meum est.* En quò eant Principum blanditiæ, & amores, vt suum illi videlicet negotium agant, ob hoc plenum pietatis dant consilium.

Chrysost.

B 5 At enim inquis, si suopte ingenio Princeps ad amandum & beneficiendum non inclinatur, at quidem officiis, & obsequiis, præsertim si hæc egregia, & eximia fuerint, non poterit non flecti. Quem enim olim ferum, & immitem animum officia non demulceant? obsequia non deuinciant? Bona quidem ratiocinatio, nec inepta omnino coniectura. Verum enimverò, non semper firmam, certamque esse, certo certius fuerit, vel in primis aspice Dauidem peritâ manu in gratiam Saülis cytharam pulsantem, & malum eius dulci modulatione leuientem. Subinde verò in domû nullo beneficio ornatum aut honore affectum ad patrem suum remissum. Vbi dum ab Interpretibus ambigitur: quid fuerit in causâ quòd famulum tot egregiis virtutibus insignem à se tam facilè Rex ille dimiserit? de quo etiam præcedenti libro adnotatione vltimâ egimus. Opportunè respondet Setarius, nullam aliam omnino rationem intercessisse, quàm quòd iam morbo curando necessarius non esset: quasi eatenus Principibus familiares & ministri chari sint, quatenus ipsorum obsequio, aut deliciis vtiles ac necessarij censentur: sic scitè apud Plutarchum, patet Themistoclis aulicos à quibus Princeps fructum non speret, cum triremibus veteribus, quassatis iam & abiectis componebat: sic enim ibi. *Ostendit ei in littore triremes veteres, abiectas iam & contemptas: tales administratores Reipub. esse inquiens, cùm non vltra ex iis fructus.* Sed illud deinde maiori fuerit admiratione dignum, Dauidem post nauatam egregiam operam in Saülis salutem, necnon postquam & in eius domo habitasset, & fuisset ipsius armiger. 1. Reg. 16. 21. cùm denuo ad ipsius conspectum aduenisset, eidem omnino fuisse ignotum: etenim illum contra Philisthæum egredientem videns, ait ad Abner: *Interroga tu, cuius filius sit iste puer?* 1. Reg. 17. 56. Quo in loco valde discruciantur expositores in teddenda ratione: cur Saül ignotauerit Dauidem? illi verò scopum videntur collimasse, qui ad labilem Saülis memoriam referunt, quòd facilis in Principibus viris obliuio sit. Cui cogitationi omnino concinit, quod de Babylonis idolis Propheta Baruch cap. 6. 16. hunc in modum ait: *oculi eorum pleni sunt puluere à pedibus introëuntium:* vt dixerit. En vestros Deos, & idola quæ amatis, qui occæcatis puluere oculis cultores suos non agnoscunt, nec vident.

C

1. Reg. 16. 21.

1. Reg. 17. 56.

D

Baruch. 6. 16.

6 Verùm pteme plusculum hæc *à pedibus introëuntium:* quæ maiorem quidem emphasim habent, nimirum cùm introëuntes non aliò itent, quàm ad obsequium & cultum idolis suis exhibendum: ab ipsorum pedibus eum excitari puluerem, qui Deorum oculos oppleret, petinde omnino fuerit, ac si ipsimet obsequiis Principes occæcati, ne benignioribus oculis in suos familiares respiciant: imò verò sæpiùs cultu, & officiis exasperati. Aperit id quidem indidem Saül puluere plenos oculos habens, ne agnosceret Daui-

dem

dem: nam si attendis, dixerat iam antè ille. *Stet in conspectu meo Dauid, inuenit enim gratiam in oculis meis.* 1. Reg. 16. 22. (1. Reg. 16. 22.) Vides apertos & pronos oculos in Dauidem: vnde modò clausos illos habet? Planè à puluere introeuntis, ab officiis scilicet, & obsequiis ab illo in ipsum exhibitis. Sed & in hanc rem Pharaonis Aulicos ab ipso in carcerem coniectos quos Scriptura refert Genes. 40. 1. (Gen. 40. 1.) comminiscere. Sic enim ibi. *Accidit, vt peccarent duo Eunuchi, pincerna Regis Aegypti, & pistor, domino suo. Iratusq; contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) misit eos in carcerem:* vbi obiter primùm horum dignitatem, & regiam familiaritatẽ ex Hebræâ Lectione (Heb. Lect.) obserua quæ habet. *Iratus est Pharao contra ambos Principes suos* Deinde quale id peccatum fuerit, examina: & verò notanter Sacer Scriptor adnotauit, non in Deum sed in Regem, ac proinde non grande aliquod, sed leuius erratum fuisse. Vnde sapienter ad id loci inquit Oleaster. (Oleaster.) *Hoc communiter seruis Principum euenire solet, vt propter facilem causam in carcerem detrudantur, & vna hora perdant, quod tota vita sua meruerunt.* Vnde opportunè infert; *Varia & iniusta res Principis animus, qui pro re minima hominem summè euehat, & pro nihilo deprimat.* Sed deinde etiam, si ad horum Principum somnia, necnon ad eorum interpretationem adspexeris, adeò ipsos in Regem non peccasse, vt ipsum potiùs obsequiis sibi deuincire studuerint, facilè videris. Quæ enim vterque somniarunt, nisi ea quæ ex vsu Regis erant, & quæ ad ipsorum munus omnino spectabant? vt dum in muneris sui, & obsequij Principis cogitationem defixi somno se dedêre, quidquid ad Regis gustum pertinebat in somniis occurreret, nimirum.

(Claudian.)
Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.

Planè, quasi Principi seruire crimen sit, & in eum exhibita officia, & famulatus ad carcerem, & mortem ducant. Dixit id quidem bonus Auctor Ægidius (Ægidius.) in libro *de Regimine Principum*, his verbis: *Leuissimas ob causas potentia sæuit: aliquando etiam officiis exasperatur.* Subdit imaginem, quæ Regum ingenia de facie cognoscenda proponit. *Tumentia quippe, ac liuida etiam cùm mulcentur dolent.*

7 Adde, maiora officia, maiora esse crimina, & morti viciniora. Id quod ex somnio principis pistorum, eiusque explanatione non obscurè colliges. Audi vtrumque. *Ego (inquit) vidi somnium: quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro quod erat excelsius portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoriá, auesq; comedere ex eo.* Quæ sic interpretatus est Ioseph. *Tria canistra tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum: ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Genes. 40. 17. (Gen. 40. 17.) Committe somnium cũ interpretatione, & tribue singula singulis. Et quidẽ vt tria canistra tribus diebus congruunt, ita excelsius illud canistrum omni cibo ad Regis palatum cõfecto refertum, suspendium & crucem omnino designat, vt tum videlicet ruinæ, & morti vicinior Regius familiaris esse videatur, cùm muneri suo plùs inuigilat, & in demerendo sibi Principis animo magis insudat, & maiori officio (propriè ad somnij locutionem Hispanè, *al seruicio mas relevante*) præcipitium & mors omnino respondeat. Fideiubet pro hac cogitatione Tiberius Imperator egregio belli duci Silio maximè infensus, quòd aliorum ducum militibus ad seditiones prolapsis, ipse suos in officio continuisset, & in obsequio Principis durasse effecisset, ac proinde hinc maximè Tiberij Imperium substiterit. Audi ea de re Cornel. Tacit. (Corn. Tac.) lib. 4. Annal. *Destrui per hæc fortunam suam Cæsar, imparemq; tanto merito rebatur.* Subdit rationem, siue potiùs regulam ad noscenda Regum ingenia opportunam. *Nam beneficia eò vsque læta sunt, dum*

A *videntur exsolui posse, vbi multùm anteuenêre, pro gratia odium redditur.* Ergo, quò maius Silij in Principem officij studium, eò actius Principis in illum odium, & excelsiori canistro, siue officio, suspendium, & mors omnino respondit. Nam dum multæ exitij causæ à Principe conquiruntur, *Silius imminentem damnationem voluntario fine præuertit: sæuitum tamen in bona:* ait Tacitus.

8 Vbi illud etiam vides, virtutem, & probitatem firmam regiæ gratiæ conciliatricem non esse: imò verò non leue sæpius à virtute periculum regiis familiaribus obuenire scitè à Sallustio, & aliis obseruatum est. (Sallust.) Sic quippe ille *de coniuratione Catilinæ* ait: *Regibus boni, quàm mali suspectiores sunt, semperq; iis aliena virtus formidolosa est.* Quo planè sensu dixit Seneca lib. 1. de clement. cap. 2. (Seneca.) *Habet clementia in persona quoque innocentium locum, quia interim fortuna pro culpa est, nec innocentia tantùm clementia succurrit, sed sæpè virtuti.* Nec id

B solùm apud Nerones, & Caligulas, & Tiberios locũ habet; dixit quippe de primo Suetonius in Nerone, (Sueton.) cap. 37. *Crimen erat publicum in omnibus, virtus:* & Corn. Tacit. lib. 15. Annal. de Virginio Ruffo à Nerone Romá pulso. *Virginium Ruffum claritudo nominis expulit.* Ad quem modum de eodem met Plinius Iun. lib. 1. epist. 1. *Cæsares, quibus suspectus etiam inuisus virtutibus fuerat, euasit*, de Caligula verò Tacitus lib. 1. historiar. (Tacit.) *Nobilitas, opes, omissi gestiq; honores pro crimine, & ob virtutem certissimum exitium.* Et Seneca lib. 2. de beneficiis cap. 21. *Gracinum Iulium Cæsar occidit ob hoc vnum, quòd melior vir erat, quàm esse quemquam tyranno expediret.* Similiter de Tiberio idem Corn. Tacit. lib. 1. Annal. *Tiberio nulla vetus in Arruntium ira, sed diuitem, promptum artibus egregiis, & pari famâ publicè suspectabat:* Ita ibi, &

C in vita Agricolæ pungens Domitianum, *militaris gloriæ cupido ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quàm ex mala.* Et indidem. *Causa periculi non crimen vllum, aut querela læsi cuiusquam, sed infensus virtutibus Princeps.* Sed apud eos etiam Principes, qui humanitatis sensum non omnino exuerunt: vix enim regnum Saül, bonus alioquin, & moderatus tunc Princeps capesserat, cùm Dauidis virtus & industria, siue cùm Philisthæũ deuicit, siue cùm strenuè sese in munere suo gessit, maximè ipsi inuisa fuit. Philisthæo nimirum à Dauide cum egregia laude interfecto inquit textus Sacer. 1. Reg. 18. 9. *Non rectis ergo oculis Saül aspiciebat Dauid à die illa, & deinceps.* (1. Reg. 18. 9. & 15.) Similiter cùm Dauid *in omnibus viis suis prudenter agebat, & Dominus erat cum eo, cœpit cauere eum.* 1. Regum 18. 15. Vnde Seneca (Seneca.) Aulæ artes & discrimina ob oculos ponẽs lib. 4. nat. qq. in procemio, (Polybius.) non minus lethale vulnus regio familiari ab egregiis animi dotibus, quàm à vitiis imminere, sic pulchrè ait: *Cùm omnia caueris per ornamenta feriet.* Cui adstipulatus Polybius lib. 4. opportunis allatis exemplis in-

D quit: *Nouus enim calumniæ modus repertus iste, non culpantes, sed laudantes lædere, atque euertere alios.* Sed de hoc alibi.

9 Quòd si ea de causa à virtute ad improbitatem malus transfuga confugias vt Principi morem geras, tunc illum seuerum iustitię custodem, rigidumque satellitem inueneris: sic Tiberius apud Tacitum, amicos æquè bonos, ac malos oderat, quia *ab optimis periculum sibi* (ait Tacit. lib. 1. Ann.) *à pessimis publicum dedecus metuebat.* (Tacit.) Idcirco ei suos familiares summâ seueritate compescere curæ fuit, vt ex iis quæ de Procuratore suo refert Plinius lib. 19. cap. 6. (Plinius.) hunc in modum, omnino liquet. *Fama est equestris ordinis reum, ex procuratione à Tiberio Principe accersitum in summa desperatione succo porri ad trium denariorum pondus hausto confestim expirasse.* Vbi etiam illud possis adnotare callidis Principibus non magis placere adulatores obsequium

quium & morem illis gerentes, quàm fortes, & strenuos viros, qui inconniuenti pupillâ in eos intendunt. Ita Oranes apud Herodot. lib. 3. inquit. *Et quod est quiddam minimè omnium secum consentiens, siquidem eum mediocri admiratione prosequaris, infensus est, quod non impensè colatur, sin impensè quis eum colat, ut cultu, tamquam assentatione offenditur.* Quod quidem pulchra illa fabella de leone ægrotante, cui æquè lupus displicuit, & pœnas dedit, speluncæ odorem laudans, ac pardus qui eam pessimè olere, vt res erat, affirmauit, indicauit Æsopus: quam sanè apologum Nero Cæsar veram fecit historiam, dum tam eos, qui ipsi turpiter adulabantur, quàm illos qui eius vitia incusabant capite plectere solebat. Vnde egregium illud sapientis, ac fortis viri Thraseæ Peti dictum emanauit. *Si improbi adulatores insano huic turpiter adblandientes eodem gladio, ac veraces & probi, qui eius crimina arguunt, contrucidantur: Et amoriamur vt boni ac strenui, & verum ipsi palam ingerentes, scelera, quibus contaminatur, exprobremus.*

Herodo. *Æsopus.*

10 Verum enimverò illud hîc non addere nefas omnino fuerit, ea quæ huc vsque diximus non in vniuersum de cunctis omnino Principibus accipienda, quasi ea in omnibus locum habeant: sunt enim plerique, & iustitiâ, & comitate & constantiâ in benefaciendo maximè insignes, qui à suis familiaribus & virtute, & officiis demereantur: imò verò Synesio auctore oratione *de Regno*, hinc maximè probi Reges ab improbis discernuntur; quasi non ob Principes, sed ob tyrannos vetus prouerbium inualuerit. *Procul Ioue, & fulmine, quod eorum causâ, qui eum familiaribus suis insidiosè versantur, multò tutiorem esse docet, otiosam cum securitate vitam, quàm ea omnia pericula, quæ in illustri vitæ statu reperiuntur. Simul enim atque ob tyranni gratiam beatus aliquis prædicari cœpit, mox in eiusdem offensionem incurrens, miseratione dignus existimatur.* Quod apud probos Reges aliter euenire multis ibi docet. Sed enim, vt vera hæc esse non negemus, ita vt vt id fuerit; *cælum sursum, & terram deorsum*, volumus, & monemus, vti dicebat ille apud Tragicum in Thyeste.

Synesius. *Sen. Trag.*

Stet quicumque valet potens
Aula culmine lubrico;
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio.

Ad eadem verba,

Regia gratiæ fastigium magno esse fastidio, & oneri, in quo assidua tormenta sint.

ADNOTATIO VII.

S. Paulin. 1 VERISSIME quidem dixisse visus est S. Paulinus epist. 36. *Regem sæculi videre propiùs, & eius vel fastidioso sermone respergi, magna pars mundi, tam beatum putat, vt si aliter non obtineat, etiam damnis emat, idque adeptus, non modò hominum, sed & sui immemor fiat.* At, quàm, quæso, beatum id fuerit? quæ tam opportuna ingentibus gaudiis materia? respondet ex eius qui benè nouit sensu Val. Max. lib. 7. cap. 1. *Eliget securitate ridens tugurium, quàm tristem curis, & sollicitudinibus aulam.* Nimirum in illa signatissimè locum habet quod generaliter de sæculi bonis dicebat Seneca epistol. 66. vbi cùm præmisisset. *Bona vera idem pendunt, idem patent: falsa multum habent vani.* Subdit: *Itaque speciosa & magna contra visentibus, cùm ad pondus reuocata sunt, fallunt.* Scitè: nam sub illa externa felicitatis specie, quæ non secus, ac pulcherrima rosa

Val. Max. *Seneca.*

P. Velasquez in Psal. centesimum.

A purpurissat, intentatum spinæ, tot molestiarum aculei latent, vt plus illi doloris, quàm gaudij subsit, siue vt est in Prouerbio, *Plus aloës, quàm mellis* habeat. Vnde non temerè Matth 2.18. dicitur, *Vox in Rhama audita est, ploratus, & vlulatus multus.* Sed quid est *in Rhama*? In sublimibus, in Aulicis, in Regiis amicis. Audi S. Nilum in Catena Græca in cap. 7. Lucæ Hebræam vocem sic prementem: *Vox in Rhama, hoc est in sublimibus audita est.* Rhama *namque sublimitatem significat: vbi gemitus, fletus, eiulatusque multus.* Diffundit hæc opportunè & luculenter, Innocentius III. Pontifex lib. 2. de contemptu mundi cap. 26. *Sed esto* (inquit) *quod sublimetur in altum, statim curæ succrescunt, sollicitudines cumulantur, vigiliæ producuntur, natura corrumpitur, spiritus infirmatur: corrumpitur somnus, amittitur appetitus, debilitatur virtus, attenuatur corpus, & sic in seipso deficiens non dimidiat dies suos, sed miserabilem vitam miserabiliori fine concludit.* Sic Pontifex, vt videris quàm verè dixerit Paulinus, *etiam damnis emat.* Nec minus appositè Seneca lib. de tran-

Matth. 2. 18. *S. Nilus.* *Innoc. Pont.* *Seneca.*

B quil. animi cap. 10. *Quibusdam* (ait) *aliena supra caput imperia sunt, quibusdam sua*: hoc est, vt inibi explicat bonus Scholiastes Iustus Lipsius: *Alij premuntur alieno imperio, quidam grauantur suo, vt Principes & Magistratus, quibus ipsi honores onera, & sarcina sunt.* Verùm alibi idem Seneca sensum suum pluscuIum explicat, & curarum, ac sollicitudinum causas sic aperit, dum de vero, & fido amico salutaria suggerente monita, & ab hoc fastidioso fastigio amicum deterrente, sic loquitur. *Ostendat ex constitutione vulgi beatos in illo inuidioso suo fastigio trementes, & attonitos, longeque aliam de se opinionem habentes, quàm aliis habentur. Nam quæ ab aliis videntur excelsa, ipsis prærupta sunt, itaque exanimantur & trepidant, quoties despexerunt in illud magnitudinis suæ præceps. Cogitant enim varios casus, & in sublimi maximè lubricos: tunc appetita formidant, & quæ & illos graues aliis reddit grauior*

Iust. Lips. *Seneca.*

C *ipsis felicitas incumbit.* Hæc Seneca, epist. 94.

2 Quæ via latum vnguem abire dixeris ab illis Sapientis, quæ superiùs versauimus atque elucidauimus. *Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem mortis.* Siue vt legit Varablus: *nec timore mortis eris anxius.* Quare subiicit. *Communionem mortis scito*: id est vt explicabat Dionysius Carthusianus, *Scias tibi mortem imminere ex eo quòd aulam frequentes.* Compone hæc tum cum illis Senecæ: *itaque exanimantur, & trepidant quoties despexerant in illud magnitudinis suæ præceps*: tum cum iis Calphurni Flacci declamat. 4. reorum qui ad mortem damnati sunt perpetuum tremorem, & exanimationem depingentis: *quoties iacentes ferrati postis stridor excitat, exanimantur, & alienum supplicium spectando suum discunt.* Omnia hæc enim eò iuerint, vt ostendant summam præpotentis Aulici anxietatem, qui præcipitium, & mortem perpetuò

Eccl. 9. 18 *Vatabl.* *Carthus.* *Calphurn.*

D ante oculos, tanquam sibi imminentem, & iamiam ferientem habere cogitur, quin sponsoribus securitatis suæ firmiter fidere vnquam possit, quippe eodem Senecâ auctore epist. 4. *Neminem eò fortuna prouexit, vt non tantùm illi minaretur, quantùm permiserat*: Imò verò quò magis fuerit à fortuna prouectus, eò discrimini plus obnoxius. *Nam cuncta mortalium incerta* (inquit Cornel. Tacit. lib. 1. Annal.) *quantoque plus adeptus sis tanto te magis in lubrico.* Confirmat hæc magnus ille Aulicus Mœcenas, qui apud Augustum plurimùm valuit, dum in huius fastigij eculeo tortos verùm fateri coactus est, sic etenim Seneca epistol. 19. *Volo tibi hoc loco referre dictum Mœcenatis vera in ipso eculeo elocuti. Ipsa enim altitudo attonat summa: hoc voluit dicere, attonita habet summa*: id est velut tonitru quatit, & trepidos, suspensos, & exanimatos habet: sic ille in eculeo: hoc est *in dignitate, & in Aula* (ait Lipsius) *vbi assidua tormenta.*

Seneca. *Corn. Tac.* *Seneca* *Lipsius*

3 Sed hanc curam & anxietatem, quæ Regium

familiarem coquit, & versat in pectore fixa singillatim pende: & quidem intrum preme quàm indefinitè mortis metum, & suspicionem ex Regis tantùm præsentia ingerat Sapiens: ait enim: *Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem mortis.* Sed quare *suspicaberis*? planè quia cum Rege agis, & ob oculos illius obuersaris: quocumque enim modo illos ipse in te conuertat, timorem mortis suspicaberis. Audi nostrum Regem, cùm Aulicam vitam ageret, & apud Regem Achis plurimùm gratiâ valeret, ac si in summo discrimine esset, sic clamantem Psalm. 55. 2. *Miserere mei Deus*: accurre opem laturus in meis miseriis & calamitatibus. Quid verò affert, pro quo commiseratione dignus sit? *Quoniam conculcauit me homo.* Sed quonam modo? pedibusne protriuit, aut insigni aliquâ iniuriâ affecit? Noueris, si Hebræam Lectionem, & Rabbi Dauid in commentariis consulueris: sic enim ibi ad verbum de Achis Rege. *Quoniam aspexit, siue intuitus est homo.* Quod ergo malum fuerit regios in te oculos finsse coniectos? Num illis transfixus aut fulminatus es? Respondet: *intuitus est me*, id est attentiùs solito inspexit: defixit in me aciem, & paulò diligentiùs aspexit. Planè quasi ex solo Regis intuitu, aspectu, aut iactu oculorum, iam suspicetur timorem mortis. Sed sine hîc Dauidem, & ito ad Cainum cum Deo, quasi cum Rege terreno, à quo temporalia commoda sperabat, agentem, & de eo quidem Genes. 4. 5. sic habetur, *Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain verò, & ad munera illius non respexit*, (siue vt LXX. habent *non aduertit*) *iratusq; est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Vides, vt ad mortem doluerit, quòd ad eum non respexerit, siue non aduerterit Dominus? ita inibi Oleaster: *Aduerte* (inquit) *qualiter animum deiiciat negatus Principis fauor: sicut enim maximè erehit, & lætificat hilaris Domini vultus seruum, ita omnino deiicit, si eum sentiat non affectum sibi ea, qua solitus erat hilaritate.* Ergo à Regis oculis, & nutibus, regij familiaris vita subsistit, imò potiùs mors perpetuò imminet: & siquidem ipsum plus solito ille intuetur, iam moribundus misericordiam efflagitat: si ad illum vel semel non aspicit, aut casu non aduertit, cum mortuis se computat. Quid tristius? quid funestius, aut miserabilius?

Psal. 55. 2. — Lect. Hebr. — Genes. 4. 5. — LXX. — Oleaster.

4 Nec admodum renuentes huc reuoces fatuas illas virgines summæ infelicitati siue extremo potiùs supplicio ab sponso addictas, apud Matth. cap. 25. 12. illis verbis: *Nescio vos.* Sed inquis. Siccine earum fatuitas commeritis pœnis plectitur? Digna hæc violati fœderis, & amissæ fidei retributio fuerit, duone verba, quibus nulla gehennæ, aut mortis mentio, nulla contumeliæ acerbitas subest, pro summo illis supplicio, & extrema infelicitate fuerint? Num, quòd mollis ipsis & fœmineus animus, cui à leui quapiam causa ingens consternatio, atque deiectio? Non opinor; nam cùm teneræ hæ, atque delicatulæ virgunculæ animum ad malum semel proiicere decreuerunt, fortibus, & intrepidis militibus duriores, & animosiores sunt, nam scitè ille,

Matt. 25. 12. — Iuuenal.

——————— *Iusta pericli*
Si ratio est, & honesta timent, pauidoq; gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis.
Fortem animum præstant rebus, quas turpiter audent,
Si iubeat coniux, durum est conscendere nauim
Tunc sentina grauis, tunc summus vertitur aër.
Quæ mœchum sequitur, stomacho valet: illa maritum
Conuomit, hæc inter nautas & prandet, & errat.
Per puppim, & duros gaudet tractare rudentes.

Sed ea potiùs de causa vltimum illis denuntiatur supplicium iis verbis, *Nescio vos*: quod quæ olim apud sponsum Principem plurimùm gratiâ valuerant, ab illo vel ad momentum ignorari, nec lætis oculis aspici; pro acerbissima contumelia, pro atrociori pœna, atque supplicio, pro ipsa denique gehenna sit, hæc breuiter præstringente inibi Hieronymo ad hunc modum. *Sufficit eis pro pœna, quòd ignorentur ab sponso.* Quòd si hæc Regio Administro omnino accommodare velis, inflecte tantisper harum virginum lampades oleo deficiente semiextinctas, ad letbalem mœrorem, atque ægritudinem, quo Regij familiares conficiuntur, dum à Principe suo, vel ad momentum nouis gratiæ & fauoris incrementis non fauentur, & tanquam lampades oleo non fouentur, & indesinenter aluntur: vti apud Plutarchum *in vita Periclis* ille, qui quòd à Rege lucernæ in modum assiduo beneuolentiæ, & officiorum oleo non innutriretur, in lecto ad mortem decubuit: & Pericli de morbi causa percontanti respondit: *Lucernam oleo quidem affatim infuso ali oportere.*

Hieron. — Plutarch.

5 Sed esto, suum familiarem Rex oculis non enecet, quippe nec illũ obliquè intuetur, nec ab eo oculos amouet: adhuc tamen ex oculis Regis suspicatur ipse timorem mortis. Enimverò si in alium ex Aulicis tantisper ille oculos defixerit: occisa iam res est. Vel vide quod de se, suisque rebus iudicium tulerit Aman, cùm primùm benigniori oculo Rex Assuerus Mardochæum respexit, eique iussit, vt illum insigni pompâ per fora, atque theatra circumduceret. Sic enim statim in domum suam mœstissimus iuisse dicitur. *Et Aman festinauit ire in domum suam, lugens, & operto capite, narrauitq; Zares vxori suæ, & amicis omnia, quæ euenissent sibi.* Esther 6. 12. Pende ingentia doloris signa. Quid enim insulentius, aut funestius, quàm eum qui apud Regem tantum valebat, & primos, maximos, & florentissimus in Regno erat, abiectâ dignitatis suæ formâ, per populum, per vrbem festinantem, lugentem, & quod plus est, quasi iam neci addictum extrema supplicia & contumelias passurum *operto capite* in domum suam ire. Nam si attendis: cùm postea, versâ in contrarium fortunæ, ac rerum facie, à regia gratia in laqueum, & in mortem excidit; eodem prorsus modo eius vultum obuelatum fuisse ab iis qui ipsum neci destinatunt dicitur Esther 7. 8. *Et statim operuerunt faciem eius.* Planè quasi iam ipse primus sese morte damnauerit. Sed qua de causa? *Narrauit* (inquit Sacer Scriptor) *Zares vxori suæ omnia quæ euenissent sibi.* Quæ? Porrò infelix ipsi nihil, nihil calamitosum euenisse nouimus, imò illustre quidem, & augustum, Mardochæũ videlicet honorare: id quod regium quiddam, atque magnificum existimatur: simulque Principis sui iussa exequi, quod famulo Dominum suum amanti, nihil gratius, aut iucundius esse potest. Atenimverò cùm peritis in arte credendum sit, benè ille inquit, *quæ euenissent sibi*: magna scilicet calamitatum seges, & certissima mortis origo, Mardochæum scilicet apud Regem tantisper iam gratiâ valere. Etenim à primo illo pede, siue gressu, quem in regia gratia Mardochæus posuit, se ab illa sorte deturbandum, & è fastigio in furcam supplantandum, & deiiciendum omnino coniecit, & timorem mortis suspicatus est: vt vel hic maximè locum habeat quod inquit Plutarchus libro de tranquil. animi. *Eò amentia ventum est, vt ex aliorum magis vita nostra pendeat, quàm ex sese ipsa, naturaq; nostra in degenerem quandam, inuidamq; affectionem deprauata, non tam propriis lætari soleat, quàm alienis bonis angi.*

Esther. 6. 12. — Esther. 7. 8. — Plutarch.

6 Adhæc, vt Princeps, nec toruè te aliquando, nec benigniùs alium intueatur: quomodo Regij familiaris vita curis, & sollicitudinibus plena, & tristissima non sit, quæ super arma dolentium, & desperato-

desperatorum ambulat, & inter catulos leonum flammantes iræ, inuidiæ, & calumniarum halitus indesinenter spirantium versatur. At, inquis, ego beneficiorum offis ipsorum ora obturabo: officiis, & humanitate placatos, & beneuolos reddiderim. Egregia quidem mens, & si quidpiam aliud ad salutem remedium superest, vnum hoc planè, & saluberrimum fuerit. Verum enimverò, nec huic omnino fidendum est, imò vehementer timendum, eiusdem fore naturæ hos leonum catulos, ac illos leopardos siue satellites qui S. Ignatium custodiendum acceptant, & Romam martyrio coronandum deferebant, de quibus ipse in epistola ad Romanos. *De Syria vsque ad Romam pugno ad bestias, in mari, & in terra, nocte, dieque cum decem leopardis hoc est militibus, qui me custodiunt, quibus & cùm benefeceris peiores fiunt.* Audi ea de te Nostrum Vatem Psalm. 34. vbi agens de Aulicis Saülis Regis, signatè verò de Doëg, & Ziphæis, qui ipsum prodiderunt: quatenus ipse illus, vt eorum animos leniret, charitate & amore complecteretur, sic primùm affirmat versu 14. *Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam, quasi lugens, & contristatus sic humiliabar.* Id est, vt ait Hugo Cardinalis: *habens me ad aduersarios, sicut ad proximos, & fratres.* Vt nimirum sic ille afficeretur ad inimicos, vt amicissimos amicus ad amicum solet, vt ad fratrem germanus fratet, imò vt filius erga matrem, quam defle mortuam, vel vt mater erga paruulum languentem filium, ad quem sese tristis intuetur, gemensque suscipit, ac curat; ac si dicat: Rebus eorum lætus adgaudebam, mœrebam in aduersis, eosque placate, ac demereri omnibus obsequiis & modis studebam. Quis verò tantæ humanitatis, & humilitatis fructus? Quis tantæ peritiæ, atque solertissimæ artis exitus? Audi quid statim immediatè subiungat. *Et aduersum me lætati sunt, & conuenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoraui. Dissipati sunt, nec compuncti: tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis.* Vides leopardos, *quibus & cùm benefeceris peiores fiunt?* Subiicit ergo de seipso Dauid opportunè ad rem nostram versu 17. *Domine quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam.* Obserua eum dicendi modum *restitue animam meam:* quo innuit, tot iaculorum, calumniarum, accusationum, conuitiorumque fluctibus circumseptum, & confusum iri, vt à seipso veluti alienatus, eiusque anima quasi sublata, & aliò delata sit: Hispanè significanter exprimeret. *Alla me tieuen el alma, esfoy tal, que no so de mi.*

S. Ign. M.

Psal. 34. 14.

Hugo.

Psal. 34. 17.

7 Polybium quidem illum, qui apud Claudium Imperatorem omnia potuit, quòd in eum diuisis, siue commissis Imperij curis ille acquiesceret, sic sortiter admonebat Seneca in consolatione ad ipsum cap. 26. *Vide quantam Cæsaris in te indulgentia fidem, quantam industriam debeas: intelliget non magis tibi incuruari licere, quàm illi, si quis modò est fabulis traditum, cuius humeris mundum innititur.* Pulchrè. Nam vt Atlanti illi exlom sustineuti, si oneri tantillum succumberet, tam mundi ruina, quàm quotquot cæli, & syderum motus à debito ordine, & cursu deflecterent, vitio dasenror, ita Regio familiari negotiorum ponderi cedenti, & Reipubl. saluté omnibus modis non curanti, quidquid in ea deuium, & infelix acciderit, meritò tribuetur. At enim verò illud ipsi maximè calamitosum, & misetandum fuerit, quod quæ fastigij illius apud omnes inuidia est, ipso se minimè incuruante, sed eusarum & negotiorum pondus omni corporis, & animi contentione pro virili sustinente, quidquid cladis, & infelicitatis Regno euenit, aut quæcumque alij peccaut, atque delirant, vitio illi vertitur, P. Velasquez in Psal. cent. esimum.

Seneca.

ad eum penè modum, quo cæci gentiles cuiuscumque cladis publicæ, aut popularis incommodi Christianos auctores, & causam esse putabant apud Tertull. in Apologetico cap. 40. & in lib. 1. ad Nationes cap. 9. Sic enim hic. *In quantam stultitiam incidatis, quoniam cladis publicæ, vel iniuriæ nos causas esse vultis. Si Tiberis redundauerit, si Nilus non redundauit, si cœlum stetit si terra mouit si vetitua vastauit, si famis afflixit, statim omnium vox, Christianorum fatum est.* Quò scitè per allegoriam retulit Hebræus Philo torquem auream, quã intimo familiari suo Iosepho Ægyptius Pharao donauit, hunc in modum. *Cæterum torques aurea, non ad gloriam solùm, sed & ad pœnam pertinere videtur: quamdiu enim res vtiles et benè procedunt, placet sibi honoratus à ciuibus: vbi autem aduersitas accidit, non volentis quod damnandum esset, sed fortuito, quod meretur veniam, nihilominus iniecta in torquem manu trahitur tantùm non increpante suo domino: Hanc torquem donaui tibi, ornamentum in prosperitate, vinculum in aduersitate.* Sic ille in libro de Ioseph.

Tertull.

Phil.

8 Iam verò cætera felix, & ab aliis periculis immunis, qui possit placidam, & quietam vitam ducere, qui negotiorum fastidio addictus, & omnium hominum, omnium voluntatum, omnium iudiciorum seruus est. Pulchrè Seneca epistol. 36. *Non est quod tibi ipsi persuadeant, eum esse felicem, qui à multis obsidetur, sic ad illum quemadmodum ad lacum concurritur, quem qui exhauriunt, & turbant.* Obserua in his verbis duas valde appositas imagines, quæ miseram conditionem Regij familiaris adumbrant: prima est, obsessæ ab hostibus vrbis, ibi: *à multis obsidetur.* Etenim vt in vrbem, quam vi expugnare, & spoliare hostes cupiunt, omni telorum, & machinarum genere inuadunt, oppugnant, & arietant, ita Principis administrum omne hominum genus milites, togati, nobiles, plebeij, viri, fœminæ, tota die, noctéque amico quidem vultu, sed hostili, & rapaci animo aggrediuntur, & libellis, petitionibus, lacrymis, querelis tundunt, quariuntque, quin ei vel respirandi spatium relinquant. Audi rursum eundem Senecam, Polybium, quod defunctum fratrem defleret, sic arguentem cap. 25. *Non licet tibi flere immodicè, nec hoc tantummodo non licet, nec somnum quidem extendere in partem diei licet, aut à tumultu rerum in otium ruris, gratiá quietis confugere, aut assiduá laboriosi officij statione fatigatum corpus, voluntariá peregrinatione recreare, aut spectaculorum varietate animum detinere, aut ex tuo arbitrio diem disponere. Multa tibi non licent, quæ humillimis, & in angulo iacentibus licent. Magna seruitus est, magna fortuna. Non licet tibi quidquam arbitrio tuo facere: audienda sunt tot hominum millia, tot disponendi libelli, tantus rerum ex toto orbe accurrentium congestus.* Vides vrbem obsessam? Vides infelicissimum plurium dominorum seruum? nisi sorrè (qui hominum error est) ab ipsa calamitatis & seruitutis magnificentia deludaris. Audi Synesium in oratione de Regno egregiè hanc in rem disserentem. *Quemadmodum si quis aureis vinculis constrictus arctius, pretiosissimis compedibus malum ipsum non sentiret, neque quod in carcerem coniiceretur mistrè secum agi crederet, calamitatis magnificentia deceptus nihilo tamen facilius moueb itur, quàm hi qui cippologorum omnium vilissimo vinciuntur:* nec corporis tantum, si benè æstimas, sed animi etiam seruitutem seruietem, qui ab omnium voltibus, ab omnium sensu, & iudicio pendet. Benè siquidem Origenes homilia 12. in Exodum ait. *Etiamsi me amor pecuniæ non superet, etiamsi possessionum, & diuitiarum cura non stringit, &c. Si de hominum vultibus, & sermonibus pendeo, quid de me ille sentiat, quomodo ille me*

Seneca.

Idem.

Synesius.

Origen.

habeat, ut illi displiceam, si illi placeam, donec requiro ista: seruus horum sum.

9 Aspice, & in alteram imaginem, quæ illis subest Senecæ verbis : *Quemadmodum ad lacum concurritur, quem qui exhauriunt, & turbant* : quam Lipsius sic elucidat. *Aptissimè. Reuera omnes illi officiosi aliquid petunt à potentibus, aut sumunt gratiam, pecuniam, alia quibus egent. Itaque exhauriunt, sed & turbant, quia assiduè inquietant.* Sic ille; nimirum, vt alibi idem Seneca de iis, qui Regium familiarem circumstant, atque sequuntur, ait: *Prædam sequitur turba ista non hominem.* Vbi obiicit etiam calamitatem sine remedio obseruа, priùs scilicet hunc lacum exhauriri, quàm ex ipso expleantur qui sitiunt : *Auida felicitas est* (inquit Regio familiari hunc intentus idem Seneca epistola 19.) *& aliena auiditati exposita. Quamdiu tibi satis nihil fuerit, ipse aliis non eris.* Vt dixerit tu à Principe concupisces, & petes : alij à te assiduè & indesinenter petent : & antequam ipsi satientur te exhaurient, &, velis, nolis, perpetuis petitionibus & querelis turbabunt. Proh miseriam & infelicitatem ! cor & animum habere : *quasi mare feruens, quod quiescere non potest: sed redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum.* Hinc omnium Principũ familiarium perpetuæ querimoniæ, & eiulatus vicem suam dolentium, & missionem, & quietem exoptantium: vti de C. Graccho inquit Plutarchus in Politicis, *negotiorũ fastidio, & honorum satietate affectus eiusmodi onus, & sarcinam ponere cupiebat, quietis & otij inops.* His etiam quidni adiunxeris aliam perpetuæ sollicitudinis causam, sub persona videlicet, & ad ostentationem, non verò simpliciter, nudè & sui causâ viuendi ? quam idem Seneca in lib. de tranquil. animi cap. 15. sic egregiè persequitur. *Est & alia sollicitudinum non mediocris materia, si te anxiè componas, nec vlli simpliciter ostendas, qualis multorum vita est ficta, & ostentationi parata. Torquet enim assidua obseruatio sui, & deprehendi aliter quàm solet, metuit, nec vnquam curâ soluimur, vbi toties nos æstimari putamus, quoties aspici. Nam & multa incidunt, quæ inuitos denudent: & vt benè cedat tanta sui diligentia, non tamen iucunda vita, aut secura est semper sub persona viuentium.* Sciè & ad mentem Origenis paulò ante dicentis : *Si de hominum vultibus, & sermonibus pendeo, quid de me ille sentiat, quomodo ille me habeat: seruus horum sum,* & ad Regiorum familiarium statum, atque virum, qui dum toties æstimari putant, quoties aspici, semper ritu histrionum sub persona viuunt. Pergit Seneca. *At illa quantum habet voluptatis sui causâ* (sic legendum ex Iusti Lipsij libro) *& per se ornata simplicitas nihil obtendens moribus suis?*

Seneca. Iust. Lips. — *Isai. 57. 20.* — *Plutarch.* — *Seneca.* — *Origen.*

Ad eadem verba,

Summum Regio familiari periculum ab ipsius sociis, atque æqualibus perpetuò imminere.

ADNOTATIO VIII.

1 SI Regiam familiaritatem ob Principum naturam non times, at ob æqualium inuidiam, atque insidias time, atque horresce ex Synesij sensu sapienter admonentis epist. 64. *Grandia ne appetas, ne non consecutus contristeris, vel consecutus inuidos contristes.* Tot enim hostes, tot insidiatores patieris, quot tristes inuidos habueris. Ad quem quidem modum sciтè apud Stobæum dicebat Metrodorus serm. 43. *Nec vt leonem, nec vt culicem educari oportet in ciuitate: hic enim conculcatur, aduersus autem illum occasio quæritur.* Nimirum, *nulla tam modesta felicitas est* (ait Valerius Maximus lib. 4.

Synesius. — *Stobæus.* — *Val. Max.*

A cap. 7.) *quæ malignitatis dentes vitare possit.* Vel vide Dauidem in aula Regis Achis agentem, ab eoque vt Angelum Dei habitum, cæteris tamen Aulicis, atque Satrapis adeò inuisum, vt Regi impudenter suggererent, nihil apud eum Dauide superstite tutum esse, ac fidele. Do tibi totam historiam cum suis interlocutoribus ex lib. 1. Reg. cap. 29. à vers. 1. *Congregata sunt ergo Philisthiim vniuersa agmina in Aphec*, &c. *Et Satrapæ quidem Philisthijm incedebant in centuriis, & millibus: Dauid autem, & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis; dixeruntq; Principes Philisthijm ad Achis : Quid sibi volunt Hebræi isti? & ait Achis ad Principes Philisthijm: Num ignoratis Dauid, qui fuit seruus Saul Regis Israël, & non inueni in eo quidquam ex die, quâ transfugit ad me vsque ad diem hanc? Irati sunt autem aduersus eum Principes Philisthijm, & dixerunt ei : Reuertatur vir iste, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in prælium ne fiat nobis aduersarius, cùm præliari cœperimus:* &c. *Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei:*
B *Viuit Dominus quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo, & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris, & non inueni in te quidquam mali ex die quâ venisti ad me vsque in diem hanc, sed Satrapis non places. Reuertere ergo, & vade in pace, non offendas oculos Satraparum Philisthijm.* Et statim. *Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei, sed Principes Philisthinorum dixerunt : Non ascendet nobiscum in prælium*, &c. Audis satis non esse, rectum & bonum vndequaque vt Angelum Dei haberi, vt nas propter diros qui à Rege sunt, scopulos cauisse, atque eius gratiâ securè, atque impunè frui possis? quippe regio lateri adhærens, Satraparum oculos offendis, & eorum animos contristas, & si bene æstimas, ea omnino de causa, quod bonus & rectus tanquam Angelus Dei sis, acriori inuidiæ, & maiori discrimini te reddis obnoxium, vti Mamertinus Iulianum Aulicis infensum, & apud Constantium ob bellicam
C gloriam lapsantem, sic facit in Panegyrico. *Et enim sancti Principis mores, & instituta falsarum opinionum, vituperationum licentiam submouerent, callido nocendi artificio accusatoriam diritatem laudum titulis peragebant in omnibus conuenticulis, quasi per beneuolentiam illa iactantes, Iulianus Alemanniam domuit : Iulianus vrbes Galliæ ex fauillis & cineribus excitauit, illæ prouinciæ obsessæ ferro, igniq; vastatæ beatiores sunt his oppidis quæ habet sine hoste Constantius. Hæ voces fuerunt ad inflammanda odia probris omnibus potentiores.* En ipsammet innocentiam à calumnia apud Aulicos adeò non tutam, vt ab illa ipsi ad exitium regio familiari inferendum ansam, & occasionem arripiant, atque eò quidê acriùs, & ineuitabiliùs, quò minùs eludi potest. *Si enim comminisci aliqua flagitia tentassent* (pergit ibi Mamertinus)
D *facilè ipso splendore laudis & gloriæ refutarentur : inuenerunt accusandi genus, quod nullus refelleret.* Sed hæc cursim dicta, & à nobis alibi expensa, commodiùs in sequentibus diffundentur.

2 Certè Sapiens cùm Aulicos à Principum gratia sectanda, morte illis ob oculos propositâ, deterrebat, etsi à Rege plus periculi esse innueret, at non minus ipsi ab æqualibus, ac sociis timendum fore, signatissimè admonebat, imò si attendis, duplicatum inde periculum subesse duplicatis imaginibus omnino aperuit, eò enim omnino illa inerint. *Communionem mortis scito, quoniam in medio laqueorum ingrederis, & super dolentium arma ambulabis* : id est vt Paulus de Palacios ibi explicat, *super arma eorum, qui contra te dolorem gerunt*, quos videlicet regiæ gratiæ fastigio quo fueris contristasti : vt nimirum, quiuis è sodalibus laqueus tibi, & districtus gladius omnino fuerit, omni die, omni horâ necem tibi atque exitium machi-

1. Reg. 29. 1. — *Mamert.* — *Palacios.*

machinantes. Quòd si omnes laqueos declinare, omnes mucrones retundere speras, at fortes leonum vngues quomodo effugies? quod enim laqueorum & districtorum ensium imaginibus expressit Ecclesiasticus, Noster Vates non aliâ quàm ferocientium leonum similitudine aperuit; *Psal. 56. 5.* Psalmo etenim 56. qui de se in Aula Saülis agente totus est, sic ait versu 5. *Misit Deus misericordiam suam & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus.* Vbi vt insigni quidem diuinæ misericordiæ miraculo deputat incolumem ab iis ferocissimis leonibus euasisse, ita notanter ait, apud ipsos vel cùm somnum caperet, turbatum semper, & quasi *Pagnin.* exanimem extitisse: vnde Hebraicè apud Pagninum signatè habetur: *Anima mea est inter leones, taceo inter ardentes:* vt Aulicos faciat sæuiores & ferociores leones, quàm qui in Lybia degunt, quippe qui inuidiâ & odio ardentes, scintillas & ignem indesinenter spirent: vnde alibi de iisdem: *Et aduersum me lætati sunt, & conuenerunt; congregata sunt super me flagella, & ignoraui. Dissipati sunt, nec compuncti, tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione, frenduerunt contra me dentibus suis.* Et statim: *Domine quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam. Non dicant in cordibus suis, euge, euge: anima nostra nec dicant, deuorauimus eum.* *Psal. 34. 15. & seqq.* Psalm. 34. à versu 15. vsque ad 25. Vbi ad significandam hanc æmulorum Dauidis aduersus illum rabiem, quæ plusquam leonina sit, obserua illud: *frenduerunt contra me dentibus suis*, quod vt Græcè generaliter rugitum leonis *Lect. Heb.* significet, ex Hebraicæ tamen vocis vi propriè vertas, *dentes dentibus irascendo quassare*, quod extremam immanissimi odij rabiem, & ardentissimum furorem denotat. Vnde opportunè huic cogitationi pro *deuorauimus* reponunt *August. Cassiod.* Augustinus, Cassiodorus, & alij. *absorbuimus*: quod plusculum energiæ addit ad significandam iræ vehementiam, atque celeritatem, quâ in æmulum irruere gestiebant.

3 Iam hæc omnia non in imagine, atque vmbra, sed in historia, & ipsissimo euentu animo & oculis *Dan. 6. 6. & 16.* intuere, apud Danielem cap. 6. Enimverò cùm Daniel apud Darium Regem gratiâ plurimum valeret, atque idcircò in medio laqueorum indesinenter incederet, atque super dolentium arma ambularet, tandem quæsitâ, & arreptâ occasione tanto in ipsum impetu Regij Aulici, & Satrapæ irruerunt, vt minimè veriti fuerint Regi ipsi minacibus verbis obstrepere, non licere ipsi incolumem Danielem relinquere, qui capitalis supplicij reus esset, sed teneri illum statim in lacum leonum conijcere. Vbi omnino fuerit adnotandum, pro iis verbis, quæ versu 6. apud Vulgatum sic habentur. *Surripuerunt Regi*, tam *Lect. Hebr. Lect. Chald. P. Sanch. Psal. 2. 1.* in Lectione Hebræa, quàm in Chaldæa (sic inibi adnotante Patre Gaspare Sanchez) esse verbum, quod fremitum sonat, quodque habetur Psalm. 2. 1. vbi Noster ait. *Quare fremuerunt gentes?* Audis rugientes leones, frendentesque dentibus suis? Vide iam eos ad Danielem deuorandum, siue potiùs celerrimè absorbendum properantes. Subijcit nimirùm Sacer textus. *Tunc Rex præcepit, & adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum*, vers. 16. Sed enim, vt omnino calleas immanissimum Aulicorum odium, & summam inuidiæ rabiem, quâ dicto citius Regium familiarem deuorare, siue potiùs absorbere student, quin vlla intercedat mora, obserua quid tunc opis Rex ille, Aulicorum suorum ingenia omnino cognoscens aduersus tantæ iræ præcipitationem & furorem tulerit: sic enim ibi: *Allatusque est lapis vnus, & positus est super os laci, quem obsignauit Rex annulo suo, & annulo*

P. Velasquez in Psal. centesimum.

optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem. Ad quæ sanè verba nemo quidem est, qui nesciat acutam Hieronymi obseruationem plus periculi ab hominibus, quàm à leonibus Regem timuisse. *Hieron.* *Obsignauit (inquit) annulo suo lapidem, quo os laci claudebatur, ne quid contra Danielem molirentur inimici, & qui de leonibus securus est, de hominibus pertimescit.* At verò sic iuuat in hac cogitatione hærere ad Aulicorum rabiem & præcipitationem velut de facie cognoscendam, quæ leoninâ feritate ardentior sit: vt plusculum in ea obseruandum, vrgendumque occurrat. Nimirùm dum Rex eo consilio saxeum operculum lacui apposuit, *ne quid* ab Aulicis *fieret contra Danielem*, omnino ostendit, se eorum animos penetrasse, & siquidem eos adhuc ad nocendum Danieli intentos, paratosque vidit, omnino ex eorum sensu cognouisse tardas illis, & languidas pro sua rabie, & nocendi ardore ferocissimorum leonum iras, & vires visas fuisse, lanceos eorũ vngues & stamineum impetum: eaque de causa minimè expectaturos vt á leonibus Daniel inuaderetur, sed ipsos, qui multò ferociores & ardentiores ad deuorandum erant, velociùs in ipsum irruituros, vt in momento absorberent: atque idcircò Regem saxeum operculum apposuisse, & annulo suo consignasse, vt tanto furori occurreret. Crediderim quidem, plus emphasis huic cogitationi sic expensæ inesse, atque ita ex ea Aulicorum leonum ingenium, & naturam meliùs cognosci. Nec ab ea omnino abire Nicolaum de Lyra inibi, dum ait. *Lyra.* *Positus est lapis super os laci, ne quis posset ingredi, quia magis timebat Rex de crudelitate hominum contra Danielem, quàm de ferocitate leonum.*

4 Sed iam curiosiùs inquiris, quæ omnino causa tam diræ inuidentiæ & odij Aulicorum omnium aduersus Regium familiarem sit? Nec dubia quidem aut difficilis responsio ex iis quæ indidem apud Danielem habentur: sic enim vers. 4. *Dan. 6. 4.* *Porrò Rex cogitabat constituere eum super omne regnum: vnde Principes & Satrapæ quærebant occasionem, vt inuenirent Danieli ex latere Regis.* Vbi Theodoretus. *Theodor.* *Honoris magnitudo inuidiam excitauit.* Nimirùm in latere Regis esse, vt benè ibi meditatur Pater Gaspar Sanchez, *Gaspar. Sanchez* potestatem cum Principe communem habere, & æqualitatem quandam cum ipso denotat, vt videlicet, quod Priuati, siue Regis familiaris proprium esse solet, Principi in Reipub. administratione & negotiorum expeditione diligentem operam commodet. Ita Chrysostomus Homilia *Chrysost.* 42. in Matthæum, pensiculatiùs id tractans, & causam quam persequimur accuratè discutiens: etenim cùm priùs hunc in modum, cum inuido disceptasset. *Cuius enim rei gratiâ proximum inuidendo persequeris? An quia in honore, & dignitate viuit? Non cogitas igitur quantam honores perniciem ignauis, ac indiligentibus solent afferre? extollunt enim ad inanem facilè gloriam, in tumorem, atque superbiam, & contemptum aliorum impellunt, desidiam augent, ad hæc omnia ipsi etiam paruâ commoti aurâ deflorescunt, quodque acerbius est, malorum præcipitia in quæ honores detrudunt perpetua sunt, atque prærupta.* Sic statim ex illius persona dictis occurrit, & aduersam lancem adornat. *Istis ergo de causis inuides? responde quæso? Ita inquis, sed plurimùm ille apud Principem potest, ducit, fert, versatque omnia quæcumque velit, & offendentes, atque inimicos persequi potest, adulatores, assentatoresque suos in manu euehit, magnaque vsus facilitate, potestateque, simul lætatur.* Quòd si huic rationi obijcias ea etiam de causa honoris magnitudinem ipsimet Regi inuidiam potissimùm excitaturam, qui familiari suo multò maior, atque eminentior est, dixerim, inuidiæ naturam nullatenus tibi notam esse, cùm ignores illâ circa æquales grauiùs æstuare, nec tam maximos, & in altissimo fastigio locatos, quàm eos qui cùm conditione æquales

sint, excrescere incipiunt, & sese super alios attollunt. Ita disertissimè Alcibiades, apud Thucydidem dicebat. *Scio, quotquot in alicuius rei splendore ceteris antecellunt, quamdiu quidem viuunt, inuidiâ premi, præcipuè quidem à paribus, deinde verò ab aliis, quibuscum versantur, ac viuūt.* Planè quasi sibi demptum, & iniuriâ ablatum fuerit, quidquid æqualis sui gloriæ cesserit. Sic *Cantor cantorē malignus odit*, vt Hesiodus inquit in *opere & dieb.* & vt Prouerbio cessit. *Figulus figulo inuidet, faber fabro.* Sub quo omnino sensu nostro instituto opportunus dixit Xenophon lib. 1. Pæd. *Homines in nullos magis insurgunt, quàm in eos, quos imperium in se affectare sentiscunt.* Porrò illum, qui naturâ, & conditione Rex est, lætis quidem oculis homines aspiciunt, eius incrementa, & felicitatem exoptant, ei subiectos esse, & ancillari expetunt, quòd nullam cum ipso de dignitate, aut sanguine litem aut contentionem habeant: & enimverò eum, quem sanguine, & conditione æqualem, sociumque nouerunt, tanto interuallo eorum mensuram excedentem videre molestissimè ferunt.

Thucydid. *Hesiod.* *Xenophon.*

5 Hæc omnino ostendit, atque explicat dubitatio illa, quam alibi aliò intentus agitaui. Cur malus dæmon cùm non semel cum Deo colloquens in Scriptura inducatur, eius tamē faciem non videat, sed nec videre possit? Etverò ab alis Seraphinorum Dei faciem, vt est apud Isaiam cap. 6. 1. velantibus, tanquam adamantino muro interiecto, illius visum impediri pulchrè obseruauit Bernardus in allegoriis Gotfridi Tilmani. Sic namque Isaias *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, &c. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius.* Quòd si inquiras quò hæc fuerint? aut quid hæ Seraphinorū alæ portendant? Respondet Bernardus Angelorum gloriam, atque felicitatem iis alis significari. Audi: *Quibus verò putamus alis hoc caput Seraphim velant, vt nullâ sua subtilitate natura nequam oculus in illam queat irrumpere veri luminis claritatem? Duabus ni fallor alis, sui videlicet ipsorum gloriæ, & felicitatis.* Sanè quasi à nimio splēdore gloriæ, & felicitatis Angelorum illius oculi præstringantur. Sed iam denuò meritò ambigis, cur ab Angelicæ felicitatis splendore, & non potiùs ab inaccessibili, & immensâ Dei luce dæmonis pupilla reuerberetur? nonne ab hac intolerabilior fulgor, & claritas, qui impudentis illius audaciam retundat? Occurrit verò acutè Bernardus monens dæmonis oculos notanter ab Angelorum splendore verberari, quòd ipsorum felicitati, qui sibi in natura æquales erant, maximè inuideat. Sic enim ille. *Quæris quemadmodum? Audi. Quoties enim sursum dirigit aciem, in Angelicam statim felicitatem & gloriam malignus offendit, & offundit oculum pessimus humor, liuor, vt penetrare vltrà non possit: quis enim tam grauis pruritus oculi, quàm inuidia?* En grauissimum telum, quo maligni illius visus, atque animus configitur; sociorum videlicet felicitas, atque præstantia; vnde ne in illam intendat, à diuinæ faciei conspectu, & oculos & desiderium auertit, tantùm non dicens: Si Dei conspectum, atque meam felicitatem tanti sum empturus, vt æqualium meorum gloriam, cuius ipse expers sum, priùs videre, & cognoscere cogar, nolo Dei aspectum, nolo meam felicitatem. Vides vt inuidia inter æquales signatè versetur, atque æstuet?

Isai. 6. 1. *Bernard.*

6 Sed & huc pulchrè facit, quod in Dauidis victoriis, atque triumphis obseruauit Chrysostomus Homil. 2. de Dauide, & Saüle; nimirum quærit ille, vtra è Dauidis victoriis clarior fuerit, atque illustrior, eáne cùm armatum ac fortissimum Gigantem, imbellis ipse atque inermis obtruncauit, an illa, quam de Saüle in spelunca delitescente retulit, dum ab illius cæde armatas manus contemperauit, extremam clamydis oram abscidisse contentus? Etverò hanc illi victoriam omnino præfert his verbis. *Egressus est autem post Saülem & Dauid, liberis deinceps oculis cælum intuens, ac tunc temporis magis exultans, quàm cùm Goliath deiecisset, ac barbari caput amputasset. Siquidem hæc illa magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum.* Sed quam ob rem? plures inibi pulchras adducit rationes Chrysostomus: illa verò omnium ad rem nostram videtur accommodatissima, quòd ea, quam de Philisthæo Dauid reportauit victoriā, à Saüle eius æmulo, & illius gloriā inuidente laudata non fuerit, imò odio habita; quippe quæ ipsius animum grauiter afflixit: at illa, quâ comitate, & humanitate Saülem deuicit, ab ipso quāuis æmulo, quamuis hoste, quamuis ei perpetuò inuidente, & de bellica gloria, & regno ipso cum illo decertante summis fuerit laudibus celebrata, imò verò ob illam ipse Dauidem sibimet præferre non dubitauerit inquiens. *Iustior es tu, quàm ego.* 1. Reg. 24. 18. Enimverò victoria quam ipsemet æmulus agnoscit & prædicat omnium dubio procul magnificentior, & illustrior est, quando is, qui eâ maximè aduritur, & qui eam abscondere, & opprimere pro inuidiæ natura omnino vellet, palam laudare, ac celebrare cogitur.

Chrysost. *1. Reg. 24. 18.*

7 Cui obseruationi illa est omnino adsimilis, quam ex illis Canticorum verbis cap. 6. 8. quibus à Salomone dilectissima coniux summis laudibus ab omni personarum genere sic celebrata, inducitur. *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt, Reginæ & concubinæ laudauerunt eam*, facilè elicies: quippe in ea laudationis serie, atque ornatu meritò aliquis ambigat, cur ea quæ priori loco beatissima, hoc est omnium fœminarum ob eximiam pulchritudinem, & egregias animi dotes felicissima prædicatur, subinde cùm laudationis ornatus excrescere deberet, nullo insigni commendationis titulo, siue ornamento addito, simplici tantùm laude, frigidâ quidem & languidâ, afficiatur? *Reginæ* (inquit) *& concubinæ laudauerunt eam.* Quæ enim hæc laudationis series, & structura fuerit? Dixisti priùs *beatissimam*; & modò, cùm crescente laudatione omnium in illam laudum tituli amplissimis verbis congerendi fuerant, simpliciter, & vtcumque laudatam ais? Quid frigidius? Quid magis iners, & languidum videatur? At enimverò subsistit optimè laudationis series, & pompa sermonis, ad disertissimæ artis leges, & modos constructa, si personas à quibus singulæ laudationes oriuntur spectes: quippe aliud fuerit commendari sponsam à propriis filiabus, in quas nulla cadit inuidia, sed singularis in matrem pietas subest: aliud à Reginis, & concubinis, quæ æquali cum sponsa honore potiebantur, quæque propriæ consciæ pulchritudinis nullam norunt in aliis fœminis elegantiam agnoscere. Certè cùm filiæ *beatissimam prædicauerunt*, dixerunt quidem quod res erat, sed vt maximis sponsam laudibus ornarunt, ita nihil viuidum & efficax huic prædicationi accessit, quid enim magnum fuerit à filiis laudari? præsertim cùm sponsæ pulchritudo nihil illis obesse posset: at cùm Reginæ & concubinæ, quæ regiam gratiam sibi conciliare ardenter expetebant, eaque de causa inuidiæ, & æmulationis aculeo grauissimè affligebantur; nec nisi cum proprio discrimine alterius fœminæ pulchritudinem celebrare poterant, sponsam vtcumque laudauerunt: omnium ipsam laudum cumulo ad cælum vsque sublatam fuisse, à Salomone iudicatum est, nec alio efficaciori, siue grauiori testimonio eius pulchritudinem celebrari potuisse: atque ideò iis verbis laudationem signatè, & emphaticè claudit: quòd multò maioris ponderis frigida hæc æmularum laudatio, quàm ardens, & compositum filiarum præconium fuerit.

Cant. 6. 8.

8 Ergò hinc Aulicorum erga Regium familiarem

tem inuidentiam disce, nec te decipiat plures eorum, illius consanguineos, siue affines, aut etiam fratres esse: quippe is quidem regiæ gratiæ genus est, vt concordissimos fratres in discordiam trahat, &

Statius lib. 6. Theb. *Ambitiosa pios collidat gloria fratres.*

Corn. Tac. Et *quæ apud cōcordes vincula charitatis* (sic scitè Cornel. Tacit. lib. 1. Annal.) *irritamenta irarum apud infensos sint.* Vel vide primùm ab ipso mundi exordio fratrem à fratre gratiæ cælestis, ac si terrena illa esset, ambitore non tutum; sed armatâ eius manu cadentem benè id pensitante Ambros. serm. 16. in Psalm. 118. vbi de ambitione gratiam Principum aucupari studente scitè ait. *Quod vitium blandum in exordio, sæuum in processu, nec fraterna germanitatis potuit contemplatione reuocari. Quum enim doleret sibi gratia cælestis ambitor, fratrem esse prælatum, de fratrisicio processit ad parricidium.* Vide deinde Iosephi fratres ei vehementer infensos, quòd sese illis eminentiorem somniauerit Genes. 37. 8. *Ob hoc decuit illum*

Gen. 37. 8. Chrysost. (aiebat Chrysost. hom. 9. de Lazaro) *seruare potiùs, quod totius familia corona, totiusq; generis decus erat futurus.* Sed enim vel hac omnino ratione *oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Alium enim qui ea 'alia cognatione, aut gente esset, sibi dominari patientissimè ferrent: æqualem verò & fratrem supra illos efferri, acerbissimum illis, & abominandum videbatur: vnde

Philo. Philo libro de Ioseph, sic patrem inducit puerum ob somnia euulgata castigantem. *Caue ne vnquam in mentem mi puer, eueniat: trade potiùs obliuioni visiones nefarias: nam sperare, & expectare Principatum inter domesticos, res abominanda est, me iudice, nec aliter iudicare cæteros puto, quibus æqualitatis & cognationis iura nota sunt.* His par illud fratrum Aaron, & Mariam fratri Moysi, quòd Dei Administer esset, inuidentes, & aduersus eum immurmurantes adiunge; sic enim Num. 12. 1. *Locutaq; est Maria, & Aaron contra Moysen, & dixerunt: Num per solum Moysen locutus est Dominus? &c.* Ad quæ verba Oleaster.

Oleaster. *Fera pessima inuidia est, quæ omnium beneficiorum obliuionem affert, neque solùm in detractionem, sed sæpius in apertam iniuriam prorumpit, neque fratribus, aut sororibus parcit, quemadmodum legimus de fratribus Ioseph, qui eum ex inuidia mercatoribus vendiderunt: Ob post pauca, similiter disce, quàm periculosa res præfectura* (adde tu Regum gratia) *sit, quæ non solùm extraneos, sed etiam fratres in se prouocare videtur. Nonnunq, quot fratres obliti fraternalis amicitiæ in fratres aliquâ dignitate fulgentes conuerterunt cum hostibus.* Hæc ille.

Ad ea verba,

Vnicum Regij familiaris aduersus omnia discrimina munimentum: Dei timor.

ADNOTATIO IX.

1 ECQVIS (ais) inter tot scopulos, inter hæc brevia, & Syrtes, inter istam immanissimam Scyllam, atque Carybdim, regiæ gratiæ nauim tutò dirigere præsumat? Quis Regius Administer felicitati suæ credat, quam non nisi *multis, & fidis manibus continendam*, ac proinde minimè continere facilem rectè monebat Seneca? Quis anceps Regum ingenium, variū semper, atque mutabile? quis Aulicorum inuidiam? nouas eorum artes? lethali fuco imbibita spicula? Quis ipsiusmet altitudinis prærupta, fastigiique fastidia, & assidua tormenta? Quis fortunæ, libidinosæ, negligentisque mancipiorum suorum dominæ ludibria vincere, ac superare queat? Vis nosse ris omnino, qui Deum primum, quàm Regem timuerit, atque omnia discrimina, non tam humanâ, quâ diuinâ sapientiâ, & ope vitare curauerit. Nimirum, cùm duæ omnino disciplinæ, siue viuendi rationes in Aula repe-

riantur: altera quæ Dei timori subnixa, ipsum piæ oculis habere, & rebus omnibus anteferre docet: altera, quæ diuinâ lege posthabitâ, ad rationem Status, & Regiæ gratiæ conseruationem solùm aspicit, atque hac norma cuncta dimetitur, illa quidem disciplina certa, secura, & necessariæ rationi, tanquam firmissimo fundamento innixa censenda est, quæ Deum cui primùm fidem seruandam fore docet, tum præceptorē, & institutorem, tum etiam adiutorem, & auxiliatorem habet. Sed hæc imprimis à Salomone Rege accipe regium familiarem sic instituente Prouer. 24. 21. *Time Dominum fili mi & Regem: & cum detractoribus ne commiscearis: quoniam repentè consurget perditio eorum.* Verùm quid in originibus sit pro illis verbis, *& cum detractoribus, &c.* prius observa: enim verò Isidorus Clarius sic reponit, *& cum variantibus:* Cæteranus similiter, *cum mutatoribus.* Alij Latini codices, & *cum aliter agentibus:* Chaldæus, *cum stultis:* iam si inquiras, quid sibi velit Salomon, cùm monet non esse variandum, mutandum, aut aliter agendum. Respondent sapienter Interpretes, referendum id omnino esse ad ipsam dictionis seriem, & ordinem timendi signatè præscriptum, vt Deus primùm, & post Deum Rex timeatur. *Time Dominum* (inquit) *& Regem*, id est, Deum priùs, & priori loco, subinde verò Regem; ita videlicet vt fides Deo omnino seruetur, eiusque amori, & timori, Principis amor, timor ve vndequaque subiiciatur: ac proinde *quoties vtriusq; leges* (sic P. Salazarius) *inter se dissidere visa fuerint, diuinis potiùs quàm humanis præceptis ad vnguem obsequendum sit.* Quod quidē monitum regiis familiaribus sic disertissimè dedit Gregor. Nazianz. Aulæ rerum, & studiorum apprimè gnarus orat. 27. *Aulici Proceres, & sublimibus thronis, & dignitatibus insignes, fidem Imperatoribus seruate, sed priùs Deo, propter quem his etiam commissi, & traditi estis.* Opportunè, vt dixerit magnus Theologus: seruanda quidem Imperatori fides, deferendus ei omnis honor, & cultus est, verùm in iis omnino rebus, quæ Dei legi, & fidei ipsi præstandæ non aduersantur; nimirum vbi Dei voluntas cum regia voluntate certatura coocurrit: Principis obsequio indubitanter posthabito, vni Deo famulandum, adhærendumque est, quippe ipse ad regiæ gratiæ fastigium propriâ vos manu deduxit, vt eius tutelâ potissimùm capesseretis.

Prou. 24. 21.

Clarius. Cater. Chald.

P. Salaz.

Nazianz.

2 Firmat hæc & illustrat alio in loco idem Nazianzenus nostros Proceres, & Aulicos sic admonēs. *Proceres potentiorem timeto, qui sublimibus solùm insidet sublimiorem. Ne quid admireris quod non permaneat, ne contemnas quod certum & stabile sit: ne quidquam arctius constringas quod cùm manibus tenetur, effluit.* Hæc Gregor. quibus pulchrè ille Dei timorem & gratiam, cum Principis timore, & gratia committit, nec non certa, & æternùm mansura bona cum fluxis, & citò perituris: vt hac comparatione factâ sapiens iudea præstantiora, & duratura minoribus, & prætetlabentibus anteferat. Iam peode singula: & primùm illa *potentiorem timeto:* quibus tantùm non dicit, ipse Regis timor Dei timorē vos docet, & ad eum deducit: nam si Regem, quòd ad præmia, & supplicia inferenda potens sit, timeris ac sospitiis, Deum, qui multò potentior est, ad splendidiora bona cōdonanda, & acerbiores pœnas de sontibus sumendas, cur non primùm, & vehementiùs timearis? Sed hanc rationem vide, vt vrgeat, atque diffudat Augustinus serm. 6. de Verbis Domini ad hunc modum. *Sed quid si Princeps iubeat quod non debes facere? Contemne potestatem timendo potestatem, ipsos humanarum rerum gradus aduerte: si aliquid iusserit curator, nonne faciendum est? Ita quidem, tamen si contra Proconsulem iusserit, non vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori seruire, neque huic debet minor irasci, si maior prælata est. Rursum si aliquid ipse Proconsul iubeat, & aliud iubeat Imperator,*

Nazianz.

August.

Imperator, nunquid dubitatur illo contempto iſti ſeruiendum? Ergo ſi aliud Imperator, & aliud Deus, quid iudicatis? Solue tributum, eſto mihi in obſequium. Rectè, ſed in dolio prohibet. Qui prohibet? Maior poteſtas: Da veniam, tu carcerem: ille gehennam minatur. Hæc Auguſt. Rurſum verò in Nazianzeno obſerua emphaticè ipſamet dictionis ſerie Regis familiares perſtrinxiſſe, quaſi moris eorum ſit, certa & ſtabilia bona contemnere, vt vni Principis ſui gratiæ inhæreant, eamque totis conſtringant manibus. *Ne contemnas* (inquit) *quod certum & ſtabile ſit: ne quidquam arctius conſtringas, &c.* vt dixerit: vide ne incerta pro certis, atque etiam ne certa incertè ſecteris, ſed time Deum, & Regem, & fidem Imperatori præſta, ſed priùs Deo, ſic enim fiet, vt tam Dei, quàm Principis tui gratia certa tibi, & ſtabilis ſit.

3 Quare pergit Salomon. *Et cum mutantibus*, ſiue *variantibus ne miſceas te*: hoc eſt, caue omnino, ne eorū inſtitutum, & mores coniecteris, qui per ſectum hunc ordinem peruertunt, & Regiæ gratiæ primùm; deinde diuinæ deferendum putant, ad eum planè modū, quo ab impio illo Principe Iuliano noſtræ fidei deſertore Aulici inſtituebantur; ſic rem referente Gre-
Nazianz. gor. Nazianz. orat. 3. *Atque hanc ob cauſam Aulam totam commutat, aliis morte priùs ſubductis, aut è medio ſublatis, aliis ſubmotis & expulſis, non tam quia beneuolo erga magnum Imperatorem animo fuerant, quàm quod maiori erga maiorem Imperatorem beneuolentia afficeremur: ac proinde vtroque nomine ipſi incommodi eſſent.* Nimirum eò politici illius Principis mens ibat, vt ſui familiares *nullam aliam legem* (ſic ſtatim Nazianz.) *quàm Principis voluntatem agnoſcerent.* Nec aliam quidem Aulæ Darij Regis diſciplinam fuiſſe facilè ex eo colliges, quod Danieli, qui apud eum Principem omnia poterat, ab ipſo propoſitum dicitur. Enimverò cùm ipſe ob regiam gratiam apud Satrapas, & Proceres grauiter offendiſſet, eò ipſi conſpirantes, vt Regem ei infenſum redderent, cùm nullam *ex latere Regis* (id eſt) *in re-*
Lect. Tig. *gijs negotijs*, vt legit Biblia Tigurina, aut ex violato Regis thalamo, vt interpretantur Hebræorum Ma-
Dan. 6. 4. giſtri) *occaſionem* diligentiùs quæſitam *inueniſſent* Daniel. 6. 4. in Dei fide, & Religione inſidias tetenderunt: nimirum qui bene nouerant Danielem ſolitum palam orare Deum, Regi perſuaſerunt, vt publico caueret edicto, ne quis per triginta dierum ſpatium ab aliquo, ſiue Deus, ſiue homo is eſſet, niſi à ſeipſo quidpiam rogaret: & qui contrà feciſſet, in lacum leonum ſtatim conijceretur: vides politicam Aulæ, ſiue Babylonis diſciplinam, quæ ad guſtum Regis omnia reuocat, illumque præ Deo colendum, & verendum facit: nec non regiam gratiam diuinæ oppoſitam, & humanum timorem cum diuino pugnantem? Quid tum Daniel? *Sanè ingreſſus eſt domum ſuam, & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturq; coram Deo ſuo*
Dan. 6. 10. *ſicut & antè facere conſueuerat.* Daniel. 6. 10. Benè quidem *ſicut antea facere conſueuerat*, vt conſcientiæ, & officio ſuo ſatisfaceret, ſed optimè omnino *feneſtris apertis*, vt Babyloniam diſciplinam abiuraret, & in agone diuinæ gratiæ cum regia, & humana palam pro Dei timore, & gratia cauſam diceret, tantùm non opere,
Seneca. & re ipſa inquiens, quod ſub perſona Lucilli Seneca in præfatione lib. 5. natur. qq. *Periculis meis maior, paratus ire in ea quæ minabantur, egi gratias fortunæ, quòd experiri voluiſſet, quanti æſtimarem fidem. Non debebat mihi paruo res magna conſtare.* En optimum atque felicem Regis familiarem, qui vt *à latere Regis*, tum præ eximio Principis fauore, tum præ egregia Danielis in ipſum
Hieron. pietate, & beneuolentia *non recedebat*, vt pendit Hieronymus in cap. 2. Daniel verſ. 48. ita Deo priùs, quàm ipſi fidem ſeruandam eſſe exiſtimabat, quin in trutina Diuinæ, atque regiæ gratiæ diu ipſi aut ancipiti conſilij lance deliberandum fuerit, cui potiores partes defendendæ forent, dum periculis ſuis maior humanam contempſit, & diuinam toto animi niſu complexus retinuit. Sed hæc omnia accipe ab Iſidoro Pelu-
Iſid. Peluſ. ſiota lib. 3. epiſt. 139. tam de Daniele, quàm de eius ſocijs, Deo, quàm Regi fidem ſeruantibus, hæc ſcribente. *Tres illi pueri, ac Daniel curioſam, & ſuperuacaneam Chaldæorum diſciplinam minimè didicerunt: caue id exiſtimes: nam qui tantam ſuæ erga Deum pietatis curam geſſerūt, vt ne regios quidem cibos perciperent: vnquamne, etiamſi mille ipſis mortes propoſitæ fuiſſent, ad ſeruilem doctrinam prouolui ſuſtinuiſſent? Quòd autem ita ſit, tum ex eo perſpicuum eſt, quòd regiam imaginem haudquaquam adorarunt, tum etiam hinc liquet, quod hi leonibus, illi autem igni venerationi fuerunt.* Hæc ille, plus ſtatim premenda, modò ſimilia quæ affert præfato loco Nazianzenus de ger-
Nazianz. manis Iuliani Aulicis, qui Deo priùs quàm Imperatori fidem ſeruabant, audi: etenim cùm dixiſſet, *Non enim omnes pertraxit, verùm plùs quàm ſeptem hominum millia reliqui fuerunt qui non flexerunt genu coram Baal, nec auream imaginem adorarunt, nec à ſerpentibus percuſſi ſunt:* ſubdit: *Multi ſcilicet Proceres altiſſimiſq; dignitatibus præditi, quos minus etiam mirum fuiſſet, tum periculorum metu, tum bonorum ſpe cedere, ac manus dare.*

4 Sed quàm alius à Daniele Præſes Pilatus! Qui timuit quidem Deum, & Regem, ſed peruerſo, & immutato ordine, Regem quidem priùs, & poſt Regem Deum. Quid enim ipſo fortius, atque conſtantius in crucis titulo, quem ſcripſerat defendendo, & propugnando? *Scripſit & titulum Pilatus* (ait Ioannes
Ioann. 19. verſ. 19. 19. verſ. 19.) *& poſuit ſuper Crucem, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Nam cùm Principes Iudæorum, titulo exſibilantes dicerent: *Noli ſcribere Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit Rex ſum Iudæorum*: vt dixerint; Vide quid agas, nec enim id punire eſt, ſed honorare: quod enim crimen fuerit Regem fuiſſe? Dicito ergo hunc hominem Regni gloriam iactanter, & ſuperbè affectaſſe, non verò Iudæorum Regem eſſe: ipſe quidem aduerſus has Principum voces obfirmato animo firmus, & impenetrabilis permanſit, conſtanter inquiens. *Quod ſcripſi ſcripſi*: ſed cur modò tam rigidus iuſtitiæ ſatelles, qui paulò antè ad eorundem Principum voces timidus, & ignauus, & quidquid increpabat pertimeſcens ſuccubuit & manus dedit? Quæ rogo hæc Pilati in propugnanda veritate conſtantia, & fortitudo fuit? Satiſne id fuit vt verus Dei cultor, qui eum, vt par eſt, timeat, dici poſſit? Minimè quidem, etenim in timore Dei mutator, varians, & ſtultus fuit, nimirum quum antea nullam in Chriſto ad mortem cauſam inueniſſet, & Dei timore ductus, ipſum liberum dimittere vellet, ab his vocibus Iudæorum. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris, omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.* Ioan. 19. 12. perterritus, pedem retulit, & ti-
Ioann. 19. verſ. 12. mendi ordine immutato, priùs Cæſarem, quàm Deū timuit: nec antea in iuſtitia propugnanda ſtrenuum, & fortem ſe exhibuit, quàm Cæſari adulabundus morem geſſerit, eique potiùs quàm Deo fidem ſeruauerit. Neſcit ergo homo politicus timere Deum, qui impiè Regem timet. Pulchrè quidem hac de re Hi-
Hilarius. larius in Pſalm. 52. *Impius ergo timor eſt, cùm quæ non timenda ſunt timentur, & quæ timenda ſunt non timentur. Et plerumque nos tanquam pro debita officij religione piè adulari Regibus exiſtimamus, quia in corpus noſtrum ſit in his aliquid poteſtatis, quibus nihil vltra de nobis licet, quàm latroni, quàm febri, quàm incendio, quàm naufragio, quàm ruinæ: punitorē perditoremq; in igne indicij, & corporis, & animæ noſtræ Deum non timentes, dum placere vos ipſis, & in eorum gratia permanere famulatu impio gloriamur.* Hæc Hilarius ſatis ad rem.

5 Iam verò ad rei exitum, & vtriuſque timoris præmium, quod noſtri omnino inſtituti eſt, animum intendamus.

Digitized by Google

intendamus. Ergo ab hoc germano, & rectè ordinato Dei timore Regio familiari non modò diuinam, sed etiam Principis sui gratiam firmam, securam, & perpetuò duraturam, & in ea fecundam, florentemque fortunam certò, & indubitatò pollicemur: sicut è contrario *mutatoribus*, & *variantibus* è vestigio perditionem obuenturam prædicit Salomon: nimirum cùm regiæ gratiæ felicitas res sit, quæ multis & fidis

Seneca. manibus contineri exposcat, vt scitè aiebat Seneca lib. 6. de benefic. cap. 33. *Do consilium vtile, quæris quid felici præstare possis? effice, ne felicitati suæ credat, vt sciat illam multis, & fidis manibus continendam.* Vna quidem virtus est, quæ pro multis hisce manibus valet, & rem ea se lubricam, & tot periculis obnoxiam constare facit. Cui quidem rei imprimis egregium reddidit Impe-

Constanti. rator Constantius testimonium in oratione *de Themistio Philosopho in senatu recitata*: vbi cùm occasione Themistij, quem & in arcana gratia habebat, & summis tunc afficiebat honoribus præmisisset. *Alia enim alios exornant, splendidosque efficiunt: & hos quidē pecunia fama, illos autem possessionū copia, nonnullos pro Repub. suscepti labores alios denique in dicendo præstantia. Quippe diuersis variisque itineribus ad vnum, idemque gloriæ fastigium omnes sanâ mente præditi peruenire contendunt.* Subiicit opportunè, & sapienter: *& tamen cùm multa adeò ad id via ducant, reliqua omnes obliqua, lubricaque; vna hac dumtaxat tuta firmaque est, quæ per virtutē transigitur.* En cæteras manus quamuis multas, & ad faciem validas, ad cōtinendam tamen felicitatē infirmas, & nullius roboris esse: lubrica enim, & incerta res ab iis, quæ & lubrica & incerta sunt, nunquam bene tenetur. Vide iam ab vna virtutis manu felicitatem, & regiam gratiam tutò, & firmiter apprehensam: vide inquam Danielem in agone illo diuinæ, & Regiæ gratiæ pro Dei timore, & lege decertantem, periculis suis maiorem, nec solùm è leonum lacu, quorum cruentos vngues, & famelicas fauces subire coactus est, incolumem exeuntem: *Sola*

Zeno. M. *enim fides* (sic Zeno M. serm. de Isaia) *deambulat inter gladios tuta, inter esurientes feras amica*: sed etiam in Principis sui, & successorum eius gratia ad finem vsque

Dan. 6. 28. vitæ perpetuò durantem: sic namque Daniel 6. vers. 28. *Porrò Daniel perseuerauit vsque ad regnum Darij, regnumque Cyri Persæ*: vbi Chaldæa lectio signatè habet

Lect. Chald. P. Sanct. *prosperè egit*, id est, vt interpretatur P. Sanctius in Regum gratia, & honore apud omnes quamdiu vixit, siue sub Dario, siue sub Cyro, sicut antea sub Nabuchodonosore, & Balthasare fuerat, perdurauit. At enim verò ipsummet Danielē hac de re loquentem, & causam suam perorantē audire fuerit operæpretium: sic enim ipse ad Regem: *Deus meus* (inquit) *misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt*

LXX. Pagnin. *mihi, quia coram eo iustitia inuenta est in me*: sed obserua Septuaginta, necnon Pagninum pro *in me* reposuisse *mihi*: vt dixerit ille, Deum non quà misericors, sed quà iustus est, ei qui fidem ipsi priùs quàm Regi seruauit, opem tulisse, & omni discrimine præstantiorem reddidisse: ac si Hispanè significanter dixerit *guardome mi*

Theodor. *iusticia*: ita hæc inibi obseruante Theodoreto: *Iustus enim cùm sit Deus, & iustè inquit omnia moderetur, quia vidit impiis legibus illius à me cultum antelatum fuisse, præstantiorem me ostendit, quàm cui possent leones nocere, potiusque leonum imagines, quàm leones mihi obtulit.* Hæc ille Regios familiares omnino certiores reddens, à fide in Deum seruata omnia regiæ gratiæ discrimina facilè superari, nec leones iam siue pericula, sed leonum imagines, siue vmbras esse.

6 Nec omiserim expendere septem in vnum Danielem leones irruentes à virtutis manu, vt imagines ac vmbras fuisse superatos. *Dentes erant acuti* (inquit

Chrysost. Chrysost. in Psalm. 9.) *& arctus carcer, sed spes in Deo erat quouis fræno potentior, in ora ipsorum irruens eos retrahebat.* Non equidem quasi in pari, & iusto certamine, sed Daniele cum illis, ac si viribus, & potentiâ duplo maior, & potentior esset, pugnante: in quam rem obserua ea verba, quibus Angelus Dei nomine Gedeonem Israëliticæ plebis ducem affatus dicitur Iudicum 6. vers. 16. Nam cùm ipsum sic priùs admonuisset. Iudic. 6. 16.

Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian, ipse verò modestè mussitasset, *Obsecro mi Domine, in quo liberabo Israël? ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei*: sic tandem sermonem Dominus confecit: *Ego ero tecum, & percuties Madian quasi virum vnum.* Preme verba scitu, & obseruatione dignissima, & illud imprimis, *quasi virum vnum*, id est, (vt ait Abulensis ibi quæst. 14.) *cum auxilio meo ita facile* Abulens.

erit tibi percutere Madian, quasi si percuteres virum vnum. Ad quæ verba si ambigas, cui pro re facili, & nullo negotio expedienda ponatur, vnum Gedeonem in singulari certamine *virum* etiam *vnum* percutere, cùm & varius sit euentus belli, & vnius ad vnum non adeò insignis præstantia in bello sit, vt certa omnino videatur victoria: facilè oppressero dubitationem ex Hebræa Pagnini lectione, quæ habet: *Quia ero tecum,* Lect. Heb. Pagnin.

percuties Madian quasi virum vnum, quod perinde fuit, ac si dixerit Dominus, dum ego tecum sum, & lateri tuo indiuiduus comes, & auxiliator adhæreo; totus Madian quantus quantus fuerit, vnus omnino vir erit, ac proinde duo aduersus vnum pugnabimus, iam verò duobus contra vnum concurrentibus, & decertantibus, quis possit de victoria dubitare? cùm *nec Hercules contra duos*, vt sæpius Plato prouerbialiter iactat, quòd nemo vsque adeò viribus excellat, vt duobus par esse possit: vnde ab Homero Iliad. 5. pulchrè dictum est. Plato. Homer.

Haud stetit Æneas aliquis strenuus armis,
Conspexit simul atque duos consistere iunctos.

Quòd si iure negant, vel Herculem ipsum aduersus duos esse parem, iustumque inire certamen, quî iam vnus Madian ignauus, & imbellis aduersus duos Hercules stabit? Bene ergo Daniel *potiùs leonum imagines, quàm leones mihi obtulit.* Aptet ergo sibi hanc cogitationem Regius familiaris, & cùm Deum potiùs quàm Regem timuerit: eique priùs quàm Imperatori fidem seruauerit, siue cùm Dei causâ pro Religione, pro iustitia, pro veritate, pro Republica, pro bono pacis (non temerè quidem, sed ad prudentiæ leges compositus) leonum certamen subierit, sic animum suum inducat, se velut duos Hercules cum vno, eoque imbelli hoste, siue cum vmbris leonum decertare, quotquot enim hostes, & insidiatores, pericula & casus in ipsum irruerint, quasi vir vnus erunt, ipse verò aduersus illos duplicatus Hercules stabit, qui hostiles insidias, & tela amictu repellat.

7 Hæc quidem optimi Principis Administri iusta merces est: *mutatorum* autem, & *variantium*, quàm lubricæ, & obliquæ viæ sunt! *Quoniam repente consurget perditio eorum*, Dei quippe auxilio destituti, quamuis multas, & fidas manus ad regiam gratiam continendam habere se credant, tanquam vir vnus aduersus plures Hercules stant. Vt enim cùm primùm Christus Dominus in Crucem sublatus est, *terra mota est*, Matthæi 27. vers. 51. quòd locus vbi ipse non inest, & quem plantæ eius non premunt instabilitati, & ruinæ necessariò subiaceat: vt alibi à nobis adductus Chrysost. homil. 3. de Passione sic aiebat. *Effossa vestigia pœnalibus alligata impedimentis pedum officia perdiderunt: minatur ecce propria mundus excidia, & rerum natura insolito pauore terretur: axem suum mundus extremum vergere cupiebat in limitem*: ita prorsus Deo, eiusque timore ab animo Aulici politicâ prudentiâ imbuti excluso, *agitatione agitabitur terra sicut ebrius, & auferetur, quasi tabernaculum vnius noctis*: Isaiæ 24. 20. Ita quidem noster Matt. 27. 51. Chrysost. Isai. 24. 20.

Vate

Vates cùm fese Dei auxilio munitum confiderabat: non fecus ac Daniel *cum leonibus quaſi cum agnis ludere* folebat Ecclefiaftici 43. 3. & munitiſſimis hoſtium caſtris illum cingentibus adeò nullum fibi timorem eſſe iactabat, vt vnde falutis, & felicitatis fuæ ingentes fpes conciperet, ita enim Pſalm. 26. 3. *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat aduerſus me prælium, in hoc ego ſperabo.* At enim verò cùm fe fibimet relictum, & fuæ induſtriæ, aut amicorum ioanibus innitentem intuebatur, in fummo vitæ diſcrimine fe conſtitutum dolebat; fic enim Pſal. 118. v. 109. *Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus*: vbi Chaldæa lectio fic habet. *Anima mea periclitatur, ac ſi eſſet in manibus meis.* Sed vnde, rogo, illi tunc inſit periculum? cùm ea quæ nobis chara ſunt, quæque retinere omnino volumus, à manibus non dimittere dicamus? Planè quod Deo auxiliarem manum fubtrahente, nihil periculoſius, fragilius, inſtabilius fit, quàm hominis felicitas in eiuſmet manibus poſita, fiue ipſemet homo fibimet dimiſſus: qui enim ipſe aduerſus tot in fe armatas manus præualere queat? Vnde quidem opportunè his mutationibus, qui Principi priùs quàm Deo fiunt, pulchram illam increpationem aptes, quâ Tertullianus lib. 2. ad Nationes nuper inuento cap. 9. gentilium ſtultitiam irridebat, qui Deos fuos in alios certos, alios incertos diuidebant. Audi. *Sed & Romanorum Deos Varro triſariam diſpoſuit, incertos, & electos. Tantam vanitatem! Quid enim illis erat cum incertis, ſi certos habebant?* Quid enim iis qui præſentiſſimum, & firmiſſimum ex virtute, & iuſtitia præſidium, & fecuritatem ad manum habent, cum incertis, & infidis illis manibus ad continendam regiam gratiam neceſſariis, fuerit? *Tantam vanitatem!*

Eccl. 43. verſ. 3. *Pſal. 26. 3.* *Pſal. 118. 109.* *Tertull.*

8 Fideiubent quidem pro his, ausim dicere, quotquot Regij familiares è regiæ gratiæ faſtigio exciderunt. Quibus dum aut fuam infelicitatem iactant, aut fortunam variam, inſtabilem, & libidinoſam præmiis, & pœnitentiam accuſant: eius nomine occurrit Dio Chryſoſtomus oratione 66. eò varium & mutabile Fortunæ ingenium reuocans. *Quod ipſa cupiat vnamquamque beneficio afficere tanquam bonum, atque ſuo dono dignum: poſtquam autem malum ſenſerit, & abiectum, & dedecore afficientem beneuolentiam quam ab ipſa accepit, meritò deficit, quærità rurſus alium, ac humaniorem forſan poſſit reperire*: fed enim, vt nos, *non facimus Fortunam Deam, caloq. locamus*: id totum quod illi adſcribitur, ad peculiarem Dei prouidentiam confultiſſimâ ratione cuncta diſpenſantis referentes: ita regiorum familiarium caſus, & mutationes in ipforum demerita coniicimus, quòd à Deo ind honoris fummi culmen euecti, fidem ipſi non feruauerint. Et verò eùm huic veritati firmandæ mille poſſem opportuna exempla proferre: contentus quidem ero, fi & Diaconi illius, qui apud Theodoricum Regem plurimum valebat, & Cardinalis Volſei Henrici VIII. Angliæ Regis eximij familiaris, nec non è noſtris Ioannis Alfonſi Alburquerquij, qui apud Petrum Caſtellæ Regem omnia olim potuit, fignatè meminero. Ergo Diaconus ille (hiſtoriam referente Theodoro Lectore in collectanea Græca ad calcem hiſtoriæ Theodorici adiectam) cùm à Rege Theodorico Arrianæ hæreſeos labe infecto fe amari ſenſit, fiue vt ardentioris amoris perceptibus, fiue vt nouo regiæ gratiæ robore adiecto firmiùs eam contineret, à vera & orthodoxa fide, in qua fuerat nutritus ad Arrianam hæreſim in Principis fui gratiam apertâ fugâ deſciuit, vt planum faceret fe Regem priùs timere, quàm Deum, & Imperatori, quàm Domino fidem feruate: At, quid mutator, & varians præmij loco accepit? Aperuit quidem Salomon: *Quoniam repente*

DioChryſ. *Lect. Theo.*

A *veniet ſuper eos perditio*: quippe callidus ille Princeps, vt egregium familiaris fui facinus, & mutationem factam cognouit, capitis damnanit cum hoc dicterio: *Si Deo fidem non ſeruaſti, quónam pacto conſcientiam ſanam homini ſeruaturus es?* Cui fanè perſimilis Volſæi caſus fuit: vt hæ eius voces iam iam morituri indicant. *Ego quia non Dei, ſed Regis fauorem quæſiui: hinc Dei gratiam amiſi, & Regis non acquiſiui.* Sed Alburquerquij hiſtoria huic inſtituto omnium opportuniſſima videtur dum eodemmet ductu, quo regiam gratiam, diuinâ poſthabitâ, fibi parate, fiue continere nititur, ab ea deturbatus eſt. Etenim, cùm apud Regem omnia poſſet, & pro fuo arbitratu Rempub. moderaretur, & velut arbitrum Regni ageret, quò fibi deuinctum Regem plus plus demereretur, Mariæ Padilliæ, quam domi apud fe habebat, amoribus implicauit. Quid inde? principem locum in regia gratia, poſtbabito Alburquerquio, Padilliæ propinqui occupatunt: illéque quòd facti pœnitens Regem ad nuptias vehementiùs vrgeret, inde ratus Padilliam non perinde ab eo amatam iri, Principi grauis, & inuiſus eſſe cœ-B pit Audi noſtrum Scriptorem lib. 16. cap. 17. *Nuptias maturandas Alburquerquius diſputabat, pro auctoritate temperare videbatur, conuitio nonnunquam: Padilliæ propinqui ac principem gratiæ locum occuparent, haud temere verebatur, dolebatq.: Rex patendi ſibi neceſſitatem imponi non ferebat, Padillia amoribus ager, & cuius annis ſeipſo ferocior, & Alburquerquius minori in gratia eſſe cœperat, vt ſæpe facinorum miniſtri, conſultoreſque quaſi exprobrantes aſpicimus. Inde illi caſus initium, eò minori populi miſeratione, quòd omnium, quæ perperam geſta erant, auctor eſſe credebatur*: Benè ergo à Salomone Regio Adminiſtro dicimus. *Time Deum fili mi, & Regem, & cum variantibus ne miſcearis. Quoniam repente veniet perditio eorum.*

Ribadeneyra in hiſtor. Angl. *Mariana.*

Ad eadem verba,

C

Nihil Regio familiari felicius, aut ad continendam Regiam gratiam opportunius quàm Dei causâ, & cum Deo periclitari.

ADNOTATIO X.

1 LIBENTIVS quidem his immoramur, quòd hoc in cardine fidei Deo feruatæ tota Regij familiaris felicitas, florenſque regiæ gratiæ ſtatus omnino vertatur. Quare iis quæ nuper diximus id modò addendum cenſemus, nihil eſſe omni ex parte adeò tutum, quàm periculum Dei causâ ſuſceptum, nihil pulchrius, & vtilius, quàm cum Deo periclitari, fiue (vt femel dixero) non antea regiam gratiam certam, & ſtabilem, & perpetuò duraturam cenſeri debere, quàm ob fidem Deo feruatam in diſcrimen venerit. Quam obrem altè in fe imbibat Regius familiaris egregium illum Paulini fenſum epiſtola 2. monentis. *S. Paulin.*
D *Victus verò vinces, ſi taſto cedas: euacuemur noſtris viribus, vt diuinis impleamur.* Quaſi viribus propriis pro iuſtitia, Deique cauſa cedere, & humanis præſidiis euacuari, perinde fit, ac diuinâ fortitudine, & potentiâ impleri. O pulchram & felicem conuerſionem! quâ debiles, fragiles, & nugaces hominis vires, cum Dei viribus, qui folo nutu poteſt totum terrarum orbem conuertere, & euertere: ac pacatiſſimum mare in turbolentum, turbulentum in pacatum reddere, commutantur. Non tam ergo Principum blanditiis, non propriæ induſtriæ atque fapientiæ, non amicorum, & affinium multitudini, quàm periculis, in quæ iuſtitia ipſum adduxit, Regio familiari fidendum eſt: cùm *Deus periculorum atque diſcriminum* (ipſo Gentili M. Tull. Tullio lib. 2. *de natura deorum* teſte) *fidus ac perpetuus comes ſit.*

2 Dixeris omnino hanc noſtro Regi cogitationem

nem ob oculos fuisse, cùm à Saülis cæde in spelunca delitescentis armatas manus cohibuit 1. Reg. 24. 7. quippe cùm in illas inermis & penè nudus & quasi iam constrictus Saül Rex incidisset: sociique Dauidis eum adhortarentur, & vehementiùs instarent, ne oblatam sibi regnandi occasionem abire sineret, sed molestum illud, & periculosum negotium vno veluti ictu transigeret, promissúmque sibi à Deo diadema propriâ manu sumeret, ipse placidus & sibi constans eorum monitis & precibus minimè acquieuit; sed hostem suum incolumem dimittere, & regnum à se tunc
1. Reg. 24. 7. temporis auolare maluit. *Dixitq; ad viros: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam rem hanc Domino meo, & confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt consurgerent in Saül.* Et verò vt egregium id facinus admiram, & penè diuinam Dauidis in præferocem hostem mansuetudinem, & charitatem à PP. & Interpretibus frequentiùs referatur. Gregorius tamen
Nyssen. Nyssenus Dauidis animum altiùs penetrans eò signatè reuocat, vt ille suæ tunc saluti, & regiæ felicitati à Deo sibi promissæ maiori prouidentiâ, & callidiori cogitatione consuluerit, sese videlicet propriis viribus euacuans, vt diuinis impleretur. Audi illum tractatu 2. in Psalmos, cap. 14. sic loquentem. *Non enim in casu, & interitu hostis tam præclarum Dauidis facinus consistit; sed in hoc potissimùm facti illius excellentia, & magnitudo posita est, quòd aduersarium ex periculo eripuit. Cui tantum fiducia erat, vt suam salutem niti nollet occasu, & interitu aduersariorum, sed saluis, viuisq; insidiatoribus sperabat se fore securum, quasi nemo esset, qui quidquam molestiæ inferret.* Obserua primùm illa *suam salutem niti nollet occasu, & interitu aduersariorum.* Planè quasi non satis firmiter, tutoque eâ ratione niteretur. Sed quare? fuissetne illi à mortuo Saüle aliquid subinde timendum? Non equidem opinor: nam, vt est in prouerbio, canis mortuus non mordet; cur ergo suam salutem aduersarium interitu niti nolebat? Planè quòd cùm ad continendam felicitatem non vnâ, sed multis manibus opus sit: vt illa tunc ea ex parte subsisteret, non ideò solidè & firmiter niteretur: nam è mortuo Saüle mille velut hydræ capita possent hostes pullulare, qui regnum ipsi è manibus extorquerent: at verò dũ sese viribus propriis euacuabat, & diuinis implebatur, cunctis periculis maiorem & superiorem sese reddebat. Sed illis etiam verbis Gregorij peculiaris inest epitasis, *Saluis, viuisq; insidiatoribus sperabat*, quasi ab ipsumet discrimine vires atque animos sumeret, minusque sibi ab hostibus viuis, quàm ab iisdem extinctis timendum esset, imò verò ab ipsismet insidiis, atque periculis totam felicitatem & regnum speraret: Deo tunc videlicet pro ipso apertè pugnante, eumque propriis euacuatum viribus diuinis implente.

3 Perstabat quidem in hoc etiam sensu idemmet Vates, cùm dicebat: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei*
Psal. 83. 10. *magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Psalm. 83. 10. vbi notanter in Hebræo est: *Elegi in limine do-*
Theodor. *Lect. Heb.* *mus Dei esse.* Quæ Theodoretus ibi sic euoluit: *malim in ea vel humi abiectus iacere, & ante ianuas illius volutari: quàm in magnis, & præclaris peccatorum domibus degere.* Sed enim, quod non immeritò posset ei quiuis obiicere. Quid? te ergo ipsum ita cũ temnes, atque ærumnis & morti conficiendum trades, vt omnibus siue æstus, siue frigoris iniuriis expositus, humi sub dio iacere velis? adeò non metuis perire? sic ipse statim occurrit. *Quoniam misericordiam, & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.* Quæ in Hebræo
Agellius. ita leguntur. *Quia Sol & scutum Deus*: vt dixerit Agellio interprete. *Nihil horum metuo: nam ille, cui seruio & Sol est, vt algentem calefaciat, & scutum seu protectio, vt à nimio Solis calore defendat, & iniuriam inimicorum arceat.* Planè

A quasi in ipso discrimine securitatem & salutem inuenturum, & nunquam se tutiorem & feliciorem futurum speret, quàm cùm Dei causâ in discrimen venerit: quòd tunc humanas vires cum diuinis commutet, & qui antea nudum, & inerme carnis brachiũ pro se habebat, postea Dei potentiam sibi commilitantem & opem afferentem habeat. Applaudit his
Chrysost. Chrysostomus hom. 8. in Matth. ad illa Angeli verba
Matth. 2. 13. ad Ioseph Matth. 2. 13. *Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi.* Opportunè obseruans, Angelum nequaquam tunc Mariæ, atque Ioseph, quod ipsius omnino munus erat, socium itineris, excubitorem, & subsidiarium militem sese obtulisse, vt præsentis discriminis articulus exigebat. Sed quare? Nonne opportuniùs in aduersis rebus Mariæ & Iosepho affuisset, qui in lætitia Natiuitatis pueri adfuerat? cùm oraculum fuerit, *Amicus certus in re incerta*
B *cernitur.* Respondet Chrysostomus, notanter quidem
Chrysost. tunc Angelum suum erga diuam Matrem & Iosephũ obsequium, & ministerium non fuisse pollicitum, ne omnimodæ securitati, quam ipsummet periculum, quod pueri causâ suscipiebant, illis dabat, aliquo modo derogare videretur. Audi illum: *Diligenter perpende quemadmodum cum humanitatis humilibus diuinitatis excelsa clarescant: nam cùm dixit Angelus,* Fuge in Ægyptũ, *nequaquam se socium itineris futurum esse pollicitus est, neque illuc scilicet euntibus, neque redeuntibus, proculdubio designans, maximo ipsius, propter quem fugiebant, paruuli esse munitos comitatu.* Egregiè, ac si diceret: Quid subsidiariis militibus opus erat iis, qui pro Deo periclitabantur, cùm suomet discrimine satis protecti, atque muniti essent. Quid enim securius, firmius, tutius, quàm ipso cum Deo periculum subire, eumque discriminis socium & comitem habere?

4 Non latuit id quidẽ ipsummet Ethnicum Re-
Daniel. gem Darium, qui vna ex parte Danielem ob regium
C decretum aspernatum in lacum leonum mitti iussit, ex alia ei in tam præsenti, & ad faciem omnino ineuitabili vitæ discrimine fidenter suggessit. *Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te:* quod perinde fuit, ac si diceret: Securus abi, qui potentiores vires pro te, quàm contra te habes: sed heus Rex! bona verba familiari tuo loqueris: & simul in fauces leonum proiicis? nonne melius fuisset verba in opera commutare, eique opem ferre? Hæc certè vestra, ô Principes, gratia, & indulgentia, hic vester benefaciendi mos est: sed cui, rogo, fundamento innixus, illum bene
Theodor. sperare inter leones iubes? Respondet pro eo Theodoretus. *Deus, cui seruis continuè, propter quem etiam meas leges aspernatus es, tuam pietatem remunerabitur, & à malis te opprimentibus liberandum curabit.* Hoc est, cùm Deum præ me timueris, & pro ipso in discrimen adductus sis, quomodo non ipse tibi opem laturus accurret? & diuinis cum humanis viribus concertantibus in-
D columis non abibis? Minimè quidem meo auxilio indiges, qui tuo discrimine protectus es. Et verò adeò id Regi persuasum fuit, vt statim os laci quod nullum habebat operculum allato prægrandi lapide obstrui iusserit, *quem obsignauit ipse annulo suo.* Sed quam ob rem *ne quid* (inquit Sacer textus) *fieret contra Daniel-*
Heb. Lect. *lem:* vbi maximè obseruanda est Hebræa Lectio, cuius
Maldon. Maldonatus & alij meminerunt, *ne mutaretur voluntas in Daniele.* Quod fuit dicere, ne Daniel in illum articulum deductus ad humana præsidia confugeret, & aut ipsis Satrapis, aut Regi morem gereret, atque à leonibus eripi flagitaret: vt Regis sensus fuerit: Dum perstes in contemnenda mea gratia præ Dei lege, & in discrimine eius causâ suscepto, securus quidem es. Verùm enimverò, non abs re dixerit nonnemo, hanc Regis Darij mentem gentilismũ potiùs, quàm fidele pectus sapere. Quid enim magnum fuerit Danieli saluum

saluum & incolumem è leonum faucibus euadere? A nonne ipsi maximè gloriosum fuisset, pro Dei lege, & fide in ipsum, illustrem martyrij palmam obtinere? & à leonibus velut magnus ille Ignatius Antiochenus, & plures alij incyti Christianæ Ecclesiæ Martyres dilacerari? Sed subsistit egregia, & quasi Christiana Regis mens, atque sententia, potiores partes bonæ Dei existimationi, quàm Danielis vtilitati dantis: quòd videlicet quamuis Danieli perutile, & gloriosum foret pro Deo tunc martyrium subire, è re tamen, siue è more Dei non esset, eum qui pro ipso periclitari, & viribus proptiis euacuari voluit, vt impleretur diuinis, saluum & incolumem non reddere, pulchrè id adnotante Tertulliano in Scorpiaco cap. 8. vbi cùm nihil illustrius, & gloriosius morte pro Deo tolerata sic adstruxisset: *siquidem honorata est apud illum mors religiosorum eius: vt canit Dauid Psalm. 115. versu. 15. non opinor ista communis & omnium debitum, at quum ista etiam ignominiosa est ex elogio transgressionis, & merito damnationis, sed illa, quæ in ipso aditur ex testimonio religionis, & prælio confessionis pro iustitia, & sacramento.* subinde cur tanto honore Daniel affectus non fuerit? rationem sic reddit. *Nam & Danielem nullius præter Dei supplicem, & idcirco à Chaldæis delatum, ac depostulatum statim vsque conclusa, & vsitato feritas leonum deuorasset, si Darij digna præsumptio de Deo falli debuisset.* Ac si diceret, erat quidem Danieli valde honorificum, atque gloriosum pro Deo mortem obire, at Deo gloriosum nõ fuisset, eum qui pro ipso in id discrimen venerat, ab hostium manibus non eruere, præsertim cùm ipsemet gentilis Rex de Dei prouidentia erga illum bene senserit, atque animum suum sic induxerit. Iam verò cùm in eum articulum deducta res est, vt hinc hominis gloria, illinc Dei honor, & existimatio concurrant, non dubium quin serui vtilitas Dei honori, & existimationi cedere debuerit: ne potiores, & valentiores ad nocendum seruo Dei humanæ vires, quàm diuinæ ad opem illis ferendum esse videantur.

Tertull.

Psal. 115. 15.

B

5 Erat sanè aliquando bonus Rex Ezechias ob C Religionem, & Dei cultum in summo vitæ, & rerum omnium discrimine à Rege Assyriorum obsessus, & ad extremam augustiam redactus: ideò metu & pauore concussus, hæc ad Isaiam Dei personam gerentem mandata detulit. *Dies tribulationis, & correptionis, quia venerunt filij vsque ad partum, & virtus non est pariendi,* Isaiæ cap. 37. vers. 3. & 6. vt diceret: En res nostras ad extremum discrimen deductas, in eo quippe hæremus, & laboramus statu, in quo mulier est, cùm partui iam vicina vires non habet ad edendum fœtum: lethalis quidem rerum facies, & miserrimus articulus! Cui Dei nomine sic respondit Vates: *Hæc dicit Dominus, ne timeas.* Pulcherrimè quidem, & omnino ad mentem dolentis; nam si attendis, eidem prorsus parturientis feminæ imagini insistens, Regem bene sperare, & ab ipso discrimine vires, & animos sumere iussit. Etenim vt mulierem in summo illo pariendi D discrimine opem eiulatu efflagitantem adstantes seriò adhortantur, ne timeat à graui illo dolore vinci, sed enitatur, & fortiter se gerat, quippe in eo nixu tota illius salus vertitur: quòd ipsemet fœtus, qui illam in eas vitæ angustias redegit, is vnus si in lucem edatur, ab illis sit eam liberaturus: ita Regi Dei causâ periclitanti dixisse visus est Vates: *Ne timeas,* sed fortiter, & viriliter spera: Dei enim causa, quæ te in id discrimen velut fœtus parturientem adduxit, ipsamet, & à periculo vendicatura, & salutem, & gaudium allatura est. Scitè hac de re Philo libro de Ioseph. *Hi sunt euentus proborum: nam etiamsi proclinantur, tamen non corruunt, sed erecti stant firmiter, quin supplantari queunt.* Sed quidem vt hi plurimi eneruis sunt, ita hæc illa omnino sapien-

Isai. 37. 3. & 6.

Philo.

sia est, quam *non intuitus est oculus vulturis* (Iob cap. 28. vers. 7.) siue carnalis, & politica prudentia, dum non nisi iis, quæ sub aspectum cadunt inhærens bene de Deo sperare non didicit. Vnde frequentiùs Aulicis, & regiis familiaribus is mos, is sensus est, vt Deum tantummodo ad irritandum, & asperandum Principis animum, non autem ad illum placandum, & deliniendum potentem considerent, quasi Dei potentia ad instar sit radiorum Solis mensis Martij, qui inde exitiales habentur, quòd vapores ciere, & excitare valeant, non verò dissipare, atque consumere. Vis videre? Audi ergo politicos illos à quibus suum ebibit spiritum Machiabellus, qui vt ipsammet innocentiam, ac iustitiam extinguerent, sic secum ratiocinabantur. *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* Ioann. cap. 11. vers. 47. Vides, vt Deum potentem concipiant ad commouendum Romanos non itidem ad eos placandos? At, ô boni, si hic homo multa signa facit, ob quæ Romanos in vos insurrecturos timetis: cur non eadem ratione ducti, multo plura ipsum effecturum speratis, quibus illos iam commotos, placidos, & sedatos reddat?

Iob 28. 7.

Ioan. 11. 47.

6 Nec ab hoc Machiabelli sensu longiùs ire videbantur nonnulli ex ipsimet Christi Domini cognatis, qui quòd ipse dæmones expelleret, egregiaque patraret miracula, à quibus turba in eius cultum, & amorem mirè raperetur. *Exierunt* (inquit Marcus cap. 3. vers. 21.) *tenere eum: dicebant enim: Quoniam in furorem versus est.* Sed quæ rogo insaniæ signa vidistis? Quid miraculis, & furoris? insanus insana loquitur, insana facit: Christus verò Dominus & verba, & opera salutis edit. Vnde ergo furentem coniicitis? Alia planè eorum mens, alius ipsorum sensus erat: nec enim homines non omnino furentes, & qui Dominum intus, & in cute nouerans, illum furere credidissent, sed quæ eorum calliditas & ratio status erat, se id credere simulabant, ne apud Pharisæos illi insensos, aut apud concitatam populi multitudinem grauiter offenderent, & eius causâ in discrimen venirent: scitè id inibi coniectante Patre Maldonato ad ea Marci verba hunc in modum: *Ne quid sibi ab odio incensis Pharisæis, aut à concitata tumultuosa multitudine periculi crearetur.* Eo politicos de facie notos, qui præterquam quod ratione status cuncta metiuntur, tam malè, tam iniquè, tam infeliciter de Deo sentiunt, atque contrectant, vt nullam ei potentiam nisi ad perdendum, & in discrimina adducendum assignent: ideò apud Principem nihil de Religione, nihil de publica salute differunt, nec veritatem, & quæ recta sunt, si à gustu Principis deflectant, proponere audent. Sed ô prophane, ô insipiens! qui Dei causâ periclitari times, eumque ad irritandum Principis tui animum non itidem ad placandum potentem confingis: nonne æquè ad vtrumque: *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Dei est, & quocumque voluerit inclinabit illud.* Prouerb. 21. vers. 1. vbi Septuaginta signatè *sicut impetus aquæ:* vt ostendant Principis animum pro Dei nutu non vtcumque, sed cum impetu, & ardore ad benefaciendum fore inclinandum: vti Assuerum antea terribilem, postmodum sedatissimum benignissimè vxorem Esther demulcentem vides Esther. 15. vers. 11. sic enim ibi. *Cumque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, conuertit Deus spiritum Regis in mansuetudinem, & festinus, ac metuens exiliuit de solio, & sustentans eam vlnis suis, his verbis blandiebatur, &c.*

Marc. 3. 21.

Maldon.

Prou. 21. 1. LXX.

Esther. 15. 11.

AD

Ad eadem verba,

Eximia sapientia Regis Administri opus esse, Dei causâ in discrimen venire.

ADNOTATIO XI.

1 ADVOCO hîc Chaldæi lectionem cuius præced. adnotat. meminimus, quæ *mutatores* illos Regem priùs, quàm Deum timentes *stultos* appellauit: errant quippe illi à felicitatis scopo, quem sibi proponunt, & vehementer errant. Nam si saperent, adeò non timerent pro Deo in discrimen venire, vt suam id putarent occasionem, & dato pretio illam emere contenderent. Audi Dominum discipulos suos sic monentem. *Sed nunc qui habet sacculum, tollat; similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, &*
Luc. 22. 36. *emat gladium.* Lucæ cap. 22. vers. 36. Siue, vt est in le-
Lect. Syri. ctione Syriaca, *comparet sibi gladium*: sed quid sibi velit atque adumbret is gladius tanti emendus à discipulis, & *sibi* ipsis tanquam quid pretiosissimum, & maximè necessarium comparandus? Dixerim planè, gladium spiritus, qui dum carnalem tunicam, & sæcularia consilia resecat, Dei seruum in discrimen rerum temporalium videtur adducere, ita penè hæc expli-
Phil. Carp. cante Philone Carpatio ad id Cantic. cap. 5. vers. 3.
Cant. 5. 3. *Exui me tunicâ meâ.* his verbis: *de qua tunica exuenda monet Sponsum*, qui habet tunicam, vendat eam, & emat gladium: *hoc est despiciat sæculi caduca, & peritura, & emat spiritum: hic est ille idem gladius de quo dicitur*, & gla-
Ephes. 6. 17. dium spiritus, ad Ephes. 6. 17. Emendus ergo, & commotandus cum ipsamet tunica, aut pallio is gladius, siue hoc discrimen est, cùm ab eo perfecta felicitatis securitas, atque tranquillitas aduenit. Nimirum, vt omnino quod res est, dicamus, nunquam Regia gratia, sicut nec quæuis alia temporalia bona, certa & secura erunt, atque à suo possessore firmiter tenebuntur, nisi priùs Dei causâ sub ictum huius gladij venerint: semel verò in discrimen adducta, firma, stabilia, & casui minimè obnoxia perpetuò subsistent. Quam quidem cogitationem opportunè nobis imprimis Abrahami historia confirmat: via enim ei Deus promissum, & conuentum iureiurando firmatum effecerat, in semine filij sui Isaac illustre ipsius nomen
Gen. 17. 19. perpetuò futurum Genes. cap. 17. vers. 19. & cap. 21. vers. 12. cùm ei serió præcepit, vt ipsummet filium sibi immolaret. *Tolle inquit filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres illum mihi in holo-*
Gen. 22. 2. *caustum*, Genes. cap. 22. vers. 2. Sed quæ hæc, inquis, constantia promissi, & fides est? deinde quî hæc inter se hærere possint, *in Isaac vocabitur tibi semen*, & *offer illum mihi in holocaustum*: tandem verò quot fluctibus cogitationum paternum immanimum confusum cre-
D
Origen. dis? Bene hæc sic expendente Origene homil. 8. in Genesim. *Per triduum ambulat Abraham, vt per totam viam cogitationibus discerpatur, hinc vrgente præcepto, illinc filij affectu reluctante, vt per omnia hæc spatium certaminis accipiant hinc affectus, inde fidei; hinc amor Dei, inde amor carnis, hinc præsentium gratia, inde futurorũ expectatio.* Verumenimverò adeò ipse imposito sibi oneri non succubuit, vt potiùs occasionem suam putauerit, gladiũ tunicâ emere, vt filium suum dum nõ seruat, saluum, & incolumẽ perpetuò seruaret, & omnino parceret non parcendo. Vnde notanter ibi vers. 10. dicitur: *Extenditq́; manum, & arripuit gladium*: planè quasi ipsimet discrimini innixus, & inhærens *in spem contra spem*
Basil. Sel. *crederet*: sed hæc audi potiùs à PP. Basil. Seleuciensi, &
Zeno M. Zenone M. Sic ergo primũ Basilius orat. 7. de Abraham. *O spectaculum formidandum! Amor in prolem Deiq́; dilectio iudicio contendunt, & iudex ensifer instat Abrahamum, ac ense ius dicit, victoriamq́; Dei dilectioni tribuit, con-*
A *signat sanguine testemq́; victoria sacrificium facit.* Elegantissimè quidem totum iuris, & iudiciorum ordinem, verbaque commemorans Basilius, vt ostendat, non cæco mentis impetu, sed magno iudicio in illud discrimen Abrahamum venisse, quòd inde quasi ex pacto conuento suæ felicitatis firmitatem esset obtenturus: ideò signatè ait: *ense ius dicit*, sed cui (inquis) ius dicit? Planè & Deo & sibi; Deo quidem, omnino professus, se eius causâ charissimo filio minimè parcere, sed morti libenter offerre: sibi autem dum ab eo discrimine optimo merito non modò filij salutem & vitam, sed innumerabilem filiorum sobolem per longissimam sæculorum seriem duraturam pollicetur.

2 Iam Angelus hæc Dei nomine, ac si iudicio fisteretur, ita signatè firmat. *Per memetipsum iuraui, dicit* Gen. 22. 16.
Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore ma-
B *ris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Vt omnino dixerit, iisdem explicante Basilio. *Vnius filij nullam rationem duxisti, orbis terrarum pater esto.* Sed hæc luculenter diffundit Zeno serm. 3. de Abraham: vbi cùm dixisset. *Igitur Isaac vnicus filius, spes populorum, & gentium, origo tot rerum, chari genitoris amplexibus inhærebat*: postmodum cùm Abraham gladium arripientem facit, subdit, *Patris erat quòd leuauit, Dei fuit, quòd pepercit.* Sed quomodo *patris erat* gladium stringere? id enim non patris, sed serui Dei paternum animum exuentis erat: vti idemmet Zeno serm. 1. dixerat. *O qui seruum* Zeno M.
Domini ita se esse meminerat, vt patrem se esse nesciret. Subsistit tamen Zenonis locutio, atque sententia tum omnino Abrahamum indulgentissimum filij sui patrem facientis, cùm maximè seruum Domini se exhi-
C buit: vnde subdit *meliùs seruauit filium, dum non pepercit*, planè quòd si ipse Dei iussis posthabitis filio pepercisset, nequaquam ipsum imposterùm securè seruasset: ideò patris erat quòd leuauit: vnde iterum, *ideò Isaac sibi dulcissimum filium Deo victimam dulciorem contemnit, vt seruet, destinat iugulare, ne iugulet.* Iam verò Origenes, & Bernardus hæc omnia nostris omnino vsibus accommodant. Etenim ille præfata homil. 8. in Genes. cùm dixisset: *Quis vestrûm putas audiet aliquando vocem Angeli dicentis*: Nunc cognoui, quia tu times Deum, quia non pepercisti filio tuo, *vel filia tua, vel vxori: aut non pepercisti pecuniæ, vel honoribus sæculi, & ambitionibus mundi, sed omnia contempsisti, & omnia duxisti stercora, vt Christum lucrifaceres*: post nonnulla hærens voci *Isaac*, quæ interpretatur *gaudium*, sic sapienter ait: *istud gaudium offeras in sacrificium Deo: cùm enim lætus accesseris ad Deum, iterum tibi reddit quod obtuleris, & dicit tibi*: quia iterum videbitis me, & gaudebit cor vestrũ,
D & gaudium vestrum nemo auferet à vobis. *Sic ergo quæ obtuleris Deo, multiplicata recipies.* Pergit verò Ori- Origen.
genes atque hæc cum parabola seruorum Domino
negotiantium de qua apud Matth. 25. 14. acutè com- Matt. 25. 14.
ponens, ait. *Sic ergo videmur quidem Domino negotiari, sed nobis cedunt negotiationis lucra, & videmur offerre Domino hostias, sed nobis quæ offerimus redonantur. Deus enim nullius indiget, sed nos vult diuites esse.* Sic ille. Quem egregiè imitatus Bernardus in Declamationibus, hæc regis familiaribus opportunissima inquit. *Et tu igitur si* Bernard.
vocem Domini audieris intus in animo, & dicatur tibi vt offeras Isaac, tuum quodcumque est gaudium, immoles Deo: fideliter & constanter obedire ne timeas. Nunc autem (quidquid affectio propria indicet) securus esto: non Isaac, sed aries morietur. tentat te enim Dominus Deus tuus, nec mactabitur Isaac vt opinaris: viuens viuet, sed eleuatus est vtique super ligna, vt in sublime gaudeat. Pulchrè illud. *Nunc autem securus esto*: sanè quòd quidquid propter Deum in discrimen

venit, inde in posterum securitatem, ac durationem accipiat, & fortunæ casibus exemptum sit. Porrò, & si antea Abrahamo fuisset à Domino promissum, *in Isaac vocabitur tibi semen*, at nonnisi postquam ille Dei causâ vitæ discrimen subiuit, dictum de eo est *possidebit semen tuum portas inimicorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, quibus & egregiæ de hostibus victoriæ, & cumulatissimæ felicitatis benedictiones significantur. Quod non priùs secura & certò duratura felicitas fuerit, quàm sub discriminis gladium Dei causâ venerit.

3 Sed hanc cogitationem in ipsamet regia gratia expressam, subsistentem vide. Equidem cùm Ioseph à Deo per somnia didicisset, magnum Principem futurum, non immeritò felicem hunc euentum sperare tunc potuit, cùm in Ægypto apud herum suum Putiphar, qui erat ex proceribus Pharaonis, & Princeps exercitus eius, gratiâ plurimum valuisse sic dicitur Genes. 39. 4. *Inuenitq; Ioseph gratiam coram Domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum.* Nimirum ab hoc gradu ad gratiam Pharaonis non importunè ascendisset, cùm is potentium Aulicorum mos sit, non alios, quàm maximè fidos sibi familiares ad Principem suum introducere, vt gratiâ apud illum valeant, vti de Sejano Tiberij familiari inquit Tacitus lib. 5. Annalium. *Vt Sejano quisquam intimus, ita ad Cæsaris amicitiam validus.* At enim vt nihil minus, quàm ei tunc regia gratia obtigit, quippe ab impura domina ad adulterium pellectus, quod operi nefario non acquieuerit, in carcerem detrusus est; ita à carceris ærumnis ad destinatum sibi Principatum velut à *remo ad tribunal* euectus est. Quod si inquiras, cur diuina Prouidentia patente viâ (vt est in Prouerbio) quæsiuit semitam? & quæ priùs à gratia Putiphar in Pharaonis gratiam facilè transferre potuit, non nisi per longissimas ambages ad intimam Principis amicitiam deducere voluerit? Respondebimus, non æquè certam atque securam patentem illam viam, ac istam semitam fuisse, quòd hæc ipsi à discrimine, quod Dei causâ subiuit, omnino aduenerit, atque ideò tuta, firma, & perpetuò duratura fuerit. Audi Ambrosium lib. de Ioseph, dum eum impuræ heræ obsistentem facit. *Quin etiam cùm ambiret mulier, obsecraret etiam, metu proditionis vel amoris sui lachrymas funderet ad extorquendi necessitatem, nec misericordiâ flexus ad flagitij consensum, nec coactus metu, aut precibus restitit, nec minùs cessit: præponens præmiis periculosam honestatem, quàm turpem renuntiationem casto pudori.* Obserua illa, *præponens præmiis periculosam honestatem*, vt videris à periculosa honestate certiorem, & tutiorem Principis gratiam obuenire, eaque ratione à prudenti Regis familiari omnibus præmiis fore præferendam.

4 Nec pigebit in hac florenti fortuna Iosephi ad rem nostram adnotare, cuncta ob quæ ipse Dei causâ in discrimen venit, postea ipsum velut manu ad felicitatem, & felicitatis incrementum deduxisse. Nam si attendis, vt ob somnia à Deo illi immissa neci primùm vicinus, deinde in seruum venditus est, necnon ob faciei decorem, quo illum Deus honestauit, ab impura hera amatus, in carcerem tandem, & mille ærumnas coniicitur; ita ad regiam Pharaonis gratiam per somnia, siue somniorum interpretationem peruenit, & Prorex Ægypti factus, non tam ob Principis gratiam, quàm ob ingentem speciem omnium oculis dominabatur. Sed explicemus hæc paullulum: erat ille in carcere tam propter somnia, quàm propter decorem in quo hera naufragium fecerat: cùm ecce tibi duo Pharaonis ministri qui indidem asseruabantur, *viderunt ambo somnium*, nocte vna, cumque graui afficerentur tristitiâ, quòd somniorum interpretem non haberent, dixit ad eos Ioseph. *Numquid non Dei est interpretatio? referte mihi quod videritis.* Sed heus ô bone! Adeò tibi proficua, & salutaria somnia fuêre, vt iis rursus te committas, & ipsorum interpretem agere velis? Nonne hæc tibi fratrum odium, seruitutem, & carcerem pepererunt? quid iam ab illis nisi crucem speras? fuge ergo vel somniorum nomen: nec dormire velis, ne somnia tibi contingant. At enimverò alia multò sapientior Iosepho mens, altior ipsi de Dei prouidentia opinio, & sensus; nimirum qui propter somnia à Deo ipsi iniecta in discrimen venerat, à somniis salutem, & felicitatem prudenter sperabat: sic omnino animum inducens, somnia Dei causâ in summam miseriam me adduxerunt, somnia itidem necessariâ ratione ad summum felicitatis fastigium euectura sunt. Macte egregie, & prudentissime Aulice: fortior quidem tibi Deus in somnis, siue à te somniatus erit, quàm mundus totâ regnorum suorum fortunâ, totis armorum, & præsidiorum suorum munimentis subnixus. Iam de eximio ipsius decore, quo postea omnium oculos, & animos rapiebat, audi ipsiusmet parentem Genes. 49. 22. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu, filiæ discurrerunt super murum:* vbi obserua in Hebræo esse: *Decorus super oculos*, in Græco *Desiderabilis*: vt dixerit Iacob, vt à Lippomano, & Caietano interpretatur Cornelius: *Ita pulcher erat, vt dominaretur oculis intuentium, eosq; in sui amorem raperet*: eaque ratione omnes *super muros domorum, & vrbium discurrerent, vt viderent tam formosum iuuenem, cultu regio insignem quasi patriæ mundiq; saluatorem, & vt vicissim ab ipso viderentur.* En discriminis pro Deo suscepti exitum.

5 Concludam, si ex Ionæ historia ostendero quid hinc humana omnia præsidia, quid illinc maxima quæque pericula Dei causâ suscepta ad salutem, & felicitatem valeant: ipse siquidem primùm cùm politicis status rationibus potiùs, quàm diuinis consiliis acquiescens, *à facie Dei* fugiens, instructam atque ornatam nauim peritis vectoribus regendam, fidos nautas, & socios sibi parasset; itidemque pacatum, ac tranquillum mare, ventos secundos, & pro itineris opportunitate spirantes reperisset, felicem, & tranquillam nanigationem omnino sibi pollicitus est. Verumenimverò qui Deum auspicem non habebat, illico sensit exagitatos fluctus, turbidum & procellosum mare, ventos aduersos, & sæuos, & ab iis vehementem tempestatem, eosquemet nautas quibus dato antè pretio crediderat, adeò infidos, vt ab illis in mare tandem deiectus fuerit. En quanti fuerit Ionæ, vt Dei iussa, ita eius prouidentiam contemnere, & in humana auxilia spem salutis contulisse. Iam verò qui in ipsismet vitæ præsidiis naufragium fecit, cùm subinde, Deo sibi per pœnitentiam conciliato, sub eius curam susceptus est, summam securitatem in summo discrimine reperit, quippe *præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam, & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.* Ionæ cap. 2. vers. 1. Potuitne adeò immane, atque præsens periculum excogitari, quàm hominem à marino monstro hiantibus faucibus excipi, & in stomachum, qui calidissimus erat, tanquam in feruentem lebetem coquendum iniici? *At enim nihil* (Theophylactus ibi) *damni passus à ceto Vates, sed veluti pro domo ceto vsus, neque corporis, neque mentis iacturâ factâ, Dei præsentem opem sentit.* Pende illud, *pro domo ceto vsus*, id est, periculo pro securitate. Ad quem modum Hieronymus ibi inquit. *Et animaduertendum, quod vbi interitus putabatur, ibi custodia fit.* Planè quasi ipsum discrimen, cui nos Deus exponit, vitæ custodia fuerit, ac salutis munimentum, immò verò firmissimũ aduersus omnia alia discrimina præsidiũ.

6 Habet verò peculiarem epitasim, quod indidẽ

Theo-

Gen. 39. 4. — Corn. Tac. — Ambros. — Gen. 40. 8. — Gen. 49. 22. — Lippomã. Caiet. Cornel. — Iona. 1. 3. — Iona. 2. 1. — Theophyl. — Hieron.

Theophyl. Theophylactos ex Græcorum fabulis sic commemorat. *Apud Græcos nonnihil tale de Hercule narratur, nempe quod & ipse à balæna deuoratus, incolumis remanserit, nisi quod tantummodo depilatus redierit, idq; ob ingnitam, & internam belluæ caliditatem.* Vt videtis, quàm alius fuerit euentus, cùm Dei causâ periculum suscipitur: nam vbi ipsemet Hercules depilatus euadit, Ionæ quidem nec vnus de capite capillus perit, sicuti suis Dei Filius sic promisit: Lucæ cap. 21. vers. 18. *Luca 21. 18.* *Et capillus de capite vestro non peribit.* Nimirum vbi interitus putatur, ibi custodia, & domus, & connaturalis ad quiescendum locus est. Quare rursum obseruo non ingratis hac in historia tam ab ipso Vate, quàm à Domino Matthæi cap. 12. vers. 40. *Matt. 12. 40.* ventris ceti peculiarem mentionem fieri: imò verò ab Hebræorum doctissimis ex ipsius vocabuli terminatione, quæ est feminina, affirmari, cetum femininam, eamque fœtam fuisse, vt vel hinc appareat Ionam, secus quidem atque Herculem, à balæna depilatum non euasisse, B quòd ipse Dei ope non aliter in eius ventre fuerit, quàm germanus eius fœtus, qui nullam ab illius caliditate, siue humiditate læsionem accepit, id quod videtur attigisse Theophylactus, *Theophyl.* dum subdit. *Deinde hic consideranda sunt, quæ circa in vtero materno fœtum, miranda contingant: vbi fœtus naturali quidem innatat humiditati, estq; veluti absorptus prægnantis aluo: viuit tamen, & conseruatur Dei nutu, & consilio.* Ergo vt fœtui nullus opportunior, tutior, atque salubrior locus, quàm matris vterus, à quo domum, custodiam, salutem, & vitam habet; ita Dei negotium agenti, & pro ipso periclitanti, ipsummet periculum salus est, & protectio, & munimentum. Dixit hæc omnia vnico hoc verbo S. Zeno Veronensis M. *Zeno M.* sermone de Iona tomo 2. Biblior. Veterum Patrũ, *à ligno ad vitale nauigium transfertur*: vt qui à Deo fugiens, & mundi præsidiis adhærens ligneam, siue nullam sensit opem, in periculo Dei causâ suscepto salutem, vitam, & materna viscera inuenerit.

Ad ea verba,

Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.

Regium familiarem adeò submissè, atque modestè cum suo Principe agere debere; vt quò plus emeruerit, hoc præsumat minus.

ADNOTATIO XII.

1 NEc fuerim quidem contentus, si ex Dei tantùm timore firmam Principis gratiam, & tutam viam Regio Administro assignauerim, nisi etiam peculiares rationes quibus, & illa tenaciùs retineatur, D & optimus Principis familiaris ipsum sibi plus plus demereri, & deuincire haud difficilè possit. Sanè vt Principum cogitationes (vt adnot. 5. num. 7. vidimus) eædem sint cum vi ventorum, qui quò vadant, aut vnde veniant nesciunt, at enimverò ars ingeniumque, Deo præsertim auspice, ad omnia valent: & ventos ipsos siue rapidos, siue furentes doctè, & peritè quà volunt, ducunt; flectuntque: nimirum vt opportunè dixit Cassiodorus *Cassiod.* lib. 7. epistol. 23. *Arte placandi sunt, qui mores afferunt simillimos ventis, quorum nisi prius animi temperentur, in contemptum maximum natiuâ facilitate prosiliunt.* Ita quidem sapienter à Quinto Curtio *Q. Curtius.* lib. 8. dictum est. *Regum, Ducumq; clementia non ipsorum modò, sed etiam in illorum, qui parent, ingeniis sita est: obsequio mitigantur imperia.* Quod Iulij Agricolæ soceri sui exemplo, atrox, præcepsque in iram Domitiani Imperatoris ingenium demulcentis, ac mitigantis, sic firmat Cornelius Tacitus, in Iulij Agricolæ vita. *Corn. Tac.* *Proprium humanæ ingenij est, odisse quem læseris: Domitiani verò natura præceps in iram, & quò obscurior, eò irreuocabilior, moderatione tamen, prudentiaq; Agricolæ leniebatur, quia non contumaciâ, neque inani iactatione libertatis famam, fatumq; prouocabat.* Vnde non abs re ad præsens institutum subiicit. *Sciant quibus moris illicita mirari, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse: obsequiumq;, ac modestiam, si industria, ac vigor adsint, eò laudis excedere, quò pleriq; per abrupta, sed in nullum reip. vsum ambitiosa morte inclaruerunt.* Hæc ex Tacito.

2 Iam vt ad rem, siue ad artem accedamus, egregiè visus est monuisse Tertullianus *Tertull.* libro *de Patientia* cap. 4. *Artificium promerendi, obsequium est: obsequij verò disciplina, morigera subiectio est.* Sed illam quidem gratissimam Principi subiectionem dixeris, quâ eius familiaris *oculo non superbo, aut corde insatiabili*: sed demissis B oculis, modestissimo scilicet, & valde submisso animo regiam gratiam, & benignitatem excipit: vt id prudentis Administri ingenium, & character fuerit, quantò humaniùs, atque benigniùs à suo Principe fuerit tractatus, tanto ipsum submissiùs, atque humiliùs verbis, operibus, ac cogitatione ipsa cum illo se gerere. Nec aliunde quidem quàm à cælestium spirituum sapientia videris id monitum dimanasse. Etenim cùm illustris Dei species in sua maiestate, & gloria Isaiæ oculis obiecta est, sic duos Seraphinos (*qui videlicet cæteris* supernis spiritibus, vt inquit S. Laurent. Iustin. *S. Laurēt.* libro de casto connub. Verbi, & animæ cap. 16. *Longè eminent in amore, & gratia perfectione*) Domino iuxta ipsummet solium adsistere obseruauit, vt duabus alis propriam obuelarent faciem. *Vidi* (inquit) *Dominum sedentem solium super excelsum, & eleuatum. Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius.* *Isai. 6. 1.* Vbi tam Hebræa, quàm LXX. & plures è C Patribus legunt *velabant faciem suam.* Mirus quidem adstantium ministrorum, siue intimorum familiariũ habitus faciem suam obtegentium! Quid? Adlegat vos, ô cælestes mentes, Dominus in intimos amicos, & consiliarios, immò & solij participes vos facit; & cùm humanissimam ad vos faciem conuertit, propriam vos faciem trementium reorum more obuelatis? Quid aliud rogo ageretis, si illum videretis iratum, atque implacabilem? Ecce enim illi, qui in summa desperatione esse dicuntur, petras, & montes, vt ipsorum facies operiant, sic obnixè rogant: *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.* Apocal. cap. 6. vers. 16. *Apoc. 6. 16.* Quæ ergo ratio fuerit, ob quam toti diuinæ humanitati, benignitati, & liberalitati obiecti, & in intimam amicitiam vocati purissimam faciem obtegatis? Respondet Chrysost. *Chrysost.* hom. 3. de incomprehensibili Dei natura: *Quod indulgentiam, & condescensionem eius non ferant.* Sapientissimè illi D quidem, vt ostendant quod alicubi dixit Tertullian. *Tertull.* *Bonorum æquè ac malorum intolerabilem magnitudinem esse*: eamque bonarum mentium naturam, immò & impositam ipsis legem, vt quò humaniùs, & affabiliùs, siue à Deo, siue à Principibus tractantur, eò submissiùs, & modestiùs cum illis agant, quasi eorum condescensum, & suauissimam affabilitatem non minùs, quàm summam austeritatem, & iratum vultum revereantur, ac timeant.

3 At qui tandem ij adstantes ministri faciem suam obuelantes fuerint? Non alij quidẽ quàm Seraphim, supremi scilicet spiritus, qui omnibus summæ perfectionis numeris absolutissimi, vel ipsomet nomine esse dicuntur: sic enim sanctus Laurentius Iustinianus *S. Laurēt.* libro de casto connubio Verbi, & animæ cap. 16. *Meritò Seraphim appellantur videlicet incendium, quia tantâ inardescunt charitatis flammâ, vt non amantes modò, sed ipse*

(*ſi fas eſt*) *dici poßint, amor.* Quæ ita diffundit ad id loci *Cornelius.* Pater Cornelius à Lapide. *Seraphim eſt vox Hebræa à radice* Saraph, *id eſt*, accendit, vſsit. *Inde Seraphim dicuntur quaſi ardentes, & incendentes ob ſubſtantiam ſuorum, primò puriſsimam, & macula omni expertem; ſecundò peruigilem; tertiò mirè excitatam; quartò agiliſsimam; quintò vi, & efficacia ſingulari præditam; ſextò ſplendentem inſtar ignis; ſeptimò, & maximè ob charitatis ardorem, quæ eſt ſummum bonum, & beatitudo:* vt videris, cæleſtes adminiſtros quò aliis perfectiores, & maioribus donis, ac dotibus inſtructos, quique Deo proximiores, lucis diuinæ illuſtrationem, & ardorem magis immediatè recipiunt, eò coram ipſo modeſtiores, & humiliores eſſe, propriis meritis nihil tribuentes, & gratiam, quâ valent, quaſi diſſimulantes: eique, vt certius fidant, quodammodo diffidentes: dixit enim pulchrè Hilarius in Pſalm. 14. *Hilarius.* *Diffidentia validiſsima fiducia cuſtos eſt.* Dicetis quidem omnino ebibitum hunc cæleſtium ſpirituum ſenſum à ſancto illo Henoch, quem eximium Dei amicum, & familiarem fuiſſe inquit Moyſes his verbis: *Ambulauit cum Deo*, Geneſ. cap. 5. verſ. 24. *Gen. 5. 24. Lect. Hebr.* etenim hæc verba bifariam ex Hebræo legere poſſis; vno modo, *contendit curâ, & ſtudio Deum gratum habere ſibi*, altero modo: *applicabat ſeſe poſt Deum*: hoc eſt, minimè gratiæ, & familiaritati nitebatur, vt cultui, & reuerentiæ aliquo modo deeſſet, & paſſibus æquis cum Domino incederet, imò verò tanto fauori quaſi diffidebat, ſiue ſubtrahebat ſe eius magnitudinem non ferens. O pulchrum quidem præualendi modum! dum regius familiaris hinc meritis, & obſequiis Principi ſeſe propiùs admouet, illinc cultu, & reuerentiâ pedem refert, & eius indulgentiæ, & condeſcenſui imparem ſe agnoſcit, & profitetur. Non ibat ſanè ab iis Senarius ille Theodorici Regis egregius Adminiſter, & intimus familiaris, qui egregiis naturæ, & animi dotibus ornatus, & omnibus penè pro ſuo Principe officiis functus, ſummam ſemper coram Rege modeſtiam, & humilitatem coluit, ipſomet Principe atteſtante apud Caſſiodor. l. 4. var. *Caſſiod.* epiſt. 4. vbi cùm de eius virtutibus hæc primùm dixiſſet. *In ipſa quippe adoleſcentiæ flore palatia noſtra meritis maturus intrauit, & quod robuſtas quoque fatigat ætates, nullo deceptus nouitatis errore, ad imperantis conuerſus arbitrium, effectum bonarum præſtitit iuſsionum, nunc ad colloquia dignus, nunc ad exceptiones aptiſsimus, frequenter & in legationis honorem electus cuius multiplex meritum incertum apud nos reddebat officium. Non enim vnius loci vir debet dici, à quo multa videntur impleri.* Subiicit opportunè: *Sed has ampliùs commendabat humilitas, quæ tam clara, quàm rara eſt. Nouum eſt enim ſub amore Principis cuſtodire modeſtiam, quia gaudia ſemper animos inquietant: modum enim rarò lætis rebus imponunt, qui magis in triſtibus inueniuntur.* En ſapientem Regis adminiſtrum tum ſub amore Principis, tum etiam egregiarum virtutum ſplendore ornatum humilitatem, & modeſtiam cuſtodientem, ac proinde peculiari ratione ipſimet Principi commendabilem, longeque gratiorem.

4 Ille verò cæleſti paſſu hæc ſupernorum ſpirituum veſtigia preſſit, qui vt non naturâ, diuinis tamen moribus, & officio Angelus meritò dictus eſt, Matth. cap. 11. verſ. 10. *Matt. 11. 10.* Etenim cùm ad Ioannem omnium Dominus veniſſet, hunc illius gloriæ, & laudibus cumulum collaturus, vt ab eo baptiſmum acciperet, ipſe tanto muneri, tantæ indulgentiæ, ac dignationi ſeſe omnino imparem agnoſcens, tanto niſu, tantaque contentione eius dignitatis faſtigium declinabat, & à ſe quamlongiſſimè remouebat, vt humilitati penitùs addictus, humilitatis fines egredi, & imperiũ ſibi ſumere videretur: ſic enim Matthæus cap. 3. verſ. 14. *Matt. 3. 14.* *Ioannes autem prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Obſerua illud *prohibebat eum*, quod non tam petentis, aut monentis, quàm obnitentis cum auctoritate, & imperio eſſe videtur. Tantæ videlicet ſunt humilitatis vires, ac nerui: tantaque fortitudine honoris magnitudinem Ioannes recuſauit. Se deinde mentem ſic pulcherrimè expreſſit S. Gregor. *Greg. Thaumat.* Thaumaturgus peculiari oratione in ſancta Theophania, ſeu de Dei apparitione. *Quid agis, ô Domine? cur rerum immutas ordinem? Quorſum cum ſerui ea quæ ſeruorum ſunt, à ſeruo tuo quæris? Cur tam magnâ indulgentiâ, atque humilitate me famulum tuum grauas?* Egregiè indulgentiæ id pondus, atque grauamen tribuens, quod humeri ferre non valeant, & portare recuſent. Vnde poſt nonnulla, occaſione illorum verborum, *Tu venis ad me?* ſic rurſum in eandem ſententiam Ioannem loquentem facit Gregorius. *Tu qui tantus es ad talem? Rex ad præcurſorem? Dominus ad ſeruum? Sed quamuis tu in humilibus humanitatis modis naſci non erubueris, ego tamen naturæ terminos præterire non poſſum.* Aptet iam hæc ſibi prudens Regis familiaris, qui ſe à ſuo Principe nimiũ honorari animaduertit. Credat nimirum condeſcenſum atque indulgentiam ingens eſſe pondus, cui ſuæ vires ſuppares eſſe non poſſint: credat naturæ terminos omnino præteriri, cùm Dominus ad ſeruum, Rex ad miniſtrum venit: recuſet onus, auerſetur, & quâ valeat contentione prohibeat.

5 Nec minus quidem ad Regij familiaris informationem, Petri ſummè à Chriſto Domino dilecti exemplum fuerit. Domino etenim ab eo aliquando in nauim ſuſcepto, cùm in ipſius gratiam ſeſe ille pluſculum inſinuans felicem ab eo piſcium capturam petiiſſet, atque eâ benignitate eius optatis Dominus annuiſſet, vt piſcium multitudinem adeò copioſam concluſerit, vt & retia ruptum iri, & nauiculæ mergi inciperent: tantæ tunc humanitati, atque indulgentiæ Dominicæ ſic ille *ad genua* Ieſu procidens obuiam iuit: *Exi à me Domine quia homo peccator ſum.* Luc. 5. verſ. 8. Addit Lucas: *Stupor circumdederat eum*; cui Dominus: *Noli timere.* *Luc. 5. 8.* Quem quidem ad locum meritò ambigunt PP. & Interpretes, quorſum hic tantus Petri timor erupit ut etiam Dominum à ſe exire petat? Cur qui Principis fauorem ambierat, à fauore modò deterreatur? Reſpondet opportunè Maldonatus ibi. *Maldon.* *Humilitatis fuit, quod ſe tanto hoſpite iudicaret indignum.* At, cur non antea, cùm primùm Dominus nauim conſcenderat, ſed poſtquam tanto honore, & beneficio affectus eſt, in eas voces erupit? Planè, quòd egregiæ indolis homo tunc ſignatè ſubmiſſiùs cum Domino egit, tunc humiliorem ſeſe exhibuit, tunc de ſe modeſtiùs ſenſit, cùm maiora ab ipſo dona percepit, vt quo gratia, & fauor creuerat, eo decreſceret præſumptio, & ingrueret reuerentia, & metus: hæc ſic præſtringente inibi Ambroſio lib. 4. in Lucam: *Ambroſ.* *Ecce alia ſollicitudo Petri, cui ſua iam præda ſuſpecta eſt. Admirabatur dona diuina, & quò plus emeruerat, hoc præſumebat minùs.* Egregiè, ac ſi dixerit: cùm diuinis donis ſe nimium cumulatum vidit, tunc magis indignum ſe agnouit, & peccatorem ſeſe pleno ore profeſſus eſt: tantùm non dicens: Minimè quidem, ô Domine, tantus fauor, & tam egregia beneficia, ſeruo nequam, & peccatori congruunt. Sed preme illud: *Ecce alia ſollicitudo Petri, cui ſua iam præda ſuſpecta eſt*; vt dicere videatur: Domini fauorem, & indulgentem condeſcenſum adipiſci quidem Petrus optabat, ſed ad eundem iam adeptum pauidus ſubſtitit, egregiâ animi demiſſione ſeſe illi imparem deputans. O imitentur Petrum magni Principum amici! & cùm ad ſummum gratiæ faſtigium euaſerint, ſit illis tanta *præda ſuſpecta*, vt non perfunctoriè, ſed ſollicitè, & ex animo ſeſe demittant.

6 Perſtitit quidem in hoc demiſſionis ſenſu velut immobiliter Petrus: cùm Domino lauare ei pedes volenti ſic primùm obſtitit, *Domine tu mihi lauas pedes?*

Ioan. 13. 6. August. Ioannis cap. 13. vers. 6. vbi sciitè August. tract. 56. in Ioannem, *Quid est tu? quid est mihi? cogitanda sunt potiùs quàm dicenda: ne fortè quod ex iis verbis aliquatenus dignum concepit anima, non explicet lingua.* Sed enim cùm Dominus ab incepto non destiterit, sed seriò illũ admonuerit, non leui ductum ratione quam ipse tunc non cognosceret, eius pedes se lauare velle, non potest non alicui mirum videri, denuo Petrum Magistro tanto impetu, tantâ constantiâ restitisse: *non lauabis mihi pedes in æternum:* tantùm non dicens, quamuis æternam hìc essem vitam acturus, nunquam mihi lauabis pedes, nollo enim modo, nullâ ratione adducar, vt id patiar. Maldon. Occurrit tamen Maldonatus mentem Petri sic explicans. *Existimauerat Christum Dominum cùm dixit,* Quod ego facio, tu nescis modò, *nihil maius dicere voluisse, quàm si non necessitatis, aut mysterij, sed exempli præbendi causa discipulorum lauare pedes, itaque respondet, se id non ignorare, tamen nolle, vt in suis pedibus eiusmodi edat exemplum.* Sed plus adhuc de hac Petri mente ambigas: nam cùm ipse norit, velle Dominum eiusmodi exemplum in alicuius pedibus edere, cur in suis ipse edi non pateretur? cum inde rei Domino gratissimæ occasionẽ præberet? Huic iam tandẽ dubio respõdet pro Petro Ambrosius, nolle se tantâ obsequij dignatione onerari, nõ secus ac qui importabile onus, & suis impar humeris recusaret: sic enim ille libro *de iis qui initiantur*, cap. 6. *Ideò ministerium recusauit, quòd grauari humilitatem serui crederet, si sibi obsequium Domini patienter admitteret.* Ita Ambros. Obserua aduerbium *patienter*: vt ex illo Regius familiaris admoneatur, hac vna de causa eius impatientiam laudabilem fore, cùm eius modestia nimia Domini sui indulgentia, & condescensu grauatur.

Iob. 29. 24. 7 Hinc notantissimè bonus Princeps Iob cap. 29. vers. 24. de seipso affabilem, & humanum se suis exhibente dicebat: *Si quando ridebam ad eos, non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram*: vbi pro Symmach. Lect. Tig. *ridebam* Symmachus legit *Arridebam illis*: Tigurina verò: *Iocarer apud eos*: & verò vt hæc ad Iobi grauitatẽ, & seueritatem, cui indulgentiæ blandimentum, & remissionis hilaritas congruere vix posset, benè referantur: non minus opportunè etiam de subditorum prudentia, & benè morata, & instituta familia acceperis, quasi sapientes subditi regio risui minimè fiderent, quominus ridentem vererentur, eandemque reuerentiam, & honorem erga illum cùm maximè affabilis, & humanus, ac cùm rigidus, ac seuerus esset exhiberent: vnde Vatablus cùm pro illis verbis: *Lux vultus mei non cadebat in terram*, legerit *Lumen vultus mei non faciebant cadere*: sic id explicat: *ridentem etiam verebantur.* O verè prudentes Regis familiares, qui ridenti non corrident, & iocanti non colludunt, sed humiles, atque modesti, cùm summè affabilem, & humanum experiuntur, plus reuerentur. Quò mirè facit quod ad præfatam Isaiæ visionem de Seraphinis faciem suam obuelantibus, quasi id præ sui diffidentia facerent, sic obseruauit Chrysost. hom. 1. de verbis Chrysost. Isaïæ: *Quid faciebant? quid dicebant? quâ fiduciâ fruebantur? Fiducia quidem, inquit, nulla, verùm timoris, at stuporis erant plena, ipsa etiam specie metum ineffabilem declarantia.* Pende illud: *fiducia quidem nulla*: quâ, videlicet, sese tanquam intimi Dei familiares efferrent, & altiùs attollerent. Vnde statim huc etiam refert, quod ipsosmet pedes coram Deo velarent, opportuna regij familiaris imagine sic elucidans. *Assistit aliquis terreno Regi, omnibusq; modis molitur, vt quamplurimam erga illum reuerentiam exhibeat, quò per hoc maiorem illius erga se conciliet beneuolentiam. Cum gratia non solùm specie capitis, verùm etiam ipsa voce, ipsa manuum compositione, ipsa pedum coniunctione totiusq; corporis contractione talem reuerentiam conatur ostendere. Hoc & ab illis incorporeis virtutibus fit.* Hæc Chrysost.

P. Velasquez in Psal. centesimam.

8 Verùm enimverò adeò multum non fuerit, ridenti Principi non corridere, vt potiùs si pleno pectore saperent, tunc signantissimè flerent. Vel audi quid de Iacob cùm Angelo, qui Dei vices gerebat, luctante, & ad ipsum præualente dixerit Oseas cap. 12. 3. *Et* Osea 12. 3. *in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est fleuit, & rogauit eum.* Sed priùs quonam ille modo ad Angelum inualuerit? quid etiã fuerit inualere, siue præualere, obserua. Equidem dum PP. ambigunt, quâ ratione mortalis homo Angelum longè fortiorem superare potuerit? duplex huic dubio expeditissima adhibetur solutio: altera, additum fuisse à Deo robur Iacob, supra quàm facultas exigeret humana, quò superior esset Angelo: altera Dominum, suum concursum à quo omne robur, siue Angelicum, siue humanum subsistit, sic attemperasse; vt Angelus non totis, quas à natura habebat, viribus dimicauerit, atque ideò Iacob superior euaserit. Vbi facilè videris, hanc victoriam, quâ ille *ad Angelum inualuit*, siue *præualuit*, appositam imaginem esse regij familiaris, qui apud Principem plurimum præualet; quippe ingens discrimen, quod inter Principem & subditum intercedit, Regius amor, & fauor sic temperat atque dispensat, dum fastigium suum aliquantulum inclinat, & Administri vires supra quã subditi conditio exigit, tantisper attollit, vt quædam inter vtrùmque æqualitas quodammodò intercedat, ac proinde in gratiæ certamine inferior siue subditus Principe superior euadere videatur. Nec aliud innuit præualens seu victor Iacob, qui hunc in modum victoriam suam cecinit, atque celebrauit. *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Gen. 32. 30. Gen. 32. 30. quippe *facie ad faciem videre*, & alloqui ad amicitiam, & gratiam refertur vt habes Exod. 33. 11. *Loquebatur* Exod 33. 11. *Dominus ad Moysem facie ad faciem sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Iam ad rem. Quid rogo post tantam victoriã excogitauit Iacob? quid ei in mentẽ venit? num cristas erexit, siue elatus est? Audi Vatem: *confortatus est, fleuit*, planctu videlicet, & lachrymis regium fauorem prosecutus. Adeò non corrisit, adeò non elatus est: ac si ille cum Petro diceret: *Quia homo peccator sum*: & tanto fauore indignus, & de eo Ambrosius: Ambros. *Ecce alia sollicitudo* Iacob, *tui sua iam præda suspecta est. Admirabatur dona diuina & quò plus emeruerat, hoc præsumebat minus.*

9 Sed enim rursum ad pulcherrimos illos cælestium spirituum oculos ob Dei condescensum & dona obuelatos non possis non ambigere, quî illis à Dei donis, idem quod mortalium oculis à prauis insidiosis muneribus obueniat: nam Sapiente auctore, *Xenia, & dona excæcant oculos iudicum.* Ecclesiastici 20. Eccl. 20. 31. 31. Et quidem maiorem id inde difficultatem habere videtur, quòd ipsamet Dei dona, oculi dicantur, & sint. Enimverò quod apud Zachariam cap. 3. 9. habe- Zach. 3. 9. tur, *& super lapidem vnum septem oculi sunt*, pars Interpretum de Angelis, quod nos sæpiùs in his aduorationibus probamus; pars cum Ruperto de septem Rupertus. Dei donis accipiunt. Quòd si peras, quæ oculorum, atque donorum analogia sit, vt hæc sub illis significentur? Respondent, proprium id donorum Dei esse, vt visum excitent, oculosque pro acceptorum beneficiorum dignitate plus plus aperiant, atque acuant. Vnde quidem non potest non mirum hic videri Seraphinorum oculos à Dei donis claudi, atque obcæcari, cùm ab ipsis ad acutiùs cernendum fuissent excitandi. At enimverò si rem introspicis, dum oculos à Dei donis simul clausos, & apertos, atque æquè acutos, & obuelatos vides, nihil dissonum, sed omnia

conuenientia, & conſonantia iouenies; nimirum vt illud inter diuina ſiue Regia etiam dona, atque inter inferiorum in ſuperiorem, ſine iudicem cullata munera ingens intercedit diſcrimen, quòd hæc oculos excæcant, *ne veritatem videant* (quod ad ea Eccleſiaſtici verba inquit Gloſſa interlinearis) nec ad aliud valeant attendere, vt de Balaam oculis in munera ſibi oblata defixis, quio Angelum euaginato illi gladio minitantem, quem tardum animal tunc videbat, poſſet aſpicere, Numer. 22. 27. alibi adnotauimus: illa verò è contra ad plus videndum, acutiùs procedendum, & omnia circumquaque proſpicienda oculos, ſenſus, & mentem excitent, ita omoimò: oculos apertos, excitatos, & acutiſſimè cernentes habere, nihil aliud fuerit, quàm ipſos demittere, obuelare, & claudere, ne donorum fulgore præſtricti eatollantur, & euaneſcant: ac proinde à regia gratia cadant: nam *ſuperbo oculo, & inſatiabili corde cum hoc non edit* noſter Dauid: & inter ea quæ Dominus maximè aueſatur primum obtinent locum *ocali ſublimes*: Prou. 6. 17. atqoe ea ratione ab *extollentia oculorum* longè eſſe deprecabatur Eccleſiaſticus cap. 23. Ergo ille videt, & acutiùs iotuetur, qui obuelatos haber oculos ne videat: ille contra oculos non habet, & oecæcatus eſt, qui nimium videre præſumit.

Ad ea verba,

Inſatiabili corde.

Sapiens Principis familiaris, regiam gratiam ſibi imminui, & à Principe moderari expoſcat.

ADNOTATIO XIII.

1 PRODIT quidem ea præfata Regij Adminiſtri humilitate alius ipſi non minus ſalutaris ſenſus, quò ipſa ſuopte ingenio it, vt nimitum regiam ipſe gratiam atqoe fauorem adeò non vrgete, necplus ptomouere ſtudeat, vt ipſam ſibi potiùs imminui caopret, & à Principe multis & perpetois precibus indeſinenter espoſcat, vt illam ipſe moderetur, ac temperet. Caſtigabat quidem ambitioſi *ſuperbum oculum, & inſatiabile cor* Senec. lib. 3. de ira cap. 31. vbi eùm præmiſiſſet: *Nulli ad aliena reſpicienti ſua placent. Inde diis quoque iraſcimur, quòd aliquis nos antecedat, obliti quantum ſequatur à tergo ingentis inuidia. Tanta tamen importunitas hominum eſt, vt quamuis multum acceperint, iniuria loco ſit, plus accipere potuiſſe.* Subiicit: *Age potiùs gratias pro his, qua accepiſti. Reliqua expecta, & nondum plenum te eſſe gaude. Inter voluptates eſt, ſupereſſe quod ſperes. Omnes viciſti? Primam te eſſe in animo amici tui latare. Multi te vincunt? Conſidera, quantò antecedas plures, quàm ſequaris.* Sed caſtigauit quidem lenitere, & modicè, dum & inſatiabilem ambitionem, importunitatem tantùm appellauit, non verò, quod reapſe eſt, inſaniam in caſum ac mortem iter præcipitantem, & ambitioſum, ſiue plenum, ſiue nondum plenum ſemper gaudere voluit, quòd plenus, in amici animo primus eſſet, nondum plenus, ei aliquid ſupereſſet, quod ſubinde ſperaret, cùm multò melius ei conſuluiſſet, ſpes & deſideria non claodere ſolùm, ſed minuere eriam, & triſtem potiùs, atque ſolicitum quàm lætum eſſe quod in animo amici primus & ſolus eſſet. Quid enim ſapientius? quid Regio familiari opportunius, vtiliúſque fuerit? quàm ad inſtar Henoch, cuius adnotat. præcedent. num. 3. meminimus applicare ſeſe poſt Principem, vt videlicet dum is fauorem & gratiam erga ſuum Adminiſtrum plus intendit, atqoe extendit, ipſe pedem referens obnixè ab eo efflagitet, vt aliquem tandem gratiæ modum imponat. Nec aliud ſiue Petri voces, ſiue Iacobi lacbrymæ, ſiue tandem Seraphinorum velari oculi tinnire dixeris. Certè, dum Petrum clamantem aodis: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Lucæ 5. 8. minimè dubitas ipſū Domini fauori aliquem modum imponere voluiſſe: quid enim aliud fuerit à Domino vt à ſe diuerteret, & abiret, petere? At, inquis. Quæ hæc Petri mens fuerit, qui Dominum domo ſuâ excludere voluit? Præſertim eùm ipſi ab illius latere nunquam diſcedere, ſed illi firmiter bærere propoſitum eſſet. Etenim Domino ad omnes diſcipulos aliquando dicentet *Numquid & vos vultis abire?* ipſe quid cæteri reſpondetent, minimè expectans, ſtatim Inquit. *Domine ad quē ibimus?* Ioan. 6. 6. Reſpondet verò Ambroſius lib. 3. de Virginibus non equidem eas à Petro voces ſubitam aliquam animi perturbationem, ſed vetam prodentiam, quâ ſibi vndequaque coοſuleret, ne in lobrico tanti fauoris laberetur, extorſiſſe. Audi illum. *Vir (inquit) ſapiens, & grauis, in quo eſſet Eccleſia firmamentum, & magiſterium diſciplina, nihil vtilius eſſe proſpexit, quàm ne ſecundantis operi extolleretur euentu, & ideò:* Exi (inquit) à me Domine, *non rogat, vt deſeratur, ſed ne inflettur.* Vides eum penes quem diſciplinæ magiſterium eſt, nihil ſibi vtilius iudicantem, quàm regium ſibi fauorem moderari, ne elatus eaciderer? Hoc ergo magiſtrorum, hoc prudentum Aulicorum ingenium eſt, Regi ſuo cùm gratiæ, atque fauoris habenas laxat, eùm nimis familiariter atque iodulgenter cum ipſis agit, cùm munera, & opes in ipſos effundit, modeſtè & reuerenter ei ſuggerere, vt ſeſe moderetur, atque impetum fauoris cohibeat. Contrà verò iuniores Aulici, terumque, & diſcriminum inexperti, in nocitura ruentes, regiam gradum pluſplus promouere, ſuumque faſtigium extollere altiùs, ardenter appetunt, atque procurant.

2 Sed & hanc cæleſtium ſpirituum mentem eſſe velamen illud quod ſuis impounnt oculis, manifeſtè euincit. Nimirum dum indulgentiſſimus Dominus incircumſcriptum maieſtatis ſuæ lumeo ipſis videndum, atque fruendum proponit, ipſique facies ſuas tunc alis obuelare ſtudeot, tantùm non clamant, ſe tam effuſæ benignitatis capaces non eſſe, ac proinde aliquem illi modum ponere, tantamque ſibi oblatam claritatem circumſcribere velle: pulchrè id hunc in modum obſeruante Chryſoſtomo præfata hom. 1. *de verbis Iſaia.* Vbi cùm dixiſſet: *Fiducia quidem nulla, verùm timoris, ac ſtuporis erant plena, ipsâ enim ſpecie mirum ineffabilem declarantia:* ſubdit: *Daabus enim alis velabant faciem ſimul excludentia radium è throno prodeuntem, eò quod ferre non poſſent immenſam illam gloriam.* Pende illud *excludentia radium*, vt, ad inſtar Petri Dominum à ſe exire & diuertere optantis, beatæ illæ meotes Deum etiam à ſe quodammodo excludere, hoc eſt diuini fauoris claritatem oon niſi obiectis alis, ſiue adhibitâ moderatione ſuſcipere velle videantur. Cui ſanè ſenſui bellè congruit illud Senecæ adhortantis Aulicos vt manſuetudioe, humanâ lege, & benignâ manu multa ad ſequentes caſus præpaent: *Nihil tamen æquè hunc ab his animi fluctibus vindicauerit, quàm ſemper aliquem incrementis terminum figere, nec fortuna arbitrium deſinendi dare, ſed ſeipſos multò quidem citra extrema hortatur conſiſtere*: ita ille lib. de tranquil. animi cap. 10. Sed & iis etiam Seraphinorum oculis modeſtè obuelatis alia in hanc rem epiraſis ineſt: eoim verò cùm de regia gratia à Regis familiari nooleui ſtudio occultanda in ſequentibus adnotationibus egero: ſingularem omnium cæleſtium ſpirituum modeſtiam penſiculatiùs pendam, qui dum à Domino eum propriis oculis componuntur, ſiue potiùs ſuimet oculi nuncupantur, Zachar. 3. 9. & Apocal. 5. 6. ipſi tam glorioſum nomē, & munus minimè ſibi vſurpant, contenti iactare ſe

Dei

Dei pedes esse, qui eius mandata deferant, & com- m ssa sibi de hominum salute ministeria obeant: modò verò prudentissimis his Dei familiaribus diuinum radium è throno prodeuntem excludentibus id singillatim aptare placet, vt cùm illos Dominos vt oculos suos tractat, in quos diuinum lumen ad aliorum illuminationem, & Ecclesiæ prouidentiam, atque gubernationem transfondit, vt per illos omnia videat, omnibus prouideat, quod Regij Administri proprium esse alibi vidimus, ipsi oculos abscondunt, & pennas humiliter extendunt, vt oblatum sibi lumen excludant, quasi tantùm commissæ sibi ad alios illuminandos lucis munus suscipere tenerentur: pulchrum regiis familiaribus, & administris exemplum dantes, ne totam Solis lanceam, Regij videlicet fauoris claritatem & munera obuiis oculis, manibusque excipiant, sed potiùs submissè Principem admoneant, vt illam tantisper cohibeat, & in alios etiam distribuat.

3 Sed liceat, oro, Angelicis hisce & immortalibus pennis, cereas alas & Solis ardore diffluentes opponere: siue duos tibi ex fabulis Aulicos; alterum prudentem, & moderatum; alterum insanum, & cæco ardore in mortem & præcipitium ruentem, imò volantem, proponere. Nec dubium quin iam teneas de Dędalo, & Icaro in fabulis decantatis sermonem esse. Ergo vterque tum sæuienti Minoïs Regis indignationi obnoxij, tum terrâ, marique cincti, cereas sibi alas quibus extremũ discrimen effugerent assuere coacti sunt. Sed vide, vt iuuenis primùm, deinde vt senex volauerint: sanè audax ille & temerarius vehementiùs volare, & sese totum solaribus radiis exponere, non secus ac si aquilinis alis inniteretur minimè dubitabat: quid inde? pennis quidem paulatim diffluentibus, & tandem relabentibus præceps in mare actus est: contra verò canus, & cordatus senex, sic suum frænabat volatum, vt remigare potiùs fluctibus, quã volare eum diceres: nec eâ moderatione contentus pennas aquis iterum, atque iterum admouebat, vt aduersus Solis ardorem humefactæ subsisterent. Vnde planè per Solem, per fluctus volans incolumis euasit, & ad rei memoriam templum Cumis gratis construxit. Quid hæc sibi velint, primùm ex Ambrosio: deinde ex Luciano iam disce. Sic namque de Icaro Ambrosius lib. 3 de Virginibus: *Procul à militia honoribus, procul ab astibus mundi, ut, quod fabula ferunt, astu Solis cera resoluta Icareos volatus penna relabente destituit. Nam licet grauitas dictorum absit, poëtico tamen sale declarare voluerunt prudentium maturitati tutos esse volatus per cælum: iuuenilem verò leuitatem obnoxiam cupiditatibus mundi, refluentibus pennis, & per oblivia veritatis meritorum compage resoluta, maiore pernicie in terram relabi.* Pulchrè prudentium maturitati tutos esse volatus per cælum. Quare? quia videlicet Solis calori, siue alatum, fauoris scilicet & gratiæ viribus, non se totos cõmittunt, sed vtrumque temperare, & gratiæ modum imponere didicerunt. Audi Lucianum *in imaginibus* ita id diffundentem. *Summus alis* (Dædalus) *regni remigauit fluctibus, easque subinde inspersit aquâ, ne ardenti Soli diffluerent; sic enim ij quibus morum est moderatio, amant eatenus supra fluctus ferri, vt liceat semper pennas humefacere, ne Soli eas dissoluendas tradant, tunc demum securè, & modestè volant.* Pulchrè volatus securitatem ad motum moderationem referens.

4 Illud verò hîc minimè prætereundum, quod obiter adnotauit Ambrosius, adeò non esse germanam animi magnitudinem sese totos pennis in altum tendentibus committere, vt iuuenilis potiùs leuitas, siue puerilitas id fuerit, sic opportunè Seneca epist. 39. *Magni animi est, magna contemnere, ac mediocria malle, quàm nimia. Illa enim vtilia sunt, at hæc eo ipso quòd superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit vbertas, sic rami one-* (Seneca.)

A *re franguntur. sic ad maturitatem non peruenit nimia fæcunditas.* Vel vide superbissimum Luciferum magnis non contentum, maxima & suprema appetentem, imò Deo iratum quòd vel ipse eum antecederet: *In cælum* (inquit) *ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Isai. 14. v. 14. Quid? magnanimũmne, & excelsum hunc existimas, quòd vel magnis excideri ausis? Minimè quidem, sed cum insigni prauitate singularem animi paruitatem coniunctam habuisse dicito: sapienter id adnotante S. Cyrillo Alexand. lib. 1. de Adoratione, & cultu in spiritu & veritate, ad hunc modum. *Adeò enim pueriliter se gessit, vt Deus esse vellet, & quæ supra naturam suam erant, demens animo fingeret:* benè id, *quæ supra naturam suam erant.* Nam pueris hic mos est sese homines effingere, & quæ ipsorum conditionem excedunt, animo voluere, & appetere: *Magni ergo animi fuerit, magna contemnere, & mediocria malle, quàm nimia.* (Isai. 14. 14.)

B 5 Iam bis Iacobi iudicium omnino adstipulatur, quippe ipse qui strenuè cum Angelo colluctatus, toto animi impetu victoriam de illo referre contendit, cùm se in illo regiæ gratiæ fastigio collocatum vidit, *fleuit*, quidem *& orauit*, sic sibi à culmine metuens, vt nouo certamine iniro contenderet, ab ipso tanquam à prærupto descendere. Certè dum Angelo petenti vt luctam iam dirimeret, strictosque nexus solueret animosè respondit, *Non dimittam te nisi priùs benedixeris mihi.* Genes. 32. 26. eò visus est respicere, vt victoriæ gloriam moderaretur, & qui nimiùm ad Angelum præualuerat, sese deuicto Angelo tanquam inferior submitteret, & ad genua procumberet. Quid enim fuerit benedictionem ab eo enixè petere, nisi deposito fastu, tanquam minorem ei se subiicere, & paruitatem suam fateri? nimirum Paulo auctore ad Hebr. 7. vers. 7 *Quod minus est, à meliore benedicitur*: siue vt habet Lect. Syriac. *Qui minor est, benedicitur ab eo qui præ-* (Osea.) (Gen. 32. 26.)

C *stantior est ipso.* En ergo sapiens & opportunum Aulici, apud Principem gratiâ præualentis ingenium, quod fastum in sublimitate castigat, & immoderatam regiæ gratiæ, & liberalitatis redundantiã moderatur. Quò mirè faciunt ex Senecæ lib. de tranquill. animi cap. 8. & 9. opportunæ admonitiones, quibus pompam, spes, & animum in futura semper eminentem frænare præscribit, siue vt fortunæ tela in vanum cadant, siue vt ea ab illius manibus extorqueamus, sic enim primùm: *Habiliora sunt corpora in bella, quæ in arma sua contrahi possunt, quàm quæ superfunduntur, & vndique magnitudo sua vulneribus obiecit.* Deinde postmodum: *Assuescamus à nobis remouere pompam, & vsu rerum ornamenta metiri: discamus spes effrænatas, & animum in futura eminentem velut sub vinculis habere.* Et statim opportunissimè: *Non potest tanta varietas, & iniquitas casuum ita depelli, vt non multum procellarum irruat, magna armamenta pandentibus, cogenda in arctum res sunt, vt tela in vanum cadant.* (Seneca.)

D Pende quæso appositam à nauibus petitam imaginem, in quibus ingentia, & enormia gubernacula faciliùs mergunt, quàm regunt, atque ad hunc modum immensum Principum fauorem, immodicam pompam, ingentes opes esse cogita: cogenda ergo in arctũ hæc sunt, vt tela in vanum cadant. Minuenda quidé, vel ad speciem, Regis gratia, vt minuatur inuidia: sic ipse ibi, cùm dixisset. *Multa possum tibi ostendere: quæ adquisita, acceptaque libertatem nobis extorserunt: nostri essemus, si ista nostra non essent. Hæc ergo tecum ipse versa, non solùm cùm de incremento agitur, sed etiam vbi de iactura.* Subiicit in hanc rem. *Gratiam minorem habebis, nempe & inuidiam.* Sic ille epist. 42.

6 Iam ipsis Principibus quàm sit grata hæc suorum familiarium moderatio, sese ad rostrat Henoch post eum applicatorium, siue velut Seraphim excludentium gloriæ radium facilè à contrario videris, si

huc cum Oleaſtro inflexeris Moyſis ad Deum verba, Exod. 33. 13. Etenim cùm Moyſes gratiâ apud Deom plurimùm valeret, ita enim ibi verſ. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſem facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Ipſe gratiam & fauorem plus vrgens, & velut ſuas ſpes anteire parans, ſic Domino dixiſſe fertur: *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam:* ſiue vt habent LXX. *Oſtende temetipſum mihi manifeſtè:* vel vt apud Chaldæum Paraphraſtem: *Oſtende mihi viam bonitatis tuæ:* quibus tantùm non dixit, cumulatiùs in me gratiam tuam repone, vt omnia apud te valeam, quin mihi aliquid tui abſcondas, aut deneges, ſed omnia mihi ad manum ſint: ita ibi Oleaſter: *Volunt qui Principi grati ſunt, ſtatim ſibi gratiam ſolui, quaſi pro nihilo reputantes ſolam gratiam.* Sed quid ad hæc Dominus: *Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Ad quæ verba idem Oleaſter: *Qua in re docet Principes, non omnia concedere, quæ ab eis dilecti poſtulant, vt eorum audaciam reprimant.* Sed opportunius Chryſologus ſerm. 131. *Dei faciem quærit, ſed non inuenit: petit, ſed non accipit, & vt poſteriora tantùm Dei videat, admonetur, quatenus homo Deum quærat ſequi, non præcedere.* Pulchrè, *ſequi, non præcedere:* vt videlicet applicet ſeſe poſt Deum, eius fauorem reuerentiùs excipiens, adeoque nolit in ipſammet faciem audaciùs irrumpere, vt quemadmodum Seraphim, propriis alis gloriæ radium excludat; pergit Chryſologus: *neque ante Deum quæ ſunt quærere præſumat, ſed quæ per Deum ſint omnia adorator agnoſcat.* Vt regium Adminiſtrum monuerit, Principem ſuum ſummoperè potiùs reuereri, & ab eo ſemper cum metu & timore dependere, quàm omnia omnino apud ipſum poſſe. Cui cogitationi inhærens obſerua illa Domini verba Exod. 33. verſ. 20. *Oſtendam tibi omne bonum:* necnon hæc: *Non poteris videre faciem meam:* & ad vtraque ambige, cur qui promiſit ſe omne ei bonum oſtenſurum, faciem ſuam nolit oſtendere. Quid? facies eius non bona, aut non bonum eſt? aut ipſum tanti promiſſi pœnituit, illudque contraxit? Sed reſpondet Dominus: *Non enim videbit me homo & viuet:* ac ſi dixerit: vide quanto opportuniùs, quanto ſalutatiùs Seraphim facies ſuas velent, vt totum faciei meæ ſplendorem excludant, cùm faciem meam hic videre velle nihilo melius ſit, quàm ad mortem ire. Apta id regio familiari ea præfatis Senecæ verbis: *Magni animi eſt magna contemnere, & mediocria malle, quàm nimia: illa enim vtilia ſunt, at hæc eo ipſo quod ſuperfluunt, nocent.*

Exod. 33. 13. — *LXX.* — *Chaldæus.* — *Oleaſter.* — *Chryſol.* — *Exod. 33. 20.*

7 Enimverò quòd Gentilis Seneca his verbis præſcripſit, factis etiam exhibuiſſe nouimus. Sæpè cùm ipſe plurimum gratiâ apud Neronem valeret, noſſetque alios Principis familiares variis criminationibus eum adoriri, tanquam ingentes, & priuatum ſupra modum euectas opes adhuc augeret, quódque ſtudia ciuium in ſe verteret, hortorumque amœnitate, & villarum magnificentiâ quaſi Principem ſupergrederetur: prudentiſſima ille, & modeſtiſſima oratione Principem orat, vt fortunæ ſuæ modum ponat, nouam, & maiorem inde felicitatem daturus. Do eam totam Lectori ex Cornelio Tacit. lib. 14. Annalium quod omnino ea re, & vſu Adminiſtri regij ſit: quodque aliorum Aulicorum ſimilia exempla imbibita habeat. Ergo ſic ille: *Quartus decimus annus eſt, Cæſar, ex quo ſpei tuæ admotus ſum, octauus, & Imperium obtines. Medio temporis tantum honorum, atque opum in me cumulaſti, vt nihil felicitati meæ deſit, niſi moderatio eius. Vtar magnis exemplis, nec meæ fortunæ, ſed tuæ. Atauus tuus Auguſtus M. Agrippæ Mitilenſe ſecretum: C. Mæcenati vrbe in ipſa velut peregrinum otium permiſit; quorum alter bellorum ſocius, alter Romæ pluribus laboribus iactatus, ampla quidem, ſed pro ingentibus meritis præmia acceperant. Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui, quàm ſtudia, vt ſic dixerim, in vmbra educata, è quibus claritudo venit, quòd iuuentæ tuæ rudimentis affuiſſe videor, grande huius rei pretium. At tu gratiam immenſam, innumeram pecuniam dediſti, adeò vt plerumque intra me ipſum voluam: Egone equeſtri, & prouinciali loco ortus, proceribus ciuitatis annumeror? Inter nobiles, & longa decora præferentes nouitas mea enituit? Vbi eſt animus ille modicis contentus? Tales hortos inſtruit, & per hæc ſuburbana incedit, & tantis agrorum ſpatiis, tam lato fœnore exuberat? Vna defenſio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui. Sed vterque menſuram impleuimus, & tu quantum Princeps tribuere amico poſſet, & ego quantum amicus à principe accipere: Cætera inuidiam augent, quæ quidem vt omnia mortalia infra tuam magnitudinem iacent, ſed mihi incumbunt. Mihi ſubueniendum eſt, quomodo in militia, aut via feſſus adminiculum orarem: ita in hoc itinere vitæ ſenex, & leuiſſimis quoque curis impar, cùm opes meas vltra ſuſtinere non poſſim, præſidium peto. Iubeas per procuratores tuos adminiſtrari, & in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipſe detrudam, ſed traditis quorum fulgore præſtringor, quod temporis hortorum, aut villarum curæ ſeponitur, in animum* (ſiue vt alij malunt legere *ad animi cultum*) *reuocabo. Supereſt tibi robur, & tot per annos nixum faſtigij regimen, poſſumus ſeniores amici quietè reſpondere. Hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad ſumma vexiſſe, qui & modica tolerarent.* Hactenus Seneca, quibus vt nihil diſertius, nihil vtilius, nihil fortius, & ad Aulicorũ inſtitutionẽ aptius dici potuit: ita iis, ſi verè ſapiunt, ſemper meditanda, ediſcenda, memoriæ mandanda, & ſuo Principi aliquando ſuggerenda ſunt. Sed maturè quidẽ, vereor enim Senecam ſerò ea meditatũ, & locutũ fuiſſe, cũ videlicet *mors Afranij Burrhi*, egregij viri, qui in eadẽ regiæ gratiæ fortuna concors cũ Seneca erat, *eius potentiam iam infregerat* (ſic adnotante ibi Tacito) *quia nec bonis artibus idem virium erat, altero velut duce amoto, & Nero ad deteriores inclinabat.* At enimverò multo ſeriùs, naufragio videlicet iam infeliciſſimè facto, huc euaſit noſter Aluarus Luna: ille quippe, qui in maximis turbinibus ac fluctibus regiæ gratiæ nauim gubernans, ex ipſomet Principis ore tantùm non accepit.

Corn. Tac. — A — B — C — D

O nauis, referent in mare te noui
Fluctus, O quid agis? fortiter occupa
Portum, — *Horatius.*

Ferentem fortunam domare non aſſuetus, ipſam etiam, poſtquam nimium indulſit, fatigatam, & in curſu (de more) deficientem, omnibus adhibitis ſtimulis ſic ſenex & deflorens vrgebat, ac ſi tunc primum in regiæ gratiæ palæſtra curſum conficere inciperet. Quid? Nonne *præſtantior ſecuritas, quàm periculoſa contentio?* vt inquit Iſidor. Peluſiot. lib. 3. epiſt. 66. Nonne oraculum fuerit quod Magnus Leo ſerm. 2. de ieiunio Pentecoſtes dixit? *Melior eſt gradus lentior per iter rectum, quàm velocitas feſtina per deuium.* Ergo ille non priùs de termino incrementis ſuis figendo cogitare cœpit, quàm cùm Regem ipſi infenſiſſimum, omnes Regni proceres hoſtili impetu in eum irruentes: ſe verò in carcerem contruſum, morti, ac carnifici vicinum conſpexit: tum enim ſerâ veritatis cognitione quaſi ex profundiſſimis tenebris emergens hæc ad Regem inter alia ſcripſiſſe fertur apud Ioan. Marianam lib. 22. de Rebus Hiſpaniæ cap. 12. *Quintum & quadrageſimum annum, Rex eſt, ex quo in tuis obſequiis ſum. De præmiis non queror, maiora meritis, maiora expectatione fuerunt: non negabo. Vnum felicitati meæ defuit, tanta fortuna tempeſtiua moderatio. Dum otio, quod magnorum virorum exemplo petendum fuit, negotium præfero à me debitum, tibi, vt putabam neceſſarium, in hanc calamitatem incidi.* Vides Icarum ceteis pennis, quas toti Soli expoſuerat, diſſolutis, in mare præcipitatum.

Iſid. Peluſ. — *Leo Mag.* — *Mariana.*

Sed cùm dixit Aluarus: *Vnum felicitati meæ defuit: tanta fortuna tempeſtiua moderatio*, nonne etiam opportunè

tinè monuit: nihilo melius fuisse regiam gratiam omnium vrgere, illamque plus plus promouendam curare, quàm per proprios pedes ad mortem ire, siue vt omnino dixerim, excelsiorem construere turrim, vnde altior casus esset: vti de Sejano nullum felicitari, regiæque gratiæ modum ponenti, & ad summos honores, & potentiæ fastigium propetanti, vt ex eminentiori loco grauiorem, & celeriorem casum sibi pararet, pronius que vergeret in occasum scitè dixit Iuuenalis, *Iuuen. Satyr. 10.*

> ————*Qui nimios optabat honores,*
> *Et nimias poscebat opes, numerosa parabat*
> *Excelsæ turris tabulata, vnde altior esset*
> *Casus, & impulsæ præceps immane ruina.*

Nam præterquam quòd florenti fortunæ, ac secundæ auræ à tergo plerumque instet horrida tempestas, & subita ac luctuosa conuersio, quidquid nimium est, & solitum excedit ordinem, præsertim in Regum gratia, felici exitu non gaudere nouimus. *Sic segetem* (dicebat Seneca) *nimia sternit vbertas: sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas.* *Seneca.* B

Adquem modum Lucanus, *Lucanus.*

> *In se magna ruunt: lætis hunc Numina rebus*
> *Crescendi posuere modum.*

Quæ verba nostro instituto aptauit Innocentius Pontifex lib. 2. *de contemptu mundi* cap. 26. dum de Aulico ad summum potestatis euecto post alia à nobis alibi adducta ait: *Non dimidiat dies suos, sed miserabilem vitam miserabiliori fine concludit. Verùm est illud poëticum.* In se magna ruunt, summisque negatum est stare diu. Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant. *Verum autem illud Propheticum.* Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat. Sic Pontifex. Pro quo omnino fideiubet Tacit. lib. 3. Annal. Brutidium à lentiori gradu deflectentem, & ad summa festinâ velocitate aduolantem, ac proinde in exitium peruenientem, ita describens: *Brutidium artibus honestis copiosum, & si rectum iter pergeret, ad clarissima quæque iturum festinatio exstimulabat, dum æquales, dein superiores, postremò suasmet ipse spes anteire parat, quod multos etiam bonos pessumdedit, qui spretis quæ tarda cum securitate, ad præmatura, vel cum exitio properant.* Audis Leonis oraculum? *Melior est gradus lentior per iter rectum, quàm velocitas festina per deuium.* *Innoc. PP.* *Corn. Tac.* C

Ad eadem verba,

Superbo oculo.

Bonus Principis Administer, vt totum se in eius obsequium impenderit, sua tamen in illum merita nequaquam iactet, imò aut abscondat, aut leuia & parui momenti esse dicat. D

ADNOTATIO XIV.

1 Vt præcedentibus proximum & affine, ita salutare quidem & opportunum monitum, iam dudum tam politicis Scriptoribus, quàm grauis, & industriis Aulicis obseruatum: quasi magnæ artis, maximæque sapientiæ fuerit, vt in Principe sibi demerendo omnem ab eius Administro curam, & industriam adhiberi; ita quæcumque illi ipse exhibuerit obsequia, pertinaci silentio premere, quin earum coram Principe, siue iactando, siue commemorando, vnquam meminerit: imò verò cùm ea se obtulerit occasio, vt aut alij ea expenderint, & celebrauerint, aut etiam ipsemet Princeps gratum se illi atque benignum præbens laudibus extulerit, ipse omni ratione, & modo extenuet, atque deprimat. Nimirum cùm

A illa Senecæ in dandis beneficiis regula firma semper fuerit: *Nihil æquè in beneficio dando vitandum est, quàm superbia. Quid opus arrogantiâ vultus? quid tumore verborum? ipsa res te extollit: detrahenda est inanis iactatio, res loquentur nobis tacentibus* (sic ille lib. 2. de Beneficiis cap. 11.) signatissimè quidem in obsequiis & officiis erga Principem locum habet: etenim cùm officia commemorare non longè ab exprobratione eat, Demosthene auctore orat. *de corona* affirmante: *Commemorare & dicere quæ ipse beneficeris parum abest ab exprobrando*: exprobratio verò, vel ipsismet vilissimis seruis intoleranda sit, vt scitè sub Sosiæ persona monet Comicus in Andria dum hero iactanti, *Seneca.* *Demosth.*

> *Quod habui summum pretium persolui tibi:* *Terentius.*

Sic occurrit:

> *Sed mihi hoc molestum est: nam istæc commemoratio*
> *Quasi exprobratio est immemoris beneficij.*

Quàm graue atque molestum Principibus, qui nullius indigere, nemini debere volunt, id fore existimas? Audi vnum ex illis sapientissimum Salomonem Prouerb. 25. 6. suum familiarem sic monentem: *Ne gloriosus appareas coram Rege.* Siue vt est in Hebræo apud Pagninum: *Ne magnifices te coram Rege:* aut vt LXX. reponunt: *Ne gloriosè te ostentes coram Rege.* Quæ omnino cepesis de gloriosa, & magnifica meritorum iactatione, quæ vt Regibus exprobratio esse videtur, ita ob illam suis familiaribus non minùs infensi redduntur, quàm si ad mortem peccauerint. Vnde Chaldæus Paraphrastes ad hæc verba signatè addit: *Ne deuciaris coram dominatore*, vt dixerit, ne à regia gratia infeliciter excidas. *Prou. 25. 6.* *Paguin.* *LXX.*

2 Certè hac inani meritorum in Principem iactatione plures è regiis familiaribus naufragium in regia gratia fecisse, nemo est qui nesciat. Nam præter C. Silium qui Tiberianæ crudelitatis hostia fuit, de quo Cornel. Tacit. lib. 4. Annal. *Credebant plerique auctam offensionem ipsius intemperantiâ immodicè iactantis suum militem in obsequio durauisse, cùm alij ad seditiones prolaberentur, neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido nouandi fuisset. Destrui per hæc fortunam suam Cæsar, imparemque tanto merito rebatur.* Nonne Rædamites acerba blandi Principis Augusti verba meruit, quia sublimia verba protulit? nonne & Antonius Primus apud bonum Imperatorem Vespasianum grauiter offendit, quòd vt haud dubiè in eius gratiâ bellum confecisset, & pacatum reddidisset imperium, nimius tamen esset commemorandis quæ meruisset. Sic namque primùm de ipso idem Scriptor lib. 3. historiar. *Nec sermonibus temperabat, immodicus lingua, & obsequij insolens. Litteras ad Vespasianum composuit iactantiùs, quàm ad Principem, se Pannonicas legiones in arma egisse, suis stimulis excitos Mœsiæ duces, suâ constantiâ perruptas Alpes, acceptâ Italiam, intercepta Germanorum, Rhætorumque, auxilia.* Et iterum de ipsomet lib. 4. historiar. *Neque ipso deerat, arrogantia vocare offensas, nimius commemorandis quæ meruisset. Alios vt imbelles, Cæcinam vt captiuum ac dedititium increpat.* Quis inde fructus? *Vnde paulatim leuior, viliorque haberi, manente tamen in speciem amicitiâ.* Immodica videlicet suarum meritorum iactatione, egregia in Principem officia destruente, vt qui ob facta præclarus, & in summo honore habebatur, iactatione, & exprobratione leuis, & nullius frugi, imò & vilis Principi fieret. Nonne Sylas magister militiæ regiæ qui sese totum in Agrippæ Regis obsequium impenderat, eique victorias, triumphos, & regnum fuerat adeptus, ipse itidem hac ratione grauis, molestus & inuisus extitit? rem sic referente Iosepho lib. 19. Antiquitat. cap. 7. *In familiaribus colloquiis molestus erat, interdum extollens se immodicè, & sæpè prioris fortunæ aduersitates in memoriam renocans, vt ostentaret, quàm studiosus sui cultor fuerit, nunquam non laborem in eius gratiâ exhaustos* *Corn. Tac.* *Idem.* *Iosephus.*

exhaustos memorans, quæ cum sine modo repeteret opprobrare videbatur, ita vt Rex tandem offenderetur, qui frequenter ea, quæ præstat, improperat. Sed quid tandem ob obiecta merita à Rege Sylas præmij loco accepit? Pergit Iosephus, *Quid plura? dum frequenter Sylas Regis prouocat iram, & ille plus indignationi, quàm rationi tribueret, non eum remouit à præfectura solummodo, sed etiam tradendum vinculis in patriam destinauit.* Audis historiam velut à præfatia Salomonis verbis: *Ne te magnifices coram Rege, ne deiiciaris.* A

3 Ergo cum Principe siue tanquam homo cum Deo, siue tanquam Deus cum homine omnino agendum est. Enimverò hominis ad Deum ratio, siue agendi modus, is prorsus esse debet, quem Noster Vates

Psal.15.2. sic sibiipsi præscribebat Psalm.15.2. *Ego dixi Deus meus*

Hieron. *es tu, quoniam bonorum meorum non eges:* pro qua causali S. Hieronymus, & alij reposuerunt. *Quoniam mihi bene non est sine te:* vt duo dixerit, quibus Deitatis ratio B nostro concipiendi modo subsistere videatur: alterum, minimè Deum bonorum Dauidis indigere, quod vel Ethnicus ille nouit qui de diuina natura dixit,

Viribus ipsa suis pollens, nihil indiga nostri.

Alterum, Dauidem omnino indigum esse bonorum Dei, vt dixerit: Ideò Deum meum te esse noui, quoniam & bonorum meorum minimè indiges, & ego tuorum omnino egeo: siue quia tibi benè est sine me, & mihi benè non est sine te: quæ optimè quidem ex-

Lorinus. pressit ibi Lorinus hunc in modum: *Ego quidem nihil habeo, quo egere possis, ipse tibi ipsi sufficiens: nihil ex meis in te rebus, operibusue commodi redundat, contrà verò tu bonorum origo omnium, nec est quidpiam in me, quod non pendeat à te: imò quantus quantus sum, tuo munere sum, tua semper egens ope, & si faciem auertis, mox in puluerem, ac nihilum redigendus.* Ad quem sanè modum cum suo Principe quispiam eius familiaris se gerere debet, ipsi nunquam non manifestum faciens se quidem quantus quantus sit, ab eo pendere, & si faciem ipse auertat, mox in C puluerem ac nihilum redigendum fore; contra verò ipsum Principem minimè bonorum, ac officiorum suorum indigere, qui ipse sibi sufficiat. Inde verò is modus agendi cum Principe opportunissimus regio Administro, siue ad suam securitatem, siue ad cultum Regi debitum deferendum fuerit, quòd regiæ maiestatis fastigium vnicè asserat, & intemeratum seruet. Nimirum, vt qui à Deo duo illa tolleret, ob quæ Dauid Deum suum esse dicebat, atque eum nostri indigum, nos verò ipsius minimè egentes faceret; eodem planè errore ductus, Deitatem ipsam ab eo auferre videretur: ita etiam qui Principi sic sua in ipsum merita exprobraret, quasi iis ipse inniteretur, & ab illis penderet, non dubium quin regiam illi dignitatem, &

Tacit. auctoritatem tollere videretur, vti Tacitus Tiberium sensisse aiebat, cùm C. Silius iactabat, suum tantùm militem in obsequio durauisse, neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido no- D uandi fuisset: sic enim ille. *Destrui per hæc fortunam suam Cæsar, imparemque tanto merito rebatur.* En modum, quo homo cum Deo debitè & ordinatè se gerit. Nec ab hoc quidè iuerit ipsiusmet Dei modus agendi cũ homine: quippe *qui dat omnibus affluenter, & nõ improperat.*

Iob 1.5. Iob 1.5. Vnde de seipso signatissimè ait: *Ego sum: ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum*

Isai. 43. *tuorum non recordabor.* Isai.43.25. quæ LXX. sic expri-

25. munt. *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me,*

LXX. *& peccata tua, & non recordabor.* Vbi notanter obliuio non ad peccata ipsa, sed ad beneficium indulgentiæ & condonationis peccatorum referenda est, quasi id beneficij natura exigat, vt statim excidat memoriâ, ne

Ambros. subinde exprobrari possit: ita hæc adnotante Ambrosio in Apologia posteriori de Dauid cap. 3. *Magnus planè & misericors Deus, qui beneficium confert, nec beneficij manus exprobrat.*

4 Enimverò hinc siue officij, siue virtutis splendorem fore desumendum, disertissimè admonemur à Domino, discipulis sic suis apud Lucam præscribente *Luc. 17.*

cap.17.10 *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, di-* *10.*

cite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Vbi proculdubio mirum alicui videatur, seruum se inutilem tunc aliquem profiteri; cùm ea omnia, quæ ab hero suo ei imperata sunt, strenuè, & diligenter perficit: nã quis, rogas, eo vtilior, ac fidelior domino seruus excogitari valeat? aut in quo iam vtilem seruum ab inutili possis discriminare? Sed subsistit pulcherrimè Christi monitum, atque sententia, omnino adstruentis, tum maximè virtutis officium perfectum & illustre, atque omnibus numeris absolutũ, ac proinde Domino gratissimum reddi, cùm ab operante non modò non iactatur, aut exprobatur: sed etiam absconditur, ac pro nihilo ducitur, scitè id ad hæc verba obseruante S. Basil. Seleuc. orat. 35. hunc in mo- *Basil.Sel.*

dum: *Humilitatis pulchritudine Apostolorum labores illustrabat.* Preme verbum *illustrabat*: cui ex præmisso pulchritudinis epitheto ea subesse videtur similitudo, quâ imago incepta primùm, ac delineata, suis tandem coloribus omnimodè pingitur, ac vltima illi imposita manu illustratur; vt dixerit, tunc virtutum actiones signatè perfici, ac illustres reddi, cùm ea humilitatis pulchritudine illustrantur, qua quis se inutilem seruum profitetur, quin sibi magnum aliquid in Domini sui gratiam gessisse videatur, nec plus aliquid apud eum subinde præsumat, quàm si ipsi ea egregia officia minimè præstitisset: contrà verò ipsamet bona opera iactata, aut exprobrata quasi illorum Dominus omnino egeat, aut grande aliquid inde fuerit adeptus, manca & imperfecta, velut adumbratam, nec absolutam imaginem censeri. Cui rei hæc opportunè scripsit S. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 309. *Si illud tibi studio est, vir* *S.Isid. Pel.*

optime, vt quæ abs te cum virtute geruntur, magna esse videantur, ne sublimiter ac magnificè de te sentias, ac tunc ampliora ea reddes. Ne te fecisse existimes, ac tum maiorem splendorem consequeris. Obserua id: *ne te fecisse existimes.* Sed quonam modo si fecit, existimare possit se non fecisse? Planè si ab egregiis factis oculos, signatè verò linguam cohibuerit, non secus ac si minimè fecerit. Quod plane monitum non tantùm spiritui, atque virtuti, sed politicæ etiam prudentiæ, & Aulæ peropportunum esse satis ostendit Gentilis ille Piso, apud Velleium lib.2. de quo cùm dixisset: *Nemo aut validiùs* *Velle.Pat.*

otium dilexit, aut faciliùs suffecit negotio. Subiicit: *Magisque quæ agenda sunt egit sine vlla ostentatione agendi.* O hominem verè ad aulam, & ad Regiam gratiam obtinendam, & retinendam! Quid enim Principi gratius, aut iucundius fuerit, quàm eum habere familiarem, qui quæ agenda sunt agat sine vlla ostentatione agendi, imò verò cùm fecerit omnia quæ facere debet, tunc se inutilem seruum profiteatur? Quid verò ipsi Administro hac verborum modestia vtilius, à qua *maiorem splendorem* ipsius opera consequuntur; quippe vt splendida verba illustria opera obscurant, ita egregia opera & submissa verba sese inuicem illustrant, & extollunt: vt lib. 2. cùm de opportuno Regis sermone egimus, ex Iobio Monacho adstruximus, dicebat sic *Iob.*

enim ille. *Verborum splendor non omnino actiones simul* *Monac.*

emicare facit, cùm tamen diuinorum operum patratio verborum vnà secum humilitatem extollat.

5 Quò quidem signatè facit Abelis, atque Caïni historia; dum vterque cum Deo tanquam regij familiares cum suo Principe agentes, ille diuinã gratiam inuenit atque retinuit, hic verò ab illa infeliciter excidit. Sic enim de Abel Sacer Scriptor Genes. 4. *Genes. 4.*

vers.4 *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius:* vbi *4.*

Symmachus *Oblectatus est:* Aquila *consolationem accepit.* *Symmach.* *Aquila.*

Chaldæus, *suscepit cum beneplacito.* De Caïn verò, Ad *Chaldæus.*

Cain

LXX. *Caïn autem, & ad munera eius non respexit*, siue vt LXX. habent, *non aduertit*. Sed cur, inquis, Abelis munera præ donis Caïn Deo gratissima fuêre? Discrimi causam fuisse quòd Abel non sublimiter ac magnificè de suis muneribus senserit, nec aliquid se dedisse existimauerit, sed seruum se inutilem fuerit professus. Quod vel ipsum Abel nomen à successu forsan ei inditum, manifestè indicat: idem enim *Abel* sonat, ac *quid est hoc? siue vanitas*: ac si munera extenuãdo diceret: Quid hoc præ Dei magnitudine fuerit? vnum quidem & nullius frugi, nec eius vsibus vtilitatem aliquam allaturum. En opus, & munus quo Deus oblectetur, & quod cum beneplacito suspiciat. Vnde Chrysostomus ibi. *Quid est aspexit? id est approbauit, laudauit mentem, coronauit voluntatem: & quasi quis dicat: facto contentus est*: nec mirum quidem cùm factum humilitatis pulchritudine fuerit illustratum: contrà verò Caïn sublimiter & arroganter de se senserit, sua putans esse omnia, & magnum aliquid se Deo præstare, quod etiam ex nomine Caïn elicit Philo lib. de sacrificiis Abel & Caïn, inquiens: *Caïn id est possessio, eò quòd sibi videatur possidere omnia*: ad quem modum lib. de *Cherubim* ex Abel pium dogma omnia ad Deum referens, ex Caïn verò arrogans, quo omnia sibi quis tribuat emanasse, ait. Porrò Abeli omnes Dei familiares à Deo in vltimo iudicio coronandos omnino concinentes videntur: Domino quippe illis cum plausu & gratulatione dicente: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, esuriui, & dedistis mihi manducare*, &c. sic occursuri dicuntur: *Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus te?* &c. Matthæi 25. 37. Vbi dum iure ambigis, quomodo iusti idemmet quod Deus affirmat, negare videantur, eique velut in faciem resistere? Scitè occurrunt Paschasius & Rabbanus ad ipsorum affectum & submissionem id referentes, quod quæcumque in Dei obsequium fecerint, nihil fuisse putauerint, & vt dicebat Pelusiota, adeò non sublimiter de egregiis suis factis senserint, vt nec se fecisse existimauerint. Audi Paschasium, qui cùm dixisset: *Quod si nulla ratiocinatio in iudicio intelligenda esset, non vtiquè iusti eorum obliuisci poterant fortè in præsentiarum, quæ legerant, seu quæ pro eius amore in electis Dei gesserant, sicut hodie nemo est qui ignoret, Deo se præstare quidquid in pauperibus Christi tribuit*. Sic iis statim occurrit: *causâ humilitatis indignos se proclamant magis affectu mentis quàm clamore vocis*. Similiter Rabbanus: *Hoc quidem dicunt non diffidentes de verbis Domini, sed quia videbitur eis parum esse bonum quod fecerant*: vt dixerint cum Abel: *Quid hoc?* Vanitas quidem & inane. Pergit verò Theodoretus obseruans adeò fuisse Domino gratum modestissimum hunc mentis affectum, vt iterum atque iterum omni asseueratione affirmauerit. *Amen dico vobis quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*: ait enim ille lib. 11. de iudicio tom. 2. *Istis dicentibus, se nihil vnquam tantis dignum præmiis præstitisse (proprium est enim virtutis athletis, vt modestos se prabeant, suasque opes occultent) eis contra ita respondebit*: Amen dico vobis, &c. Sic ille.

Chrysost.

Philo.

Matt. 25. 37.

Rabban.

Theodor.

6 Iam verò ab hoc egregio demissionis affectu tam virtutum opera, quàm officia in Principem ampliora reddi, & maiorem splendorem accipere illustris illa Ioannis visio, cùm Deum in throno lucidissimo sedentem, & in eius circuitu viginti quatuor seniores, siue Principes aureis coronis ornatos intuitos est: sic enim Apocal. 4. vers. 4. *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamictos vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ*. Ad quæ quidem verba grauis dubitatio est, quâ ratione hi Principes coronas in capitibus habere possent, qui statim coronas ante thronum sic mittere dicuntur: *& cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronũ, procidebant viginti quatuor seniores & mittebant coronas suas ante thronum*. Quod si dixeris, benè stare, iam coronas in capitibus habere, iam verò eas deponere & ante thronum mittere: facilè ex ipsomet textu id effugium præcluditur. Nam cùm Ioannes vna ex parte dicat, tunc omnino ipsos coronas mittere, cùm darent illa animalia gloriam & honorem sedenti super thronũ: ex alia verò ipsa *animalia requiem non haberent, die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. manifestè euincitur, coronas ab iis senioribus indesinenter ante thronum mitti, quin tempus aut locus fuerit, in quo ipsas in capitibus habere possent. Sed cùm coronæ illæ egregias ipsorum virtutes atque victorias indicent, quarum viriliter agentes compotes euaserunt, vt ibi Andr. Cretensis, & alij explicant, facilè ex dictis dubitationem opprimes, si dixeris, periade omnino esse, coronas ante thronum mittere, id est ex Christi præcepto seruos se inutiles profiteri, & cum Abel dicere, *Quid hoc fuerit?* ac denuo coronari, & coronas in capite perpetuò habere, dicente Chrysost. vt vidimus: *Quid est aspexit? approbauit, laudauit mentem, coronauit voluntatem*. Sed hæc vide, vt eleganter diffundat S. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 373. sic scribens. *Is quidem qui virtutem colit praclaram coronam habet, at qui virtutis officia præstans, minimè tamen se præstitisse affirmat, hoc etiam ipso, quod ita affectus sit, splendidiorem coronam habiturus est. Non minoris enim, quàm virtutes ipsa laudis est cùm ex virtute aliquid geras, minimè tamen te gessisse arbitrari. Imò, vt rectius loquar, hoc cùm adest, illa quoque magna esse indicat, cùm autem abest, etiam maxima quæque imminuit*. Concludit: *Quamobrem qui virtutes suas magnas reddere cupit, ne eas magnas esse existimet, ac tunc magna erunt*. En quo pacto seniores splendidissimas virtutum & meritorum coronas in capite habeant, quod videlicet eas ante thronum humiliter proiiciant, dum virtutis officia quæ præstant, minimè se præstitisse existimant, nec quidpiam magnum in Dei obsequium gessisse arbitrantur.

Apoc. 4. 4.

Andreas.

Chrysost.

Isid. Pelus.

Ad ea verba,

Ambulans in via immaculata.

Regium familiarem in suum Principem non concupiscentia amore, qui propria commoda respicit, sed verâ amicitiâ, in illius bonum semper intentâ, ferri omnino debere.

ADNOTATIO XV.

1 Procul omnino à Regio familiari is mercenarius sensus, siue affectus fuerit, quo erga Principem cæteri fermè omnes subditi afficiuntur, qui nunquam cum Principe, sed semper cum fortuna illius agunt, atque loquuntur, vti ad suum Pisonem Imperator Galba apud Corn. Tacit. lib. 1. historiar. hunc in modum dicebat: *Etiam ego, ac tu simplicissimè inter nos hodie loquimur, cæteri libentius cum fortuna nostra, quàm nobiscum*: sed is in ipsum castissimus insit animus, qui nullam propriam vtilitatem, gloriam aut commoditatem ob oculos habeat, verùm mercedis omnino expers in Principis bonum, & splendorem vnicè feratur. Quo sanè modo nostrum Dauidem, siue cùm apud Deum, siue cùm apud homines Administri vice fungeretur, sese gessisse nouimus: & vt hinc incipiam, vide vt suum ipse in Regem Saülem, & Principem Ionatham amorem à cæterorum obsequio discriminauerit, cùm in exequiis, quos ipsis in bello extinctis quomodo potuit impendit, hæc inter alia non minus eleganter, quàm dolenter aiebat

Corn. Tac.

2. Reg.

2 Reg. 1. 24. 2. Reg. 1. 24. *Filiæ Israël super Saül flete, qui vestiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro. Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium suum, ita ego diligebam te*: vbi, si attendis, omnino expressit, quod dicebat Galba: *ego ac tu simplicissimè loquimur, cæteri libentiùs cum fortuna nostra*. Quare pende primùm canonem ob quam in Regis sui morte planctum ipse filiabus Israël indiacerit. *Qui vestiebat* (inquit) *vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro*: planè indicans, non alia ipsas de causa Saülem diligere, quàm quod elegantiæ studiosæ, & rerum pretiosarum auidæ plurima ex auro & coccino aliaque pretiosa materia ornamenta muliebri cultui opportuna à Rege frequentiùs acciperent. Deinde obserua, quàm alium ab hoc suum in Principem amorē faciat Dauid, dum ait: *amabilis super amorem mulierum*. Etenim cùm dubium non sit, quin amor hîc passiuè sit accipiendus, pulchrè innuit, se in Ionatham non eo amore fecti, quo feminæ viros, sed quo viri feminas prosequuntur; nimirum vt feminæ viros, non nisi vt ab illis ornamenta accipiant, amare [solent], ita viri vxores candidiori affectu, & naturali in ipsasmet propter ipsas beneuolentiâ; non verò quòd ab ipsis diuitias, honores, aut alia ornamenta sperent, infixo à natura aculeo diligunt, vt ad Euæ ex costa hominis formationem Genes. 2. 21. obseruauit sanctus Bruno in allegoriis Gotfridi Tilmani. *Vt maior inter hominem & mulierem dilectio foret, non aliunde, sed de viri costa facta est. Vnde fit, vt naturali quodam amore viri insectantes costā suam, mulieri adhærere cupiant, quasi carni suæ.* Ergo candidissimum in Regem affectum scitè ostendit Dauid, dum adstruit, non præmiorum, aut diuitiarum spe illectum, sed naturali beneuolentiâ vt ipsum amaret, animum induxisse; vnde subiicit: *Sicut mater vnicum amat filium suum, ita ego diligebam te*. Quid enim materno amore simplicius, candidius, aut à mercede, & spe magis expers, & alienum?

Gen. 2. 21. S. Bruno.

2 Ad quem sanè modum se etiam componebat, cùm Deo adstabat Psalm. 5. 4. & sese eius Administrum considerabat. Sic enim Psalm. 72. 25. *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* vbi illud *à te* omnino est ac *extra te*, vnde in Hebræo est: *tecum non volui quidquam in terra*: & apud Chaldæum: *Tecum socium non volui in terra*: vt sensus sit: te vnum expecto, & re propter te, quin aliquid mea vtilitatis in te cupiam, frui opto: sic hæc verba expendente Bernardo serm. de *diuersis affectionibus animæ*, ad hunc modum. *Neque enim suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quidquam tanquam priuato suspiam amore desiderat anima, quæ huiusmodi est, sed tota pergit in Deum, vnicumque ei, et perfectum desiderium est: vt introducat eam Rex in cubiculum suum, vt ipsi adhæreat, ipso fruatur.* Preme illud: *tanquam priuato sui ipsius amore*: quod in Deum non concupiscentiæ, sed germanæ amicitiæ, amore feratur, non quæ sua sunt, sed quæ Dei, eius scilicet honorem & gloriam quærens: & in ipso nihil præter ipsum expetens, & ab ipso propter ipsum, non verò vt *adolescentula ab odore vnguentorum* eius tractus. Cantic. 1. 3. Verus planè Dei amicus non adulator, vt amicum ab adulatore discernens scitè pensitabat Gentilis Maximus Tyrius orat. 4. vbi cùm dixisset: *Amicitia si exploretur, confirmatur; adulator si exploretur perit. Amicitia nullum vnquam eget: alteruis semper adulatio.* Subiicit: *Quod si aliquid hominibus cum Deo commune est, homo pius amicum Dei est: superstitiosus, adulator Dei: & beatum quidem vir pius, qui amicus Dei est, miser superstitiosus* Hæc ille.

Psal. 72. 25.

Lect. Heb. Chaldaus.

Bernard.

3 Sed pergit Bernardus, & alibi Dauidem hæc dicentem, tum eundem facit cum sponsa Cant. 3. 4. animosè, & ardenter affirmante tam tenaci se complexu sponsum suum retinere, vt ipsum minimè abire permittat, tum etiam cum Iacob Angelo siue Deo inquiente. *Non dimittam te, nisi prius benedixeris mihi*, ita componit, vt et longè antefeerat. Audi ergo illum serm. 79. in Cantica. *Tenui eum* (inquit) *nec dimittā, & sanctus Patriarcha.* Non te inquit dimittam, nisi benedixeris mihi: *Ita ista non vult eum dimittere, & fortè magis quàm Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem. Siquidem ille benedictione acceptâ dimisit eum, hæc autem non sic. Nolo inquit benedictionem tuam, sed te.* Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram. Non dimittam te: Nec si benedixeris mihi. Hæc omnia Bernardus opportunè, sed illud opportunissimè. *Nolo benedictionem tuam, sed te*: quòd is candidi obsequij ac perfecti amoris character sit, cùm non felicitatem, non gloriam, non aliud quidquam tamquàm priuato suipsius amore desiderat anima, sed Deum propter Deum quærit, nec illum vult dimittere etiamsi benedixerit ei. Quæ sanè omnia alibi idem Vates breuissimè, sed significantissimè exposuit, hanc in Deum sagittam iaciens Psalm. 16. 5. *Tibi dixit cor meum*. Pulchrè *tibi*, vt dicat mihi tuum, sed vnum te diligo: sic pensitante hæc inibi August. in secunda enarratione Psalmi. *Magnificè: nihil dici diuinius potest. Sentiunt hoc qui verè amant. Alius vellet beatum, & immortalis esse in his quæ diligit terrenarum concupiscentiarum voluptatibus, & fortè propterea Deum coleret, & oraret, vt diu hic viueret in delictis suis, & non ab eo aliquid periret, quod terrena possideret cupiditas. Non vult hoc iste, qui vnam petiit à Domino: Sed quid vult? contemplari delectationem Domini per omnes dies vitæ suæ. Rursus, alius, qui hoc modo, & hac causâ coleret Deum, si illa sibi temporalia adessent, iratum Deum non timeret, nisi ne illud auferret. Iste non propter hoc timet iratum, &c. Respondet amator talis Nolo: quidquid mihi præter illum est, dulce non est. Quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, & se mihi det.* Sic August.

Cant. 3. 4.

Bernard.

Psal. 16. 5.

August.

4 Est quidem hæc Administri siue Dei, siue humani Principis corona, quæ eius erga Principem merita maximè ornat, dicente etiam Dauide *scuto bonæ voluntatis tua coronasti nos*. Psalm. 5. 13. & Ieremia Threnot. 5. 16. *cecidit corona capitis nostri* cùm vtrumque locum de recta erga Deum intentione capiant Paschasius in Threnos & alij: nimirum tunc ille non modò Principi charus atque iucundus, & qui mittam apud ipsum suauitatem obtineat, sed etiam gratiæ quâ fruitur, & muneri quod gerit maximè opportunus censetur. Nam hic imprimis veræ amicitiæ verus index, & tanquam Lydius lapis est (vt indidem Maximus Tyrius sapienter adstruit, & res ipsa per se loquitur.) *Amicus enim* (ait ille) *id quod bonum putat, fine id dolorem post se sius voluptatem afferat, cum amico communicat, & ex æquo fruitur: adulator ex præscripto libidinis suæ quidquid cum amico agit, ad lucrū suum dirigit. Amicus æqualitatē; proprij boni spectat adulator. Alter æqualitatem in virtute; alter lucrū in voluptate. Alter veritatem in familiaritate; alter fraudē, alter emolumentum in posterum, alter in præsens delectationem; alter quæ amici sunt, vt communia curat: alter vt aliena consumit.* Deinde oraculum quidem hanc in rem esse videtur quod epist. 9 inquit Seneca. *Qui se spectat, & propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat*: quod perinde fuit ac si diceret, non firma, non recta, non constans, & qualis amici rebus expedit, illi mens est, nec eum affert animum qui publicæ vtilitati & negotiis expediendis idoneus sit; nam dum se cogitat, & intuetur, & suis est commodotatibus intentus, sæpius in Principem, & in Rempubl. præuaricari necesse est. Quo omnino respicit ille accuratissimus loquendi modus, quo Dominus de deligendo sibi Administro humano more consultationem instituens, sic vsus est: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Isaiæ 6. 8 Preme id *ibit nobis?* vt dixerit: Si is esset opportunus qui sibimet iret, & seipsum spectaret, non multùm, nec ancipiti consilij

Psal. 5. 13. Threnor. 5. 16.

Max. Tyr.

Seneca.

Isai. 6. 8.

consilij lance deliberandum nobis esset: cùm sese nobis tot offerrent, quot stellæ sunt cæli, aut arenæ in littore maris; huc enim & rude, & eruditum vulgus cursu vadit: at cùm is tantùm muneri sit idoneus, qui nobis erat, qui nostrum tantummodo honorem, & gloriam, & publicam vtilitatem ob oculos ferat: magnâ quidem discussione & deliberatione ad eum inueniendum, qui

Rara auis in terris, nigroq; simillima cygno

Montan. esse videtur: ita hunc locum premente Aria Montano. *Quisnam tam duram prouinciam suscipere, fideliterq; administrare velit, ita vt nullo metu, gratia, odio, aut alio mentis affectu perturbatam auctoritatem, consilium non sæ propria cogitatione aut sententia, sed ex præscripto nostro actum, dictumq; sit?*

5 Enimverò ad has Dei voces, ad hæc vota, duos ipsius Administros egregiè compositos videris, Petrum scilicet, atque Abrahamum: ille enim in regiam, atque diuinam Christi gratiam adlectus, duo veræ amicitiæ, & candidissimæ simplicitatis monumenta dedit: alterum ex Christi præscripto, & in eius nomine ingenti piscium multitudine capta, adeò prædæ non hæsit, vt potiùs ab auidia in postopum spebus manus omnino excusserit. Audi Lucam in primùm prædæ magnitudinem describentem, cap. 5. vers. 6. *Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, &c. & annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur*: deinde Petrum adeptam prædam sic toto animi nisu recusantem: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine*. Vbi si ambigas, cur ardentissimus Christi amator, ipsum à se remouere, & quasi domo sua pellere voluerit? Respondebit ipse, causam fuisse, ne prædam potiùs, & copiosam piscium capturam, quàm Christum amare videretur: vt dixerit, adeo non tua, sed te Domine exquiro, & concupisco: vt tui potiùs tepidus amator, quàm tuorum ardens appetitor malim quodammodo videri, nec enim honestum siue honorificum mihi fuerit, te in domum siue nauim meam suscepisse, vt tua manu velut reti, aut hamo tantam prædam expiscatus sim, iamque non tam me tibi piscari, quàm te mihi piscatore vti videar: præstrinxit

Maldon. acutè hæc omnia P. Maldonatus ibi, dum ait: *Sunt qui in hac re parùm Petrum imitentur, qui cùm apud se Christum habeant, auarè, ambitiosèq; non dimittunt, quia plus eo præstante piscantur. Hi non Christo, sed Christum sibi piscator est.* Hæc ille, ex quibus facilè germanum Christi, siue etiā Principis Administrum ab spurio & illegitimo discrimines: ille enim nō sibi sed Principi intentus, famam, honorem, quietem & vtilitates omnes ei piscari, & acquirere studet, quippe qui tanquam verus amicus ipsius tantùm bonum ob oculos habet, hic verò Principem siue Principis fortunam vni sibi vendicat, vt in proprios vsus, & commoda conuertat, atque auidè ad piscandum manibus in lucra spectat, vti de fa-

Corn. Tac. miliaribus Galbæ imperatoris describat Cornel. Tacit. lib. 1. Historiar. *Seruorum manus subitis auida, & tanquā apud senem festinantes.* Porrò Petrum ingenuo hoc sensu ac verbis egregium optimi familiaris, regijque Administri specimen dedisse, atque ideirco maiorem Principis sui fauorem, & gratiam fuisse promeritum, apertè indicauit ipsemet Dominus, quia Petro quodammodo repulsus, ipsum vel hac repulsæ ratione in

Luc. 5. 10. suum Administrum, sic statim delegit Luc. 5. vers. 10. *Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens.* Preme illud *ex hoc*, quod eam vim habet, ac si dixerit Dominus: Esto iam Regni mei Administer, qui velut Lydio lapide examinatus, fidum, germanumque te exhibuisti, non tibi, sed mihi piscari studens.

6 Persimile quidem est huic alterum optimi Administri indicium à Petro datum, cùm Dominus so-

P. Velasquez in Psal. centesimum.

crum eius sanauit: eam sic referente Luc. cap. 4. 38. Luc. 4. 38.

Surgens autem Iesus de Synagoga introiuit in domum Simonis: Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Nam si attendis tam ibi, quàm apud Matth. 8. 14. non dicitur Dominum à Petro in domū suam fuisse deductum ad salutem socrui suæ reddendam, sed sponte non vocatum venisse: sed cur, inquis, qui pro ipsa Domino domum ingresso, cogauit, nolui prius ipsum adducere, vt quantocyus socrus sanaretur? An ille ad morem volgi socrui suæ erat infensus? Apage, sed qui Dominū siue in Synagoga ad omnium vtilitaté concionanté, siue aliorum morbos depellentem videbat, minimè suum illi negotium obtrudere, sed tanquam bonus Administer communi vtilitati, cui tunc Dominus intendebat, postponere voluit, & eam sponte cadentem expectare, ita id ob-

Chrysost. seruante Chrysost. hom. 28. in Matth. *Tu autem hic summam in Christum Petri reuerentiam considera: nam cùm socrum sua domi iaceret, æstoreq; febris arderet, non traxit eum in domum, sed expectauit, quoadusque prædicationem solueret, cæterosq; homines, qui ad Christum confugerant, curasset. Et tunc demum cùm intrasset, Deum rogauit.* Reddit rationem: *Sic enim statim ab ipsis initiis aliorum commoda suis vt preponeret institutus est*: planè quasi ad id ab ipsiusmet Christi fauoris & amicitiæ lege adactus. Noretur verò ille dicendi modus. *Summam in Christum Petri reuerentiam considera*, quo innuit Chrysost. illum familiarem Principem suum omnino reuereri, eumque prò ipsius fastigio tractare, qui in illo non fortunam à qua propria commoda percipiat, sed personam, in cuius obsequinum ipse se impendat, attentiùs consideràt: secùs verò qui se suaque spectat, à Principis obseruantia & reuerentia deflectere, tum, quòd dum ab ipso nunquam non poscit, semper illi importunus atque molestus fiat eum vel maximè quod eam quam par est erga eum reuerentiam non adhibeat. Vbi omnino fuerit obseruandum hanc regij Administri in Principem suum reuerentiam, non tantùm egregiam beneuolentiam, sed etiam signatè cum ipsa dilectione persimilem Principis erga illum reuerentiam conciliantiam: vt eum qui hoc modo Principem reueretur, Princeps itidem eadem ductus ratione reuereatur. Opportunè id adnotante Corn. Tacito siue einsdem

Quintil. æui, & notæ auctore Quintiliano in Dialogo *de Oratoribus* in Marcello Eprio, & Crispo Vibio, qui apud Vespasianum Augustum senem quidem ac prudentem Imperatorem non modò omnia poterant, & in eius gratia Principes erant, sed etiam cum peculiari reuerentia diligebantur, quòd animaduerteret ipse, eos, secus quidem ac alios familiares res Principis, quàm Principem amantes ad suam amicitiam candidissimè accessisse. Audi: *Nunc Principes in Cæsaris amicitia agunt, feruntq; cuncta, atque ab ipso Principe cum quadam reuerentia diliguntur. Quia Vespasianus venerabilis senex, & patientissimus veri bene intelligit, cæteros quidem amicos suos niti in quæ ab ipso acceperint, quæque ipsi accumulare, & in alios congerere promptum est, Marcellum autem, & Crispum attulisse ad amicitiam suam, quod non à Principe acceperint, aut accipi posset.* En pulchrum reuerentiæ talionem regio familiari à suo Principe repensum.

7 Iam verò non minus candidum reuerentemque Administrum, sese Deo Abraham exhibuisse videtis in celebri illo colloquio, siue conuentione, quod cum ipso super excidio Sodomæ habuisse dicitur Genes. Gen. 18. 32.

18. Etenim cùm Abraham pro Sodomæ ciuibus interpellans quinquaginta nimirum primùm iustorum numerum Deo obiecisset, vt ob illos cæteris parceret; *si fuerint (inquit) quinquaginta in ciuitate, peribunt simul & non parces loco illi propter quinquaginta iustos* eiusque votis Dominus sic annuisset. *Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter*

 eos

eos. Deinde verò cùm ille numerum per denarios petendo diminuens, vsque ad denarium ita perduxisset: *Quid si inuenti fuerint ibi decem?* itidemque benignissimus Dominus indulsisset dicens, *Non delebo propter decem*; Dei tunc ille reuerentiâ, ac timore occupatus, multoque rubore suffusus, vltra in sua petitione progredi ausus non est. Sed quare? (inquis) Num qui tantam Dei humanitatem fuerat expertus, ad quatuor etiam aut quinque iustos, quos Dei indignationi opponeret, descendere non potuisset? Quid ni? nonne, vel vna ipsi anima æquè ac plures chara est: dicente Tertull. Tertulliano lib. de pœnitentia: *Errat vna pastoris ouicula, sed grex illâ charior non erat*: quo ergo, velut subrustico pudore, bonus interpellator prohibitus est, ne minorem numerum Deo obiiceret? Sanè, quod si ad quatuor, aut quinque descendisset, non tam aut Dei, aut publicæ vtilitatis, quàm sui, suorumque amator videretur, qui Sodomis nepotem suum Loth cum vxore, & filiabus habebat, eorumque ratione, ac meritis ductus, suam tunc petitionem adornare videretur. Rupert. Sic sapienter id expendente Ruperto ad id loci lib. 6. in Genesim cap. 5. fine hunc in modũ. *Adeo non suam quæsiuit voluntatẽ, vt quantumcumque haberet curã pro nepote suo Loth, nullam tamen os eius de eo faceret mentionẽ.* Vbi placet obseruare illud *quantumcumque haberet curam pro nepote suo*: vt appareat: fuisse quidem magnæ sibi curæ Loth, sed multò maioris fuisse bonum nomen, & egregia muneris Administri moderatio: ne qui publicæ vtilitatis studium præferre fuerat professus, ad suorum tantùm commoda declinare videretur. Hinc maior subinde Abraham, sed de hoc in sequentibus.

Ad eadem verba,

Magna ei Administro fides à Principe habetur, qui nec sui, nec suorum anxius esse dignoscitur.

ADNOTATIO XVI.

1 PETRVM ergo, & Abrahamum meritò Princeps in suos adlegauit Administros: eisque prorsus se suaque commiserit: homines scilicet qui non sui, nec suorum anxij, Principis salutem, bonam existimationem & nomen, optimamque eius gubernationem præ oculis habent, & præ illius bono, & gloria omnia alia posteriora ducunt, quippe his vt veris, & germanis amicis, ad legitimæ amicitiæ leges egregiè compositis optimo iure ipse fiderit: certissimum hinc de ipsis experimentum capiens: pulchrè enim citatus præced. adnot. Max. Tyr. Maximus Tyrius hunc in modum de vero & falso amico dissertabat. *Ex proposito enim, vsuq; & instituto animi ab amico adulator distinguitur: sicut vterque, & qui virtutis studio, & qui mercedis causâ militat, armis vtitur, nec tamen de operibus eorum ab externa quisquã actione iudicat, cùm pro instituti ratione vsum vtriusque potiùs distinguat. Alter enim seruare amicum solet, quia est amicus: alter se mercede cuilibet addicit: alter in eo quod agit suæ sponte est, alter venalis, alter iis fidem seruat, cum quibus fœdus contraxit, alter ne iis quidem, cum quibus amicitiam. Eodem adulatorem ab amico differre puta; ambobus enim sæpius accidit, vt eodem modo agant, eodem modo cum amicis viuant, cùm tamen alter ab altero, vel ex vsu, vel ex fine, vel ex animi proposito sit discernendus.* Sic ille disertissimè: vsum, finem; & animi propositum Petri & Abrahami optimorum scilicet Administrorum ob oculos ponens, & à falsis amicis discernens, quòd ij non lucrum, non honorem, non suorũ vtilitatem, sed Principem suum seruare, & suâ illi sponte absque mercedis illecebra perpetuò inseruire velint; illis eius vocibus, ac votis, *Quis ibit nobis?* Isaïæ 6. 8. adnotat. præced. A adductis, *vt nullo metu, gratiâ, odio, aut alio mentis affectu perturbatus acturus, dicturusq; sit* (vt explicabat Arias Arias Mont. Montanus) sese vndequaque accommodantes: subiiciente videlicet Isaia: *Ecce ego, mitte me*, Isai. 6. *iisdem legibus, ac conditionibus* (inquit Montanus) *quas causa ipsa indicabat; sese idoneum rei agenda ministrum Deo Vates, vltrò prabens.* Quæ quidem omnia bellissimè expressit Tertullianus in Apologetico: germanum Dei familiarem Tertull. qui apud ipsum iure omnia possit, sic describens. *Ego sum, cui impetrare debetur, famulus eius, qui eum solum obseruo, qui propter disciplinam eius occidor*: vt dixerit, qui eius honori meam salutem & incolumitatem postpono. Cuius quidem propositi egregium specimen erga Imperatorem Tiberium validus eius Administer Sejanus dedisse visus est, cùm illius aliquando discrimini sese toto corpore opposuit, rem sic narrante Corn. Corn. Tac. Tacito lib. 4. Annal. *Vescebantur in villa, cui vocabulum* B *spelunca, natiuo in specu: eius os lapsis repente saxis obruit quosdam ministros. Hinc metus in omnes, & fuga eorum, qui conuiuium celebrabant. Sejanus genu, vultuq;, & manibus super Cæsarem suspensus, opposuit sese incidentibus, atque habitu tali repertus est à militibus qui subsidio venerat.* Quid inde? Magnum quidem in Principis gratia incrementum, & maior deinceps ei habita fides tanquam vero amico, nec tam sui quàm Principis anxio. Sic namque pergit Tacitus. *Maior ex eo: & quamquam exitiosa suaderet, vt non sui anxius cum fide audiebatur.* Optimè. Quis enim ei non fidat, qui vt amicum seruet, sui anxius non est? vti è contra: quis Principum ei Administro se, suaque, & publica negotia committat, quem sua solùm curantem: sui suorumque anxium animaduertit?

2 Hinc quidem, si benè æstimas, suspectum apud Deum reddere nitebatur Malignus sanctum Iob, cùm Iob. 1. 8. & 9. illius laudes Domino hunc in modum celebrante, *Numquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, &* C *recedens à malo?* Iob 1. 8. & 9. sic ipse vt fidem ei detraheret obuiam ibat. *Numquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamq; substantiam per circuitum.* At, quæ hæc accusationis species? quæve Iobi culpa fuerit, quòd opibus à Deo cumulatus, & peculiari protectione munitus sit? Non leuis quidem, sed acerrima, maligna hæc dæmonis criminatio fuit, eâ enim tacitùs totam virtutis Iobi, & gratiæ, quâ apud Deum plurimùm valebat, molem funditus euertere studuit, tantùm non dicens: Quid? credisne Iob verè tibi dicere posse. *Tibi dixit cor meum*, siue *quidquid mihi præter illum est, dulce non est. Quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, & se mihi det.* Minimè quidem: non enim te propter te, sed propter se colit, quippe qui beatus, & immortalis in his quas diligit terrenarum concupiscentiarum voluptatibus esse cupit, timetque ne ab eo aliquid pereat, quod terrena possidet cupiditas, vti hęc diaboli verba Græ- D ci PP. in Catena Græca premunt, signatè verò Olympiodorus; Olympiod. qui hunc in modum ait. *Verba profectò diaboli: non virtutem tibi reddit, cùm te pietate colit, verùm acceptorum beneficiorum mercedem persoluit: mercenarius est, non verus, siquidem is gratuitò erga Deum pius est, qui nec ob supplicia, nec ob promissa illi seruit.* Audis tinctam veneno accusationem? *Mercenarius est, non verus*: quâ nihil acrius in Principis Administrum dici potuit? Enimverò vt illam Dominus obrueret, & Administri sui probitatem mundo manifestam faceret, omnibus illum externis bonis spoliare minimè dubitauit, quasi & sibi & suo familiari signatè consuleret, si eum ab hac calumnia immunem faceret; ostendens verum illum amicum, non mercenarium esse, qui Deo propter ipsum, non propter se, suasque commoditates inseruiret. Vnde post examinatum, probatumque animi Iob candorem, malum dæmonem sic bonus Dominus allocutus

allocutus dicitur. *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* A Iob 2. 3. obserua illa: *& adhuc retinens innocentiam*: cum Chrysost. in Catena Græca, vt dicerit Dominus: *illius aduersus me pietatem à bonorum possessione excitari aiebas: bonis spoliatus est pietate nequaquam.* O bonum fidumque Principis Administrum! cui meritò maior abhinc fides, vt non sui anxio habeatur.

Iob. 2. 3. *Chrysost.*

3 Capies hinc quidem sub eodem sensu diuersissimas cælestis Sponsi ad Sponsam suam locutiones: dum hinc illius oculis tanquam igneis amoris iaculis dulciter vulnerari, & capi: illinc eos adeò grauiter aduersari, vt assumptis alis longiùs fugiat, affirmet: sic namque primum Cant. 4. 9. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum* (vel vt Ambrosius legit serm. 56. in Psalm. 118. *Cor meum cepisti*: siue vt habet Quinta Editio, *fidere me fecisti*) *in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* En Sponsum oculis Sponsæ & victum, & vinctum, quin ab ipsa discedere valeat, nec modò illam tenerrimè amantem, sed & illi vnicè fidentem. Contrà verò de iisdem postmodum oculis sic ait. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*: Cantic. 6. 4. Sanè quasi ipsum illi excosserint, atque amoris flammam, siue extinxerint, siue imminuerint. Quòd si inquiras: quid fuerit in causa cur constantissimus amator eosdem sponsæ suæ oculos iam complectatus, iam fugiat, iisdemque & vinciatur, & ab amoris nexibus itidem dissoluatur? Respondebo ipsis in oculis, non verò in castissimo amatore mutationē factā fuisse. Nam (si attendis) illi quidem primùm non nisi sponsum intuebantur, in quem totam aciem sic dirigebant, vt non duo oculi, sed vnus tantùm esse videretur, sic ea verba capientibus Gregorio Nysseno, & Venerabili Gilleberto, quorum prior, *ille* (inquit) *est acris visus, & perspicax, qui per vnum animæ oculum ad solum bonum aspicit: cæcus est qui multos habet oculos*: Gillebertus verò. *Oculus tunc vnus est, si purus est, vnus est, si ad plura non est. Oculus tunc vnus est, si intendis, & intueris semper in vnum, & in illum vnum*: vnde paulò antè. *Non dicit in oculis quasi in pluribus, sed quasi in vno, si plures habes oculos, omnes alios claude, vt hoc vno vtaris, quo solo dilectum intueri soles, & quo solo vales.* Hæc verò candidissimi affectus vnitas atque simplicissimus amor, quomodo non Principis animum saperet, & sibi omnino vindicaret? huic tam veræ, tam germanæ amicitiæ quo pacto ipse non fideret, & sese committeret, atque illigaret? At enim eadem subinde Sponsa non tam vnum oculum, id est, ambos amore sui Principis vnitos in ipsum fixisse, quàm pluribus circumquaque ipsum spectasse, in Principis scilicet fortunam potiùs quàm in personam intenta, vt Iusto Orgelitano inhærentes boni Auctores explicant. Vnde meritò idemmet Princeps qui dixerat: *fidere me fecisti in vno oculorum tuorum*: dum videt, non tam se, quàm sua temporalia scilicet bona à familiari suo quæri, ab hoc plurium oculorum aspectu se subducit, & auolat inquiens. *Auerte oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt*, tantùm non affirmans: Nolo vt *fosum* mecum habere velis, nolo vt mea potiùs, quàm me spectes, nolo vt libentius cum mea fortuna, quàm mecum loquaris. Ergo nihil sic Principem in suum Administrum pronum reddis, nihil ei adeò fidere facit, quàm cùm ipsum non sui auarum, sed totis oculis Principis bono inuigilantem obseruet. Sicut è contra inde illius beneuolentiæ ardor & amoris impetus elanguescit, quòd ipsū duobus oculis præditū, altero in personam, altero in fortunā intentis animaduerterit, quippe id adulatoris potiùs quā amici est. Nam vt scitè præfato loco Maximus Tyrius. *Amicitia nullius vnquam eget: alicuius semper adulatio.*

Cant. 4. 9. *Ambros.* *Q. Editio.* B *Cant. 6. 4.* *Nyssen.* *Gillebert.* C *Iust. Org.* D *Max. Tyr.*

P. Velasquez in Psal. centesimum.

4 Sed cum præfatis sponsi verbis. *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*, compone imprimis illa eiusdem Domini apud Matthæum 6. 23. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*: in quibus, & vnius oculi, & eius quidem, cui purissimus candor, ac mera simplicitas subsit, signatè meminit. Sed illud eodem Magistro penitiùs disquirendum, & obseruandum: vter è duobus oculis retinendus vt eo vtatur sponsa? dexterne? an sinister? Et verò cùm omnis rei dextræ melius quidem nomen, melior causa semper fuerit, singillatim verò cùm è manibus, quæ ad morales operationes referuntur, dextra omnino probetur: sinistra verò reiiciatur, eodemmet Domino monente: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*: Matth. 6. 3. indubitatò respondes, dextrum sanè oculum simplicem esse, eumque, quo sponsi animus capitur, cuique ipse maximè fidit. At enimverò aliter eidem Domino visum, qui signatè monet dextrum oculum eruendum ac proiiciendum fore. Sic enim Matthæi 5. 29. *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Quòd si ambigas, cur dextra manu retenta, probata, atque laudata, dexter oculus qui manum ducere, ac dirigere solet, eruatur, ac proiiciatur? Respondebo aliter quidem manum, aliter oculum considerari, & vt aliud videndi, aliud operandi munus est: ita aliam manus, aliam oculi rationē esse; nimirùm cùm vna ex parte, tam spiritualia, & æterna bona, quàm temporalia & terrena in Dei manibus sint, illa quidem in dextera, hæc in sinistra: dicente Salomone. *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ, gloria.* Prouerb. 3. 16. ex alia verò, *sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Psalm. 122. 2. rectè stat, manum dextram laudari, quòd ad virtutes, & bona spiritualia, quæ etiam & seipsis dextra, & in manu dextra Dei sunt, extendatur; oculum verò dextrum damnari, & eruendum censeri quòd temporalibus commoditatibus, quæ in manu sinistra Dei esse perhibentur, omnino inhiet, atque inuigilet: nam si attendis, vt manus siue pars dextra oculo sinistro, ita sinistra dextro oculo obiectiuè (vt aiunt) respondet. Malè ergo audit dexter oculus: meritoque proiiciendus dicitur, quòd non Deum ipsum, & spiritualia ac permansura bona, sed temporalia & terrena spectet. Sapienter hæc omnia ad id loci obseruante S. Eulogio Alexandrino Archiepiscopo lib. 4. contra Nouatianos apud Photium in Bibliotheca Photij his verbis. *Igitur oportet resecto oculo contraria cernente, & actione, & motu in malum diuisis, singulariter videre, ac facere bonum, & ad illud solùm moueri.* Pulchrè *contraria cernente*: hoc est sinistra, quæ è contrario, siue è regione dextro oculo respondent. A qua cogitatione non abit Gregorius Magnus explicans ea Isaiæ verba cap. 60. vers. 8. *vt columbæ ad fenestras suas*: tam ad initium cap. 35. Iob, quàm homilia 5. in Euangelia, dum priori loco ait. *Columbæ ad fenestras sunt, qui per sensus corporis exteriora quæque intentione non respiciunt rapacitatis*: posteriori verò *Milnus & non columba ad fenestras suas est, qui ad ea, quæ oculus considerat, rapina desiderio anhelat.*

Matt. 6. 23. *Matt. 6. 3.* *Matth. 5. 29.* *Prou. 3. 16.* *Psal. 122. 2.* *Greg. Mag.* *Isa. 60. 8.*

5 Possis hinc quidem coniectare, qua de causa Angeli, qui quà Dei Administri sunt, ipsius oculi per quos ipse videt, inuigilat, & rebus omnibus prospicit, esse dicuntur, vt ex Zachar. 3. vers. 9. & Apocalyps. cap. 5. vers. 6. non semel obseruauimus, dum de seipsis sermonem instituunt, nolint se vnquam oculos nominare, sed malle illos dicere se exiis esse, qui ante Dominum adstant, vt Tobiæ cap. 12. vers. 15. *Ego sum Raphaël vnus ex septem, qui adstamus ante Dominum.* Vbi cùm non sit dubium, quin hi septem, quos ante Dominum adstare affirmat, iidem sint cum illis septem oculis Agni de quibus Ioannes citato loco ait: *Et vidi Agnum*

Zach. 3. 9. *Apoc. 5. 6.* *Tob. 12. 15.*

stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram (vt benè obseruat P. Seratius ad id loci Tubiæ quæstiuncula prima.) Vbi non immeritò aliquis ambigat, cur non dixerit Raphaël, sum vnus ex septem oculis, &c. Possis tamen respondere, non ingratus eum, qui Administri munus obit, oculorum nomen tenuisse, vt sese illud candidissimè gerere ostenderet, nec aliquid præter Deum concupisceret; quippe oculi (vt vidimus) non bene audiunt, illisque à Ioanne concupiscentia adhærens ponitur, cùm inter mundi blandimenta, & laqueos *concupiscentiam oculorum* numerat 1. Ioan. cap. 2. vers. 16. de quibus etiam S. Zeno Veronens. M. serm. 2. de Psal. 130. scitè ait: *Ha auctoribus concipitur: his ducibus geritur, his ministris impletur quidquid quotidie concupiscentia, ambitione, auaritia ardet in sæculo*, & sermone seq. *oculorum lenocinio mundus in flore est.* Vnde generali ratione Salomon Eccles. 1. ait. *Non satiatur oculus visu.* En ergo rationem cur cœlestes spiritus oculorum appellatione vti nolint: non secus quidem ac ii, qui nobili, ac generoso sanguine vtrinque conspicuus, duo tamen cognomina, siue appellationes haberet, vnam omni ea parte inclytam, ac illustrem, alteram tum nobilibus, tum è plebe, siue ea infecta radice hominibus communem, prudentes hac ancipiti appellatione, siue cognomine omisso, eâ tantùm vteretur, quâ se omnino nobilem, & illustrem proderet. En quàm alienum ab Administrorum dignitate fuerit malos oculos habere, quibus se, suaque spectent, quin in bonum Principis, publicamque vtilitatem ferantur, vt hac de causa, ne vel leuem quidē huius concupiscentiæ suspicionem Dei Administri ingenerent, specioso oculorum Dei cognomine sese abdicare velint. Quò mirè facit tunc egregium illud Paulini elogium, quod ex Seneca lib. de breuitate vitæ cap. 18. non semel adduximus. *Tu quidem orbis terrarum rationes administras, tam abstinenter, vt alienas, tam diligenter, quàm tuas; tam religiosè, quàm publicas.* Vt quēadmodum oculo nec lenis quidem festuca, aut puluis adhæret, munitissimo enim vallo illum protegente, ita nec Regio Administro terrenæ fæces (hæ sunt diuitiæ) vllâ ratione adhæreant: tum vel maximè quod de Helia egregio Dei Administro, vt ex populi cotaret, sic inquit Gregor. Nyssen. oratione de Laudibus Basilij: *Exhibet Deus Heliam ad curandum populum, virum, qui curationem, & cultum corporis despiceret.* Planè vt nihil minus quàm se curet, qui aliorum curam gerit.

6 Diceris habuisse hæc omnia ob oculos nostrū Vatem, cum Psal. 118. 39. Deum sic enixè precabatur. *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia iudicia tua iucunda: ecce concupiui mandata tua, &c.* Sed primùm obserua, apud Anastasium Græcum pro illis verbis, *quod suspicatus sum*, omnino sepositum, *quod suspicati sunt de me*: vt sit sensus: Ne patiaris Domine me ob opprobrio, & sinistris suspicionibus, quas iniquè de me homines habent, tam immeritò obnoxius, sed ab hoc opprobrio, & ignominia omnino me vindica. Deinde verò quodnam sit opprobrium hoc quod aduersus Dauidem homines suspicabantur, diligenter examina. Et quidem quamuis hac de re historiam ducem non habeamus, cùm nihil de hoc opprobrio in Dauidis gestis inueniatur, si tamen sequentia verba perscruteris, omnino videris, eodem ab hominibus aculeo Dauidem, ac sanctum Iobum à dæmone fuisse compunctum, quasi mercenarius, non verus Dei amicus esset, qui non gratuitò in eum pius, sed mercedis spe allectus, & pœnarum timore cohibitus ipsi inseruiret: subiicit, enim ille: *quia iudicia tua iucunda*, vt diceret: quid enim mihi fuerit opus mercenario animo ad præmia intendere, vt iudicia legis tuæ obseruem, cùm ipsa mihi per se sint gratissima, atque in illis vehementer oblectet? Quare emphaticè pergit. *Ecce concupiui mandata tua*, pte me illud *ecce*; nec non verbum *concupiui*, etenim velut doloris sensu stimulatus animum suum denudare, & intimos affectus patefacere videtur, tantùm non dicens: En Domine quò omnes concupiscentiæ meæ amores, vota, & gaudia ferantur: vt videlicet mandata tua propter ipsa diligam, quin alterius rei gratiâ permouear: sic hæc inibi obseruante, & elucidante Origene: *Qui non modò seruarit mandata, sed amore eorum sit incensus, neque vllius rei gratiâ, sed ipsa & propter ipsa exequatur.* Iam deuoò priora verba pende. *Amputa opprobrium meum, quod suspicati sunt*: quibus sanctus Rex, fidelisque Dei Administer, opprobrium sibi probrosissimum esse ducit, ab hominibus non germanum Dei Administrum, sed mercenarium in præmia, & retributionem intentum, & adulatorem Dei, vt dicebat Maximus Tyrius, non verò amicum haberi: vnde notanter ait, *Amputa*, minimè quidem contentus dixisse *aufer*, aut *auerte*, vt aliis in locis dicitur, vt indicet, adeò hoc dedecore permoueri, & affligi, vt nec illius fibram, aut vestigium in hominum opinione permanere velit, sed ab illa omnino, & radicitùs præcidi, & auerruncari.

Ad ea verba,

Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.

Fidelem Regis Administrum nunquam proprio, sed semper Regio nomine negotia expediturum.

ADNOTATIO XVII.

NIHIL regio familiari tam in animo, & præ oculis habendum, quàm Principis sui ministrū sese meminisse, qui Regis nomine audiat, loquatur, negotiis expeditioni intersit, vt quæcumque faciat, dicat, decernat, non suo, sed Principis arbitratu, velut Regio sigillo consignata videantur: quippe hue Administri, siue familiaris regij munus, & ministerium est, hæc illi omnino præscripta meta, terminusque præfixus, ad quem confringat tumentes regiæ gratiæ fluctus. Vel Pharaonem Iosephu omni modo, omni ratione indulgentem, & apud se in maxima gratia ponentem, hoc imprimis monitum dantē audi: etenim cùm fauoris sui vela sic primùm spiranti auræ omnino expandisset, *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Genes. 41. vers. 40. Pro quibus ex Hebræo opportunè vertetis *cunctus populus armabitur*, siue ex Chaldæo *gubernabitur*: & cursum vers. 41. *Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti:* omnia videlicet omnino pacis, bellique munia ad eum deferens, atque ab illius ore omnes sibi subditos dependere constituens: vnde statim vers. 44. *Dixitq; Rex ad Ioseph, ego sum Pharao: absque tuo imperio non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti.* Subinde tantam, tamque redundantem gratiam eo salis, iniecto freno prudenter condiuit, atque restrinxit. *Tulitq; annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius*: ad sanciendâ videlicet omnia pacis, bellique decreta. Sed quæ hæc, inquis, profusi fauoris restrictio, siue moderatio, & non potius ampliatio, & firmamentum fuerit? Planè, quòd decreta regio annulo signate, idem omnino fuerit, ac regio nomine, siue ex Regis persona decernere, id enim regio sigillo, cui Principis nomen, & insignia subsunt, consignata decreta portendunt: quasi annulum Iosepho Rex tradens, hæc ipsi planè dixerit: En tibi in omnes, & in omnia ius,

&c

& auctoritatem trado, decerne, guberna, iudica, sanci, statue, institue, prouide: ac enimverò totum id non tuo, sed meo semper nomine consigna, quo ego omnino Rex, tu meus Administer, qui meam voluntatem, meos nutus exequeris, esse videamur. Sanè vt non longius hoc ab illo Agrippæ monito apud Dionem lib. 49. ire videatur. *Difficultatem rerum amolire gloriam Principi relinque.* En Manum, auctoritatem, inquam, quam à suo Principe, Regius Administer debet accipere, nempe manum Regio annulo instructam, vt quidquid ille fuerit operatus, Rex eo veluti instrumento vsus fecisse videatur: nec ipse tanquam supremam auctoritatem nactus, sed vt minister, qui heri sui iussa exequitur, negotia expediat. Nimirum sic Princeps suo vti debet annulo, vt suam illo non alienam voluntatem exequatur, vti Q. Fratrem Asiæ Proconsulem ita admonebat M. Tull. lib. 1. epistol. ad Q. Fratr. *Sit annulus tuus non vt vas aliquod, sed tanquam ipse tu: non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.*

Dio Cas. | M. Tull.

2 Enimverò hoc primariò germanum Principis Administrum ab illegitimo, & infideli discriminari, ipsamet Diuina oracula commonstrant: & si velis, ab ipso Dei Filio possis cumptimis sumere exemplum, quippe ipse à Patre signatum se esse nutanter diait Ioan. cap. 6. vers. 27. *Hunc enim Pater signauit Deus.* Quod planè, etsi eo sensu diaerit, vt alibi ea Maldonato adstruximus, quasi summam à Patre auctoritatem acceperit: *Nam signare est* (inquit ille) *auctoritatem dare, quia solemus litteris impresso sigillo auctoritatem, & fidem adhibere.* Simul etiam ea sigilli imagine expressit, se non suo, sed Patris nomine egregia opera atque miracula edere: quod ipsi & in animo, & in ore semper habere summæ curæ fuit. Vnde Pharisæis ab ipso an Christus esset sciscitantibus absolutè respondebat. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei* (id est, vt explicat Maldonatus, *Patris decreto, auctoritate, voluntate*) *hæc testimonium perhibent de me.* Ioan. cap. 10. vers. 25. & vers. 32. *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo*: vbi præter quam quod Cyril. Alexand. obseruauit, modestiæ causâ addidisse *ex Patre meo*, quasi ab ipso ea dona accepisset, accurata locutione maluit Dominus dicere *ostendi vobis*, quàm feci, vt non tam ea ipsum fecisse, quam à Patre iam facta, ab eo solùm ostensa, siue ob oculos hominum proposita viderentur: non quidem quod illa ipse non fecerit, reapse enim fecit, sed quod in Patris sui nomine perfecerit. Ad quem omnino modum cæcum à natiuitate curaturus non minus quæsita locutione dicebat: *Me oportet operari opera eius, qui misit me.* Ioann. cap. 9. vers. 4. duplicata ratione operum splendorem, siue honorem in Patrem refundens: dum primùm *opera eius* appellat: deinde notanter, non dixit Patris, sed *eius qui misit me*: vt se, quâ missus, non suo, sed Patris nomine operantem ostenderet. Nec his contentus non aliter cæco lumen tandem restituit, quâ ipsum ad Siloë, *quod interpretatur missus* remitteret, vt eatenus perfecta res, & restituta sanitas videretur, quatenus ea vi missionis à Patre Christus operabatur. Quod vt innueret Ioannes: interpretationem fontis Siloë de industria post Christi verba adiecit. *Vade* (inquit) *lauare in Siloe, quod interpretatur Missus.* Notanter quidem *Missus* in passiua, quasi ipse cùm ageret, non tam à se, quam ab alio agere crederetur. Quo etiam modo apud eundem Ioannem cap. 5. vers. 19 aliquando diait. *Amen, amen dico vobis: Non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*: & indidem vers. 30. *Non possum ego à me ipso facere quidquam.* Quæ sanè verba, & voces in ore Regij Administri semper esse debent: ego à me nihil possum facere: Rex est qui iubet, Rex eligit, Rex donat, Rex quidquid est regnum peract, atque gubernat, vt quemadmodum dicebat ille, *difficultatem rerum*

Ioan. 6. 27. | Maldon. | Maldon. Ioan. 10. 25. & v. 32. | Cyril. Alex. | Ioan. 9. 4. | Ioan. 5. 19. & 30.

P. Velasquez in Psal. centesimum.

amoliatur, gloriam verò Principi relinquat.

3 Quò sanè mirè facit Regnum in Scriptura cum virgine sæpissimè componi: imò & de virginis nomine appellari: sic Isaiæ cap. 23. vers. 12. Regnum Sidonis dicitur: *Virgo filia Sidonis*, & cap. 37. vers. 22. Regnum Israël, *Virgo filia Sion*: & cap. 47. vers. 1. Regnum Babylonis: *Virgo filia Babylon*: & Ierem. cap. 46. vers. 11. Regnum Ægypti, *Virgo filia Aegypti*: & apud eundem passim: vide cap. 14. vers. 17. & cap. 18. vers. 13. & cap. 31. vers. 4. & cap. 21. & Threnorum cap. 1. vers. 15. & cap. 2. vers. 13. & alibi. Enimverò, si nosse cupias quid Regnum, quod imaginem robustam, & totem exigere videbatur, cum virgine quæ rerum omnium tenerrima, & delicatissima est, commune habeat? aut vnde alterius ad alterum proportio, & similitudo sumatur? omnino diaerim, non aliunde quàm à Principe, qui hanc sibi virginem sponsam assumit, vt illius caput sit, eamque mollissimo affectu complectatur, & velut oculi pupillam custodiat (de quo superiùs egimus) fore petendam. Cui rationi illud omni ex parte hæret quod Paulus 1. ad Corinth. 11 vers. 7. admonuit vxorem viri sui gloriam esse: *Mulier* (inquit) *gloria viri est*: vt nouerit Regis Administer, non magis ad Principis gloriam audendum, accedendumque sibi esse, quàm ad regiam sponsam, in quam vel leui oculo aspicere lethale est, ita hæc censitante Venetab. Radulpho ad cap. 7. Leuit. dum sub hoc sensu premit id Pauli 2. ad Corinth. 4. vers. 5. *Non nosmet ipsos prædicamus, sed Iesum Christum*: his verbis: *Plano enim tam sponsi prouocat puer, qui ad sponsa ministerium deputatus loco sponsi amari se affectat.* Equidem signatè id ob oculos habuisse videtur Pharao, cùm Iosephum in sui administrum, & regni gubernatorem delegit, minimè nescius, quæ ipse verba heræ suæ illum ad adulterium pellicienti suggesserit, nimirum: *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua: nec quidquam est quod in mea non sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere?* Genes. cap. 39. vers. 8. & 9 inde sapiens Rex prudenter inferens, eum sibi fidum Achatem, & Administrum futurum, qui sibi vxorem suam, gloriam scilicet regni relinqueret, nec vllâ ratione ad illam manum suam extendere posse putaret. Quæ sanè omnia sic à Bernardo non longius ab hoc scopo eunte videtis pensitata serm. 13. in Cantic. *Ioseph cùm dominum, & omnia bona Aegypti domini sui sibi credita sciret, dominam non ignorauit exceptam, & ob hoc non acquieuit contingere.* Non est inquit, ex omnibus bonis domini mei, quod non in mea potestate sit, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es. *Mulierem nonerat gloriam esse viri, & iniquum sibi iudicauit, vice contraria melorum facere eum, qui se fecerat gloriosum: aduertit homo Dei, apientia prudens, virum vxorem forti, et tamquam propriam zelare gloriam, sibiq; ipsi retinuisse seruandam, non aiij reddidisse, & manum ad non concessum extendere non præsumpsit.* Hæc Bernardus opportunè. Quibus benè concinunt illa Theodoreti eadem de re serm. 8. de Prouidentia. *Heri opes, & bona custodire, non suffurari iussus sum, Minimè igitur prodeuum pro fideli custode effici me patiar. Quæ à me officij iure excepta sunt, non tango.* Ita ille.

Isa. 23. 12. 37. 22. 47. 1. | Iere. 46. 11. | Thren. 1. 15. | 1. ad Co. rint. 11. 7. | Radulph. 2. ad Corint. 4. 5. | Genes. 39. 8. | Bernard. | Theodor.

4 Nec aliud quidem portendit annulus à Pharaone in Iosephum translatus: nam si verè æstimas regius, siue Regi datus annulus eius connubij, quod inter ipsum, & regnum intercedit symbolum est (nam annulum pronubum esse alibi ex Tertulliano, & alijs vidimus) vt non secus, ac vir sponsæ suæ integram, & perfectam fidem seruet. Vnde dum Rex *tulit annulum de manu sua, & dedit in manu Ioseph*, nouum cum ipso connubium, siue pactum videtur contraxisse, vt omnibus traditis, quin quidquam in regni administratione

Tertull.

tione fuerit, quod in eius non posuerit potestate, solam sibi gloriam tanquam vxorem summo ardore zelandam reseruarit, quippe annulus æquè, & auctoritatem sanciendi decreta, & suum Regi honorem relictum, vt eius auctoritate, & ipsius nomine omnia regni munia administrentur, significat. Et verò ab ipsamet auctoritate sibi data, vt alia non essent, ad fidē summâ integritate seruandam omnino vrgetur Regis familiaris à Bernardo, dum inquit. *Mulierem nouerat gloriam esse viri, & iniquum sibi iudicauit vice contrariâ inglorium facere eum qui se fecerat gloriosum.* Vt idemmet dicere videatur, quod ipsemet Ioseph heræ suæ suggessit. *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua, &c. Quomodo ergo possum hoc malum facere?* Quibus ea est epitasis: forsitan tunc cùm apud dominum meum minùs poteram, & seruiliter agebam, ferrea vincula confringere siue elimare, atque hoc aggredi, aut tentare possem: at modò, cùm omnia apud ipsum valeam, & summam mihi auctoritatem dederit, fortioribus iam vinculis compeditus, nullâ id ratione aggredi possum: quis enim adeò ferus, atque barbarus existat, vt eum faciat inglorium, qui se fecit gloriosum? ita penè Theodoretus præfato serm. 8. de Prouidentia sub Iosephi persona sic locutus. *Nam cùm pecuniâ emptus sim, domi vestra natis prælatus sum, & qui heri vel paullò antè domum banc sum ingressus, nunc omnium administrationem suscepi. Me omnium, quæ in domo sunt, curatorem dominus constituit, & nuper emptum nouitiumq; seruulum omnibus præesse iussit. Te solùm matrimonij leges reueritus intra sui iuris limites consistere voluit. Quibus ergo oculis tanti honoris auctorem aspiciam, si banc illi gratiam retulero? Abominabilis est, ô hera, accepta gratiæ obliuio, & beneficiorū immemor animus.* Hæc Theodoretus: è quibus illa *intra sui iuris limites consistere voluit*, opportunè Principi aptabis, cui sua semper gloria gratissima est, nec sui iuris limites egredi vnquam placet. [Theodor.]

5 Nec pigebit hîc breuiter appingere, quæ in epist. ad Philippens. cap. 2. vers. 21. adnot. 1. num. 9. fusiùs exscripsimus, quòd huius instituti propria sint, Deum videlicet in sui Administrum Ezechielem adlecturum, faciem ei ex adamante, & magnete compactam notanter dedisse: sic etenim Ezech. 3. vers. 9. *vt adamantem, & silicem dedi faciem tuam*: vbi Hebræa vox *samir* pro qua Noster vulgatus posuit *adamantem* non modò significat adamantem, sed etiam magnetem, notissimum quidem lapidem, quòd ferrum mirâ vi, & efficacitate ad se alliciat, vt Marinus Brixianus in *Arca Noë* ad eam vocem adnotauit. Fuerit verò obseruatione dignissimum ex iis lapidibus faciem Vatis fuisse constructam, qui inter se maximè dissident: etenim adamas magneti adeò obstat, atque repugnat, vt prope illum positus, ferrum quod ad se allexerat, violenter auferat, & velut è manibus extorqueat, vt à Plinio lib. 37. cap. 4. sic obseruat August. lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 4. *Quid enim de magnete legerim, dicam. Quando iuxta eum ponitur adamas, non rapit ferrum, etsi iam rapuerat, vt ei appropinquauerit: mox remittit.* Vt nimirum tam Dei, quàm Principum Administro documento fuerit, debere quidem illum vna ex parte velut magnetem comitate, vrbanitate, beneuolentiâ cunctos excipere, & ad se allicere, ex alia verò tanquam ad adamantis præsentiam eosdem quos attraxerat, remittere, & in Principis obsequium, & amorem transferre, vt ei se debere cognoscant siue felicem negotiorum expeditionem, siue quæcumque dona, & beneficia acceperint, sic præfato loco capiente Radulpho Leuiticum præceptum *Sanguinem omnis animalis non sumatis in cibum*: & ad Ministros Christi reuocante: *Cùm eruditione suâ quemquam ad scientiæ studiū prouehunt, quasi spiritualem auem offerunt: huius autem sanguinem non comedunt, quia amorem discipulorum non conuertunt in se, sed ad Christum transmittunt.* Sed illud huic rei peropportunum fuerit, quod de Stephano inquit Lucas Actuum 7. 56. in Concilio videlicet constitutū inter infensissimos sibi hostes, qui *stridebant dentibus in eum*, animosè affirmasse, cælos se apertos videre, & Christum Dominum à dextris Dei stantem. *Ecce* (inquit) *video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Ad quæ verba non immeritò ambigitur: quomodo non vanus, vel parum consideratus ille fuerit, dum pulcherrimam visionem, aut gloriosè, aut temerè deprædicauit? nonne opportuniùs haud dissimili in re dicebat Isaias cap. 24. *Secretum meum mihi: secretum meum mihi.* Quid enim aliud id fuerit, quàm stridentes inimicorum dentes plus plus ad prædā acuere? At enim, si verè æstimas, non potuit non fidelis minister etiam cum vitæ discrimine palam proferre, quæ solus, & secretò videbat, ne qui intuentium oculis Angelicum tunc vultum habere videbatur, dicente Luca versu 15. *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli*, eum cælestem ac diuinum splendorem sibimet adscriberet, siue à seipso, non à suo Domino habere crederetur: vti ab Augustino serm. 98. sic pendit P. Lorinus: *Vt indicaret pastorem suum in ipsum ostentantem adiutorium, ne videlicet tantum animi robur, & ipsum in facie splendorem alij adscriberet, quàm Christo, de quo disserebat.* Vides adamantem simul ac magnetem in Stephani facie? quæ cælesti splendore collucens intuentium primùm oculos ad se rapuit: subinde verò ad Christum omnino transmisit, omnem in ipsum gloriam refundere satagens.

[Ezech. 3. 9.] [Marinus Brixian.] [Plinius. August.] [Radulph. Leu. 7. 26.] [Act. 7. 56.] [Isai. 24.] [Luca 15.] [August. Lorinus.]

6 Ad quem sane modum gnauos, & industrios Principum familiares, qui *prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua*, Lucæ cap. 16. vers. 8. omnino compositos videris, dum non sibiipsis, sed suo Principi splēdorem, & gloriam elucrari, eiusque nomen propriis sumptibus, & laboribus splendidum, ac illustre reddere gaudent; non secus ac de Germanis in libro de eorum moribus sic scribit Cornel. Tacit. *Principem suum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ eius assignare, præcipuum sacramentum erat.* Quasi grande nefas crederent eademmet quæ ipsi gesserant fortia facta suæ gloriæ assignare, & non potiùs Principis nomini, & fortunæ adscribere: sic quidem vrbes à Principibus viris constructas de Cæsarum nomine appellatas audis: sic egregius ille belli Dux Ioab, qui apud nostrum Dauidem gratiâ præualebat, adeò eius gloriæ extitit zelator, vt regiâ Ammonitarum vrbe, quā obsidione cinxerat, penè captâ, Principem suum accersierit, vt gloriâ exitus, & extremæ manus ei relictâ, nemo alius præter ipsum, & dimicasse, & vicisse videretur: 2. Reg. cap. 12. vers. 27. Bene hæc omnia adnotante S. Petro Damiano lib. 6. epistol. 9. ad finē: vt à filiorum sæculi in suos Principes obseruantia religiosos viros de gloria certantes, nec sese Prælatis, qua par est modestia, subiicientes opportunè coarguat. Ergo sic ait: *Certè cùm Ioab contra Rabaath Regem Ammon robustè confligeret, vrbemq; regiam obsidione vallaret, nuntios ad Dauid ordinat, eumq; vt veniens victoriam in suum transferat nomen inuitat.* Dimicaui inquit aduersum Rabaath, & capienda est vrbs aquatum: nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam, ne cùm à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria. *Militaris homo ad regalis gloriæ famam gaudet sui laboris transferre victoriam, Herodes, & Philippus vrbes proprio labore constructas ad honorem alter Augusti, alter Tiberij, Cæsareas appellarunt: & nos qui vita huius pompam abiecimus: imò qui mundo nos mortuos fore iurauimus, vani nominis gloriolas concupiscimus, & de rumusculis friuola laudis inflammamur.* Hæc ex S. Petro Damiano,

[Luca 16. 8.] [Corn. Tac.] [2. Reg. 12. 27.] [Pet. Dam.]

7 Sed

7 Sed vide iam malum Administrum, qui regio annulo abusus, manum ad non concessum extendere præsumens, Regis sui gloriam sibi vsurpare adnitebatur. *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Isaiæ cap. 14. vers. 13. Quod si ad verba hæc non omnino immeritò ambigas, quid illius superbiæ, aut insolentiæ subsit, cùm quidquid ibi sibi velit, adscribatque Lucifer, aut suum iam esset, aut à Deo foret è vestigio accepturus? Cui etenim nisi Angelorum Primati, & cælum, & solium, & Dei similitudo conuenitet? Respondebo inde eius superbiam, & peruersitatem argui, quòd Deo similis esse, hoc est, ad Dei similitudinem excelsum solium, summomque fastigium habere voluerit. Sed cui (inquis) Dei similitudo vnquam obfuit? imò nonquam non profuit, cùm in ea salus, vita, & summa felicitas sit? Sanè cùm Dei æmulatio, siue similitudo semper salutaria, & proficua sit, vno tamen modo lethalis esse, siue lethaliter potuit affectari: cùm videlicet malus ille sic Deo similis, quòd non similis esse voluit, id est, quòd Dei instar, non ab alio, sed à seipso gubernationem habere, & potestatem in alios exercere concupiuit: *similis* (inquit) *ero Altissimo*: vt quemadmodum ille seipso cuncta regit, atque gubernat: ita ego meo arbitratu, non vt administer, sed vt dominus tes omnes disponam, negotiaque expediam. Quæ omnia vnico verbo videtur expressisse Ezechiel cap. 28. vers. 12. Lucifero ea frequentiori PP. expositione sic insultans. *Tu signaculum similitudinis*: sed obseruat Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem cap. 10. pro *signaculum* legere, *resignaculum*, vt innuatur, eum quem sui administrum Deus constituerat, vt eo veluti signatorio annulo vteretur, diuinam similitudinem, & subiectionem per propriæ excellentiæ appetitionem exeuisse, & commissum sibi annulum resignasse, ne Dei nomine, sed proprio negotia expediret: sic id inibi adnotâre hunc in modum Tertulliano. *Tu es resignaculum similitudinis, qui scilicet integritatem imaginis, & similitudinis resignaueris.* Vt tui videlicet iuris factus, tuo nomine, tuo arbitratu cuncta disponeres: iam hæc ad Romanorum Principum Administros, qui ea ratione malè audierunt, omnino translata obseruâ. Nimirum de Sejano Tiberij familiari, inquit Dio lib. 57. *At Seianus in dies maior euadebat, omnibusq; formidabilior, adeò vt & senatus, & reliqui, Tiberio spreto, ei tanquam Imperatori obtemperarent.* Et statim *Sejanus porrò fastu, potentiaq; adeò efferebatur iam, vt (quò paucis rem expediam) sese pro Imperatore, Tiberium pro insulæ rectore quodam haberet.* De Pallante verò Claudij Administro Corn. Tacit. lib. 13. Annalium, *velut arbitrum regni agebat.* Sed de Helio, qui apud Neroonem omnia potuit, signatè ad rem nostram Xiphilinus in Nerone. *Eos qui Romæ, & in Italia erant tradidit Helio cuidam Cæsareo, cui omnia commiserat, adeò vt ei liceret, & bona publicare, & in exilium mittere, & interficere, antequam rei ad Neronem deferretur. Habebat plebeios equestris, & Senatorij ordinis homines pariter. Tunc Romanum Imperium duobus dominis seruiebat, Neroni, & isti Helio, vter nequior, incertum. Similia vterque faciebat.* Prob peruersitatem! & turbatum administrandi ordinem! Ministrum, & familiarem Principe inconsulto negotia expedire, in exilium mittere, & ad necem damnare? similiaque ac Principem facere: cùm non nisi eius nomine tanquam merum ipsius instrumentum, atque vmbra verba, nutus, motus regio annulo obsignata proferre deberet.

8 Sed & ad hunc scopulum tantisper Petrum impegisse dixeris, cùm nefariis satellitibus Dominum comprehensum venientibus, ipse *extendens manum exemit gladium suum, & percutiens seruum Principis Sacerdotum amputauit auriculam eius.* Matthæi 26. 51. Etenim hanc Petri animositatè culpæ tribuit Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 70. & eam multis rationibus arguit P. Suarez tomo 2. in 3. partem disp. 34. sect. [illegible] vbi inter alia inquit. *Sed non possumus factum Petri secundùm se excusare, quia vt tantum facinus aggrederetur virtute Christi fretus debuisset illius verbum, & præceptum expectare.* At inquis: cur vitio adscribatur Petro gladio vti, cui gladius à Domino fuerat commissus, & de eo in hortum ferendo præceptum singillatim acceperat, dicente Domino apud Lucam: *Qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*, cap. 22. 36. quorsum enim gladium ex Domini præscripto ferret, nisi vt datâ defensionis occasione illum in sceleratissimos hostes stringeret? Respondet citato loco Augustinus. *Quia Dominus iusserat, vt ferrum discipuli eius ferrent, sed non iusserat, vt ferirent.* Ergo eo in cardine Petri culpa vertitur, quòd suo arbitratu gladio, & potestate sibi traditâ vsus fuerit, qui Christi verbum, & præceptum expectare debuit. Quod subtiliter videas adnotatum à Matthæo dum primùm ait: *extendens manum*: etenim cùm gladius distringi non possit quin manus extendatur, non otiosè, sed quæsitâ locutione extensæ manus meminit, vt innueret; Petrum potestate abusum, cùm manum propriâ auctoritate extenderit, quod subinde rursus indicare videtur Euangelista non contentus dixisse: *exemit gladium*, sed signatè addens *suum*: quasi Petrus gladio, & potestate non vt re Domini, sed vt suâ vsus fuerit, cùm tamen, qui illius Administer, famulusque erat, non nisi ad eius præceptum commissam potestatem exercere debuisset.

Ad ea verba,

Non adhæsit mihi cor prauum.

Nihil Regio familiari, siue ad felicem negotiorum expeditionem adeò necessarium, siue vt in regia gratia permaneat vtilius, quàm rectam in omnibus rebus intentionem habere.

ADNOTATIO XVIII.

1 Vt hoc monitum ad Principem quidem omni etiam ea parte pertineat, at ad eius familiarem nescio qua peculiari de causa singillatim spectat, ipse enim, cui (quod de Fortuna dixit Plinius lib. 2. c. 7.) *Omnia expensa, omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium solus vtramque paginam facit.* Cuique id quod inibi de eadem habet maximè conuenit. *Toto quippe mundo & locis omnibus, omnibusq; horis, omnium vocibus Fortuna sola inuocatur: vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuiciis colitur.* Is, inquam, etsi orbis rationes tam abstinenter administret, quàm alienas, tam diligenter, quàm suas, tam religiosè, quàm publicas, vt de Paulino dicebat Seneca lib. *de breuitate vitæ* cap. 18. externâ hac vitæ probitate, atque iustitiâ non debet omnino esse contentus, nisi etiam Dei gloriâ, Regni vtilitate, iustitiæ zelo, & verâ benefaciendi ratione ob oculos positis, quidquid Principi, siue præmia, aut supplicia illaturo, siue publica negotia moderanti consulit, aut ea ipsius decreto ipse præscribit, ex rectâ animi intentione proficiscatur, ne videlicet ipse publicæ rei, aut iustitiæ, siue beneficentiæ prætextu ad suas, suorumque vtilitates, vel ad inanem gloriam captandam, sine etiam ad priuatas simultates exercendas, propriasque iniurias vindicandas, retortis oculis aspiciat. Etenim Augustino monitore

nitote concione 12. in Psalm. 118. *Magni interest, cum aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione facimus. Officium quippe nostrum non initis, sed fine pensandum est, vt scilicet non tantùm si bonum est, sed praecipuè si bonum est, propter quod facimus, cogitemus.*

2 Fuerit quidem Principum Administris & familiaribus arma tenentibus, iustitiam scilicet, siue armatam, & punitiuam, siue togatam, & commutatiuam, siue distributiuam, & beneficam administrantibus id signatissimè suggerendum, quod illis iustitiae, ac beneficentiae praetextus, atque velamentum sub quo cupiditates suas explere, siue eaplicare possint, omnino ad manum sit. Porrò magnâ emphasi, & bnic rei peropportunâ à Domino generaliter admonitum est. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Matthaei cap. 6. vers. 3. vbi, si attendis, signatè videtur Dominus describsisse manum sinistram sic dexteram obseruantē, vt sub eius vmbra cupiditates suas expleat, ac si diceret: Caue ne dederis locum, vt animaduertat sinistra, se sub dexterae patrocinio, ac clypeo, id est, sub virtutis specie, & honestatis praetextu atque velamine securum apud homines accessum, siue tutam impunitatem habere ei cùm si semel id ipsa cognouerit, eam quidem occasionem omnino arripiet, vt sub eo velamento, & bonae rei praetextu cupiditates suas satiet. Videris id graphicè depictum in fertilibus Ioab dextra, sinistraque manu in caede Amasae vno animi proposito sub diuersis officiis occuparis. Sic enim 2. Regum cap. 20. vers. 9. *Et tenuit manu dextera mentum Amasa, quasi osculans eum. porrò Amasa non obseruauit gladium quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, &c.* Quae sic expendit Gregor. Magn. lib. 15. Moral. cap. 5. *Ioab Amasa mentum dextera tenuit, sed sinistram ad gladium latenter mittens, eius viscera effudit. Dextera quippe mentum tenere est quasi ex benignitate blandiri: sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit.* Vt dicere videatur, nequaquam sinistra facinus perficere audeo et, nisi dexterae suffragio, & patrocinio niteretur: at dum haec mentum fortiter tenuit, locum quidem sinistrae fecit, vt securè cogitata perficeret. En ergo scopulum, ad quem Principes, & Principum familiares facilè impingunt, dum iustitiae, & honestae administrationis dextra liberum, ac securum transitum sinistrae ad libidines explendas facit, & tutam improbitatem praestat.

3 Qua sanè ratione Principum virorum animos à summo omnium iudice penitissimo examine discutiendos oportere assenerat Salomon Sapientiae cap. 6. 7. etenim vbi Noster habet. *Potentes autem potenter tormenta patientur*: Graecè omnino habetur *scrutabuntur*: vt ea sententia innuatur, eum esse potentiorum, ac Principum morem, vt non candidè, ac sincerè, vt alij homines, sed aliò intenti, & sub secunda (vt aiunt) intentione operentur: ideoque signatissimè introspiciendos, eorumque intentionem quaesitissimè examinandam fore, vt appareat vtrum iustitiae zelo, ac honestatis ratione, an vt propriis cupiditatibus, & idolis morem gererent, ius dixerint, ac legibus, & potestate vsi fuerint. Quid enim iustitiae cum inquitate? Ita quidem de Principibus Israëliticis populi signatè Dominus apud Isaiam dicebat cap. 1. vers. 22. *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua*: quasi iustitiae, & potestatis vsu propriae vtilitates, siue cupiditates essent admixtae, quas bonae rei praetextu adimplerent, ad eum sanè modum, quo Rachel admonita à marito, vt simul cum eo religionis causâ fugeret, sua secum idola à patre furata detulit. Sic enim illa admaritum. *Omnia quae praecepit tibi Deus fac: eo vero inscio: furata est idola patris sui.* Genes. cap. 31. vers. 19. Quid? idémne fuerit vxorem ego meam Dei iussu educere; & tu idola furati, tecumque deferre? Minimè quidem, sed iustae rei praetextu, & religionis velamento vult illa idolis suis inseruire, siue propriae libidini morem gerere. Erat planè hac calliditate, siue vafritie imbutus Tiberius, qui ad saenitiem suam explendam legibus se armabat, dictitans, *Imperio non vtendum, vbi legibus agi oporteret*, ad suas videlicet cupiditates legum auctoritatem vsurpans, sua omnino, non Reipublicae causa earum nomine imperans: cùm è contra bonus Princeps, bonus Administer, sic planè se habere debeat cùm imperat, ac ille qui apud Senecam patrem in controuersiis dicebat. *Hoc impero Reipub. causa, tua causa, mea causa*: prius videlicet ad Reipub. deinde ad subditorum, siue amicorum vtilitatem, posteriori verò loco ad se respiciens.

4 Nec longius à suo Principe Tiberio fuerit Pilatus Christum Dominum ad Herodem mittens, eaque ratione in eius gratiam, & amicitiam rediens, nec enim sine peculiari emphasi hae Principum istorum amicitiae, & inimicitiae ab Euangelista cōscriptae sunt: sic enim Lucas cap. 23. vers. 12. *Et facti sunt amici Herodes, & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant adinuicem.* Vbi si attendis, aliter amicitiae, aliter inimicitiae factae dicuntur: nam qui *adinuicem inimici* erant, sic amici facti sunt, vt non dicatur *adinuicem* denuò inita amicitia, sicut inimicitia adinuicem fuerat contracta, duplici nimirum odij vinculo illis inter se colligatis, siue ab inuicem dissidentibus. Planè quod non adeò firmiter, & constanter gratiae reconciliatio facta fuerit. Sed quare? Num quod amicitia, quae Christi sanguine contrahitur: pauperis scilicet iniuria, innocentis oppressione, foedâ libidine, firma & constans esse non possit? ita quidem: sed ad rem opportunius diaceria: ideò qui *adinuicem inimici fuerant*: non adinuicem amicos factos, quod Pilatus non amicitiae ratione, sed vt graui, & implexâ causâ sese exoneraret, Christum ad Herodem remiserit, suum onus, atque discrimen in illum iudicij praetextu volens conijcere. Enimverò cùm Praeses vna ex parte Christum innocentem omnino esse cognosceret, ex alia verò populo ad necem eum postulanti vellet satisfacere, *vt cognouit quod de Herodis potestate esset*: occasionem arripuit, vt sese discrimine subduceret, illudque in Herodem transmitteret, quam equidem Pilati mentem cùm ille non introspexerit, illud quidem sibi gratum munus factum putauit, quod reapse periculum potius, & scopulus erat. En Principum, & Aulicorum iudicia, iustitiam, beneficentiam, amicitias diuinae scrutationi maximè obnoxia, quòd haec illis cupiditatum velamentum, siue scelerum custodia, & patrocinium esse soleant. Vnde iis non immeritò aptaueris niuis imaginem, quam hypocrisi sic tribuit S. Petrus Damianus lib. 6. epist. 32. *Nix alba sed frigida hypocrita, nempe qui se per adumbrata sanctitatis figmentum transfigurat in Angelum lucis nullum inseruet aestibus charitatis: atque adinstar niuis simul est albus, & frigidus, quia pius quidem se deseruire operibus simulat, sed viscera soliditatis ignorat.* Haec ille.

5 Hinc siue in ipsis Principum Aulis, siue in Reipublicae gubernatione, siue in bellorum administratione infelices rerum exitus, & frustrata vota, quae alioquin pia, & iusta esse videbantur, saepesaepius cōspiciuntur, quod Deus, qui non ad faciem, sed ad interna animi consilia attendat, talem euentus mercedē rependat, qualis operantis intentio, & mens erat: sic notantissimè assueuerante Dauide. *Dominum dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum.* Psal. 32. vers. 10. vbi cùm sermo sit de infelicibus rerum euentibus externis Principum actionibus respondentibus, fusis videlicet copiis, praeliis aduerso Marte commissis, fractis in mari classibus, & iis huiusmodi, emphaticè de sola cogitationum reprobatione, & dissipatione mentionē fecit Vates,

Vates, quasi hæc prima mali labes sit, noxias cogitationes sub bonæ rei prætextu, & Reipub. vtilitate contegere, atque idcirco ipsis signatè exitus respondeant. & quæcumque non suscipiuntur Deo auctore consilia irrita cadant, siue quod peius est, mutentur in contraria. Vbi minimè fuerit prætermittendum acumen, quod Græco verbo, quo pro *dissipare* visus est Aquila quod sic omnino expresseris ex Agellio. *Irritat, abrogat quasi suam auctoritatem non adiungit in consiliis, non subscribit eorum decretis, ex cuius solius subscriptione, & auctoritate robur illa ac firmitatem acciperent.* Vt omnino liqueat cogitationes calculo ipsius non susceptas, & manu ipsius non subscriptas nunquam ad exitum posse perduci. Quæ omnia ob oculos habens bonus Tobias filium sic suum admonebat: *Omni tempore benedic Deum & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Tobiæ cap. 4. vers. 20. siue vt legunt Septuaginta, *Via tua recta sint, & omnes viæ tuæ, & consilia tua prosperentur.* Vbi si inquiras, quonam modo prudens senex filium de consiliorum duratione, & prosperitate monuerit, cùm hæc sub motum non cadant; quis enim si in manu prosperitatem haberet, ipsam dimitteret? immò non mordicùs apprehenderit? aut quis vnquam prosperitatem tanquam legatum testamento reliquit? Respondebo; optimè quidem hæc omnia subsistere, idemque dubio procul esse, consilium cum Domino inire, cui ipse videlicet subscribat, & prosperum illius exitum nancisci; ergo in ea Tobiæ admonitione, consiliis cum Deo susceptis, siue rectis viis, & cogitationibus, permanentia, duratio, felix euentus, atque prosperitas necessariâ (vt aiunt) consequentiâ respondet: hæc omnia, & quæ ex Dauide attulimus sic præstringente Galfrido ad id loci in allegoriis Gotfridi Tilmani. *Non enim permanere consilia poterunt, quæcumque in eo non erunt*: reprobat *enim* Dominus cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum. *Non enim approbat actiones in quibus reprobas inuenerit cogitationes. Non placent opera vbi fuerint praua consilia.* Optimè, vt animum mille anxietatibus, & hæsitationibus liberes, siue vt totidem interrogationibus satisfacias; omitto cur plures Principum actiones, quæ iustæ apparebant? Cur plura religionis causâ, vt ad faciem videbatur, suscepta prælia felicem euentum non habeant: immò in contrarium mutentur? Quia videlicet Deus *non approbat actiones, in quibus reprobas inuenerit cogitationes. Non placent opera, vbi fuerint praua consilia.*

[margin: Aquila. — Tob. 4. 20. — Septuag. — Galfrid.]

6 Ostendo Principi, siue Principis Administro duos infelices euentus bonarum quidem ad speciem actionum, quòd reprobis ipsæ cogitationibus fuerint innixæ: alterum quidem ex Theodoreti sensu, cui illum omnino adscriptum iri volo, ne ego de Dauide, quod optimum omnino non fuerit sensisse videar; alterum ex Iustino Martyre: & vt inde incipiam, obserua quæso optimam Saülis legem, quâ magos, & hariolos perniciosum hominum genus de terra præcepit auferri. 1. Regum cap. 28. vers. 9. Deinde vide, quomodo ille Deo sic volente eorum manibus, vt sic dixerim, interemptus fuerit, ex ore siquidem Samuëlis magæ vocibus excitati diram mortis sententiam accepit. Adeò nihil emolumenti ex eo edicto percepit, vt in contrarium potiùs videatur mutatum. Quare quia vt dicebat Galfridus, Deo *non placeat opera, vbi fuerint praua consilia.* Audi sanctum Iustinum Martyrē, id sic disertissimè monentem in quæstione 52. ad Gentes. *Diuinatrices abstulit Saul, eo facto se Deum conciliaturum sperans, vt suam ille sententiam, qua eum, vt regno indignum reprobauerat, mutaret. non hariolorum odio habens impietatem, sed regni adamans administrationem. Et quia consilium eius Deus non probauit, propterea eum ita reliquit, vt illos ei requireret, quorum non bono instituto parauerat cædes.* Hæc ille. Ita quidem euenire solet, vt quæ bono instituto non parantur, præsertim verò, si cædes, & supplicia sint, in caput auctoris recidant.

[margin: 1. Reg. 28. 9. — Iustin. M.]

7 Quò non omnino importunè per allegoriam referas celebrem illam Moysis virgam de qua Exodi cap. 4. vers. 2. sic habetur. *Dixitq; ad eum: Quid est quod tenes in manu tua? respondit: Virga. Dixitq; Dominus: Proiice eam in terram, proiecit. & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* Etenim cùm virga sceptrum regni siue iudiciariam potestatem ex omnium Patrum, & Interpretum consensione significet, dum recta hæc in manu Principis, & Administri inest; dum bono inquam instituto, & rectâ intentione, & bonis præmia, & iniustis supplicia decernit, illustre ornamentum, atque splendorem ipsis conciliat, non secus ac virga tot prodigiorum effectrix Moysem toto orbe venerabilem, & illustrem reddidit: at enim cùm in terram proiicitur, hoc est, cùm sinistrâ mente, & prauo, atque distorto consilio negotia expediuntur, & terrenis respectibus pacis. & belli res administrantur, in colubrum ipsimet Principi horribilem, qui eum diro morso laceret, omnino vertitur, & si attendis, distortus, siue peruersus, & aduersus rerum effectus, & successus, retortum etiam, & obliquum affectum operantis arguit. Hæc omnia breuiter præstringente Venerabili Stephano Cantuariensi ad id loci in allegoriis Gotfridi Tilmani, his verbis. *Virga est potestas iudicandi. Virgam in terrā proiicere, est potestatem iudiciariam ad terrena deflectere.* Bene quidem *deflectere*, intentione videlicet prauâ, quæ externam virgæ rectitudinem aliò inflectit: sed illud emphasi plenum videtur: *ita vt fugeret Moyses*: hominem maximè strenuum, atque fortissimum, *qui fide reliquerat Aegyptum, non veritus animositatem Regis*, siue vt habet lectio Syriaca, *neque reformidauit Regis furorem*, ad Hebræos cap. 11. vers. 27. à propria & familiari virga perterritum fugisse: quod de ipso in mille præliorum, & aduersarum rerum discriminibus, in quæ toto vitæ curriculo adductus est, minimè legitur. Planè vt argumento fuerit, nihil Principibus viris æquè timendum fore, ac suamet consilia, suamque potestatem, si illam prauâ intentione, & retortis oculis ad terrena inflexerint.

[margin: Exod 4. 2. — Stephan. — Lect. Syr. — Heb. 11. 27.]

8 Iam quid de Dauide Theodoretus excogitauerit audi: sanè cùm ille iam moriturus filium Salomonem grauiter admonuit, ne Ioab egregium olim belli ducem impunitum obire sineret, inquiens. *Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos*; 3. Regum cap. 2. vers. 6. non leue negotium Patribus, & Interpretibus facessit, quanam permotus ratione Ioabi scelera quæ ipse dum vixit, siue dissimulauit, siue dimisit, quòd pro eius dignitate, & regno ille strenuè dimicasset, in eo mortis articulo, in quo non nisi pacis, & clementiæ cogitationes oboriuntur, tam sedulò vindicari præceperit? Cui quidem dubitationi vt satisfaciat Theodoretus iisdem iustis rationibus, quas Dauid verè quidem, & ex mente attulit, eam adiungit, quæ in politicam simul gubernationem, & rationem status, vt aiunt, inclinare videtur. Nimirum, quòd Dauid qui acre Ioabi ingenium, & artes optimè nosceret, vehementer timuerit, ne domus suæ, & Salomonis noui Regis, rationibus turbato regno officeret: sic enim ille. *Timuit ne solitâ vtens malitiâ, despiceret iuuentutem Salomonis, & duorum faceret alterum, nempe vt aut persona vtens beneuolentia eum interimeret, sicut occidit Abner, & Amasam, aut apertè strueret aciē aduersam, & diuideret Israel.* Hæc ille: bono quidem sensu capienda, qui Dauidis siue iustitiam, siue sanctitatem nullâ ratione lædat, cùm vel hac in re Dauidis animum à pietate non discessisse, sic affirmet Ambrosius in Apologia 1. cap. 17. *Nihil minus quàm truculentus affectus sancto Prophetæ adscribi potest, qui vitâ decedens supremâ*

[margin: 3. Reg. 2. 6. — Ambros.]

tione fuerit, quod in eius non posuerit potestate, solam sibi gloriam tanquam vxorem summo ardore zelandam reseruarit, quippe annulus æquè, & auctoritatem sanciendi decreta, & suum Regi honorem relictum, vt eius auctoritate, & ipsius nomine omnia regni munia administrentur, significat. Et verò ab ipsamet auctoritate sibi data, vt alia non essent, ad fidē summâ integritate seruandam omnino vrgetur Regis familiaris à Bernardo, dum inquit. *Mulierem nouerat gloriam esse viri, & iniquum sibi iudicauit vicem contrariá inglorium facere eum qui se fecerat gloriosum.* Vt idemmet dicere videatur, quod ipsemet Ioseph heræ suæ suggessit. *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua, &c. Quomodo ergo possum hoc malum facere?* Quibus ea est epitasis: forsitan tunc cùm apud dominum meum minùs poteram, & seruiliter agebam, ferrea vincula confringere siue elimare, atque hoc aggredi, aut tentare possem: at modò, cùm omnia apud ipsum valeam, & summam mihi auctoritatem dederit, fortioribus iam vinculis compeditus, nullâ id ratione aggredi possum: quis enim adeò ferus, atque barbarus existat, vt eum faciat inglorium, qui se fecit gloriosum? ita penè Theodoretus præfato

Theodor. serm. 8. de Prouidentia sub Iosephi persona sic locutus. *Nam cùm pecuniá emptus sim, domi vestra natu prælatus sum, & qui heri vel paulò antè domum hanc sum ingressus, nunc omnium administrationem suscepi. Me omnium, quæ in domo sunt, curatorem dominus constituit, & nuper emptum nouitiumq́, seruulum omnibus præesse iussit. Te solùm matrimonij legei reuerituus intra sui iuris limites consistere voluit. Quibus ergo oculis tanti honoris auctorem aspiciam, si hanc illi gratiam retulero? Abominabilis est, ô hera, acceptæ gratiæ obliuio, & beneficiorũ immemor animus.* Hæc Theodoretus: è quibus illa *intra sui iuris limites consistere voluit*, opportunè Principi aptabis, cui sua semper gloria gratissima est, nec sui iuris limites egredi vnquam placet.

5 Nec pigebit hîc breuiter appingere, quæ in epist. ad Philippens. cap. 2. vers. 21. adnot. 1. num. 9. fusiùs exscripsimus, quòd huius instituti propria sint, Deum videlicet in sui Administrum Ezechielem adlecturum, faciem ei ex adamante, & magnete compactam notenter dedisse: sic etenim Ezech. 3. vers. 9.

Ezech. 3. 9. *vt adamantem, & silicem dedi faciem tuam*: vbi Hebræa vox *samir* pro qua Noster vulgatus posuit *adamantem* non modò significat adamantem, sed etiam magnetem, notissimum quidem lapidem, quòd ferrum mirâ vi, & efficacitate ad se alliciat, vt Marinus Brixianus

Marinus Brixian. in *Arca Noë* ad eam vocem adnotauit. Fuerit verò obseruatione dignissimum ex iis lapidibus faciem Vatis fuisse constructam, qui inter se maximè diffident: etenim adamas magneti adeò obstat, atque repugnat, vt prope illum positus, ferrum quod ad se allexerat, violenter auferat, & velut è manibus extorqueat, vt à

Plinius. August. Plinio lib. 37. cap. 4. sic obseruat August. lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 4. *Quid enim de magnete legerim, dicam. Quando iuxta eum ponitur adamas, non rapit ferrum, et si iam rapuerat, vt ei appropinquauerit: mox remittit.* Vt nimirum tam Dei, quàm Principum Administro documento fuerit, debere quidem illum vna ea parte velut magnetem comitate, vrbanitate, beneuolentiâ cunctos excipere, & ad se allicere, ex alia verò tanquam ad adamantis præsentiam eosdem quos attraxerat, remittere, & in Principis obsequium, & amorem transferre, vt ei se debere cognoscant siue felicem negotiorum expeditionem, siue quæcumque dona, & beneficia acceperint, sic præfato loco capiente Ra-

Radulph. Leu. 7. 26. dulpho Leuiticum præceptum *Sanguinem omnis animalis non sumatis in cibum*: & ad Ministros Christi reuocante: *Cùm eruditione suâ quemquam ad scientiæ studiũ prouehunt, quasi spiritualem auem offerunt: huius autem sanguinem non comedunt, quia amorem discipulorum non conuertunt in se, sed ad Christum transmittunt.* Sed illud huic rei peropportunum fuerit, quod de Stephano inquit Lucas Actuum 7. 56. in Concilio videlicet constitutũ *Act. 7. 56.* inter infensissimos sibi hostes, qui *stridebant dentibus in eum*, animosè affirmasse, cælos se apertos videre, & Christum Dominum à dextris Dei stantem. *Ecce* (inquit) *video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Ad quæ verba non immeritò ambigitur: quomodo non vanus, vel parum consideratus ille fuerit, dum pulcherrimam visionem, aut gloriosè, aut temerè deprædicauit? nonne opportuniùs haud dissimili in re dicebat Isaias cap. 24. *Secretum meum mihi: secre-* *Isai. 24.* *tum meum mihi.* Quid enim aliud id fuerit, quàm stridentes inimicorum dentes plus plus ad prædã acuere? At enim, si verè æstimas, non potuit non fidelis minister etiam cum vitæ discrimine palam proferre, quæ solus, & secretò videbat, ne qui intuentium oculis Angelicum tunc vultum habere videbatur, dicente Luca versu 15. *Et intuentes eum omnes, qui sede-* *Luca 15.* *bant in Concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli*, eum cælestem ac diuinum splendorem sibimet adscriberet, siue à seipso, non à suo Domino habere crederetur: vti ab Augustino serm. 98. sic pendit P. *August. Lorinus,* Lorinus: *Vt indicaret pastorem suam in ipsam ostentantem adiutorium, ne videlicet tantum animi robur, & ipsum in facie splendorem alij adscriberet, quàm Christo, de quo disserebat.* Vides adamantem simul ac magnetem in Stephani facie? quæ cælesti splendore collucens intuentium primùm oculos ad se rapuit: subinde verò ad Christum omnino transmisit, omnem in ipsum gloriam refundere satagens.

6 Ad quem sane modum gnauos, & industrios Principum familiares, qui *prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua*, Lucæ cap. 16. vers. 8. omnino compo- *Luca 16. 8.* sitma videtis, dum non sibiipsis, sed suo Principi splẽdorem, & gloriam elucrari, eiusque nomen propriis sumptibus, & laboribus splendidum, ac illustre reddere gaudent; non secus ac de Germanis in libro de eorum moribus sic scribit Cornel. Tacit. *Principem* *Corn. Tac.* *suum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloria eius assignare, præcipuum sacramentum erat.* Quasi grande nefas crederent eademmet quæ ipsi gesserant fortia facta suæ gloriæ assignare, & non potiùs Principis nomini, & fortunæ adscribere: sic quidem vrbes à Principibus viris constructas de Cæsarum nomine appellatas audis: sic egregius ille belli Dux Ioab, qui apud nostrum Dauidem gratiâ præualebat, adeò eius gloriæ extitit zelator, vt regiâ Ammonitarum vrbe, quã obsidione cinxerat, penè captâ, Principem suum accersierit, vt gloriâ exitus, & extremæ manus ei relictâ, nemo alius præter ipsum, & dimicasse, & vicisse videretur: 2. Reg. cap. 12. vers. 27. Bene hæc omnia ad- *2. Reg. 12. 17.* notante S. Petro Damiano lib. 6. epistol. 9. ad finẽ: *Pet. Dam.* vt à filiorum sæculi in suos Principes obseruantia religiosos viros de gloria certantes, nec sese Prælatis, qua par est modestia, subiicientes opportunè coarguat. Ergo sic ait: *Certè cùm Ioab contra Rabaath Regem Ammon robustè confligeret, vrbemq́, regiam obsidione vallaret, nuntios ad Dauid ordinat, eumq́, vt veniens victoriam in suum transferat nomen inuitat.* Dimicaui *inquit* aduersum Rabaath, & capienda est vrbs aquarum: nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam, ne cùm à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria. *Militaris homo ad regalis gloriæ famam gaudet sui laboris transferre victoriam, Herodes, & Philippus vrbes proprio labore constructas ad honorem alter Augusti, alter Tiberij, Cæsareas appellarunt: & nos qui vitæ huius pompam abiecimus: imò qui mundo nos mortuos fore iurauimus, vani nominis gloriolas concupiscimus, & de rumusculis friuolæ laudis inflammamur.* Hæc ex S. Petro Damiano,

7 Sed

7 Sed vide iam malum Administrum, qui regio annulo abusus, manum ad non concessum extendere præsumens, Regia sui gloriam sic sibi usurpare adnitebatur. *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Isaiæ cap. 14. vers. 13. Quod si ad verba hæc non omnino immeritò ambigas, quid illis superbiæ, aut insolentiæ subsit, cùm quidquid ibi sibi velit, adsciuisse Lucifer, aut suum iam esset, aut à Deo foret è vestigio accepturus? Cui etenim nisi Angelorum Primati, & cælum, & solium, & Dei similitudo conueniret? Respondebo inde eius superbiam, & peruersitatem argui, quòd Deo similis esse, hoc est, ad Dei similitudinem excelsum solium, summamque fastigium habere voluerit. Sed cui (inquis) Dei similitudo vnquam obfuit? imò nunquam non profuit, eùm in ea salus, vita, & summa felicitas sit? Sanè eùm Dei æmulatio, siue similitudo semper salutaria, & proficua sit, vno tamen modo lethalis esse, siue lethaliter potuit affectari: cùm videlicet malus ille sic Deo similis, quòd non similis esse voluit, id est, quòd Dei instar, non ab alio, sed à seipso gubernationem habere, & potestatem in alios exercere concupiuit, *similis* (inquit) *ero Altissimo*: vt quemadmodum ille seipso cuncta regit, atque gubernat: ita ego meo arbitratu, non vt administer, sed vt dominus tes omnes disponam, negotiaque expediam. Quæ omnia vnico verbo videtur expressisse Ezechiel cap. 28. vers. 12. Lucifero ea frequentiori PP. expositione sic insultans. *Tu signaculum similitudinis*: sed obsetua Tertullianum lib. 2. aduersus Marcionem cap. 10. pro *signaculum* legere, *resignaculum*, vt innuatur, eum quem sui administrum Deus constituerat, vt eo veluti signatorio annulo vteretur, diuinam similitudinem, & subiectionem per proprie excellentiæ appetitionem excussisse, & commissum sibi annulum resignasse, ne Dei nomine, sed proprio negotia expediret: sic id inibi adnotâte hunc in modum Tertulliano. *Tu es resignaculum similitudinis, qui scilicet integritatem imaginis, & similitudinis resignaueris.* Vt tui videlicet iuris factus, tuo nomine, tuo arbitratu cuncta disponeres: iam hæc ad Romanorum Principum Administros, qui ea ratione malè audierunt, omnino translata obserua. Nimirum de Sejano Tiberij familiari, inquit Dio lib. 57. *At Seianus in dies maior euadebat, omnibusq; formidabilior, adeò vt & senatus, & reliqui, Tiberio spreto, ei tanquam Imperatori obtemperarent.* Et statim *Sejanum porrò factu, potentiaq; adeò efferebatur iam, vt (quò paucis rem expediam) sese pro Imperatore, Tiberium pro insulæ rectore quodam haberet.* Dè Pallante verò Claudij Administro Corn. Tacit. lib. 13. Annalium, *velut arbitrum regni agebat.* Sed de Helio, qui apud Neronem omnia potuit, signatè ad rem nostram Xiphilinus in Nerone. *Eo qui Roma, & in Italia erant tradidit Helio cuidam Cæsareo, cui omnia commiserat, adeò vt ei liceret, & bona publicare, & in exilium mittere, & interficere, antequam res ad Neronem deferretur. Habebat plebeios equestris, & Senatorij ordinis homines pariter. Tunc Romanũ Imperium duobus dominis seruiebat, Neroni, & isti Helio, vter nequior, incertum. Similia vterque faciebat.* Prob peruersitatem! & turbatum administrandi ordinem! Ministrum, & familiarem Principe inconsulto negotia expedire, in exilium mittere, & ad necem damnare? similiaque ac Principem facere: cùm non nisi eius nomine tanquam merum ipsius instrumentum, atque vmbra verba, nutus, motus regio annulo obsignata proferre deberet.

8 Sed & ad hunc scopulum tantisper Petrum impegisse dixeris, cùm nefariis satellitibus Dominum comprehensum venientibus, ipse *extendens manum exemit gladium suum, & percutiens seruum Principis Sacerdotum amputauit auriculam eius.* Matthæi 26. 51. Etenim hanc Petri animositatè culpæ tribuit Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 70. & eam multis rationibus arguit P. Suarez tomo 2. in 3. partem disp. 34. sec[...]. vbi inter alia inquit. *Sed non possumus factum Petri secundùm se excusare, quia ve tantum facinus aggrederetur virtute Christi fretus debuisset illius verbum, & præceptum expectare.* At inquies: cur vitio adscribatur Petro gladio vti, cui gladius à Domino fuerat commissus, & de eo in bonum ferendo præceptum singillatim acceperat, dicente Domino apud Lucam: *Qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium,* cap. 22. 36. quorsum enim gladium ex Domini præscripto ferret, nisi vt data defensionis occasione illum in sceleratissimos hostes stringeret? Respondet citato loco Augustinus. *Quia Dominus iusserat, vt ferrum discipuli eius ferrent, sed non iusserat, vt ferirent.* Ergo eo in cardine Petri culpa vertitur, quòd suo arbitratu gladio, & potestate sibi traditâ vsus fuerit, qui Christi verbum, & præceptum expectare debuit. Quod subtiliter videas adnotatum à Matthæo dum primùm ait: *extendens manum*: etenim cùm gladius distringi non possit quin manus extendatur, non otiosè, sed quæsitâ locutione extensæ manus meminit, vt innueret; Petrum potestate abusum, cùm manum propriâ auctoritate extenderit, quod subinde rursus indicare videtur Euangelista non contentus dixisse, *exemit gladium*, sed signatè addens *suum*: quasi Petrus gladio, & potestate non vt Domini, sed vt suâ vsus fuerit, cùm tamen, qui illius Administer, famulusque erat, non nisi ad eius præceptum commissam potestatem exercere debuisset.

Ad ea verba,

Non adhæsit mihi cor prauum.

Nihil Regio familiari siue ad felicem negotiorum expeditionem adeo necessarium, siue vt in regia gratia permaneat vtilius, quàm rectam in omnibus rebus intentionem habere.

ADNOTATIO XVIII.

1 VT hoc monitum ad Principem quidem omni etiam ex parte pertineat, at ad eius familiarem nescio qua peculiari de causa singillatim spectat, ipse enim, cui (quod de Fortuna dixit Plinius lib. 2. c. 7.) *Omnia expensa, omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium solus vtramque paginam facit.* Cuique id quod inibi de eadem habet maximè conuenit. *Toto quippe mundo & locis omnibus, omnibusq; horis, omnium vocibus Fortuna sola inuocatur: vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuicijs colitur.* Is, inquam, etsi orbis terrarum res tam abstinenter administret, quàm alienas, tam diligenter, quàm suas, tam religiosè, quàm publicas, vt de Paulino dicebat Seneca lib. *de breuitate vitæ* cap. 18. externâ hac vitæ probitate, atque iustitiâ non debet omnino esse contentus, nisi etiam Dei gloriâ, Regni vtilitate, iustitiæ zelo, & verâ benefaciendi ratione ob oculos positis, quidquid Principi, siue præmia, aut supplicia illaturo, siue publica negotia moderanti consulit, aut ex ipsius decreto ipse præscribit, ea rectâ animi intentione proficiscatur, ne videlicet ipse publicæ rei, aut iustitiæ, siue beneficêtiæ prætextu ad suas, suorumque vtilitates, vel ad inanem gloriam captandam, siue etiam ad priuatas simultates exercendas, propriasque iniurias vindicandas, retortis oculis aspiciat. Etenim Augustino mo-

nitore concione 12. in Psalm. 118. *Magni interest, cùm aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione facimus: Officium quippe nostrum non initio, sed fine pensandum est, vt scilicet non tantùm si bonum est, sed præcipuè si bonum est, propter quod facimus, cogitemus.*

2 Poterit quidem Principum Administris & familiaribus arma tenentibus, iustitiam scilicet, siue armatam, & punitiuam, siue togatam, & commutatiuam, siue distributiuam, ac beneficam administrantibus id signatissimè suggerendum, quod illis iustitiæ, ac beneficentiæ prætextus, atque velamentum sub quo cupiditates suas explere, siue explicare possint, omnino ad manum sit. Porrò magnâ emphasi, & huic rei peropportunâ à Domino generaliter admonitum est. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Matthæi cap. 6. vers. 3. vbi, si attendis, signatè videtur Dominus descripsisse manum sinistram sic dexteram obseruantè, vt sub eius vmbra cupiditates suas expleat, acsi diceret: Caue ne dederis locum, vt animaduertat sinistra, se sub dexteræ patrocinio, ac clypeo, idest, sub virtutis specie, & honestatis prætextu atque velamine securum apud homines accessum, sine tutam impunitatem habere: etenim si semel id ipsa cognouerit, eam quidem occasionem omnino arripiet, vt sub eo velamento, & bonæ rei prætextu cupiditates suas satiet. Videris id graphicè depictum in scelestis Ioab dextera, sinistraque manu in cæde Amasæ vno animi proposito sub diuersis officiis occupatis. Sic enim 2. Regum cap. 20. vers. 9. *Et tenuit manu dexterâ mentum Amasa, quasi osculans eum, porrò Amasa non obseruauit gladium quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, &c.* Quæ sic expendit Gregor. Magn. lib. 15. Moral. cap. 5. *Ioab Amasa mentum dexterâ tenuit, sed sinistram ad gladium latenter mittens, eius viscera effudit. Dextera quippe mentum tenere est quasi ex benignitate blandiri: sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit.* Vt dicere videatur, nequaquam sinistra facinus perficere auderet, nisi dexteræ suffragio, & patrocinio niteretur: at dum hæc mentum fortiter tenuit, locum quidem sinistræ fecit, vt securè cogitata perficeret. En ergo scopulum, ad quem Principes, & Principum familiares facilè impingunt, dum iustitiæ, & honestæ administrationis dextra liberum, ac securum transitum sinistræ ad libidines explendas facit, & tutam improbitatem præstat.

Matt. 6. 3.

2. Reg. 20. 9.

Greg. Mag.

3 Qua sanè ratione Principum virorum animos à summo omnium iudice penitissimo examine discutiendos notanter asseuerat Salomon Sapientiæ cap. 6. 7. etenim vbi Noster habet. *Potentes autem potenter tormenta patientur*: Græcè omnino habetur *scrutabuntur*: vt ea sententia innuatur, eum esse potentiorum, ac Principum morem, vt non candidè, ac sincerè, vt alij homines, sed aliò intenti, & sub secunda (vt aiunt) intentione operentur: ideoque signatissimè introspiciendos, eorumque intentionem quæsitissimè examinandam fore, vt appareat vtrum iustitiæ zelo, ac honestatis ratione, an vt propriis cupiditatibus, & idolis morem gererent, ius dixerint, ac legibus, & potestate vsi fuerint. Quid enim iustitiæ cum iniquitate? Ita quidem de Principibus Israëlitici populi signatè Dominus apud Isaiam dicebat cap. 1. vers. 22. *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua*: quasi iustitiæ, & potestatis vsus propriæ vtilitates, siue cupiditates essent admixtæ, quas bonæ rei prætextu adimplerent, ad eum sanè modum, quo Rachel admonita à marito, vt simul cum eo religionis causâ fugeret, sua secum idola à patre furata detulit. Sic enim illa ad maritum. *Omnia quæ præcepit tibi Deus fac: eo vero inscio: furata est idola patris sui.* Genes. cap. 31. vers. 19. Quid? idémne fuerit vxorem ego meam Dei iussu educere; & tu idola furari, tecumque deferre? Minimè quidem, sed iustæ rei prætextu, & religionis velamento voluit illa idolis suis inseruire, siue propriæ libidini morem gerere. Erat planè hac calliditate, siue vafritie imbutus Tiberius, qui ad sæuitiem suam explendam legibus se armabat, dictitans, *Imperio non vtendum, vbi legibus agi oporteret*, ad suas videlicet cupiditates legum auctoritatem vsurpans, sua omnino, non Reipublicæ causa eorum nomine imperans: cùm è contra bonus Princeps, bonus Administer, sic planè se habere debeat cùm imperat, ac ille qui apud Senecam patrem in controuersiis dicebat. *Hoc impero Reipub. causa, tua causa, mea causa*: priùs videlicet ad Reipub. deinde ad subditorum, siue amicorum vtilitatem, posteriori verò loco ad se respiciens.

Sap. 6. 7. Lect. Græc.

Isa. 1. 22.

Gen. 31. 19.

Corn. Tac.

Seneca.

4 Nec longius à suo Principe Tiberio iuerit Pilatus Christum Dominum ad Herodem mittens, eaque ratione in eius gratiam, & amicitiam rediens, nec enim sine peculiari emphasi hæ Principum istorum amicitiæ, & inimicitiæ ab Euangelista cõscriptæ sunt: sic enim Lucas cap. 23. vers. 12. *Et facti sunt amici Herodes, & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant adinuicem.* Vbi si attendis, aliter amicitiæ, aliter inimicitiæ factæ dicuntur: nam qui *adinuicem inimici* erant, sic amici facti sunt, vt non dicatur *adinuicem* denuò inita amicitia, sicut inimicitia adinuicem fuerat contracta, duplici nimirum odij vinculo illis inter se colligatis, siue ab inuicem dissidentibus. Planè quod non adeò firmiter, & constanter gratiæ reconciliatio facta fuerit. Sed quare? Num quod amicitia, quæ Christi sanguine contrahitur: pauperis scilicet iniuriâ, innocentis oppressione, fœda libidine, firma & constans esse non possit? ita quidem: sed ad rem opportuniùs dixeris: ideò qui *adinuicem inimici fuerant*: non adinuicem amicos factos, quod Pilatus non amicitiæ ratione, sed vt graui, & implexâ causâ sese exoneraret, Christum ad Herodem remiserit, suum onus, atque discrimen in illum iudicij prætextu volens conijcere. Enimverò cùm Præses vna ex parte Christum innocentem omnino esse cognosceret, ex alia verò populo ad necem eum postulanti vellet satisfacere, *vt cognouit quod de Herodis potestate esset*: occasionem arripuit, vt sese discrimine subduceret, illudque in Herodem transmitteret, quam equidem Pilati mentem cùm ille non introspexerit, illud quidem sibi gratum munus factum putauit, quod reapse periculum potiùs, & scopulus erat. En Principum, & Aulicorum iudicia, iustitiam, beneficentiam, amicitias diuinæ scrutationi maximè obnoxia, quòd hæc illis cupiditatum velamentum, siue scelerum custodia, & patrocinium esse soleant. Vnde iis non immeritò aptaueris niuis imaginem, quam hypocrisi sic tribuit S. Petrus Damianus lib. 6. epist. 32. *Nix alba sed frigida hypocrita, nempe qui se per adumbrata sanctitatis figmentum transfigurat in Angelum lucis nullis internis æstibus charitatis: atque adinstar niuis simul est albus, & frigidus, quia pius quidem se deseruire operibus simulat, sed viscera solida pietatis ignorat.* Hæc ille.

Luca. 23. 12.

S. Petrus Damian.

5 Hinc siue in ipsis Principum Aulis, siue in Reipublicæ gubernatione, siue in bellorum administratione infelices rerum exitus, & frustrata vota, quæ alioquin pia, & iusta esse videbantur, sæpesæpiùs cõspiciuntur, quod Deus, qui non ad faciem, sed ad interna animi consilia attendat, talem euentus mercedẽ rependat, qualis operantis intentio, & mens erat: sic notantissimè asseuerante Dauide. *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum.* Psal. 32. vers. 10. vbi cùm sermo sit de infelicibus rerum euentibus externis Principum actionibus respondentibus, fusis videlicet copiis, prœliis aduerso Marte commissis, fractis in mari classibus, & iis huiusmodi, emphaticè de sola cogitationum reprobatione, & dissipatione mentionẽ fecit Vates,

Psal. 32. 10.

Vates, quasi hæc prima mali labes sit, noxias cogitationes sub bonæ rei prætextu, & Reipub. vtilitate contegere, atque idcirco ipsis signatè eatus respondeant, & quæcumque non suscipiuntur Deo auctore consilia irrita cadant, siue quod peius est, mutentur in contraria. Vbi minimè fuerit prætermittendum acumen, quod Græco verbo, quo pro *dissipare* vsus est Aquila quod sic omnino expressetis ex Agellio. *Irritat, abrogat, quasi suam auctoritatem non adiungit iis consiliis, non subscribit eorum decretis, ex cuius solius subscriptione, & auctoritate robur illa ac firmitatem acciperent.* Vt omnino liqueat cogitationes calculo ipsius non susceptas, & manu ipsius non subscriptas nunquam ad exitum posse perduci. Quæ omnia ob oculos habens bonus Tobias filium sic suum admonebat: *Omni tempore benedic Deum & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Tobiæ cap. 4. vers. 20. siue vt legunt Septuaginta, *Vt ea tua recta sint, & omnes viæ tuæ, & consilia tua prosperentur.* Vbi si inquiras, quonam modo prudens senex filium de consiliorum duratione, & prosperitate monuerit, cùm hæc sub monitum non cadant; quis enim si in manu prosperitatem haberet, ipsam dimitteret? immò non mordicùs apprehenderit? aut quis vnquam prosperitatem tanquam legatum testamento reliquit? Respondebo; optimè quidem hæc omnia subsistere, idemque dubio procul esse, consilium cum Domino inire, cui ipse videlicet subscribat, & prosperum illius exitum nancisci; ergo in ea Tobiæ admonitione, consiliis cum Deo susceptis, siue rectis viis, & cogitationibus, permanentia, duratio, felix euentus, atque prosperitas necessariâ (vt aiunt) consequentiâ respondet: hæc omnia, & quæ ex Dauide attulimus sic præstringente Galfrido ad id loci in allegoriis Gotfridi Tilmani. *Non enim permanere consilia poterunt, quæcumque in eo non erunt:* reprobat *enim* Dominus cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum. *Non enim approbat actiones in quibus reprobas inuenerit cogitationes. Non placent opera vbi fuerint praua consilia.* Optimè, vt animum mille anxietatibus, & hæsitationibus liberes, siue vt totidem interrogationibus satisfacias; nimirum cur plures Principum actiones, quæ iustæ apparebant? Cur plura religionis causâ, vt ad faciem videbatur, suscepta prælia felicem euentum non habeant: immò in contrarium mutentur? Quia videlicet Deus *non approbat actiones, in quibus reprobas inuenerit cogitationes. Non placent opera, vbi fuerint praua consilia.*

Aquila.

Tob. 4. 20. Septuag.

Galfrid.

6 Ostendo Principi, siue Principis Administro duos infelices euentus bonarum quidem ad speciem actionum, quòd reprobis ipsæ cogitationibus fuerint initiatæ: alterum quidem ex Theodoreti sensu, cui illum omnino adscriptum iri volo, ne ego de Dauide, quod optimum omnino non fuerit sensisse videar: alterum ex Iustino Martyre: & vt hinc incipiam, obserua quæso optimam Saülis legem, quâ magos, & hariolos perniciosum hominum genus de terra præcepit auferri. 1. Regum cap. 28. vers. 9. Deinde vide, quomodo ille Deo sic volente eorum manibus, vt sic dixerim, interemptus fuerit, ex ore siquidem Samuëlis magæ vocibus excitati diram mortis sententiam accepit. Adeò nihil emolumenti ex eo edicto percepit, vt in contrarium potiùs videatur mutatum. Quare quia vt dicebat Galfridus, Deo *non placent opera, vbi fuerint praua consilia.* Audi sanctum Iustinum Martyrē, id sic disertissimè monentem in quæstione 52. ad Gentes. *Diuinatrices abstulit Saül, eo facto se Deum conciliaturum sperans, vt suam ille sententiam, quâ eum, vt regno indignum reprobauerat, mutaret, non hariolorum odio habens impietatem, sed regni adamans administrationem. Et quia consilium eius Deus non probauit, propterea eum ita reliquit, vt illos is requireret, quorum non bono instituto parauerat cædes.* Hæc ille. Ita quidem euenire solet, vt quæ bono instituto non parantur, præsertim verò, si cædes, & supplicia sint, in caput auctoris recidant.

1. Reg. 28. 9.

Iustin. M.

7 Quòd non omnino importunè per allegoriam referas celebrem illam Moysis virgam de qua Exodi cap. 4. vers. 2. sic habetur. *Dixitq; ad eum: Quid est quod tenes in manu tua? respondit: Virga. Dixitq; Dominus: Proiice eam in terram, proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* Etenim cùm virga sceptrum regni siue iudiciariam potestatem ex omnium Patrum, & Interpretum consensione significet, dum recta hæc in manu Principis, & Administri inest; dum bono inquam instituto, & rectâ intentione, & bonis præmia, & iniustis supplicia decernit, illustre ornamentum, atque splendorem ipsis conciliat, non secus ac virga tot prodigiorum effectrix Moysem toto orbe venerabilem, & illustrem reddidit: at enim cùm in terram proiicitur, hoc est, cùm sinistrâ mente, & prauo, atque distorto consilio negotia expediuntur, & terrenis respectibus pacis, & belli res administrantur, in colubrum ipsimet Principi horribilem, qui eum diro morsu laceret, omnino vertitur, & si attendis, distortus, siue peruersus, & aduersus rerum effectus, & successus, retortum etiam, & obliquum affectum operantis arguit. Hæc omnia breuiter præstringente Venerabili Stephano Cantuariensi ad id loci in allegoriis Gotfridi Tilmani, his verbis. *Virga est potestas iudicandi. Virgam in terrā proiicere, est potestatem iudiciariam ad terrena deflectere.* Bene quidem *deflectere*, intentione videlicet prauâ, quæ externam virgæ rectitudinem aliò inflectit: sed illud emphasi plenum videtur: *ita vt fugeret Moyses*: hominem maximè strenuum, atque fortissimum, *qui fide reliquerat Aegyptum, non veritus animositatem Regis*, siue vt habet lectio Syriaca, *neque reformidans Regis furorem*, ad Hebræos cap. 11. vers. 27. à propria & familiari virga perterritum fugisse: quod de ipso in mille præliorum, & aduersarum rerum discriminibus, in quæ toto vitæ curriculo adductus est, minimè legitur. Planè vt argomento fuerit, nihil Principibus viris æquè timendum fore, ac suamet consilia, suamque potestatem, si illam prauâ intentione, & retortis oculis ad terrena inflexerint.

Exod. 4. 2.

Stephan.

Lect. Syr. Heb. 11. 27.

8 Iam quid de Dauide Theodoretus excogitauerit audi: sanè cùm ille iam moriturus filium Salomonem grauiter admonuit, ne Ioab egregium olim belli ducem impunitum obire sineret, inquiens. *Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos:* 3. Regum cap. 2. vers. 6. non leue negotium Patribus, & Interpretibus facessit, quanam permotus ratione Ioabi scelera quæ ipse dum vixit, siue dissimulauit, siue dimisit, quòd pro eius dignitate, & regno ille strenuè dimicasset, in eo mortis articulo, in quo non nisi pacis, & clementiæ cogitationes oboriuntur, tam sedulò vindicari præceperit? Cui quidem dubitationi vt satisfaciat Theodoretus iisdmet iustis rationibus, quas Dauid verè quidem, & ex mente attulit, eam adiungit, quæ in politicam simul gubernationem, & rationem status, vt aiunt, inclinare videtur. Nimirum, quòd Dauid qui acre Ioabi ingenium, & artes optimè nosceret, vehementer timuerit, ne domus suæ, & Salomonis noui Regis, rationibus turbato regno officeret: sic enim ille. *Timuit ne salitâ vtens malitiâ, despiceret iuuentutem Salomonis, & duorum faceret alterum, nempe vt aut personâ vtens beneuolentiæ eum interimeret, sicut occidit Abner, & Amasam, aut apertè strueret aciē aduersam, & diuideret Israel.* Hæc ille: bono quidem sensu capienda, qui Dauidis siue iustitiam, siue sanctitatem nullâ ratione lædat, cùm vel hac in re Dauidis animum à pietate non discessisse, sic affirmet Ambrosius in Apologia 1. cap. 17. *Nihil minus quàm cruentus affectus sancto Prophetæ adscribi potest, qui vitâ decedens supremâ*

3. Reg. 2. 6.

Ambros.

premâ voce conuenit Salomonem, vt sanguinem innocentem à se tolleret, quem fuderat dux eius Ioab, quando Abner insidiis occubuit. Sed enim dum Theodoterus ad status rationem Dauidem adspicientem facit, ad Tiberianum illud dugma, *Imperio non vtendum vbi legibus agi oportere,* tantisper etiam allusisse, indicare videtur. Quod quidem si verum fuit (quod omoino dubitamus, ne vel exignâ aquæ guttâ bonum Dauidis vinum miatum fuerit) huic cogitationi infelicem regni Salomonis exitum subinde tandem diuisi, quod Danid ea Theodoreti sententia tantoperè timebat, eodem aliquis errore ductus non abs re adscripserit. *Non enim permanere consilia poterunt, quacumque in Deo non erunt.*

Theodor.

Ad ea verba,

Oculi mei ad fideles terræ,

Optimi atque fidelis Administri præcipuum munus esse Principi suo vera dicere, & recti studio corrigere quæ ad ipsum falsò peruenerint.

ADNOTATIO XIX.

1 EN Regij Administri, qui se ad veri amoris, & germanæ amicitiæ leges componit, vt difficiliorem omnino prouincism, ita præcipuam, & maximè necessariam sui muneris partem, Principi videlicet altissimo illi fastigio suo hærenti, qui *nedum alumnum fortuna se existimat, sed partum*; vti Vespsiano Imperatori dicebat Plinius lib. 7. cap. 7. verùm verè, & simplieiter suggerere, meliora suadere, & quæ ad illum falsò perueniunt, recti studio corrigere, res quidem vt anceps, & difficilis, ita in Aulis insolens, & rara: via enim iotrat regium limen veritas, sic exclamante S. Petro Damiaoo opuscol. 58. in prooemio. *O infelix, & deceptioni semper obnoxium humana fastigium dignitatis!* Quod sic pulchrè diffundit Seneca lib. 6. de beneficiis cap. 30. *Monstrabo tibi quim res inopiâ laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit: scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem, ipsaq; consuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum, vindices à consensu, concentuq; falsorum.* Et statim. *Non vides quemadmodum illos in praceps agat extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadetq; sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandissimè fallat?* Sic ille: sed breoiùs, & distinctiùs vnamquamque falleodi viam ex singulatum varietate personarum designans Cornelius Tacitus libro 2. Anoalium hoc sic osteodit. *Tribunos, & Centuriones læta sæpiùs, quàm comperta nuntiare, libertorum seruilia ingenia, amicis inesse adulationem.* Quæ sanè omnia sacrâ videris historiâ firmata, atque eò locupletiùs, quò noo Tribunis tantùm, & Centurioonibus læta, quàm comperta, nuntiare, libertis seruile ingenium, amicis adulationem, sed hæc omnia hominibus ex professione vetendis simul tribuar. Etenim cùm Rex Achab expeditionem in Syriæ Regem adornasset, eaque de re Prophetas suos coosoluisset, omnes omnino ad regiũ palatum oraculum attemperantes læta, & felicia pollicebantur: audi. *Congregauit ergo Rex Israël Prophetas, quadringentos circiter viros, & ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui responderunt: Ascende, & dabit eam Dominus in manu Regis.* 3. Regum cap. 22. vers. 6. Nec simplici hac asseueratione contentus Sedechias, qui inter hos Prophetas aulicos Princeps esse videbatur, vt hieroglyphicis signis felicissimum euentum futurum portenderet, ferrea sibi cornua finxit, quibus innueret, Regem insuperabili robore aduersariorum vires, & regna confracturum, haud magis difficilè, ac fortissimus taurus obuium quemque prosternit. *Fecit quoque sibi Sedechias filius Chanaana cornua ferrea, & ait: Hac dicit Dominus, his ventilabis Syriam donec deleas eam.* Vnde statim: *Omnes Propheta similiter prophetabant dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, & vade prosperè, &c.* A quibus nec hilum discrepare diceris Aulicos, & amicos Regis Xerxis simili de re consiliũ dantes apud Senecã lib. 6. de beneficiis cap. 31. hunc in modum. *Cùm bellum Graciaindiceret Xerxes, animum tumentem, oblitumq; quàm caducis confideret, nemo non impulit. Alius aiebat, non laturos nuntium belli, & ad primam aduentus famam terga versuros: alius nihil esse dubij, quin illâ mole non vinci solùm Gracia, sed obrui posset, magis verendum, ne vacuas, desertasq; vrbes inuenirent, & profugis hostibus vasta solitudines relinquerentur, non habituris, vbi tantas vires exercere possent. Alius, illi vix rerum naturam sufficere, angusta esse classibus maria, militi castra, explicandis equestribus copiis campestria, vix patere calum satis ad emittenda omni manu tela.* Iam vt vtriusque Regis amici læta potiùs quàm vera nuntiãtes, ita & exitus fuit, quippe Achab in prælio infelicissimè periit, Xerxes à trecentis omnino Lacædemonis turpiter victus atque fugatus est.

P. Pet. Dam. *Seneca.* *Corn. Tac.* *3 Reg. 22. 6.* *Seneca.*

2 Enimverò, hæc Aulæ natura, hoc insitum ei malum esse videtur, vt quem Regium limen semel exceperit; ante eius oculos velut pestifero halitu inficiat, aut potiùs animum viresque corrumpat, ne verum cognoscere, siue cognitũ manifestare velit: quasi eadem Aulæ, ac lupi conditio sit, dum hic quem prior videt elinguem, & mutum facit. Vnde quidem cùm sæpe sæpiùs plures strenui, fortes, atque veraces inueniantur viri, qui iuxta Sapientis monitum *pro anima sua non confundantur dicere verum*, nec accipiant *faciem aduersus faciem* suam, vt primùm in Aulam sunt excepti, alij à se facti veritati nuntium remisêre, quasi ipsam nec de facie norint. Cui sanè rei & exemplum, & imaginem opportunè concinentem dabimus: & nam quoad exemplum, vt alia omittam, quis in veritate dicenda, & publicanda animosior, fortior, & valentior Petro, qui dum de Christi Domini Diuinitate magna inter homines concertatio, & ab ea summum discrimẽ erat, aliis alia dicentibus ipse aduersus Principum & Procerum sententiam, & voces intrepidus veritati testimonium reddidit dicens: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Matthæi cap. 16. vers. 16. quique pro ipsa veritate quam professus erat, paratum se dixit *in carcerem, & in mortem ire*, Lucæ 22. vers. 33. & tamen in eademmet nocte quâ sese etiam cum vitæ discrimine veritati tuendæ audacter offerebat, vt Principis Sacerdotum limen intrauit, de Christo ab ancillula interrogatus respondit: *Quia non noui hominem.* Matthæi cap. 26. 72. Quem? eum quidem, qui paulò antea dixerat: *Ego sum veritas.* Ioann. 14. vers. 6. quasi primum in Aula pedem ponere, veritatem de facie non noscere, siue negare fuerit: scitè id adnotante Paschasio libro 12. in Matth. his verbis. *Considerandum est, vbi negat Petrus. Non in monte, quo fuit cum Domino, non in templo, non in domo sua, sed in domo Principis Sacerdotum.* Reddit rationem. *Ibi ergo negat, vbi veritas non est, vbi Christus ligatus est:* obserua illud *vbi veritas non est*: vt quemadmodum in mare submersus necessariâ ratione suffocatur, quod aërem respirare nequeat, ita in Aula vel à Petro veritas abnegetur, quod vbi veritas non est, spirari non possit.

Eccl. 4. 24. *Matt. 16. 16.* *Luc. 22. 33.* *Matt. 26. 72.* *Ioan. 14. 6.* *Paschas.*

3 Iam Petri imaginem à Remora opportunè sumpseris, maris, ventorum, ac hominum vires dic primùm compescente apud Basilium homilia 7. in Exæmeron. *Si carinis adhaserit, adeò facilè sistere, vt immobiles non paruo tempore detineat, moreturq; quasi in ipso mari radices altius, fixasq; egissent.* Quæ sic pendit atque diffundit Plinius lib. 32. in procemio, & cap. 1. *Quid violentius*

Basilius. *Plinius.*

lentius mari, ventisue, & turbinibus, & procellis? quo maiore hominum ingenio in vlla sui parte adiuta est (natura) quàm velis, remisq; addatur, & his, & reciproci æstus inenarrabiles, versumq; totum mare in flumen; tamen omnia hæc pariterq; eodem impellentia vnus, ac paruus admodum pisciculus Echeneis appellatus in se tenet. Ruant venti licet, & sæuiant procellæ, imperat furori, viresq; tantas compescit, & cogit stare nauigia, quod non vincula vlla, non anchoræ pondere irreuocabili iactæ. Infrænat impetum, & domat mundi rabiem nullo suo labore, &c. Heu vanitas humana, cùm rostra illa ære, ferroq; ad ictus armata semipedalis inhibere possit, ac tenere deuincta pisciculus. Pergit Plinius affirmans suâ id etiam ætate compertum, dum validissima nauis quâ Imperator Caius vehebatur à Remora, ne procederet aduersus quadringentorum remigum obsequium cohibita est: *Cùm è tota classe quinqueremis sola non proficeret, exilientibus protinus, qui id quærerent circa nauim, inuenêre adhærentem gubernaculo, ostenderuntq; Caio indignanti hoc fuisse quod se reuocaret, quadringentorumq; remigum obsequio contra se intercederet.* Vides vt Remora contra tot impetus vetet ire nauigium, dum extra illud posita obsistit? modò obserua eandem intra nauigium receptam, omnem vim sibi innatam amittere, quin hilum ad detinendum valeat, subiiciente ibidem Plinio de Caio Imperatore. *Constabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuisset, nec idem polleret in nauigium receptus.* Quid hæc sibi velint, facilè vides, cùm videas Petrum, videas plures ipsius imitatores, qui aduersus magnos Principes, & Reges pro anima sua non confundantur dicere verum, nec accipiant faciem aduersus faciem suam, qui non promissis, non minis vllo modo cedant, sed rostra illa ære, ferroque ad ictus armata inhibeant, teneantque deuincta. Quamdiu tamen? Sanè cùm illis extra Aulam positis nullum est cum Principibus commercium: nam intra illam recepti non idem pollent. Pulchrè Seneca epistola 41.

Seneca.

Aliter leo aurata iubâ demittitur, dum contrectatur, & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus, aliter incultus integri spiritus. Hic scilicet impetu acer qualem illum esse natura voluit speciosus ex horrido, cuius hic decor est, non sine timore adspici, præfertur illi languido, & bracteato. Nempe ille antea integri spiritus incultus leo, dum ornari appetit, impetum, & rugitum amittit, immò patienter demittitur, & animos deprimens subiicit se.

4 His per accommodationem adnectas velim ea Pauli Galatas cap 5. vers. 7. vellicantis. *Currebatis benè, quis vos impediuit veritati non obedire?* Siue vt habet lectio Syriaca, *Pulchrè currebatis, quis vos remoratus est?* Quæ in ista sonum vocum, siue sub fluuij decurrentis imagine, siue sub remoræ proprietate sic inflexeris, vt illis languidos istos, & bracteatos leones sic pungas: Cùm vos olim recto decursu meræ veritatis alueum constiteritis, non nisi vera loqui. Quid (ô malum!) à veritate deflectere, nec recto cursu, sed per dulcissimas ambages vos circuire fecit? Quis fuerres olim remoras, quæ cogebant stare nauigia omnino remoratus est? ne veritati obediant, & quæ vera sunt, annuntient? Sanè ita opportunè occurrit Ambrosius in Psalm. 1. ex natura atque significatione fluuij Phison, de quo Genes. cap. 2. vers. 10. dicitur. *Ipse est, qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum.* Etenim cùm nominis ethymon sic aperuisset. *Est & Phison, qui Latinâ interpretatione oris dicitur* commutatio *circumiens terram Heuilath: vbi est aurum, & aurum terræ illius bonum, & lapis carbunculus, & lapis prasinus.* Subdit. *Meritò in illis commutatur, vt non teneatur promissorum fides, sed sit in ore dolus, vbi est aurum bonum. Auaritia enim fidem frangit, nec tenet verborum simplicitatem. Ornamenta quoque pretiosa mentem, animamq; commutant, vt aliud cupellent, aliud in sermone sit.* En leonem aliter aurata iuba se demittentem, dum contrectatur, & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus.

Galat. 5. 7.

Ambros.

Gen 2. 11.

5 Vides, infelix esse, & deceptioni semper obnoxium humanæ fastigium dignitatis? Non vides, quemadmodum Aulicos in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadetque; sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio: quis blandissimè fallat? Id verò quàm sit Principibus periculosum, immò exitiale, sic ferè indidem immediatè ostendit Seneca. *Ignorauêre vires suas, & dum se tam magnos, quàm audiunt credunt, attraxere superuacua, & in discrimen rerum omnium peruentura bella: vtilem & necessariam rupere concordiam, secuti iram, quam nemo reuocabat, multorum sanguinem hausêrunt, fusuri nouissimè suum, dum vindicant inexplorata pro certis, flectiq; non minus turpe existimant, quàm vinci, & perpetua credunt, quæ in summum perducta maximè nutant. Ingentia super se, ac suos regna fregerunt, nec intellexerunt in illa scena & vanis, & citò perituris bonis refulgente ex eo tempore ipsos nihil non aduersi expectare debuisse, ex quo nihil veri audire potuerunt.* Quid verius? quid opportunius? Ergo Principi inter tot adulatorum illecebras, tot ambientium fallacias, tot falsorum amicorum assentationes dulcia pro vtilibus obtrudentium, vnus omnino superest à se delectus Administer, qui verum annuntiet, eumque ab iis, quæ à veritate, & rectitudine, atque à recta gubernandi ratione deflectunt, candidè, & sincerè admoneat. Sed quare (inquis) Administro verum dicere signatè competit? Primùm, quod administer sit, huiuscemodi munere ius ei ad hoc dante, immò id ab illo omnino exigente: ita quidam & de Hephæstione Alexandri Administro Q. Curtius inquit. *Secretorum omnium arbiter, libertatis quoque in admonendo eo, non alius ius habebat: quod tamen ita vsurpabat, vt magis à Rege permissum, quàm vendicatum ab eo videretur.* Et Senecam Neronis familiarem Cornelius Tacitus lib. 15 dum suprema eius verba refert, sic loquentem inducit. *Nec sibi promptum in adulationes ingenium, idq; nulli magis gnarum, quàm Neroni, qui sæpiùs libertatem Senecæ, quàm seruitium expertus esset.* Ad quem modum Rex Athalaricus apud Cassiodorum lib. 8. cap. 9. Tolonicum Regis Theodorici Administrum munus suum implentem facit: etenim cùm prius ad illius consortium, & intimarum rerum, ac consiliorum communionem Theudoricum inclinatum ita depingit. *Tecum pacis certa, tecum belli dubia conferebat, & quod apud sapientes Reges singulare munus est, ille sollicitus ad omnia securè tibi pectoris pandebat arcana.* Statim quàm fideliter, quàm sincerè muneri suo ille responderet, sic aperit. *Tu tamen nullos responsis fallebas ambiguis. Amasti in dicendo patientiam, in suggestione veritatem: sæpè quæ ad eum falsò peruenerant recti studio corrigebas; & quod rarum confidentiæ genus est, interdum resistebas contra vota Principis, sed pro opinione Rectoris.* O egregium apud Principem ingeniû! ô præclarum Administrum, qui pro fortuna Principis, non cum fortuna loquebatur.

Seneca.

Q. Curt.

Corn. Tac.

Cassiod.

Cassiod.

6 Deinde verò ideò fuerit propriû Administri vera Principi dicere, quia is, vt iam vidimus, germanus, & legitimus Principis amicus est. Sanè amicum ab adulatore hinc discriminabat Maximus Tyrius præfata dissertat. 4. *Amicus id quod bonum putat, siue id dolorem postea, siue voluptatem adferat, cum amico communicat, & ex æquo fruitur: adulator ex præscripto libidinis suæ quidquid cum amico agit ad lucrum suum dirigit.* Et statim. *Amicus veritatem in familiaritate, adulator fraudem: alter emolumentum in posterum, alter in præsens delectationem.* Vnde disertus ille in Trinummo opportunè aiebat.

Max. Tyr.

Plautus.

Sed ex amicis certis mihi certissimum,
Si quid me scis fecisse inscitè aut improbè,
Si id non accusas tu ipse obiurgandus es.

Ita

Seneca. Ita sanè rursum Seneca Neroni suggerebat lib. 2. de Clementia cap. 1. *Diutium me morari hic patere, non vt blandiar auribus tuis, nec enim mihi hic mos est: maluerim veru offendere, quàm placere adulando.* Ita ille. A quo planè eius in regia gratia particeps Affranius Burrhus longiùs ibat, qui ad Neronis probra, & dedecora, cùm pro Imperatore cytharœdum, & histrionem agebat, & mœrebat vt probus, & laudabat, vt non bonus

Corn. Tac. amicus: ita obseruante Corn. Tacito lib. 14. Annalium cùm post hæc. *Ipse scenam incendit, multâ curâ tentans cytharam, & præmeditans assistentibus familiaribus: accesserat cohors militum, centuriones, tribuniq;* ad iungit, *& mærens Burrhus, ac laudans.* Et quidem ad germanum amicum opportonè omnino id spectat, quod hic vt præ animi candore in obiurgando sincerior, ita Principi præ amicitia minus molestus est. Qua signatè de causa necessarium Principi Administrum adstruebat Synesius, oratione *de Regno*: vbi cùm præmisisset: *Nam qua vlla Rege dignior possessio, quàm amici consortium? Quis secundarum rerum particeps iucundior? Quis in aduersis fortuna casibus tolerandis stabilior? Quis in laudando syncerior?* Subiicit: *Quis in acriter obiurgando minus molestus?* Videtis hunc velut indice monstratum à Theodorico Rege apud

Cassiod. Cassiod. lib. 5. epist. 3. Quæstorem suum sic laudante: *Sub genij nostri luce intrepidus quidem, sed reuerenter astabat, opportunè tacitus, necessariò copiosus, curarum nostrarum eximium leuamen.* Pulchrè illa *intrepidus, & reuerenter*: pulchriùs hæc verba *tacitus, & copiosus*, & ipsis adiuncta aduerbia *opportunè*, ac *necessariò*: vt ostendat Regium amicum in obiurgando minimè molestum: dum vna ex parte tanquam germana, ac legitima aquilæ proles (eam siquidem imaginem tacitus subindicat Theodoricus) inconniuenti pupilla regiam lucem *intrepidus* intuetur, Principis erratis non conniuens, sed illum si quid inscitè, aut improbè egerit, copiosus admonet, ex alia tum reuerenter, tum etiam necessariò, cùm res & occasio omnino exigit id munus obit, vt inde fit Principi persuasissimum, non nisi ex vero amore, & eximio animi candore admonitionem proficisci.

7 Do tibi hæc graphicè depicta, ostendoque bonum Administrum optimum Principem admonentem, cùm tibi Abrahamum super Sodomæ supplicio cum Domino disceptantem ob oculos pono: etenim cùm bonus Dominus et tanquam suo Administro instans Sodomæ excidium reuelasset: *Abraham adhuc stabat coram Domino, & appropinquans ait: Numquid perdes iustum cum impio? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo? Absit à te, vt rem hanc facias, vt occidas iustum cum impio: fiatq; iustus sicut impius: non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc.*

Gen. 18. 23. Gen. 18. 23. Vide egregium Administrum sub ipsismet Diuinitatis luce æquè intrepidum, ac reuerentem, necnon opportunè tacitum (vt rei exitus commonstrat: dum subinde in ea interuentione pro rei opportunitate vltra non progressus est, vt adnot. 16. vidimus) & necessariò copiosum: ergo obserua illa: *Absit à te, vt rem hanc facias*: siue vt ex Hebræo vertit

Oleaster. Oleaster *polluetur*, siue *blasphemabitur nomen tuum*: & hæc, *Non est hoc tuum*, quibus nihil fortius, nihil magis intrepidè Deo, aut Principi dici potuit, sed disertissimè quidem nec sine aculeata lande, & miro artificio: *Non est hoc tuum* (inquit) *qui iudicas omnem terram*, siue

Chaldæus. vt habet Paraphrastes Chaldæus: *Vera sunt iudicia tua, numquid iudex vniuersæ terræ non vtique facies iudicium?* Ac si dicat: non tam nostri, quàm tui met causâ ab hac cæde abstinere debes, quæ regio, ac diuino ingenio non conuenit. Quid enim eo iustius, æquius, candidius, mitius, & humanius? Num vno facto tot tam egregia facta, & tam præclaras dotes obscurabis? *Absit à te, nequaquam facies iudicium hoc.* Audis obseruatum, siue desumptum ab Abrahamo, quod de Tolonico dicebat Athalaricus, *& quod tamen confidentia genus est: interdum resistebat contra vota Principis, sed pro opinione Regloris.* Cur enim suo Principi animosè non obsistat Administer, cùm pro illius opinione, & fortuna causam dicit? Num iure timuerit inuisum inde illi, ac molestum fore? Minimè quidem: vel vide quanta humanitate Dominus Abrahæ monitis annuerit, siue etiam (si sic loqui liquet fas est) obtemperauerit: sic enim respondit: *Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in media ciuitate, dimittam omni loco propter eos.* Et statim ad singulas Abrahæ propositiones: *Non delebo: Non percutiam: Non faciam: Non interficiam*: luculenter hæc pensitante Ruperto ad id loci lib. 6. in Gen. cap. 4. *Ergo con-*

Rupertus. *sulebat Domino fidelem famulum, quatenus sit agetet, & sic iudicaret, vt de suo ipse iudicio dignè laudaretur. Proinde Dominus Deus monitorē hominem non aspernatus, & quodammodo argumentis non dedignatus singulis tam conedit propositionibus*: dimittam inquiens omni loco propter eos *quinquaginta*: non delebo, *si inuenero ibi quadraginta quinque*: non percutiam *propter quadraginta*: non faciam, *si inuenero ibi triginta*: non interficiam *propter viginti*: non delebo *propter decem*. Hæc Rupertus.

8 Concludam si occasione illius locutionis Cassiodori *necessariò copiosus*, adnotauero, non esse cur amans, tenerensque sui Principis Administer ei verum, verè, & candidè potiùs, quàm per ænigmata, ac longiores ambages non aperiat: cùm & via illi possit esse molestus, qui tanquam verus amicus pro ipsius opinione loquitur, *vt de suo ipse iudicio dignè laudetur*: & Regalis ingenij sit, non omnino percipere, aut sibi accommodare, quæ obscurè, aut per ænigmata dicuntur. Quod quidem vel in nostro Dauide, solertissimo quidem Principe, & parabolis, ac ænigmatibus assue-

Psal. 48. 5. to (vt ipsemet inquit Psal. 48. 5. *Inclinabo in parabolam aurem meam, & aperiam in psalterio propositionem meam*, siue vt

Hieron. Isidor. Hieron. & Isidor. legunt *ænigmata mea*) facile videre est: Prophetâ siquidem Nathan peccatum proprium in alieno, inductâ parabolâ hominis, qui è suis parceret, vnicam pauperculi cuiusdam ouem occidit, vt peregrino conuiuium instrueret, tam apposite, & opportunè proponente, vt nihil ni illa esset, quod ipsi non quadraret: ille ac si sensum, & mentem non haberet, nihil minus quàm Prophetæ mentem percepit: vnde sceleris, quod alienum ipse putabat, improbitate perculsus, quasi vibratum è nube fulmen horribile iudicium protulit: quin vlla ratione ea ad se spectare intellexerit, quæ ipsi facta & nata omnino erant, donec clarissimè Propheta subiunxit: *Tu es ille vir.* Quibus nihil apertius, distinctius, & explicatius dici potuit: *Tu es* inquit: vt diaerit: adhibui tibi speculum in quo te agnosceres, nec sapuisti: vide iam te in te ipso. Tu met ille es, de quo loquor: ad quam vocē, qui excors, & sine mente fuerat statim cognouit, intellexit, clamauit: *Peccaui Domino.* Ad quem etiam modum dum factus est Dei sermo ad Regem Nabuchodonosor per somnia, & ænigmata siue statuæ è diuersis metallis conflatæ, siue arboris proceræ magnitudinis, quæ haud difficilè quiuis intellexisset: rem ipse minimè percalluit: vnde postmodum vox de cælo

Dan. 4. 28. ruit, *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex*: Daniel cap. 4. vers. 28. obserua illud *tibi dicitur*: necnon ad hæc à nomine, & munere fuisse compellatum, quasi non aliter intellecturus, vt Regi Saüli accidisse planè nouimus. Illo quippe ad regni solium euecto Samuël longam habuit ad populū orationē quā suam innocentiā, & integritatē Rege adstante singillatim probanit, 1. Reg.

1. Reg. 12. 3. cap. 12. vers. 3. Num, vt seipsum commendaret, & inanes populi plausus aucuparetur? Minimè quidem, sed vt Principem tacitus per illas ambages de iis virtutibus

turibus admoneret, quæ Regni gubernationi opportuniores erant: benè id sic adnotante Chrysost. hom. in verba Pauli *vtinam sustineretis paululum*, rom. 3. *Nam cùm ingratum sciret, odiosumq́, Regem adhortari, qui omnia coram erat auditurus, atque illi ceu formam præscribere Reipublicæ, quàm scilicet mansuetus esse debeat, quàm moderatus, quàm procul à munerum corruptione, vt nemini vim inferat, vt nemini sit iniustus, neque diuitiis congerendis studeat, illum docuit, cuiusmodi gubernatorem esse conueniat, simulq́, vitauit odium doctrinæ.* Sed num, qui vitauit odium doctrinæ, doctrinæ fructum assecutus est? Num Saül eius mentem attigit, & mansuetum, ac moderatum, proculque à munerum corruptione se exhibuit? Disce hæc ex ipsius historia: vt videas quàm sint Regibus inutiles hæ ambages, qui non sapiunt, nisi audierint: *Tu es ille vir: Tibi dicitur Rex, &c.*

Chrysost.

Ad eadem verba,

Regius familiaris, Principi verum dicturus blandimento orationis, & speciosis verbis vtatur.

ADNOTATIO XX.

1 VERVM Principi fidelis Administer dicturus, veritatis austeritatem blandimento orationis leniat, & dictionis suauitate tristem illius frontem ornet, atque venustet. Dicat quidem ei tandem sicut Dauidi Nathan: *Tu es ille vir*: at prius parabolæ argutia, & ornatæ orationis lenitate, & artificio, quo gratum sibi, & acceptum eius animum faciat, omnino inter loquendũ demulceat. Nam præterquàm quod suum alicui peccatum acerbè, & velut vno ictu obiicere desperationis occasio est, aliud quidem Regia maiestas, aliud debita Principi reuerentia suo iure efflagitant. Et verò cùm admonitio, siue correptio prudentiæ, ac suauitatis sale non conditur, opportunè de ea dixeris, quod de re medica Plinius: *Plus periculi esse à medico, quàm à morbo.* Pro qua cogitatione egregiè fidem bet pessimus ille medicus, qui Iudæ proditori plus medendo, quàm infirmando nocuit. Quæ namque veteratoris illius artes fuere, quibus infelicem illum omnino perderet? nisi vt traditionis scelere peracto recenti morbo acrem medicinam seuerè, siue intempestiuè adhiberet, totam peccati nequitiã suis coloribus depictam vno ei ictu ob oculos ponens, quò mente turbata desperato animo in laqueũ rueret, quippe vt scitè dixit Seneca lib. de breuitate vitæ, cap. 18. *Quibusdam causa moriendi fuit, morbum suum nosse.* Scitè id adnotante Paschasio lib. 12. in Matthæum, ad ea verba: *Peccaui tradens sanguinem iustum*, hunc in modum: *Fecit enim diabolus, qui eum priùs persuaserat, arte sua, vt pœniteret fortè non ad veniam, sed eum amplius vt impelleret in ruinam. Retulit ei ante oculos mentis immanissimum scelus, quod gessit, non vt ex consilio veri ad clementissimum Dominum, & medicum animarum recurreret, sed vt ex perturbatione diræ mentis in peius veniret.* En ex medicina mortem, ex veritate laqueum, ex pœnitentia desperationem! Nam quod misero illi vnicè ad salutem supererat, vt mentis scilicet oculis peccatum suum inspiceret: sic enim Dominus de peccatore ad meliorem frugem se recipiente Ezech. cap. 18. vers. 28. *Considerans enim, & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita viuet, & non morietur.* Id dum non lentè, & consideratè, sed ex perturbatione diræ mentis malo medico venenum pro medicina turbulentè propinante, agnouit, in peius deuenit. Id quod Magnus Leo serm. 11. de Passione sic eleganter perstrinxit: *Insurrexit in semetipsum non iudicio pœnitentis, sed furore pereuntis.* Quare postmodum Paschasius ad animarum medicos conuersus, subiicit: *Idcirco pœnitentibus semper salubria quærenda sunt consilia, & adhibenda est quamdiligentissimè medicina salutis.* Pulchrè id *quamdiligentissimè adhibenda medicina*: magna videlicet diligentia, arte, prudentia suo etiam modo, & sale condita.

Plinius.

Paschas.

Ezech. 18. 28.

Magn. Leo.

A

B

C

D

2 Qua sanè ratione Petro à Domino animarum cura non sub venatoris, sed sub piscatoris imagine commissa est, quòd ille non sine sanguine, & vulneribus, ferro, & furore feras persecutus, illas comprehendat, hic verò arte, & consilio absconsis retibus pisces viuos, & incolumes capiat. Nec aliud quidem ea Domini ad Petrum verba tinniunt. Lucæ cap. 5. vers. 10. *Ex hoc iam homines eris capiens.* Vbi Græcum verbum, rectè id adnotãte Cardinali Toleto, propriè verteris *viuicapio*, seu *à cæde conseruans capio*: vnde ipse hanc cogitationem sic statim tradit: *Rectè igitur dictum est*, eris homines viuos capiens, *vt sensus sit, non sic capiens eris homines, sicut capiuntur feræ cædibus, & vulneribus, sed sicut pisces, qui illæsi capiuntur.* Nobilior sanè victoria, quæ sine sanguine obtinetur, mirabilior medicus, qui leuioribus medicamentis ægrum sanat, peritior monitor, qui sine exprobrationis amaritudine blandimento orationis corrigit errantem. Sed prædictas imagines à suis potius auctoribus habe: sic nãque S. Basilius Seleuciensis orat. 30. *Periti medici tunc plus de arte cient admirationis, non cùm ferro, & igni in belli modum vim mali domant, sed cùm leuibus pharmacis affecta parti adulantes, ægrum scitè persanant.* Ad quem etiam modum Hilarius ad ea Psalm. 14. vers. 4. verba. *Opprobriũ non accepit aduersus proximos suos*, sic loquitur: *Non est igitur opprobrium aduersus proximos ineundum, sed si quid in iis incuriosum, si quid petulans, si quid incontinens deprehenditur, sine exprobrationis amaritudine, blandimento etiam dictionis est corrigendum.* Pende quæso apud Basilium illud *affecta parti adulantes*: in Hilarij autem verbis hæc *blandimento dictionis*: vt ex iis prudentem, & felicem monitorem facias, qui pharmaci acerbitatem, & admonitionis austeritatem, orationis suauitate, & artis dexteritate sic condiat, & emolliat, vt non modò vtilis, sed grata, & accepta fiat. Sic præfato loco dicebat Seneca: *Quædam enim ignorantibus ægris curanda sunt*, ea videlicet lenitate, & dexteritate, vt vix curari, siue obiurgari sentiant.

Luc. 5. 10.

Lect. Græc.

Card. Tolet.

Basil. Sel.

Hilarius.

Seneca.

3 Vtramque verò Basilij, & Hilarij phrasim opportunè ipsemet Dominus, & à Domini spiritu edoctus Paulus confirmant: quippe Dominus discipulos ad terrenorum despicientiam vrgens, tam à coruis affatim à Deo pastis, quàm à liliis non sine pompa, & maiestate crescentibus argumentationem conficiebat hunc in modum: *Considerate coruos: quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis?* Lucæ cap. 12. vers. 24. & statim vers. 27. *Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent, dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis.* Vnde non sine epitasi, & morsu subiiciebat: *Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit quanto magis vos pusillæ fidei?* Vbi si quispiam perquirat, cur nouam argumentationem à liliis Dominus confecerit, qui priori à coruis facta propositam thesim necessaria iam ratione firmauerat? siue etiam, cur à coruis, quibus nihil nigrius, fœdiusve, ad lilia, quibus nihil candidius, aut gratius, stylum conuerterit: Respondebimus ex Chrysologo, ad diuinam Christi artem, qua prioris imaginis asperitatem posterioris venustate, & suauitate mitigare voluit, fore referendum, ne videlicet discipulis coruorum similitudo à contemptu sumpta videretur, cùm illos simul suauissimis, & speciosissimis floribus pares fecit. Audi illum serm. 164. *Verum quia Deus sic humanum*

Luc. 12. 24.

Chrysol.

quid voles, obtinebis: quo sua illi vis, suum acumeo desit. Sanè cùm de asperitate habitus Baptistæ sermo fit apud Matth. cap. 3. 4. cilicium asperius, de pilis videlicet camelorum, zona verò mollior, pellicea nimirum esse perhibentur: *Ipse autem Ioannes* (ait Matthæus) *habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Ad quæ verba Maldonatus, sic inquit: *Erat quidem zona minùs aspera, & horrida quàm vestis*; & statim, *consuetudini congruebat, vt paulò melior esset zona, quàm vestis: omnes enim homines pretiosiore zona quàm veste vti solent: zona igitur cùm ex cruda pilosaq; pelle fuerit, qualem fuisse vestem credendum est, nisi horridum, aculeatumq; cilicium?* Sed quò hæc iuerint? Non longius quidem ab instituto diuagantur. Enimverò si attendis, hac imagine ostenditur, vt non aliunde horridū, & aculeatum cilicium exstat, neque priùs carnem pungit, & stimulat, quàm è zona corpori adstringatur: quin aliquid de horrore & aculeis suis remittat, & quò paulò mollior zona, quæ stringit, sit, ita quidem à mollioribus verbis aculeatam admonitionem esse posse, imò verò, quæ acriùs pungat, & animum altiùs penetret & figat. Vel audi iterum non semel allata à nobis Athalarici Regis verba de Tholonico aui sui Theodorici familiari apud Cassiod. lib. 8. epist. 9. *interdum resistebas contra vota Principis, sed pro opinione Regis. Vbi tacitè innuit, sic prudenter illum Administrum Principi suo obsistere solitum, vt illustrem eius famam, & optimum apud subditos nomen, & existimationem callidè ob oculos poneret,* tantùm non dicens: Vide, ò Princeps, ne inclytam gloriam tuam, & pulcherrimam famam, quam egregiis bello, & pace gestis semper illæsam, & incolumem seruasti, hoc facto commacules. Quid tum? incassane, aut inefficax eâ ratione reddebatur admonitio? Audi: *Patiebatur inuictus ille præliis pro sua fama superari, & dulcis erat iusto Principi rationabilis contrarietas obsequentis.* Vt dicere videatur: Quem hostium tela, armatæ manus & duræ prælia non domabant: prudens & blanda admonitio frangebat, & amara subditi contrarietas dulcis Principi reddebatur.

2 Quod si horridum, & aculeatum cilicium, à molliori zona ita adstrictum videre velis, vt ipsammet Principum animam stimuli penetrauerint: adi tum Samuëlem, tum Danielem superbis Regibus, Sauli & Balthasari diram mortis sententiam denunciantes. Nimirum dum ab Interpretibus iure ambigitur, quâ ratione Saul, cùm alienum habitum formamque mentitus Pythonissam adiit, vt Samuëlis iam defuncti animam euocaret, à venefica statim cùm Samuël apparuit, quasi de facie, & regiis insignibus agnitus fuerit 1. Reg. 28. 8. eam reddunt causam Hebræorum doctissimi apud Abulensem ibi quæst. 30. quòd Samuël ipso corporis habitu Regi honorē detulerit: *Cognouit igitur* (ait Abulens.) *quod ille qui consulebat erat Rex*: vt viderit optimum Regis administrum qui *intrepidus, sed reuerenter*, adstabat, non ratus ob reuerentiam Principi habitam, duræ admonitionis aculeos infringi. Enimverò æquè opportunum est quod de Daniele fertur: durissimam enim ipse in Nabuchodonosor sententiam laturus, quâ & regno pellendus, & bestiis annumerandus foret, hoc primū procemio vsus est: *Domine mi, somnium his qui te oderunt, & interpretatio eius hostibus tuis sit.* Deinde hac reuerentiâ interpretationem aggressus est: *Hac est interpretatio sententia Altissimi, quæ peruenit super dominum meum Regem*: hæc sic expendente inibi Theodoreto: *Sapientissimè, ac prudentissimè ei molesta deprecatur hoc procemium exorsus: veritatem tamen declarat*: vt dicere videatur: Minimè quidem pugnat cum veritatis admonitione vrbanitas, & modestia, quâ subditus Principem alloquitur, idcirco dum nihil de veritate demit,

blandimentum orationis iustè addit, sapientiâ, & prudentiâ id omnino exigente.

Ad ea verba,

Declinantem à me malignum.

Prudens Regis familiaris, abditos ipsius sensus penetrare, siue arcana scrutare nullâ ratione velit.

ADNOTATIO XXI.

1 Est quidem siue malignitatis, siue insatiabilis cordis (quorum vtrumque noster Rex auersari se, & odisse profitetur) quoddam genus, abditos Principis sensus diligentiùs rimari, & quorquot pectore premit arcana penetrare velle: quippe vt ille dixit.

Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.

Vnde sanè magnæ erit Regii familiaris prudentiæ, in hæc sacra irrumpere nolle, nec Principem, nisi ex ea parte quâ ipse vult, agnoscere studere: vti Marcionem qui Dei naturam & mysteria penitùs introspicere, & abditissimos eius sensus rimari audebat, sapienter cohibebat Tertull. lib. 2. aduersus Marcionem cap. 4. quasi id sibi tutissimum esset, si Deum non plus, aliter ve quàm ille vult, cognosceret: sic enim ille: *Quin potius infirmitati tua parcis, nec in periculum extenderis habens Deum certum, & indubitatum, & in hoc ipso satis visum, cùm id primùm conspexeris, eum esse, quem non scias, nisi ex parte quâ voluit ipse.* Quæ si Principi, & eius familiari omnino aptare volueris, audi quid Corn. Tacitus, quid Plutarch. moneant, sic eorumque prior lib. 5. Annal. *Abditos Principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere, illicitum, anceps; nec tamen assequare.* Obseruat triplici ex capite insipiens consilium spectandi Principem nisi ex parte quâ ipse velit: *illicitum* videlicet, quia audax, & irreligiosum: *anceps*, quod summum afferre soleat periculum, & tandem incassum; atque inutile, quia vel hac ratione Princeps sese fortioribus vectibus claudit. Quæ quidem omnia Plutarch. disertissimè firmat in lib. de *Curiositate* vbi cùm præmisisset: *Atqui ventorum hi nobis sunt molestissimi, sicut ait Ariston, qui nobis reuellunt pallia. Curiosus autem non pallia vicinorum neque tunicas, sed parietes detegit, fores reserat, in adibus diuitum, in casis pauperum, in Aulis Regum.* Subdit: *Atque id quidem non citra periculum, sed perinde atque si quis gustet aconitum curiositatis vitio, scire cupiens quale sit, priùs quàm sentiat, tollitur è medio, sic qui potentiorum inquirunt mala, priùs absumunt seipsos, quàm intelligant.* Hæc ille satis opportunè. Sanè prudentissima illa Liuia Augusti Principis coniux interrogata, quomodo maritum tamdiu, & tam operè sibi deuinxisset, respōdisse apud Dionem fertur: *Pudicitiâ, & obsequio, nulla eius arcana scrutando, & libidines dissimulando.* Sapienter quidem: Principis enim arcana rimari aut cognoscere nolle, Principem reuereri est, eique suam maiestatem reddere: contra verò in abditos eius sensus & secreta irrumpere, subditi metas transire, & regiâ gratiâ abuti, quod inurbanum, ac superbum, imò insipiens ingenium sapit, omnino fuerit: quippe, si attendis, & rem benè æstimas, à secretorum manifestatione omnimoda amicitiæ æqualitas dignoscitur, & inter famulum, & amicum discrimen sumitur, Domino dicente apud Ioan. cap. 15. vers. 15. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.*

2 Videris quidem hanc vrbanissimam prudentiam tum in cælestibus spiritibus, tum etiam signatè in Paulo: de illis siquidem vna ex parte apertè affirmat Dominus, faciem Dei contēplari: *Angeli* (inquit) *eorum*

Matt. 18. 10. *Isai. 6. 2.* *eorum semper vident faciē Patris mei qui in cælis est*: Matth. 18. 10. ex alia verò Isai. cap. 6. 2. nonnisi demissis oculis, siue velatâ coram ipso facie stare, sic ait: *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius*: siue vt est in Hebræo, *duabus vnusquisque velabat faciem suam*: at qui fieri possit, vt & faciem videant, & faciem velent, siue Deo velatâ facie assistant? Sanè quod cùm Deus *super solium excelsum, & eleuatum* in quo penitissima mysteria, & arcana continebentur, sederet; Seraphim illum ex ea parte, quâ se ipse offerebat videre contenti, in abditos eius sensus penetrare nollent, siue etiam tanta reuerentia & pudore concelsâ sibi diuinæ faciei visione perfruerentur, vt eam quodammodo non videre viderentur: sic id ad ea verba obseruante Venerabili *Galfrid.* Galfrido in allegoriis Gotfridi Tilmani: *Ala ipsa quibus faciē sibi velant, timor, & pudor, possunt nō inconuenienter intelligi. Et metuunt enim & erubescunt ad vultum gloriæ magnæ Dei*: En optimum, & prudentissimum Principis familiarem qui in Regiæ familiaritatis sacrariū admissus, vix oculos habet ad videndum eadem quæ & Princeps indulget, ne dum vlterius pergat vt in B teriora introspiciat, imò verò pedem reuerenter referat. Sic omnino Paolus indulgentissimâ Dei humanitate ad paradisi arcana cognoscenda euectus, adeò sese illis non sponte insinuauit, vt vim potiùs passus fuerit: sic illo notatissimâ locutione id nobis adno- *2. Cor. 12. 3. & 4.* tante 2. ad Cor. 12. 3. & 4. *Scio huiusmodi hominem, siue in corpore siue extra corpus nescio, Deus scit. Quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Notetur dicendi modus: *Quoniam raptus* *Lect. Græc.* *est*: præsertim in Græco fonte vbi verbum ἡρπάγη vi abreptum significat. Sed cur tanto nisu raptus, siue abreptus? nun verò vtcunque adductus, siue euectus? sanè quia ad audienda arcana: quæ prudens Regis amicus non nisi superiori vi adactus debet accipere, ferebatur. A qua cogitatione, nec raptus explicatio it *S. Thom.* quam ibi adhibet sanctus Thomas inquiens: *Raptus est ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra* C *naturam ex vi superioris naturæ eleuatio*: nec significatio *Aristot.* quam reddit Aristoteles lib. 3. Ethicorum cap. 1. vt sit vis quædam, quæ ab externo principio tota pendet. Vides Paulum adeò non sese arcanis immiscentem, vt & cetera domus scire cupientem, vt ad ea audienda abripi, & ex vi diuina eleuari opus habuerit? Planè meritò. Quid enim ratione & prudentiæ magis consentaneum fuerit, quàm intra naturæ suæ terminos, siue vt est in prouerbio *intra pelliculam suam*, sese quempiam continere, nec in id *quod est supra naturam* nisi *ex vi superioris naturæ* eleuari velle: imò non tam velle; quàm pati, & abripi. Iam verò vt ad Dei arcana nonnisi raptus ascendit Paulus, ita Principis secretis ne raptus quidem immisceri prudens cupiat: quod alia à cælestibus ac diuinis terrenorum Principum secreta sint: illis siquidem cælestis quædam, ac ineffabilis inest suauitas; at his nonnisi mœror ac tristitia subest; nun enim in fundo; siue in imo Principis pectore re- D conditum iacet nisi quod tristissimum; & amarissi- *Plutarch.* mum est: ferè id adnuente Plutarcho præfato lib. *de Curiositate*, vbi allatâ Philippidis comœdiarum scriptoris sententia, cùm Regi Lysimacho offerenti: *Quid è meis rebus tibi impartiam?* respondit: *Quid vis, ô Rex, modo ne quid arcanorum.* Subiicit: *Etenim quæ Regum sunt iucundissima, pulcherrimaq; foris proposita sunt, conuiuia, diuitiæ, solennes conuentus, munificentia. Verum si quid arcanum est, ne adeas, néve moueas. Non celatur Regis gaudium, cùm res sunt prosperæ: neque risus ludentis, neque cùm apparat aliquem humanitate, seu beneficio prosequi. Quod occultatur, formidabile est, triste, inamœnum, inaccessum, suppurata cuiusdam iracundiæ thesaurus, aut vltionis profunda in animo versatio, &c.* Et statim: *Fuge nigram istam &* A *condensantem se nubem; senties tonare, ac fulgurare simul atque eruperit, quod nunc latet.* Hæc Plutarchus.

3 Sed vt ad Paolum redeamus, aliter quidem ac illum se gessisse Iacobum nouimus, cùm videlicet ei Angelus Dei personam gerens, in via occurrit, & blandis amplexibus honorauit, ac in seipsum præualere permisit (huc enim ite celebrem illam luctam, atque à Iacob relatam victoriam, quæ à Moyse de- *Gen. 32. 24.* scribitur Genes. 32. 24. & Osea cap. 12. 3. alibi fusè ad- *Osee. 12. 3.* struximus, non obscurè præeunte Chrysol. serm. *Chrysol.* 147. dum luctam de mutuo amicitiæ complexu sic capit: *Luctatoris constringit amplexu, vt amaret pactum certaminis, non timeret*) etenim peractâ iam luctâ cùm ab eo Angelus nomen perquisiisset, vt illud in aliud honorificentius commutaret: *Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël, quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?* ille Angeli humanitate inescatus, non secus, ac si ipsi iam foret æqualis, eandem interrogationem sic instituit: *Dic mihi quo appellaris nomine?* Quod perinde fuisse, ac in diuina arcana sese insinuare, ac scopum, & ratio- B nem mysticæ illius luctæ rimari voluisse, benè conii- *Alcazar.* cit P. Alcazar in cap. 12. Apoc. vers. 6. notat. 2. ad finem, inquiens: *Notandum verò est, non ideò Iacobum ex Angelo nomen percunctari, vt sciret quocum fuisset congressus, probè enim Iacobus nouerat, se cum Deo luctari, ideoque non hic fuerat sua interrogationis finis. Sed propterea id rogauit, vt sciret quod esset illius luctæ mysterium.* Vides quomodo Iacob, ab eo quod erat secundùm naturam, in id quod est supra naturam, non ex vi superiore raptus, sed seipso efferri voluerit? Quid tum Angelus? *LXX.* *Cur quæris* (inquit) *nomen meum?* siue vt LXX. habent: *Chaldæus.* *Vt quid interrogas tu nomen meum?* vel apud Paraphrastem Chald. *Ad quid*, &c. ac si ille dixerit: Num, quòd amicè tecum egerim, & tantâ te indulgentiâ tractauerim, præscriptos reuerentiæ, & vrbanitatis terminos transilis, vt arcana consilia & abditos sensus rimeris? id omnino obseruante Theodor. quæst. 91. in *Theodor.* C Genesim his verbis: *Ob id etiam cùm quæsisset ab Angelo, qui vocaretur, non solùm responso frustratus est, sed etiam obiurgatur, tanquam excedens metas naturæ.* Hæc ille Regio familiari omnino aptanda, abditos enim illum Principis sensus, & si quid occultius parat exquirere, illicitum, anceps, nec tamen assequare. Sed & opportunè suggesseris cum Angelo: *Ad quid quæris*, &c. *Quod occultatur formidabile est, triste, inamœnum, inaccessum. Fuge nigram istam & condensantem se nubem.*

4 Adsimile planè est illud, quod Moysi contigisse, ab eo met didicimus Exod. 3. 2. dum Domino ei in *Exod. 3. 2. & 3.* rubo ardenti, & incombusto apparente, ipse Deum non ex ea solùm parte, quâ ille volebat, videre contentus, quidquid inibi arcanum erat, penetrare præsumpsit. Audi: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyses: Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus?* itane Moyse? Quòd Deus D se tibi reuelauerit, & conspiciendum dederit, tu vlteriùs ire, & visionem, quam magnam iudicas, eminus videre, & penitissimam mysterij rationem introspicere gestis? *Vadam*, inquit: iam pedes, quibus in arcana irrumpat: & *videbo*, atque oculos quibus omnia lustret, *quare non comburatur*: & rationem, atque intellectum; quo singula dimetiator, & penitiùs, parans. Sed quid tum Deus: *Non appropies huc, solue calceamentū de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Obserua illud: *Non appropies huc*: vt dicere videatur Dominus, esto procul, nec constitutas tibi metas transilire præsume. Non est tuum *visionem magnam* ineffabilia mysteria, & quæ ego occultiùs paro complectentem penetrare. Pupugit quidē diuinæ responsionis acumen Moysen, qui statim *abscondit faciem suam, non enim au-*

ꝑ P. Velasquez in Psal. centesimum.

humanum diligit genus, vt ipsos quos dominantis iure corripit, mox paternus soletur, & mulceat blandimento; quos comparatione fœdissima auis exasperasse videbatur, ad floru odorati, & speciosi nimium hos reducit exemplo: Considerate inquit lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis. *Lilium Salomonis sublimat exemplo, quia, ipso Domino testante, inter omnes mundi Reges Salomon singulari gloria, ornatu vestis speciosus effulsit, & tamen terrae flores lilium vincit & praecellit in gratia, tantumq; distat ab omni germine lilium, quantum Regem speciei gloria cunctos constat excedere.* Vides opportunissimam admonitionem siue castigationē, à qua nigri, & sordentes corui mirum in modum candidi & splendentes redduntur: vt multo plus candoris, venustatis, & gratiæ quàm infuscationis ab increpatione acceperint.

4 Iam Paulum magistri sui vestigiis inhærentem audi, dum Galatas à fidei præscripto deflectentes, sic arguit: *O insensati Galatæ. Quis vos fascinauit non obedire veritati?* Ad Galat. 3. 1. Sed quæ (inquis) his verbis lenitas, & non potius vehemens reprehensio, quæ vt iustam, ita magnam indignationem præ se ferat, subsit? Quid enim acrius fuerit, quàm rudes & amentes eos appellare? Quid durius, quàm obiicere, à veritate cognita facilè desciuisse? Facilè tamen iis obuiam ibis si obseruaueris fascinandi verbum, quod reprehensioni de industria Apostolus interseruit, quippe nonnisi ea, quæ pulchriora, & feliciora sunt ab inuidentibus fascinari dicuntur, sic sine belluli, ac nitidiores pueri cunctis veneribus conspicui, siue candidi tenerique agniculi fascino apud vulgus existimantur obnoxij: vti dicebat ille,

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Itidemque apud Romanos, quod nemini non est obuium, triumphantium currui Fascinus Deus appendebatur, vt in auctores fascinum reiiceret. Vnde quidem Galatas à Paulo sic obiurgati videris, vt non parum laudis, & suauitatis ab increpatione illis aspergatur, quasi & plurimum ipsis gratiæ, & pulchritudinis fuerit, ob quam inuidiæ fascinum subierint, & oculum in ipsos, quàm in inuidiæ oculum illos fascinantem crimen quodammodo coniiciendum videatur: scitè id inibi obseruante Chrysostomo hunc in modum: *Non enim dixit quis vos seduxit? Quis vos abusus est? Quis vos circumuenit? Sed* quis vos fascinauit? *Sic moderans increpationem, vt non careat laude. Hæc enim verba sunt indicantis, quòd priùs inuidia digna fecerint, quodq; id, quod accidit, dæmonis insultu factum sit, qui secundis illorum successibus vehementer reclamauerit.* Hæc Chrysostomus.

5 Hæc iam quæ in vniuersum vera & opportuna sunt in Principum admonitionibus peculiariter locum habent: quippe (vt sæpiùs ex Cassiodoro adstruximus) *arte placandi sunt, qui more asserunt simillimi ventis, quorum nisi priùs animi temperentur, in tempestatem maximum natiua facilitate prosiliunt.* Sic scitè admonet Corn. Tacit. lib. 4. Annal. *Cotemnatius loqui non est tutū apud aures superbas & offensioni proniores:* Enimverò ab hac dexteritate valde commendatur Dionis sapientia à Synesio in Dione in hunc modū. *Quoties enim impotētes, ac insolentes Respublicas increpat, neque contumeliosus, atque importunus videtur, sed perinde earū, ac equorū ferociam frænis potiùs, quàm flagello compescere.* Se domino ad tem Plutarch. in lib. *de audiendis Poëtis*, sapienter adstruit, magnum intercedere discrimen inter Poëtam in populi conuentu multitudinis applausum captantem, & inter virum prudentem, qui Principem admoneat, quod Chalcantis, & Nestoris imaginibus, sic illustrat: *Chalcas occasionis nulla ducta ratione pro nihilo putauit in ipsa multitudine Regem accusare, vt qui pestem populo intulisset. At Nestor de reconciliando Achille animus ser-* *monem illaturus, ne videretur Agamemnonem apud populum traducere, vt qui per iram peccasset, ita ei suadet:*

Admoneat epulis, sacrum quoque coge senatum
Consilia expendens horum, atque salubria serua.

Peractâ autem cœnâ, misit senes ad obeunda negotia, atque ita mederi curauit erratu. Subiicit Plutarch. *O aptam reprehensionē, & in tempore adhibitam!* Quæ videlicet siue exprobationis amaritudine blandimento orationis affectæ parti adulando ægrum sanauit: nimirum tegia celsitudo, & illa Principis facies, in qua Dei imago peculiari quadam ratione elucet, hanc in admonitione reuerentiam, & moderationem suo quidem iure postulant. Sanè vel hac ratione ipsemet pessimus dæmon, cuius temeraria impudentia, & intolerabilis in lacessendo procacitas cùm aliquando simplicem & rectum Iobum Deo inuisum, & exosum reddere voluisset, atque eapropter è sua pharetra imbibitas veneno sagittas depromeret, hoc illum modo apud Deum iudicem criminabatur. *Extende paululum manū tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Iob 1. 11. Sed quid fuerit Deo in faciem benedicere, nam si vt sonat acceperis, hoc filiorum Dei munus est, qui Deo indesinenter benedicunt. Sed alia quidē impostoris illius mens, aliusque sensus fuit: Voluit enim dicere, nisi in faciem maledixerit tibi: id est vt ad ea verba inquit Gregor. Magn. lib. 2. Moral. cap. 6. *Si eum ea, quibus delectatur, non habuerit, fauorem tuum etiam maledicendo contemnet.* At, cur ille verbum frœna mutauit? & benedictionem pro maledictione substituit? Planè, quod etiam cùm criminaretur, & sub alterius persona verba componeret, horruit in Dei facie maledicendi verbum vsurpare, ne vel contumeliæ sonus in illius auribus tinniret: pulchrè è Græcis Didymo, & ex Latinis Hieron. obseruantibus: sic enim hic in cap. 3. ad Galatas: *Etiam ipse Satanas cùm de Iob polliceretur, quod si grandibus pressus fuisset angustiis, blasphemaret, à meliori parte hoc significauit dicens: Nisi te benedixerit:* Ille verò in Catena Græca Comitoli: *Verbum* (inquit) *adhibuit speciosius, ne Deum verbo asperiori figere videretur.* Speciosa igitur admonitio Principis faciei, & auribus congruit, à qua non modò omnis acerbitas, & amaritudo absit, sed blandimento orationis, & ornatis vocibus constet.

6 Sæuiebat atrociter absque vlla causa in Hebræos Pharao: duris peosis atque laboribus eos affligens: sed cùm ipsi de egressu ex Ægypto iuxta Dei præceptum cogitarent, immaniora in ipsos edicta fecit, iussitque crudeliùs quàm antea tractari, quotidianis operum pensis nouum laborem colligendi paleas, & maius verberum supplicium adiungens: sic enim Exod. 5. 6. ipsemet Præfectis operum locutus dicitur: *Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres sicut priùs, sed ipsi vadant, & colligant stipulas. Et mensuram laterum quam priùs faciebant imponetis super eos, nec minuetis quidquam.* Cumque tanto oneri impares essent Hebræorum humeri: flagellati sunt, qui præerant operibus filiorum Israel ab exactoribus Pharaonis. Iam ipsi lancinatis scapulis: *Vociferati sunt ad Pharaonem.* Sed quem in modum? Num verberum dolor incompositum aliquod in Regem, siue potiùs in immanissimum tyrannum extorsit verbum? Audi: *Cur ita agis contra seruos tuos? Paleas non dantur nobis, & lateres similiter imperantur. En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum* (vers. 15. & 16.) vbi præterquam quod breui oratione sese famulos, seruos, populumque Regi subditum appellant, obserua qua arte dicendi modum immutauerint: nam qui priùs dixerant: *Cur ita agis contra seruos tuos?* sobinde cùm rei indignitatem, & iniustitiam expendunt, non dicunt agis, sed *agitur:* siue vt Chald. vertit: *peccat super nos populus tuus:* ne videlicet, qui aduerbium *iniustè* proximi-

Gal. 3. 1. Virg. ecl. 3. Chrysost. Corn. Tac. Synesius. Plutarch. Iob 1. 11. Gregor. M. Didym. Hieron. Exod. 5. 6.

præmiserant id personæ Regis attribuerent, vt benè ibi adnotarunt Nicolaus de Lyra, & Cornelius à Lapide: *Non dixerant iniustè agis* (ait prior) *ne Regem offenderent, vel honori regio detraherent, sed dicunt iniustè agitur.* Pergit Cornelius: *Ne Regem offendant, eius iniuriam, aliorum puta præfectorum culpæ & crudelitati tribuunt; vnde non aiunt, iniustè agis, sed* agitur: *Hebraicè est*: peccatur in populum tuum. Hæc illi.

7 Nec alius quidem magnorum ministrorum Dei in Regibus admonendis, siue arguendis mos fuit. Etenim cùm Rex Iosaphat à recto tramite discessisset, impio Regi Achab socium se, & auxiliatorem præberis; sic ipsi è prælio redeunti Iehu Propheta Dei nomine reprehensurus occurrit: *Impio præbes auxilium, & iis, qui oderunt Dominum, amicitiâ iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris. Sed bona opera inuenta sunt in te, eò quòd abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum, vt requireres Dominum Deum patrum tuorum.* 2. Paralip. 19. 2. Miram quidem admonitionem, & reprehensionem, quæ in laudes desinit. Quid? arguere Regem venisti, & in eius laudatorem conuersus es? In arguendo modicus, in prædicando multus? Ita planè: quippe non aliter Principibus adhibenda admonitio est. Audi ea de re Basilium Magnum homil. *de Humilitate*: qui cùm præmisisset: *Neque enim Deus particulatim hominem examinat. Ego autem inquit opera eorum, & cogitationes eorum venio vt congregem.* Subiicit: *Et cùm Iosaphat Regem aliquando propter peccatum recens commissum reprehenderet, simul & rectè factorum mentionem fecit dicens*: Sed bona opera *inuenta sunt in te.* Vides admonitionem scitè conditam, affectæ parti adulantem, atque eâ ratione ægrum peritè sanantem. Porrò signatè subiicit statim Scriptura, Regem eâ prudenti Vatis reprehensione emendatum ad Dei cultum, ac obsequium, & egregia virtutis opera peragenda se totum conuertisse: vt vtraque Glossa & omnes explanatores obseruarunt. Tanti scilicet valet, apud superbas Regum aures non contumaciùs, sed reuerenter & opportunè loqui.

2. Par. 19. 2.

Basil. Magn.

8 Quid verò fuerit mirandum, eum honorem Regibus in ipsorum admonitionibus à Dei administris exhiberi, quando & ipsemet Dominus cum quadam reuerentia & blanditiis ipsos reprehendere & castigare dicitur. Equidem cùm Dauid vesano illo desiderio numerandi populi Dominum ad iracundiam prouocasset, ipse vt atrox scelus supplicio expiaret, tale ad Dauidem per Prophetam Gad mandatum misit: *Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi,* &c. 2. Reg. 24. 12. Sed quis, rogo, iudicandi, & castigandi mos is fuerit, quo ipsi reo optio detur, vt quod mitius sibi videtur supplicium, quodque ipse minus horret, pro suo eligat arbitrio? Estne is legum duodecim tabularum stylus? aut Principum in decernendis suppliciis mos? Non opinor. Sed ea quidem prærogatiua regiæ dignitati ab ipso Deo in castigatione videtur quodammodo seruata, quâ ei in adhibenda curatione Medici solent obseruare: nam qui cum aliis ægris adeò seuerè se gerunt, vt artem suam ab imperio, & austeritate commendare videantur, vt falsè Arnulphus Leouiens. Episcop. epist. 4. sic ait: *Illud enim hominum genus quadam austeritate semper notabile arti suæ reuerentiam solâ seueritatis exhibitione conquirit, & quasi de benignitate vilesceret, infamat omnia quæcunque miser patientis appetitus exposcit.* Regibus tamen medendis nihil non blandum, maceratum, & lene propinare student, optionem eis offerentes vt purgans medicamentum in re, quam minus horreant præparatum accipiant: benè id ad eum locum expendente P. Sanctio, hunc in modum: *Posset Deus non solum, quo vellet ex tribus, sed etiam quo vellet ex millibus supplicio, Dauidis peccatum expiare, sed qua est animi lenitate*

2. Reg. 24. 12.

Arnulph.

Sanctius.

P. Velasquez in Psal. centesimum.

A *optionem offert Regi, vt ex tribus quod mitius esse putet, aut quod horreat minus, ex omnibus eligat: quemadmodum benigni est, & amantis Medici, quando recusare non potest infirmus medicinæ acerbitatem, vt optionem det ægroto propositis poculis amaris inæqualiter, vt illud eligat ex quo minus capturus est molestiæ.* Opportunè, sed omnino ad rem Ambros. in Psal. 37. inquiens: *Eligere pœnam mandat, vt in ipsa pœna electionis quadam prærogatiua seruetur, & reo suo blandiatur hoc modo.* Pulchrè. Sed quid supplicio, & prærogatiuæ? quid blanditiis, & reo? Spectat id sanè ad Regiæ dignitatis, siue naturam, siue prærogatiuã, cui vel in ipsa castigatione peculiaris honos deferendus est, nam arte tractandi sunt qui mores afferunt simillimos ventis.

Ambros.

9 Sed & eundem Dominum sic Principes atque Prælatos increpantem, vt eorum laudator potiùs, quàm reprehensor esse videatur, non semel ostendit Ioannes in Apocalypsi. Nam cumprimis Ephesi Antistitem, sic obiurgaturus: *Habeo aduersum te quòd charitatem tuam primam reliquisti*: hæc omnia antè præmisit: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt esse Apostolos, & non sunt; & patientiam habes; & sustinuisti propter nomen meum & non defecisti.* Apocalyps. 2. vers. 2. Deinde vers. 14. Angelo Pergami dicturus: *Habeo aduersum te pauca quia habes illic tenentes doctrinam Balaam*: sic eum priùs deliniuit: *Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam,* &c. Similiter Angelo Thyatiræ vers. 19. ita locutus est: *Noui opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua nouissima plura prioribus: sed habeo aduersum te pauca,* &c. Audis castigationes? An Panegyricos? Forsan quidem Dominum in singulis iis locis panegyricum, quàm obiurgationem cogitasse diceris, cùm vni admonitionis verbo plura laudationis, quibus cunctæ obiurgati virtutes recensentur, priùs præmitti videris. At enim, si benè æstimas, ad increpationem ea omnia spectant. Quod si inquiras, quorsum illi laudes adiungantur? Respondebo, vt currui adiunguntur rotæ, quibus hac illac facilè circumagatur: dicente Salomone, *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*: pro quibus apud Pagninum est: *Poma auri in casuris argenti verbum dictum cum modis suis* aut *iuxta modos suos*: quæ ex Hebræo alij legunt, *verbum ordinatum super rotas suas.* At quale id verbum fuerit? Certè Baynus, & alij opportunè referunt ad verbum admonitionis siue increpationis, quod *cum modis suis* comitatis, suauitatis, ac laudationis dictum tam facilè, ac feliciter decurret, ac aptis & volubilibus rotis currus instructus.

Apoc. 2. 2. 14. & 16.

Prou. 25. 11.

Lect. Hebr. Pagnin.

Bayn.

10 Quid enim? credisne non aliter efficacem admonitionem futuram, nisi verborum austeritate, & acerbitate constet? Erras quidem, mi homo, & vehementer erras. Nam dum veritatis tristitiam tristiorem, & admonitionis aculeos acerbiores facis: ipsam profectò medicinam odiosam, & inuisam omni modo reddis, imò in virus conuertis. Benè Seneca, cùm de iis qui apud sui temporis homines horrido vultu, intonso capite, & hirsutâ veste Philosophos se iactabant, epist. 5. dixisset: *Asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & quidquid aliud ambitionem peruersa via sequitur deuita.* Subiicit: *Satis ipsum nomen philosophiæ, etiamsi modestè tractetur, inuidiosum est. Quid si nos hominum consuetudini cœperimus excerpere?* Ad quem sanè modum de admonitionibus Principibus dandis ratiocinationem opportunè institues: vt dum ipsæ etiam si modestè & submissè fiant, inuidiosæ ac molestæ sunt, quid si asperis verbis, intonsis vocibus, & negligentiori oratione inuidiã, & molestiam voluerimus augere? Orna ergo mihi admonitionem tuam suauitate orationis, & laudum condimento, & quid-

Seneca.

quid voles, obtinebis: quin ſua illi vis, ſuum acumen deſit. Sanè cùm de aſperitate habitus Baptiſtæ ſermo fit apud Matth. cap. 3. 4. cilicium aſperius, de pilis videlicet camelorum, zona verò mollior, pellicea nimirum eſſe perhibentur: *Ipſe autem Ioannes* (ait Matthæus) *habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos.* Ad quæ verba Maldonatus, ſic inquit: *Erat quidem zona minùs aſpera, & horrida quàm veſtis*; & ſtatim, *conſuetudini congruebat, vt paulò melior eſſet zona, quàm veſtis: omnes enim homines pretioſiore zona quàm veſte vti ſolent: zona igitur cùm ex cruda piloſaq; pelle fuerit, qualem fuiſſe veſtem credendum eſt, niſi horridum, aculeatumq; cilicium?* Sed quò hæc iuerint? Non longius quidem ab inſtituto diuagantur. Enimverò ſi attendis, hac imagine oſtenditur, vt non aliunde horridũ, & aculeatum cilicium exſtat, neque priùs carnem pungit, & ſtimulat, quàm è zona corpori adſtringatur: quin aliquid de horrore & aculeis ſuis temittat, quòd paulò mollior zona, quæ ſtringit, ſit; ita quidem à mollioribus verbis aculeatam admonitionem eſſe poſſe, imò verò, quæ acriùs pungat, & animum altiùs penetret & figat. Vel audi iterum non ſemel allata à nobis Athalarici Regia verba de Tholonico aui ſui Theodorici familiari apud Caſſiod. lib. 8. epiſt. 9. *inſtendum reſiſtebas contra vota Principis, ſed pro ſpinis ſui Rectoris.* Vbi tacitè innuit, ſic prudenter illum Admoniſtrum Principi ſuo obſiſtere ſolitum, vt illuſtrem eius famam, & optimum apud ſubditos nomen, & exiſtimationem callidè ob oculos poneret, tantùm non dicens: Vide, ô Princeps, ne inclytam gloriam tuam, & pulcherrimam famam, quam egregiis bello, & pace geſtis ſemper illæſam, & incolumem ſeruaſti, hoc facto commacules. Quid tum? incaſſane, aut ineſſicaa eâ ratione reddebatur admonitio? Audi: *Patiebatur inuictus ille prœliis pro ſua fama ſuperari, & dulcis erat iuſto Principi rationabilis contrarietas obſequentis.* Vt dicere videatur: Quem hoſtium tela, armatæ manus & dura prælia non domabant: prudens & blanda admonitio frangebat, & amara ſubditi contrarietas dulcis Principi reddebatur.

11 Quod ſi horridum, & aculeatum cilicium, à molliori zona ita adſtrictum videre velis, vt ipſammet Principum animam ſtimuli penetrauerint: adi rum Samuëlem, tum Danielem ſuperbis Regibus, Saüli & Balthaſari diram mortis ſententiam denuntiantes. Nimirum dum ab Interpretibus iure ambigitur, quâ ratione Saül, cùm alienum habitum formamque mentitus Pythoniſſam adiit, vt Samuëlis iam defuncti animam euocaret, à venefica ſtatim cùm Samuël apparuit, quaſi de facie, & regiis inſignibus agnitus fuerit? 2. Reg. 28. 8. eam reddunt cauſam Hebræorum doctiſſimi apud Abulenſem ibi quæſt. 30. quòd Samuël ipſo corporis habitu Regi honoré detulerit: *Cognouit igitur* (ait Abulenſ.) *quod ille qui conſulebat erat Rex*: vt videris optimum Regis admoniſtrum qui *intrepidus, ſed reuerenter*, adſtabat, non ratus ob reuerentiam Principi habitam, duræ admonitionis aculeos infringi. Enimverò æquè opportunum eſt quod de Daniele fertur: duriſſimam enim ipſe in Nabuchodonoſor ſententiam laturus, quâ & regno pellendus, & beſtiis annumerandus foret, hoc primũ prooemio vſus eſt: *Domine mi, ſomnium his qui te oderunt, & interpretatio eius, hoſtibus tuis ſit.* Deinde hac reuerentiâ interpretationem aggreſſus eſt: *Hæc eſt interpretatio ſententia Altiſſimi, quæ peruenit ſuper dominum meum Regem*: hæc ſic expendente ibi Theodoreto: *Sapientiſſimè, ac prudentiſſimè ei moleſta deprecatur hoc prooemium exorſus: veritatem tamen declarat*: vt dicere videatur: Minimè quidem pugnat cum veritatis admonitione vrbanitas, & modeſtia, quâ ſubditus Principem alloquitur, ideirco dum nihil de veritate demit,

Math. 3. 6. — Maldon. — Caſſiod. — 2. Reg. 28. 8. — Abulenſ. — Dan. 4. 16. & 21. — Theodor.

blandimentorum orationis iuſtè addit, ſapientiâ, & prudentiâ id omnino exigente.

Ad ea verba,

Declinantem à me malignum.

Prudens Regis familiaris, abditos ipſius ſenſus penetrare, ſiue arcana ſcrutari nullâ ratione velit.

ADNOTATIO XXI.

1 Est quidem ſiue malignitatis, ſiue inſatiabilis cordis (quorum vtrumque noſter Rex auerſari ſe, & odiſſe profitetur) quoddam genus, abditos Principis ſenſus diligentiùs rimari, & quotquot pectore premit arcana penetrare velle: quippe vt ille dixit.

Scire volunt ſecreta domus, atque inde timeri.

Vnde ſanè magnæ erit Regii familiaris prudentiæ, in hæc ſacra irrumpere nolle, nec Principem, niſi ex ea parte quâ ipſe vult, agnoſcere ſtudere: vti Marcionem qui Dei naturam & myſteria penitùs introſpicere, & abditiſſimos eius ſenſus rimari audebat, ſapienter cohibebat Tertull. lib. 2. aduerſus Marcionem cap. 2. quaſi id ſibi tutiſſimum eſſet, ſi Deum non plus, aliterve quàm ille vult, cognoſceret: ſic enim ille: *Quin potiùs infirmitati tuæ parcis, nec in periculum extenderis habens Deum certum, & indubitatum, & in hoc ipſo ſatis viſum, cùm id primùm conſpexeris, eum eſſe, quem non ſcias, niſi ex parte, quâ voluit ipſe.* Quæ ſi Principi, & eius familiari omnino aptare volueris, audi quid Corn. Tacitus; quid Plutarch. moneant: ſic namque prior lib. 5. Annal. *Abditos Principis ſenſus, & ſi quid occultius parat, exquirere, illicitum, anceps; nec tamen aſſequare.* Obiectu triplici ea capite inſipiens conſilium ſpectandi Principem niſi ex parte quâ ipſe velit: *illicitum* videlicet, quia audax, & irreligioſum: *anceps*, quod ſummum afferre ſolent periculum, & tandem incaſſum; atque inutile, quia vel hac ratione Princeps ſeſe fortioribus vectibus claudit. Quæ quidem omnia Plutarch. diſertiſſimè firmat in lib. *de Curioſitate* vbi cùm præmiſiſſet: *Atqui vestium hi nobis ſunt moleſtiſſimi, ſicut ait Ariſton, qui nobis reuellunt pallia. Curioſus autem non pallia vicinorum neque tunicas, ſed parietes detegit, fores reſerat, in ædibus diuitum, in caſis pauperum, in Aulis Regum.* Subdit: *Atque id quidem non citra periculum, ſed perinde atque ſi quis guſtet aconitum curioſitatis vitio, ſcire cupiens quale ſit, priùs quàm ſentiat, tollitur è medio, ſic qui potentiorum inquirunt mala, priùs abſumunt ſeipſos, quàm intelligant.* Hæc ille ſatis opportunè. Sanè prudentiſſima illa Liuia Auguſti Principis coniux interrogata, quomodo maritum tamdiu, & tantoperè ſibi deuinxiſſet, reſpōdiſſe apud Dionem fertur: *Pudicitiâ, & obſequiis, nulla eius arcana ſcrutando, & libidines diſſimulando.* Sapienter quidem: Principis enim arcana rimari aut cognoſcere nolle, Principem reuereri eſt, eique ſuam maieſtatem reddere: contra verò in abditos eius ſenſus & ſecreta irrumpere, ſubditi metas tranſilire, & regiâ gratiâ abuti, quod inurbanum, ac ſuperbum, imò inſipiens ingenium ſapit, omnino fuerit: quippe, fratrendis, & rem benè æſtimas, à ſecretorum manifeſtatione omnimoda amicitiæ æqualitas dignoſcitur, & inter famulum, & amicum diſcrimen ſomitur, Domino dicente apud Ioan. cap. 15. verſ. 15. *Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.*

2 Videris quidem hanc vrbaniſſimam prudentiam tum in cæleſtibus ſpiritibus, tum etiam ſignatè in Paulo: de illis ſiquidem vna ex parte apertè affirmat Dominus, faciem Dei contēplari: *Angeli* (inquit) eorum

Iuuenal. Satyr. 3. — Tertull. — Corn. Tac. — Plutarch. — Dio Caſſ. — Ioan. 15. 15.

eorum semper vident faciē Patris mei qui in cælis est: Matth. 18.10. ex aliis verò Isai. cap. 6. 2. nonnisi demissis oculis, siue velatâ coram ipso facie stare, sic ait: *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius*: siue vt est in Hebræo, *duabus vnusquisque velabat faciem suam*: at qui fieri possit, vt & faciem videant, & faciem velent, siue Deo velatâ facie assistant? Sanè quòd cùm Deus *super solium excelsum, & eleuatum* in quo penitissima mysteria, & arcana continebantur, sederet; Seraphim illum ex ea parte, quâ se ipse offerebat videre contenti, in abditos eius sensus penetrare nollent, siue etiam tanta reuerentia & pudore concessâ sibi diuinæ faciei visione perfruerentur, vt eam quodammodo non videre viderentur: sic id ad ea verba obseruante Venerabili Galfrido in allegoriis Gotfridi Tilmani: *Alæ ipsa quibus faciē sibi velant, timor, & pudor, possunt nō inconuenienter intelligi. Et metuunt enim & erubescunt ad vultum gloria magnæ Dei*. En optimum, & prudentissimum Principis familiarem qui in Regiæ familiaritatis sacrariū admissus, via oculus habet ad videndum ea tantùm quæ & Princeps indulget, ne dum vlterius pergat vt interiora introspiciat, imò verò pedem reuerenter retrahat. Sic omnino Paulus indulgentissimâ Dei humanitate ad paradisi arcana cognoscenda euectus, adeò ... non sponte insinuauit, vt vim potiùs passus fuerit: sicillo notantissimâ locutione id nobis adnotante 2. ad Cor. 12. 3. & 4. *Scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit. Quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Notetur dicendi modus: *Quoniam raptus est*: præsertim in Græco fonte vbi verbum ἡρπάγη vi abreptum significat. Sed cur tanto nisi raptus, siue abreptus? non verò vtcumque adductus, siue euectus? Sanè quia ad audienda arcana: quæ prudens Regia amicus non nisi superiori vi adactus debet accipere, ferebatur. A qua cogitatione, nec raptus explicatio ... adhibet ... Thomas loquens: *Raptus est ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam ex vi superioris naturæ eleuatio*: nec significatio ... Aristoteles lib. 3. Ethicorum cap. 1. vt sit ... quædam, quæ ab externo principio tota pendet. ... adeò non sese arcanis immiscentem, aut ... scire cupientem, vt ad ea audienda abripi, & ... vi diuina eleuari opus habuerit? Planè meritò. Quid enim rationi & prudentiæ magis consentaneum fuerit, quàm intra naturæ suæ terminos; siue vt est in prouerbio *intra pelliculam suam*, sese quempiam continere, nec in id *quod est supra naturam* nisi *ex vi superioris naturæ* eleuari velle: imò non tam velle, quàm pati, & abripi. Iam verò vt ad Dei arcana nonnisi raptus ascendit Paulus, ita Principis secretiā ne raptus quidem immitti prudens cupiat: quod alia à cælestibus ac diuinis terrenorum Principum secreta sint: illis siquidem cælestis quædam, ac ineffabilis inest suauitas: at his nonnisi mœror ac tristitia subest, non enim in fundo; sic in imo Principis pectore reconditum iacet, nisi quod ipsissimum; & amarissimum est: sicut ... adnotante Plutarcho præfato lib. *de Curiositate*, vbi allatâ Philippidis comœdiarum scriptoris sententiâ, cùm Regi Lysimacho offerenti: *Quid è meis rebus tibi impartiam?* respondit: *Quid vis, ô Rex, modò ne quid arcanorum*. Subiicit: *Etenim quæ Regum sunt iucundissima, pulcherrimaq; foris proposita sunt. conuiuia, diuitia, solennes conuentus, munificentia. Verùm si quid arcanum est, ne adeas, neve moueas. Non celatur Regū gaudium, cùm res sunt prosperæ: neque risus ludentis, neque cùm apparat aliquem humanitate, seu beneficio prosequi. Quod occultatur, formidabile est, triste, inamœnum, inaccessum, suppurata cuiusdam iracundia thesaurus, aut vltionis profunda in animis versatus, &c.* Et statim: *Fuge nigram istam & condensantem se nubem; senties tonare, ac fulgurare simul atque eruperit, quod nunc latet.* Hæc Plutarchus.

P. Velasquez in Psal. centesimum.

3 Sed vt ad Paulum redeamus, aliter quidem ac illum se gessisse Iacobum nouimus, cùm videlicet ei Angelus Dei personam gerens, in via occurrit, & blandis amplexibus honorauit, ac in seipsum præualere permisit (huc enim ire celebrem illam luctam, atque à Iacob relatam victoriam, quæ à Moyse describitur Genes. 32. 24. & Osea cap. 12. 3. alibi fusè adstruximus, non obscurè præeunte Chrysol. serm. 147. dum luctam de mutuo amicitiæ complexu sic capit: *Luctatoris constringit amplexu, vt amator partem certaminis, non timeret*) etenim peractâ iam luctâ cùm ab eo Angeli nomen perquisiuisset, vt illud in aliud honorificentius commutaret: *Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel, quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?* Illa Angeli humanitate inescatus, non secus, ac si ipsi iam foret æqualis, eandem interrogationem sic instituit: *Dic mihi quo appellaris nomine?* Quod perinde fuisse, ac in diuina arcana sese insinuare, ac scopum, & rationem mysticæ illius luctæ rimari voluisse, benè coniicit P. Alcazar in cap. 21. Apoc. vers. 1. notat. 1. ad finem, inquiens: *Notandum verò est, non ideò Iacobum ex Angelo nomen percontari, vt sciret quocum fuisset congressus, probè enim Iacobus nouerat, se cum Deo luctari, ideoque non hic fuerat suæ interrogationis finis. Sed propterea id rogauit, vt sciret quod esset illius luctæ mysterium.* Vides quomodo Iacob, ab eo quod erat secundùm naturam, in id quod est supra naturam, non ex vi superiore raptus, sed seipso efferri voluerit? Quid tum Angelus? *Cur quæris (inquit) nomen meum?* siue vt LXX. habent: *Vt quid interrogas tu nomen meum?* vel apud Paraphrastem Chald. *Ad quid*, &c. ac si ille diceret: Num, quòd amicè tecum egerim, & tantâ te indulgentiâ tractauerim, præscriptos reuerentiæ, & vrbanitatis terminos transilis; vt arcana consilia & abditos sensus rimeris? id omnino obseruante Theodor. quæst. 91. in Genesim his verbis: *Ob id etiam cùm quæsisset ab Angelo, qui vocaretur, non solùm responso frustratus est, sed etiam obiurgatus, tanquam excedens metas naturæ.* Hæc ille Regio familiari omnino aptanda, abditos enim illum Principis sensus, & si quid occultius parat exquirere, illicitum, anceps, nec tamen assequare. Sed & opportunè suggesserit eum Angelus: *Ad quid quæris*, &c. *Quod occultatur formidabile est, triste, inamœnum, inaccessum. Fuge nigram istam & condensantem se nubem.*

4 Adsimile planè est illud, quod Moysi contigisse, ab eo met didicimus Exod. 3. 2. dum Domino ei in rubo ardenti, & incombusto apparente, ipse Deum non ea solùm parte, quâ ille volebat, videre contentus, quidquid inibi arcanum erat, penetrare præsumpsit. Audi: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyses: Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Itane Moyses? Quòd Deus se tibi reuelauerit, & conspiciendum dederit, tu vlteriùs ire, & visionem, quam magnam iudicas, eminus videre, & penitissimam mysterij rationem introspicere gestis? *Vadam*, loquitur: iam pedes, quibus in arcana irrumpat: & *videbo*, atque oculos quibus omnia lustret, *quare non comburatur*: & rationem; atque intellectum, quo singula dimetiatur, & pensitet, parans. Sed quid tum Deus: *Non appropies huc, solue calceamentū de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Obserua illud: *Non appropies huc*: vt dicere videatur Dominus, esto procul, nec constitutas tibi metas transilire præsume. Non est tuum *visionem magnam* ineffabilia mysteria, & quæ ego occultiùs paro complectentem penetrare. Pupugit quidē diuinæ responsionis acumen Moysen, qui statim *abscondit faciem suam, non enim au-*

Exod. 3. 6. *debat aspicere contra Deum*. Exod. 3. 6: audaci sanè oculorum acie reuerberata, & præsumptionis suæ pœnas dante: vt qui pedes, oculos, rationemque parabat, quâ penitiora penetrares, iam nec ea quæ sese ipsis oculis ingerunt, cernere valeat. Vides opportunè oculis inflictum supplicium vt sese intra naturæ suæ terminos contineant? Audi modò quàm apposite id

Fulbert. locutus fuerit Fulbertus Carnotensis Episcopus epist. 32. hunc in modum: *Incomprehensibilem enim diuini consilij altitudinem sapientia humana puro cogitationis intuitu comprehendere non potest: quia dum mens nostra vltra præcipitanter erigere, vsque ad inaccessibilem secretorum Dei visionem appetit, infirmitatis suæ obstaculo reuerberata, & intra ignorantiæ suæ angustias coarctata, nec quod vltra se est, valet comprehendere, nec quod intra se est, æstimare*. Pulchrè, vt qui abdita rimari voluit, & quod vltra se erat comprehenderet, acie repercussa, nec id quod intra se est, æstimare iam valeat: *absconditi quippe penitissimè Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum*. Nec nimiæ quidem subtilitatis fuerit obseruare eum loquendi modum, *aspicere contra Deum*: siue *aduersus Deum* (vt aliæ lectiones habent) cùm facilius fuisset dicere: *aspicere Deum*; quasi is qui arcana Dei, siue etiam Principis scrutari, & rimari studat, contrarius illi esse, & contra illum ire, & sapere videatur.

5 Dixeris sursum ad hunc lapidem offendisse Moysem, cùm non esset ignorus quòd ad ipsum loqueretur *Dominus facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad*

Exod. 33. 11. *amicum suum*. Exod. 33. 11. in interiora eius arcana temeraria studens, hæc ipsum ibi orasse dicitur vers. 13. *Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*. Sed quid oras videre faciem Dei, qui facie *ad faciem* cum Domino loquaris? respondet ipse, dum

Lect. Hebr. pergit, *vt sciam te*, siue vt Hebræa habent: *scire me nunc*

LXX. *fac viam tuam & sciam te*, vel vt LXX. *ostende temetipsum mihi manifestè, vt videam te*, quibus tantùm non dicit denuda te mihi, & occultissima arcana patefacito, vt intus & in cute te cognoscam ac videam: sic hæc pro

Oleaster. mente Oleastri ibi: *Solent homines Principum fauoribus audaciores fieri; sic & nunc sanctus Moyses, qui Deum quasi vult compellere, vt ei detegat secreta sua. Non aliter Sponsa, cùm se à Sponso laudari cerneret, quòd cæteris feminis pulchrior esset, in audacem vocem prorupit dicens*: Indica mihi

Cant. 1. 6. vbi cubes, vbi pascas in meridie; Cantic. cap. 1. 6. ita Oleaster. Sed quid ad hæc Moysi Dominus? *videbis*

Chaldæus. (inquit) *posteriora mea* (siue vt disertè Chald. Paraphraster: *videbis id quod est post me*) *faciem autem meam videre nõ poteris*. Vbi omnino dixeris quod paullò ante de Ia-

Theodor. cob Theodor. *non solùm responso frustratum est, sed etiam obiurgatur tanquam excedens metas naturæ*: quippe iis verbis Dominus familiarem suum & castigauit & admonuit non plus sapere, quàm oportet sapere: nec scire eum nisi ex parte quâ ipse vellet: *quod videlicet est post ipsum*, non quod ante ipsum, id est præterita, non futura; manifesta, non occulta: scitè hæc adno-

Chrysol. tante Chrysol. serm. 131. ad hunc modum: *Dei faciem quærit, sed non inuenit: petit, sed non accipit, & vt posteriora tantùm Dei videat, admonetur, quatenus homo Deum quærat sequi, non præcedere, neque ante Deum quæ sunt quærere præsumat, sed quæ per Deum sunt omnia adorator agnoscat*. Quæ quidem non importunè Principum familiaribus aptaueris, ne abditos ipsorum sensus quærere & scrutari præsumant, sed ipsius potiùs reuereantur, & colant.

6 Sed iam vt omnino videris, quàm illicitum, anceps, & incassum fuerit, abscondita Principis arcana velle rimari, primi parentis lapsum in memoriam reuoca, & quò escæ vetitæ eius intentis penitiùs ex Gregor. Nazianz. & Moyse Episcopo dignosce. *Ex omni ligno* (ait Dominus) *paradisi comede: de ligno autem scien-*

Gen. 2. 16. *tiæ boni, & mali ne comedas*. Gen. 2. 16. Sed cur de aliis absolutè nullo adhibito modo, neque mensura homini vesci liceret; signatè autem de scientiæ arbore, vel semel edere licitum non fuerit? Planè, quod sciendi modum, & diuina arcana rimandi mensuram præscribere, prudentissimè voluerit Dominus, etenim si ipse omnia simul Dei secreta pernosset, non Dei [illegible] modus, sed quasi ipsi æqualis quodammodo hab[illegible]tur. Quare dum præfata verba: *Ex omni ligno parad*[illegible] *comede*, sic capit Moyses [illegible] lib. 1. de Paradiso [illegible]

n. 7. hoc est, *Exerce te cogitationibus de rebus omnibus tum* [illegible] *aspectabilibus, tum quæ sola mentis intelligentiâ concipiuntur, apudque tuum animũ meditare, quisnam sit illarum effector & parens, & quomodo sint condita, cumque illarum rerum pulchritudine raptus fueris in admirationem, tum ipsarum Conditori gratias age, eumque laudibus efferto*: ex his illa: *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas*; ita elucidat: *Quod porrò sequitur ab arbore scientiæ boni, & mali abstinendum esse, significat, illum curiosiùs inquirere non debuisse in Deum ipsum*. Perficit hanc cogitationem Nazianz. nostroque [illegible]

instituto opportunam facit, dum hanc penitiorem Dei cognitionem ideò ab Adamo amotam fuisse vult, quòd ei tunc ille maturus non esset. Sic namque Greg. orat. 38. *Contemplationis enim, vt ipse contemplando assequor, hæc arbor erat, ad quam ii solùm tutum est ascendere, qui animi habitu perfectiores sunt, haudquaquam autem simplicioribus adhuc animo, atque appetitu auidiori pr*[illegible]*sis*. Vbi cùm vides mysteriorum scientiam iure penes Deum repositam, vt ipse illam pro suorum meritis, & perfectione dispenset, non immeritò inferas, Regni arcana penes Principem sic omnino futura, vt ipsa ille non nisi parcè, & paulatim suis familiaribus pro eorum meritis, & maturitate committat: atque ideò illos non leue piaculum contracturos, si ea pro libito curiosiùs exquirere, & penetrare tentauerint.

7 Quod si verè æstimas, dixeris labem hanc secreta regia rimandi, non tam senior[um] Regum [illegible] sium, qui quò plus sapiunt, meli[illegible] pe[illegible] de boue lasso dicitur in Prouer[illegible] tyronum esse: siue quòd primu[illegible] & plus plus se ingerere velint [illegible] Principis cognitione, quantum [illegible] certò experiamur, vt indicant præ[illegible] *Si ergo inueni gratiam in oculis tuis, fac mi*[illegible] Ita quidem bonus Petrus tam illustra[illegible] num gratiam nactus, vt ab [illegible] Principatum obtinuerit, cùm primum [illegible] alti[illegible]mo fastigio conspexit, quid de [illegible] ondi[illegible] ulo [illegible] futurum foret, sic interrogare non dubitauit. *Domine*

Ioan. 21. 21. *hic autem quid*? Ioan. 21. vers. 21. At enim cùm abditos Principis sensus, & si quid occultiùs parat, exquirere non modò *illicitum* sit, *& anceps*, sed etiam inutile & *quod non assequare*; sic Petro Dominus non sine aliqua seueritatis specie respondit: *Quid ad te? tu me sequere*. In quæ verba Chrysost. sic ad rem loquitur: *his verbis*

Chrysost. *nos erudiens, neque dolendum, neque curiosiùs præter diuinam voluntatem inuestigandum: nam cùm Petrus semper in huiusmodi interrogationes feruentior esset, ac præceps, iterum eius feruorem retundens, ac docens nihil vlteriùs inquirendum hoc modo respondit*. Optimè *nihil vlteriùs inquirendum*: velle enim vlteriùs pergere, & inquirere nihil aliud fuerit, quàm velle vim inferre, & velut obiectum murum expugnare & transilire. Cui rei oppositissimè aptat præfato libro *de Curiositate* Plutarchus illud, cùm cuipiam interroganti, *quid ferret obuelatũ*? respondit: *Ideò obuelatum est*. Quod aliâ imagine adductũ sic statim illustrat: *Tu verò cur curiosè vestigas quod occultatum est? Et sanè in alienas ædes non est mos ingredi quemquam, nisi priùs pulsauerit fores, quamquam nunc adhibentur ianitores, olim malleis, circulisve pensiles illisi foribus efficiebant, vt sentiretur ingredi volens, ne matremfamilias aliquis in medio deprehenderet, aut virginem, &c. Curiosus autem ad hæc ipsa*

elam

clam sabit. Ea verò quarum causa clauis repagulum, ac vestibulum adhibentur, retegit, & effert in vulgus. Ita Plutarchus.

8 Iam verò si præfata verba Moysi à Domino dicta, *videbis posteriora mea*, vt Principis ore suo familiari dicta acceperis, non incongruè illa in eum sensum inflexeris, quasi is, qui præscriptos gratiæ limites transiliens penitiora arcana scrutatur, nihilo melius faciat, quàm pro facie tergum velle videre: id est à Regia gratia excidere iuxta eam ipsius Domini phra-
Ier. 28. 17. sim *dorsum, & non faciem ostendam eis.* Ier. 28. 17. Adeo Principibus arcana sua chara esse solent. Ambigunt meritò de Salomonis mente Interpretes, cùm Adoniæ fratri, tamquam affectati imperij reo necem seuerissimè intulit, ea solùm de causa, quod Sunamitidis illius, quæ vt senile corpus Dauidis foueret, eius castum lectum ascenderat, nuptias ardentiùs expeteret. Sic namque Bethsabe matri suæ pro Adonia roganti respondit: *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum, ipse est enim frater meus maior me, & habet Abiathar Sacerdotem, & Ioab filium Sarua. Et nunc viuit Dominus, qui firmauit me, & collocauit me super solium Dauid patris mei, & qui fecit mihi domum sicut locutus est,*
3. Reg. 2. 22. *quia hodie occidetur Adonias.* 3. Reg. 2. 22. Obserua illa *postula ei & regnum*, quibus Adoniæ petitionem in malam partem à Salomone acceptam fuisse, quasi hac ratione in regnum ille vellet irrepere, omnino liquet. Sed quid Sunamitidi quæ à regio iam splendore defloruerat, & regno? siue, cur, ea ducta, Adonias regnum obtinere, aut ambire videretur? Incerta quidem res, in qua non nisi coniecturis agitur. Inter quas illæ minimùm contemnendæ, quæ dum regni arcana penes Sunamitidem reposita (quid enim illa nesciret, in cuius sinu senex Rex dormiebat) considerant, inde Salomoni de Adoniæ robore, quasi ipsi iam futurus esset æqualis, & in res regni magnum momentum habiturus, ingentem timorem, & animi consternationem aduenisse adstruunt. Vides quàm sit anceps Regum secreta exquirere velle, cùm pro illorum notitiis infelix Adonias mortem inuenerit? Audi
Plutarch. hæc egregiè à Plutarch. indidem asserta & præter aconiti imaginem num. 1. adductam nouâ hac firmata: *Etenim qui Solis radios largos sanè, atque omnibus diffusos intueri nolent, sed ipsum Solis orbem impudenter obtuentur, ac lucē in semet auerti cogunt audaces, excæcantur.* Sic ille.

Ad ea verba,

Superbo oculo.

Prudens Regis Administer regiam gratiam quâ fruitur non nimiùm ostentat.

ADNOTATIO XXII.

1 SVAVISSIMIS Regij fauoris & gratiæ epulis prudens Regis Administer tacitus & modestus pascitur, dum quò ipsum Princeps plus fouet, & fauet, eò magis ille huius benignitatis escam contegit, & abscondit, vt plus dapis, & minus rixæ, inuidiæque habeat: quod è foliis Sybillæ illud sit,

Horatius. *Sed tacitus pasci si posset coruus, haberet*
Plus dapis, & rixæ multò minus, inuidiæque.

Sic quidem de Honorato, egregio Regis Theodotici
Cassiod. Administro ille Princeps dicebat, apud Cassiodor. lib. 5. epist. 3. *Cùm potestatis nostra gratiâ ditaretur, morum magis laude contentus, mediocribus se potiùs æquabat.* Adeò videlicet regiam gratiam non iactans, & vni sibi apud alios adscribens, vt qui inter maiores summus erat, inter mediocres sese adnumeraret. Et quidem prudentissimè, vt plus dapis, & minus inuidiæ habe-
Seneca. ret; scitè monente Seneca hoc vno modo regios familiares aduersus inuidiæ stimulos, & sæua insidiantis fortunæ tela fore communiendos, si altissimum, cui hærent, fastigium in planum detulerint, & rei, quæ ipsa superba est, superbiam detraxerint. Audi illum lib. de tranquillit. animi cap. 10. *Illi rursus, quos sors iniqua in ancipiti posuit, tutiores erunt, superbiam detrahendo rebus per se superbis & fortunam suam, quàm maximè poterunt, in planum deferendo.* Id est, vt verbis vtamur Cassiodori, regia gratiâ ditati mediocribus sese æquantes. Vbi obiter preme illud Senecæ, *tutiores erunt*: significatè dictum, ne perpetuam illis securitatem dare videretur; sed ad rem omnino ait: Vix crediderim eos vnquam in tuto esse posse, qui quamcumque in partem se vertant, in lubrico pedem figunt, & rei superbæ, ac proinde fragili, & caducæ inhærent: at enim, vt tantisper sint tutiores extremoque discrimini minùs obnoxij, regiæ gratiæ fastigium superbo splendore denudent, dissimulent, celent, & cæteris à Principis fauore exortibus, tam verbis, quàm rebus æquales sese exhibere studeant. Quod vel à superbissimo Sejano callidè obseruatum videris, dum Tiberium apud quem omnia poterat, à florentissima Romæ frequentia ad insulæ Caprearum secreta, siue latibula subduxit, ne regia in se gratia tantopere eluceret, sed
Corn. Tac. loci secreto obtegeretur: ita ad obseruante Corn. Tacito lib. 4. Annal. nam cùm dixisset: *Huc flexit vt Tiberium ad vitam procul Româ amœnis locis degendam impelleret.* Subiecit: *Multa quidem prouidebat, &c. imminui sibi inuidiam adeptâ salutantium turbâ*: Vt videlicet superbiam detrahendo rebus per se superbis tutior esset. Iam verò huic moderationi, atque modestiæ perpe-
Plinius. tuam securitatem pollicetur Plinius in Panegyrico: dum de lectissimis feminis vxore, & sorore Traiani fastigij splendorem obtundentibus scitè ait: *Inde moderatio, inde etiam perpetua securitas, neque enim vnquam periclitabuntur esse priuata, quæ non desierunt*, ac si diceret, tunc regiam gratiam firmissimis hærere radicibus, nec vlli esse discrimini obnoxiam, cùm non iactatur, sed absconditur, ad instar validissimæ quercus, *quæ quantum vertice ad auras, tantum radice in tartara tendit.*

2 Iam hæc monita omnino ex sacris deprompta videtis. Sic namque primùm Dominus suos familiares instituebat, vt cum potestatis diuinæ gratiâ ditarentur, morum magis laude contenti mediocribus se potiùs æquarent: ipsis quippe ab expeditione & bello quod aduersus dæmones gloriosè confecerant, cum gaudio redeuntibus, simulque iactantibus: *Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.* Sic ipsos allocutus est: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur, gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in*
Luc. 10. 19. & 20. *cælis.* Luc. 10. vers. 19. & 20. Vbi meritò ambigitur, cur noluerit Dominus discipulos de subiectis sibi dæmonibus gaudere, præsertim cùm ipsos & iusto bello vicerint & in Magistri nomine ac virtute signatè prostrauerint? Quòd si dixeris, non aliam in iis verbis fuisse Domini mentem, nisi vt ad veri & maioris boni gaudium, quale erat habere nomina scripta in cælis, discipulos excitaret, vt plures ex PP. & Interpretibus volunt: non abs re quispiam ideò repugnauerit, quòd benè possent de vno & altero dono gaudere, cùm de omni dono Dei gaudere liceat, modò & donum ipsum, & gaudium in auctorem suum referatur,
Maldon. vt benè ibi adnotat Maldonatus. Ergo opportuniùs respondeas, non tam de interiori gaudio, quàm de externa gaudij publicatione siue iactatione hæc fore accipienda, vt sensus sit: Ita quidem est, hanc me vobis potestatem dedisse, quam minimè truncare volo, quin etiam atque etiam confirmo (id enim Græca verba valent) verumtamen intelligite, splendidum

 hoe

hoc donum, quod vobis prę aliis præstiti, non ingratiiuâ vobis fore iactandum, sed illa vobis solummodo bona ostendanda, quæ vobis cum cæteris communia sunt. Ita hæc sapienter explicante Augustino in Psal. 130. hunc ad modum: *Non omnes Christiani boni dæmones eiciunt, animum tamen nomina scripta sunt in cælo. Non eos voluit gaudere ex eo quod proprium habebant, sed ex eo, quod cum cæteris salutem tenebant: inde voluit gaudere Apostolos, vnde gaudes & tu.* Sic August. Pulchrè illud *non eos voluit gaudere ex eo, quod proprium habebant*, id est, non iactare potentiam & peculiaria dona, sed sese mediocribus æquare. Quem planè optimorum principum sensum & mentem esse, nemo quidem ambigit: gaudent nimirum ad instar Dei modestis suorû animis, gaudent gratiam suam magno in pretio haberi, ac proinde diligentissimè custodiri; gaudent suâ dona ei quem diligunt, sic grata & vtilia esse, vt cæterorum animos non vrant, aut stimulent, neque inuidorum oculos præstringant: vrunt autem, & stimulant, quoties inaniter ostenduntur, & quasi in aliorum contemptum iactantur.

3 Diximus imprimis huius libri 5. adnotationibus Regium Administrum viuam Principis sui imaginẽ; illius virtutes exprimentem, regios nutus, & motus adumbrantem, & salutarem Regia potentiam in alios transmittentem esse debere: modò autem, si ea quæ de Dei imagine homini indita ex Zenone M. in epistola ad Philippens. cap. 2. vers. 3. adnotat. 1. obseruauimus, iis attexerimus, non omnino importunâ huic instituto ratiocinationem confecerimus. Nimirum scitè Zeno dubitabat, vbinam hæc Dei imago hominibus insculpta cernatur? aut vnde à nobis deprehendi possit, cùm homine circumquaque lustrato ipsa minimè videatur? At verò ille adhibebat responsionem, tunc maximè diuinam spectari imaginem, cùm omnino non videtur, tunc velut de facie cognosci, cùm eius facies nullatenus apparet, atque conspicitur: sic enim aiebat serm. 2. de Genesi. *Ergone imaginem Dei non habemus? Habemus planè, & quidem manifestam ex eo ipso, quod non est nobis portantibus nota.* Et verò, vt inibi illuc hæc referebamus, eam omnino virtutis naturam, & conditionem esse, quæ ab humanis oculis abscondi debeat, quasi tunc maximè luceat, cùm celatur, atque contegitur; tunc obscuretur, & corrumpatur, cùm iactatur, & ostenditur: ita nunc eò non omnino abs re reuocamus, vt qui ex Principis benignitate & gratia eius imago apud homines censetur, sic se gerat, vt regiæ huic imagini velamen obtendat, & ex eo illam sibi manifestam, & perpetuò duraturam existimet, quod sibi portanti non nota, id est abscondita & contecta sit: aliter quidem ac illi iure à Seneca reprehensi, qui nihil se apud Principem valere credunt, nisi quidquid valent, & possunt ambitiosè, & pompaticè ostentent: ita enim ille lib. 2. de benefic. cap. 5. *Quales regia potentia ministri sunt, quos delectat superbia sua longum spectaculum, minasq; se indicant posse, nisi diu multumq; singula, quod possunt, ostentent.* Quantò melius rem percallebat Seianus cum Principe suo latens, vt imminueretur sibi inuidia *adeptâ salutantium turbâ!*

4 Sed iam omnino vide hunc diuinæ imaginis splendorem velatum, atque contectum in optimo Dei Administro Moyse. Etenim vna ex parte tantâ illum Dominus humanitate, & benignitate cum illo agebat, tot donorum radiis illustrabat, vt vel ipsa eius facies cælestes, atque diuinos vibraret splendores *ex consortio sermonis Domini.* Exod. 34. 29. quasi Dominus in Moyse illustrando, & suâ erga illum gratiâ manifestandâ vim dilectionis, & diuinæ beneficentiæ imperum cohibere nollet, adeò quidem, vt de industria illius sepulchrum hominibus absconderit, ne eam faciem, quam ipse cælesti fulgore ornauerat, squalidam & obscuram aliquando homines cernerent. Ex alia verò prudentissimus ille quo faciem suâ diuinis radiis illustrandam obiiciebat, *& cum Deo facie ad faciem*, tanquam cum sodali, & amico *loquebatur.* Exodi 33. 11. eò attentiùs cùm inter populares versabatur velamine posito diuinum illum splendorem & claritatem contegebat, vt gratiam, quam apud Deum nactus erat, quoad posset occultaret, & obtusu atque cohibito illius fulgore æqualibus suis æqualem, facilem, ac comem se præberet. En ad viuum optimi Regis erga suum Administrum, nec non optimi administri erga suum Regem typum, dum Princeps Administrum omni modo ornat, & apud cæteros illustrat, vt ab illis pluris fiat, & in omni honore habeatur; ille verò hunc regii fauoris splendorem sub modestiæ, & humilitatis velamine dissimulat, & tacitus pascitur, inde verò tam Regem ipsum, quàm omnium animos sibi arctius adstringit, vti in Administro suo Cassiodoro obseruauit Rex Theodoricus lib. 1. variarum epist. 4. loquens: *Meministi quâ moderatione Prætorianæ culmine locum insederit, & euectus in excelsum, inde magis despexerit vitia prospectorû. Nullo quippe, vt plerisque moris est, elatus fauore Fortunæ in cothurnum se magnæ potestatis erexit, sed æquitate cuncta moderatus gratiam nostram in seruum reddidit adiosam.* Pulchrè illud *in cothurnum se magnæ potestatis erexit, sed æquitate*, &c. Vt dixerit, depofuit quidem ea potestatis ornamenta, quæ illum supra alios euehebant, & fortunam suam quammaximè potuit, in planum deiulit; cæteris sese æquans. Quid inde? gratus quidem Principi, & sodalibus suis, qui regiam gratiam *non reddidit adiosam*, vt de Moyse dicitur: *Dilectus Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est.*

5 Quàm pulchra verò hæc Administri facies velata, atque contecta fuerit, sic aperit cælestis Sponsus Canticor. 4. 3. *Sicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet.* Quare obseruat imprimis Chaldæum Paraphrastem hæc capere *de Principibus, qui accedunt ad Regem, qui sunt iusti, & non est in illis quidquam mali.* Deinde duplicem iis genis affigi gratiam, alteram candoris id est puritatis, quâ apud Principem gratiam inuenit, & gratiâ valet, dum dicitur: *absque eo quod intrinsecus latet*: alteram pudoris, & verecundiæ in purpureo mali punici fragmine depictæ. Sed quid (inquis) commune fuerit puritati & ruboriæum hic indiuiduus peccati comes sit *in nam huius vani spectri* (inquit de peccato Nyssen. tract. 1. in Psal. cap. 4.) *vnicum vestigium relinquitur post decessionem, pudor.* Respondet imbi R uperius, hoc quidem eximiæ virtutis, & puritatis esse ingenium, vt non minus de bono, & virtutibus ab aliis conspectis, quàm de erratis erubescat, eamque verecundiam omni laude dignissimam haberi: sic enim ille: *O verè laudabilis verecundia, vbi intus conscientia munda, & foris facies verecunda est: nam vbi est aliquid, quod mens erubescat, non adeò laudabile est, si conspectam faciem rubor perfundat.* Cui sanè cogitationi mirè accinit fragminis mali punici, siue nudatæ iam & apertæ granatæ imago: Enimverò dum pulchra illa mali punici grana, id est egregia virtutum opera intus inclusa sub cortice latebant, nullus exterior rubor siue purpureus color adspiciebatur, at enim cumprimùm visa & discooperta sunt, sic statim purpureus color, siue rubor granatæ apparuit, vt perinde fuerit adspici, ac rubore suffundi. Sed id accipe à Tertull. lib. de velandis virginibus cap. 2. vbi cùm ad adstruendum virginea velari oportere, dixisset: *Et vtique ea diligenda, quæ virgines includat, soli Deo nota, quibus pratter quod à Deo, non ab hominibus captanda gloria est*, adicit: *etiam ipsum suum bonum erubescendû est.* Pulchrè, vt bonum videri, & erubescere idem sit. Reddit rationem

rationem cap. 3. *Omnis publicatio virginis bonæ, stupri passio est.* Planè quòd virtus sub cortice mali punici latere debeat, cupiatque; ac proinde publicari, nihilo melius illi sit, quàm vim pati. Ne verò id solum in virginibus locum habere existimes, quid de Traiano cùm à suis vt bonus laudatus, vt felix celebratus est, dixerit Plinius in Panegyrico, audi. *Plinius.* *Enimverò, quàm commune, quàm ex æquo, quod felices nos, felicem illum prædicamus, ad quas ille voces lachrymis etiam, ac multo pudore suffunditur: agnoscit enim, sentitque sibi non Principi dici:* hoc est, vt non adulatoriè, sed ex animo, ita verè, & benè merenti dici: ideò ad publicationem virtutis erubescit, & non secus ac si dictum vulnus, aut contumeliam accepisset, *lachrymis ac multo pudore suffunditur.*

6 Iam vt hæc velatæ Moysis faciei, Administro scilicet Principis sui fauorem dissimulanti, & gratiæ pulchritudinē abscondenti, ac proinde de bono suo erubescenti omnino aptaueris, quid indidem Tertull. *Tertull.* cap. 15. de velamine virginitati necessario dixerit, adiunge: sic enim ille: *Sed enim vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet, quàm semetipsam: alios ipsa oculos habet, confugit ad velamentum capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat aduersus ictus tentationum, aduersus iacula scandalorum, aduersus suspiciones, & susurros, æmulationem, ipsum quoque liuorem.* Subiicit: *Nam est aliquid etiam apud Ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis, & gloriæ enormioris euentum.* Quid namque regio fauori opportunius, qui veritus sit, ad velamentum confugit quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat aduersus æmulationis, & liuoris, & fascinationis iacula in enormiorem gloriam parata, & iacienda. Armabat amicum suum Seneca aduersus improborum *Seneca.* spem, & inuidiam, & cùm de spe dixisset: *Spem improborum vitabis, si nihil habueris, quod cupiditatem alienam, & improbam irritet, si nihil insigne possederis. Concupiscuntur enim insignia, etiamsi parum nota sint.* Inuidiam non aliter quàm obiecto pulchritudini velamine fore effugiendam, sic affirmat: *Sic verò inuidiam effugies, si te ingesseris oculis, si bona tua non iactaueris: si scieris in sinu gaudere.* En regiæ gratiæ in velamine galeam clypeumque aduersus inuidiam absque dubio eius iaculis configendæ, si illo non munita, sed improtecta sit. Vel vide Iosephum somnia suæ felicitatis, & in fratres eminentiæ illis narrantem, & sese eorum oculis tanquam Principem ingerentem; atque inde diris inuidiæ & odij telis expositum, dicente Moyse: *Hæc ergo causa somniorum atque sermonum inuidiæ, & odij fomitem ministrauit.* Genes. 37. 8. *Gen. 37. 8.* vt dixerit: non effugit inuidiam, quia bona sua iactabat, nec sciebat in sinu gaudere. Quare obseruatu dignum fuerit, quod indidem de eius parente, sic dicitur vers. 10. *increpauit eum pater suus & dixit: Quid sibi vult hoc somnium?* Et statim: *inuidebant ei igitur fratres sui: pater verò rem tacitus considerabat.* Vbi meritò ambigas, cur bonus pater vna ex parte filium tanquam leuculum, & somniis puerili simplicitate fidem dantem increpabat: ex alia rem tacitus considerabat, siue vt LXX. habent *obseruabat*: vtpote rem sacram, & mysterij plenam? nam si somnium à Deo Iosepho iniectum credis, cur illum increpas, & de bono opere lapidas? Sanè quod qui somnium à Deo esse credebat, eique fidem dabat, tanquam cautus, & prudens volebat filium suum bona sua non iactare, sed in sinu suo scire gaudere, ideo prudenter increpabat tantùm non dicens,

Sed tacitùs pasci si posset coruus, haberet
Plus dapis & rixæ multo minus inuidiæque.

Hæc ita obseruante Chrysostomo ad id loci Genes. *Chrysost.* hom. 61. *Sciens pater quod fratres inuidebant ei, propter hoc increpauit puerum, & dissoluit ipse somnium, & coniectans à Deo reuelationem ei factam obseruabat verbum.* Sic Chrysostomus.

7 Quantò meliùs, quantò vtiliùs candidissima illa pascebatur columba, quæ de seipsa dicebat: *Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus:* Ioann. 13. 23. *Ioan. 13. 23.* Sed cur proprio nomini pepercit? nec dixit, erat Ioannes recumbens? Planè quod qui amori sibi à Domino impenso satisfacere, atque id beneficium signatè profiteri voluit, simul quidem debuit non se oculis ingerere, sed in sinu gaudere, ac proinde nomen suum silentio premere; vt quasi tacitus in cœna suauissimo fauoris Dominici cibo pasceretur, quò plus dapis, & inuidiæ minus haberet, vti S. Cyril. Alexandrin. lib. 9. in Ioann. cap. 15. hunc in modum adnotauit: *Cyril. Alexand.* *Nomen suum celauit, ne inanis cuiusdam gloriæ causâ diligi se à Domino dicere videretur.* Hæc Cyrillus. Sed illa fuerint huic instituto opportunissima exempla, quæ ex sanctissimæ Deiparæ, quæ exactissimum omnium virtutum exemplar est, modestia desumpseris: dum illa quæ eam inuenit gratiam apud Dominum, vt ipsiusmet Domini Mater effici mereretur, eamiam hanc gratiam omni modo occultabat, siue cùm filium per triduum ab oculis ablatum dolenter quærebat Luc. 2. 51. *Luc. 2. 51.* siue cùm ipsum in nuptiis Cana Galileæ, vt inopiam vini subleuasset admonuit: Ioann. 2. 7. *Ioan. 2. 7.* Sed singula ea PP. obserua. Sanè Rupertus, & ab eo alij illa verba Cantic. 1. 7. *Rupertus. Cant. 1. 7.* *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie:* triduo illi, quo Deipara filium in templo remanentem quæsiuit, accommodantes, acutè ambigunt, quomodo nesciret Maria vbi Filius esset, quod Prophetæ non nescierunt, ipsaque cognitionis lumine infinito propemodum interuallo Prophetas omnes superaret? aut si sciebat, cur illum tanquam amissum dolenter quærebat. At respondet Rupertus, nequaquam id quidem Mariam ignorasse quoniam gratia plena, & magna Prophetissa erat, quæsisse tamen cum dolore vt dispensationi diuinæ suo silentio inseruiens abundantiorem præ sponso suo Iosepho gratiam maioremve prærogatiuam non ostenderet, sed quæ omnimodæ potestatis & fauoris gratiâ ditaretur, mediocribus se æquaret: tanti quidem faciens bona sua non iactare, sed in sinu gaudere, vt præ hac modestia minimè dubitauerit cælestibus illis præsentiæ filij sui deliciis per triduum non frui. Nec minus egregium diuinę huius modestiæ exemplum fuerit, cùm in nuptiis *deficiente vino*: iis omnino verbis filio, vt prouideret suggessit: *vinum non habent.* Quid modestius? quid humilius, quid parcius? quàm vt illa, cui subditus erat Dei Filius, vix ab illo id peteret, quod vt omnibus vtile, ita & ipsi maximè honorificum erat. Sed cur, ô Domina, tam parcè, tam custoditè rogas? Nonne scis à nescio quo dictum? *Qui timidè rogat, docet negare.* *Seneca.* Timésne tuis precibus filio molestam esse? Minimè quidem, sed quæ cum Domino coram aliis agebat, de industria noluit, ingentem quâ apud ipsum valebat, gratiam publicare, sed eâ modestiâ loqui, quâ cæteri vsi fuissent. Audi Bernardum sic hæc diffundentem in allegoriis Gotfridi ad id loci. *Quàm breuiter, & quàm reuerenter suggessit, vnde piè sollicita fuit. Disce ergo, ô homo, in matre Domini magnam admirabilibus fidem habere, & in magna fide verecundiam retinere. Disce verecundia decora fidei reprimere præsumptionem: ipsa enim pietatis æstum pudoris temperans vmbrâ conceptam precis fiduciam verecundè suppressit. Non frontosè accessit, non palam locuta est, vt audacter coram omnibus diceret: Obsecro fili, deficit vinum, contristantur conuiuæ, confunditur sponsus, ostende quid possis. Sed licet hæc, aut multò plura pectus æstuans, feruensque loqueretur affectu, priuatim tamen potentem pia filium mater adiuit, non potentiam tentans, sed voluntatem explorans. Vinum inquit non habent: Quid modestius? quid fidelius? non defuit pietati fides, voci grauitas, efficacia voto.* Hæc Bernardus. *Bernard.* Quibus vt nihil disertius;

tius; ita opportunius nihil dici potuit. Sed modò de his satis: præsertim cùm in subsequenti adnotatione hanc eandem faciem obuelatam simus conspecturi.

Ad ea verba,

Hic mihi ministrabat.

Prudens Regis familiaris, vt Regiam gratiam non ostentat, ita sicubi vel leuem Principis indignationem incurrit, nemini quantumuis fido aperit.

ADNOTATIO XXIII.

1 SED & sub hoc sensu illa Sapientis verba In Regium familiarem ita data *medio laqueorum ambulas*, Ecclesiast. 9. 20. possis non incommodè accipere, vt laqueorum imagine quotquot Aulici, Principisque ministri, ac famuli sunt, significentur. Quid enim laqueus fuerit? nisi ruina & mors, ad aues, siue feras incautas capiendas oblectantis cibi voluptate dolosè, & fraudulenter connecta? Ab hoc verò quantum rogo it Aulicorum moderatissimus? Enimverò oec hilum à laqueo differt, cùm laqueus ipse ad eum qui plurimùm gratia apud Regem valet, cumprimùm se dederit occasio, capiendum attidentus faciei fuco contectus omnino sit. Audi Cyprian. in epistola ad Donatum, Aulatum discrimina, & scopulos elegantissimè describentem, hæc affirmantem inter alia. *Malorum blandientium virus occultum est, & arridentis nequitiæ facies quidem læta, sed calamitatis abstrusa illecebra fallacia, instar quoddam veneni, vbi in letales succos dulcedine aspersa calliditatis fallendi sapore medicato poculum videtur esse, quod sumitur, vbi epotauerit pernicies hausta grassatur.* Sic ille, ac si de facie Aulicorum ingenium nocendum datet, qui arridenti facie, & dulci verborum succo lethale virus absconditum in animo gestant, sed in promptu quidem habent, *ne quando desint occasioni*, vt de iis pio diait Plin. lib. 11. cap. 25 Nimirum cùm minimum Regis familiarem in eius gratia p[illegible] dentem, & florentem vident, modis ei omnibus adblandiuntur, & venerabundi adorant; at vbi primùm gratiam, quæ Comico teste plumâ leuior est, tantisper languete, ac deflorere rimantur, ab ipso noo modò recedunt, essei enim id leuius malum, sed velut agmine facto ineum irruunt, vt omnino perdant, & funditùs euertant: ita id obseruante Corn. Tacito lib. 3. Annal. *Vbi asperatum Vitellium, & posse Blæsum peruerti, satis patuit iu, qui Principum offensas acriter speculantur.* Sed multò opportunius hæc omnia ex aurea Chrysostomi pharetra deprompseris: dum occasione casualis ruinæ celebris illius Eutropij, qui apud Imperatorem Arcadium omnia aliquando potuit; sic ipse populum suum erudiebat homilia in Euttopium tomo 1. *Hesterni est hodie ei, cuim die hesterno deoscalabatur manum. Quam ob rem? Quia ne heri quidem verè diligebat. Se occasio obtulit, & personata laruæ sunt deprehensæ.*

Eccl. 9. 20. *Cyprian.* *Plinius.* *Plutarch.* *Corn. Tac.* *Chrysost.*

2 Enimverò sapiens noster Rex Dauid, & ipse aliquando siue Saülis Regis: siue Achis Principis Geth intimus familiaris, & Aulicorum ingenium, & artes perfectè callens bellissimè id describsisse videtur Psalmo 61. 4. Aulicos Saülis, siue vt alij volunt Absalonis in sui perniciem coniuratos: sic alloquens. *Quousque irruitis in hominem? interficitis vniuersi vos, tanquam parieti inclinato, & materia depulsæ?* Obserua appositam imaginem parietis inclinati, & in ruinam propendentis, quâ Regij familiaris, qui in eius gratia vacillate, & nutare cognoscitur, statum expressit. Enim verò vt paries incolumis, & ad amussim directus ex hominum vsu, ita extra telorum, vt est in Prouerbio, A iactum est: quis enim solidum, & directum parietem perfodere, & disturbare tentet? at vbi fornicari, & inclinate videtur, quotquot transeunt, & vident, de eo funditus diruendo, & disturbando cogitant: imò verò ad publicam vtilitatem, & bonum id spectare aiunt, ne repente ruens transeuntes opprimat. Ad quem omnino modum Regum familiarem florentem quidem, & in solido subsistentem quis non laudat? quis non veretur? quis non patronum vocatatque ei tanquam firmissimo muro hærere nititur? Verùm si lapsare, atque nutare incipiat, omnes in eum irruunt, & tanquam parietem ad ruinam propendentem pedibus, ac manibus demoliri contendunt: publicam vtilitatem, & Religionem obtendentes, quasi nihil Regno, Regique vtilius quàm illum ex regia gratia excidere. Iam pende singula verba, nam omnibus peculiaris epitasis subest: & primum quidem notantet diait, *irruitis*, quod propriè, ac frequentius ad inuasionem ingenti impetu, & armatâ manu palam, & cum B strepitu factam refertur, innuens eos qui stante directo & solido pariete non nisi clanculum mussitare audebant, vbi primum inclinari conspexerunt, detractâ laruâ hostili impetu extremum malum, atque perniciem moliri. Quo acumine idem Vates Psalmo 34. 15. de iisdem Saülis Aulicis dicebat. *Et aduersum me lætati sunt, & conuenerunt.* Vbi Pagninus, Vatablus, Nebiensis, & alij ex Hebræo vertunt: *in claudicatione mea lætati sunt, & congregauerunt* seid est; cumprimùm me in regia gratia claudicate, siue lapsare conspexetuut: congregauerunt se, vt omnes vno in me impetu irruerent. Deinde opportunè subdit *interficitis*: ac si dicat significanter Hispanè, *tirayia matar*: non minori scilicet daono, quàm extremâ pernicie, atque exitio contenti. Taadem signatè posuit *vniuersi vos*, ne vnum omnino exciperes, quod omnibus idem in perniciem Regij familiaris animus, eadem mens sit. Iam rursum præC fato loco, Chrysostomum hæc opportunissimè diffundentem audi. *Nonne heri osculabaris manus istius, cui & acceptam salutem tuam asserebas, nominabas patronum, ac de te quamoptimè meritum? Nonne innumeras ordiebaris illi laudes? Qua de causa eandem insimulas hodie: heri laudator, & hodie accusator. Heri recitabas laudes, & hodie crimina permisces. Quæ hæc est mutatio? quæ hæc est flatus tui variatio?* ac si dicat: Heri sub illo tanquam sub firmo pariete, & tutissimo muro protegebaris: & hodie irruis in illum, fers crimina, & interficere procuras? Non aliâ quidem ratione quàm quod parietem tantisper inclinatum vides.

Psal. 34. 15. *Lect. Hebr.* *Pagnin.* *Vatabl.* *Nebiens.* *Chrysost.*

3 Dixeris planè, nec immeritò, Aulicos è dæmonis patera hoc ingenium, has artes ebibisse. Sic enim illud cum infelicissimo Iuda se gessisse nouimus: quippe cùm inter cœnandum siue cœna facta, accepta à Domino buccella ab ipso omnino discessisset, dimittente, siue manumittente illum Dei Filio illis verbis. *Quod* D *facis, fac citius* Ioann. 13. 27. statim in ipsum introisse dæmon dicitur: sic enim ibi: *Et post buccellam introiuit in eum Satanas.* Ad quæ quidem verba dum PP. & Interpretes ambigoot, quonam modo tunc Satanas in Iudam introisse dicatur, cùm iam antea *in cor illius misisset*, vt Dominum traderet, ac proinde eius cordis inquilinus esset. Sic enim Ioannes inhio capitis vers. 2. *Cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas.* Respondet Chrysostomus, & ab eo Theophylactus, intrasse quidem dæmonem in Iudæ animum, & cùm de Magistro vendendo cogitauit, & cùm accepta buccella à Christo discessit: sed aliter quidem atque aliter: nam primùm, dum ipsum inter Christi familiares, in eius Aula, & sub vmbra culminis illius degentem videbat, timidè, clanculum, & quasi reuereutet aggrediebatur, nec tam in ipsum licenter, & manu armata intrasse, quâ molliter, & dolosè sese illi insinuasse

Ioan. 13. 27. *Psal. 61. 4.* *Chrysost.* *Theophyl.*

Digitized by Google

asse videbatur: quod penè innuunt priora Ioannis verba, *cùm diabolus iam misisset in cor*, apud Lectionem Syriacam quæ habet. *Inserat se Satanas in cor Iuda*, ac si io illud clanculum & furtim ingredieus: sic enim apud Tullium, & signatè apud Terentium dicitur *iniectus alicui scrupulus* de aliqua te, cùm aliquis nõ sine dolo, & velut aliud agens, dubitationem, aut timorem infert: atenimverò cùm infelicem illũ à Christo diuisum vidit, & tanquam parietem inclinatum ad ruinam contemplatus est, tunc in eum feroeiter irruit, & omni impetu armorum inuasit, laqueum, furcam, desperationem, & furiosas in seipsum manus obiiciẽs. Iam audi Patres & primò Chrysostomum homil. 71. in Ioannem. *Donec in alteram numero fuit: non est ausus in illum ingredi, sed extra oppugnabat: postquam verò palam factus est, licenter iam irrupit.* Compone quæso eam irrumpendi phrasim cum illa Dauidis *irruitis*: quippe eòdẽ vtraque it. Enucleatiùs verò id expressit Theophylactus inquiens. *Quamdiu enim discipulorum videbatur, non habebat tantam accessum ad eum Satanas: vbi autem illum diuisit Dominus, tunc inuasit eum vt à Domino derelictum.* Vides easdem dæmonis, ac Aulicorum artes in parietem inclinatum furiosè, & omni impetu irruentium? Discat ergo ex his prudens Principis familiaris, ne sese vel tantillum à Principe suo diuisum, aut ei leuissimè infensum alicui aperiat.

Psal. 34. 15. 4 Quare rursum preme præfata Dauidis verba Psalm. 34. 15. ex Hebræo: *claudicatione mea lætati sunt*:
Lect. Hebr. obseruans Hebræam vocem non solòm significare claudicationem, seu fracturam, sed etiam plagam lepræ ad externam cutem exeuntis, siue in facie apparentis, vt videris, nihil aliud esse Regium familiarem interiorem plagam ad externam cutem reuocare & manifestam facere, quàm gaudium inimicis suis dare, & nudum latus ostendere vbi feriri possit. Quò aptè inflexeris ea Senecæ verba, in consolat. ad Polybium Claudij Cæsaris familiarem callidè admonentis. *Indue*
Seneca. *dissimilem animo tuo vultum, & si potes, proiice omnem ex toto dolorem, sin minus introrsum abde, & contine, ne ap-*
Lucanus. *pareat*: vt quemadmodum apud Lucanum Cæsar in morte Pompeij

——Lachrymas non sponte cadentes
Effudit, gemitusq, expressit pectore læto.

Ita prudens Aulicus tristi pectore risum exprimat, ne malum ex cute appareat. Ita quidem apud Polybium Græcum historicum Aratus, ille qui ob præclara merita apud Philippum Macedoniæ Regem omnia olim potuit, eùm in præmium fructumque regiæ amicitiæ venenum lentè, & sensim extinguens ab eo Rege indignationem dissimulante clam accepisset: malum ipse tacitùs tulit, quiu vlli vnquam amicorum aperuerit, nisi quod aliquando in cubiculo sanguinem D coram Cephalone intimo suo expuente, illoque nonum faliuæ genus admirante, subiunxit. *Hæc sunt præmia regiæ amicitiæ.* Sed qui venenum hauserat quid peius (inquis) timere iam poterat? Sanè celeriùs morti vt ex Darij Aulicis qui leonum vngues languidos ad nocendum Danieli fore timebant hoc libro adnotatione 8. num. 3. iam vidisti.

5 Fuerit verò illud huic monito, & toti rei, cui incumbimus oppottuuum exemplum, quod ex Amanis historia desumitur apud librum Esther: hoc tantùm diffunans (quod mihi maximè confunat) quod eum modum, quo malus dæmon in misetì Iudæ perniciem se gessit, & grassatus est, nõ tam à seipso, quàm ab Aulicorum ingenio hausisse videatur. Ergo ibi apud Scriptorem Sacrum habetur: Amanum, qui tantum apud Assuerum gratiâ valebat, vt omnia Imperij munia pro suo arbitratu moderaretur, cum primùm Regis iram commeruisse visus est: ab Aulicis circumstantibus ad necem petitum, atque destinatum. Audi rem

A totam à vers. 3. capitis 7. *Respondensq, Rex Assuerus ait:* Esther. 7.
Quis est iste, & cuius potentiæ vt hæc audeat facere? dixitq, vers. 5.
Esther: Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman, &c. Rex autem iratus surrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit, vt rogaret Esther pro anima sua, intellexit enim à Rege sibi paratum malum. Qui cum reuersus esset de horto nemoribus consito, & intrasset conuiuij locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther, & ait: Etiam Reginam vult opprimere me præsente in domo mea. Necdum verbum de ore Regis exierat, & statim operuerunt faciem eius: scilicet vt inquit Nicolaus de Lyra & omnes Interpretes: *tanquam condemnati ad mortem, quia tunc erat talis modus, &c.* Pergit sacra historia. *Dixitq, Harbona, vnus de Eunuchis, qui stabat in ministerio Regis. En lignũ quod parauerat Mardocheo, qui locutus est pro Rege stat in domo Aman habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit Rex, appendite eum in eo.*
B Hactenus ibi. Vbi primùm vide, quomodo Aulici in perdendo Regis familiari, dæmonis magistri, & antesignani fuit, cùm ab ipsis modum & rationem iniciendi laqueum, & suspendium parandi ipse omnino didicerit. Iam pende quàm illi intentos in Regem oculos haberent, vt quum primùm apud ipsum Amani parietem inclinati animaduerterent, hostili in eum impetu irruerent. Nimirum Rex, cuius ingenium verè Regium, & mite erat, statim vbi furorem contra Amao concepit, ne semel, & velut vno ictu tam antiquam, & arctam necessitudinem exueret, in hortum recreandi animi gratiâ se recepit. Sanè quasi ab adstantium aulicorum oculis venenum spirantibus se proripeter. Et verò regiæ tunc indignationis flamma nondum exterius erumpente: sed nec eùm ex horto Rex sedato tantisper furore, & mitiùs de Aman statuens (vt coniectat Seuerus Sulpitius in historia) in conuiuij locum se tetulit, illi nec verbum cõtta Aman exterius mussitare ausi fuor: at cùm prima indignatio-
C nis Regis scintilla se prodiit, statim licenter, ferociter, atque omni impetu in illum irruperunt. Quid enim fuerit dicere. *Necdum verbum de ore Regis exierat*: quàm via ex labiorum motu, siue ex faciei ardore & immutatione iratum Regem obseruarunt? Et quidem, si attendis, de pœna atque supplicio nihil Rex statuit, sed culpam tantùm in illum contulit, siue coniectauit, at ipsi eam ansam arripientes iudicium, & tribonal confestim statuerunt, & qui bona fide age otes illum à culpa eximere debebant, nulla interposita mora capitis condemnarunt.

6 Vides quàm sit anceps, & periculi plenum, nosse, rimarive Aulicos leuissimam regij animi in suum familiarem mutationem, siue (quod passim euenit) indignationem: cùm ille in medio laqueorum ambulet, hostisque hodie ei sit, cui heri deosculabatur manum, quia ne heri quidem verè diligebat, sed cùm se occasio obtulit, latuam amicitiæ abiecit. Nam quis tam rudis, atque ignarus fuerit, qui ambigat, eos qui ad motum labiorum Regis miserum Aman morti addixerunt, eaiisesse, qui paulò ante eius manum deosculabantur? Cetè de Amani gloria, florentissima fortuna, & super omnes aulicos eminentia sic eodem libro cap. 2. vers. 2. habetur. *Rex Assuerus exaltauit Aman,* Esther. c.
& posuit solium eius super omnes Principes, quos habebat, 3. 2.
cunctiq, serui Regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman. Et quidem ferox ille Harbona, qui Regẽ de furca quam Aman erat ruaerat, admonuit, vt in illa ipse suspenderetur, idem ipse fuit, vt Nicolaus de Lyra, & veteres auctores adnotarunt, Lyra.
qui hesterno die Reginæ nomine iuit ad inuitandum Aman ad conuiuiũ. Quę mandata dũ illi detulit, atque nuntiauit, quibus rogo blanditiis? submissis ac mellitis verbis? quæ sinissimis adulationibus vsus non fuerit? Vix verò labi cœpit Aman, cùm illũ omni impetu supplan-

supplaotauit,& de furca præcipitem dedit. Nec fuerit huic facto dissimile quod de Aulicis Regis Achab, 4 Reg. 9. 33. siue Regioæ Iezabelis eius vxoris dicitur 4. Reg. 9. 33. Nimirũ cùm Regi Iehu recenter regnũ aucupanti Iezabel cõpositâ ac fucatâ ad nouam pulchritudinẽ formâ, io fenestra, suis aulicis comitata occurreret, eumq́ue cũ offensione alloqueretur, ipse indignabundus ipsismet Regioæ famulis qoi ei adstabãt, præcipitem ipsam è fenestra dari iussit: nec vlla ioexecutiuoe mora: *& præcipitauerunt eam: aspersusq́ est sanguine paries.* Gasp. Sanch. Quæ verba sic ibi expendit P. Gaspar Sanchez. *Quod illi fecerunt statim eo impetu, vt Iezabelis sanguine parietes resperserint.* In parietem videlicet ioclioarum ingenti impetu irrueotes. Caueat ergo ab amicis, ex præfatorum parietum exemplis Regius Admioister, & à domesticis attendat, ne quantum io se fuerit, status sui ioclinationem vel è vestigio odoreotur.

Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Quid? quod & magni omnino animi est, quæcumque acciduor aduersa silentio premere, & hic potissimum locum habet, quod alicubi dixit Georlis Va- Val. Max. lib. 3. lerius Maximus. *Longanimiter scin aduersis gerere, quid aliud est, quàm sauentem fortunam pudore victam in sui adiutorium conuertere.*

Ad eadem verba,

Non habitauit in medio domus meæ, qui facit superbiam.

Ad obtundendos inuidiæ stimulos nihil opportunius in Regio Administro esse, quàm humilem, & modestum sese omnibus exhibere.

ADNOTATIO XXIV.

1 EST quidem tam de materiali, qoàm de politica ædificandi ratione oraculum: *Qui altam facit* Prou. 16. 17. *domum suam, quærit ruinam.* Prouerb. cap. 16. vers. 17. & verò cùm id siue ad eos, qui opes suas, & fortunas in immensum cumulant, siue ad illos, qui mentis elatione superbas, & insanas moles attollunt, ab Interpretibus referatur, in Regis familiaribus regiam gratiam indesinenter promouere studentibus, & oullum finem potentiæ suæ assignantibus potissimum etiam locom habet. Velle enim apud Principem omnia posse, perinde fuerit, ac ruinam quærere, siue ad mortem per proprius pedes ire, sicuti quidem aiebat ille.

Plaut. in milite glorioso.

Non tu scis, cùm ex alto puteo sursum ad summum ascenderis,

Maximum periculum inde ab summo ne cadas.

Quòd si huic nimis promouendæ in altum domus discrimini, aliqua omnino ratione occurri potest, noo aliunde quàm à fundamenti firmitate, ab humilitate inquam, atque modestia præsidia paranda sunt. *Nam qui hoc fundamentum rectè iecerit, poterit in quantam voluerit altitudinem* (fideiussore Chrysostomo hom. 25. io Chrysost. Gen.) *structuram excitare*: quippe. *Hæc maxima est munitio, hæc murus inexpugnabilis, hæc turris inconcussa, hæc omne continet ædificium, non sinens ipsum vel à ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel ab spirituum vi deiici, sed omnibus insidiis inaccessum facit, & inuictum quasi ex adamante constructum esse.* Hæc Chrysostom. Quæ Principis familiari omnino accommodes: dum enim ipse innumeris inoidiæ, odij, æmulationis, atque malignitatis telis obnoxius vndequaqoe est, in humilitate quidem, atque modestia inexpugnabilem murum habet, ipsa enim vna est, quæ ferocientes inoidiæ spiritus frangit, ac acutissimos æmulatioois stimulos obtundit, & rebus alioqui fluxis, atque fragilibus firmitatem, & stabilitatem parat. At eoim quòd virtutibus soleaot affinia vitia subesse, non possumus, non ipso in limine ex Isidoro Pelusiota disertissimo Isid. Pelus. virtutum arbitro admonere, de vera atque germana humilitate, non de politica, & assentatoria animi demissiooe, quæ hypocrisi plena, & hamata est, sermonem oos instituere. Audi illum Aulicos hac de re ita monentem lib. 3. epistola 222. *Animi moderationi, optimo viro studendum est. Per moderationem autem non assentationes, & blanditias maioribus adhibitas: sed demissionem ad inferiores, non seruilem affectum, sed lenitatem, ac morum facilitatem non hypocrisi plenam, sed simplicem, & ingenuam cauponariæq́ artis ignaram intelligo.* Quid verò hæc sibi velint, quid ve germana humilitas à Regio Administro, siue in verbis, siue in rebus, siue in ipsis etiam cogitationibus efflagitet, opportunè diffundit Basilius. Basilius Magnus oratione *de humilitate:* ad hunc modum. *Vide ne in sermone arrogantiam vsurpes sophisticam, neque dictionem ostentes superbam, ac grauem, sed in omnibus splendore, ac magnificentia deerrabas: comis erga amicum, mansuetus erga domesticum, patiens erga temerarios: humanus erga humiles, patronus afflictis, inuisens in dolore constitutos: denique neminem contemnens: suauis in appellatione, alacer in responsione, dexter, & officiosus vniuersis, neque tua ipsius celebrans encomia, neque alios, qui hoc faciunt subornans, neque inhonestam de proximo famam admittens, & virtutes tuas, ac prærogatiuas, quantum fieri potest, obtegens.* Hæc ille.

2 Iam vt ad firmitatem, quæ regiæ gratiæ fastigio ab humilitate venit, accedamus: videbis id in solidissima mundi constitutione, quæ non aliunde, quàm à demissiooe censetur. Sanè io illis Domini verbis apud Matthæum cap. 25. vers. 34. *Percipite regnum,* Matt. 25. 34. *quod vobis paratum est à constitutione mundi.* sicuti obseruatum à Paschasio est, Græcè habetur, *à dispositione* Paschas. *mundi:* qood ipse sic diffundit. *Porrò quod in Latino:* à coostitutione mundi, *in Græco habet:* à dispositione mundi. *Non enim hoc verbum constitutionem sonat, sed significantius id quod deorsum iacitur in fundamentum significatur, & in inferiorem locum mittitur de sublimi.* En quod deponitur, qood deorsum iacitur, quod demittitur: eadem depositionis voce constitutum, atque stabilitum dici, quasi idem omnino fuerit, demitti, siue humiliari, atque firmum, & stabile reddi, nec super alias *bases* orbem seipso qoidem volubilem, quàm super profundissima depositioois fundamenta fuisse solidatum: nam Augustino auctore serm. 10. August. de Verbis Domini, dum premit illa. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*: Matthæi cap. 11. vers. 29. Matt. 11. 29. *Quantam quisque vult & disponit superimponere molem ædificij, quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fundamentum*: vnde quasi cum Regio Administro loquatur, addit. *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis.* Quam etiam ad rem eadem Domioi verba sic expendit Vrbanus Vrba. PP. PP. in metaphrasi in Psalm. 50. *O humilis celsitudo, quàm verè si voluisses, dicere potuisses, discite à me fabricari Auroram, & Solem, vel totam fabricam huius mundi, &c, sed quia potentior est solidissima humilitas, quàm ventosissima celsitudo, ideirco tu humilitatis doctor egregius potiùs dicere voluisti* Discite à me *nascente, moriente, prædicante, miracula faciente*, quia mitis sum, & humilis corde. Pende illud: *potentior est solidissima humilitas*, vt videris ab illa firmitatem, & soliditatem fluxis rebus aduenire. Quæ quidem Regio Administro opportunè aptaueris ex vinculis Iosepho in Ægypto impositis de quibus Ps. 104. 18. noster Vates Psalm. 104. vers. 18. *Humiliauerunt in*

compe-

compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius donec veniret verbum eius. Et statim. *Misit Rex, & soluit eum Princeps populorum, & dimisit eum: constituit eum Dominum domus suæ, &c.* Vt dixerit, quò ille opportunus magnitudini, & regiæ gratiæ fastigio idoneus esset, opus fuit ærumnis priùs carceris premi, vt de carcere tamquam de fornace purgatissimum aurum exiret: Benè quidem, sed cur Dauid, & pedum signatè meminit, & hos à compedibus humiliatos fuisse dixit, qui aptiùs dixisset afflictos, aut constrictos? Sanè vt indicaret humilitatem esse regiæ fabricæ fundamentum, & vt pedes humani ædificij bases dicuntur Cantic. cap. 5. verf.13. & Actuum 3. verf.7. opportunè ibi humilitatis præsidium, & firmamentum fuisse constitutum: vt ab illa Regius Administer firmiter, & securè in regia gratia figeret pedem. Hæc omninò adnotante ad ea verba Ambrosio libro de Ioseph ad hunc modum. *Iactum est humilitatis fundamentum, sine quo res magnæ, ac diuinæ vlli iustorum datæ vnquam à Deo non fuerunt. Humiliatus in compedibus virtutem humilitatis didicit, infirmitatem repudiauit.* Ac si dixerit: firma iam, nec ruinæ obnoxia tanta fabricæ celsitudo permansit, aliàs dubio procul tamquam ruinoso innixa fundamento ruitura.

Cant. 1.13. Act. 3. 7. Ambros.

3 Cui sanè instituto pulchram emphasim habent illa Samuëlis ad Saülem Regem verba 1. Regum cap.15. verf.17. *Cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es:* siue vt significanter vertit Pagninus: *Cùm paruulus esses in oculis tuis, caput tribuum Israël fuisti.* Vbi si attendis, Saülis humilitas iusta imagine cum oculi pupilla componitur. Quid enim fuerit in oculis suis paruulum esse, quàm velut oculi pupillam, quæ adeò est perexigua, vt *nihil aliud sit* (vt docet Augustin. libro de quantitate animæ cap. 14.) *quàm quoddam punctum oculi se æstimare.* Sed enim hinc nihil tutius, nihil magis sollicitè custoditum homine modesto, & humili esse deprehenditur, dicente Dauide Psalm. 16. verf.8. *Custodi me, vt pupillam oculi,* in quæ verba Ambros. lib.6. in Exameron cap. 4. inquit: *Tutum auxilium postulans Propheta ait:* custodi me vt pupillam oculi, *vt protectionis diuinæ fieret ei tam sollicita, & tuta custodia, quàm pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est.* Et verò, scitè idem Augustin. & Cicero libro 1. de natura Deorum adnotarunt, non aliunde pupillæ hanc tantam securitatem quàm à paruitate, dum vix acu signari, compungive potest, aduenire. Quò etiam ad præfata Psalmi verba Genebrardus ipsummet pupillæ nomen ex Hebræa voce *Bath*, qua filia puppa significatur (consonat etiam, & Hispanum vocabulum *niña*) opportunè retulit, ac si dixerit Vates: *Custodi me tenerrimè, & maximè sollicitè.* Nam qua non cura, quo non labore, & studio nobilis filia paruula custoditur? puellulus quidem domo egredi, & in plateis ludere sinitur, at pupillæ, nec pedem quidem domo efferre permittitur. Vnde apud Salomonem ei, quæ interrogauerat. *Soror nostra parua, & vbera non habet, quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* Sic omninò respondetur. *Si murus est (supple ei) ædificemus super eum propugnacula argentea, si ostium est (ei) compingamus illud tabulis cedrinis.* Canticor. cap.8. verf.9. Ergo humilis seipso securus est, nec alia tutiori, quàm humilitatis custodia eget: Audi Chrysostomum homil.21. in epist. ad Romanos. *Nihil humilitate potentius, petra est fortior, & adamante solidior, & in maiore nos securitate collocat, quàm queant, vel turres, vel vrbes, vel muri: Vt igitur in solida simus petra fundati relicta arrogantia humilitatem sectemur.* Ita ille.

1. Reg. 15. 17. Pagnin. August. Psal. 16.8. Ambros. Cicero. Genebrar. Cant. 8. 9. Chrysost.

4 Iam verò vt nouerit regius Administer, non generis claritudinē, non egregias animi dotes, non pulcherrimas virtutes inuidiæ, atque malignitatis stimulos frangere, imò potiùs acuere, sed vnam humilitatem esse, quæ irruentium hostium insidiis, atque furori, velut inundanti fluuio, firmissimum aggerem opponat, videat quæso sanctum Iobum, vt iustitiæ veræ cultorem, rigidumque satellitem, ac vniuersæ vitiorum, siue impiorum cohorti infensissimum inimicum, ac proinde, qui apud Deum gratia plurimùm valeret, ita ab aduersario per inuidiam quotquot telis eius potuit malignitas excogitare, lacessitùm, dum priùs omnia sancti viri bona sinistrè interpretati, & internam illius mentem, & intentionem certis mendaciis, fictisque calumniis criminari aggressus est, subinde verò omnes suarum virium aculeos aduersus eius res, familiam, corporisque valetudinem omninò excussit. Verum enimverò cumprimùm ille humiliatus, atque demissus in sterquilinio consedit: dira hostis inuidia, quæ nisi extremo hominis exitio satiari non posse videbatur, vndequaque constitit, & velut armis fractis deuicta est, egregiè id obseruante S. Paulino epistola 10. ad Seuerum, vbi cùm dixisset. *Quam bonum, & vtile ad culturam salutis huiusmodi stercus sit, docemur in beato Iob, qui postquam sedit in stercore, tentari destitit.* Subiicit. *Consumpserat enim tentatoris inuidiam humilitate perfecta.* Pulchrè quidem, atque verissimè, nihil enim æquè hostis inuidiam consumit, ac humilitas: quod ad hanc, velut ad rupem marini fluctus, omnes illius stimuli confringantur: cur enim humilem, atque demissum hominem insequatur inuidia? Cur malignitas insectetur? languet ad humilitatem illius furor, obstupescunt, atque hebetantur dentes. Quòd si ipsiusmet diaboli inuidiam consumit humilitas, cuius non liuorem exarmabit? Ne ergo egregiis operibus, siue virtutibus absque humilitate fidat Regius familiaris, quasi in illis satis virium, atque munimenti aduersus æmulorum inuidiam, atque malignitatem habeat: illi quippe dæmonis instar non dubia tantùm, sed ipsamet bona in malum interpretantur, & maledictis insectari non cessant, sic enim de superbis Ecclesiasticus c. 11. verf. 33. *Bona enim in mala conuertens insidiatur, & in electis imponit maculam.* Sed egregia animi demissione, & humilitate se communiat, vt inuidentiam certa victoria superet. Sic sanè Velleius Paterculus, vt Seianum Tiberij familiarem Aulicæ vitæ maximè gnarum faciat. *Actu* (inquit) *otiosis simillimum fuisse, semperq́; infra aliorum æstimationes se metientem.* Cui omninò erat adsimilis ille Theodorici Administer de quo præced. adnotat. ipse dicebat. *Cùm potestatis nostræ gratia ditaretur, morum magis laude contentus mediocribus se potiùs exæquabat.*

S. Paulin. Eccl. 11. 33. Velleius. Cassiodor.

5 Benè quidem hæc nouerat Dauid, qui Psalmo 34. verf.16. de infensissimis sibi hostibus agens dicebat. *Ego autem, cùm mihi molesti essent, induebar cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.* Sed pende singula, & primùm cùm pro illis verbis: *cùm mihi molesti essent*, seu *cùm me infirmarent* (vt est apud Hieron.) Hebraicè ad verbum habeatur, *in infirmari illos*: id est, cùm illi infirmarentur, & ægrotarent, meritò ambigitur, quî hæc inter se consentiant? siue qua ratione idem esse possit hostes infirmari, & infirmare? Respondent verò acutè nonnulli, eam Dauidi molestiam, siue infirmitatem non ab aliis, quàm ab inuidis inferri: hanc autem inuidiæ naturam esse, vt æquè inuidum, ac eum, cui inuidetur infirmet, atque excruciet: nam

Psal. 34. 16. Hieron.

Inuidus alterius rebus marcescit opimis.

Iam inuidiæ telis non nisi humilitatis clypeo obuiam se ire, sic subiicit Dauid *induebar cilicio*, externa videlicet humilitatis insignia abiecto dignitatis splendore ferens: id enim cilicij indumentum significat, quippe in Hebræo est, *Vestimentum meum saccus*: sed nec

nec iis humilitatis fignis contentus pergit. *Humiliabam in ieiunio animam meam*: in quæ verba August. (Auguſt.) *Nullum* (ait) *maius, nullam melius negotium eſt in tribulatione, quàm recedere ab eo ſtrepitu, qui foris eſt, & ire in interiora mentis ſecretaria, &c. aduerſus extrinſecus illatam moleſtiam oſtium claudere, humiliare ſeipſam in confeſſione peccati.* Quæ etſi de humiliatione coram Deo ab Auguſtino dici videantur, ad humiliationem etiam coram hominibus, quæ ad amoliendam, & ſuperandam inuidiam plurimum valet, non abs re retulerit eo ſenſu, quo de Saluſtio Criſpo dicebat Corn. Tacit. (Corn. Tac.) lib. 5. Annalium. *Cui quò vigor animi ingentibus negotiis par ſuberat, eò magis, vt inuidiam amoliretur, ſomnum, & inertiam oſtentabat.* Ad quæ verba ſapienter adiecit bonus Scholiaſtes Iuſtus Lipſius ciuilis doctrinæ apprimè gnarus. (Iuſt. Lipſ.) *O hominem verè ad Aulam!* qui videlicet ſe accuſare potius quàm laudare, & aliis ſubmitti, non præferri ſtudet. Ita quidem de illuſtri viro Nepotiano dicebat Hieronym. epiſtola ad Heliodorum. (Hieron.) *Nepotianus primam curam habuit, vt humilitate ſuperaret inuidiam, inter coæquales primus in opere, extremus in ordine.* Vbi & ego meliori iure exclamem, *ô hominem verè ad aulam!* qui in obſequio primum, & in honoribus extremum ſe facit.

6 Sed illud quidem huic rei fuerit perquàm opportunum, quod de inclyto illo Germanico Tiberij Cæſaris filio, & imperio deſtinato idem Tacitus lib. 2. Annalium refert, noluiſſe videlicet illum in trophæis, quæ ob egregias de populi Romani hoſtibus relatas victorias in Germania erexit, nomen ſuum inſcribere, quod belli ducibus iure licet, ne iactata rectè facta aliorum excitarent inuidiam. Audi illum. (Corn. Tac.) *Poſt ingentem victoriam congeriem armorum ſtruxit ſuperbo cum titulo. Debellatis inter Rhenum, Albimq; nationibus, exercitum Tiberij Cæſaris ea munimenta Marti, Ioui, & Auguſto ſacrauiſſe. De ſe nihil addidit metu inuidiæ.* Et quidem ſapienter: nam vt de obuelata facie, quam adnotat. at. n. 5. exornauimus, Tertullianus lib. de veland. virginibus (Tertull.) cap. 5. vt illam aduerſus liuidos, & faſcinantes oculos muniret, eleganter inquit. *Quis enim audebit oculis ſuis premere faciem clauſam? faciem non ſentientem, faciem (vt dixerim) triſtem?* cùm tamen eo ipſo quod ſe ſe illa pandat, & de pulchritudine ſua glorietur, inuidiæ oculis premi, ac faſcinari, neceſſe ſit. Videris hinc quàm grauis, quamque adulabundus Mamertinus Iulianum (Mamert.) deſertorem nondum totum Imperium adeptum aduerſus Aulæ inuidos defenderet: conquerebatur enim imprimis Panegyriſtes ille, ſuum Iulianum non modò ſine cauſa, ſed etiam iniuſtè laceſſitum, dum ab æmulis, quò fratri ſuo inuiſus foret, per ornamenta ferirebatur, ait enim: *Et cùm ſancti Principis merces, atque inſitata falſarum opinionum, vituperationum licentiam ſubmouerent, callido nocendi artificio accuſatoriam diritatem laudum titulis peragebant, in omnium conuenticulis quaſi per beneuolentiam illa iactantes. Iulianus Alemanniam domuit, Iulianus vrbes Galliæ ex fauillis, & cineribus excitauit, æſtates omnes in caſtris, hyemes in tribunalibus degit, &c.* Subiungitque multò peius, ineuitabiliuſque his telis per laudes, & ornamenta iactis illum fuiſſe tranſfixum, quàm ſi vitiorum probris confictis appeterentur. *Hæ voces* (inquit) *fuerant ad inflammanda odia probris omnibus potentiores, ſi enim comminiſci aliqua flagitia tentaſſent, facilè ipſo ſplendore laudis, & gloria refutarentur, inuenerunt accuſandi genus, quod nullus refelleret*: vnde tandem concludit, nullum quidem huic malo potuiſſe à Iuliano adhiberi remedium, cùm non poſſet ille pulcherrimam virtutum faciem eo modo corrumpere, quo pulcherrimus ille caſtitatis amator Spurina, ne fœminarum animos in ſui amorem excitaret, oris pulchritudinem inflictis vulneribus fœdauit: ſed & id ab illo audi: *Nobilem Etruriæ adoleſcentem*

A *ferunt, cùm propter eximiam formæ dignitatem multarum in ſe fœminarum amores excitaret, faciem ſuam ad obliterandam pulchritudinem vulneribus ſauciaſſe. Sed facile fuit iuueni dignitati corporis decorem animi præponenti, & candorem decolorare, & oris nitorem altè impreſſis cicatricibus deuenuſtare. Nam aliquid aduerſus hunc eximium amorem facere debuit Iulianus. at ne potuit quidem: niſi fortè exiſtimamus patientes vulnerum formas eſſe virtutem. Scilicet & candorem æquitatis potuit obumbrare, & à temperantia purpuram ſancti ruboris abolere, vicem fortitudinis indignis confodere vulneribus, eruere oculos prouidentiæ.* Hæc omnia Mamertinus ad faciem quidem ſpecioſè, ſed re ipſa vaniſſimè, & inefficaciter: Quid enim ipſe conqueratur? Iulianum ob egregiam virtutum pulchritudinem ineuitabili inuidiæ, & odio fuiſſe obnoxium, cùm eas ille virtutes, & in bello fortiter geſta aſſiduè iactaret, & inanis gloriæ cupidiſſimus fuerit? qui vel

B ab ipſo Ammiano Marcellino in re Iuliani nimie (Ammian. Marcel.) prono lib. 25. *Vulgi plauſibus lætus, laudum etiam ex minimis rebus intemperans appetitor* dicitur; & eò arrogantiæ, ſiue amentiæ progreſſum fuiſſe ſcribit è Socrate in hiſtoria Eccleſiaſtica Cardin. Baron. tomo. 4. ad annum (Socrates. Baron.) Chriſti 363. vt putaret ex Pythagoræa animarum tranſmigratione Alexandri Magni animam in ſe tranſmigraſſe, ſeque in altero corpore eundem Alexandrum exiſtere. Non ergo illi opus fuit, vt inuidiam effugeret, virtutum formas abolere, aut indignis confodere vulneribus, ſed humilitatis velamine contegere, & ad inſtar Germanici, *de ſe nihil dicere metu inuidiæ*: fuiſſet enim ipſi id verum pro galea, & clypeo *aduerſus ſuſurros, & æmulationem, ipſum quoque liuorem*, vt aiebat iam adductus indidem Tertullianus.

7 Nec ineptus ero ſi ſuperbi Pharifæi, & humilis Publicani hiſtoriam Domino apud Lucam cap. (Lucæ 18. 11.) 18. verſ. 11. aſſertam huc inflexero: dum ille quotquot animi dotes habebat, ſiue quæcumque perficiebat

C virtutis opera ſic iactanter publicabat. *Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus: Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo.* Contra verò Publicanus, ſeſe arguere, damnare, percutere vix ceſſabat: quippe *à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori.* Quale verò de vtroque Dominus iudicium tulerit, audi. *Dico vobis deſcendit hic iuſtificatus ab illo in domum ſuam.* Ac ſi dicat, Publicanum ad meam Aulam, & in meum familiarem aſſumpſi, Pharifæum è domo mea exterminaui. Sed quare? *Quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Iam vniuſcuiuſque cauſam breuiter pende cum Auguſtino homil. 44. ſanè dum ille (Auguſt.) Phariſæum audit: ſic exclamat. *O diuitem exinaniendum!* Quam autem ob cauſam? *Quia totum te habere dixiſti*: id eſt, qui quod habebas totum iactaſti, & virtutum formas nullo obiecto velamine videndas propoſui-

D ſti. Itidem verò ad Publicanum voce clamat Auguſtinus. *O eſurientem bonis implendum!* qui videlicet infra alienum æſtimationes ſe metiebatur, & errata ſua prius quàm quidulle bonum oſtentabat. *Quis verò* (Tertull.) *audebit oculis premere faciem clauſam, faciem non ſentientem, faciem (vt ſic dixerim) triſtem?*

Ad ea verba,

Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum.

Regius familiaris, quòd apud suum Principem gratiâ plurimùm valeat, Principis subditos ardenti amore prosequitur.

ADNOTATIO XXV.

1 NVLLA quidem in re, Principis familiaris, quam erga eum charitatem, pietatem, & obseruantiam habeat, clarius, & opportunius demonstrabit, quàm si illius subditos forti ac tenero amore complexus fuerit: præsertim cùm ea lege suam in ipso Princeps gratiam, & beneuolentiam collocet, vt eam ipse in illos transmittat. Sanè cùm Helisæus in Heliæ locum, & illustrem quam ille apud Deum gratiam habebat, se videret successisse, vnico non contentus spiritu duplicatum à Deo & petiit, & obtinuit. *Obsecro* (inquit) *vt fiat spiritus tuus duplex in me.* 4. Regum
4. Reg. 2. 9. cap. 2. vers. 9. De Dei videlicet spiritu, & charitate sermonem faciens. Quid (inquis) duplexne Spiritus sanctus fuerit? Non opinor, dicente Salomone Sa-
Sap. 7. 22. pient. 7. 22. *Est enim in illa spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus.* Quo ergo modo duplicatum exposcit Helisæus Dei spiritum? Planè quòd nosset, eum qui apud Deum gratia valet, illumque vehementius diligit, non posse, non homines qui eius subditi, & amici sunt, necessaria etiam ratione diligere, ac proinde duplicatum illi amorem adesse, quo Deum, & homines prosequatur, opus fore. Sic hæc acutè adnotante Venerab. Galfrido in allegoriis Gotfridi Tilmani.
Galfrid. *Non quia in se est diuisus spiritus, sed quia in munere suo, vel opere duplicatur: vnus est enim spiritus, per quem charitas diffunditur, ea tamen in amorem Dei, & proximi deriuatur: nec adesse credendus est vnicus ille spiritus, vbi duplex non inuenitur: cùm enim in se ipso sit simplex, in nobis nunquam fieri poterit nisi duplex.* Et quidem meritò, vel ea omnino ratione, quod Principe sibi subditos egregiè amante, vt proprio loco vidimus, eius familiaris, qui eum impensè diligit, non possit non amare quod ille amat: verissimè quippe illud à Synesio dictum videtur: idem
Synesius. prorsus in amicitia, atque in Mathematicis thesibus euenire, vt *quæ sunt eadem vni tertio, sint eadem inter se.*

2 Nec me temperem, quin antequam vlteriùs progrediar, & multiplici id testimonio firmauerim, appositum appingam ex Ioanne Euangelista exemplũ à sancto Petro Damiano in serm. 63. qui est de Ioan-
Petr. Dam. ne egregiè expensum. Quis enim homines teneriùs, ardentiùs, fortiùs illo ex ipsius epistolis dilexisse constat? Audi Petrum Damianum. *Vnde diuinitus illi concessum est, vt tanta cor eius etiam circa fratres charitatis gratia repleretur, vt sacrosanctum corporis eius templum velut* D *caminus quidam diuini videretur incendij. Quod profectò in quibuslibet scripturis eius patenter agnoscitur, in quibus vtiq; per omnem ferè paginam, quasi per quasdam rimas charitatis vapores effundere, charitatis videtur ardoribus æstuare: modò enim patres nominatim ad charitatem prouocat, modò non filios, sed filiolos, quasi tenerè diligens, appellat; modò propriis ætatum vocabulis infantes, modò iuuenes, modò singillatim admonet adolescentes, modò etiam mulieribus epistolas destinat, easq; ad cautelam fidei, & studium sinceræ dilectionis inuitat.* Pergit plus plus eximiam hanc Ioannis charitatem omni modo, & ratione sic explicans, & adornans. *Sic itaque inenarrabili charitatis ardore succensus huc, illacq; se vertens, vndiq; circumiens, vndiq; discurrens omnia ad salutem hominum genera concitat, omnia ætatum incrementa perlustrat, omnes humanæ conditionis ordines oculo curiosæ sollicitudinis inuestigat, & tanquam Argos*

A *vniuersalis Ecclesiæ factus totius humani generis summam vlnis paternæ dilectionis amplectitur.* Hæc omnia tum multa, tam egregia in Ioannis laudem Petrus Damianus. Iam si inquiras qua ratione impulsus, siue etiam compulsus Ioannes tanto ardore in omnes Christi subditos, etiam in eos quos nec de facie nouerat, ferebatur? Erátne vniuersalis ipsorum Pontifex, atque Pastor, qui de singulis esset ratione muneris rationem redditurus? Minimè quidem: Quo ergo stimulo ad diligendum pungebatur? Planè quod is esset, *quem signatè diligebat Iesus*, Ioann. cap. 21. vers. 20. qui vide- Ioan. 21.
licet illustri illius gratia potiebatur, plurimomque 20.
apud eum poterat, ex que de causa non posset non homines amare, qui à Domino eorum amore amabatur, sic id indidem adnotante Petro Damiano: Pet. Dam.
Amor quippe Domini, quo eum præ cunctis mortalibus dilexit, hoc ei pondus fraternæ dilectionis exhibuit, vt nimirum plus amaret, qui plus amabatur, & qui primus erat in Redempto- B *ris amore, præcipuus in fraterna fieret charitate.* Opportunè. Pende illud. *Hoc ei pondus fraternæ dilectionis exhibuit.* Quod bifariam commodè acceperis. Vno modo, vt pondus perinde sit ac amor, dicente Augustino, *Amor* August.
meus, pondus meum: vt sensus fuerit, Dominum qui sibi Ioannem in intimum familiarem elegit, duplicatũ ei spiritum dedisse: vt quò ei vicem rependeret, non solùm ipsum, sed suos etiam amaret. Altero, vt pondus pro onere: siue (vt vsitato ad hanc rem vocabulo vtar) pro pensione beneficij sumatur: quasi ea illum lege Dominus signatè, & præcipuo amore diligeret, vt ipse homines Christo subditos non secus, ac si sui essent, peculiari amore prosequeretur. Vt hinc videris gentilem illum Titum Vinium Galbæ Imperatoris familiarem, quem apud Cornelium Tacitum lib. 1. Corn. Tac.
histor. Otho sic incusabat. *Minore auaritia, aut licentia grassatus esset Titus Vinius si ipse imperasset, nunc & subiectos nos habuit tanquam suos, & viles vt alienos:* adeò regij C familiaris locum, & munus non impleuisse, vt tam ab eo, quàm à charitate in Principem quamlongissimè iuerit, quippe qui à Principe plus amabatur non aliter vicem poterat rependere, nisi Principis subditos plus amaret, nec vt alienos, sed vt suos foueret, atque complecteretur.

3 Enimverò idemmet Ioannes, qui hanc doctrinam exemplo primùm suo egregiè firmauit: verbis etiam mirè confirmat: etenim primum epistol. 1. Ioann. cap. 2. vers. 9. cùm dixisset: *Tenebræ transierunt, &* 1. Ioan. 2.
verum lumen iam lucet. Subiicit: *Qui dicit se in luce esse, &* 9.
fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc. Sed quomodo? *vsque adhuc:* cùm dixerit tenebras pertransisse, & diuinæ lucis, siue cognitionis splendorẽ oculis mortalium iam irradiasse? Sanè quod qui eos quos Christus sic dilexit, vt pro iis mortem subierit non diligit, non videatur ipsummet Christum aliqua ratione cognouisse, etenim si illum agnouisset, & vt decet æstimasset, non potuisset, non etiam hominem ei maximè charum diligere: sic id explicante Oecumenio.
Nam non potest in luce Christi esse, & ad Christum pertinere, Oecumen.
qui eum pro quo Christus mortuus est, odit. Sed enim opportuniùs se, & enucleatiùs ipsemet Ioannes explicat eadem epist. cap. 4. 7. dum ait. *Charissimi, diligamus nos* 1. Ioan. 4.
inuicem, quia charitas ex Deo est, & omnis qui diligit, ex 7.
Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est. Vides vt Dei notitiam & cognitionem ad charitatem in fratrem reuocet Ioannes? & ea quidem ratione: *quoniam Deus charitas est*, quod videlicet homines perpetuò diligat, & charitatis brachiis tenerrimè complectatur, ac proinde is illum nosse censeatur, qui eius in homines charitati occurrens, eosdem etiam diligat: is eum non nosse videatur, qui ab hominum dilectione abhorret. Quo sanè modo hunc locum pensitauit Caietanus: Caiet.

etenim cùm acutè interrogaſſet, cur non dixerit Ioannes. *Qui non ſcit, non nouit Deum, quoniam Deus ſcientia eſt: qui non ſapit, non nouit Deum, quoniam Deus ſapientia eſt. Qui non poteſt, non nouit Deum, quoniam Deus potentia eſt.* Sed ſingillatim. *Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas eſt.* Benè reſpondet, non quidem inſtitui à Ioanne ſermonem de Deo in ſeipſo, ſed vt ad creaturas refertur. *Primum autem, & præcipuum diuinum erga nos actum, eſſe dilectionem, qua in charitate perpetua dilexit nos.* Et verò vt hæc ratio à nonnullis, quaſi minus accurata oppugnetur, quòd nec Dei ſcientia, aut potentia eſſe, ſiue concipi queant ſine reſpectu ad nos, tamquam ad obiectum talium attributorum, nec Amoris actus nos reſpiciat, niſi priùs etiam reſpiciat actus ſcientiæ practicæ, optimè tamen vt Ioannis verbis, & inſtituto apta ſubſiſtit. Pulchrè ſiquidem aſſeritur eum qui proximum non amat, Deum, qui totus eſt charitas ſeſe in hominum ſalutem effundens, B non agnoſcere: cùm, ſi ipſum cognouiſſet, non poſſet non adhærentem illi charitate hominem non amare.
1. Ioan. 4. 20. Iam hæc eodem cap. 4. verſ. 20. ſic iterum firmat Ioannes. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem*
Chryſoſt. *ſuum oderit, mendax eſt.* Quæ ſic illuſtrat Chryſoſt. ſiue Auctor operis Imperfecti in Matthæum homil. 42. *Sicut in imagine ſua Rex honoratur, vel contemnitur, ſic & Deus in homine, vel diligitur, vel oditur, ſicut ait Ioannes:* Qui dicit ſe Deum diligere, fratrem autem non diligit, mentitur. *Quis enim honorat Regem, & contemnit eius imaginem?* Sic ille.

4 Adſtipulatur non leuiter huic cogitationi Do-
Matt. 18. 10. minus illis in verbis apud Matth. cap. 18. 10. quibus ea omnino ratione puſillos non contemnendos monuit: *Quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, qui in cælis eſt.* Sed quæ, rogo, vis huic rationi ſubſit? quæve hæc conſecutio fuerit, vt quod Angeli faciem Dei ſemper videant, ad protegendos homines inuolaturi ſint? C Nonne facilior illa ratio, ne contemnerentur fuiſſet, quod ſub tutela Angelorum eos maximè diligentiũ forent? Minimè quidem, nec potuit aliquid elegantius, aut accommodatius dici: nimirum Angeli Dei faciem videntes, eodem oculorum iactu homines in *abſcondito illius* protectos, vt inquit Vates Pſalm. 30.
Pſal. 30. 21. verſ. 21. quos ſcilicet Deus in oculis ferat, id eſt vnicè diligat, clarè vident. Vnde iis, qui Deum vehementiùs amant, & ipſius familiares ſunt, perinde fuerit, videre hominem lædi, & iniuriam pati, ac *Dei pupillas*
Zach. 2. 8. *compungi* (Zachariæ c. 2. verſ. 8.) Quî ergo tunc Angelus ad ſuppetias ferendas, & ad pœnam de hoſte iniuriam inferente non inuolet? qui hominis cauſam cum Dei cauſa coniunctã videt, qui Dei faciem in homine violari, ſiue hominem in Dei facie iniuriam pati cernit? Opportuniſſimè ergo infert Dominus puſillos minimè fore contemnendos: *quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris:* D ſimul innuens cæleſtes ſpiritus, quòd Deum videant, & ipſum impenſiùs diligant, & ab eo eximio amore diligantur: & apud ipſum plurimùm poſſint, homines ipſi charos vehementer amare, & in ipſorum auxilium certatim accurrere. Ita quidem pio, & religioſo Principi Conſtantino cum impiis Maxentio, & Licinio pugnanti Angelicas cohortes ambitioſo quodammodo conatu in auxilium veniſſe, ſic eius Panegyriſtes Nazarius à nobis alibi in
Nazarius. hoc libro adductus commeminit. *Flagrabant verendum neſcio quid vmbone corniſci, & cæleſtium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant, vt tui crederentur: hæc ipſorum ſermocinatio, hoc inter audientes ferebant, Conſtantino imus auxilio. Habent profectò, & diuina iactantiam, & cæleſtia quoque tangit ambitio. Illi cælo lapſi, illi diuinitùs miſſi gloriabantur, quòd tibi militabant.* Sed obſerua cautè illa, *habent & diuina iactantiam, & cæleſtia tangit ambitio,* ne vt ſonant acceperis, ſed vel eo ſenſu, quòd A adeò ardenter cæleſtes illæ mentes, ſtrenuéque ac diligenter in ferendo illi Principi auxilio ſe geſſerint, ac ſi ambitione, cuius ſtimulus acerrimè pungit, tangerentur; vel etiam eo ardore Angelos ad ſuppetias ei ferendas, quem in Dei facie videbant inuolaſſe, vt ea de re ambitiosè quodammodo contendere viderentur.

5 Fuerit verò illud in hanc rem obſeruatione digniſſimum, quod de Iacob à ſeipſo omnino diſſimili, & maximam hinc mutationem ſuſcipiente legimus. Quid enim primum eo aduerſus fratrem ſuum primogenitum Eſau durius? quid pugnacius, atque contentioſius? qui illum vel in ipſo matris vtero ſupplantauit? qui primogenita tulit, qui benedictionem clanculum aſtu ſurripuit. *Iuſtè* (inquit Eſau Geneſ. cap. 27. Gen. 27. 36.
verſ. 36.) *vocatum eſt nomen eius Iacob: ſupplantauit enim me altera vice, primogenita enim mea antea tulit, nunc ſecundò ſurripuit benedictionem meam.* Quid verò ſubinde ipſo erga eundem met fratrem ſubmiſſius, lenius, vrbanius, atque modeſtius, ſeſe, & ſua illius pedibus ſubiiciente? Audi ſcriptorem ſacrum Geneſ. cap. 33. verſ. 1. Gen. 33. 1.
Eleuans autem Iacob oculos ſuos, vidit venientem Eſaü, & ipſe progrediens adorauit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater eius. Et ſtatim cùm de filiis Iacob, quinam eſſent, interrogaret Eſaü: ſic ille reſpondit. *Paruuli ſunt, quos donauit mihi Deus ſeruo tuo, & appropinquantes ancillæ, & filij earum incuruati ſunt. Acceſſit quoque Lia cum pueris ſuis, & cùm ſimiliter adoraſſent, extremi Ioſeph, & Rachel adorauerunt.* Vidiſti Iacobi modeſtiam, humilitatem, ſubmiſſionemque erga fratrem? vide etiam liberalitatem, & extremæ ſeruituris ſigna? *Si inueni* (inquit) *gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis, ſic enim vidi faciem tuam, quaſi viderem vultum Dei: eſto mihi propitius, & ſuſcipe benedictionem, quam attuli.* Iam verò quis hîc optimo merito non ambigat, quid C tam validum, & forte intercedere potuerit, quod durum, & impenetrabilem Iacobi animum ſic inflexerit, atque emollierit, ſiue potiùs fregerit, atque domauerit? Itáne deſeritur, quod in lacte, ſiue etiam in materno aluo ebibitur? Sic exuitur diuturna, & perpetua conſuetudo? Verumenimverò, ſi quid inter vtrumque tempus interceſſerit, attendas, ſiue quid Iacobo contigerit paulò antè quàm tanta comitate, & benignitate fratrem ſuum fuit allocutus, facili ſolutione præfatam dubitationem opprimes. Nimirum præualuerat Iacob Angelo Dei perſonam gerenti, hoc eſt intimus Dei familiaris, qui apud eum gratia plurimum poſſet, iam euaſerat, Deique faciem prout mortali fas eſt, fuerat intuitus, ipſomet affirmante. *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.* Geneſ. cap. 32. verſ. 30. Iam, qui Dei familiaris, & Ad- Gen. 32. 30.
miniſter erat, eiuſque faciem conſpexerat, quomodo non alius ab eo qui antè fuerat, mitis, comis, atque D beneficus in fratrem eſſet? Amor quippe Domini, quo eum dilexit, hinc ei pondus fraternæ dilectionis exhibuit, vt plus amaret, qui plus amabatur, acutè id excogitante atque obſeruante Hieronymo ad cap. 2. Hieron.
Nahum, dum ſub hoc ſenſu capit ea Vatis verba verſ. 2. *Quoniam auertit Dominus contumeliam Iacob.* Etenim cùm ſubdubitaſſet, vtrùm actiuè, aut paſſiuè ea Iacob contumelia accipienda foret, reſpondiſſetque. *Sed mihi videtur, melius eſſe, vt contumelia, quam Iacob ſolebat cæteris facere, à Domino ſit auerſa. Non enim tanta virtutis eſt ab aliis factam iniuriam ſuſtinere, quanta gratia Domini eſt, placidum, mitem, atque tranquillum iniuriam facere non poſſe.* Subiicit opportunè pro re noſtra: *Quæritur, quomodo auerſa ſit iniuria Iacob, ſicut auerſa fuerat, & Iſraël. Poſtquã luctatus eſt Iacob cum Angelo, Iſraëlis nomen meruit accipere, & quia vidit Deum, iniuriam facere ceſſauit.* Vides quomodo is, qui gratia apud Deum præualet, & in eius faciem intendit, non poſſit non etiam in-

feuſiſ-

fenſiſſimum ſibi hoſtem diligere, & molli affectu A complectitimò ipſum vt Dei affinem, & quem ille in facie,& in oculis ferat,omnino reuereri? vt regi familiaris inſigne hinc capiat documentum, teneri ſe ex munere ſuo,& Regia gratia illatas ſibi,antequam illa potiretur,iniurias liberaliter condonare, & quia faciem Principis ſubditos ſuos in oculis ferentis vidit, iniuriam iis facere ceſſare.

6 Sed illud huic rei videtur opportunius, quod ex Domini verbis, & factis Petro oues ſuas committentis deſumitur. Nam ſi attendis, primùm ei Dei Filius Eccleſiam ſuam ob egregiam fidei confeſſionem ſic promiſit. *Beatus es Simon Bariona,quia caro,& ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus,qui in cælis eſt. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. verſ. 17. [Matt. 16. 17.] Subinde verò ob ardentem in ipſum dilectionem repetitis interrogationibus examinatam, eandem ſub gregis imagine ipſi ſic tradidit. *Diligis me plus his? Paſce oues meas.* Ioann. B cap.21. verſ.17. [Ioan. 21. 17.] Et verò plura hic non immeritò ambigis, primùm cur priùs ob Diuinitatis confeſſionem, poſtea verò non niſi in dilectionis præmium oues Petro fuerint commiſſæ? deinde, cur oues Petro traditæ, non ipſius Petri, ſed Domini eſſe dicantur: cùm ea ratione Petrus non tam paſtor, quàm mercenarius eſſe videatur, iuxta ipſiuſmet Domini regulam. *Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propria.* Ioan.cap.10. verſ.12. [Ioan 10. 12.] Tandem quæ hæc conſecutio fuerit: *Si diligis me, paſce oues meas*: cùm illa videatur opportunior, quæ interrogationi, & examini de dilectione ouium factæ, ſic inniteretur: ſi oues diligis, paſce illas: hinc enim fiet vt ipſarum bono perpetuò, & ardenter inuigiles, & pro illis agere, & pati fortia non dubites: his planè dubitationibus facilè obuiam iueris, ſi aduerteris, nullam Petro ad conſulendum ſubditis,& pro illis dura quæque toleranda efficaciorem obiici potuiſſe rationem, quàm quæ ex fide, & C charitate in Chriſtum deſumitur: nam qui illum, *Deum Filium* optimè, & quaſi de facie nouit, eumque à ſe ardentiſſimè amari profeſſus eſt, neceſſaria inde ratione ad homines maximè diligendos potentiſſimo affectionis impetu rapi debuit. Sic hæc vnico verbo premente Chryſoſtomo homil. 70. in Matthæum. [Chryſoſt.] *Diligere Deum, diligere proximum eſt: Nam ſi diligis me ò Petre, inquit, paſce oues meas.* Quæ homil. 87. in Ioannem, ita diffundit. *Tanquam negationis obliuiſceretur, fratrum curam ei committit, negat negationis meminit, neque exprobrat tantùm dicis: Si amas me, fratrum curam ſuſcipias, & quam mihi in omnibus dilectionem oſtendiſti, & quâ delector, nunc oſtende, & animam, quam pro me poſiturum dixiſti hanc pro ouibus meis trade.* Hæc Chryſoſtomus. Vt iam hinc mirandum non fuerit, ipſaſmet Petri oues, ſuas enim ipſe amore etiam fecerat, notanter à Domino proprias oues fuiſſe appellatas, vt ad eas con- D fouendas acriori Petrus ſtimulo compungeretur, quàm ſi ipſiuſmet Petri eſſe dicerentur. Quid enim ille ardentiùs amaret, quàm quod in Dei facie, eiuſque oculis infixum intuebatur? quo modo non pro iis vitam,& ſanguinem profunderet, quos Dominus oues ſuas appellauit: imò & fecit, dum Eccleſiam ſanguine ſuo acquiſiuit? Efficaciori ergo ratione quod Chriſti Domini oues eſſent, ad eas paſcendas ſtimulatus eſt Petrus, quàm ſi ſuæ dicerentur, imò verò tunc maximè proprias dicere debuit, vt illas omni modo diligeret, quando Domini ſui eſſe cognouit. En optimum Adminiſtrum, & fidelem Principis familiarem, qui ſecùs quidem ac Titus ille Vinius Galbæ familiaris, Regis ſui ſubditos charos habet vt ſuos, ſubiectos, vt alienos.

P.Velaſquez in Pſal. centeſimum.

Ad eadem verba,

Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat.

Optimus Regis Adminiſter regiæ gratiæ ſplendorem, & commoda non vni ſibi vult, ſed inter cæteros partitur.

ADNOTATIO XXVI.

1 PRINCIPVM gratiam in ipſorum familiaribus collocatam ad plura ſiue virtutis, ſiue beneficentiæ opera perficienda omnino opportunam eſſe, rectè dicebat Petrus Bleſenſis epiſtola 150. à nobis iam adnotat. 1. adductus, in hæc verba. [Petrus Bleſen.] *Scio, quia ij, qui in regiæ familiaritatis ſacrarium admittuntur, multa facere poterunt, & dicere quibus pauperum neceſſitas ſubleuetur, foueatur religio, fiat æquitas: Eccleſia dilatetur.* B At enim ſi benè æſtimas, frigidius dixiſſe viſus eſt: *multa facere poſſunt, & dicere*, cùm omnino dicendum fuiſſet, cuncta facere tenentur, & dicere. Quid enim fuerit, Principis Adminiſtrum, & intimum familiarem eſſe, niſi veluti beneficam, & ſalutarem Petri vmbram, partitum Regia munus tam publicæ vtilitati proſpiciendi, quàm ſingillatim dona, & beneficia in ſingulos diſtribuendi in ſe ſic ſuſcepiſſe, vt in eo Princeps perpetuum publicæ ſalutis, clementiæ, benignitatis, & beneficentiæ admonitorem habeat? nimirum, vt indidem ex Zabud Regis Salomonis Adminiſtro adſtruximus, Regius familiaris tum ſacerdos, tum Princeps, munerum, ſiue largitionum ſignatè dicitur, quod per ipſum & facilis ſubditis ad Regem aditus pateat, eorumque ſupplicationes, ac vota innoteſcant, & certa à Rege ad ſubditos beneficia, largitiones, munera, honoreſque perueniant: ergo vt Sacerdos ſibi ſoli C non viuit, nec ſoli ſibi Deum conciliat, nec ſuis ſolùm vſibus profuturas preces dirigit; ſed omnium potiùs, & ſingulorum hominum ſalutem ob oculos habens, pro ipſis diligenter, ac ſollicitè Deum adit, ſic illorum res, & negotia curans, vt ſua aut non curet, aut minus curet, id enim totus terrarum orbis Sacerdotali veſti inſculptus, ſiue intertextus omnino ſignificabat dicente Salomone: *In veſte enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum.* Sapient. 18. 24. [Sap. 18. 24.] vt totum videlicet orbem ſuis humeris geſtans eius omnino res ageret: ita Regius familiaris tunc dignè cenſebitur priuatus, cùm priuatus non fuerit, id eſt, cùm non priuatam, ſed publicam perſonam omnium bono, & commodis dicatam geſſerit, egregiam illam hinc adepturus laudem, quam Gallioni fratri eadem de cauſa tribuit Seneca lib. 4. quæſt. natural. [Seneca.] *Nemo mortalium vni tam dulcis eſt, quàm hic omnibus*: ſic ad id loci, vt iam vidimus, obſeruante P. Pineda his verbis. [P. Pineda.] D *Hac ſi Principes Regibus familiares & proximi præſtent, Sacerdotum honorificentiſſima appellatione condecorabuntur: ſin minus, longiſſimè aberunt à ſimilitudine, & dignitate Sacerdotum, atque Regum, Regniq; negotia non digno, & diuino, ſed humano, & indigno tractabuntur modo.* Benè quidem, & omnino ad mentem ſummi Principis, Adminiſtrum ſuum in dilectione erga homines eo modo examinantem, vt primùm charitatem, deinde iterum charitatem, tandem charitatem exegerit: Ioannis cap. 21. verſ. 16. [Ioan 21, 16.] iis interrogationibus hunc ſtimulum tacitè, & ſuſpenſa oratione ſic inſerente Bernardo in Sermone de tribus ordinibus Eccleſ. *Meritò ſiquidem interrogatur, an charitatem habeat piſcator hominum conſtituendus.* Vbi (ſi attendis) emphaticè nominis, atque muneris piſcatoris meminit Bernardus, vt innueret, non alium piſcatoris officio idoneum fore, quàm qui priuata ſui dilectione ſeſe exuerit, nec ſimplicem quidem, ſed dupli-

 catam,

casam, & triplicatam, hoc est, omnimodam (eò enim ternarius numerus it, de quo alibi egimus) erga alios charitatem habuerit: ne videlicet sibi intentus regiã gratiam in propria cõmoda deriuet, sibique soli honores, & munera eapiscetur; sed se sibi eripiente ad omnium vtilitatem, & bonũ ipsam conuertat, regia munera, & dona aliis piscari studens; vti Polybium Claudij Imperatoris familiarem ea ipsiusmet Cæsaris munere, ad cuius partem ille fuerat admissus, hunc in modum admonebat Seneca in consolatione ad Polybium cap. 26. *Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, sibi eripuit, & siderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet nec subsistere, nec quidquam suum facere. Ad quem itaque modum tibi quoque eadem necessitas iniungitur: non licet tibi ad vtilitates tuas, ad studia tua respicere. Cæsare orbem terrarum possidente impartiri te, nec voluptati, nec dolori, nec vlli rei potes.* Sed Cæsaris instar orbi terrarum dedicatum te iri, vt prospero illius cursui tanquam cæleste sidus prospicias, fecunditatem, & felicitatem in omnia influens, atque diffundens.

Seneca.

2 Cui sanè rei opportunè aptauit Venerabilis Gillebertus Abbas in allegoriis Gosfridi Tilmani salutarem illam piscinam, in quam Angelus adueniebat infirmis hominibus salutarem opem allaturus: sic enim Ioannis cap. 5. vers. 4. *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & quicumque prior descendebat in piscinam post motionẽ aquæ sanus fiebat.* Sed quonam modo (inquis) vnius tantùm hominis salus regiæ gratiæ, quæ in omnium bonum deriuari debet, opportunè quadret? cùm hinc potius contrarium obseruari, siue elici videatur? Respondet quidem apposité Gillebertus Abbas, eum qui in piscina hac sanabatur, signatè vnum dici, vt non tam singularitas, quæ sibi soli omnia vult, quàm charitas, quæ accepta bona aliis diuidit, atque communicat, significetur. Audi illum: *In piscina illa post aquæ motum sanabatur vnus: sed in vno illo signata est charitas, non singularitas. Post primum curatum non est dictum de piscina illa: exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea, aqua salutaris, nec vestigium maneat.* Ita Gillebertus tantùm non dicens: Sit vnus quidem Regius Administer, regiæque gratiæ, atque benignitatis, & munificentiæ particeps: sed vnus charitate, non singularitate: qui videlicet largiter, & iucundè è regiæ liberalitatis fonte bibat, sic tamen bibat, vt non in se vnum tantùm, sed in omnes diffundat, sic sibi hauriat, vt non exhauriat: immò verò à se velut canali apposita in cæteros transmittat: aliter sanè ac Sejanus ille iam Tiberij familiaritate, & gratia, quàm naufragio ad illam facto celebris, qui vnus singularitate, non charitate totum regij fauoris imbrem tam auido pectore, hiantique ore ebibebat, vt omnes præfecturas, munera, & honores non nisi sibi, suisque adipisceretur: ita id adnotauit Cornelio Tacito lib. 5 Annaliũ. *Sejani propinqui, & affines augebantur, vt quisque Sejano intimus, ita ad Cæsaris amicitiam validus: contrà quibus infensus esset, metu ac sordibus conflictabantur.*

Gillebert.

Ioan. 5. 4.

Corn. Tac.

3 Hinc quidem Paulus Petro in charitate erga subditos per omnia similis, sic illos sub sponsæ persona emphaticè allocutus dicitur Canticor. cap. primo vers. 3. *Introduxit me Rex in cellaria sua*, siue, vt est in fonte Hebræo, *in penetralia sua*: in intimam scilicet familiaritatem, & gratiam suscipiens, & secum vsque ad tertium cælum rapiens: vti hunc in modum capit hæc verba sanctus Ambrosius libro de Isaac, & anima capite tertio. *Beata anima, quæ Dei ingreditur penetralia. Talis erat Paulus, qui sciebat se raptum in Paradisum, sed siue extra corpus raptum, siue in corpore nesciebat: etenim perfectioni studens, solùm illud bonum Diuinitatis intendit, nec aliud quidquam requirendum putat, quia tenet quod summum est.* Sed quâ ratione, quâ mente, tantùm se gratiâ apud summum Regem valere, Paulus suis annuntiauerit? Num vt regium fauorem, & potentiam suam, quod à prudentibus Regis Administris procul esse debere, iam superiùs commonstrauimus, manifestam faciat, & iactet? Minimè quidem, sed potiùs, vtilis spem faciat, eam gratiæ, & fauoris copiam, siue redundantiam in eos fore deriuandam: ac si iis omnino verbis dixerit, quod 2. ad Corinth. cap. 1. vers. 3. beneuolus expressit. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos, &c. Vt possimus, & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt per exhortationem, qua exhortamur, & ipsi à Deo.* Vbi nitidissimè Lectio Syriaca: *Vt & nos possimus consolari eos, qui in omnibus afflictionibus sunt, per illam consolationem, qua nos consolatur Deus.* Innuens Apostolus eandem iter illam consolationem, quam à Deo accipit, in suorum consolationem deriuare, quin aliquam eius partem apud se retineat. Quare statim subdit vers. 6. *Siue consolamur pro vestra consolatione, siue exhortamur pro vestra exhortatione, & salute.* Nec latebat id sacræ huius Sponsæ comites, atque sodales, qui ad horum verborum prolationem statim subiunxerunt: *Exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum*: quod perinde fuit, ac si dixerint: Quod tantum apud Regem possis, magna quidem nobis gaudij, atque exultationis occasio fuerit, cùm nouerimus eum fauorem, & gratiam, quo velut lacte vbera tua turgent, & implentur, in nos omnino fore tandem diffundendum. Iam hæc omnia accipe à Bernardo serm. 23. in Cantica, sic ea verba elucidantem. *Dicat itaq; eis. Gaudete, confidite. Introduxit me Rex in cellaria sua, putate, & vos pariter introductas. Sola introducta videor, sed soli non proderit. Vestrum omnium est meus omnis profectus, vobis proficio, vobiscum partibor quidquid plus forte vobis meruero.* Pergit Bernardus. *Vis indubitanter scire, quia in hoc sensu, & affectu locuta sit. Audi quid illæ respondeant*, exultabimus, & lætabimur in te: *hoc est, æquanimiter sustinemus, dum venias, scientes te plenis ad nos reuersuram vberibus.* Vbi nun possum non obiter obseruare hæc: *æquanimiter sustinemus dum venias: scientes te plenam ad nos reuersuram vberibus.* Quibus omnino innuitur hac vna ratione Administri supra omnes eminentiam atque fastigium à suis æqualibus, quos inuidiæ stimulus acriùs pungit, patienter ferri, quod ille in regiæ gratiæ penetrale introductus plenis ad ipsos reuertatur vberibus, quidquid plus illis emeruerit, & è regiæ vbertatis fonte biberit cum ipsis partiturus: vt quod dicebat Seneca. *Nemo mortalium vni tam dulcis sit, quàm hic omnibus.*

Cant. 1. 3.

Ambros.

Corint. 1. 3.

Lect. Syr.

Bernard.

4 Aspexit huc quidem prudentissimus Samuël, cùm Dauidem cæteris fratribus præferens, Principemque cõstituens, quæsita locutione in medio eorũ vnxisse illum dicitur. Sic enim 1. Regum capite 16. vers. 13. *Et vnxit eum in medio fratrum eius*: vt ipsum videlicet admoneret, illam præ aliis excellentiam, atque fastigium, omnino adinstar pretiosi, ac suauissimi odoramenti esse debere. Sed qua ratione? Sanè vt quemadmodum pretiosum odoramentum non magis reficit, siue maiori voluptate perfundit eum, qui gestat, quàm eos, qui illi adhærent, siue circumstant: immò verò scitè dixit Plinius ad alienam potiùs, quàm ad propriam voluptatem gestari, quòd is qui secum defert, vix illius suauitatem ob assuetudinem percipiat: *Tanti emitur* (inquit ille lib. 13. cap. 3. immensum vnguentorum pretium, luxumque castigans) *voluptas aliena: etenim odorem qui gerit, ipse non sentit.* Ita prorsus ea regij familiaris eminentia æquè fratribus, siue æqualibus ac sibi proficua, & salutaris sit, simulque in omnes eius suauitas diffundatur: ita id adnotante, ad id loci Gregorio Magn. *In medio vngitur, vt se priuato amore non diligat, sed ex omni, quod præeminet lucra aliorum*

1. Reg. 16. 13.

Plinius.

Greg. Mag.

aliorum quærat. Pulchrè *in medio*, non in angulo vnctus, A
vt in omnes odoris suauitatem diffundat: nec velut
Seianus ille sui, & suorum affinium, & propinquorū
tantùm sit sollicitus. Vnde quidem cùm ipsemet Da-
uid victor è bello rediens in domum suam cum ho-
nore, & maiestate à tribu Iuda deductus fuit, quin
aliæ tribus, ac familiæ festiuæ illi pompæ interfuissent,
hanc illæ dolentes querelam adornarunt. *Quare te fu-*
2.Reg.20. 41. *rati sunt fratres nostri viri Iuda?* 2. Regum cap. 20. vers.
41. Vbi duo non immeritò ambigas: alterū, cur Rex
furatus dicatur? præsertim cùm à propria ipsius tribu,
atque familia quæ peculiare in illum ius habebat, fue-
rit deductus: alterum, cur ea interrogatio non iis,
qui Regem velut furto abstulerant, sed ipsimet Regi
facta sit? quippe ipse tunc non abs re illis respondis-
set: eos potiùs qui me inuaserunt, quàm me, interro-
gate, quis enim vnquam ab ipsa re ablata, & non ab
eo qui surripuit perquisiuit, quare furto sublata fue-
rit? Sed enim si bene æstimas, rectè tam interrogatio, B
quàm ipsemet interrogandi modus subsistunt: nimirū
vna fidelia duos illi parietes dealbare voluerunt, tum
videlicet regios familiares, tū etiam ipsummet Prin-
cipem acutè pungentes, illos quòd Regem qui om-
nium bono, & vtilitati natus est, suis tantùm vsibus,
& profectibus vendicassent; quomodo enim fur non
sit, qui quod ad commune omnium commodum, &
vtilitatem spectat, vni sibi addictum esse velit? hunc
itidem, quòd quasi in medio fratrum vnctus non fuis-
set, vnctionis suauitatem à paucis solummodo per-
ceptum iri permiserit.

5 At enim pro Dei Filio opportunissimè fideiu-
Phil.2.6. bet Paulus ad Philipp. 2. 6. inquiens. *Non rapinam arbi-*
tratus est esse se æqualem Deo. Sed semetipsum exinaniuit: vbi
dum exinanitionem ad nostros vsus, & vtilitatem (vt
Dionys. explicat S. Dionysius Alexand. in epistola contra Pau-
lum Samosatenum) rapinæ diuinitatis opposuit Pau-
lus, tantùm non dixit, adeò proprium esse diuinæ na-
turæ seipsam diffundere, vt si eam Dei Filius, qui à
Psal. 44. 7. Patre vnctus fuerat *oleo lætitiæ præ consortibus suis*. Psal.
44. sibi vni retinuisset, quin hominibus communicas-
set furti quodammodo reus fuisse videretur. Cui co-
Ad Phil. 2. 7. gitationi præter ea quæ in epistol. ad Philippens. cap.
2. vers. 7. adnotat. 9. num. 8. diximus, omnino applau-
dunt Glossa ibi, & alij expositores obseruantes, eo di-
cendi modo allusum à Paulo fuisse ad superbissimos
Luciferi cogitatus, qui Diuinitatem rapina obtinere
voluit. Sed qua quæso, ratione in superbi illius mentē
venire potuit, eam esse Diuinitatis naturam, quā ipse
furto surripere posset? Nam si de venia non nisi per-
Tertull. fectæ pœnitentiæ danda fidens, dixit Tertull. lib. de
Pœnitentia c. 6. *Furis quidē aggredi, & propositū huius rei*
asseuerationibus suis circumduci facile est, sed Deus thesauris suis
prouidet, nec sinit obrepere indignos. Quanta credis dili-
gentia Diuinitatis suæ thesauro ipsum inuigilaturum,
quin sineret obrepere indignum? Non ergo sic cape D
insanam Luciferi mentem quasi ille Diuinitatem vi,
& rapina obtinere affectauerit; sed quod celsissimos,
& quasi diuinos honores sibi datos vni sibi habere,
nec aliis communicare voluerit, scitè id adnotante
Pet. Cell. Venerabili Petro Cellensi lib. de Panibus cap. 24. in
hunc modum. *Si portionē quæ sibi competebat Lucifer mo-*
deratè exposceret, & non totam vnguenti substantiam tan-
quam musca moriens rapinâ vsurparet, fortè adhuc in odore
eius cum sodalibus sponsi viueret. Obserua illa, *& non totam*
vnguenti substantiam rapinâ vsurparet, vt diceret: noluit
quidem ille in medio fratrum vngi, sed totam sibi
vnguenti suauitatem reseruare, id verò à rapina non
fuit, cùm ea sit vnguenti natura, quę æquè circumstan-
tes, ac gestantē reficiat: nec minùs alienæ, quàm pro-
priæ voluptati inseruiat. En Dei filium non rapina
Diuinitatem obtinentem, sed oleo vnctum præ con-
sortibus suis.

6 Quare rursum de ipso Paulus ad Heb. 8. vers. 1. Heb. 8.1.
notanter ait: *Talem habemus Pontificem, qui consedit in*
dextera sedis magnitudinis in cælis. Preme verbū *consedit*,
quod omnino significat, non solum, sed simul cum
aliquo alio sedere: planè vt innuatur, eam quam ipse
in cælestibus occupat sedem, non sibi solùm esse, sed
nobis etiam omnibus communem ab eo factam. Au-
di ipsummet Apostolū sese disertissimè sub hoc sensu
explicantem ad Ephes. 2. vers. 5. *Conuiuificauit nos in* Ephes. 2. 5.
Christo, & consuscitauit, & consedere fecit in cælestibus. Vi-
des tam illum cum hominibus, quàm homines cum
illo consedentes? Sed quonam modo inquis, nos, qui,
dum sumus in corpore peregrinamur à Domino, simul cum
illo tam *consedere* dicimur? Equidem quòd ipse non
rapinam arbitretur esse se æqualem Deo in consessu,
sed suæ gloriæ ac sedis fratres suos velit esse participes,
vti S. Cyril. Alexand. in cap. 14. Ioannis sic adnotat. S. Cyril.
Sedet apud Patrem vt Filius, vt nos per ipsum filij Dei redda-
mur, propterea Paulus, in quo Christus loquebatur, omnia quæ B
ipsi propria vt bona fecit, generi humano communia esse docet
dicens: Consuscitauit nos, & consedere fecit in cælestibus.
Pulchrè illud. *Sedet apud Patrem vt Filius, vt nos per ipsum*
filij Dei reddamur. Sed quæ, inquis, hæc consecutio fue-
rit? Quod ipse sit filius, & vt filius sedeat, nos etiam fi-
lios futuros, & tanquam filios consessuros fore? Sanè
quòd ipse quā primogenitus in multis fratribus, &
eorū maior totā quam accepit vnguenti substantiā,
rapinā vsurpare non debeat, sed fratres suos illius so-
cios, & participes facere, atque eam ipsis in conuiuiū
apponere; ita quidē ab Scriptore Sacro adnotatū est è
filiis Iob eum qui natu maior erat, cæteros fratres
conuiuio excipere solitum fuisse: sic enim Iob 1. vers. Iob. 1.18.
18. *Filiis tuis, & filiabus vescentibus in domo fratris sui primo-*
geniti: quod pulchrè expendit ibi Olympiodorus in Olympiod.
Catena Græca Comitoli hunc in modum. *Conuiuium*
verò exornat, cùm alium extructorem fratrem natu maiorem
fuisse confirmat. Vt dixerit, opportunum quidem, & C
ornatissimum illud fuisse conuiuium, quod filius pri-
mogenitus aliis fratribus lege magnitudinis adactus
exstruebat, ne sibi vni paternam substantiā retineret.

Ad ea verba,

Non adhæsit mihi cor prauum.

Regius Administer, siue quia aliis, siue quia sibi bonus est, nemini iniuriam infert.

ADNOTATIO XXVII.

1 PROCVL omnino à Regis Administro sit, vlli mor-
talium iniuriam, damnúmve inferre, tum quòd id
fuerit potestate abuti, siue à muneris sui dignitate
quamlongissimè ire: & dum pro salutari, & benefica
Petri vmbra, opem, & vitam omnibus dante, exitia-
lem, & veluti *nouercam* vmbram (vt inquit Plinius lib. Plinius.
17. cap. 12.) sese exhibent, tum vel maximè quòd ni- D
hilo melius sit iniuriam inferre quàm accipere? fit
enim sæpenumero (vt est in Prouerbio) *vt qui fragili*
quærit illidere, dentem infringat solido: vnde quidem ad
hunc scopulum quamplures è Regiis familiaribus
impegisse, atque infelicissimum fecisse naufragiū om-
nino nouimus: Et vt adnotationem hanc præcedenti
attexam, & fidem ibi datam liberem: vide qua verbo-
rum asperitate Dominus intimos suos familiares,
Iacobum, & Ioannem supremas ab ipso sedes peten-
tes locutus fuerit: dum illis apud Marcum c. 10. vers. Marc.10. 41.
41. dicentibus. *Da nobis vt vnus ad dexterā tuam, & alius*
ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua: respondit: *Nesci-*
tis quid petatis: ac si dicat, est hæc petitio inconsulta, &
temeraria. Sed quare? Nonne & illi paulò antea à
Domino audierant cum ipso in regno suo fore sessu-
ros? Quid ergo inconsiderantiæ, aut temeritatis ha-

 buit,

boit, proximiores Christo esse velle, & in consessu cælesti eiuslateri viciniùs hætere? maximè cùm ipsi eam ob causam ipsius calicem animosè & fortiter bibituros fuerint polliciti: Respoodet Domions: *quia non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Paschas. Ad quæ verba Paschasius lib. 9. in Matthæom inquit. *Ex quo insinuat, nihil ei fuisse impossibile, neque in dando difficile, sed qualitas petitionis difficultatem genuit poscentibus.* Sed vnde difficultas? cùm nec à Domini potestate, nec à discipulotum meritis id fuerit alienum? Planè quòd illi noua, qua apud Christum Dominum gratia valebant innixi, promissione sibi facta oon contenti, Moysi, & Heliæ, quos paulò ante cum Domino io monte ad dexteram, & sinistram illius stantes viderant, augustiorem eum locum præripere vellent: ita Hilarius. hæc acutè monente Hilario canone 20. iu Matthæũ. *Dominus collaudans eorum fidem ait, martyrio quidem eos secum compati posse, sed vt laua eius, ac dextera assiderent, aliis à Deo Patre fuisse depositum, & quidem quantum arbitramur, ita honor iste aliis est reseruatus, quod tamen nec Apostolis ab eo fuerint alieni. Et quantum sentire ex ipsis Euangeliis licet, in regno calorum Moyses, & Helias assidebunt. Nam cùm spopondisset Dominus visuros quosdam de Apostolis antequam mortem gustarent filium venientem in regno suo, assumptis Petro, & Iacobo, & Ioanne apparuit cum gloria sua habitu, Moyse, & Helia in monte comitantibus.* Hæc Hilarius. Ac si ex ipsius sensu iis verbis, *non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*: dixerit Dominus: Cur vos quod mei familiares sitis, datas iam à Patre meo sedes conuellere, & vobis habere velitis? *Nescitis quid petatis.* Quò non importunè aduoces, quod alibi ex Seneca de bono Imperatore Augusto attulimus, egregia videlicet illum animi magnitudine ooluisse Lepidum tum infensum sibi inimicum, tum Pontificatum maximum qui Augusto debebatur, iniuriâ retineotē de medio tollere, ne aliquem suo spoliare videretur. Seneca Etenim cùm ille lib. 1. de Clementia cap. 10. dixisset: *Ipsum Lepidum quamdiu mori passus non est, per multos annos tulit ornamenta Principis retinentem, & Pontificatum maximum nonnisi mortuo illo transferri in se passus est.* Subdit. *Maluit enim illum honorem vocari, quàm spolium.* Pulchrè tam ad Principum, quàm ad ipsorum familiarium institutionem, quòd ab ipsorum conditione, & dignitate sit alienissimum eos quos muneribus, & honoribus ornare debent, adeptis bonis spoliare.

a Sed vt redeam ad Prouerbium, *sæpe qui fragili quærit illidere dentem, infringit solido*: audi quid de Ephraim Osea 5. 11. dixerit Oseas cap. 5. vers. 11. *Calumniā patiens est Ephraim, fractus iudicio.* Pagnin. Quæ ex Hebræo sic legit Pagninus. *Oppressus est Ephraim: fractus duro iudicio*: sed qua ratione oppressus? quomodo calumniā passus est? Occurrunt LXX. LXX. reponentes: *Oppressit Ephraim aduersarium suum, conculcauit iudicium.* At quæ hæc antilogia, & lectionū non modò varietas, sed etiā contradictio fuerit, vt eadē sententia Ephraim opprimi, & opprimere, frangi, & frangere: calumoiam pati, & calumniam adornare dicatur? Verumenimverò ea præfato tibi prouerbio respondemus, nullā inibi antilogiam, nec seotentiarū contrarietatem reperiri, sed eam iniuriæ naturā esse, vt supra ipsum qui illam infert, recidat, atque adeò opprimere, opprimi, & iudicium conculcare, nihilo melius quàm iudiciū, eoque duro frangi sit, scitè id Theophyl. ibi innuente Theophylacto dū explicat. *Porrò Ephraim malam victoriam reportauit*: tantùm non dicens, malam esse victoriam, quæ iniustè reportatur, quòd à victoris ruina, & excidio nec hilum differat, dum potentior quærens fragili dentem illidere, infringit solido: sed id iam siue iu vmbra, siue in historia ipsismet oculis vide. Porrò cùm aliquando è duro naufragio in Melitam Paulus euasisset, & accenso igne à frigoris inclementia, sese defendere vellet, è sarmentis *vipera*

A (inquit Lucas Actuum 28. 3.) *à calore cùm processisset, inuasit manū eius.* Act. 28. 3. Addit Lectio Syriaca, *& momordit eum*: Lect. Syr. sed quæ fragili quæsiuit dentem illidere, infregit solido: nam Paulo *nihil mali passo*: infelix bestiola in ignem excussā concremata fuit, malam planè victoriam reportans, quæ calumniam intentans, calumniam passa est, pulchrè id adnotantibus Oecumeoio ibi, & Oecum. Theodor. Theodoreto quæst. 18. in Genesim his verbis. *Itidem vipera quæ dentes iniecerat in manum Apostoli, cùm nihil peccato tenerum, aut molle in eo reperisset, mox resiluit, & in ignē se coniecit, supplicium quodammodo de se ipsa sumens, quod corpus sibi nullatenus conueniens adorta esset.* Ac si dixerit, dum quæsiuit fragili dentes illidere, infregit solido. Vidisti vmbram? vide historiam iu oostro illo Aluaro de Lona toties ad Aulæ casus in exemplum proposito: iode eoim illi extremæ cladis causa, quod Petri Stunicæ Placentiæ Comitis perniciem per vim, & Mariana. B fraudem molitus est, rem sic narrante P. Mariana lib. 22. cap. 12. *Petrus Stunica Placentia Comes, se Begiare ditionis oppido continebat, publico in ea temporum colluuione abstinens. Id Aluarus odium interpretatus eius perniciem molitur. Garsias Albani filius è Petrasita, quæ arx vicinis locis sita est, prædas agere non desistebat, paterna iniuria, quoniam vinctus tenebatur, vindex. Aluarus eius obsidendi consilium dat, improuisò etiam Placentia Comitem occupaturus sic animus erat. Numina quod parabat alii exitium in eius caput vertunt. fraus fraude petita, Haro Comes, Santillanus Marchio Placentia Comitis suasu factâ conspiratione in Aluari necem coniurant.* Nec omittendum è eodem Scriptore Aluarum hac via ad interitum per proprios pedes euntem, subinde immaniter ab ipso extincto Alfonso de Biuero, iter præcipitasse. Quod quidem ipsummet Biuerum cùm è fenestra iu præcipitium dabatur ei C inclamasse nouimus: quippe dixit, *en teipsū perdis.* Nec abnuit ipsemet Aluarus: dum ferox respondit: *vt me perdidero, tu salutem non videris*: & verò quod in Aluaro de Luna vidimus, iudem in Cardinali de Frias apud eundem Marianam lib. 20. cap. 14. & in Seianis, & Plautianis, siue priscis, siue recentioribus obseruare haud difficilè possis: qui tunc maximè calumniā passi, & duro iudicio fracti sunt, cùm aduersarios suos conculcato iudicio oppresserunt.

3 Sed id ab Oraculo accipe apud Oseam 6. 8. *Galaad ciuitas operantium idolum supplantata sanguine*: Osea 6. 8. vbi benè pro dilucida loci intelligentia adnotatum à Ribera iu Hebræo esse præpositionem *min*, iuxta quam legi debet *supplantata à sanguine*, vt sensus sit, impiam illam ciuitatem ab ipsomet sanguine quem effuderat in extremum exitium fuisse deductam, eadem omnino sententia, ac Salomon, cùm de sicariis per fraudē, & dolos vitæ, & facultatibus aliorum insidias adornantibus Prouer. 1. 16. dixisset: *Pedes illorum ad malum* Prou. 1. 16. & 18. D *currunt, & festinant, vt effundant sanguinem.* Subiicit vers. 18. *Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas*: & eadem supplantationis imagine Prouerb. 11. 3. *Supplantatio peruersorum* Prou. 11. 3. *vastabit eos*, & cap. 13. 6. *Iustitia custodit innocentis viam:* Prou. 13. 6 *impietas autem peccatorum supplantat.* Quibus omnino concinit egregia illa Plinij de humano sanguine obseruatio cap. 34. *A ferro sanguis humanus se vlciscitur, con-* Plinius. *tactum namque eo celerius rubiginem trahit*: quasi alios interimens ferrum seipsum interimat, quod paulò ante etiam præmiserat inquiens: *Obsistit eadem natura benignitas exigens ab ferro ipso pœnas rubigine eademque prouidentia nihil in rebus mortalius faciente, quàm quod infensissimum mortalitati.* At enim tam Oseæ, quàm Salomonis verbis sub supplantationis imagine peculiaris illa subest emphasis, qua innuitur, vim, & iniurias, quibus potentes, vt potentiores euadant, alios volunt opprimere, in ipsos tandem atque ex improuiso recidere, quemadmodum cùm io palæstra luctatur vi alium opprimere

opprimere cogitans, opposito pede, siue implicatis cruribus ab illo incautus deiicitur: scitè eum Oseæ locum ex præfata similitudine sic expendente P.Sancto: P.Sanct. *Iure populus supplantatus appellari potuit à sanguine, quia effusus sanguis, aut crepta facultates, aut alia vitia, qua securitatem, & otium fallaci blandimento promittebant, in extremum exitium perpulerunt.* Dixit iam id disertissimè Eccl.cap.27.28. Eccl. 27. 28. pulchris vsus similitudinibus ad hunc modum: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet, & plaga dolosa dolosi diuidet vulnera. Et qui foueam fodit, incidet in eam, & qui statuet lapidem proximo, offendet in eo, & qui laqueum alij ponit, peribit in illo; facienti nequissimũ consilium, super ipsum deuoluetur, & non agnoscet, vnde adueniat illi.* Hæc omnia Sapiens. Quia verò singula euoluere, siue elucidare non vacat: contenti erimus si quæ piscium exemplo proposito in hanc rem monet Ambros. Ambros. appinxerimus. Ergo ille lib. 5. Examer. c. 5. cùm de piscium vita prædæ aliorum exposita dixisset: *Sanè nec ipsi à suis potentia euasere violentiam, & auaritia potentiorum subiecti vbiq; inferiores sunt. Quò quisque infirmior, eò prada patet. Minor apud illos, esca maioris est, rursus ipse maior à validiore inuaditur & fit esca alterius prædator alieni. Itaque vsu venit, vt cùm ipse alium deuorauerit, ab alio deuoretur, & in vnum ventrem vterque veniat, cum deuoratore proprio deuoratus, fitque simul in vna viscere præda, vindictaque consortium.* Hæc ad nostrum institutum, & mores sic omnino transfert: *In signum dati, vt in his nostrorum morum vitia videremus, & caueremus exempla, ne quis potior inferiorem inuaderet, daturus in se potentiori exemplum iniuriæ. Itaque qui alterum lædit, sibi laqueum parat, in quem ipse incidat.* Pergit monens: *Et tu piscis es, qui viscera inuadis aliena, qui demergis infirmum, qui sedentem persequeris vsque in profundum, Caue ne dum illum sequeris, incidas ipse in validiorẽ, & deducat te in alienas insidias, qui suas vitat, priusq; tuam spectet ærumnam, qui te persequente propriam reformidabat.* Hæc omnia opportunissimè Ambros.

Matth. 8. 29. 4 Hinc apud Matth.8.29. Dæmones illi *saui nimis*, qui transeuntes per viam opprimebant, tum in sepulchris habitabant, tum etiam Domino illuc venienti notanter dicebant: *Venisti huc ante tempus torquere nos*, planè quod qui aliis infert iniuriam adeò vitæ suæ tempus imminuat, vt veluti viuens sepeliatur, scitè id inibi obseruante Petro Chrysol. Chrysol. serm. 16. his verbis: *Tempus abscindit, præuenit mortem, sepelit viues crudelitas immatura.* Nimirum impietas peccatorum supplantat, & qui festinant, vt effundant sanguinem, ipsi contra sanguinem insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas. Chrysost. Ita quidem Chrysost. de Absalone patri mortem intentante eleganter aiebat homil. de Absalone tom 1. *Perdidit Absolan scelestissimus mentem, perdidit sensum, amisit consilium insectatus patrem, vsurpat imperiũ, regnum inuadit.* Sed iure à Chrysostomo perquiras: cur potiùs dixerit, Absalonem mentem, sensum, & consilium, quàm pietatem, iustitiam, & pudorem perdidisse, cùm patrem insectari, impium potius, & parricidiale, quàm amens consilium fuerit? Explicat sese verò sic statim Chrysostom. *Perdidit inquam, Absalom consilium dum parricidio cupit mercari imperium, & per exitium patris consequi desiderat regnum.* Sed rursum quare per exitium patris regnum consequi, facinus consilij expers, & non potiùs nefarium, atque teterrimum fuisse dicatur? *Quia festinat* (inquit ille) *patrem opprimere rem, patre superstite moriturus.* Pulchrè, vt dixerit: O infeliciter amens, qui dum patri insidias moliris nihil melius facis, quàm vitæ tempus abscindere, & tuam præuenire mortem, vt patre superstite viuus sepeliaris. Ambros. Bene ergo monebat Ambros. *Caue ne dum illum sequeris, incidas ipse in validiorem, & deducat te in alienas insidias, qui tuas vitat, priusq; tuam spectet ærumnam, qui te persequente propriam reformidabat.* Nec omittenda, quæ postremum adducta Siluri præpotentis piscis similitudine, potentioribus, & magnæ dignitatis viris suggerit, quòd Absaloni quercui illigato omnino cõueniant: ait igitur Ambros. *Captus est Silurus, & inutilis præda detecta est. Quanti in eo reperiuntur, qui alias deuorauerant, &c. Vide ne idem te, qui piscem illum sinu inueniat, hamum caue, caue retia. Sed præsumis de potentiâ, quòd nemo tibi possit resistere: præsumebat & Silurus, quòd hamum nemo sibi iaceret, nemo retia tenderet, & si incidisset, vniuersa disrumperet, & tamen fuscinam non euasit, aut nexus vinculi validioris incurrit, quibus se non posset exuere.* Hactenus Ambros.

5 Ergo non minùs timenda potentiori aliena iniuria, quàm sua, cùm sua omnino sit aliena, quæ in caput suum tandem recidit: id quod malum illum iudicem Pilatum minimè latuit, cùm Dominum non iure, sed Iniuriâ damnaturus vehementer timebat: etenim clamantibus accusatoribus: *Nos legem habemus, & secundũ legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*: inquit Ioannes, *Cùm audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.* Ioan. Ioan. 19. 8. 19.8. Sed cur iudex timuit? & cur tunc magis timuit (nam & timere, reorum est, non iudicum, & tunc ipsi minus videbatur timendum, cùm legum reuerentia, & grauius rei facinus ob oculos proponebatur.) Subsistit tamen Pilati timor & grauior quidem timor: innuente Ioanne illum eum primùm Christi innocentiam cognouit, non minus timuisse mortis in eum sententiam ferre, ac si in semetipsum foret laturus: quippe qui nosset, malam esse iniuriam, quæ tandem in facientis caput recidit: tunc verò instante condemnationis articulo, non vtcumque timuisse, sed quasi ad ipsammet mortis faciem in illum irruentem cohorruisse: hæc ita adnotante magno Athanasio sermone in Passionem, & Crucem Domini, Athanas. his verbis: *Timuit igitur iudex reum suum, & magis quàm ipse rem videbatur condemnari, metumq; in se hominis condemnati sensit, atque ipsemet suam in Christum, quasi in se latam sententiam cohorruit.* Scitè illud *metum in se hominis condemnati sensit*: præsentissimas pœnas iniuriâ, quã inferebat, de ipso sumente dum è iudice illum reum faciebat. Sed enim amentiores & malitiâ multo magis occæcati illi erant, qui absque metu, & tremore Domino tunc illudentes, spineam in capite coronam, & arundinem in dextera eius ponebant: sic enim apud Matthæũ cap. Matt. 27. 29. 27.29. *Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius.* Proh amentiam! proh cæcitatem! quid enim ea corona, ea arundo per iniuriam Christo delata portendebat, quàm eos inde Domino iniuriam sustinenti iudicandos, & neci addicendos sese subiicere, & iudiciariam, siue regiam vindicandi potestatem ei tradere, simulque calamum in manu ponere, quo lethalem in ipsos sententiam conscriberet? Sic id perstringente Chrysost. Chrysost. hom. in sanctum Pascha tom. 6. *Dederunt calamum in manu, vt peccata eorum conscriberentur*: vnde de ipsis rursum indidẽ Athanasius inquit: Athanas. *Cæca enim malitia est, & animi prauitas, vt quæ non intelligat, ipsam suas contra se manus acuere, veluti si quis serpentem manu apprehendat, vt alteri iniciat: quod fieri non potest, quin ipse prius mordeatur, aut si quis ignẽ manu sumat, vt hostem lædat, interim non animaduertat, seipsum comburi; ita ipsa malitia contra sui vsurpatores militat, eosq; qui ipsam tenent, magis quàm illos in quos noxam parat consauciat.* Firmat id Pharaonis, & Goliath historiis subdens: *Ita quoque Pharao valens capere, captus est; & exorsus persequi, persecutionem passus est, & necem moliens submersus est. Ita & Goliath quibus armis Dauidem inuadebat, detruncatus est, & spoliare destinans, spoliatus est.* Hæc omnia Athanas.

6 Nec pigebit huc iterum referre vlulantem in Abelis sanguine mortem, cuius supra lib. 4. adnotat. 6.num.10. meminimus. Nimirum vbi nos habemus: Genes. 4. *Vox sanguinis Abel fratris tui clamat ad me de terra.* Sanctus

S. Ephrem. Moyses Barcepha. ctus Ephrem citante Moyse Barcepha lib. 1. de Paradiso legit: *Vlulat mors in suo interitu.* Sed cur mors ipsa, & non potiùs mortuus vlulet? cùm illa interficiens insultet, opprimat, victria euadat; hic deficiat, opprimatur, cadat? subiicit Ephrem, *ostendens quem sit habitura finem:* ac si dicat: Quia malam quidem victoriam reportauit: dum in morte, quam intulit, foammet mortem vidit: non aliom quidem habitura finem, quàm illum quem ipsa innocenti imposuit: vnde non modò metum in sui hominis condemnati sensit, atque ipsamet suam in Abel quasi in se latam sententiam cohorruit, sed etiam tanquam iam moriens vlulauit: quid sibi futurum esset ex proprio facto discensidixeris suoè habuisse id ob oculos Ruizius ille Daualos tâ splendida Magistri equitum dignitate, amplaque ditione, quàm naufragio ad regiam gratiâ facto celebris, qui cùm exul & profugus, miserâ, & pudendâ sorte apud Valentinos degeret, Aluaro de Luna in eius dignitaté, & locum suffecto, tetomque omnilû potienti suo nomine dici mandauit: *Fuimus quod estis: eritis quod sumus:* Dictum factum; quid? erâtne Daualus Propheta aut Prophetæ filius? Non opinor, sed qui coniiciebat se ab Aluaro in præceps datum, illum in suo casu violantem, & sententiam in semet ferenté considerabat.

Ad eadem verba,

Optimi Regij familiaris esse: excandescentem Principis animum, placatum, & mansuetum reddere.

ADNOTATIO XXVIII.

1 SCITE Polybio apud Claudium Imperatorem omnia valenti, id munus tribuebat Seneca: *Vt per ipsum periclitantium, & ad misericordiam Cæsaris peruenire cupientium lachrymæ exsiccarentur*, hoc est, vt ipse Principis animum ira in fontes inflammatum lenire, ac demulcere studeret, sicuti apud Cassiodor. lib. 1. epist. 43. de familiari suo Attemidoro dicebat Rex Theodoricus: *Blandus alloquio, supplicantium fidelis patronus, accusare nesciens, commendare præsumens.* Quod non modò veræ, & magnæ potentiæ, hominis scilicet magnanimi, & se pro fastigio suo dimetientis, imò Deitatem æmolantis, proprium id fit, quippe *Deus est mortali iuuare mortalem, & fessis rebus subuenire*, vt millies ex Plinio diximus: sed peculiari quidem ratione ad Regiom familiarem id spectet, qui inter subditos, & Regem medius, siue mediator, & benignus interpres, siue etiam Sacerdos ad placandam eius iram, & impetrandam veniam (vti in superioribus adnotationibus diximus) esse videtur. Quod visus est probare Theodoricus Rex apud Cassiodor. lib. 1. epist. 12. Eugenium suum monens: *Pio Principi sub quodam sacerdotio seruiatur:* ita quidem pulcherrimum potentiæ, & regiorum familiarium exemplar, Beatissima inquâ Virgo, quæ egregia inter Deum, & homines mediatrix est, nihil magis in votis, & in cotis habet, quàm omni die, omni hora Deum in peccatores iratum, & excandescentem, placatum, & benignum nobis reddere: vti illustris illa rubi ardentis, & non vrentis visio Moysi ostensa mitè adumbrat: sic enim Exod. 3. vers. 2. *Apparuitq; ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur.* Quæ sic diffundit Philo libro de vita Moysis: *Rubus ibi erat frutex spinosus, & inualidus, is nemine ignem admouente, subitò incensus est, flamma in totem fruti scatente, manebatq; integer, & illæsus, quasi non esset incendij materia, sed ipse ab igne aleretur: è medio promicabat forma quadam pulcherrima nulli visibilis similis, diuinam planè simulachrum.* Hæc enim Dei erga homines benignitatem, siue filij Dei humanitatem, & reconciliationem in Beatissimæ Virginis vtero factam ex Patrum, atque Interpretum ex-

Seneca.

Cassiod.

Plinius.

Cassiod.

Exod. 3. 2.

Philo.

A positione portendunt: sed enim sic opportunissimè distigenda, atque partienda hæc visio fuerit, vt dum ignis Dei odium, *qui ignis consumens est*, Deuteron. 4. vers. 24. rubus verò Virginem significat: ideò ignem non comburere, siue Deum non excandescere, adurere, punire, & zelo iræ suæ sontes deuastare dicatur, quòd in rubo sit, quòd videlicet Beatissima Virgo ibi mediet atque intercedat, siue intercidat flammam ignis: & Deum inflammatum, siue flammas eo mentem, leniat, atque demulceat, *flamma in eum in totem fruti misericordiam scatente.* A qua cogitatione non longiùs iuerit Bernard serm. de verbis Apocalypsis: hunc in modum de nostra reconciliatione disserens: *Fidelis plané, & potens mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, sed diuinam in eo reuerentur homines maiestatem.* Denique Deus noster ignis consumens est: *Quid ni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? Iam itaque neque ipsa mulier*

Deut. 4. 24.

Bernard.

B *benedicta in mulieribus videbitur otiosa: inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis vtilior, quàm Maria.* Hæc iam si ad Regium familiarem transferas, quàm pulchrum ipsi, quàm decorum fuerit, vt Principis ingenium ad iram, & vindictam procliue, eius consuetudine, precibus, & blanda oratione aliud à seipso esse videatur, quin iam comburat, absumat, atque iræ, indignationis, minarû & acerbitatis flammas euomat.

2 Ita quidem cum summo Principe cælestes Spiritus, qui apud ipsum plurimùm valent, se gerere videntur: homine enim in colpam delapso Deus ad auram paradisi deambulans, atque verba faciens sic inducitur Genes. 3. 8. *Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem*: siue vt

Gen. 3. 8.

C Hebræa, & Chaldæa habent *ad auram diei*, vbi cùm Deus ob tantum Adæ flagitium meritò ira primùm incensus: *aura qui auræ quærit* (inquit sanctus Bruno in allegor. Gotfridi ad hunc locum) *æstuationis calorem se passum esse demonstrat:* subinde verò quasi lenioribus zephyris refrigeratus, ac ad lenitatem, & mansuetudinem temperatus inducatur: qui hæc subsistant? iure ambigis: etverò cùm Deum ad auram deambulanté, & loquentem audio, non capio quidem ipsius vocem quasi horribile tonitro, aut formidabilis fragor esset, quem excitabant folia, ramique arborum moti, ac tremefacti vestigiis maiestatis diuinæ, vt plerique interpretum volunt. Nam hæc diuinæ voci non benè aptantur: sed Dei sermonem cum aliquo quasi ad animi refrigerium, & recreationem colloquentis. Iam ipse cum quo præter Angelicos Spiritus Deus loquens inducatur? aut quæ aptior, atque opportunior auræ refrigerantis æstum significatio, & imago fuerit, quàm Angelorum, tunc temporis iratum, & excandescentem Deum placare, atque lenire studentiû? Commodè certè, & opportunè hanc auram, & lenem zephyrum Deum quasi æstu fatigatum recreantem accipis dum Angelos, qui Spiritus esse dicuntur, & ventorum imagine adumbrantur prece supplici, & oratione blanda quasi mollissimas pennas, atque flabella ad ardentem æstum depellendum agitantes, ad misericordiam homini impertiendam ipsum inflectebant, iam humanam imbecillitatem, iam serpentis astutiam: iam verò diuinæ benignitatis, atque clementiæ magnitudinem: necnon parcendi gloriam obiicientes. Enimverò hoc Angelorum ingenium esse pulchrè adstruit August. serm. 17. in Natiuitate Domini; dum Gabrielem ineffabilis sacramenti humanæ reconciliationis nuntium ad Virginem desertentem sic alloquitur: *Et tu Angele tanti Regis nuntie, saue pennibus sacris conscius secretorum cæli: lætabantur socij tui, si negotium itineris mandi, inspice squalentem nostri carceris miseriam, & loquere festinus ad Mariam.* Hæc August.

Bruno.

D

August.

Ad

A Ad quem ſanè modum bonus Regis familiaris cùm ipſum ira in aliquem inflammatum videt, ſeipſum ei velut auram lenem, & blandum zephyrum debet obiicere, omni modo, & ratione ipſum placare, & ad veniam dandam flectere contendens: vt miſerum, & infelicem, qui regiæ iræ veluti imbellis columba ſanguinarij accipitris vnguibus obnoxius eſt, ab illius indignatione eripiat: ſicuti de Moyſe, & Aaron populum à Pharaonis furore eripientibus, ſic Dei nomine inquit Auctor operis imperfecti, hom. 46. in

Chryſoſt.

Matth. *Cùm te in Aegypto quaſi ſanguinarius accipiter perſequebatur Pharao, miſi ſuper te Moyſen, & Aaron quaſi duas molliſſimas pennas miſericordiæ meæ, & liberatos vos de vnguibus eius rapui in deſertum.*

3 Verùm non modò ab Ægyptij Regis vnguibus, ſed ab ipſiuſmet Dei indignatione bonus ipſius familiaris Moyſes populum ſuum liberaſſe videtis: ſic enim ipſum Iſraëlitas omnes ad vnum extinguere volentem illis verbis: *Dimitte me vt iraſcatur furor meus* B *contra eos*, animosè allocutus dicitur Exod. 32. verſ. 31.

Exod. 32. 31.

Obſecro, peccauit populus iſte peccatum maximum, aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. Quod Regius Vates Pſalm. 105. verſ. 23.

Pſal. 105. 23.

ſic cecinit: *Et dixit vt diſperderet eos ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione* (Hebræo *in præruptione muri*) *in conſpectu eius, vt auerteret iram eius, ne diſperderet eos*: ac ſi dicat, iræ Dei iam in populum irruenti ſeſe tanquam ante vallum in ipſa irruptione muri, ſtrenuus miles oppoſuit, & irrumpentem iam Dei vltionem precibus, ac ſupplicatione repulit: *Cùm Dominus* (inquit Ambroſius lib. 2. officior. cap. 7.) *in inſolentes vindicare vellet, ſe tamen pro populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinæ plebem ſubduceret.* Vrget acriùs præfata verba Philippus Abbas cap. 25. in Cantica, atque illum in præruptione muri quaſi in extremo congreſſu brachiorum vinculis, ſiue complexu Deum illigantem, & tenaciùs retinentem, nec eum dum clamaret *Dimitte me* exaudientem, ſic conſiderat: *Rogantem ſe dimitti Dominum non vult exaudire, ſed firmius alligatum ſuis precibus miſericorditer obedire cogit.* Egregia omnino Regij familiaris indoles, perfecta, & abſolutiſſima laus. Et verò hæreticum Marcionem ſic permouit pulchrū hoc, ac nobiliſſimum Moyſis ingenium, vt inſano, ac cæco impetu eius lenitatem diuinæ iræ antepoſuerit, & malum quendam Deum confinxerit in populum excandeſcentem, quo Moyſes illū leniens, & placatū reddēs melior omnino fuerit: vt videris, quāti ille feciſſet regium familiarē, qui Principis indignationi miſeros ſubditos ſubduceret. Sed enim huic hæretici inſaniæ bifariâ ratione noſtro Inſtituto opportunâ, eius maſtyx, Tertullianus occurrit, & ridendam facit. Primùm enim, Moyſem Chriſti vmbram atque figuram fuiſſe à Patre hominibus veniam exorantis ſcitè adſtruit, quippe cùm dixiſſet: *Vnde meliorem ſoletis Moyſem affirmare Deo ſuo deprecatorem, imò & prohibitorem iræ.* D *Non facies enim, inquit, iſtud, aut & me vnà cum eis impende.* Subiicit: *Miſerandi vos quoque cum populo, qui Chriſtum non agnoſcitis in perſona Moyſi figuratum patris deprecatorem, & oblatorem animæ ſuæ pro populi ſalute.*

Ambroſ.

Philippus Abbas.

Tertull.

4 At enim cùm ad exemplar, & inſtitutionem regij familiaris ipſum etiam Dei Filium Patris deprecatorem iam vides, omnino obſerues velim quanto opportuniùs ipſe quàm Moyſes, & deprecari, & iratum Deum lenire nouerit. Sanè Moyſes cætera induſtrius, & charitate flagrans, at cùm Deum demulcere ſtudebat, enormitatem ſimul peccati populi exaggerabat. *Peccauit* (inquit) *populus iſte peccatum maximum*, quod ad impetrandam veniam, & irati animum placandum nihil omninò iuuerit: contra quidem verus Moyſes peccantium erratum ex ſe quidem inexcuſabile, & omnium atrociſſimum omni ratione, omni arte attenuare, & imminuēre curabat: ſic Patrem orans: *Pater dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciunt.* Luc. 23. verſ. 34. Ad quæ verba Venerabilis Arnoldus tractatu de ſeptem Verbis Domini tom. 1. Bibliothecæ Veterum Patrum: *Quid eſt* (inquit) *Domine quod dicis? Non accuſas, non quæris vindictam, potius excuſas, & coniurationis illius ſpiſſamentum attenuas, & hæreditarium onus ab impiis transferens crimen malitiæ non opponis, quod ideò dimittendum cenſes, quia admiſſum ignoranter ipſe teſtaris, vbi eſt illud quod dixeras prius?* Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt, & me & Patrem meum. Vnde poſt nonnulla: *Nec tamen licet tanti criminis molem mediatoris auctoritas eliminaret, obſtinatio illius infidelitatis excuſabilis erat.* Ergo & ingens, & inexcuſabile peccatum optimus Mediator quo poterat colore, & modo attenuabat, & ferreum facinus, velut inducta excuſationis lima, vnica, quæ ſupererat, via elimabat, ignorationi potius, quàm malitiæ adſcribens: vt egregio hoc exemplo non modò clementiæ Principum prælucerет, ſed eorum etiam familiares inſtitueret, vt incenſos Principum animos omni via, omni ratione lenire, & placare contenderent, ſiue infelicium hominū quibus infenſi ſunt, errata elimantes, & quo poſſint colore excuſantes, ſiue aliam rationem, & velamentum ſapienter, & induſtriè obtendentes, vt feruentē iræ æſtum reſtinguant. Vbi omnino commemorare placet Remigij illius apud Imperatorem Valentinianum ſeniorem multū valentis miram artem, & ſubtilem induſtriam, quâ ſæuum, & penè implacabilem eius animum leniebat: erat nimirum Princeps ille, vt ardens imperij, ac dominationis amator, ita maximè formidoloſus, & ad pauores irritos abiectius pallens, & quod nuſquam erat inattentè formidans. Hinc ſapiens Remigius ad flectendam, & extinguendam illius iram anſam aſſumebat, barbarorum motuū nuncia ferens, vt iniectus ei timor, quo ipſe frangebatur, C furorem omnino pelleret, ſic hæc narrante Ammiano Marcellino lib. 30. *Arguebat hic idem Princeps timidos ſæpius, ad pauores irritos aliquoties abiectius pallens, & quod nuſquam erat inattentè formidās, quo intellecto magiſter officiorum Remigius, cùm eum ex incidentibus irâ feruere ſentiret, fieri motus quoſdam barbaricos inter alia ſubſerebat: hocq; ille audito, quia timore mox frangebatur, vt Antoninus Pius erat ſerenus, & clemens.*

Luc. 23. 34.

Arnold.

Ammian.

5 Nec minus appoſita fuerit illa altera ratio, quâ Tertullianus ſtatim Marcionis delirium confutat: ex propria illius ratiocinatione, qua Moyſem, vt deprecatorem iræ Deo ſuo meliorē faciebat, eum pulchrè reuincens, dum oſtendit, id quidem ab ipſo Deo tunc Moyſem didiciſſe, qui vt magnitudine, & potētia, ita eximia gloria parcendi, & deprecādi pro aliis mortales omnes ſuperaret, à ſeipſo quidē priùs poſtulauerit, quod etiam à ſe ſubinde Moyſem poſtulare voluit, D deprecandi ei viam cōmonſtrans illis verbis: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos*, &c. Sic namque Tertullianus: *Sed ſufficit, ſi & Moyſi propriè donatus eſt populus ad præſens. Quod vt famulus poſtulare poſſet à Domino, id Dominus à ſe poſtulauit. Ad hoc enim famulo dixit*: Sine me, & diſperdā illos, *vt ille poſtulando, & ſemetipſum offerendo non fineret.* En quàm illuſtre ſit, ac ſublime placādi, atque leniendi Principem faſtigiū: vt ipſemet Deus, à quo venia poſtulanda erat, & à ſeipſo priùs poſtulauerit, & poſtulandi modū indicauerit, ne vel apud Marcionem non æquè bonus eſſet, ac Moyſes, qui deprecandi gloria claruit; vt vel hinc, ſi Principem ira incenſum cum ſuo familiari eum placare, & demulcere ſtudente, in trutina ſuſpendis, dubiū non ſit quin potiores huic deferendæ ſint partes. Quo in loco cum Hadriano Imperatore mortaliū ambitioſiſſimo, qui quod cuperet, omnes in quacumque arte, & diſciplina

Tertull.

ſuperare,

superare, celebres, & excellentes artifices, quos æquare non poterat, aut subuertebat, aut interficiebat, infimæ plebis hominem, præconem videlicet, à quo ea in re in qua ipse maximè excellere debuerat mirum in modum superatus fuit, placet componere ex Dione Cassio in Hadriano, rem ad hunc modum referente: *Romanum populum acerbè magis, quàm indulgenter tractauit. Nam cùm olim quadam per vim & superbè in ludo armorum peterent, nihil eis distribuit: imò verò iussit illud Domitiani pronuntiari, Silete, quod verbum minimè prolatum est. Nam præco manum continuò sustulit. Ita eo signo quod fieri solet, eos quiescere fecit, atque tacere, quare, inquit, non opus est, vt ex præcepto fileant, qui iam tacuere: hoc enim vult Princeps.* Sapienter equidem, & humanè iram Principis æquè moderatus, & animum ipsius demulcens, vt à verbi acerbitate abstineret, vt dicere videretur: Habes iam quietos, habes silentes, & subditos, quid conuitio, & verborum asperitate opus fuerit? Pupugit verò id lenitatis acumen durum Principis animum, eoque delinitus præconem in honore habuit: sic etenim pergit Dio: *Neque tamen iratus est præconi, imò verò maiore in honore habuit, propterea quod grauitatem mandati non exposuisset.*

Dio Cass.

6 Iam verò vnam hanc esse ex optimi Regis Regiique Administri notis, quibus is, qui germanus, & fidus familiaris est, à falso, & illegitimo dignoscitur, inde collige, quod vt hic parti inferiori, siue irrationabilibus iræ, indignationis, & vindictæ affectibus ardentes faces adhibet, quod spurij amici, & adulatoris proprium est; ita ille superiori, & rationali parti, Regiisque virtutibus, clementiæ, magnanimitati, necnon veræ gloriæ cui ab ira non leue discrimen subest, manum porrigit, omnemque opē ferr, quod planè nonnisi in vero amico reperiri iam alibi vidimus. Non latuit id quidē nostrum Regem, non leuiter aliquando suis familiaribus iratum, quòd cùm eum lenire, & placare deberent, contrà omnino ad vindictam de sontibus sumendam acriùs inflammare contenderint. Etenim cùm Dauid de prælio cum filio Absalon inito victor reuerteretur, dirus eius hostis Semeï, qui paulò antè immania in ipsum maledicta iactauerat, sic ipsi pacem, & veniam orans occurrisse dicitur: 2. Reg. cap. 19. vers. 19. *Ne reputes mihi Domine mi iniquitatem, neque memineris iniuriarum serui tui. Agnosco enim seruus tuus peccatum meum, & idcirco hodie primus veni, &c.* Quàm gratum id, quàm iucundum bono Regi! cùm de Imperatore Theodosio dixerit Ambros. in orat. de eius exitu: *Beneficium se putabat accepisse Augustæ memoriæ Theodosius, cùm rogaretur ignoscere, & tunc propior erat veniæ, cùm fuisset commotio maior iracundiæ.* Sed quid, quæso, tunc ab adstantibus Aulicis sperauetis? lenia (inquis) & suauia verba, quibus regiam iram extinguerent, vel saltem mitigarent? Quid enim illi opportunius dixerint? quàm en Domine egregiam laudis occasionem, en illustrem sine sanguine victoriam. Parce sonti, qui plus habet quòd laudes in pœnitentia, quàm quod accusaueris in crimine: sic tu animum inducis: Ego verò cùm adstantes Dauidi Aulicos veluti de facie nouerim, omnino contentus fuerim, si nemine Regem mitigante nemo inflammauerit: vti de Theodosij Aulicis coniectabat, metuebatque Ambros. epist. 28. inquiens: *Vtinam si nullus mitigat, nemo accendat: libenter cùm naturæ impetum committo tibi, ipse te reuocas, & pietatis studio vincis impetum naturæ.* Iam quid Regi familiares eius suggesserint, audi: *Respondens verò Abisaï filius Saruiæ dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Semeï, quia maledixit Christo Domini.* Vides malum familiarem Regis, qui cùm Semeï peccatum extenuare, & elimare debuisset, aut saltem pœnitentiam, & satisfactionē quam attulit approbare, hanc ille quasi leuissimam, & verbis nudis factam attenuat, crimen verò vt atrocissimam iniuriam Deo ipsi, cuius christus Dauid erat, illatam omnino exaggerat. Talis etiā omnino erat apud Gallum Imperatorem Thalassius Præfectus prætorio, de quo Ammianus Marcellinus lib. 14. *Considerans incitationē eius ad multorū augeri discrimina, non maturitate, vel consiliis mitigabat, vt aliquoties celsæ potestates iras Principum molliuerunt, sed aduersando iurgandoq́, cum parum congrueret; ad rabiem eiibrabat Augustum, &c. quibus mox Cæsar acrius efferatus velut contumaciæ vexillum quoddam altiùs erigens, sine respectu salutis alienæ, vel suæ ad verrenda supposita instar rapidi fluminis irreuocabili impetu ferebatur.*

2. Reg. 19. 19.

Ambros.

Ambros.

Ammian.

7 Sed cur quæso non rogatus respondit Abisaï? Cur Dauidis iudicium non expectauit? Respondet Abulensis ibi quæst. 21. *Vidit enim Abisaï flecti Dauid aliqualiter ad pietatem, & quod non haberet animum durè respondendi, dum loqueretur Semeï.* Quàm aliter quidem, ac Angelus summo Regi adstans, qui ad primum Dei nutum miserentis Isaac, & parentis gladium reuocare volentis, dicto citiùs, & cogitatione omni celerius accurrit, vt ferientis dexteram teneret. Genes. 22. vers. 11. duplicata cōpellatione clamans: *Abraham, Abraham: non extendas manum in puerum.* Quàm aliter ac bonus Dei famulus Aaron, qui erumpenti aliquando diuinæ iræ in populum, protinus accurrit, vt obsisteret: sic enim Sapient. cap. 18. vers. 21. *Sed non diu permansit ira tua: Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens, quoniam tuus est famulus.* Vbi obserua, & illud *deprecari*, quod benè vertit Vatablus *propugnare*: & hanc causalem *quoniam tuus est famulus.* Quasi omnino è Principis re, atque è regiæ gratiæ vsu fuerit, pro sontibus aduersus regiam indignationem propugnare: eumque germanum Principis familiarem esse, qui eius iræ quantocyus obuiam iuerit. Subscribit verò iam iis omnibus Dauid, iustâ simul, ac regiâ indignatione impiam, ac ignobilem Abisaï suggestionem, ita retundens: *Quid mihi, & vobis filij Saruiæ, cur efficimini mihi hodie in Satan?* Pulchrè omnino, ac regiè, vt dicere videatur, cur qui ostendere vos debebatis germanos famulos, & familiares meos esse, meam indignationem, & iram lenientes, & mitigantes, quò ipse regiæ maiestati & gloriæ omnino responderem: contrà omnino meæ gloriæ inuidentes à regio fastigio impellere, & deturbare vultis? Bonum Regem opportunâ labori nostro cum misericordia clausulam imponentem: *Vt* (quod inquit Tullius lib. 1. offic.) *quemadmodum incipiendi ratio fuerit: ita desinendi modus.*

Abulens.

Gen. 22. 11.

Sap. 18. 21.

Vatablus.

Tullius.

Omnipotenti Deo, purissimæ Deiparæ, honor, & gloria, nobis autem confusio faciei.

FINIS.



INDEX

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
Qui in hoc libro peculiariter elucidantur.

Prior numerus, pag. secundus Lectionis, vel Adnotationis currentis paragraphum indicat.

P.Velasquez in Psal. centesimum.

24. 12. In

EX NOVO TESTAMENTO.

Digitized by Google

5.4. Naui-

Digitized by Google

Digitized by Google

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM

Quæ in hoc opere tractantur.

Prior numerus paginam, secundus columnam, tertius verò adnotationis paragraphum indicat.

Dixit

 Fortuna

Libera-

P. Velasquez in Psal. centesimum.

Vide

Superbus

F I N I S.



INDEX

I N D E X
VALDE COPIOSVS AD OMNES
OMNINO CONCIONES TAM DE ADVENTV,
& quadragesima, quàm de cunctis Anni Dominicis, & Sanctorum solemnibus conficiendas.

Ad Conciones de Tempore.

DOMINICA I.
ADVENTVS.

1 Lvc. 21. *Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris, & fluctuũ, &c. Nam virtutes caelorum mouebuntur.* Vnde tam horribilis commotio, & instabilitas? Sane à peccatis nondum digno supplicio affectis: ideò post poenas de ipsis sumptas, *erit caelum nouum, & terra noua*: firma scilicet haec, & stabilis. Ergo à iustitia vindicatiua terrae firmitas, & stabilitas aduenit, lib. 4. adnot. 3. à n. 1.

2 *Stellae cadent de caelo, &c.* necnon *Caelum, & terra transibunt.* Cùm caeli banddubiè perpetuò fiot duraturi, non immeritò ambigas, quomodo perituri dicantur? Sanè terra à generatione quiescet: caeli immobiles tunc existent, nec inferiores causas foecundabũt. Quid ergo mirum, quòd periisse dicantur, si quieti, & otio traduntur? Apud Deum enim nullum habet esse, quidquid à suo munere cessat. Hinc infertur licet, quàm nihili habebuntur ea die homines otiis, & voluptatibus dediti, signatè verò Principes, qui muneri suo minimè satisfecere. lib. 3. adnot. 6. n. 5.

3. *Tunc videbunt Filium hominis.* Notanter qui homines erat iudicaturus, Filius hominis factus est: *vt disceret ex iis, quae passus est, obedientiam.* lib. 2. adnot. 7. n. 1.

4 *Cum potestate magna, & maiestate.* En iudicij seueritatem: nam qui priùs potestatem, & maiestatem in suauitatem, & humanitatem transfudit. lib. 4. adnot. 10. num. 6. solam modò potestatem, & maiestatem iactat, quasi in hanc iam tota illa suauitas, bonitas, & benignitas fuerit transfusa. Vt discas, nihil magis peccatoribus fore timendum, quàm ea Domini lenitas, & nimia quod ammodo suauitas. Certè Cantic. 7. 5. vbi nos habemus: *Coma capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus*: siue vt LXX. (ad indicandum incredibilem Dei suauitatem, & patientiam: qua tum pro nobis in Passione ligari, & occidi voluit: tum modò ligatas manus habet, ne peccatores funditus deleat) reddidere: *Rex ligatus in transcursibus*: Philo Carpatius notantissimè reponit: *Rex tremendus in excursibus suis*: omnino innuens, Dominum à patientia, & benignitate tremendum reddi: ne ipsum Deum muscam, siue peccantibus conniuentem putares. lib. 4. adnotat. 1. à n. 1.

5 *Cùm potestate magna, & maiestate.* Notanter in indice potestatis, & maiestatis meminit, quòd satis non sit, leges ferre, nisi eorum executioni incumbens, fortem, & potentem in poenis de transgressoribus sumendis se exhibeat. lib. 4. adnot. 2. à n. 1.

6 *Propè est regnum Dei.* Ecce tibi regnum Dei: eùm disperdentur de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. vers. 8. lect. 3. num. 1.

DOMINICA II.
ADVENTVS.

1 Matthaei 11. *Cùm audisset Ioannes in vinculis.* Quis ambigeret, Ioannem in vinculis esse futurum, quando ij, qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt? Vix enim in domibus Regum sit, qui mollia ipsis non suadeat: contra verò Ioannes, qui veritatem aperiè denuntiat, in carcerem truditur. lib. 5. adnot. 19. n. 1.

2 *Tu es, qui venturus es?* Ambigebatne Ioannes, quia esset Christus? Minimè quidem, sed discipulos suos ad ipsum misit, ne gratiam, qua apud Dominum valebat, sibi soli vendicet. lib. 5. adnot. 26. n. 1.

3. *Quae audistis, & vidistis.* Non fuit contentus Dominus, egregia verba auribus dare, nisi oculis etiam opera spectanda exhiberet: quippe ab operibus omnimoda vis, atque efficacitas ad persuadendum sumitur. lib. 1. adnotat. 4. num. 2.

4 *Caeci vident, claudi ambulant.* Opportunè Inci oculis immisse gressus pedum adiunguntur, quòd, & Dei verbum vitia extinguat. vers. 2. lect. 5. n. 1. Et verbia opera associanda sunt. Indidem lect. 4. n. 1.

5 *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Id est, in crucis meae humilitate. Ambrosius lib. 5. in Luc. *Dominica testificationis exempla sunt plenitudo fidei, Crux Domini, obitus, sepultura: & ideò cùm illa superiora dixisset, caeci videat, leprosi mundantur; addidit: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, crux enim etiam electis scandalum posset afferre, sed nullum hoc maius diuinae personae est testimonium, nihil est, quod magis esse vltra humana videatur, quàm toto vnum se obtulisse pro mundo. Hoc vel solo Dominus declaratur.* Ergo ait Dominus: beatus, qui me ex cruce, & morte verum Dei Filium, & Optimum Principem agnoscit. lib. 3. adnot. 21. n. 3.

6 *Coepit dicere ad turbas de Ioanne.* O bonum solem, cuius splendore minora sidera non inumbrantur: imò verò maiorem ab ipso claritatem accipiunt. Est enim proprium magni, & Optimi Principis magnis suos honoribus ornare. lib. 3. adnot. 18. n. 4.

7 *Hominem mollibus vestitum, &c.* S. Petrus Damianus premens ea Cantic. 6. 3. verba: *Decora sicut Ierusalem*, sapienter ait: *Sicut Ierusalem, non sicut Babylon, quam vidit Ioannes ornatam purpura, & cocco, & inauratam auro, & lapide pretioso, & margaritis. Babylonem hanc diabolus, Ierusalem inhabitat Christus: ille luxuriantis amictus varietate reficitur, hic asperis, & humilibus.* lib. 4. adnot. 28. num. 4. & 5.

DOMINICA III.
ADVENTVS.

1 Ioan. 1. *Miserunt Iudaei ab Ierosolymis, &c. Et confessus est, & non negauit.* Egregius Christi Minister, qui vna ex parte virtutibus homines ad se allicit: ea alia verò fortiter à se repellit, vt omnem Deo gloriam adscribat. lib. 5. adnot. 17. n. 6.

2 *Et confessus est & non negauit.* Augnst. serm. 23. de Sanctis: *Putari Christus potuit, & noluit, existimari Chri-*

ſtus potuit, & nolait : dixerunt homines, cùm fallerentur in eo, nam fortè hic eſt Chriſtus? Reſpondit ille, quòd non erat, vt maneret, quod erat. Inde quippe Adam lapſus perdidit, quod erat, quia quod non erat vſurpauit. Recolebat hoc iſte magnum. Opportunè iſte magnus, nihil enim maius, quàm magnitudinem non extra ſe, ſed à ſcipſo petere. lib.2.adnot.16.num.1.

3 *Non ſum ego Chriſtus.* Auguſt. Indidem. *Recolebat hoc iſte magnum, ſed in paruo Chriſto minimum.* Quare qui magnus, in paruo fit Chriſto minimus? Quia niſi incuruerit altitudo virorum, eos cæleſte oſtium non admittit: & qui elati accedunt, repulſi, capite eliſo cadunt retrorſum. lib.2.adnot.16.n.7.

4 *Quid dicis de te ipſo?* Sanè, vt ſi ipſe dixiſſet, Deum ſe eſſe, diuinos illi honores omnino adſcriberent. Sed, cum ea (ô boni) diuinitatis natura eſt, vt ab hominibus dari, auferriue poſſit? *Ergo apud vos de humano arbitratu diuinitas penſitatur* (vti dicebat Tertul. in Apologet.) *Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo iam Dei propitius eſſe debebit.* Enimverò volebant illi eum ſibi Deum facere, quem ad nutum, quocumque vellent, circumducerent. lib.4.adnotat.1.n.7.& 8.

5 *Ego vox clamantis in deſerto.* Auguſtin. ſerm. 37. de Sanct. *Hoc eſt dicere, non ſum ego Verbum, quod erat in principio apud Deum, ſed vox potius, ſta miniſter ſum Verbi.* Sanè vt ſignaculum ſimilitudinis candidè cuſtodiret, nec ad inſtar Luciferi ſuperbè reſignaret. lib. 5.adnot.17. num.7.

6 *Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaïas Propheta.* Obſerua, Prophetam non dixiſſe *dirigite*, ſed *parate*: non tamen ideò Ioannem illi fuiſſe contrarium, imò verò omnino explicaſſe, quomodo via Domini, vt ei felix exitus ſit, paretur, dum videlicet directa, id eſt, recta intentione prædita eſt. lib.5.adnotat.18.n.5.

7 *Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Quid? Nonne ipſe ſponſi Paranymphus, Præcurſor, & Familiaris erat, qui apud ipſum omnia poterat? Cur ergo infimo miniſterio imparem ſe agnoſcit? Planè quòd prudens Adminiſter regiam gratiam, qua fruitur, non oſtentat. lib. 5. adnot. 22. num.1.

8 *Cuius ego non ſum dignus, &c.* Chryſoſt. hom. 3. in Matth. *Idcirco amicus factus ſponſi, & manum, quam indignam calceamentis eſſe dicebat, eam Chriſtus ad caput ſuum ſublenauit.* Certiſſima quippe via ad celſitudinem humilitas. lib.2.adnot.15.n.4.

9 *Cuius ego non ſum dignus, &c.* Indidem Chryſoſt. *Itaque ſi bona tua magna vis facere, noli ea magna putare, aliter enim magna eſſe non poſſunt.* lib.5.adnot.15.n.4.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

1 LVc. 3. *Anno quinto decimo Imperij Tiberij, &c.* Infelix regnum inter tot Principes partitum, & tot tyrannis ſubditum. Quàm alia hæc rerum facies ab illa, qua ſiue ſub Samuëlis, ſiue ſub Dauidis imperio liberum, & incolume florebat! ſed non quidem hoc fuerit mirandum, cùm à peccatis maxima quæque imperia labefactentur, & corrumpantur. lib.1.adnotat.14. num 1.

2 *Imperij Tiberij Cæſaris.* Et vbi potentiſſimum illud Nabuchodonoſoris imperium, ab ipſo tamquam numquam periturum, in auro adumbratum? A ferro planè ſuperatum eſt: & vbi modò ferrum, ſiue Romanorum potentia, & regnum? Vides, vt mundi regna, & potentia caſui, & mutationi omnino ſint obnoxia: nec illis magis, quàm ventis eſſe fidendum? lib.2.adnotat.3.n.4.& 5.

3 *Procurante Pontio Pilato Iudæam.* Lectio Syriaca habet, *ſub præfectura Pontij Pilati*: & Græca quidem vox Principem ducem, & gubernatorem ſignificat. Vbi ſub ſpecioſo *procurandi* verbo denotatum eſt, quò præfecturæ, & regia munera ire debeant: nempe, vt Principes, & Duces, atque Magiſtratus potiùs prodeſſe, quàm præeſſe ſtudeant, ſubditorum res, & vtilitatem curantes, & procurantes. lib. 3. adnot. 12. num. 4.

4 *Sub Principibus Sacerdotum.* Accurata, & diuerſa locutione, Sacerdotum meminit, nam qui dixit, *Anno quinto decimo Imperij Tiberij, & procurante Pontio Pilato*, vt tempus ſolummodo denotaret, ſignatè addidit: *Sub Principibus Sacerdotum*, quaſi ipſis omnia ſubdita ſint, etiam ipſum Dei verbum. Vt videris, quanti faciendus ſit Dei cultus, quanta Sacerdotibus reuerentia exhibenda. lib.2.adnot.5.n.5.

5 *Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem.* Antequam doceat Ioannes, ipſe docetur, verbumque Dei vocem eius præcedit. Etenim vt vitia extingueret, ſuaderetque Chriſti aduentum, Dei verbo, atque ſapientia opus erat. verſ.2.lect.5.n.1.

6 *Factum eſt Verbum Domini.* Quid ais factum? Fitne Verbum, an potiùs dicitur? Sed aliud quidem humanus, ac diuinus ſermo, ille ſiquidem ab ore vim habet: hic non niſi operibus penſitatur. verſ. 2. lect. 4.num.2.

7 *Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Opportuniſſima Dei Filij manifeſtatio, quæ à peccatorum remiſſione incipit. Quid enim clementia, & iniuriarum remiſſione regalius, diuiniuſue fuerit? lib.4.adnotat. 11.n.1.

IN VIGILIA NATIVITATIS.

1 MAtthæi 1. *Cùm eſſet deſponſata Maria.* Cur Dominus Matrem deſponſatam habere voluit, cùm id nonnihil obſtreperet, quominus ab hominibus Dei Filius haberetur; Iudæis ſuccclamantibus: *nonne hic eſt Ieſus filius Ioſeph, & Mariæ?* Luc.4.22. Sanè quòd vt bonus Filius Matris honori, & bonæ exiſtimationi conſulere, ita quà bonus Princeps non propriæ, ſed ſubditorum vtilitati proſpicere debuit: quippe hæc Principatus natura eſt, vt ad ſubditorum vtilitatem cuncta dirigantur. lib.3.adnot.12.n.7.

2 *Cùm eſſet deſponſata.* S. Thom. lib. 5. *de eruditione Princip. Matrimonium eſt pallium, quo Beata Virgo vſa eſt, quo occultaret cæleſtem conceptum.* Prudentiſſimè, quippe dona quò maiora ſunt, eò magis occultanda. lib.5. adnotat.22.n.1.

3 *Cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere.* Chryſol. ſerm.175. *Aliud nouerat, aliud intuebatur, nec accuſare poterat, & defenſare penes homines non valebat.* Ergo quia iuſtus noluit ad poteſtatem, ſed ad æquitatem, & ius recurrere. lib.4.adnot.4.n.2.

4 *Cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere.* Theoph. Quomodo erat iuſtus Ioſeph cùm lex præciperet, adulteram traducere: hoc eſt denuntiare, & punire, &c. *Soluitur autem hoc, primum quidem quod propter hoc iuſtus erat. Nolebat enim eſſe crudelis, ſed præ multa benignitate miſericordia eam proſequebatur, oſtendens ſe ſuperiorem lege, etiam ſuper legalia mandata viuentem.* Quippe hæc Regia conditio Principis eſt, vt etiam cùm abſoluit, & iudicet, & rectus ſit. lib.4.adnot.8.n.7.

5 *Hæc autem eo cogitante.* Chryſol. indidem: *Mens iuſta, & ſanctus animus ancipiti cogitatione torquetur, ſentit ſed tantùm non poteſt penetrare ſacramentum, &c. Meritò mox occurrit Angelus: meritò reſponſum ſubuenit mox diuinum, cui humano deficiente conſilio iuſtitia non defuit.* Quippe immaculatum animum lux cæleſtis illuſtrat. lib. 2. adnot. 8.n.6. Et principi gubernationi intento copioſius à Deo lumen ad extricandos nodos immittitur. lib. 3.adnotat.8.num.3.

6 *Ioſeph fili Dauid.* Bernard. homil. 2. ſuper Miſſus

est: *Verè ex regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior, plenè filius Dauid non degenerans à patre suo Dauid, prorsus inquam filius Dauid, non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed deuotione* Ergo sapiens Angelus Iosephum ad præclara fidei, & charitatis opera vrgens non alium quàm proauum Dauidem ob oculos ponit, eiusque filium signatè appellat, magnum enim non nisi magnorum exempla decent imitanda. lib. 3. adnot. 5. n. 2.

7 *Noli timere, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Vt diceret: vbi Deus adest, etiamsi aliud sibi oculi renuntient, nihil omnino timendum fuerit tunc enim securior eris, cùm ipsius causa periculum subieris. lib. 5. adnot. 10. n. 2.

8 *Pariet autem filium.* Cur non dixit, *pariet tibi filium*: quemadmodum Zachariæ Baptistæ patri dixit? Lucæ 1. 13. Sanè vt Dei filium, & Principem ab homine priuato discriminaret: hic enim sibi, suisque parentibus, ille verò omnibus nascitur. lib. 4. adnot. 13. n. 5. Necnon vt in Ioseph regios familiares admoneat, ne sibi solis regium fauorem velint, sed in omnes partiantur. lib. 3. adnot. 26. n. 3.

9 *Et vocabis nomen eius Iesum.* Cur Iosepho tribuatur, nomen Filio Dei imponere, cùm hoc Patris proprium sit? Sanè quòd bonus Dominus totam sibi gloriam sumere noluerit, sed nomenclatoris honorem subdito communicare. lib. 3. adnot. 18. n. 1.

IN NATIVITATE DOMINI.

1 LVcæ 2. *Exiit edictum, &c. Vt describeretur vniuersus orbis.* Notanter tunc natus Dominus dicitur, cùm vniuersus orbis Imperatori tributa pendebat. Tum, vt æquè ac sui, eorum ærumnis angeretur, & patientibus compareretur. lib. 3. adnot. 19. n. 1. Tum etiam, vt Principes admoneret, quanta moderatione subditis tributa fuerint imposituri, quando & ipsemet Dominus simul cum illis tributa pendit. lib. 4. adnot. 16. num. 4.

2 *Vniuersus orbis.* Opportunè Dominus tunc nascitur, cùm totus terrarum orbis describitur: vt accepto tempore iustitias iudicet. Audi Zenonem Veronens. serm. ad Neophyt. qui ea cælestibus signis leone, virgine, & libra, quæ continenti serie iuncta sunt, hanc conficit ratiocinationem: *Leo noster sicut Genesis protestatur, leonis est catulus. quem competenter sequitur Virgo prænuntians Libram, vt nosceremus per Filium, qui incarnatus processit ex Virgine, æquitatem, iustitiamq; terris illatam.* Vt videlicet omnes homines velit saluos facere, omnibus suam gratiam generaliter proponat, omnium bono se aduenisse testetur: omnes sine personarum acceptione complectatur. lib. 4. adnot. 14. n. 1. & seqq.

3 *Vt describeretur vniuersus orbis.* Sed & ideò descriptionis tempore nascitur Dominus, vt suo exemplo tam ad obediendum Principibus, quàm ad tributa illis persoluenda adhortetur: *Descriptus est* (inquit S. Isid. Pelus. lib. 1. epist. 48. *Dominus, cùm vtero gestaretur, & censum Cæsari pependit: hinc videlicet velut lata lege nobis indicans; vt ei, qui imperium tenet, obediamus. Quæ igitur ipse Deus noster suscepta per dispensationem, & consilium paupertate docuit, candido animo imitemur, nec pauperum obtentu tributum pendere detrectemus.* lib. 4. adnotat. 15. n. 3. & 4.

4 *In Bethleem.* Bernard. serm. 1. in Vigil. Natiuit. *O Bethleem parua, sed iam magnificata à Domino, magnificauit te, qui factus est in te parum ex magno.* Sed quomodo magnificauit te, qui se è magno paruum fecit in te? Planè quia tunc magnum se, & magnificum ostendit, magnitudinem suam modestia, & humilitate comprimens. lib. 2. adnot. 16. n. 1.

5 *Et peperit filium suum primogenitum.* En Deum hominem factum: en illum exinanitum, en omnibus mortalis vitæ ærumnis expositum, vt saluum faciat populum suum à peccatis eorum. Sed quid, rogo, opus fuit, pro salute hominis tam ingentes expensas facere, qui vel solo verbo potuit opem ferre? Sanè quòd sic benignus sit, ac clemens, vt simul iustus sit: ideoque maluerit, dæmonem, qui hominem emptionis iure possidebat, iusto certamine vincere, quàm violenter cogere. lib. 4. adnot. 6. n. 4.

6 *Peperit filium.* Cùm vides Deum hominem factum, exinanitumne illum dixeris, an plenum? Plenum quidem, qui in nostros vsus, & vtilitatem exinanitus est. Principi enim suam maiestatem æstimanti tunc suum negotium agere videtur, cùm non agit, vt publicum agat. lib. 3. adnot. 13. n. 3.

7 *Et pannis eum inuoluit.* August. serm. 9. de tempore: *O gratissimi delectabilesq; vagitus, per quos stridores dentium, æternosq; ploratus euasimus ô felices panni, quibus peccatorum sordes extersimus.* O bonum Principem, qui pro suis fortia agit, & patitur. lib. 3. adnot. 21. tota.

8 *Multitudo cælestis exercitus.* In cuius defensionem tam nobilis paratur exercitus Angelorum? In hominum profectò bonum & vtilitatem. Angeli quippe nullo alterius egent emendicato iuuamine: ipsi verò hominibus solatium, & auxiliatricis dextræ nascentis nuntia ferunt. vers. 1. lect. 4. n. 7.

9 *Gloria in excelsis Deo.* Quis iste vester hymnus est, ô beatæ mentes! Hodie enim Deo ad terras descendente terræ potiùs quàm in excelsis Deo gloria est: subsistit tamen cælestis cantus, nimirum vt egregius subtilissimusque mentis conceptus externa voce aperitur, qui secus quidem penè inutilis lateret: *Nam sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* Eccli. 20. 31. ita quidem Verbi æterni gloriam opportunè humanitas aperuit: & in ipso Verbo homine facto *locutus est nobis* Pater: vt iam inde Deum velut de facie cognosceremus. Nouerint hinc Principes humanitatem, & affabilitatem maiestatis suæ ornamentum, & coronam esse. lib. 2. adnot. 17. num. 4. & lib. 2. adnot. 14. num. 6.

10 *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax.* Nectuntur inuicem pax hominum, gloriaque diuina. Etenim gloriosum est Deo, homines incolumitatem perfectam sortiri, quæ necessariò abest, vbi pax non seruatur, sed pugnæ, seditionesque grassantur. lib. 4. adnot. 21. n. 2.

11 *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Paupertatis, humilitatisque exempla infans Christus iam incipit edere. Etenim prior voluit opere complere, quod deinceps à suis erat exacturus, eaque exẽplo firmare, quibus deinde suos instituere parabat. lib. 1. adnot. 4. n. 4.

12 *In præsepio.* Hesychius hom. 2. de Deipara: *Libens reconditur in præsepio, vt qui currunt ad paleas, frumentum nanciscantur, vt bestiarum more festinent, arbitrantes, se inuenturos manipulos hordei, & panem verum manducaturos alimentum vitæ.* Vt videlicet ab inanitate terrestrium bonorum, cælestium sodalitatem, & durationem agnoscant. lib. 2. adnot. 3. n. 1.

13 *In præsepio.* Gregor. Magn. homil. 8. in Euang. *Vt fideles omnes, videlicet sancta animalia, carnis suæ frumento reficeret: ne ab æternæ intelligentiæ pabulo ieiuna remanerent.* lib. 3. adnotat. 20. n. 3.

14 *In præsepio.* Miram Dei benignitatem atque sapientiam! in præsepio, in loco scilicet non hominibus, sed bestiis destinato Dominus reponitur, vt descriptionis tempore miseris hominibus tributa pendentibus nihil ipse adimat, sese quantum potest contrahens. lib. 4. adnot. 19. n. 3.

IN

IN FESTO SANCTI STEPHANI.

De historia Stephani apud Acta Apostolorum. cap. 7.55.

1 INtendens in cælum, vidit gloriam Dei. August. serm. 5. de S. Stephan. *O cor mundum, quod benè nouit Deum!* Nimirum ab affectuum vacuitate clarissima animo lux oboritur. lib. 2. adnot. 8. n. 5.

2 *Ecce video cælos apertos, &c.* Cur homo modestissimus pulcherrimam visionem manifestam fecit, præsertim cùm inde stridentes iniquorum dentes plus plus in ipsum acuerentur? Fuit id quidem animi synceri, & fidelis, qui etiam cum vitæ discrimine gloriã Deo reddere voluit: nimirum viderant, qui sedebant in concilio, faciem eius tamquam faciem Angeli. Ergo ne sibi diuinum splendorem vindicaret, cælestem visionem aperuit, vt totum in Deum honorem refunderet. lib. 5. adnot. 17. n. 5.

3 *Iesum stantem.* Stabant & hostes eius aduersus illum in concilio, vt ipsum perderent: stabat & Christus opem laturus. Fœlix Stephanus, qui pro ipso periculum suscipiens, non poterat non gloriosè coronari. lib. 5. adnotat. 9. n. 6.

4 *Iesum stantem.* Insipientissimi hæretici, qui quòd Iesum stantem vident, ipsum Patre minorem faciunt, cùm vel hinc adeò peculiaris in Christo splendor eluxerit, vt illo occupatus Stephanus, ipsum priùs, quàm Patrem orauerit. lib. 3. adnot. 18. num. 10.

5 *Iesum stantem.* Sed cur, qui in gloria erat stare dicitur? Num rursum iudicio sistitur, vt olim *stetit ante Præsidem*, Matth. 27. 11. Ita planè. Nam qui seruum suum reum, & iudicio obnoxium vidit, non potuit, non rei habitũ assumere. Pulchrè S. Petrus Damian. hom. de S. Stephano; *Surgit ipse Rex filius Regis, & lapidantium acies interrumpens, triumphatori doloris non sine dolore cordis* (cape hyperbolem pio, & sano sensu) *assistit*. lib. 3. adnot. 18. n. 1.

6 *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Nazianz. orat. in funere Patris: *Stephanus, cùm lapidibus obrueretur, pro lapidantibus preces fundebat, cuius causa cruciatus quoque ipse præclarior illi erat, quàm mors ipsa, quippe qui Christo lenitatis, & patientiæ fructum offerret.* Quonam verò modo egregius hic Nazianzeni sensus subsistat. Vide lib. 3. adnot. 12. n. 4.

Pro lectione Euangelica.

7 *Venient hæc omnia super generationem istam* Dolet Dominus, & illachrymatur de gentis suæ ruina: simulque à supplicio manum non auertit: ne videlicet veniæ facilitas eam obduraret in vitia: & sanè vt iustitia non est vera iustitia, nisi in se misericordiam habeat, ita nec misericordia est vera misericordia, si desit ipsi iustitia. vers. 8. lect. 2. num. 2.

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTÆ.

PRo salutatione, & introductione Ambrosius in exhortatione ad Virginem, ea Ioannis verba de Matre Domini ab ipso suscepta, *& accepit eam discipulus in suam*, Ioannis 19. 27. sic premit: *Quid est? in suam: cùm reliquerit patrem, & Christum secutus sit? Quæ sua habebat Ioannes? Qui mundana, & sæcularia non habebat, quia de mundo non erat?* Respondet verò: *Bonus verbi sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ. Audite quæ Apostoli à Christo acceperunt.* Accipite inquit Spiritum sanctum: *neque enim Mater Domini migraret, nisi ad possessorem gratiæ.* En in Ioanne, & gratiam, & gratiæ Matrem habemus, &c. Pergit Ambrosius: *Ideò illam Dominus de cruce discipulo suo sibi dilectissimo tradidit Sancto Ioanni, qui dixit Patri, & Matri suæ:* non noui vos: *Huic ergo traditur Virgo qui suos nesciat.* Vide lib. 2. adnot. 3. num. 1.

1 Ioann. 21. *Dixit Iesus Petro sequere me.* Bonum Administrum Dominus format, qui eius vmbra sit, nec præcedat, sed sequatur. lib. 5. adnot. 2. n. 5.

2 *Conuersus Petrus vidit illum discipulum, &c.* egregius Principis administer, qui simul ac in Principis fauorem conuertitur, in alios intuetur, non se solùm, suaque, sed quæ aliorum sunt, videns. lib. 5. adnot. 26. num. 1.

3 *Quem diligebat Iesus.* Nonne facilius fuisset dicere, vidit Ioannem? cur ergo nomen suum reticuit? Erat quidem ille intimus Christi familiaris, & gratiã, qua valebat minimè iactabat. lib. 5. adnot. 22. n. 7.

4 *Quem diligebat Iesus.* Nonne, & ipse Ioannes Iesum diligebat? Cur ergo perpetuò dilectionem Domini erga ipsum, non sua in illum merita designabat? equidem quòd bonus Domini, siue Principis familiaris, vt totum se in eius obsequium impenderit, sua tamen in illum merita numquam ostentat. lib. 5. adnot. 14. num. 1.

5 *Quem diligebat Iesus.* Qui videlicet peculiari Domini gratia potiebatur: qui plurimum apud eum poterat. Quid inde? Qui hac ratione compulsus omnes homines diligeret eximiè: hoc nimirum pondus fraternæ dilectionis ei Dominus imponens, vt plus amaret, qui plus amabatur. lib. 5. adnot. 25. n. 2.

6 *Quem diligebat.* Non vtcumque, sed signatè præ aliis maiora dilectionis signa erga illum exhibens. Cur ergo Petrum præ illo in sui Administrum delegit? Quòd alia iudicandi, alia diligendi ratio est, nec amãtem iudicare, sed cùm iudicaueris, amare oportet. lib. 5. Adnot. 4. n. 6.

7 *Qui & recubuit in cœna super pectus eius.* En optimam eligendi rationem: nam qui Petrum ob robur confessionis in suum Administrum delegit, Ioannem ob eximium animi candorem in sui amicum, cui sua secreta, & res gestas scribenda committeret, opportunè destinauit. lib. 5. adnot. 3. n. 12.

8 *Domine, hic autem quid?* Excessit tantisper Petrus Ministri, siue familiaris metas dum abditos Domini sensus scrutari voluit. Ideò notanter Dominus eius interrogationem retundens respondit: *Quid ad te?* lib. 5. adnot. 21. n. 7.

9 *Domine, hic autem quid?* Opportunè Chrysostomus homil. 87. apud S. Thom. in Catena: *Non sine causa recolit illam accubationem, sed vt ostendat, quantam Petrus haberet fiduciam post negationem: Qui enim in cœna non audebat interrogare, sed Ioanni interrogationem commisit, huic & præpositura fratrum credita est, & non solùm non committit alteri interrogare, quæ ad ipsum pertinent, sed de reliquo ipse pro aliis Magistrum interrogat.* Ea videlicet pœnitentiæ vis, & efficacitas subest, vt sortem cum vsuris recuperet. vers. 3. lect. 7. & 8.

IN DIE SANCTORVM INNOCENTIVM.

1 MAtth. 2. *Surge, & accipe puerum.* Et cur se itineris socium, & subsidiarium militem Angelus non offerat? Ne scilicet aliquo modo derogare videretur omnimodæ securitati, quam ipsummet periculum, quod pueri causa Maria, & Ioseph suscipiebant, illis dabat. Quippe pro causa Dei suscepta pericula nulla securitate carent. lib. 5. adnot. 10. n. 3.

2 *Surge, & accipe puerum.* Quid opus fuit dicere, *surge?* Poteratne, qui iacebat, aliò migraturus, puerum accipere, quin surgeret? Equidem eo dicendi modo innuitur, Principem, siue patrem familias, qui suis benefacturus, & opem laturus accurrit, à seipso eleuari, & peculiari dignitatis excellentia splendescere. lib. 3. adnot. 16. num. 5.

3 *Illusus esset à Magis.* Vides, quem exitum habuerit illa tam accurata diligentia, quã didicit, & mandauit, quid-

quid ad pueri necem, tamquam ad sui stabilimentum opportunum fore intellexit. Nimirum nisi auxiliaris Dei manus adsit, fluxæ, & infirmæ Principum cogitationes sunt. lib. 1. adnot. 14. n. 1.

4 *Occidit omnes pueros.* O malum Principem! potestate abutentem, & diram mortis sententiam pro libito, non pro iure decernentem! Antè sententia profertur, quàm obnoxius pœnæ demonstretur. lib. 4. adnot. 4. n. 1. præcipuè num. 7.

5 *Occidit omnes pueros.* Qua mente? Nempe, vt regnum inde stabilitet? O stultitiam! cùm calumniam agere idem, ac pati sit, & qui festinat, vt effundat sanguinem, contra sanguinem suum insidietur. lib. 5 adnot. 26. num. 2.

6 *Occidit omnes pueros.* O Principem à recta gubernandi ratione aberrantem, qui non pro salute communi, sed pro suis commodis pugnat, nec ad pietatem fortis, sed ad perdendos subditos est. lib. 3. adnot. 12. num. 6.

7 *Quærant in Bethleem, & in omnibus finibus eius.* Sed qua ratione, quo prætextu non solùm Bethleemiticos pueros, sed eos etiam, qui erant in finibus Bethleem occidit Herodes? Cùm is puer, cui ipse erat infensus, & quem ad mortem quærebat, omnino in Bethleem natus fuisset, vt ipse, & à Magis, & ab Scribis didicit. Equidem si de beneficentia ageretur, opportunè ille angustos in quos incidisset, limites excessisset, at cùm de nece inferenda agebatur, præscriptos iuris terminos iniustissimè transgressus est. lib. 4. adnot. 4. n.

8 *Vox in Rhama audita est, ploratus, & vlulatus multus.* In Rhama, idem est, ac sublimibus, in Aulis, in Regiis: Et in his quid nisi lacrymæ, luctusque audiuntur? Vbi enim fastigia honorum sunt, ibi & pœnarum cumulus adest. lib. 5. adnot. 7. n. 1.

IN FESTO S. THOMÆ CANTVARIENSIS.

Vide *infra in Dominica secunda post Pascha.*

IN CIRCVMCISIONE DOMINI.

1 LVcæ 1. *Postquam impleti sunt dies octo.* Exactissimus legis obseruator Christus Dominus dies octo natus, Circumcisionē patitur, cui non leuis pœna, & ignominia suberat. At quare, qui legis Dominus erat, legi subiicitur? Sanè eâ ratione, quia Legislator, & Princeps erat. Etenim qui leges exactè non obseruat, virtutemque, quæ lex viua est, non colit, Legislator, & Princeps phantasticus, atque fictitius est, non verus. lib. 1. adnot. 3. n. 2.

2 *Vt circumcideretur puer.* Minimè quidem circumcisionis lege tenebatur, præsertim cùm ipsa nò multo post abroganda foret, sed ei signatè obseruanda fuit, vt sese ostenderet excelsum in fortitudine Legislatorem, qui legum, quas tulit, diligens custos esset. lib. 4. adnot. 2. n. 1.

3 *Vt circumcideretur puer.* Poterat quidem, si priuatus esset, interioris animi conscientia contentus, legem, qua non tenebatur, non obseruare, sed qui Princeps erat, non tantùm à malo, sed ab omni etiam mali specie debuit abstinere. lib. 2. adnot. 9. n. 1.

4 *Vt circumcideretur puer.* Molestum id quidem, & minimè necessarium, nobis autem vtile, & necessariū. Ideò & ipsi puero qui nostri Princeps erat, & vtile, & necessarium fuit. Ea quippe est optimi Principatus norma, quæ ad subditorum vtilitatem cuncta molitur. lib. 3. adnot. 12. n. 2. Tuncque Princeps suum maximè negotium agit, cùm non agit, vt publicum agat. lib. 3. adnot. 13. n. 1.

5 *Vt circumcideretur puer.* Candidus Agnus gloriosè, & opportunè sanguinem fundit, vt niueum vellus regalem purpuram faciat. Boni siquidem Principes, atque Magistratus: *Consulares fasces, prætextam, curulemq, sellam, nihil aliud, quàm pompam funeris putant, claris insignibus, velut infulis velatos, ad mortem designantur.* lib. 3. adnot. 21. n. 2.

6 *Vocatum est nomen eius Iesus.* Id est, Saluator, opem, & auxilium ferens, beneficiens, vt ab illo omnes subditi consequantur augmentum. Bonus omnino Princeps, qui bonum suis anni initium, *& bonum annus est.* lib. 2. adnot. 22. num. vlt.

7 *Vocatum est nomen eius Iesus.* Satis, superque circumcisionis ignominia, & effusi sanguinis dolor gloriosò Saluatoris nomine compensata: cùm nihil malus sit in fortuna Principis, quàm vt possit, nihil melius, quàm vt velit, subditis benefacere. lib. 3. adnot. 16. num. 1.

8 *Vocatum est nomen eius Iesus.* Opportunum quidem, & necessarium Iesu nomen Christo impositum, quod Deo Patri primariò conuenit: Nam & *Deus noster, Deus salutis faciendi.* Psalm. 67. & si nomen *Iehoua*, exacutias, ab hac significatione sonit. Sanè quod non alia quàm Dei Patris exempla, germano ipsius Filio ad imitationem proponenda fuissent. Ad quem sanè modum Optimus Princeps non alia quàm magnorum Regum vestigia premere debet. lib. 3. adnot. 5. num. 1. & 3.

IN EPIPHANIA DOMINI.

1 MAtth. 2. *Cùm natus, &c. Ecce Magi ab Oriente.* Ecce prodigij instar censet Euangelista, Magos, siue Principes ad Dominum adorandum domo egressos. Vnde Chrysol. serm. 156. *Plus cæleste de Magis, quàm de stella signum est:* vt diaerit, multò maius, & diuinius miraculum fuit, Principes diuois, & cælestibus addictos videre, quàm nouam in cælo stellam illuxisse. lib. 2. adnot. 3. num. 3.

2 *Ecce Magi.* Quid quæso Magorum nomine sibi vult Euangelista? Vtique homines sapientes, & ea astris conie ctores, & veluti diuinatores. At cor Reges, & Principes viros, Regum appellatione silentio pressa, eo nomine designauit? Sanè vt innueret, Principes bono publico, & gubernationi intentos, eam à Deo lucem accipere ad negotiorum nodos expediendos, vt diuinare videantur. lib. 3. adnot. 9. n. 1.

3 *Ecce Magi.* Origen. homil. 13. in Numer. *Ex Balaā ferunt Magorum genus, & institutio in partibus Orientis vigere, qui descripta habentes apud se omnia, quæ prophetauerat Balaam, etiam hoc habuerunt scriptum, quod orietur stella ex Iacob, &c. Et ideò quando natus est Iesus cognouerunt stellam, & intellexerant, adimpleri prophetiam magis quàm ipse populus Israël, &c.* Vides, vt proficua, & salutaris sit omnibus, præsertim Principibus, sacrorum librorum, & historiarum lectio, quando ab illis ad tantæ felicitatis cognitionem Reges fuere manuducti. lib. 3. adnot. 3. n. 1.

4 *Ab Oriente venerunt.* Quæ hæc sapientissimorum Regum mens fuit, proprias sedes, & regna deserere, quæ illis absentibus ab affinibus occupari, siue ab hostibus debellari facilè poterant? Equidem cùm Dei cultui, & Religioni inseruiebant, nihil illis mali timendum fuit, Deo eorum terram muro igneo circumdante. lib. 1. adnot. 14. n. 4.

5 *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Reges Regem appellant? Reges Regem quærunt, vt adorent? Itáne Regiæ maiestati attendunt, vt sese alij spontè subiiciant? Itaquidem, cùm à Religione, & Dei cultu Principum splendor, & regnorum stabilitas fit. lib. 2. adnot. 5. n. 3.

6 *Sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur.* Quid Dei

Dei verba sciscitatur, & discit à sapientibus Herodes, quæ ea opere expleturus non est? Quid aureum habere cupit caput, qui manus in sanguine innocentum inficere parat? Vers. 2. lect. 4. n. 1.

7 *In Bethleem Iuda.* Opportunè Princeps in Bethleem, id est, in domo panis nascitur, & inuenitur, qui suos subditos pascere, & reficere omnino debet. lib. 3. adnotat. 12. n. 4.

8 *Diligenter didicit ab eis tempus stellæ.* Vides, quàm diligens, & studiosus politicæ, & terrenæ sapientiæ discipulus fuerit Herodes? vnde & statim subdit, *interrogate diligenter*: cùm tamen salutis animæ causa, nec pedem domo extulerit. Nimirum terreni Principes addicti cælestia vix curant. lib. 2. adnot. 3. n. 2.

9 *Diligenter didicit.* Sed, num hæc status ratio, & exactissima diligentia, ad tutandum Regem, & regnum incolume seruandum satis est? Apage; nimirùm ea tantùm vera, solidaque status ratio est, quæ Deo innititur. lib. 1. adnot. 13. n. 1.

10 *Supra vbi erat puer.* Bonauent. in speculo B. Virginis lect. 4. Nolo desperare diuites: quia non solùm pauperes pastores, sed etiam diuites Reges pauperem Mariam, & pauperem filium eius inuenerunt, sicut dicitur: & intrantes domum, &c. At enim accuratè dispice, quomodo Reges ad Dei filium aditum habuerint, stella illos manu ducente: ergo ait de illa Matth. *Vsque dum veniens staret supra vbi erat puer.* Non ait, *supra puerum*, sed *supra vbi erat puer*: vt ostendat Reges ab stella ad Mariam primùm fuisse deductos, tantùm non illis lingua sua inclamante, Mariam esse puttam, & viam, qua inoffenso pede ad filium per tot discrimina peruenirent. lib. 2 adnot. 2. n. 2.

11 *Aurum, Thus, & Myrrham.* Sedulius. *Aurea nascenti fuderunt munera Regi. Thura dedere Deo, Myrrham tribuêre sepulto.* Sed quæ sunt ista veræ fidei munera, siue quæ hæc credendi ratio fuit, vt qui Deum confitentur, mortalem prænuntient? Respondet Nazianzen. oratione 38. *Cùm Magi dona offere, vt Regi, vt Deo, & vt salutis tua causa mortuo.* Vt dixerit, inclyta quidem Magorum fides fuit, qua Christum, qua Regem, imò & qua Deum pro suorum salute mortem subeuntem considerarunt. lib. 3. adnot. 21. n. 2.

12 *Myrrham.* Quàm vtilis, quàm necessaria Principibus mortalitatis suæ cogitatio, & assidua mortis consideratio est; quando ipsamet cælesti Principi vix nato mortis imago ob oculos ponitur. lib. 2. adnot. 1. num. 1.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

1 LVcæ 2 *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinē diei festi.* Scitè perquirit Augustin. lib. 2. de consensu cap. 10. *Quo modo sicut Lucas narrat, ibant parentes eius per omnes annos pueritiæ Christi in Ierusalem, si Archelai timore prohibebantur accedere?* Respondet verò sapienter. *Quod ita timebant parentes pueri habitationem in Ierusalem, vt tamen propter timorem festiuitatem solemnem non prætermitterent.* Nimirum timentes, & colentes Deum, ipse igneo muro circumdat, ne vllis sint periculis obnoxij lib. 1. adnot. 14. n. 2.

2 *Ascendentibus illis.* Imò verò, si benè æstimas, nulla illis præsidiaria manus opus erat, quando ipsomet discrimine protegebantur. Nihil enim securius, quàm Dei causa periculum subire. lib. 5. adnotat. 10. n. 1.

3 *Ascendentibus illis.* Eucherius homil. de his verbis, *Religiosi parentes per annos singulos ibant in Ierusalem, vt legem audirent, sacrificiis participarent, solemnitatibus interessent, & eius adhuc vmbra seruiebant, cuius iam tenebant veritatem.* Cur ergo, qui veritatem tenebant, de vmbra curabant? Ne videlicet si sacrificiis non interessent, alijs scandalo fuissent, cum non tantùm à malo, sed à mali specie abstinere debeamus. lib. 2. adnot. 9. n. 5.

4 *Remansit puer Iesus in Ierusalem.* Audi Bedam homil. de his verbis. *Quòd ergo Dominus per omnes annos cum parentibus in Pascha Ierosolymam venit, humanæ nimirum est humilitatis indicium: Hominis est namq; ad offerenda Deo sacrificiorum spiritualium vota concurrere, & auctorem suum orationibus, lachrymisq; sibi conciliare profusis. Fecit ergo Dominus inter homines homo natus, quod faciendum hominibus per Angelos imperauerat Deus. Seruauit ipse legem, quam dedit.* Opportunè, nam Princeps imperio magnus, maior exemplo esse debet. lib. 1. adnotat. 4. n. 5.

5 *In Ierusalem.* Non in vrbe, sed in templo. Vt Principes quò felices euadant, admoneret, adire templa, & summam Religionis curam suscipere. lib. 2. adnot. 5. num. 1.

6 *Et non inuenientes.* Num? vt ignoraret Maria vbinam signatè Filius esset, nesciebatne in tuto loco, & in iis quæ ad Deum pertinebant esse? Minimè sanè: sapientia enim, & prophetiæ spiritu omnes sapientes, Prophetasque excedebat: sed voluit eum solicitè, dolenterque quærere, ne in sapientiæ prærogatiua sponso suo Iosepho prælatam se ostenderet. En quo pacto debeant digniores sese minus dignis æquare, nec præclariora, quibus vigent dona ostentare. lib. 5. adnot. 22. n. 7.

7 *Audientem illos, & interrogantem.* Hieronym. epist. 103. cap. 4. *Prudenter interrogans docet senes: magis docet, dum prudenter interrogat.* Ita ille. Certè Dauid Psal. 17. dicebat: *Disciplina tua ipsa me docebit*: vbi pro *disciplina*, in Hebræo est *humiliatio*, siue *mansuetudo*: quasi hæc sit, quæ efficacius doceat. lib. 2. adnot. 17. n. 7.

8 *Audientem illos, & interrogantem.* Beda indidem. *Ipsa Dei sapientia homine induta ad audiendos homines aduenire dignata est, vt nimirùm hominibus, quamuis summo ingenio praeditis necessariam discendi verbi formam prærogaret, ne, si qui discipuli veritatis fieri refugerent, magistri efficerentur erroris.* Ergò Princeps, siue Prælatus subitò non fit, sed multarum cognitione, studio, & vsu opus habet. lib. 3. adnot. 1. n. 1.

9 *In his, quæ Patris mei sunt.* Potuit dicere, in his, quæ ad me attinent, siue quæ mea sunt, qui alibi ad Patrem dixit: *Omnia tua mea sunt*, sed quæ eius modestia erat, maluit omnem Patri honorem deferre. lib. 5. adnot. 17. n. 2.

10 *Et erat subditus illis.* Bernard. homil. 1. super Missus est. *Quis quibus? Deus hominibus; Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus, & potestates obediunt, subditus erat Mariæ: nec tantùm Mariæ, sed etiam Ioseph propter Mariam.* Planè vt disceret ex his, quæ passus est, obedientiam, *& quod est in omni vita vtilissimum, imperata facere, vnde imperandi scientia discitur.* lib. 2. adnot. 7. n. 4

DOMINICA II. POST EPIPH.

1 IOan. 2. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilea. Vocatus est autem Iesus. &c.* Quid Domino, & hominum nuptiis, atque conuiuiis? Audi Cyrill. Alexand. ibid. *Miraculi potiùs quod acturus erat, quàm conuiuij causa profectus.* Bonus quidem Princeps, qui non sibi, sed alijs viuit, & subditos potiùs, quàm seipsum pascit. lib. 3. adnot. 13. n. 2.

2 *Vocatus est autem Iesus.* S. Maximus homil. 1. in Epiphaniam. *Vadit ad nuptias, non sumpturus pocula, sed daturus.* Daturus quidem miraculis initium, & manifestissimum egregij Principis specimen, qui dare potiùs, quàm accipere gaudet. lib. 2. adnot. 22. n. 4.

3 *Et deficiente vino.* Cyprian. epist. 63. *Quia apud Iudæos defecerat gratia spiritualis, defecit. & vinum.* Vna quippe virtus est, à qua cæteris bonis stabilitas adest. lib. 1. adnot. 14. n. 1.

4 Dicit

Digitized by Google

4 *Dicit mater Iesu ad eum.* Ambrus. serm. 16. in Psalm. 118. *illa rogabat pro nobis:illa festinabat dicens, vinum non habent.* Pergit Bernard. *Si hoc fecit inuitata, quid faciet inuocata?* Vt discas, Mariam in necessitatibus adeundam, vt per ipsam ad Filium facilem accessum habeamus. lib. 2. adnotat. 6. n. 2.

5 *Dicit mater Iesu ad eum.* Scitè Rupertus. *Optabat Dei genitrix communantibus fieri iannua cælestis auxilij ne illorum deuotio, qui se inuitauerant, fructu suo careret.* Vide, quò primùm eat sollicitudo, quam pro nobis Deipara gerit, vt videlicet temporalibus auxiliis sufficienter adiuti sempiterna fiducialius appetamus, à terrenis ad cælestia gradum facientes. Quàm aliter illi, qui terrenis addicti nullum cælestibus aditu relinquont. lib. 2. adnot. 3. n. 1.

6 *Vinum non habent.* Quid modestius? Quid humilius? Quod illa, cui subditus erat filius, tam parcis verbis vtatur. Sed noluit aliis vti, quæ suam dignitatem manifestam facerent. Quippe prudentiæ est, cùm apud Principem plurimum possis, eius gratiam minimum ostentare. lib. 5. adnot. 22. n. 7.

7 *Vinum non habent.* Bernard. ferm. t. de nuptiis Cana. *Compassa est eorum verecundiæ, sicut misericors, sicut benignissima.* Sed quomodo compassa fuit? Aperit idē Bernardus ferm. de verbis Apocalypsis, inquiens. *Aliorum quippe verecundiam suam reputant, sustinere non potuit.* Is quippe Princeps, siue Prælatus suorum amans omnino fuerit, qui æquè, ac ipsi, eorum ærumnis tangitur. lib. 3. adnot. 19. num. 1.

8 *Quid mihi, & tibi est mulier.* Bernard. ferm. 2. *Quid tibi, & illi, Domine? nonne quod filio, & matri? Quid ad illā pertinent, quæris, cùm tu sis benedictus fructus ventris eius immaculati? Nunc ergo Domine, quid molestum es illi, dicens quid mihi, & tibi?* Respondet dubio Iansenius Matt. quæst. 136. *Non obturganda matris causa à Seruatore dictum est, sed vt hoc declararet, ne dicant eos esse, qui nobis vinum in nuptiis consumptum cura esse pollicitus fuimus.* Vt modestissimus Dominus omnem à se iactantiam remoueret, atque eo modo conferret, vt beneficij munus non exprobraret. lib. 5. adnot. 35. n. 4.

9 *Manifestauit gloriam suam.* Quid? transfigorationis fuit, aut aperti sunt super eum cæli? Qua ergo ratione manifestasse gloriam suam dicitur? Planè quod beneficum, ac liberalem sese fuis exhibuit: nam Philosopho auctore lib. 1. Rhetor. ad Theodectem cap. 5. *Honor est existimationis benefactiue iudicium:-honorantur ergo maximè atque merito, qui beneficia contulerunt.* Vnde quidē Regiæ fortunæ magnitudo, ac splendor à beneficentia desumitur. lib. 3. adnot. 16. num. 1.

10 *Gloriam suam*, gloriam scilicet, *quasi vnigeniti à Patre.* Nam Dei proprium est portare omnia verbo virtutis suæ, & fessis, ac afflictis rebus subuenire. lib. 3. adnot. 20. n. 7. 8.

11 *Gloriam suam.* Veri Dei, & germani Principis gloriam: ne in eius oculis siue ipso vidente sui aliquando subditi affligantur: sed quàm longè à Domini oculis falsorum sæculi Numinum oculi eunt, qui pleni sunt puluere à pedibus introeuntium. lib. 5. adnot. 6. n. 5. & 6. Quibus pulchrè accinit Ambrosius. lib. 6. in Lucam: egregium hoc Christi beneficium cum fabuloso illo deorum dono apud Poëtas celebrato, dum quidquid Rex quidam tangebat in aurum mutabatur, sic committens. *Conferant gentiles, si placet, cum Christi beneficiis deorum suorum non facta, sed ficta: ferunt certè eorum fabula fuisse Regem quemdam, qui quidquid tangebat aurum fiebat, sed etiam conuiuia ipsa feralia. Nam & ipsa mantilia digitis apprehensa rigueruut, & cibus in ore crepitabat, ferens non alimenta, sed vulnera, & in gutture potus hærebat, nec penetrare faciles nec redito. Talia sunt deorum beneficia, vt cùm videntur prodesse, plus noceant. At verò Christi munera parua videntur, & maxima sunt.*

P. Velasquez in Psal. centesimum.

12 *Gloriam suam.* Dum videlicet vinum ex aqua factum, & conuiuantibus exhibitum. Et signum, & pignus fuit Christi sanguinis pro hominum salute profusi: sic namque Isidor. Pelusiota. lib. 1. epist. 395. *Primum illud miraculum, quod à Domino editum est, non simpliciter, ac sine causa extitit. Quamuis enim nuptiis quoque id quod opus erat præbuit, tamen id etiam quod legi deerat suppleuit. Quoniam namque illa in aquis duntaxat baptizabat, ipse suo cruore initiationem sacram perfecit, vtrumque in seipso miscens, ac legem cum gratia copulando.* Hæc enim Christi gloria, & Dei gloria est, pro suorum salute mortem libenter obisse: nam Aristotele præfato loco auctore. *Beneficentia illa primas partes habet, quæ salutis est causa, & vt sinus.* Vide lib. 3. adnot. 21.

DOMINICA III. POST EPIPH.

1 MAtth. 8. *Cùm descendisset Iesus de monte, secuta sunt eum turba multa.* Ac si dixerit, cùm descendit ad humilitatis officia: tunc ascendit, & ab hominibus cognitus, & adoratus est. Nimirum ab humilitate honor, dignitas, & excelsitas aduenit lib. 2. adnot. 10. n. 1.

2 *Turba multa.* Obserua in his turbis turbas, & non turbas. *Secuta sunt eum turba multa* (inquit Origin. homil. 5. in diuer. sis) *quidam propter charitatem, plerique propter doctrinam: nonnulli propter administrationem, & curationem.* Felices illi, qui animo non vulgari, sed candido, charitate non concupiscentiæ amore ferebantur. lib. 5. adnot. 15. n. 2.

3 *Turba multa.* Euthymius hic: *Considera turbarum beneuolentiam: ipsi siquidem doctrinam sublimē auribus percipiebant, & admirabantur, credebant, at sequebantur. Principes autem ipsorum, & Scriba, promulgantibus quoque virtutem eius signis offendebantur, credebantur.* Quare? nonne magnæ, & acutiores Principum, & Scribarum mentes sublimi doctrinæ Christi audiendæ, & suscipiendæ magis idoneæ, & aptiores erant? Audi Chrysostom. homil. 26. in Matth. *Non aliqui Scribarum videlicet, ac Principum, sed qui erant à malitia liberi, incorruptaque sententia per totum prorsus Euangelium est ternis affixæ.* Quippe malitia præoccupatæ, & corruptæ mentes lucis, & doctrinæ cælestis capaces non sunt. lib. 2. adnot. 8. n. 3. 7.

4 *Et ecce leprosus.* Rursum Euthym. hic. *A doctrina transit ad miracula, quia enim tamquam auctoritatem habent docebat, ne iactabundum esse putetur, & arrogantē operibus quoque suam ostendit potestatem, & sermones reipsa confirmat.* Vt hinc videris ab operibus sermones confirmari, eumque iactabundum, & arrogantem Doctorem, Principemque esse, qui verbis potiùs, quàm exemplo aliis præire vult. lib. 1. adnot. 3. n. 1.

5 *Si vis, potes me mundare.* Quare non dixit absolutè mundame, sed *si vis, &c.* Benè Ambr. lib. 5. in Lucam: *De voluntate Domini non quasi incredulus dubitauit, sed quasi collusionis sua conscius, non præsumpsit.* Gratissima quidem Domino modestia, atque humilitas, qua quis quò ipsum benigniorem experitur, eò submissius cum eo agit. lib. 5. adnot. 12. n. 5.

6 *Si vis potes.* Ambros. *In voluntate Domini tribuit potestatem.* Fulgentius lib. 2. ad Trasim. cap. 12. *Cùm dicit, si vis potes, ostendit, diuinam voluntatem ipsam esse plenissimam potestatem.* Ergo aculeata leprosi verba, quibus Dominum, & potestatis, & voluntatis suæ admonuit, tantùm non dicens quod Alexandro Demosthenes. *Nihil in fortuna tua maius habet, quàm vt possis, nihil melius, quàm vt velis benefacere.* lib. 3. adnot. 16. n. 1.

7 *Et extendens manum.* Bonam Principis manum, quæ ad dandam salutem, non ad accipiendum extenditor. lib. 2. adnotat. 22. num. 5.

8 *Et extendens manum suam.* Origenes homil. 5. in diuersis. *Vt magnam gratiam tibi ostendam, manum ad te*

porrigo. Acutè, vt dixerit, vbi manus est Principis, magnum ibi gratiam adesse necesse est, non enim magnū patua decent. lib. 3. adnotat. 4. n. 1.

9 *Tetigit eum.* Origenes ibi. *Et quid est quod tetigit? vt humilitatem demonstraret, & nos doceret nullum spernere, aut horrere, vel contemptibilem ducere.* Egregia quidem Principis virtus affabilitas, quæ illum facilem, atque humanum omnibus facit. lib. 2. adnot. 17. n. 2. Pergit Origenes admonens omnem à Principe operam in eorum mundatione fore nauandam pro quibus ipse Deo rationem redditurus est. Optimè quidem, vt dixerit: qui exactissimam de subditis est redditurus rationem, otiosámne in sinu manum habebit, quin illam ad opus perficiendum incessanter extendat? Vide lib. 1. adnot. 11. n. 1.

10 *Tetigit eum.* Notantet non contentus verbo, quo cælus firmauit, salutem dare, extendit manum, & tetigit infirmum, vt moneret Principes, & Prælatos gubernationi Reip. immediatè per se intendere. lib. 3. adnot. 6. n. 1.

11 *Volo, mundare.* Opportunè Hieronym. *Considera quàm humilis, & sine iactantia responsio: ille dixerat: si vis; Dominus respondit, volo: ille præmiserat,* potes me mundare, *Dominus iungit, & dicit.* Volo mundare. Pergit Chrysostom. homil. in illud Apostoli, cùm autem subiecta fuerint illi omnia: *Sermo nonnumquam à temeritate proficiscitur, si ergo dixisset volo, & non subsecutum esset opus, fortasse: nunc verò cùm vocem opus subsequitur: & sermonem ut ægrè feras, & opus reuerere.* Disce hinc modestissimè loqui, etiam cùm egregia opera patraueris, non enim à sermonis iactantia, sed à modestia eximiis operibus accedit splendor. lib. 2. adnotat. 20. n. 4.

12 *Non inueni tantam fidem in Israel.* Laudatur optimo iure Centurio, quia terrena bona transtulit ad cælestia: & prudenti arte, temporalia coëgit spiritualibus inseruire. Ideò rectè centū regebat milites: quo numero spiritualis profectus adumbratur. n. 8.

DOMINICA IV.
POST EPIPH.

PRo salutatione, adi Richardum à S. Laurentio hanc Deiparæ historiam sic accommodantem. *Dormiente Domino in nauicula crucis,* motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula *Ecclesia* operiretur fluctibus, *ipsa verò sicut mulier fortis, tunc sola gubernaculum fidei constanter tenuit, quia tota nauis Ecclesiæ, tunc eius fidei innixa est.* Ad ipsam ergo tamquam ad fidissimum sydus dirigendus est cursus, & ad filium non nisi per Matrem opportunè accedendum. lib. 2. adnot. 6. n. 2.

1 Matth. 8. *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus: ipse verò dormiebat.* Nihil dici potuit accommodatius ad præsentissimum vitæ, & gubernationis discrimen describendū, quàm ad imperturbabilem quietem, & securitatem, qua inisti, & perfecti Principes potiuntur: etenim cùm ipsi adiutorem Deum habent, etiam adhuc illis dormientibus periculosissimæ procellæ sedantur, & moti fluctus componuntur. lib. 1. adnotat. 10. n. 5.

2 *Domine salua nos, perimus.* Apud Marcum habetur. *Non ad te pertinet quia perimus?* Quibus Dominus. Quid timidi estis modicæ fidei? Acris quidem increpatio, sed omnino iusta. Quid enim fuerit dicere. *Non ad te pertinet?* quàm de illius amore, & prouidentia ergà subditos dubitare? Quid namque ad Principem magis pertineat, quàm subditorum salus? lib. 3. adnot. 11. num. 3.

3 *Quid timidi estis modicæ fidei?* Apud Lucam: *vbi est fides vestra?* Meritò eorum fides vacillabat, qui in periculis Dei causa susceptis timent, Deum quippe potentem ad cieudum tempestatem, non ad sedandam credere videntur, quo quid longius in fide perfecta fuerit. lib. 5. adnot. 10. n. 5.

4 *Et facta est tranquillitas magna.* Ad Christi Domini vocem sedantur fluctus, pacantur vndæ, mitescunt venti, nec vlla perturbationis vmbra persistit. En vbi Deus adiutor adstat, cuncta tranquillitatem sortiuntur. Quære adiutorem Deum, quoties emergentes, vel extra te, vel intra te, tumultus compescere conaris. lib. 1. adnotat. 10. n. 6.

5 *Porrò homines mirati sunt.* Euthymius. *Magis in admirationem duxit hoc miraculum, quàm præcedentia: quia nullus vnquam tale quidpiam operatus est. Neque enim virgam extendit, vt Moyses, neque se aquis admouit vt alij, sed cum auctoritate præcepit, vt Dominus seruis, & vt Creator creaturis.* Nimirum qui Dominus, & creator haberi volebat, maiora quidem opera quàm Moyses, & alij facere debuit: vt dignitati opera responderent. lib. 1. adnot. 6. n. 3.

6 *Quis est hic, quia mare, & venti obediunt?* Supra hominem agnoscunt eum, qui maris fluctus, ventorumque futurem fœnabat. Quod si ad mores adducas, inuenies procul dubio diuina eum virtute prædItum fore, qui ingruentes subditorum tumultus, & Reipublicæ fluctus hinc inde erumpentes impetio suo frænat, & coërcet. lib. 1. adnot. 10. n. 5.

DOMINICA V.
POST EPIPH.

1 MAtth. 13. *Cùm autem dormirent homines.* Hieronym. *Homines, qui dormiunt, Magistri Ecclesiarum intellige, &c. Quamobrem non dormiat, qui Ecclesiæ præpositus est, ne per illius negligentiam inimicus homo superseminet zizania.* Secus quidem iam de zizaniis, quàm de exactis ab illis supplicijs Deo rationem redditurus est. lib. 1. adnot. 11. n. 1.

2 *Superseminauit zizania in medio tritici.* Chrysost. siue Auctor operis Imperfecti homil. 13. in Matth. *Sicut enim, vbicumque fuerit triticum, necesse est, vt inueniantur illic & zizania: sic vbicumque fuerit bonum Dei, illic erit, & scandalum inimici. Ecce propositi facere eleemosynam, sed ascendit super cor tuum velle hominibus apparere.* En triticum horreis destinatum in zizania flammis tradenda commutatum. Ergo nihil vilius, nihil magis necessarium, quàm rectam in omnibus rebus intentionem habere. lib. 5. adnot. 18. n. 2.

3 *Serui autem dixerunt, vis imus, & colligimus ea?* Ministrorum voces sunt, ad vindictam properantium, quas Dominus patienter retardat, non quòd supplicium de malis sumendum non sit, sed quod Princeps in puniendis sontibus, non regem, qui omnia possit, sed iudicem, iuris ordinem, & modum seruantem sese exhibere debet. lib. 4. adnot. 4. n. 2.

4 *Vis, imus, & colligimus ea? & ait, non.* Benè inducitur in hac parabola Deus indicans sub hominis persona summmet spiritum, qui humanum, Angelico, immò & diuino quodammodo præferens? quòd ipsi humanitas, & clementia mirè placeant, & ad iudiciū ferendum opportuniores sint. lib. 4. adnot. 8. n. 3.

5 *Et ait, non.* Optimus Princeps, qui ad instar Patris, tardè membra sua abscindit, & in abscindendo gemit, cunctatus multum, diuque. lib. 4. adnot. 9. n. 5.

6 *Ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul, &c.* Isidorus Pelusiota, lib. 1. epistol. 195. *Hoc est, ne rapiatur peccator, ad vitæ emendationem spectans.* Subiicit. *Ita Matthæum portoritis exigendis operam dantem morte non affecit, ne Euangelij prædicationem impediret: nec Petri abnegationē vltus est, quoniam calentes ipsius lachrymas prospiciebat.* Similiter Hieronymus. *Datur locus pœnitentiæ, & monemur, ne citò amputemus fratrem, quia fieri potest, vt cras resipiscat.* Nimirum pœnitentia Dei marsupium est, & salutis arbor, quæ homines in peccatis mortuos resuscitat. Vers. 3. lect. 4. n. 1.

7 *Sinite vtraque crescere.* Bernardus Serm. 12. in Psalm. 90. *Sinite vtraque crescere, non negligendo disciplinam, sed habendo patientiam: quasi dicat, estote contenti, quòd estis ministri, cultores, & serui: ne velitis esse iudices, aut messores, quia nec tempus est, nec ad vos id pertinet.* Vt moneantur Principes atque Prælati ministros suos in suo munere, & ordine continere, ne dominationis vim sibi præripiant. lib. 5. adnot. 2. n. 1.

8 *Sinite vtraque crescere.* Benè S. Laurentius Iustinianus. *Sicut in vinea fructus folijs tegitur sic in Ecclesia boni turba peccantium obumbrantur.* Sed non minus opportunè diceris, malos à bonis obumbrari, & protegi, quòd iustorum meritis, & precibus à Deo sustententur. Vers. 6. Lect. 2. n. 1.

DOMINICA VI. POST EPIPH.

1 MAtthæi 13. *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Ambrosius serm. 2. de his verbis. *Arbitror, hoc ipsi Christo Domino rectè comparari, qui nascendo, in hominem humiliatus vt granum est: ascendendo ad cælum, exaltatus vt arbor est.* Et rectè quidem granum minimum fit arbor præcacelsa, quia ab humilitate celsitudo, & eximium Principi ornamentum aduenit. lib. 2. adnot. 35. num. 3.

2 *Grano sinapis.* Pende rursus Ambrosij verba, *Nascendo humiliatus, vt granum est.* Granum quidem sinapis efficax, viridum, accendens. *Nihil enim adeò inflammat homines ad amandum Deum* (inquit Sanctus Thomas) *quàm diuina humilitas.* lib. 2. adnot. 14. n. 4.

3 *Grano sinapis.* Paulinus epistola 6. *Memento granum sinapis, de quo semine sumus, si conteratur, accendi magis, & tum demum in vim suam excitari. Quamobrem debemus quasi natura nostra in hoc respondere, vt aduersis sermonibus contriti, inardescamus, & eos ipsos qui nos, vt minimos hominum, quasi granum sinapis, quod minimum est, frangere conantur, vramus.* Egregia quidem victoria, quæ de inimicis suis patientia, & benignitate in ipsos refertur. lib. 4. adnot. 02. num. 6.

4 *Simile est regnum cælorum fermento, &c.* Cyril. Alexand. lib. 4. in Ioannem cap. 57. *Hoc modo Christus in nobis manet, & nos in Christo, verè enim totum fermentum in totam massam pertransit.* Bonus omnino Princeps, qui ad suorum vtilitatem cuncta molitur. lib. 3. adnotat. 12. n. 1. Et verò dum fermentum seipsum videtur exinanire, dum in totam massam pertransit, tunc in illa perfectiùs, & sapidiùs inuenitur. lib. 3. adnotat. 13. num. 5.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

1 MAtth. 20. *Exiit primo mane.* Chrysost. apud S. Thom. in Catena. *Homo paterfamilias Christus est, cui cæli, & terra quasi vna est domus, familia autem cælestium, & terrestrium, & inferiorum creaturarum.* Vbi omnino vides Christi imperium, idque præ omnibus supremum eum familiæ comparari. Cur? nonne opportunius Christum Regem appellasset, & amplissimum eius regnum descripsisset? Appellauit quidem Regem, regnumque eius designauit, ancto censu, dū ipsum, non vtcumque Regem, sed verum, & germanum de mane vigilantem, & negotiorum expeditioni incumbentem, sub imagine patrisfamilias adumbrauit. lib. 3. adnot. 6. num. 1. signatè verò nom. 7.

2 *Conducere operarios.* Chrysost. indidem. *Scitote ergo, quia mercenarij sumus conducti, sicut ergo nemo conducit mercenarium, vt hoc solùm faciat, quod manducat, sic & nos non ideò vocati sumus à Christo, vt hæc solùm operemur, quæ ad nostrum pertinent vsum, sed ad gloriam Dei.* Ideò videtis Paulum Iudæos lucris, & voluptatibus deditos appellasse, *malos operarios*, Ad Philip. 3. Ergo vnicus

P. Velasquez in Psal. centesimum.

nobis scopus, Dei gloria. Vers. 1. lect. 7. n. 1. & lect. 8. n. 1. & lib. 5. adnot. 15. n. 1.

3 *Conuentione autem facta.* Quid opus fuit Domino cum seruis suis conuentionem facere, sed ipsis pro libito vti? Sanè, quòd bonus Princeps pro ratione, & modestia potestatem suam castiget, nec omnia omnino, quæ potest exequatur. lib. 4. adnot. 5. n. 1. & adnot. 6. num. 1.

4 *Vidit alios stantes in foro otiosos.* Quid est, in foro? Respondet Chrysostom. ibi supra, fori similitudine vitam istam adumbrari. *In hoc enim mundo vendendo, & emendo viuunt homines, & inuicem sibi fraudem facientes vitam suam sustentant.* At quomodo hi otiosi esse dicuntur? otiosúsne est mercator? otiosúsne est, qui fraudem, & iniuriam alij infert? imò verò horum vita occupatissima est. Respondet Gregor. in eadem Catena. *Qui autem sibi viuit, qui carnis suæ voluptatibus pascitur, rectè otiosus arguitur, quia fructum digni operis non sectatur.* Alijs ergo, siue aliorum bono viuere debet, qui vt otiosus, non est arguendus. lib. 3. adnotat. 15. num. 8.

5 *Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, &c.* Quid ad vos, qui ea denario conducti estis? Ipsi aperiunt, dum pares illos vocant. Nimirum æqualium augmentum ægris oculis aspiciunt, nec tam sunt illi de proprio lucro contenti, quàm tristes de alieno. lib. 5. adnot. 8. num. 5.

6 *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Notanter Bonus Dominus à murmurante seruo, ea recta intentione se discriminauit. Ob hanc opus suum excusans, & illius accusationem condemnans. lib. 5. adnot. 08. num. 1.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

1 LVcæ 8 *Exiit, qui seminat, seminare semen suum.* Notanter Principem seminantis imagine descripsit, cuius opus esset seminare, id est, benefacere: notantissimè verò ipsum iterum, atque iterum seminare dixit, vt ostenderet, hanc Regiæ dignitatis legem esse, vt ex iustitia benefaciat, & debere se, quod spontè tribuit, existimet. lib. 3. adnotat. 15. n. 1.

2 *Exiit qui seminat.* Congruit parabolæ historia: nam vt illam turbis proponeret, inquit Matth. 13. *Exiens Iesus de domo sedebat secus mare*, ad quæ verba Hieronymus. *Considerandum etiam quod populus domum Iesu non poterat intrare, nec esse, vbi Apostoli audiebant mysteria: idcirco miserator Dominus egreditur de domo sua, & sedet iuxta huius sæculi mare, vt congregentur ad eum multæ turbæ.* Ne videlicet gratiam suam intra domus angustias concluderet: sed omnibus generaliter sine personarum acceptione proponeret. lib. 4. adnotat. 14. num. 1.

3 Pergit ibi Matthæus: *Ita vt in nauiculam ascendens sederet: & omnis turba stabat in littore.* Vide Chrysostom. in Catena. *Hoc autem non simpliciter Euangelista posuit, sed vt monstraret, quod Dominus hoc fecerit, volens cum diligentia hoc spectaculum statuere, vt nullum dimittat post dorsum, sed omnes coram facie habeat.* Optimus quidem Princeps: qui nullum è subditis despicit, aut post dorsum habet, nullius obliuiscitur, sed omnes honore afficit. lib. 3. adnot. 14. n. 1.

4 *Exiit seminare.* Non ergo in alto otio degit Deus, vt mentiuntur impij, dum operi suo intentus ad res hominum exit, easque maximè curat. Vt videtit Princeps, nō satis esse, fidos ministros habere, nisi ipse etiā negotiorum expeditioni intersit. lib. 3. adnot. 6. n. 2.

5 *Semen suum.* Bene omnino *semen suum.* Ne subinde meterer nisi quod ipse præseminauit, vt ei malus seruus egregiè mentitus obiiciebat. *Tollis quod non posuisti, & metis vbi non seminasti.* Matth. 25. 24. Procul

quippe à viro Principe auaritiæ sordes esse debent. lib.2.adnot.22.n.4.& 5.

6 *Semen suum.* Prodigusne, siue bonorum suorum dissipator fuerit agricola, qui semen suum largiter spargit? Non opinor cùm fructum tricesimum, sexagesimum, & centesimum sit percepturus? Innixus ergo etiam huic rationi Princeps communi suorum bono intendat, omnino persuasus tunc maximè suum negotium agere, cùm non agit. lib.3.adnot.13. num.1.

7 *Natum aruit, quia non habebat humorem.* Bedâ. *Hoc est autem humor ad radicem seminis, quod iuxta aliam parabolam oleum ad lampades virginum nutriendas.* Ergo incultus ad virtutem animus, temporalis scilicet, & terrenis rebus addictus (qui per petram significatur) non habet humorem ad cæleste semen excipiendum, nec aliquid ei spirituale, & cæleste potest inhærere, quippe spiritualia cum terrenis affectibus non componuntur. lib. 2.adnot.3.n.4.

8 *Interrogabant discipuli eius quæ esset hæc parabola.* Scitè Chrysostomus. *Non dicit manifestè: quoniam hæc susceperunt desides, & perdiderunt: hæc autem diuites, & suffocauerunt: hæc autem molles, & perdiderunt: non voluit eos vehementer tangere, ne in diffidentiam mitteret.* Nimirum admonitionis amaritudo blandimento orationis condienda est. lib.5.adnot.20.n.1.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

1 LVcæ 18. *Assumpsit duodecim discipulos secretò.* Notanter apud Marcum cap.10. *Et præcedebat illos Iesus, & stupebant.* Sed quare stuperent? Sanè quia nouũ, & insolitum Christo Domino suos præcedere, sed æquum se illis exhibere: imò verò ministrare illis, non ministrari. At enim si tunc illi nossent, quò ipse iret: nempe ad passionem, & mortem pro illis perferendam, minimè stuperent: ergo bonus Dominus in laboribus, & duris suos præcedit: in honore autem mauult, vt ipsi ipsum præcedant, apud Ioan. 14. dicente: *Quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* lib.4.adnot. 21. num.6.

2 *Et filius hominis tradetur, &c. & condemnabunt eum morte.* Chrysostom. serm.6. de Passione Domini. *Quæ patiendi necessitas, vbi saluandi inest, & possibilitas, & potestas?* Sanè quod egregia Domini in nos charitas suo id iure efflagitabat, vt plenius elucerer: præfata adnotat.21.num. 4. Subiicit verò præfato loco Chrysostomus. *Rex quando gloriosior? Quando indutus purpura, diademate decorus, asperfus auro, solio sublimis, &c. An quando in campum conueniens vultu, & honore vltimus, periculis primus, onustus ferro, grauis armis, pro patria, pro liberis, pro vita omnium premit hostem, discrimina despicit, contemnit vulnera, &c.* Vt dixerit, nihil æquè regium est, quàm Principem pro suis agere, & pati fortia. Indidem num.1.& 6.

3 *Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, &c.* Sed vt Dei filium mori æquũ fuerit: quid tam multis suppliciis, & doloribus opus erat? Spectat id quidem ad Dei magnificentiam, immensæ dilectioni suæ opportunos, & proportionatos sumptus facientis. Indidem n.5.

4 *Et tertia die resurget.* Chrysostom. serm.5. de Passione Domini. *Sicut qui vna vice lapsum magnæ domus suscipit, & ruinam, ita & Christus post magna, & multiplicia Passionis suæ pondera vnum Resurrectionis suæ supposuit fulcimentum, &c. Non satis est abscessus tristis, vbi velocissimus est regressus.* Opportunum Principibus documentum, vt aduersus potentiorum tyrannidē, & iniurias quas tenuioribus inferũt, opportunis remediis quamcitissimè prouideant, vt hac ratione veros Reges se esse ostendant. Certè Christus Dominus in diuinitatis suę signũ Resurrectionem suam qua vim mortis maiori vi repulit frequentius proposuit. lib.4.adnot.7.n.1.

5 *Et ipsi nihil horum intellexerunt.* Mirum omnino, cùm nihil apertius, nihil explicatius dici potuerit. Aliter planè Iudæi, qui vel obscura, & ænigmaticè dicta de morte Christi verba statim penetrarunt. Domino namque apud Ioannem dicente: *Oportet exaltari filium hominis*, statim occurrunt. *Nos audiuimus ex lege quia Christus manet in æternum.* Reddidit rationem Beda in Catena. *Quia enim discipuli eius vitam maximè desiderant, eius mortem audire non poterant. Vnde sequitur*, erat autem verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur. *Iudæi verò quia in eius necem conspirauerant, intelligebant.* Similiter Chrysostom. homil.66.in Matth. *Diuersis verbis ter idem dicit, vt ostendat quomodo affectus impediat intellectum: secus autem est de Iudæis.* Ergo ab affectuum vacuitate intellectus, & lux. lib.2. adnot. 8. n.5.

6 *Iesu fili Dauid, miserere mei.* Non cæcutiebat iste cæcus, qui Dominum, vt visum ei redderet, appellatione filij Dauid, qui ad benefaciendum procliuis, & promptus erat, de industria vrgebat. Gloriosum etenim est, præclaros maiorum mores æmulari, eorumque vestigiis insistere. lib.3. adnotar.5.n.8.

7 *Quid tibi vis, faciam?* Quid velit, nisi sanitatem, & visum? Atqui si benè æstimas non ingratiis, & otiosè ea interrogatio fit: nec enim ij peccatores, qui sanitatem animæ verbis petunt, eam reipsa voluntate exoptant: sed pro se, & aduersum se stant: factis negantes, quod verbis profitentur. lib. 3. adnot. 10.n.5.

8 *Et confestim vidit, & sequebatur eum.* Quasi necessaria acceptæ lucis consecutione sequitur Dominum, sic obseruante Gregorio. *Qui videt, & sequitur, quia bonum quod intelligit, operatur,* Vide vers. 2. lect. 4. sub titulo *verbis opera associanda.* num.1.

FERIA IV. CINERVM.

Memento homo quia puluis es: & in puluerem reuerteris.

1 MEmento homo, *quia puluis es.* Hominem à vitiis culpisque obcæcatum, visu hodie donare conatur sapiens Ecclesiæ ritus: vt cælestia claro lumine videat, eaque concupiscat: ideò mortalitatis suæ puluerem ob oculos iacit, quòd nihil hoc ad lucem accipiendam opportunius, quemadmodum è contra primus homo, immortalitatis auidus à mortis obliuione cæcus factus est. Ergo vt videas, memento homo, quia puluis es. lib.2.adnot. 1.n.1.

2 *Memento.* Quid? Generosamne hominis conditionem, & præexcelsum Principis fastigium deprimere, siue proterere vult Ecclesia? Minimè quidem, immò à veritate suam illi maiestatem reddere. Pulchrè Tertul. in Apologet. c. 33. *Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur. Suggeritur enim ei à tergo; Hominem memento te, & vtique hoc magis gaudet, tanta se gloria coruscare, vt illi admonitio conditionis suæ sit necessaria. Minor erat, si tutè Deus diceretur, quia non verè diceretur. Maior est qui reuocatur, ne se Deum esse existimet.* Vide lib.2.adnot.15.num.5.

3 *Homo.* Quid vox *homo* valet? Certè in Scriptura pro homine potentissimo, & Principe viro sumitur, vt Ecclesi. 1. *Quid habet amplius homo de labore suo, &c.* Nec non Cantic. 7. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ, &c.* Ergo vt omnibus omnino hominibus hæc Matris Ecclesiæ vox insonet, signatè quidem potentiores conuenit, quod iis solemne sit, mortis obliuisci, & sese extra mortis imperiũ effingere. Indidē n.3.

4 *Homo.* Sed & subinde in Principes hæc vox dirigitur, quòd eorum animi ab vna mortis meditatione ad virtutem, & temporalium rerum contemptum inflectantur. Eodem libro adnot.2. num. 1.

5 *Puluis*

5 *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Benè Plinius agens de cinere aiebat, adhuc etiam *in damnatis rebus* virtutem ad plura esse: habet enim hic cinis ingens robur ad perditissimum quemque sanandum, & vitæ restituendum, quod si is ab hoc puluere, & cinere, siue ab iis damnatis rebus non sanatur: damnatus, & desperatus profectò est: Eadem adnot. n. 6. & 7.

DE LECTIONE
EVANGELICA.

6 E*Xterminant enim facies suas, vt appareant.* Irritus labor, & peruersa exterminatio, quippe virtutis facies ideò potius obuelanda est, ne appareat. lib. 5. adnotat. 23. num. 3. 4. & adnotat. 24. num. 5. Tunc verò splendidiùs emicat, vtpote pretiosè obtecta. lib. 2. adnotat. 15. num. 5.

7 *Exterminant facies suas.* Hieronymus. *Exterminantur exsules, qui mittuntur extra terminos.* Ergo hypocritæ facies suas extra proprios terminos mittunt. Quare? quia ipsæ hilares, & festiuæ, *ab inhabitante spiritu Dei in nobis*, ad Roman. 8. vers. 11. atque à puritate animi esse solent. lib. 2. adnot. 15. num. 5. Hypocrita verò (ita Eusebius Gallicanus ad hæc verba.) *Quando ieiunat, faciem exterminat, quoniam exterminatorem, & tristitiæ Principem in corde habet.* Tam ergo Deum, quàm propriam faciem hypocrita extra terminos mittit: tristisque, ac turpis hominibus apparet. Indidē. n. 7. 8. & 9.

8 *Vt appareant hominibus.* Hypocritæ adeò à recta via errant, vt quò hominibus placeant, & Deum, & facies suas exterminant: iusti verò, vt vni Deo gloriam reddant, quin hilum laudis sibi velint, faciei splē-dorem etiam cum vitæ discrimine Deo adscribunt. Adeò humanas laudes fugere consueuerunt. lib. 5. adn. 17. num. 5.

9 *Vt appareant hominibus.* Chrysost. *Sicut enim nos contumeliam æstimamus, cùm non propter nos, sed propter alios diligimur, ita nec virtutem oportet propter alios sequi, nec Deo propter homines obedire, sed propter seipsum, ideò sequitur: sed patri tuo, &c.* Vide lib. 5. adnot. 16. n. 6.

10 *Receperunt mercedem suam.* Remigius. *Fructus autem ieiunij hypocritarum manifestatur, cùm infertur. Vt* appareant hominibus, &c. receperunt mercedem suam; *scilicet quam desiderauerant.* At enim, si benè æstimas, non tam eam acceperunt mercedē, vt apparerēt ieiunantes: quā vt apparerent hypocritæ, & humanæ laudis auidi, qua nihil turpius, nihil ignominiosius fuerit. En scopulum ad quem praua intentio soleat impingere infelices exitus sortita. lib. 5. adn. 18. n. 2.

FERIA V. POST
CINERES.

1 M*Athæi 8. Cùm intrasset Iesus Capharnaum accessit ad eum Centurio.* Notanter in Capharnaum Centurio. Nam Capharnaum *ager pœnitentiæ* interpretatur: Centurio verò à centenario numero fructum designat centesimum, dicente Chrysologo serm. 102. *Centurio hic Romanus erat, sed plus erat hic ipse fructu centesimo Christianus.* Vt indicetur, quàm vberes sint pœnitentiæ fructus, quæ tamquam Dei marsupium deperditam gratiam cum vsuris recolligit. Vers. 3. lect. 7. n. 1. Vide etiamsi voles de Centurione, & centenario numero Psalmi numerū n. 4. & 7. & sequentibus.

2 *Centurio.* Indidem Chrysologus: *Deo magis militabat iste, quàm sæculo, & in humano bello fortis, fortior in diuina pacis custodia permanebat.* Opportunum Principibus monitum, vt bella nonnisi pro Religione, aut iustitia, siue pro vberioris pacis bono suscipiant. lib. 4. adnot. 20. & adnotat. 21.

3 *Rogans, & dicens, Domine.* Chrysologus serm. 15. *Qui vocat Dominum fatetur suam fideliter seruitutem.* Bene quidem: sed enim non illuc etiam importunè Domini appellationem reuocaueris, vt illa sapiens Centurio quasi tere Christum caperet: quid enim fuerit Do-minū appellasse, quàm ipsum beneficum, & ad opem suis ferendam adactū esse asseruisse. lib. 3. adn. 14. n. 6.

4 *Puer meus.* Origenes homil. 5. in diuersos. *Multi in illo tempore pro diuersis rogabant infirmitatibus, nullus tamen pro seruo nisi iste solus, & hoc ei ad argumentum beatitudinis & gloriæ coronam erat.* Pulchrè: nulla siquidem splendidior corona, quàm quæ Principi viro ab affabilitate venit. lib. 2. adnot. 17. n. 4.

5 *Puer meus iacet.* Pergit Chrysolog. *Et quomodo hic Centurio, qui sic agnoscit Dominum puerum suum ausus est profiteri, quasi nesciens serui peculium ad Dominum pertinere?* Respondet acutè, ad cultum, & reuerentiam Christi eam locutionem pertinuisse, ne illi obiecisse videretur, quod seruis suis non succurrerit. *Meus* (inquit) *quia malè torquetur, vt tuus sit iam non sit in pœna. Domine tuos seruos non decet malis subiacere: iniuria est tua, tuorum pœna seruorum, tuos seruos possidere non debet vis malorum.* Vt hinc Principes viri acriter pungantur, vt fessis, & afflictis rebus omni modo subuenire studeant. lib. 3. adnot. 20. n. 1.

6 *Ego veniam, & curabo eum.* Nonne satis fuisset, aliquem ex discipulis ad sanitatem reddendam mittere? ita quidem, sed multò dignior Principis vox: *veniam, curabo.* Quid enim Principi dignius, quàm Principem se ostendere, & vt fidos ministros habeat, per seipsum tamen, & res populi tractare, & negotiorum expeditioni interesse. lib. 3. adnot. 6. 7. & 8.

7 *Ego veniam, & curabo eum.* Origenes homil. 5. in diuersos. *Ego ad Abraham veniens, senilem Saræ sanaui vterum, in senectute ei Isaac filium donans. Ego, & nunc veniens ad te, curabo eum.* Sed quæ hæc, rogo, consecutio fuerit? Ego ad Abraham iui: ego ad te etiam veniam? Optima quidem, & Deo Principe digna, vt dixerit: Ego siue in benefaciendo, siue dum muneri meo incumbo, personam non accipio: ideò qui magni illius Patriarchæ Abrahæ res curaui, seruum itidem tuum curabo, nam pusillum, & magnum ego feci, & æqualiter est mihi cura de omnibus. lib 4. adnot. 14. n. 1.

8 *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Orig. indidem. *Non sum dignus appropinquatione, aspectu, accessu, vel introitu tuo.* Chrysol. serm. 15. *Sic cum Petrus à se exire rogat, quomodo Centurio cum ad se supplicat non venire.* O verè sapiens Principis familiaris, qui quo magis emeruerit, hoc præsumit minus. lib. 5. adnot. 12. Sed num hac ratione Centurio, Christi siue Principis gratiam perdidit, siue imminuit? Augustin. serm. 74. de tempore, de eo sic ait: *Quanto humilior, tanto capacior, tanto plenior.* Similiter Ambr. serm. 89. *Ecce religiosus Centurio ad accipiendam salutem dignior fit, dum se profitetur indignum, & dum ædes suas iniuriosas putat, magis eas honorificas facit & gratas.* lib. 5. adnot. 13. n. 6.

9 *Domine non sum dignus.* Rursus Origenes ibi. *Alienigena sum: Gentilis, miles gladio accinctus, sanguinem fundens, ad prælium exiens & ob hoc non sum dignus.* Notanter ob hoc non sum dignus: nam Deus qui pacis est, & pax ipsa, à bellis quæ iustissima non sint, omnino abhorret: ideò & milites à bello iusto recentes venientes non prius excipi volebat, quàm expiarentur, & templum non nisi à pacifico Salomone construi permisit. lib. 4. adnot. 20. n. 4. & adnot. 21. n. 1.

10 *Nam, & ego homo sum sub potestate constitutus.* Egregia locutio *sub potestate*: qua se velut potestati subditum, eamque illi velut labentem turrim perpetuò imminentem considerauit: nec immeritò, cùm Princeps, siue Prælatus de omnibus omnino sibi subditis sit rationem redditurus. lib. 1. adnot. 31. n. 1.

11 *Sub potestate constitutus.* Origenes indidem. *Quid enim in mentis abdito dignum voluens Centurio ille aiebat? Mihi hic seruus est, & ego Creatoris. Iste me super terram, & ego in cælis magnum habeo Dominum, si ergo eius non misereor, quomodo ille mei miserebitur?*

bitur? Si ego huic non subuenio, quomodo ille mihi subueniet? Sic debent omnes qui famulos, & famulas habent cogitare, sic misereri, & condolere eis. lib. 5. adnot. 19. n. 1.

12 *Non inueni tantam fidem in Israel.* Chrysostomus homil. 38. ad Popul. *Nam & nos seruos habentes, maximè tunc eos acceptos habemus, cùm postquam omnia beneuolè ministrauerint, nihil magnum se fecisse censent. Itaque si tu magna vis reddere merita tua, ea ne magna esse putes: sic & Centurio dicebat:* Non sum dignus, &c. *& propterea dignus factus est, & admirationi super omnes Iudaeos habitus.* lib. 5. adnotat. 14. num. 4. & seqq.

13 *Filij autem regni eiicientur.* Sapienter Cyprianus de orat. Domin. *Postquam cessauit in illis nomen paternum, cessauit & regnum.* Virtus enim est, quæ Regna firmat, & felicitatem, florentemque fortunam affert. lib. 1. adnotat. 14. n. 5. & 6.

FERIA VI.

1 MAtth. 5. Pro salutatione. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Quid suauius? Quid benignius Domino non modò homines ad dilectionem inimicorum adhortante, sed exemplo etiam præeunte infensissimos sibi hostes diligente, & pro ipsis Patrem obnixiùs orante. Regium quidem, & felicissimũ ingenium, quod & à Matris vberibus cum lacte suxit, & illorum memor ad veniam, & dilectionem indesinenter accenditur. lib. 4. adnot. 12. n. 6. Vide etiam lib. 5. adnot. 28. n. 1.

2 *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* August. lib. 1. de serm. Domin. in monte cap. 4. *Quod etiam in vno homine malo impleri potest, in ipso enim vno qui malus est, & proximum habes, & inimicum. Nam quòd homo est, proximus tuus est, quod malus est, non solùm tuus, sed etiam suus est inimicus, Dilige ergo in eo carnem, & animam, hoc est proximum tuum, quem Deus fecit, & odio habe malitiam, quam ipso consentiente diabolus intromisit.* Vers. 3. lect. 11. num. 2.

3 *Diligite inimicos vestros.* Christianæ est hæc disciplinæ nota, quæ quò sublimior, eò suos asseclas ad perfectiora adigit. Pulchrè Gregor. Magn. homil. 38. in Euang. adductis his verbis subdit. *Magna sunt hæc, alta sunt hæc, & multis ad exhibendum difficilia, sed tamen ista est vestis nuptialis. Quisquis autem hanc recumbens in nuptiis non habet, iam sollicitus metuat, ingrediente Rege quando mittatur foras.* Apta quæ de hac veste nuptiali habes ex Chrysostomo. lib. 5. adnot. 7. n. 2.

4 *Diligite inimicos vestros.* Cur? Num vt inimicorum tantùm bono consulat Dominus? Non equidem, sed potissimùm, vt eorum dignitati qui illos diligunt, prospiciat. Etenim odium cum excellentia pugnat, eique maximè aduersatur. Quare licet inimici digni non sint, qui amentur, at excellentes viri digni minimè sunt, qui eos odio habeant. lib. 4. adnot. 12. n. 6.

5 *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Notanter. Ego, is scilicet, qui ea, quæ iubeo firmissimis exemplis firmaui, & firmabo: quippe qui adeò non vlciscar de inimicis meis, vt pro eis potius oraturus, veniamque eis à Patre enixè sim deprecaturus. lib. 1. adnot. 3. n. 7.

6 *Benefacite iis, qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri.* Non quomodocumque filij, sed qui peculiarem filiorum Dei notam habeatis, atque adeò peculiarem, vt diuinam etiam vnigeniti Dei naturam videamini æmulari. lib. 4. adnotat. 11. n. 7.

7 *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Sed nunne opportuniùs pro patientia tibi necessaria ad perferendam iniuriam, & calumniam, Dominum orasses? Non equidem, quòd maiori malo subiaceat, qui iniuriam infert, & calumniatur, quàm qui patitur, ac proinde maiori commiseratione dignus sit. Quod his verbis omnino videtur admonere Dominus; monuitque id etiam Dauid, dum multo magis filij Absalom eum ad mortem persequentis, quàm suiipsius miserabatur: inquiens: *Fili mi Absalom quis mihi det, vt ego moriar pro te.* 2. Reg. 28. lib. 4. adnot. 12. n. 1. & 2. & lib. 5. adnot. 27. n. 2.

8 *Vt sitis filij Patris vestri.* Non ergo alijs infirmiores, vt falsò vulgus autumat, sed potiùs fortiores, & strenuiores. Pulchrè Ambros. in cap. 10 Lucæ, occasione Domini increpantis discipulos, quòd ignem de cælo aduersus Samaritanos deferre vellent, inquit. *Sed vindicetur qui timet, vindictam non quærit, qui non timet.* lib. 4. adnot. 12. n. 1.

9 *Vt sitis filij Patris vestri.* Non modò excelsitate fortunæ, sed etiam suauitate fructuum, qui à patientia adueniunt, qui ipsa sunt quodammodo beatitudine suauiores: ita quidem Vrbanus Papa in Metaphrasi in Psalm. 50. ad illa verba: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, tomo 1. Bibliot. Vet. Patrum sapienter dicebat, circumdederunt me sicut apes: *Apes enim etsi inferant punitionis dolorem, amantur tamen, quia mellis dulcedinem administrant, sic & persecutores meos, Domine, amare volo, & punctiones, quas mihi amaris conatibus inferunt, contribulato spiritu tolerare: vt mellita iocunditas subsequatur: nam quemdam sapientem audio Domine, te dicentem.* Vsque ad tempus sustinebit patiens, & postea redditio iocunditatis. Eccl. 1. 29. Vide lib. 4. adnot. 12. n. 4.

10 *Dei, qui solem suum oriri facit.* Iam non tantùm ad patientiam hortatur: sed etiam ad victoriam accendit proposita imagine Solis perpetuum de tenebris triumphum agentis. Ambr. lib. 5. in Lucam. *Nonne omnis indignantis frangitur impetus, ira sedatur? nonne fit per patientiam, vt suâ amplius pœnitentiâ reuerberes verberantem? ita erit, vt & iniuriam repellas, & gratiam quæras, ac sæpe maxima amoris causæ exstiant, cùm patientia insolentia gratiâ refertur iniuria.* lib. 4. adnot. 12. n. 2. & 3.

SABBATO POST Cineras.

1 MArci 6. *Erat nauis in medio maris, & ipse solus in terra.* Quid hinc nisi naufragium timeatur? Hieronymus. *Tamdiu imminens naufragium perseuerat, quamdiu Iesus veniat.* Vt inde discant Prælati, quanto cum discrimine populi, ab illo absint: enimverò tamdiu imminebit naufragium, quamdiu ad illum redierint. lib. 3 adnot. 7. n. 3.

2 *Videns eos laborantes in remigando.* Qui eis omnem opem dare decreuerat, cur ipsos primùm laborare in remigando permisit? Nonne opportuniùs illibatum auxilium præstitisset? Minimè quidem: voluit enim inde nos esse admonitos, inquit ibi Theophyl. *Vt cùm mouerimus omnem nostram virtutem, & sapientiam, inueneriminusq; tam infirmam, ad illum confugiamus solùm, qui ex inexpectatis saluare poterit.* Nimirum Deo nobis infenso nosque premente, contraniti nemo potest: sed miserorum rebus ipso, & solo ad restitutionem opus est. lib. 1. adn. 15 n. 1.

3 *Laborantes in remigando.* Hieronym. *Ventus contrarius oritur, turbat mare, & periclitantur Apostoli.* Si ambigas, quam ob rem Dominus charissimos sibi discipulos in præsentissimum discrimen venire de industria permiserit: audi quid subiiciat Marcus. *Non enim intellexerunt de panibus, erat enim cor eorum obcæcatum.* Ergo vt intelligant, & interiores ipsorum oculi illustrentur, turbetur mare, & in mortis discrimen veniant. *Vt mortem præ oculis habentes* (vt inquit Euthymius) *agnoscant Deum esse eum, qui se seruasset.* Quippe à mortis imagine occæcati oculi aperiuntur. lib. 2. adnot. 5. n. 2. & seq.

4 *Erat enim ventus contrarius.* August. sermon. 13. de Verb. Domini. *Attendite sæculum quasi mare, ventus validus, & magna tempestas. Vnicuique sua cupiditas tempestas*

ftas eſt. Amas Deum, ambulas ſuper mare: ſub pedibus tuis eſt timor ſaculi. Amas ſeculum, abſorbebit te. Amatores ſuos vocare nouit, non portare. Et poſt nonnulla. *Quando autem temporali felicitate ſaculum arridet, quaſi non eſt ventus contrarius. Noli hinc interrogare temporis tranquillitatem, ſed interroga tuam cupiditatem. Vide ſi tranquillus eſt, in te vide, ſi non te ſubuertit ventus interior. Diſce calcare ſeculum, memento fidere te in Chriſto.* Vnicum ergo aduerſus omnia diſcrimina munimentum, Dei timor. Vide lib. 5. adnot. 9. n. 5. & 8. Adde Ambroſ. lib. 1. de interpellat. cap. 5. ſubiicientem Petri ſactum ſtatim Chriſti ope per vndas ambulantem, ſubdit verò. *Fides ergo ambulauit in Apoſtolo, non caro: denique fides titubauit, & caro ſentire cœpit naufragium.* Vt diaerit: vt times Deum, ſtabis in culmine felicitatis, vt in timore Dei titubaueris, naufragium facies.

5 *Venit ad eos ambulans ſuper mare.* Auguſt. ſerm. 14. de Verb. Domini. *Venit etiam nunc, ſicut audiſtis valde mirabiliter ambulans ſuper aquas. Surgebant fluctus, ſed calcabantur. Fremens pelagus ſub Domini veſtigiis murmurabat, ſed tamen eum volens, nolenſq; portabat. Quantumlibet tumores ſaculi, poteſtateſq; conſurgant, premit eorum caput, noſtrum caput.* Ergo adhære capiti, & maior eris quibuſlibet periculis, ac difficultatibus, & firmis veſtigiis ſuper aquas ambulabis. Quod ſi à capite diſceſſeris, etiam in plano offendes. lib. 1. adnot. 12. & adnot. 14. num. 1.

6 *Putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt.* Euthymius. *Timorem, qui ab vndis erat excipit alter timor.* Theophyl. *Obſerua, quod datum finem rerum difficultatibus, in maiorem illos terrorem abducit.* Planè vt oſtenderet nihil tutius, ſecuriuſque eſſe quàm Dei cauſa periculum ſubire, cùm ab ipſo periculo ſatis ſuperque ſimus protecti. lib. 5. adnot. 10. n. 1.

7 *Confidite, ego ſum.* Hieronym. *Nec ſubiungit quis ſit.* Cur ergo confiderent, qui tantùm audiebant *ego ſum*, quin audirent, vt Saulus, ego ſum Ieſus: etenim, quiuis ſiue homo, ſiue dæmon fuerit, dicere potuiſſet *ego ſum*. At enimverò aliter dicit Deus, ego ſum, vt confidamus, aliter homo, aut mundus: ſic namque Deus loqui conſueuit, vt cùm dicit ego ſum, omnino Deum ſe eſſe ſimul perſuadeat, dum in tribulatione adiutor accurrit, & ſummè in ſuos beneficos eſt. lib. 3. adnot. 17. num. 2.

DOMINICA I.
QVADRAGESIMÆ.

1 MAtth. 4. *Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu vt tentaretur à diabolo* Nil inter humanas infirmitates magis ignominioſum, quàm à dæmone ad malum tentari: humanam quippe miſeriam, & imbecillitatem maximè arguit. Vnde quidem Chriſtus Dominus, qui homines diuinos ad ſui exemplum reddere volebat, ad eorum priùs exemplum ſeſe per omnia humanum fieri voluit, etenim quò maior eſt cæteris aliquis, eò debet impenſiùs laborum, & infirmitatis ipſorum participatione, ſe ſimilem, paremque illi oſtendere. lib. 2. adnot. 7. n. 7.

2 *A ſpiritu in deſertum, vt tentaretur.* Signatè à gloria Chriſto à Patre in Iordane data Tentator ad bellum inferendum excitatus eſt: quòd ad Dei dona diaboli inuidia, & bellũ ſequatur: vti dicebat Sponſa: *Ego murus, & vbera mea turris.* Quando autem qua ratione ſubdit: *Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Cantic. 8. 10. Hæc opportuna Aulicis accommodes, qui tamquam diaboli aſſeclæ, vt vident aliquẽ regiam gratiam aſſecutum ſtatim illi moliuntur inſidias. lib. 5. adnot. 8. num. 1.

3 *Poſtea eſuriit.* Non videretur ſibi Dominus noſtri miſereri, ſi miſerias noſtras non ſufferret. Suffert ergo, vt cum eſurientibus eſuriat, cum patientibus compatiatur: non minus ſibi acerba putans ſuorum incommoda, quàm ſua. lib. 3. adnot. 19. n. 3.

4 *Et accedens tentator.* Pulchrè Chryſologus. *Prius acceſſit, quàm receſſit.* Sed quare? Quid enim immanius, quàm Deo fuiſſe rebellem, cùm à Deo receſſit? Sanè quòd malus, cùm ſe bonum ſimulat, tunc fit peſſimus. Verſ. 2. lect. 8. n. 1. Necnon quòd Principi nullus infenſior hoſtis adulatore ſit. lib. 5. adnotat. 19. n. 1.

5 *Scriptum eſt, Non in ſolo pane, &c.* Quare ad ſcripturas Dominus confugit, nonne quouis verbo à ſe prolato omnem dæmonis conatum poterat eludere? Sanè vt nos doceret, ad profligandos dæmonis impetus ex ſacris Scripturis nobis arma ſumenda, quæ ab illis fortiſſima ſuppeditantur. lib. 3. adnotat. 3. n. 4.

6 *Non in ſolo pane.* Obſerua quàm ſapienter, quàm diuinè tentationẽ diaboli ipſo dicendi modo Dominus retudit: dixerat ille *panes fiant*, reſpondet Dominus *in ſolo pane*, vnum videlicet panem (ſicut alibi ipſe poſtulari præcepit inquiens: *panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie:* & iterum *ſi petieris panem, &c.*) pluribus panibus opponens, vt innuat, eam eſſe diaboli artem, vt ſuperflua ſuadeat, ſic id ibi obſeruante Theophylacto. *Non dixit vt lapis hic panis fiat*: *ſed* vt lapides iſti panes fiant, *volens Chriſtum ad ſuperflua inſtigare: eſurienti enim vnus panis ſufficit.* lib. 4. adnot. 19. n. 3.

7 *In pinnaculum templi.* Quò hæc excelſitas iuerit? ipſemet qui ſuſtulit reſpondet, *mitte te deorſum*, non malè coniectans adeò lubricum eſſe faſtigij locum, vt caſus ſit illi connexus. lib. 1. adnotat. 9. num. 1.

8 *Mitte te deorſum.* Ecce tibi quò eant amicorum adulationes noxia ſuadentium. Pulchrè Leontius ſermon. de creatione, & Lazaro, dum Euam à ſerpente deceptam, & lethaliter percuſſam memorat, ait. *Fraudulentis illam telis vulnerans ſine dolore proſtrauit. Vnde cùm cædem incruentam perfeciſſet, neque homicida putabatur, ſed vt bonus conſiliarius credebatur ſimplicitate gladij vulnera molliora reddens, & dulcem doloris ſenſum exhibens.* Ergo qui vt placeat verum reticet, & blanda ſuggerit, tantùm non dicit *mitte te deorſum*, lib. 5. adnot. 19. num. 5.

9 *Si cadens adoraueris me.* Ecce inter Deum, & dæmonem, ſummum diſcrimen. Erigit Deus ſibi ſubiectos, & proſtratos, dæmon verò conatur, vt omnes ad ſui adorationem cadant, humoque affigantur. Ad quem modum, vt Princeps ſuperbus nimiam reuerentiam, & adorationem à ſuis extorquere ſtudet; ita Princeps humanus adeò beneuolum, & affabilem ſe ſuis exhibet, vt ſecum illos affectu coniungat, & æquet. lib. 2. adnot. 27. n. 3.

10 *Dominum Deum tuum adorabis.* Signatè *Deum tuum*, qui tibi non ſolùm Dominus, ſed etiam Deus eſt: & tot tibi dona præſtitit. Hæc enim vincula ad continendum in officio animum fortiora ſunt. lib. 5. adnot. 17. num. 4.

FERIA II.

1 MAtthæi 25. *In ſede maieſtatis ſua.* Quæ hæc ſedes fuerit? Cæleſtes quidem ſpiritus, qui hac de cauſa throni dicuntur: ita de illis Bernard. lib. 5. de conſiderat. cap. 4. *Qui ex eo, quod ſedent, throni dicuntur, & ex eo ſedent, quod ſedet in eis Deus. Neque enim ſedere in eis, qui non ſederent, poſſet. Quæris quam illam ſentiam ſeſſionem? Summam tranquillitatem, placidiſſimam ſerenitatem, pacem quæ exſuperat omnem intellectum. Talis eſt, qui ſedet in thronis Dominus Sabaoth iudicans omnia cum tranquillitate, placidiſſimus, ſereniſſimus, pacatiſſimus.* Vt Principibus documento ſit, ſummam poteſtatem ſumma tranquillitate, & moderatione frænandam, vt qui poteſt omne quod vult, non velit niſi quod iure poteſt. lib. 4. adnot. 5. n. 1.

2 *Tunc dicet Rex.* Theophylact. *Non antea premiat, vel punit, quàm diudicet: misericors enim est, & nos docet id ipsum, quòd non antea debeamus punire, quam rem discusserimus. Sic enim excusatione magna carebunt, qui præcedente iudicio puniuntur.* Nimirum Princeps, vt in benefaciendo Regem, ita in puniendis sontibus, non Regem, qui omnia possit, sed iudicem iuris ordinem, & modum seruantem se exhibere debet. lib. 4. adnot. 4. num. 1.

3 *Tunc dicet Rex.* Accurata Incutio, qua se solùm Regem appellauit, cùm suis benefecit. Nimirum, cùm subinde supplicia intulit, Regis nomen subticuit, contentus dixisse: *Tunc dicet his, &c.* quia videlicet Regiæ fortunæ magnitudo, atque splendor à beneficentia signatè irradiat. lib. 3. adnot. 16. n. 1.

4 *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt.* Præmisetat. *Cùm autem venerit Filius hominis.* Homo nuncupatur, cùm iudicaturus proponitur: oportebat enim homines ab homine iudicari, qui errantibus condoleret: at dum præmia distribuit in præsenti, Rex appellatur, vt quàm largè sit illa redditurus, innotescat. lib. 4. adnot. 4. n. 1.

5 *Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te?* Quomodo iusti negant, quod Dominus ipse affirmat? Ostendunt sanè submissionis affectū, dum quæcumque in Dei obsequium effecere, nihil fuisse arbitrantur. lib. 5. adnot. 15. n. 4.

6 *Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c.* Patitur Dominus, cùm sui vexantur, & æquè perferre se manifestat omnia mala, quæ sui patiuntur. Adeò patientibus compatitur, vt cum esurientibus esuriat, cum sitientibus sitiat: cum afflictis affligatur. lib. 3. adnot. 18. num. 1.

7 *Possidete paratum vobis regnum.* Euthym. *O vocem optabilem! ô honorem ineffabilem! Benedicti, inquit, Patris mei, laudat electi. Non dixit autem, accipite, sed possidete, tanquam paternum, tanquam debitum.* Planè, vt munus augeat, dum illud non gratis, sed pro meritis ipsis impertiri ostendit. lib 4. adnot. 13. num. 2.

8 *Quod vobis paratum est à constitutione mundi.* In Græco est *à despositione mundi.* Et iuxta Paschasium, despositio propriè significat demissionem alicuius à sublimi in inferius. En ergo stabilitas regni æterni vnde comprobetur: nempe à demissione. Qui stabilitatem amat, demissionem amplectatur. lib. 5. adnot. 24. n. 2.

9 *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ita enim singulorum hominum calamitates, & ærumnæ animum diuinum tangunt, vt omnes singulatiter fouendos suscipiat: atque adeò eius vicem supplet, qui illis consulit. Quare Deo, seu Dei loco facit, quidquid pro illis fecit. lib. 3. adnot. 17. num. 4.

10 *Mihi fecistis.* Alitur Deus, cùm pauper alitur: & ipse tamen pauper alit. Quod si idem est, qui alitur, & alit: ipse Deus profectò supra seipsum esse videtur, seque ipso maior. Etenim calamitoso subuenire, adeò summum est, vt quodammodo supra Deum ipsum appareat. lib. 3. adnot. 20. num. 9.

11 *Mihi fecistis.* Mira Domini charitas, qui in suis alget, esurit, & dolet. Vt viderint Principes tributa imponentes ne subditos plus æquo grauent, dicente Domino: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* lib. 4. adnot. 16. num. 4.

FERIA III.

1 MAtth. 21. *Commota est vniuersa ciuitas, dicens: quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Iesus à Nazareth.* Hieronym. hic. *Aliis ambigentibus, vel interrogantibus vilis plebecula confitetur.* Quare? Respondet Theophyl. *Quia turba simplices, & candida non inuidebant Christo.* Alij verò, id est, Principes inuidi, & maligni erga ipsum erant: eo quomodo noxij affectus mentis aciem obscurent, ne veritatem agnoscat: candor verò, & affectuum vacuitas egregiam intellectui lucem pariat. lib. 2. adnot. 8. n. 6.

2 *Quis est hic?* Vox Principum per contemptum dicentium, *quis est hic?* quasi dedignantium eum agnoscere. Habet hoc quidem terrenarum rerum cupiditas, atque possessio, vt totum animum sibi vendicans, aditum ad cælestia cognoscenda obstruat. lib. 2. adnot. 3. n. 2.

3 *Quis est hic?* Maldonat. sic effert hæc verba. *Quantus hic est, vt tantum honorem mereatur?* Vt dixerint: nulla ratione tanto honore dignus est: vbi obseruatempus rei gestæ: nimirum tunc hæc ab iis Principibus dicta fuisse, cùm Passione iam instante tot tantaque diuinitatis suæ signa in ipsorummet salutem, & vtilitatem Dominus ediderit. Talis quidem Principum natura est, vt oculos habeant plenos puluere à pedibus introeuntium. lib. 5. adnot. 2. n. 5.

4 *Et intrauit Iesus in templum Dei.* Pulcherrimus nexus, diuini honoris Christo exhibiti, & ingressus ipsius in templum Dei, vt datam sibi gloriam Deo redderet: vt inde sue Principum Administri moneantur, munera sua sic obire, vt non propriam, sed Dei gloriam aucupari studeant. lib. 5. adnot. 17. n. 5.

5 *Intrauit Iesus in templum Dei.* Optimus Princeps, qui magnam de Religione, & cultu Dei curam habet, vt inde pacem, & stabilitatem regno suo reddat. lib. 2. adnot. 5. n. 1.

6 *Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes.* Flagello adhibito, vt Ioannes addit: & vbi est, inquis, Christi mansuetudo? vbi benignitas? vbi misericordia? Sanè vt iustitia cum mansuetudine non pugnat, ita Principi omnino necessaria est: aliàs non legitimus, & verus, sed phantasma putabitur. lib. 4. adnot. 1. n. 1.

7 *Et cathedras vendentium columbas.* Cur signatè cathedras vendentium euertisse dicitur Dominus? Respondet Hilarius: quia in cathedris magistrorum magis dignitas indicatur, quæ ad nihilum redigitur cùm mixta fuerit lucris: quippe, tum auaritiæ sordes à regio animo sunt alienissimæ. lib. 2. adnot. 22. tum etiã Magister, aut Princeps non in suam, sed in populi vtilitatem cuncta molitur. lib. 3. adnot. 22.

8 *Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos.* Pulchrè auaritiæ, & cupiditati Sacerdotum ad propriam vtilitatem, & lucra inhiantium regiam benignitatem, & beneficentiam opposuit, qua se, & cæco lucem, & claudo pedem esse ostendit. lib. 3. adnot. 20. n. 6.

9 *Et accesserunt ad eum cæci, &c.* Hieronym. *Nisi autem mensas nummulariorum subuertisset, cathedrasq; columbas vendentium, cæci, & claudi lucem pristinam, & concitum gradum in templo non mererentur recipere.* Nimirum nisi publica peccata, & scandala de medio tollantur, nulla populo quies, aut Reipub. lux oriri potest. lib. 4. adnot. 3. num. 2.

FERIA IV.

1 MAtthæi 12. *Magister volumus à te signum videre.* Obseruа sic immediatè apud Matthæum haberi. *Tunc responderunt ei quidam de Scribis, & Pharisæis.* Quando? Tunc videlicet cùm dæmonium ingenti populi plausu, & admiratione eiecerat. *Sic signa postulant* (inquit Hieronym.) *quasi quæ viderant signa non fuerint, sed in alio Euangelista quid petant plenius explicatur. Volumus à te signum videre de cælo, vel in morem Heliæ ignē de sublimi venire cupiebant, vel in similitudinem Samuelis tempore æstiuo contra naturam loci mugire tonitrua, coruscare fulgura, &c.* Iam quorsum id signū de cælo petant? Equidem,

Equidem, vt optimi Auctores asserunt, vt ab illo cognoscerent, an verus Messias, & Dei Filius esset: sed ô insipientes! Nonne id ex signis à vobis iam visis, dum ea omnia beneficam Dei naturam cæcis visum, claudis pedes, ægrotis sanitatem reddentis, & fessis rebus subuenientis ostendunt, oppotuniùs cognouissetis. lib. 3. adnot. 20. n. 1.

2 *Magister.* Chrysostomus. *Priùs quidem conuitiabantur, dæmoniacum eum dicentes: nunc autem adulantur vocantes eum Magistrum, propter quod & Dominus eos vehementer arguit. Etenim cùm ei conuitiabantur, mansuetè eis respondebat, cùm autem adulabantur conuitiosè.* Planè quasi Principi magis infensi hostes fuerint adulatores, qui verum ipsi non renunciant. lib. 5. adnot. 19. n. 5.

3 *Volumus.* En humanæ perditionis, vel à primordio initium: Domino quidem Adamum vocante, ipse sese abscondens aiebat: *Abscondi me eò quòd nudus essem.* Quid? nonne nudus etiam creatus est? Non ergo ea mali causa, & origo est: *Sed propter propriam voluntatem abscondit se,* inquit S. Isidorus. Egregia planè doctrina non tantùm subditis, & seruis, sed etiam magnis Principibus, & Magistratibus, vt potestatem suam castigare, & à propria voluntate discedere discant: Sapiente etiam monente. *Sensati in verbis, & ipsi sapienter egerunt, & intellexerũt veritatem, & iustitiam, &c. post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere.* Vt dixerit: Vis esse bonus Princeps? Auertere à propria voluntate, & vt felicitatis est quantum velis posse, sic & magnitudinis regiæ sit quantum possis velle. lib. 4. adnot. 5. tota, præsertim à n. 6.

4 *Signum videre.* Vt ab eo te Dei filium credamus: Proh vanitatem! eximiis diuinisque virtutibus nihil deferunt: & externis signis, quæ in admirationem rapiunt, omnia tribuunt, dicente Paulo: *Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam: charitatem autem non habuero, nihil sum.* 1. Cor. 13. Contra verò Dominus ipsamet signa sine strepitu, & apparatu perficiebat: *nam pertransiit benefaciendo, & sanando, &c.* signatè eos quos sanabat ad aquas *Siloë, quæ cum silentio transeunt,* mittens: adeò quidem vt vel ipsummet nomen miraculis detraheret. *Noui virtutem de me exiisse.* Lucæ 8. 46. *& virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Lucæ 6. 19. Ergo hæc signa pete, hæc quære: *quæ quanto occulta* (ita Gregor. Magn. hom. 29. in Euangel.) *tanto securiora, de quibus eò maior apud Deum est retributio, quò apud Dominum minoris gloriæ.* Vide lib. 5. adnot. 14. n. 4. & adn. 22. n. 2.

5 *Generatio praua, & adultera.* Nunquam legimus Dominum tanta seueritate Scribas, & Pharisæos increpasse: aliàs enim ipsos, aut tacitè, aut leniter obiurgabat: modò verò verborum acerbitate, & contumelia vtitur. Quare? Planè quòd ad eum superbè, & arroganter accesserint dicentes *Volumus:* quippe superbo non leue, aut mediocre, sed ingens, & contumeliosum debetur supplicium. lib. 2. adnot. 16. n. 8.

6 *Generatio praua, & adultera.* Ambros. serm. 2. in Psalm. 118. *Nisi te cognoscens dicat, fusca sum, quia peccaui, nihil tibi proderit Patrum gratia. Non suscipio personam hominis: non suscipio prærogatiuam generis, nisi videro congruentem generi morum nobilitatem, vt fiat iusti generis electio.* Nimirum fastigio, & dignitati opportuna merita debentur. lib. 1. adnot. 5. n. 1. Imò verò qui dignitati debita merita non afferat, maiori supplicio obnoxius est. lib. 1. adnot. 7. n. 1.

7 *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti.* Proponit Ionæ exemplum, vt moneat, nihil tutius, securius nihil esse; quàm pro Deo periculum subire. lib. 5. adn. 11. num. 1. præsertim num. 5.

8 *Ionas in ventre ceti, &c.* Notanter Prophetæ peccatoris, & verè pœnitentis signũ proponit, quòd nihil maius, nihil Deo dignius sit, quàm pœnitentem pristino dignitatis suæ gradui restituere. Vers. 3. lect. 9.

9 *Et ecce plus quàm Ionas hic.* Hieronym. *Ille voce locutus simplici nihil signorum faciens: ego tanta faciens signa Beelzebub calumniam sustineo. Plus ergo est Iona.* Vt dixerit: ideò inter alia plus quàm Ionas sum, quòd ille nullam à Niniuitis calumniam sustinuerit: imò honorificè tractatus fuerit: ego verò cùm tot signa fecerim calumniam patientissimè sustineo. Planè quasi patientia efficacius ad ostendendam Christi diuinitatẽ signum fuerit. lib. 4. adnot. 12. n. 6. Quod itidem videris Paulo assertum 2. Corinth. 12. vers. 12. inquiens. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigiis & virtutibus.*

10 *Ecce plus quàm Ionas hic.* Gregor. Magn. lib. 2. dialog. cap. 8 *Ille signa virtutis dedit subditis, qui se daturũ signum Ionæ Prophetæ promisit inimicis, vt coram superbis mori dignaretur.* Nam veri Principis est pro subditorum salute dura quæque, & mortem ipsam perferre. lib. 3. adnot. 21. tota.

11 *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam.* Sanctus Isidorus Pelus. lib. 1. epistol. 166. *Sapientiæ fama Austri Reginam impulit, vt ab extremis orbis finibus ad Salomonem se conferret. Te autem Dominus quotidiano clamore adducere minimè potuit, vt resipiscas, atque ad id quod in rem tuam futurum sit oculos conicias. Vide itaque ne ab illa condemneris, quoniam cùm eam rumores velut alis additis erexerint: te contra nec aspectus, nec Christi operatio vlla ex parte meliorem effecerint.* Tanti refert animum terrenis rebus addictum non habere: illa quippe Regina præ amore sapientiæ facilè omnia contempsit, quin regno egredi dubitauerit: plures verò Principes præ terrenorum amore vix oculos ad cælestia erigunt. lib. 2. adnot. 3. n. 2.

12 *Regina Austri, &c.* Pulchrum successoribus relinquens exemplum à quo posteri incitati Ierusalem Religionis causa veniebant: ea est enim Regij exempli vis, vt à Principum vita successorum vita moresque formentur. lib. 1. adnot. 20. n. 2.

13 *Plus quàm Salomon hic.* Ille quippe regio luxu, superboque ornatu gaudens: nimio splendori suo subditos inseruire cogebat, Christus verò pro suorum vtilitate splendorem suum non trahere curabat. lib. 4. adnot. 19. n. 7.

FERIA V.

1 MAtth. 15. Pro salutatione. Richardus de S. Laurentio lib. 9. de laudibus Virginis: *Maria est mulier Chananæa, quæ clamat ad Deum pro filia, id est peccatrice anima, cuius etiam personam misericorditer in se transformat dicens:* Miserere mei fili Dauid: *Et cui misericorditer respondet Filius:* O mulier *magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Ergo vt salutem à Christo haurias, adi primùm Mariam. lib. 2. adnot. 6. n. 2.

2 *Miserere mei Domine, fili Dauid.* Vt Dominum ad beneficentiam excitet, de industria filium Dauid, qui ad beneficia conferenda fuerat summè procliuis, appellat. Etenim ingenui, regiique animi est nonnisi ad præclara maiorum exempla se componere. lib. 3. adnot. 5. n. 8.

3 *Miserere mei.* Chrysost. hom. 17. ex variis locis in Matth. *Non dixit miserere filiæ meæ, sed miserere mei: spectatricis diurnorum malorum: quotidie cruciatus meos vide.* Bonam matrem filiæ mala propria existimantem, & de illis intimo animi sensu dolentem: id namque & Principis, & Prælati, & patrisfamilias proprium est. lib. 3. adnot. 19. tota.

4 *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Benè quidem tanquam boni Administri Principi suggerunt, vt potenti annuat atque dimittat: sed non ideò quòd post illos clamaret, *quia ad clamorem illius erubescebant,* inquit Chrysost. hom. 17. ex variis, sed quòd bonus Regis familiaris eius subditos ingenti amore debet complecti

complecti.lib.5.adnotat.25.tota.

5 *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.* Obserua Dominicæ mensæ sobrietatem: in qua panis pro ratione, & modo insumitur: nec temerè canibus spargitur. Quidʔ Indigétne tanquam mendicus Dominusʔaut eius ærarium eshaustum estʔ Minimè quidem, sed regium planè est moderatissimè se gerere, vt liberalius cum suis agat.lib.4.adnotat. 18.n.3.

6 *Sumere panem filiorum, & dare canibus.* Chrysost. In Psal.43.ea his verbis ad Principum institutionem, sic argumentatur: *Qui enim est aliquid rogaturus, & postulatum consecuturus ex data alijs gratia, eum oportet petere similia, nisi exemplum ladat differentia. Si enim qui accepit, talis sit qualis qui petit. & id quod petitur simile consistit exemplum. Sin autem ille quidem iure accepit, hic autem non itidem, postulatione maiori erit opus.* Ergo vt aliter cum filiis: aliter cum canibus: ita aliter cum idoneis, & dignis, aliter cum indignis in munerum distributione agendum.lib. 4.adnot.13.tota.

7 *O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Hieronym. *O mira rerum conuersio! Israel quondam filius, nos canes. Pro diuersitate fidei ordo nominum commutatur. De illis postea dicitur.* Circumdederunt me canes multi: *Et videte canes: Nos audimus cum Syrophanissa.* Magna est fides tua: fiat tibi sicut vis, &c. Nimirum apud Deum nulla est personarum acceptio, sed ipse pro meritis, aut præmia, aut supplicia æqua lance decernit. lib. 4. adnot.14.tota.

8 *O mulier.* Chrysol. serm. 100. *Merito adoptatur in filiam, leuatur, honoratur ad mensam, qua se sub mensa laudabili, & profunda humilitate deiecit: iuste nunc toto epulatur micas ex pane, qua sui meritus se intellexit, & confessa est, vix mereri.* Certissimam quippe ad gloriam per humilitatem via est.lib.2.adnotat.15.num.7.& seqq.

9 *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Addit Marcus: *Propter hunc sermonem exit dæmonium à filia tua.* Quidʔ potensne Chananæa fuit, vt verbo suo dæmonium eijceretʔ Minimè quidem. Sed dum Dei potentiæ, & misericordiæ occasionem fecit, ipse, qui bonus, & beneficus est, miraculi partem, & gloriam illi dedit.lib.3.adnot.18.n. 3. Vnde Chrysost.homil. 38. in Genes.ait: *Vt scias quòd Deus non solùm benefacere vult, & dona sua dare, sed solitus sit, sua beneficia accepturos facere clariores: vide quomodo hoc, & in Chananæa illa faciat.*

FERIA VI.

1 IOan.5. *Erat dies festus, &c.* Pro salutatione, necnon ad illud, *& sanus fiebat*: hæc habet Richardus à S. Laurentio.lib.9. de laudibus Virginis: *Maria est probatica piscina, in quam Angelus Domini secundùm tempus descendebat, & mouebatur aqua, & sanabatur vnus. Tempore enim incarnationis descendit Angelus magni consilij in Mariam, & mota est aqua, quando ad nouam salutationem turbata est Maria, & sanatus est vnus, id est quotquot crediderunt Deum trinum, & vnum.* Sed obserua etiam ea Gilleberto vnum qui sanus fiebat, non esse vnum vnitate singularitatis, sed charitatis, quippe salutis remedium non omnino ab vno edebatur, siue eshauriebatur, sed omnibus subinde æquè expositum permanebat: vt ad Mariæ etiam exemplum quotquot maiora Dei dona perceperunt, siue ij etiam qui Principum gratia potiuntur perdiscant, non sibi solis præcisum fauoris imbrem velle, sed cæteris quoque communem facere.lib.5.adnot.27.n.5.

2 *Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam.* Chrysost.homil.35.in Ioann. *Frequenter in solemnitatibus ciuitatem petit, tum vt videatur ipse quoque cum reliquis festos dies colere, &c.* Quid ergoʔ verumne Solis iubar, vmbræ inseruire cogebaturʔ Submittebat sese quidem legalibus ceremoniis Dominus legis, vel ea ratione vt Principes, & Optimates instituerer, vt non tantùm à malo, sed etiam à mali specie abstineant. lib.2.adnot 9.tota.

3 *Est autem Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida.* Obserua piscinæ suo locum, tum etiam nomen: & locus quidem ille met erat, in quo Machsbæorum tempore Sacer templi ignis in captiuitate absconditus à Nehemia repertus est 2. Machab.1.36. nomen vero *Bethsaida* rei omnino conueniens omnino interpretatur à Syriaco, & aliis PP. *Domus misericordiæ, siue benignitatis*: sic dictus (inquit Maldon.) *quod diuinam erga se benignitatem ægroti recuperata sanitate experirentur.* Vt videtis quàm gratum, atque benignum sese Deus eshibeat erga eos Principes, qui peculiarem Religionis curam suscipiunt, quasi id Regnum in quo Religio, & Dei cultus viget, *locus sit diuinæ benignitatis*: in quem perpetuos diuinarum miserationum, atque donorum imbres defluat.lib. 2. adnot.5.tota.

4 *Est autem Hierosolymis.* Estne modòʔ Minimè quidem. Quareʔ eaplicatusne, siue exhaustus diuinæ benignitatis fons estʔ Non opinor: *Sed gratia cessat decursus* (inquit Bernard.) *vbi recursus non fuerit.* Audi Tertull. lib.aduersus Iudæos cap.15. *Habet, piscinam Bethsaidam vsque ad Christi aduentum durasse curando inualetudines ab Israël: deinde vero desijsse à beneficiis ob sui furoris perseuerantiam.* Nimirum ab vna virtute Regnorum, & Reipub. stabilitas dimanat: à peccatis verò fluxus illorum status auolat.lib.1.adnot. 14. tota.

5 *In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, aridorum expectantium aquæ motum.* Solemne quidem mysticis doctoribus est, in miseris hisce infirmis sæcularium bonorum amatores, fortunam espectantes, colentes, adorantes, & de ea perpetuas mouentes querimonias considerare: quid enim illis frequentius, quàm iactare se *hominem non habere*: id est firma, & valida præsidia, quibus honores, & munera adipiscantur. At enim si rectè saperent, omnino cognouissent non à fortuna, sed ab Angelo Dei iussa exequente, & salutem, *ei qui prior descendisset* dari, humanam felicitatem hominibus aduenire, vt rectè dictum à Sallustio sit: *Falsò queritur de natura sua humanum genus, quod, imbecilla atque breuis forte potius quàm virtute producta sit.* lib.1.adnot.12.n.1.

6 *Expectantium aquæ motum.* Obserua Ioannem accurato dicendi modo vsum fuisse verbo *expecto*, potiùs quàm *spero*, vt spem fiduciamque in totum Deo innitentium, à fiducis sæcularium hominum politicis, & terrenis rationibus ad felicitatem assequendam credentium omnino discriminaret. Nimirum vt spes, & expectatio in eo sint adsimiles, quòd arduæ sint: at spes multo excellentior expectatione est, quòd cum firmissimis rationibus hæreat, quin falli possit: ideò tantùm ardua sit, quòd circa ea versetur, quæ non videntur: vti de Moyse dicebat Paulus *inuisibilem enim tanquam videns sustinuit.* Vnde ab ipso cum Anchora componitur ad Hebr. 6.19. quæ in profundum maris iacta non quidem apparet, at usuim firmissimè retinet. Expectatio verò non tantùm arduum quid denotet, quòd prosper euentus non appareat, sed quòd molestiam, & anxietatem adnexam habeat, dum euentus, aut in longum tempus protractus, aut incertus est: sicuti hoc verbo vsus dicebat Iacobus 5. vers. 7. *Agricola expectat pretiosum fructum terræ patienter ferens.* Cùm tamen non semel spem mentiatur seges, & desperata coloni vota iaceant, pereatque labor irritus anni. Ergo vt voti compos euadas, spera in Domino, & fac bonitatem, ne triginta & octo annos, cum paralytico expectes.lib. 5. adnot. 9.n.1.

7 *Angelus autem Domini secundùm tempus descendebat in piscinam.* En Angelum homine excellentiorem, non

non fortitudine,potentia,spiritu, præstantia virtutis, sed quòd homini succurrere, & benefacere possit. vers.1.lect.4.& adde lib.3.adnot. 10.n.2.

8 *Angelus autem Domini secundùm tempus descendebat in piscinam.* Optimus planè Administer, qui medius inter Principem, & populum est, quippe vt lex quæ ad Dei cultum conducit data est per Angelos ad Galat.3.19. & beneficia Dei hominibus opportunè per ipsos adueneruni. En ergo quale sit Administri munus.lib.5.adnot.1.n.4.& 5.

9 *Vis sanus fieri?* Si interrogationem ad faciem introspexeris, otiosam dixeris: quis enim sanus fieri nollet? At si benè æstimas non minus opportunè facta est, ac si ab homine ferrea catena fortiter vincto interrogasses: vtrumlibet vellet dimitti? vti de seipso dicebat Augustin.lib.8.Confess.c.5. *Ligatus non ferro alieno,sed voluntate mea ferrea.* Ergo peccatoribus,vt dixerint,velle sanos esse,non est cur credas: præuaricatorsiquidem, & pro vtraque parte,pro se scilicet, & contra se stant.vers.3.lect.10.num.5.

10 *Hominem non habeo.* Inscius dixit: vtpote qui Christum Optimum Principem non agnouit. Quid enim fuerit non habere hominem,quàm non habere propinquum, affinem aut consanguineum qui manũ porrigat? At Princeps quà Princeps est arctissimam cum subditis suis necessitudinẽ, & sanguinis coniunctionem habet.lib.3.adnot.11.n.3.

11 *Et statim sanus factus est.* Vide quàm efficax, & diuina vis Principis oculis subsit: quem enim per triginta & octo annos eius Administri,quà quidem Angeli erant,non sanauerant: *Hunc cum vidisset Iesus*, solo intuitu in ictu oculi sanum reddidit. Ergo Princeps, vt bonos, & egregios habeat Administros,negotiorum tamen expeditioni ipse omnino intersit,plus voo intuitu,quàm omnes illi multas horas, & dies consumentes præstiturus.lib.3.adnotat.7.n.1.

SABBATO.

Vide *Dominicam sequentem.*

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

1 MAtth. 17. *Et transfiguratus est.* Obserua accuratam locutionem. Nec enim ait: *transfigurauit se*,sed passiua voce *transfiguratus*, vt appareat Dominum ad honores, & ipsammet sibi debitam gloriam velut inuitum trahi,non verò illam volentem obire. En superborum, & humilium discrimen; illi se vltro honoribus ingerunt:hi,licet magni,eos fugiunt. Paruitas petit summa: magnitudo ima. lib. 2. adnotat. 14.num.6.

2 *Et resplenduit facies eius,sicut Sol.* Facies scilicet humana,& ad humanitatis naturam composita,quæ eadem, ac antea, humanitatis lineamenta habet, vt suos agnosceret,à suis agnosceretur.Nec enim Dominus inter fulgentes diuinitatis suæ radios humanum, & affabilem se vnquã suis negare consueuit: sed quò plus splendet, eò humanior ostenditur. lib. 2.adnot. 17.num.2.

3 *Moyses,& Helias.* Notanter primùm Moyses,quàm Helias.Quare? quia ille spiritum mansuetudinis, hic seueritatis habuit; ideò obserua, vtrumque faciem suam obuelasse;sed aliter quidem,atque aliter. Nam Moyses obuelabat faciem coram hominibus, *ne eorũ oculos reperecuteret*,vt inquit Tertull. coram Deo autem tollebat velamen, & facie ad faciem cum ipso agebat Exod. Contra verò Helias qui vt nullo oris velamento homines, pungebat, increpabat, acrtertique pungebat, ita coram Deo faciem suam pallio operuit.3.Reg.19.13.Planè, quia Clementiæ, & Benignitatis spiritus, quò Deo similior est, eò ante ipsum libera fronte, & aperto capite apparet:ille verò rigidus, & seuerus cùm Deo rationem redditurus sistitur, quasi pudore suffusus faciem suam operit, & abscondit. Vnde bonus Princeps, atque Prælatus Chrysost.in Catena 5.Thom.ad cap.23. Matth. dicebat: *Si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam reddere rationem,quàm propter crudelitatem?*lib.4.adnot.8.num.6.

4 *Moyses, & Helias cum eo loquentes.* Addit Lucas, *de excessu quem completurus erat, &c.* Egregij quidem Principis consiliarij,qui ipsi veritatem quamuis asperam,& tristem suggerebant. lib.5. adnot. 19. num.1. Egregios etiam atque Optimus Princeps, qui magnificè & cum excessu suos diligit, & pro ipsis magna, & fortia agit,& patitur.lib.3 adnot.21.

5 *De excessu.* Si Sapiente auctore Prou. 15. 23. *Sermo opportunus est optimus:* qui videantur optimè locuti, qui Domino diuinis splendoribus collucenti mortem ob oculos ponunt? Equidem quòd nihil opportunius fuerit quàm regiæ dignitatis fulgori mortis memoriam obiicere, vti & ipse Moyses facere consueuerat.lib.5.adnot. 1.num.1. & numquam Regius splendor fulgentiùs irradiet,quàm ad meritorum præsentiam:nimirum tunc dignitas solidissimè subsistit, cùm virtute,& meritis innititur. lib.5.adnot.5.n.1.

6 *Respondens autem Petrus dixit: Bonum est nos hic esse.* Quare bonum? cùm populo bonum non sit, Christum ibi esse? Nonne tum maximè Princeps suum negotium agit,cùm noo agit?lib.3.adnot.13.tota.

7 *Nos hic esse.* Iure quidem Petro tanti fastigij splendor gratissimus fuit: at ipse præ modestia, imò & præ morte suo tanto splendori oculos subtrahere, & modum felicitati imponere debuit. lib. 5. adnot. 13.num.1.

8 *Nos hic esse.* Et vos tantùm? Itáne regiam gratiam in proprios solùm vsos, & non potiùs in ceterorum commodum,& vtilitatem deripate vultis? lib. 5. adnot. 16.

9 *Bonum est nos hic esse.* Benè Lucas, *nesciens quid diceret.* Sed cur Moyse,& Helia opportunissimè loquentibus, Petrus nesciat quid dicat? Sanè quòd illi vita functi terrenis affectibus non erant obnoxij, Petrus adhuc in lubrico corporis hærens, ab illo impediebatur,ne verè omnino cognosceret. lib.2. adnotat. 8. num.6.& 7.

10 *In quo mihi bene complacui.* Legit hic Cyprian. *In quo bene sensi*, vt ostendat Pater eos ad munera diuina lectione esse dignos,de quibus,ob egregias virtutes,non voluntate ductus,sed mente, bene senti, & indicat Princeps.lib.5.adnot.4.n.1.

11 *Et ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Lucida quidem,ut Moysi,& Heliæ inderet splendorem: Lucem etenim suam, & gloriam Sol diuinos in suos transferri,nec vult,se præsente, eos obnubilari, sed fulgentiori claritate splendescere. Imitentur splendidam hanc Christi magnitudinem Principes, vt subditos suos illustrent,non autem obscurent.lib. 3. adnot.18. num.5.

12 *Nubes lucida.* Muneri, & officio eximuntur Moyses,& Elias, *Nam lex, & Moyses vsque ad Ioannem.* Luc.16.16.Voluit igitur Dominus, ne ab eis domo aliter, quàm honorati, ornatique splendore discederent. Vtillorum mutem damnet, qui illos, quos à se amouent, vt officij, ita & honoris omnino expertes dimittunt.lib.3.adnot.18.n.9.

FERIA II.

1 IOan. 8. *Quò ego vado vos non potestis venire.* Quare? subdit rationem Dominus: *vos de deorsum estis:* terreni

terreni scilicet,& graui corde,qui diligitis vanitatem, & quæritis mendacium : *ego de supernis sum*, terrenis verò cælestia quomodo iungi , aut misceri possint? lib.2.adnot.3.ou m.2.

2 *Dicebant ergo numquid interficiet seipsum ? quia dicit: quò ego vado vos non potestis venire.* Quæ rogo ratiocinatio magis absurdè, & stultè confictpotuit? *Etenim si non aliò quàm in mortem iturus erat* (inquit Maldonatus) *& ipsi eò ire poterant,& ipsi se poterant occidere.* Vnde ergo huic ratiocinationi locus? Respondet Maldon. *Suspicati sunt , non quod rationi , sed quod suo desiderio consentaneum erat.* Intellectu à noxio desiderio obcæcato. lib.2.adnot.8 n.6.

3 *Multa habeo de vobis loqui , & iudicare.* Notanter priùs locuturum , quàm iudicaturum se Dominus profitetur,quòd Princeps in sontibus puniendis non priùs potestate vti debet quàm iuris ordinem seruauerit.lib. 4. adnot. 4. tota.

4 *Cùm exaltaueritis filium hominis , tunc cognoscetis quia ego sum.* Nimirum vt Habacuc ait : *Cornua in manibus eius:ibi abscondita est fortitudo eius* : siue vt Hebræa habent : *Ibi reuelata est absconsio fortitudinis eius.* Planè quasi latens, & absconsa diuinitas,à crucis humilitate reuelata , & patefacta fuerit. Quid enim humilitate gloriosius,siue diuinius lib.2.adnot.14.

5 *Cùm exaltaueritis filium hominis , tunc cognoscetis quia ego sum.*Chrysost.hom.89. in Matt. *Tale quippe aliquid dicitur. Cùm me crucifixeritis,ac iam victoriam vos consecutos putaueritis , tunc potissimum virtutem meas cognoscetis.* Tunc enim me pro vobis orantem audietis , ac proinde nisi mens læua sit, me Dei filium esse cognoscetis.lib.4.adnot.12.n.6.& 7.

6 *Tunc cognoscetis quia ego sum.* Sed cur fuerit opportunum ad cognoscendam diuinam Christi,naturam , ipsum morti subditum intueri? Planè quod ex morte pro subditis suscepta perspicui diuinitatis characteres eluceant.lib.3.adnot.21.n.2.

7 *Tunc cognoscetis quia ego sum.* Euthym. *Cognoscetis autem hoc à signis,qua tunc fient,quibus contradici non poterit : siquidem postquam illum crucifixerunt , stupenda illa signa facta sunt.* Nimirum Christo à terris exaltato *terra mota est*:vt inde colligas,quid Dei institia sit, & quem in terris effectum sortiatur, ab ipsa enim terræ firmitas,& stabilitas aduenit.lib.4.adnotat.3.n.4.

8 *Et à meipso facio nihil.* Sed qua ratione à seipso nihil faciat , qui omnia facit , & à quo omnia facta sunt ? Sanè vt vna fidelia duos dealbet parietes:dum & illustrium operum quæ facit , gloriam Patri adscribit,& de seipso modestissimè loquitur,quod magnorum virorum est , & ipsamet rectè facta magis illustrat.lib.2.adnot. 20. n.7.

9 *Et à meipso facio nihil.* Pulchrum egregiis virtutibus appositum humilitatis velamentum : imò ornamentum.lib.5. adnot. 15.n.5.

10 *Non reliquit me solum quia ego , qua placita sunt ei, facio semper.* Verissima ratio : eum enim , qui quæ Deo placita sunt facit , adeò non relinquit solum Deus, vt auxiliatrem manum , & florentem fortunam indesinenter tribuat.lib.1.adnot. 12.n.3.

FERIA III.

1 MAtth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi.* Quid ergo dictis,his verbis à Domino Scribas , & Pharisæos honoratos fuisse? Minimè quidem : imò ipsos quidem increpauit , atque traduxit , quasi cathedræ fastigium ignominia afficerent, itidemque ab eo ignominia afficerentur.lib. 1. adnot. 8.num.1.

2 *Super cathedram.* Chrysost. in Cat. S.Thom. *Videndum ist tamen,quomodo qui super cathedram sedeat,quia non cathedra facit Sacerdotem,sed Sacerdos cathedram : non locum sanctificat hominem ,sed homo locum:* ideoque *malus Sacerdos de Sacerdotio suo crimen adquirit , non dignitatem.* lib.1.adnot. 7. n.1.

3 *Quacumque dixerint vobis , seruate , & facite.* Quid audientibus vule, & opportunum malus Doctur dicere,aut iubere possit ? Sanè qui super cathedram sedet, & gubernationi incumbit , & inuigilat , etsi sibi cæcus sit,subditis tamen acutiùs intuetur , ab ipsa cathedra lucem,& oculos accipiens. lib.3.adnot.8.n.5.

4 *Dicunt enim , & non faciunt.* O malos Doctores, immundos doctrinæ , & prædicationis pedes affectantes! vers.2.lect.4.n.2.& lib. 1.adnotat.4.n.6.

5 *Dicunt enim,& non faciunt.* Pende id modò quod præmiserat Dominus *super cathedram sederunt*; vt videris nec hilum hos Prælatos, & Principes distare ab illo, qui dicebat *super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in lateribus Aquilonis* : in imperio scilicet, & dominatione vim faciens , non in exemplo : aliter quidem ac bonus Dominus qui didicit ea iis quæ passus est, obedientiam:omnes obediendi labores, & difficultates antea expertus.lib. 2. adnot.7. num.1.

6 *Alligant , &c. digito autem suo nolunt ea mouere.* Chrysost. *Talis est Prælatus,qui sibi indulget , & aliis exigit, quemadmodum malus exscriptor tributi in ciuitate, qui se reseruat, & onerat tribuentes.* Contrà bonus Princeps magnus imperio,maior exemplo est. lib.1.adnot.3.n.5.

7 *Alligant enim onera grauia.* Chrysost. in Catena S.Thom *Vbi paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus , vt quid Sacerdos eius austerus?* Ergo Princeps,siue Prælatus Deo similis à clementia fiat.lib.4.adnot.9.n.1.

8 *Onera grauia , digito autem suo nolunt ea mouere.* Chrysost. indidem : *Intendit autem qualiter eorum reprehensionem aggrauat:non enim dixit,non possunt , sed nolunt: neque dixit portare,sed digito mouere,id est, neque propè fieri, atque tangere.* Quàm longè à veri Principis ratione, qui suorum ærumnis , & calamitatibus æquè, ac ipsi tangitur.lib. 3. adnotat.19.n.1.

9 *Alligant enim onera grauia , & importabilia : digito autem suo nolunt ea mouere.* Ideò importabilia onera aliis imponunt, quia ipsi priùs in se non capetiuntur eorum pondus,nec digito mouent , sed oculis solum (Hispanè *à buen ojo*) illa pendunt. Meritò ergo increpantur: etenim non priùs debent Prælati, & gubernatores,subditos onerare,quàm priùs in seipsis oneris grauitatem fuerint experti. lib.2.adnot.7.n.6.

10 *Omnia verò opera sua faciunt , vt videantur ab hominibus.* Importunè quidem,quippe id magis fuerit opera obscurare,quàm illustrare. lib. 5. adnot. 15. n.4.& adnot.24.n.6.

11 *Amant primos recubitus in cœnis , & primas cathedras.* Quid illicitum ne est primos recubitus, aut sedes habere ? Nonne qui inuitatus ad nuptias recubuit in nouissimo loco,ab illo ad primum iustè, & gloriosè, Domino auctore , transiuit ? Luc. 14. 10. Ita quidem.Non ergo cathedræ dignitas,sed amor,& ambitio à Domino taxatur. lib.2.adnot.14.n.6.

12 *Qui maior est vestrûm, erit minister vester.* Vt non solùm maior , sed etiam maximus fiat. lib. 2. adnot. 15.n. 4.

FERIA IV.

1 MAtth. 20. *Ascendens IESVS Hierosolymam assumpsit duodecim discipulos suos secretò.* Vide pro hac concione Dominicam in Quinquagesima. num.1.2. 3.4.& 5.

2 *Assumpsit Iesus duodecim secretò.* Opportunè ad secreta cognoscenda assumpti discipuli dicuntur, quin ipsi scie illis insinuentibene ille. *Arcanum neque tu scrutaberis, vllius vnquam commissumque teges.* lib. 5. adnot.21.tota.

3 *Nescitis*

3 *Nescitis quid petatis.* Vt dixerit: O ignaros periculorum, atque discriminum, quæ magnis, ac excelsis sedibus insunt! Itàne ad mortem per proprios pedes ire cōcupiscitis? Mirū quidē quàm anxiè ab hominibus dignitas, & Ecclesiastica munera ambiantur, quasi nihil ipsis suauius, aut securius esset: cū ingens potius animæ periculum in illis sit: ambitione omnia discrimina deuorante, & pro nihilo ducente quin vix sit, qui ab hac esse inueniatur immunis, sic dicebant filij Israël Numer. 17. 13. *Quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. Num vsque ad internecionem cuncti delendi sumus?* Ad quæ verba Oleaster: *Putarunt periculosum sibi valde, esse apud se tabernaculum Domini: quoniam difficile esset aliquando non accedere: ideò dicunt se mortuos, seu omnes morituros, si sic se res habeat, quòd omnis alienus à semine Aaronis accedens moriatur, isto modo omnes deficiemus moriendo.* Vbi & illud ex eodē Oleastro adnotandum verbum Hebræum pro quo Noster posuit *mori*, eam emphasim habere, vt significet *leuiter mori*, quasi ambitio, & dignitas lenis quædam mors sit. lib. 1. adnot. 11. tota.

4 *Nescitis quid petatis.* Optima quidem responsio: qua innuit Dominus, discipulos vel prima huius rei elementa omnino ignorare. Nimirum summa sedes, nonnisi summis meritis debetur. lib. 1. adnot. 5. Qua verò ratione magna is merita habeat, qui se habere putat. lib. 5. adnotat. 24.

5 *Nescitis quid petatis.* Viderant Iacobus, & Ioannes in Christi Domini Transfiguratione Eliam, & Moysem, ad eius dexteram, & sinistram: vnde eas sibi sedes, fauore innixi, videntur appetere: ideò autem meritò à Domino increpantur, quasi nescij suæ dignitatis, quæ ad alios iuuandos, & promouendos, non verò ad exspoliandos debet respicere. lib. 5. adnot. 27. num. 1.

6 *Non est meum dare vobis.* Quare non est tuum dare? qui das omnibus affluenter? Equidem quod non beneficia, sed iudicandi sedes illi peterent: de iis ergo opportunè ait, suum non esse ipsis eas dare, ne rerum ordinem, & iura mutaret, si quod proprium erat iustitiæ, carni, & sanguini, siue fauori, & gratiæ tribueret: & iudicij præfecturas, non ad iudicium, sed ad beneficium largiretur. lib. 4. adnot. 13. n. 1.

7 *Non est meum dare vobis.* Ambros. serm. 2. in Psal. 118. *Non suscipio personam hominis, non suscipio prærogatiuam generis, nisi videro congruentem generi morum nobilitatem, vt fiat iusti generis electio.* Bonus Princeps, qui præmia sine personarum acceptione decernit. lib. 4. adnot. 14. n. 1.

8 *Non est meum dare vobis.* Sed non te, ô Dominator Domine, pudet, omnino affirmare: *non est meum dare*: ac si ligatas manus habeas? & vbi potentia? vbi imperium? Sanè quod summæ potentiæ, summæ gloriæ Principis sit, à iure ligari, nec omnia posse quæ vult, sed ea solùm velle, quæ potest. lib. 4. adnot. 5.

9 *Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.* Acriter videlicet ab eadem omnium conditione, & sorte stimulati: nihil enim adeò animum pungit ac socij, & æqualis excellentia. lib. 5. adnot. 8.

10 *Et qui maiores sunt potestatem exercent in eos.* Vide, vt Dominus Reges gentium, Ethnicos scilicet, & vt à fide, ita à vera principatus natura aberrantes à potentia, & maiestate cognoscendos dederit, cùm alius sit germanorum, & fidelium Principum character. Beneficentia scilicet, & benignitas in suos. lib. 3. adnot. 14. n. 2.

11 *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister.* Notantissimè dictum *maior fieri*: quasi magnitudo ab humilitate omnino fiat, atque formetur, ac proinde superbia altitudinem petens, toto cælo erret. lib. 2. adnot. 15. & 16. num. 1.

P. Velasquez in Psal. centesimum.

FERIA V.

1 LVc. 16. *Erat quidam homo.* Theophyl. *Diuitem hoc loco absque nomine in parabola assumpsit, vtpote qui neque dignus sit, qui à Deo nominetur, sicut, & per Prophetam dicit, non memor ero nominum eorum per labia mea.* Sed quare? Respondet Titus Bostiensis: *Hunc tanquam durum, & in pauperes inhumanum Dominus nominis expertem inducit.* Planè quòd primarius vir qui à benignitate alienus est, ab humanitate etiam deflectat, nec inter homines numerari debeat. lib. 3. adnot. 14. n. 1.

2 *Erat quidam homo.* Euthym. *Dici etiam potest, Christum huius diuitis mortui nomen tacuisse, ne scandalo esset affinibus eius.* Præsertim tùm nihil prodesset, eius vitia signatè patefacere, qui iam corrigi nequibat: vt hac reticentia detractorum immanitas verberetur, qui nec mortuis parcere, nec cognatorum sordes contegere sciunt. vers. 5. lect. 5.

3 *Erat quidam homo diues.* Opportunè Salomon Eccles. 5. vers. 12. *Diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.* Quare in malum? Audi S. Thom. ad ea Pauli verba: *Radix omnium malorum est cupiditas*, sic monentem: *Vt enim radix toti trunco succum, vitamq; largitur, sic per diuitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcumque peccatum.* Ergo qui sapit, radicem præcidit, nec diuitias conseruat, sed ad miserorum leuamen expendit. lib. 3. adnot. 15. n. 8.

4 *Induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* Theophylactus. *Hoc est, cultui, luxuiq; corporis ex instituto operam dabat. Nam & vestitu induebatur sumptuosissimo, & in delicijs volutabatur assidue. hoc enim denotatur per voces illas, epulabatur quotidie splendidè, hoc est perditè, & prodigè.* Quid inde? Lazarus quidem perpetuò esuriebat: in se enim totus intentus, nihil pauperi reliquum erat. lib. 4 adnot. 18. n. 4 & adnot. 19. n. 4.

5 *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus.* Quis non crederet à diuite illo tam splendidè, & sumptuosè conuiuante, misellum hunc alendum omnino fore? At enim non modò ei micas mensæ non dabat, vt suos canes illius sanguine saginatum iri vellet: scitè Ambros. lib. 8. in Lucam: *Insolentia, & tumor diuitum indicijs competentibus exprimitur, quòd ita conditionis humanæ immemores sint, vt tanquam supra naturam sint, de miserijs pauperum incentiua suarum capiant voluptatum, rideant inopem, insultent egenti, & quorum misereri deceat, his auferant.* lib. 3. adnotat. 12. num. 5.

6 *Et nemo illi dabat.* En opulentiam huius diuitis fœdatam: qui enim afflictos subleuare nequit, vt totum suo luxui impendat, manet honore, ornamento, & splendore omnino priuatus: & è contra, hæc omnia sibi conciliat, quisquis aliorum miserijs leuandis incumbit. lib. 4. adnot. 18. num. 4.

7 *Mortuus est mendicus, & portaretur ab Angelis.* En Angelum homine maiorem, dum illum portat, eique manum porrigit. vers. 1. lect. 4. tota.

8 *Et Lazarum in sinu eius.* Vide egenum, & mendicum iudicantem, & condemnantem Principem virum, cui ex munere acriores fuere ad virtutem stimuli: ipse verò nihil aliud fuit promeritus, quàm maius viaticum supplicij. lib. 1. adnot. 7. num. 4. 6. & 7.

9 *Vt refrigeret linguam meam.* Gregor. Magnus homil. 40. *In lingua autem amplius ardere ostenditur, qui verba legis in ore tenuit, quæ opere seruare contempsit: ibi ergo amplius ardebit, vbi se ostendit scire quod facere noluit.* Vide vers. 2. lect. 4.

10 *Crucior in hac flamma.* Signanter dixit *in hac*: quasi & alia præter illam flamma fuerit: nempe flamma libidinis,

libidinis, qua, dum viuerer vrebatur. Libido enim flamma est, quæ animam adurit, & formam, famamque denigrat, atque corrumpit. lib. 2. adnot. 13. n. 8.

11 *Habeo quinque fratres.* De te ô infelix nunquam curasti: & de alijs modò adeò sollicitus es? O reprobarum mentium amentiam! Sua non curant, & de alienis satagunt: non eos domus, non animæ cura pungit: & alienorum sollicitudo vexat. vers. 2. lect. 14. num. 2.

12 *Fili, recordare.* Quorsum Filij eone honore damnatus dignus existit? Non equidem, at Abraham à conuitijs, & atrocioribus verbis abstinuit, quod à dignitate loquentis, acerba verba etiam in sontem, & merentem proferre sit alienissimum, lib. 2. adnot. 21. num. 4.

13 *Fili.* Infelicissimum damnatum vocare filium non renuit, vt hac mansuetudine ostenderet, iudicij esse, quod ille patiebatur, non furoris: nec ab ira, sed à institia dictam in ipsum sententiam fuisse prolatam. lib. 4. adnot. 5. n. 6.

FERIA VI.

1 MAtth. 21. *Homo quidam erat paterfamilias, qui plantauit vineam.* Quamuis postea, & ipsum audias *dominum vineæ*, & agricolis eam locasse, ex hac tamen patrisfamilias appellatione omnino vides, quem sibi scopum Dominus tanquam bonus Princeps in suorum gubernatione propositum habeat, vt videlicet tanquam pater eis consulat, & ad ipsorum vtilitatem cuncta moliatur. lib. 3. adnot. 12.

2 *Sepem circumdedit ei.* Isidorus Hispal lib. Allegor. *Angelorum munitione vallauit.* Itane cœlestes spiritus pro hominibus excubias agunt? Ita quidem, imò verò hinc sese hominibus excellentiores esse ostendunt. vers. 1. lect. 4.

3 *Et sepem circumdedit ei.* Æquè sapienter nonnulli Patres sepis imagine legem intelligunt: alij verò diuinam custodiam interpretantur, quòd diuinum præsidium, & auxilium Dei manus cū legis custodia coniuncta sit. lib. 1. adnot. 14. n. 1.

4 *Fodit in ea torcular.* Ambrosios in Heaam. lib. 3. cap. 12. *Circumfodit eam, quando exonerauit terrenarum mole curarum: nihil enim mentem magis onerat quàm istius mundi sollicitudo, & cupiditas vel pecuniæ, vel potentiæ.* lib. 2. adnot. 3. n. 2.

5 *Et ædificauit in ea turrim.* Hieronymus: *Haud dubium, quin templum de quo dicitur: & tu turris filia Sion.* Micheæ 4. Sed quid templo & turris Sanè, quòd vt vineæ à turri incolumitas, ita & à Religione, & diuino cultu regno salus, & tranquillitas aduenit: tolle turrim, & erit vinea in deprædationem, tolle Religionem, & regnum dissipatum tu videris. lib. 2. adnot. 5. n. 4.

6 *Et locauit eam agricolis.* Quid existimas id esse? Planè regendi populi munus Principibus à Deo fuisse commissum (vt interpretatur Auctor oper. Imperf.) *Qui procurationem regendi populi susceperunt ad magnam suam gloriam, & ad grande periculum.* Ad gloriam quidem, si diligenter tractauerint populum Dei: ad periculum autem, si negligenter. lib. 4. adnot. 11.

7 *Venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem.* Quàm stulta persuasio! Vlciscitur enim ferrum ab humano sanguine, & qui fragili quærit illidere dentem, infringit solido. Idem quippe est, alteri iniuriam inferre, ac iniuriam sustinere. lib. 5. adnot. 27. n. 2.

8 *Occidamus eum, & habebimus hæreditatem.* August. ser. 59. de verbis Domini: *In contrarium eis vertit malum consilium, vt possiderent, occiderunt, & quia occiderunt perdiderunt.* Nimirum quidquid mala intentione peragitur infelicem exitum sortitur. lib. 5. adnot. 18. n. 1.

9 *Cùm venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* Non priùs punit, quàm supplicium omni ex parte iustum ipsimet reo appareat: *Hic enim Dei mos est* (inquit Chrysost. homil. 30. in Genes.) *vt puniturus priùs iudicet, quàm magna sint peccata, & quasi expostulans etiam ipse satisfaciat nobis, at tunc tandem corripere incipiat.* Ergo Principes cùm supplicia decernunt *etiam ipsi satisfaciant populo*, ne pro potestate, sed pro iure punire, videantur. lib. 4. adnot. 6. n. 1.

10 *Cùm venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? aiunt illi, malos malè perdet.* Vides quàm iustos, & exactos in reddendo in te sese exhibuerunt, dum hæc ad se pertinere minimè cogitarunt. At enim verò cùm intellexerunt de seipsis sermonem esse Domino super illos parabolam reijciente, statim *dixerunt: Absit.* Lucæ 20. vers. 16. Apta id Magistratibus, & Principibus, qui dum se legum pœnis subiectos non credunt, seuerissimè in alios pœnas statuunt, mitius quidem decreturi si se illis obnoxios agnoscerent: vti Dauid, cùm ouis, quam ipse retinebat, parabolā propositā magno ore dicebat: *Viuit Dominus quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc, ouem reddet in quadruplum.* 2. Regum 12. vers. 5. necnon Iacob, qui socero suo expostulanti quod Deos suos furatus esset audenter dicebat: *Quid furti me arguis, apud quemcumque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Genes. 31. vers. 32. addit Sacer textus, *hæc dicens ignorabat, quod Rachel furata esset idola.* Vt innuere videatur: minimè quidem dicturus si sciret. Vide lib 4 adnot. 1. n. 7.

11 *Nunquam legistis? Lapidem quem reprobauerunt ædificantes.* Immò verò quotidie legebant. Qua ergo ratione quod legebant, quodque ante oculos habebant, minimè percallebant? Sanè quòd oculos à noxijs affectibus obscuratos, atque obtenebratos haberent. lib. 2. adnot. 8. n 6.

12 *Auferetur à vobis regnum Dei.* Tam de templo, & Sacerdotio, quàm de Regni splendore loquitur Dominus, quòd *qui antea filij Regni Iudæi erant* (sic loquitur Cyprianus de orat. Dominica) *quando & filij Dei esse perseuerabant, sed postquam cessauit in illis nomen paternum, cessauit & regnum.* Vides vt à virtute Regnis, & vibibus firmitas, & florens fortuna subsit. lib. 1. adnot. 14. num. 3.

13 *Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem verò ceciderit, conteret eum.* Beatè August. Psalm. 73. & Beda hic obseruant, minus malum esse confringi, quàm conteri, quia qui confringitur, non omnino anfertur, & perit, qui verò conteritur, ita comminuitur, vt ne testa quidem remaneat in qua hauriatur aqua pusillum. Quis ergo confringitur? quis conteritur? Augustinus primum refert ad imbecilles, qui fragilitate ad lapidem offendunt, secundum verò ad superbos, qui vt Deo resistunt, ita ab illo non leui manu, sed magno supplicio afficiuntur: *Confringet paruos* (inquit ille) *conteret magnos.* lib. 2. adnotat. 16. num. 7.

SABBATO.

1 LVcæ 15. *Dissipauit substantiam suam.* Necessarius planè nexus, recedere à Deo & dissipare substantiam, quòd non modò interiora animi bona, sed etiam externa à virtute, & Dei ope subsistant: eoque faciem suam auertente turbentur, & in pulnerem suum conuertantur. lib. 1. adnotat. 14.

2 *Adhæsit vni ciuium.* Ambrosius lib. 7. in Lucam: *Qui hæret, in laqueo est:* captus, constrictus, ligatus quin mentis compos sit, & seria tractare valeat: nimium turpitudo mentem eripit, & animum à negotio auocat. lib. 2. adnot. 11.

3 De

3 *De filiquis quas porci*, *&c.* En Dei, veri quidem Principis, à dæmone infensissimo erga sibi subiectos domino discrimen: quòd dum ille homines tanquam suos paterno amore complectitur, non potest non ipsos indulgenter, & benignè tractare: hic verò quòd nullam cum hominibus coniunctionem, aut affinitatem habeat, nihil de eorum salute, aut requie curat. lib.3.adnot.11.n.4.

4 *Quanti mercenarij abundant panibus.* Hæret adhuc gustui nonnihil de filiquis, qui de panibus cogitat, & mercenariis sese cupit adiungere: *Mercenarij autem qui sunt* (ait Ambrof.lib.17.in Lucam) *nisi qui ad mercedem seruiunt, non id quod bonum est, pietatis studio prosequentes, nec virtutis gratia, sed vtilitatis studio prouocati.* lib.5. adnot.16.n.2.

5 *Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater, & accurrens.* Quare non expectauit, vt accederet, sed obuiã illi iuit? Hieron.in c.14. Matth. dum illa verba de Domino. famelicis turbis occurrente. *Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis:* cum his componens, sic ait: *Egressus autem Iesus significat, quòd turbæ habuerint quidem eundi voluntatem, sed vires perueniendi non habuerunt. Ideò Saluator egreditur de loco suo, & pergit obuiam sicut & in alia parabola filio pœnitenti occurrerat:* nimirum, illud in Principe regium, & penè diuinum est, vt afflictis subueniat & fessos recreet, ac foueat.lib.3.adnot.20. & lib.4.adnot.11.n.6.

6 *Non sum dignus vocari filius tuus.* Vides patrem misericordia motum, & super collum tuum mollissimè decumbentem, & suauissima amoris oscula tibi libantem, & diffidis, tenuisque filium appellari? Sapientissimè quidem: *Nam & deiectus* (ait indidẽ Ambrof.) *se exaltare non debet, vt merito possit sua humilitatis extolli.* Et in altum sublatus quò plus emeruerit, eò debet præsumere minus.lib.5.adnot.12.

7 *Non sum dignus.* Augustin.ferm.de Temp. Barbarico, cap.7. *Dicit se filium indignum, vt ille eum iudicet dignum* lib. 5. adnot.14.n.7.

8 *Stolam primam.* Non remittit dumtaxat filij iniurias sibi illatas, sed pristinæ dignitatis stolam simul restituit: ostendens, parum esse, nec suæ maiestati consentaneum, si tantùm delicta condonet, & in suam amicitiam filium non restituat.lib.4.adnot.11.n.2.

9 *Vitulum saginatum.* Pulchrè bonus Dominus cum vitulo componitur, vt appareat se ad populi salutem cuncta moliri.lib.3.adnot.12.n.3.

10 *Vitulum saginatum.* Ambrof.lib.7.in Lucam: *Tu adhuc iniuriam metuis, ille restituit dignitatem: tu supplicium vereris, ille osculum defert, tu conuitiũ times, adornat ille conuiuium.* Vt videris maiora pluraque amoris signa pœnitenti reddita, quàm cùm innocens erat, acceperat: ea quippe pœnitentiæ vis, atque efficacitas est, vt vberiores sæpè fructus, quàm innocentia ferat.verf.3.lect.8 n.1.

11 *Vitulum saginatum.* Chrysolog.ferm.3. *Communis vitulus non sufficit, nisi fuerit saginatus, vitulus pinguis testatur paternæ pinguedinem charitatis.* At enim alibi hunc vitulum non saginatum, sed potius exinanitum legimus. Quî ergo & saginatus, & exinanitus sit? Planè quod tunc se saginatum existimet cùm suorum caussa exinanitur.lib. 3. adnotat. 13. n.3.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

1 LVcæ 11. *Erat Iesus eiiciens dæmonium. Admiratæ sunt turbæ.* Compone hoc *erat* cum illo *in principio erat Verbum.* Ioan. 1. 1. Erat enim Verbum, & erat apud Deum, & erat Deus, & tamen ab hominibus, nec agnitus, nec dignis laudibus affectus est: modò autem erat eiiciens dæmonium, & homines in magnam sui admirationem rapuit. Quare? Profectò quia diuinitas, regiusque splendor à beneficentia, & benignitate apud homines commendatur. lib. 3. adnotat. 14. num. 3.

2 *Erat eiiciens dæmonium.* Quid opus fuit, Dominum seipso tanta attentione, & cura dæmoni expellendo incumbere, qui id opus cuius ex discipulis committere potuit? quemadmodum postea dicebat: *In nomine meo dæmonia eiicient,* Marc.16. Sanè vt se germanum Principem munus suum implentem, & negotiorum expeditioni sedulam operam nauantem demonstraret. lib. 3. adnot.6.7.& 8. Præsertim verò cùm de humilibus, & tenuioribus à potentiorum oppressione vindicandis quod Principis proprium est, agebatur.lib. 4. adnot. 7. signatè verò num. 7.

3 *Et illud erat mutum.* A dæmone quidem sic occupatum, vt nec mutire auderet: videris plerosque à temporalium bonorum splendore sic possessos, atque deuinctos, vt verum quod agnoscunt, minimè aperire valeant: *Canes muti* (inquit Isaias) *non valentes latrare.* Sed cur Vates canum imagine vsus est? Allusit, opinor, ad canum naturam, cuius meminit Aristoteles: etenim dum ipse canes insomnia pati affirmat, inde id euincit quod dormientes latrare soleant: quod argumento est, curare illos, somniatam à se molestiam latratu suo repellere: ac si diceret Vates: en canum, siue doctorum quorundam ingenium, qui cùm pro temporalibus suis commodis, siue pro molestiis corporis repellendis, quæ omnia mera somnia sunt, latrare soleant: pro publica vtilitate vigilantes velut canes muti latrare non valent, somniantibus peiores.lib.5.adnot. 19.n.1. &.2.

4 *Et admiratæ sunt turbæ.* Iure admiratæ sunt, quòd consentanea dignitati suæ opera exhiberet, secus quidem minimè admirarentur.lib. 1. adnotat.5. num. 2. & adnot. 6.num.3.

5 *In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Quæ hæc, oro, cogitatio? aut ratiocinatio fuerit? qua Principem dæmoniorum sibiipsi aduersantem, & ministris suis vim inferentem confinxerunt? Planè quòd ipsum superbissimum, imò Regem inter omnes filios superbiæ nossent, inde vilissimum fore seruiliter se pro dominatione subiicientem coniectarunt: sic magni sæpe, & potentes viri dum noxiis affectibus seruiunt; vt voti compotes euadant, seruis suis faces cupiditatibus admouentes se subiiciunt, & ancillulis ancillantur.lib.2.adnot.7.n.4.

6 *In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Acerba Domino illata iniuria, quam ipse à se modis omnibus propulsauit, nullum non lapidem mouens, vt ostenderet se à Beelzebub esse alienissimum: & verò si attendis alibi ab iisdem ei obiectum fuisse, dæmonium habere, eamque ipsum calumniam leuissimè reiecisse tantùm inquiens: *Ego dæmonium non habeo.* Ioan.8. meritò inquiras cur grauius probrum existimauit communionem cum Beelzebub sibi obiici? Sanè quòd Beelzebub Deus-Musca, qui à cultoribus suis pro libito circumducitur, ne eos pro meritis puniat.lib. 4. adnotat. 1. n.7.

7 *In Beelzebub eiicit dæmonia.* Obserua, verbum *eiicit,* quo isti, quantumuis inuidi, quantumuis maledici, reuerenter Dominum increparunt. Nec enim dixerunt *eiicis*: ad instar Hebræorum Pharaoni suggerentium: *iniustè agitur in seruos tuos.* Exigit enim hoc Regiæ faciei dignitas.lib.5.adnotat.20.n.6.

8 *In Beelzebub eiicit dæmonia.* Obserua eadem de re turbas admiratas; Scribas verò, & Pharisæos (nam de iis sermo est apud Matthæum, & Marcum) blasphemantes; illis Dominus, quod reipsa erat, Dei virtus, & sapientia esse videtur, his verò dæmonis socius, & particeps, quo nihil absurdius, & à veritate magis alienum concipi potuit. Quæ tanti discriminis

ratio? Vis nosse? turbæ Christo inferiores, & alterius instituti: Scribæ verò & Pharisæi æquales in docendo, & eiusdem cum Domino professionis erant: inde ergo ad inuidendum acrius excitabantur. Ita quidem Dauid Psalm. 111. vers. 9. cùm dixisset: *Cornu eius exaltabitur in gloria.* Subdit, *peccator videbit, & irascetur:* in rabiem sanè actus quòd is qui sibi æqualis videbatur, in cælum fuerit sublatus. Igitur ideò blasphemant, quia admiratæ sunt turbæ. lib. 5. adnot. 8. n. 4.

9 *In Beelzebub.* Opportunè Salomon: *Considera opera Dei* (quàm pulchra, & ad permouendos animos efficacia sint) & vide quòd nemo *possit corrigere quem ille despexerit.* Eccles. 7. 17. Vt discerit, & tamen quæ insipientium obduratio est, nec ab iis potentissimis signis ad cognoscendum Deum permouentur, cùm tamen simplices, ac rudes turbæ in vehementem ab illis admirationem rapiantur. Nimirum à noxiis affectibus eorum mentes obscurantur, ne verum videant. lib. 2. adnot. 7. n. 6.

10 *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur.* O miram Domini patientiam! Qui contra hominis hostem sua potentia vitur, dæmonem scilicet expellens: in suosmet hostes patientiam, & benignitatem armat: sed enim ad potentiæ suæ conspectum, vt patientia illustrior, ita & magnitudo, ac diuinitas ipsius splendidior redditur. lib. 4. adnot. 11. n. 1.

11 *Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri, in quo eiiciunt?* Expulsionem dæmonum non persequebantur Iudæi, qui eam in filiis suis, nempe Christi discipulis dæmones eiicientibus, laudabant. Persequebantur ergo Christi personam: quod ægrè fert Dominus: irascitur nempe in illos, qui ad iras, & beneficia, non ad merita, sed ad personas respiciunt. lib. 4. adnot. 14. num. 2.

12 *Filij vestri, in quo eiiciunt?* Bonus Princeps, qui ministris suis honorem, eandemque potestatem, quã ipse habet impertitur. lib. 5. adnot. 22. n. 1.

13 *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Neque enim satis est, si Dei verba audias, legas, prædices, nisi illis opera adiungas. vers. 2. lect. 4. num. 1.

FERIA II.

1 LVcæ 4. *Vtiq; dicetis mihi hanc similitudinem.* Obsecro illud *dicetis:* quasi nondum dixerint, sed dicere possent: sed cur (inquis) Dominus dormientes excitet, siue dicturos præueniat? Sanè quod Principis fama delicatissima sit, eamque anticipato remedio curare ipse debeat. lib. 1. adnot. 17. n. 2.

2 *Medice cura teipsum.* Ambros. in Psalm. 37. *Nemo alium vulnerando se sanat.* Medice cura teipsum: *Si medicus, quanto magis reus priùs curare se debet? Confiteris peccatum tuum, & medicam te profiteris in alienum? etsi veritatis est quod retorques, temporis non est.* Peccatori enim dixit Deus quare tu enarras iustitias meas, &c. lib. 1. adnotat. 4. num. 1.

3 *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Haud dubium quin rationem reddat Dominus, cur patriæ suæ signatè non benefecerit, pluraque in suos ciues beneficia contulerit totam in illos culpam refundens: omnino innoens se ex Principatus natura debere omnibus benefacere. lib. 3. adnot. 15.

4 *Fac & hic in patria tua.* Apta hæc iam propositæ imagini Medici non curantis seipsum: ex qua his verbis Dominus significat Principem qui suos non curat, nec se curare, & velut neminem esse. lib. 3. adnot. 14. n. 1.

5 *In diebus Eliæ.* An dies Eliæ dicuntur, quia ipse tempora, diesque rexerit? Minimè, sed quia in illis mirabilia est operatus. Nec enim alios dies viuimus, nec alios, tanquam nostros recensere valemus, nisi eos, quos in virtutum operibus insumimus. lib. 3. adnot. 6. num. 7.

6 *In diebus Eliæ.* Quia vt Sol diem facit, omnia fouet, & illustrat, ita ille imbrem de cælo deduxit, vt omnibus prouideret. Chrysost. lib. de consubstant. Filij: *Cùm labra tantùm diduxisset, vt innumeri è cælo thesauri laberentur effecit. O sanctum os, cui fontes imbrium instant! O vocem bonis omnibus scaturientem!* Similiter Ambr. *Quia diem faciebat illis, qui conuertebantur ad Dominum, & ideò aperiebatur cælum videntibus diuina.* Bonus planè Princeps, qui suis, & dies, & bonus annus est. lib. 2. adnotat. 22. num. 5.

7 *In Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.* Quare nonnisi ad illam? Nonne opportuniùs, & suauiùs apud suos ille aleretur? Equidem vt terras suæ voci, & prædicationi subiectas Elias inuisens atque perlustrans earum calamitatibus perspectis ad pietatem commoneretur: vt documento Principibus sit, ditionis suæ vrbes lustrare, vt subditorum calamitates oculis cognoscentes fessis rebus subueniant. lib. 3. adn. 10. n. 5.

8 *Et duxerunt illum vsque ad supercilium montis super quem ciuitas eorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.* O amentes! eamne ob caussam montes à natura formati sunt? Imò verò ad impetus fluminum domandos, tenuiores scilicet à potentiorum vi atque tyrannide protegendos: vos autem vice versa monte ad præcipitandum innocentem vti vultis. lib. 4. adnotat. 7. num. 2.

9 *Transiens per medium illorum ibat.* En medicum curantem seipsum, imò verò patriæ suæ omnino prospicientem. Quid enim fuisset eum ab illis tunc præcipitari, quàm ipsos perditum, & præcipitatum iri. lib. 5. adnot. 27.

FERIA III.

1 MAtth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Hieronymus: *Si peccauerit in nos frater noster, & in qualibet caussa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, imò necessitatem: qua præcipimur, vt debitoribus nostris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccauerit, non est nostri arbitrij, &c. Nos è contrario in Dei iniuria benigni sumus, in nostris contumeliis exercemus odia.* Sapientissimè, vt vtroque cornu feriat Magistratus, & Principes in puniendis sontibus desides, & remissos, cùm ad id tanquam ad depositum reddendum omnino teneantur. lib. 4. adnotat. 1. num. 4. Et in propriis iniuriis vindicandis, quod ab eorum dignitate longissimè iuerit, alacres & promptissimos. lib. 4. adnotat. 11.

2 *Si peccauerit in te, &c.* Ambros. lib. 8. in Lucam: *Pulchrè autem posuit in te: non enim æqua conditio in Deum, hominemq; peccare. Denique Apostolus qui diuini est verus interpres oraculi.* Hæreticum *inquit,* post vnam correptionem deuita: *quia non æquè perfidia, vt culpa venialis.* Aliter ergo boni Principes, ac malus ille Tiberius se gerere debent: nam vt ille suarum iniuriarum impatiens iactitabat, *deorum iniuria diis curæ:* ita ipsi ad proprias iniurias remittendas omnino faciles; in Religionis hostibus plectendis summam diligentiam debent adhibere. lib. 2. adnot. 5.

4 *Vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Augnst. serm. 15. & 16. de verbis Domini, dum hæc verba muleis explicat, & omnem in partem versat, ea cum illis Salomonis Prouerb. 27. *Qui arguit palam, pacem facit:* & cum his 1. ad Timoth. 5. *Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant:* sic committit, vt ambigat quomodo valeant hæc simul subsistere, cùm alia publicam correctionem, alia secretam suadeant? sed nodum ita facilè dissoluit:

Si

Si peccatum in secreto est, in secreto corripe: si peccatum publicum est, & apertum, publicè corripe, vt ille emendetur, & cæteri timeant. Magnæ ergo curæ Principibus, & Magistratibus esse debet, vt publica peccata publicè arguantur, vt pacem faciant, vti inquit Salomon: aliter turbatur Resp. & quod ipsi in paucis impunitum relinquunt, publicis calamitatibus à Deo expiatur. vers. 8. lect. 2.

5 *Vade, & corripe.* Siue vt est in lectione Syriaca *argue:* enimverò vt moneret, quàm lenis, & vrbana correctio esse debeat, notantes præmisit *frater tuus:* quis enim fratri contumeliosè, aut acerbè loquitur? Quod verò in Syriaco habetur, *argue*, eò it vt quemadmodù, qui arguit, responsum expectat, nec de iniuria inferenda, sed de veritate eruenda contendit, ita qui corripit, tum sedato animo correptum audire, & excusationes eius excipere, tum blandimento orationis vti debeat. lib. 5. adnot. 20. n. 4.

6 *Sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Hieronymus: *Publicani vocantur, qui sæculi sectantur lucra.* Subdit Euthymius: *Ethnicis autem infidelibus coniunxit publicanos, propter pecuniæ amorem, & auaritiam. Audiamus ergo, qui huiusmodi affectionibus sumus obnoxij.* Vt dixerit Euthymius, non potuit melius Dominus auaritiæ sordes traducere, quàm cùm auarù cum ethnico, qui Deum verum non cognoscit, nec diuinum, & excelsum aliquid sapit, signatè composuit. lib. 2. adnot. 22. n. 3.

7 *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum.* Datur vsquæcunque petieritis, sed obseruacum Euthym. *In nomine meo, hoc est propter me, propter mea præcepta, & non propter aliam caussam.* Sæpius enim publicè orantes non exaudimur, quia ea quę petimus, licet bona, & iusta esse videantur, non tamen iustè, & recta intentione petimus. lib. 5. adnot. 18. n. 5.

8 *Et dimittam illi vsque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Pulchrè Basil. hom. 11. *Mysterium septenarij aliqua ex parte intellexit Petrus. Nondum tamen exactè didicerat, vt qui discipulus adhuc esset. Prout sciuit dicebat discipulus, supergressus est discipulum opulentia pietatis Domini.* Vt dixerit, Principem pro maiori sapientia, & dignitate promptiorem ad dimittendum iniurias priuatis hominibus esse debere. lib. 4. adnot. 12.

FERIA IV.

1 MAthæi 15. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Si attendis, non erat illis animus pungendi discipulos, sed Magistrum. At ea malignè detrahentium ars est, vt subdolè feriant. vers. 5. lect. 2. n. 2. & lect. 3. n. 2.

2 *Non lauant manus suas cùm panem manducant.* Quàm vigiles, & acuti in Prælati moribus cognoscendis, & arguendis subditorum oculi sunt: quos nec leuis eius næuus prætereit. vers. 2. lect. 12. Quare omnino oportet, vt excellenti vitæ probitate hominum illę iudicia præoccupet. lib. 1. adnot. 17. n. 1.

3 *Non lauant manus suas, &c.* Vide præstantiam Christiani populi ex vitæ puritate à Iudaico se discriminantis: iste enim de manuum lotione sollicitus de emundatione carnis cogitat: *Coinquinatos sanctificat ad emundationem carnis*, ad Hebr. 9. 13. Christianus verò spiritu, & cordis puritati intentus externam lotionem non curat: *Quia non lotis manibus manducare non coinquinat hominem.* Certè Pilatus lotis manibus Dominum damnauit: sed enim *non purgant contaminatum animum manus lotæ*, inquit S. Leo. Contra Dominus de Petro interiùs omnino mundando valde sollicitus, ei dicenti: *Non lauabis mihi pedes in æternum*, notanter respondit, *si non lauero te non habebis partem mecum:* vbi obserua Petrum dixisse, *non lauabis mihi pedes*, Dominum verò *si non lauero te*, Petri scilicet P. *Velasquez in Psal. centesimum.*

verba, & sensum immutant, eo enim de externa munditie cogitante Dominus interiori animi puritati intentum se esse admonuit. Ergo vera ac simplex, non fucata virtus quærenda est. vers. 2. lect. 8. &. 9.

4 *Quare, & vos transgredimini.* Theophyl. *Nihil ad hoc respondet, sed vicissim reprehendit eos.* Pergit Euthymius: *Ostendens non oportere eos, qui Dei præceptum transgrediuntur, accusare illos, qui hominum traditionem prætereunt.* Quo enim iure legis Dei transgressus alios arguere, & increpare possit? lib. 1. adnot. 4.

5 *Quare, & vos transgredimini.* Victor Antiochen. in Marc. *Propterea Dominus duritiæ reprehendit illos, vt qui sub pietatis schemate insignem absurditatem complecterentur.* vers. 4. lect. 2. num. 3.

6 *Quare, & vos transgredimini mandata Dei vestri, &c.* Qui fragili putat illidere dentem, infringet solido, vt est in parœmia. Mala quidem iniuria est, quæ in eos qui aliis inferunt, recidit. lib. 5. adnotat. 27.

7 *Quare, & vos transgredimini.* Optimo merito in eos Dominus excandescit, quòd illius discipulos suos iniustè arguentibus accusatio, & iniueria ipsum tangeret, dicente Salomone: *Non est bonum damnum inferre iusto, nec percutere Principem, qui recta iudicat.* Prouerb. 17. 26. Quasi idem sit, bonum subditum à quopiam lædi, ac iustum Principem peteuti. Nimirum bonus Princeps tum cunctos sibi subditos defendendos, & protegendos, suscipit. lib. 3. adnot. 12. n. 4. Tum etiam in illis, & læditur, & colitur. lib. 5. adnot. 25.

8 *Quare, & vos transgredimini* En Optimi Principis ingenium, siue Regij muneris præcipuam partem, minores, & tenuiores, à potentiorum calumniis, & oppressione defendere. lib. 4. adnot. 7.

9 *Propter traditionem vestram.* Irenæus lib. 4. cap. 25. *Seniorum enim ipsorum traditio quam ex lege obseruare fingebant, contraria erat legi, quæ data est per Moysem: propter hoc & Isaias ait.* Caupones tui miscent vinum aquâ, *ostendens quòd austero Dei præcepto miscerent seniores aquatam traditionem.* Est post pauca: *Non solùm autem per præuaricationem frustrati sunt legem Dei miscentes vinum aqua, sed & suam legem è contrario statuerunt, qua vsque adhuc Pharisaica vocatur. In qua quædam quidem auferunt, quædam verò addunt, quædam autem quemadmodum volunt interpretantur.* Dixeris quidem horum imitatores eos esse qui Beelzebub Deum Muscam mysticè colunt, lib. 4. adnot. 1. num. 7.

10 *Honora patrem tuum, vt sis longæuus super terram.* Pulchrè Hieron. *Cum præceptum beneficium est:* id est adeò est benefaciendi cupidus, vt adhuc cùm præcipit, benefaciat, siue is præcepti sui scopus sit, vt ab illius obedientia vitam ego habeam, inde Principes, & Magistratus admonens, vt ad subditorum vtilitatem cuncta moliantur. lib. 3. adnot. 12.

11 *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur.* Prosper lib. 1. de vocat. gent. cap. 2. *Quidquid non est eradicandum, manifestum est à Patre esse plantatum.* Enimverò cùm Dominus iis verbis de traditionibus Pharisæorum tandem eradicandis egerit, manifestum sit tum Christianam Religionem, quæ numquam eradicata est, nec eradicari poterit, à Patre esse plantatam: tum etiam ea regna, in quibus ipsa plantata est, nunquã cõmouenda, aut eradicanda fore, quippe vt Religio in illis radices agit, ita ipsa in altissima pace, & securitate radicem mittit. lib. 2. adn. 5. n. 3.

12 *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus. Non firmis radicibus innititur regum fauor* (& idem dicito de muneribus, & honoribus in indignos collatis) & cito ad examen reducitur quidquid gratiæ aura fortuiti. lib. 5. adnot. 4. n. 7.

13 *Eradicabitur.* Quippe tam longè à propria sede, & loco abit eradicata iustitia, quàm iniustitia radices

agens: vnde Propheta, *Vidi (inquit) impium firma radi-ce, & maledixi* (hoc est malè ominatus sum) *pulchritudi-nem eius*. lib. 4. adnot. 3. n. 4.

14 *Sinite illos: caci sunt, & duces cacorum.* Gregor. Magn. lib 6. exposit. in lib. 1. Reg. cap. 2. *Superbi Phari-sai ab ipsa veritate caci nominantur, qua ad discipulos ait: Caeci sunt, & duces caecorum: Qua vtique caecitas specia-liter libidinosis adscribitur, quia nulla sunt vitia, qua spissio-res tenebras mentis ingerant, quàm libido.* Ergo Principi, ac Magistratui, vt oculorum caecitas, ita & libido ca-uenda est. lib. 2. adnot. 2 1.

15 *Caci sunt.* Quomodo caeci, qui legis Doctores, & Magistri erant? Euthymius: *Cacos vocat, tanquam anima oculos à fluxu affectionum occacatos haberent.* Nimirum errat oculus, vbi errat affectus. lib. 2. adnot. 8. n. 5. & 6.

FERIA V.

1 **L**Vcae 4. *Surgens Iesus de Synagoga introiuit in domum Simonis.* Spontaneus intrat Dominus, nec à Petro pro socrus sanitate rogatus. An Petrus pro ea non rogat, quia socrui suae ad morem vulgi erat infensus? Nequaquam, sed ne Dominum à publica vtilitate, cui in Synagoga consulebat diuerteret. Quippe is Optimus Principis Administer est, qui sua non curat, vt publicam vtilitatem curet. lib. 5. adnotat. 15. n. 6.

2 *Introiuit in domum Simonis.* Euthym. *Non dedignatus est vilem piscatoris domum ingredi: hinc quidem, & discipu-lum honorans, & simul docens nos, ne vana gloria studeamus.* Bonum sanè Principem, qui suis affabilem, & beni-gnum se exhibet. lib. 2. adnot. 17.

3 *Et stans super illam.* Matthaeus addidit, *tetigit ma-num eius.* Paschas. verò legit, *tenuit manum eius:* subiicit-que: *Huius verò tenuit manum, quam mulier contra man-datum extenderat ad arborem. Iustum quippe erat, vt quod manus praesumentis admiserat, manus repararet Auctoris.* Vt videris, Optimi Principis esse, Administrorum ma-nus tenere, ne pro libito ad omnia se extendant. lib. 5. adnot. 1. n 3. & 4.

4 *Et stans super illam.* Siue vt Matth. *tetigit manum eius.* Paschas. *Quia non tantùm verbo, verùm manibus ope-ratus est salutem: manus confortanis lassas, & genua trementia solidauit.* Hic enim Optimus Principis character est, qui suis subditis omni modo prospicit. lib. 3. adnot. 14. num. 1.

5 *Continuò surgens ministrabat illis.* Chrysost. hom. 28. in Matth. *Nemo quippe ignorat, quàm longo tempore postquam febres cessauerunt, opus sit ad pristinum robur recu-perandum. Cuncta igitur tunc simul facta sunt. Quod & in mari pariter euenisse perpendere possumus. Nam & ibi non ventos solùm, ac tempestates sedauit, sed quod inauditum om-nino erat, fluctus etiam, vndasq́, composuit.* Cura ergo Deum adiutorem habere, & omnia quidem tibi prosperè euenient. lib 5. adnot. 21. n. 3.

6 *Cùm Sol autem occidisset.* Noranter post Solis oc-casum Dominus egregia signa, & beneficia homini-bus praestabat: tum vt ipsis tenebris praeclarae virtu-tes illustrarentur, dum ab humilitate peculiarem splendorem accipiunt. lib. 5. adnot. 15. n. 4. Tum etiam ne sanatos, & beneficio affectos verecundia oneraret, & dona sua Solis radiis exposita ipsa exprobrare vi-deretur. Indidem num. 3.

7 *At ille singulis manus imponens.* Nimirum officij Principis pars est, non solùm communi bono generaliter prospicere, sed insuper priuatae singulorum vtilitati, quoad eius fieri queat, debitam prouidentiam sollicitudinemque nauare. lib. 3. adnotat. 17. num. 1.

8 *Increpans ea loqui.* Quare? nonne daemones sciunt, atque sapientes, & qui de Christi magnitudine plura dicere, & annuntiare poterant? Ita quidem: at enim quis ab iis vocibus charitate destitutis fructus, siue profectus sperari posset? Audi August. lib. 9. de ciuit. cap. 20. *Daemones dicuntur, quoniam vocabulum Graecum est, ob scientiam nominati. Apostolus autem Spiritu sancto lo-quens ait: Scientia inflat, charitas verò aedificat: Quod rectè aliter non intelligitur, nisi scientiam tunc prodesse, cùm charitas inest; sine hac autem inflare, id est in superbiam ina-nissima quasi ventositate extollere.* Ergo Princeps, aut Doctor, quò alius prodesse possit, non tam impetio magnus, quàm maximus exemplis sit. lib. 1. adnotat. 4.

FERIA VI.

1 **I**Oan. 4. *Venit Iesus in ciuitatem Samariae.* Egregius Princeps, siue Magistratus, qui non sedet in angulo, sed omnia perlustrat, vt velocissimi sideris more omnia inuisat, omnia audiat, omnibus succurrat. lib. 3. adnot. 10. n. 2.

2 *Erat ibi fons Iacob: Iesus ergo fatigatus ex itinere.* Preme illatiuam illam *ergo*, sub eo sensu, vt transiens Dominus per Samariam de industria ad fontem Iacob haeserit, quòd progenitoris sui ad benefaciendum promptissimi. lib. 3. adnot. 16. n. vlt. memoria stimulatus non priùs inde discedere voluerit quàm egregium beneficentiae facinus ederet, quo egregiae maiorum virtuti respondeet. lib. 1. adnot. 20.

3 *Fatigatus ex itinere.* Fatigatur Christus, vt lassis hominibus misereatur. Nec enim se miserentem iudicat, dum eorum non premitur ipse miseriis, afflictis, fatigatis, dolentibus, affligitur, dolet, fatigatur. lib. 3. adnot. 19. n. 3.

4 *Fatigatus ex itinere.* En propriam, atque pulcherrimam Principis faciem, qui modò suis opem ferat, nullis laboribus, ac defatigationibus parcit. lib. 3. adnotat. 56. num. 2.

5 *Fatigatus ex itinere.* S. Laurent. Iustinianus cap. 5. de Spe. *Qua ratio capere sufficit redemptionis beneficia, quo-modo factus est homo hominum factor: vt sugeret vbera regens sidera, vt esuriret panis, sitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur?* Sanè vt bonus Dominus nulli parcens labori à superbo illo se discriminaret, qui sidera regere ambiebat sine defatigatione, aut vllo laboris, ac molestiae sensu. lib. 2. adnot. 7. n. 1.

6 *Fatigatus ex itinere.* Notantissimè tunc solummodo fatigatus Dominus inducitur, dum turpitudini sanandae aduenit, quique merito, cùm ipsum post mundum, hominemque creatum quiescentem videria, quasi figurata locutione antea laborasse videatur: vnde Ambros. ibi: *Si Deus in te laborauit, qui laborare non nouit, cur tu fugitans sis laboris?* Enimverò cùm turpiudo pulcherrimam hominis fabricam euertat, eumque bestiis similem efficiar, qui ipsum pristinae dignitati restituere nititur, quo modo non laborate, & fatigati videatur. lib. 2. adnot. 10 n. 4.

7 *Da mihi bibere.* Quid? Deumne, siue Principem vinum à subdito petere decet? non Tertull. auctore *indignum vt quid alienum concupiscat Deus*; audi quo sibi proposito fine petat: *Si scires donum Dei tu forsitan petiis-ses ab eo, & ipse dedisset tibi aquam viuam.* Scilicet perebat vt daret: *sitit sitiri*, ait Nazianz. Optimus quidem Princeps, qui dare quàm accipere beatius iudicat. lib. 2. adnot. 22. num. 4.

8 *Da mihi bibere.* Mira Domini bonitas, & beneficentia: dum à nobis petit, non ea solùm de caussa, vt largiendi ansam accipiat, sed etiam vt daturus retribuere potius quàm donare videatur, sua sic munera celans, vt ab exprobratione longissimè fuerit: vti hunc in modum obseruauit Chrysostom. homil. 2. in cap. 2. ad Thessal. in Isaac sacrificio ab ipso de industria procurato: *Largiturus erat pro nobis filium suum, sed ne*

ne videretur gratis illum largiri, sed eum nobis ita debere, præcipit Abrahæ vt filium suum daret, vt cùm magnum quid nobis faceret, nihil magni videretur fecisse. lib. 5. adnot. 14. num. 2.

9 *Si scires donum Dei, &c.* Quis nesciat (inquis) donum Dei? omnes scimus, nec nos latet donorum Dei magnitudo. Benè quidem; at enim non satis est eam scientiam habere, sed: *Oculi tui recta videant* (Prouerb. 4. 25) *& palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Vt gressus videlicet oculis, & opera scientiæ respondeant, ne tanquam illa Babylonis statua hinc aureum caput, scientiæ scilicet plenum, illinc luteos pedes terrenis rebus hærentes, & innixos habeas. vers. 2. lect. 4. num. 1. & seqq.

10 *Voca virum tuum.* Quàm moderatè! quàm vrbanè! quàm leniter perditissimam mulierem increpare incipit, non nisi punctim feriens: ne si ipsi totam peccati turpitudinem simul, & velut vno ictu obiecisset, ad diffidentiam, & desperationem prouocaretur. lib. 5. adnot. 20. n. 1.

11 *Cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Quem? Animarum salutem. Bonus Princeps, qui subditorum salute, & incolumitate reficitur. lib. 3. adnotat. 12. num. 2.

12 *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Vide Optimum Principem sedulam gubernationi operam nauantem, & negotia pro solariis habentem. lib. 3. adnot. 6. tota, præcipuè num. 7.

13 *Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Quid? fructumne capient, quem non meruerunt? Curve illi, qui laborauerunt, eo priuentur? erant hi quidem Patriarchæ, & Principes populi. Iam verò Principes, atque Prælati tunc suum agunt negotium, cùm publicum agunt: tunc fructum ex suo labore percipiunt, cùm eorum subditi optato fructu potiuntur. lib. 3. adnot. 13. num. 1.

SABBATO.

1 IOan. 8. *Perrexit* IESVS *in montem Oliueti.* Bonus Dominus cui solemne est in montem Oliueti pergere. Opportunè Beda. *Mons Oliueti sublimitatem Dominicæ pietatis, & misericordiæ designat, & ipsa vnctio olei fessis, ac dolentibus membris solet adferre leuamen.* Illa quippe germana Principis excellentia, atque sublimitas est quæ fessis rebus subuenit. lib. 3. adnot. 20. n. 2.

2 *Et diluculo iterum venit in templum.* Vt tanquam bonus Princeps suorum caussas discuteret, negotiaque expediret: & per seipsum immediatè gubernationi incumberet. lib. 3. adnot. 6. n. 7.

3 *Inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Quò hæc Domini inclinatio, & scriptura iuerit? Audi Bedam: *Per inclinationem Iesu humilitas, per digitum, qui articulorum compositione flexibilis est, subtilitas discretionis exprimitur. Postulatus ergo Dominus iudicare de peccatrice, non statim dat iudicium, sed priùs se inclinans deorsum digito scribit in terra, nos videlicet typicè instruens, vt cùm qualibet proximorum errata conspicimus, non hæc ante reprehendendo iudicemus, quàm ad conscientiam nostram humiliter reuersi digito eam discretionis solerter exculpamus.* Quod itidem clarè admonuit Dominus, dum statim Pharisæis suggessit. Qui sine peccato est, &c. vt dixerit inquit Bernardus sermon. 3. in Annuntiat. *Meruit quidem adultera lapidari, sed is punire gestiat, qui dignus non est ipse etiam puniri, is præsumat à peccatrice exigere vltionem, qui eandem excipere non meretur.* Ergo qui alios recturus, siue iudicaturus est, omnis labis expers esse debet. lib. 1. adnot. 4. n. 4.

4 *Inclinans se deorsum.* Bernard. *Inclinans se, & ad misericordiam flexus.* Propriè quidem Theandrica, hoc est Dei virilis actio hæc fuerit: quasi diuinum spiritum humano admixtum mero diuinitatis spiritui ad iudicium ferendum quodammodo Dominus prætulerit. lib. 4. adnot. 8. n. 3.

5 *Inclinans se deorsum.* Obserua tum diuinitatem ipsam humanitate inclinatam, tum dēnuò ipsam humanitatem inclinari, quod etiam indicat Dominum, dum hoc iudicium ferret, sese iterum atque iterum inclinasse: planè quòd clementia, in Principe, vt non vulgaris, & abscissa esse debeat, at duplo maior seueritate futura sit. lib. 4. adnot. 10.

6 *Inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Euthymius: *Vt dum ipse in eos non respiceret, erubescerent lenius redarguti, vtque ita illo in scribendo occupato liceret eis sensim abscedere antequam manifestius condemnarentur, nam sua summa benignitate etiam ipsis parcebat.* Quò etiam ipsamet Domini verba: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*, ire videntur. Nam voluit dicere: cur vos qui grauioribus estis obnoxij criminibus, in aliorum vitiis tam acutè cernitis, tam seuerè iudicatis? sed enim hanc increpationem modestissimis verbis, & vrbanissimo orationis blandimento temperauit. lib. 5. adnot. 20.

7 *Primus in illam lapidem mittat.* Si attendis, fuit id quidē ream absoluere, cùm sciret Dominus, nullū ex accusatoribus sine peccato esse: at enim simul præscriptam in adulteros legē omnino seruauit, ne sibi esset contrarius qui dixerat: *Non veni soluere legem.* Etenim Princeps legum, quas semel tulit, diligens custos, rigidusque satelles esse debet. lib. 4. adnot. 2.

8 *Primus in illam lapidem mittat.* Nonne qui volebat absoluere, faciliùs dixisset? Ego qui Moyse maior, & legis Dominus sum, miserę huic volo dimittere. Non equidem, ne accusatoribus existentibus iuris ordinem inuerteret: & non tantùm à malo, sed etiam ab omni specie mali abstineret. lib. 2. adnot. 6.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

1 IOan. 6. *Dixit ad Philippum, vnde ememus panes?* Quid prius Domino dixerint discipuli apud Matthæum, Marcum, & Lucam obserua: sic enim illi iisdem pœnè verbis: *Accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Desertus est locus, & hora iam præteriit, dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas.* Boni planè ad faciem ministri, qui de celeri negotiorum expeditione Principem admonent: quid enim iis, qui litigant, aut ambiunt vtilius, quàm citò dimitti? Quid Regis Administro honestius, quàm ei suggerere, *hora iam præteriit dimitte turbas.* At enim, si bene æstimas, munus suum non satis impleuerunt, qui à Domino non postularunt, vt miseris subueniret, ad eum modum, quo Sanctissima Deipara in nuptiis Cana, Domino reuerenter suggessit: *Vinum non habent.* Quid enim à regia maiestate fuerit magis alienum, quàm subditos ab eius præsentia ieiunos, ac esurientes exire, tristesque dimitti. lib. 3. adnot. 20. tota, præcipuè n. 8.

2 *Quinque panes hordeaceos, & duos pisces.* Ea videlicet cibaria, quæ tam ipsimet Domino, quàm discipulis necessaria erant. Euthymius in cap. 14. Matth. *Iussit quidem panes, ac pisces afferri, docens quod etiam illa pauca oporteat præbere indigentibus, eosq́, sibiipsis præponere. Illi verò quamquam similiter fame cruciati, nihil aliud haberent, sine vlla tamen contradictione obediunt.* Sed nonne melius sibiipsis Apostoli consuluissent, quin alios sibi præposuissent. Plenè si ipsi priuati homines forent opportunè seipsos aliis præposuissent, at qui aliorum Magistri, & Principes erant, non quod sibi vtile, sed quod multis cogitare debebant. lib. 3. adn. 12. n. 2.

3 *Accepit Iesus panes, & distribuit discumbentibus, similiter*

liter & ex piscibus quantum volebant. Pende dati, accepiique ratione. Accepit Dominus, & vt distribuit: vt primùm argumento sit, licere Principi accipere à suis, sed ea lege vt quæ acceperit aucto censu distribuat, adinstar Domini quinque panes accipientis, & reddentis quinque millia: sic dicebat Rea Theodoricus apud Cassiodor. lib. 5. epist. 36. *Maiora nos decet tribuere, quàm videamur à seruientibus accepisse*, lib. 2. adnot. 22. num. 4.

4 *Distribuit discumbentibus.* Obserua apud Matth. 14. 19. dici de Domino. *Dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.* Nonne facilius fuisset, suismet manibus panes distribuisse? Vt quid ergo discipulis dedit, vt distribuerent? Planè, ne sibi soli totam miraculi gloriã vendicaret: sed suis etiam discipulis communem faceret, vt ij etiam miraculi patratores viderentur. lib. 3. adnot. 18. n. 4.

5 *Colligite fragmenta ne pereant.* Quum ad rem? Equidem vt nostris subinde inseruiant vsibus, sed itàne Principem decet frusta panis seruare, & frustis panis vesci? ita quidem. Nihil enim Principi fuerit gloriosius, quàm & calculum cum imperio ponens superfluos sumptus præcidere. lib. 4. adnot. 19. Et vt vexato populo compatiatur splendorem suum contrahere. lib. 4. adnot. 18.

6 *Colligite fragmenta ne pereant.* Sed num abbreuiata fuit Domini manus, quin iterum atque iterum simile miraculum perficeret? Quid ergo fuit opus fragmenta ad suos colligere, sed denuo ad suam potestatem coofugere? Respondet Victor Antioch. in Marc. *At non est id mirum, siquidem signum non temerè, sed publica vtilitatis causa fieri debet.* Vt diceret, potestatem non ad proprios vsus, sed ad publicam vtilitatem fore referendam: nec Principem omnia omnino quæ potest, temerè factu rum. lib. 4. adnot. 5.

7 *Et impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Non mossiret aliquis Iudas, *vt quid perditio hæc?* Oportuit enim superfluentem mensurata suisse: etenim volebat Christus maior reputari, quàm Moyses, & Elias, qui populum manna, viduam farina non nisi iuxta necessitatis terminos sustentauerant. Nimirum quò quis est aliis dignitate superior, eò etiam egregiis à se editis operibus maiorem debet exhibere. lib. 2. adnot. 6. n. 4.

8 *Duodecim cophinos.* Vt singuli ex duodecim Apostolis suum cophinum ferrent, duodecim superauerunt. At cur & Iudas cæteris æquetur? Noluit quidem Dominus inglorium eum relinquere, sed cùm eius malitia modò esset contecta, æquè ac alios honorate: ne personatum acceptor esse videretur. lib. 4. adnot. 14. num. 4.

9 *Cùm cognouisset quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent Regem, fugit, &c.* Gregorius Magnus 1. part. Pastor. cap. 3. *Hac igitur breuiter diximus, vt quantum sit pondus regiminis monstraremus: ne temerare sacra regimina quisquis his impar est, audeat, & per concupiscentiam culminis, ducatum suscipiat perditionis. Hinc ipse Dei, hominumq; mediator regnum percipere vitauit in terris, qui supernorum quoque spirituum scientiam transcendens ante sæcula regnat in cœlis. Scriptum quippe est.* Iesus ergo cùm cognouisset, &c. *Quis enim principari hominibus tam sine culpa potuisset, quàm is, qui hos nimirum regeret, quos ipse creauerat? Sed quia idcirco in carne apparuit, vt non solùm nos per passionem redimeret, verum etiam per conuersationem doceret, exemplum se sequentibus prabens, Rex fieri noluit: ad crucis verò patibulum sponte peruenit.* Facilius ergo fuerit, crucem obire, quàm Principatũ suscipere. lib. 2. adnot. 15. n. 2.

10 *Vt raperent, & facerent eum Regem.* Euthym. in cap. 6. Ioan. *O manifestam gulositatem! cùm innumera prius vidissent, qua hoc erant mirabiliora, nihil tale confessi sunt: cùm autem impleti sunt, tunc hunc esse Prophetam dicebant.* Ergo hos fugit Dominus, quorum oculi in fignitram eius intenti, non charitatis, sed concupiscentiæ impetu ferentur. lib. 5 adnot. 15. num. 3. & 4.

11 *Fugit in montem ipse solus.* Cap. hæc Augustin. lib. 4. de consens. Euang. cap. 10. quasi moneat Dominus *eò sc nostra menti, rationiq; regnare, quò est in excelsis. Vnde ille fugit in montem quia regnum eius terreno animo requirebant.* Nimirum terrena spiritualibus, & cælestibus magno impedimento sunt. lib. 2. adnot. 3. n. 2.

FERIA II.

Vide feriam 3. post hebdom. 1. Quadrages.

1 IOan. 2. *Et mensas subuertit.* Notanter Dominus diuitiarum, & negotiationis mensas subuertit, quod è regione esset mensa panum propositionis quæ Eucharisticum panem figurabat, etenim cùm in illo Dominus ad subleuandos pauperes, & alendos contractus, & exinanitus esse voluerit, nefas quidem erat, vt ad tantæ benignitatis præsentiam, negotiatores illi de augendis facultatibus solummodo curarent: tot inter ea pauperibus esurientibus. lib. 4. adnot. 18. n. 8.

2 *Quod signum ostendis nobis? Soluite templum hoc.* Nihil enim pro Christi diuinitate firmius, validiusque fideiubet, quàm ipsius passio, & mors, quæ non solùm bonum Principem, sed etiam verum Deum esse ostendit. lib. 5. adnot. 21. n. 2.

FERIA III.

1 IOan. 7. *Iam die festo mediante ascendit Iesus templum.* August. in Catena S. Thom. *Illi ascenderunt, quasi ad perfruendum delicijs diei festi: Christo verò ille fuit dies festus, quo passione sua redemit mundum.* Nimirum illud ingens inter priuatum, & Principem discrimen est, quod ille sibi, Princeps verò suis viuit: & vt priuatus proptia commoditate, & deliciis gaudet, ita hic subditorum bono maximè delectatur. lib. 5. adnot. 14. n. 1. & adnot. 12. num. 6.

2 *Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?* Chrysostomus. *Vide admirationem nequitia plenam. Non enim dicit quod in doctrina admirarentur, sed quod in aliam admirationem inciderunt.* Nam qui doctrinam admirari debebant, docenti infensi ad peiorem partem illam detorquere curabant. Vide lib. 4. adnot. 13. n. 2.

3 *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Doctrinæ excellentia homines in admirationem rapit, sed omnem statim gloriam ad Patrem refert: vt Dei ministros admoneat, ne sibi aliquid honoris, & laudis vendicent, sed in Deum omnem gloriam transmittant. lib. 5. adnot. 17. n. 5.

4 *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Quomodo eius non esset, qui sapientia Dei est? Sed qui maximè modestus, & humilis erat, viam inuenit qua suam non esse diceret, quòd videlicet ipse Verbum Patris esset. Propterea quidem Principum ingenium modestissimè loqui. lib. 2. adnot. 20.

5 *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina.* Maximè quidem cognoscitur, nisi Dei voluntatem priùs fecerit. Sed quid intellectui, & voluntati? Cognoscitoe bona voluntas? an bonus intellectus? Chrysostom. *Hoc ita dicit. Auferte iram, & inuidiam, & odium, quod sine causa in me habetis, & nihil erit quod prohibeat vos cognoscere.* Quippe à noxiis affectibus ita obscuratus intellectus, vt lumen videre nequeat. lib. 2. adnot. 8. n. 5. & 6.

6 *Qui autem quarit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in eo non est.* Optimè, nam qui mittitur, non suo nomine, sed mittentis agit: vnde si sibi gloriam quæsierit, iustitiam omnino lædit, sibi quod suum non est vendicans. lib. 5. adnot. 17. n. 4.

7 *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Ac si diceret, vt interpretatur Maldonat.

Si

Si vos legem quam gloriamini à Moyse vobis datam, minimè seruatis, quid me vultis occidere quod eam non seruem? Egregia argumentatio, qua Principes, & Magistratus admonentur maiores exemplo, quàm imperio esse debere. lib. 1. adnot. 4.

8 *Vnum opus feci, & omnes miramini.* Nullum non lapidem mouet, vt se factorem legis, non destructorē ostendat. Quod si inquiras: cur vna ex parte omnem à se gloriam remoueat, ex alia suam innocentiam à qua non mediocris ei laus adueniebat, omnino adstruat? facilis est responsio. Principi suam famam magnæ curæ esse debere, beneque hæc subsistere, & gloriæ cupidum non esse, & famam non contemnere. lib. 2. adnot. 16. & 17.

9 *Omnes miramini.* Chrysost. Cyrillus, Leontius, Euthym. & alij apud Maldonat. *Miramini* aiunt esse, *turbamini, offendimini, tumultuamini*: vt videris quanta vrbanitate, & orationis blandimento eos increpauerit. lib. 5. adnot. 20.

10 *Nolite iudicare secundum faciem, &c. Hoc est* (vt ex Chrysostom. Augustino, Theophyl. & aliis PP. ait Maldonatus) *accipere personam in iudicio quod lex facere prohibebat. Significat ergo Christus, inter se & Moysem iudicibus Iudæis litem esse, vter ipsorum sabbatum violet: ipsene totum sanando hominem, an Moyses circumcidendo, Iudæos odio in se: gratia in Moysem illum absoluere, se condemnare.* Pro potestatē videlicet, non pro causæ æquitate iudicantes. lib. 4. adnot. 6.

FERIA IV.

1 IOan. 9. *Præteriens Iesus vidit hominem cæcum.* Vidit? ergo sanauit Ea enim est Christi viscerum humanitas, vt quem oculis conspexit, in sua miseria oppressum relinquere non valeat. Qui itaque præteriuit, vt videret, non vidit, nisi vt sanaret. lib. 3. adnot. 10. num. 6.

2 *Præteriens vidit.* Casune ibi erat in transitu cæcus luci restituendus? imò Dominus illac de industria prętériuit, vt videns illū visum ei donaret, monēs Principes ditionis suæ oppida lustrare, vt res fessas animaduertētes opportunè illis subueniant. lib. 3. adnot. 10.

3 *Vidit.* O bonos oculos, qui sic vident, vt videre alios faciant, ab eorum oculis puluerem excutientes: aliter quidem ac Principum humanorum oculi, qui pleni sunt puluere à pedibus, siue obsequiis introeuntium. lib. 5. adnotat. 6. n. 5.

4 *Quis peccauit, hic an parentes eius? Neque hic peccauit, neque parentes eius.* Cyril. Alex. dialogo 6. *Audis quo pacto auferendo opinionem quasi indecoram vult oportere benefacere magis quàm velle scire ea, quæ supra homines sunt.* En humanum, en diuinum ingenium dum homines non nisi de aliorum defectibus rimandis, & honore denigrando: Dominus verò de erratis operiendis, & claritate suis reddenda agunt. lib. 3. adnot. 18. n. 4.

5 *Vt manifestentur opera Dei in illo.* Quid? latebàtne in illo Dei potentia, vel sapientia: aut ipsemet Deus ignorabatur? Minimè quidem, at enim à beneficentia peculiaris illius splendor, & magnitudo innotescit. lib. 3. adnot. 16. n. 2.

6 *Me oportet operari opera eius, qui misit me.* Preme accuratum dicendi modum *me oportet*, planè quasi ex munere non posset, non benefacere. Quippe ea dignitatis lex est vt debere se Princeps existimet quod sponte tribuit. lib. 3. adnotat. 15. n. 4.

7 *Opera eius qui misit me.* Cur non dixit? oportet me operari, miracula facere, & meum munus implere. Planè vt potentiam abscondens, & Patri suo egregia, quæ faciebat adscribens, æmulorum inuidiam amoliretur: sapientis quippe est splendori suo, ad quē alij cęcutiunt, velamē imponere. lib. 5. adno. 23. n. 4.

8 *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Ambros. epist. 75. *Quod naturæ defuit, creatori competit reformare, qui auctor naturæ est. Vnde addidit*: Cùm in hoc mundo sum, lux sum mundi. Vt videris quàm proprium sit Principis benefacere, & fessis rebus subuenire, vt si fortè à benefaciendo cessauerit, & ipse suo muneri, & munus ipsi omnino defuisse videantur. lib. 3. adnot. 14. num. 1.

9 *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Reddit rationem cur, illum oporteret operari: vt videlicet muneri suo satisfaceret, nec otiosus esse videretur. Quomodo enim merito non argueretur Sol, qui radios cohiberet, nec de orbe illuminando curaret? itidem & Princeps, qui gubernationi per seipsum non attenderet? lib. 3. adnot. 6.

10 *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Nec egeo alio sole, à quo fœneratum lumen accipiam, siue ductore ad cuius gradum ambulem; sed ego & aliis lucē impertiri, & totam dominationis vim penes me retinere debeo. lib. 5. adnotat. 2. n. 5.

11 *Et liniuit lutum super oculos eius.* Ambrosius epist. 75. *Itaque & tibi imposuit lutum, hoc est verecundiam, prudentiam, considerationem fragilitatis tuæ.* Vt ab hoc luto lumen accipias: quippe à nimia claritate, qua te auroræ filium, & immortalem consideras cæcitas tibi, & lapsus adueniunt. lib. 2. adnot. 1. n. 2.

12 *Liniuit lutum super oculos eius.* En opportunum, & necessarium curandæ superbiæ adhibitum remedium, ne superbus oculos inaniter extollat, sed terræ qua formatus est, memor, eos humiliet atque deiiciat. Vers. 5. lect. 8. n. 6.

13 *Vade & laua in natatoria Siloë.* Signatè ad Siloë mittit, qui ille omnino fons erat dictus *Gion* vbi Salomon in Regem fuerat inunctus: duplici quidem de causa, altera, vt suo exemplo moueat, ideò Regem creari, & inungi, vt cæco oculus, claudo pes sit. lib. 3. adnotat. 20. Altera, vt ostendat, se, quòd Salomonis filius esset, eius legata persoluere: hoc est egregias illius actiones exprimere. lib. 1. adnot. 20. n. 2.

14 *Abiit ergo, & lauit, & venit videns.* Irenæus lib. 5. aduersus hæreses cap. 15. *Lotus venit videns, vt & suum cognosceret plasmatorem, & disceret homo eum, qui donauit ei vitam.* Planè quasi à lotione veniat visus, hoc est ab affectuum purgatione, & puritate noua menti lux oboriatur: ideò quippe vix eum cognoscis, qui donauit tibi vitam, quòd lotus non es. lib. 2. adnot. 8. n. 6.

15 *A sæculo non est auditum quod quis aperuit oculos cæci nati.* Merito quidem Dominus miraculum tam egregium, atque admirandum effecit, quod nemo alius patrasset, quòd maior omnibus, hoc est Dei Filius ab hominibus haberi volebat. Nimirum pro maiori dignitatis fastigio ad maiora virtutis opera enitendum est. lib. 1. adnot. 6. n. 3.

16 *Propterea dixerunt, ætatem habet ipsum interrogate.* Filius animosè, & audacter veritatem profitetur, parentes verò quibus æquè nota, ac perspicua erat, quique quò seniores, eò promptiores ad illam propugnandam esse debebant, sese reddendo testimonio subducunt, & ne discrimini maneant obnoxij, periculum in filium reiiciunt, ô politicos! ô ignaros! Quid tutius? quid securius quàm Christi causa periclitari? lib. 5. adnot. 10.

17 *Et maledixerunt ei.* Ambros. indidem. *Maledictio eorum benedictio est, quia benedictio illorum maledictio est. Tu sis* (inquiunt) *discipulus eius. Tunc prosunt, quando nocere se credunt.* Nimirum Christi discipulus, vt verè sapiens ipsi potiùs quàm omnibus mundi præsidiis fidit. lib. 5. adnot. 11.

FERIA V.

1 LVc. 7. *Ibat Iesus in ciuitatem Naim.* Titus Bostrens. *Defuncto qui iam efferebatur obuiam prodiit.* Vt qui paulò

panlò antè Centurionis seruom vocatus sanauerat, ostenderet, minimè opus esse, vt misericordiam, & beneficia exhiberet, à calamitosis hominibus vocari, qui & charitatem, & munus Principis, quæ eum ad opem ferendam indesinenter stimulabant, intus habebat. lib. 3. adnot. 11.

2 *Et turba ciuitatis multa cum illa.* Euthymius. *Si turba miserebatur, quanto magis, qui fons erat misericordiæ?* Vt diceret: si turba compassionem exhibuit, Dominus certè non modò compassionem, sed etiam beneficium & miraculum pro dignitatis excellentia debuit exhibere. lib. 1. adnotat. 5.

3 *Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus.* Preme *cùm vidisset*, vt diceris: vt vidit statim misertus est. Clementissimos enim Dominus ei, quem semel diuinis oculis aspexit, non potest non opem ferre, ab humanitatis suæ visceribus ad beneficiendum impulsus. lib. 3. adnot. 10. n. 6.

4 *Misericordia motus.* Doloris lachrymis, suas etiã Christus adiungit, vt hominem se ostendat: quis enim cum flente non fleuerit? Vers. 1. lect. 1. 9.

5 *Tetigit loculum.* Theophylactus. *Non solum autem verbo facit miraculum, sed & loculum tangit, vt discamus quod corpus tuum corpus viuificum sit.* Apta id Principibus, & Magistratibus, qui quidē via poterunt mortuis, id est, peccatoribus, & sonibus verbo solùm medicinam adhibere: nisi manum operationi admoueant, & sese vitiis, & criminibus exemplo opponant. lib. 1. adnotat. 4. num. 4.

6 *Hi autem qui portabant steterunt.* Qui sunt feralis istius funeris portitores? Respondet Beda: *Immunda desideria, quæ hominem rapiunt in interitum.* Opportunè quidem, nam (si attendis) nunc immunda desideria, & sæculares concupiscentiæ stant, quin gradum faciant, nec pedem moueant, cùm super se mortem ferunt. lib. 2. adnot a. n. 1.

7 *Cœpit loqui.* Theophylactus, *id est, docere.* Quæ namque melior, opportunior doctrina, quàm quæ à morte, & mortalitate discitur. lib. 2. adnot. 1. n. a.

8 *Cœpit loqui.* Theophylactus defunctum de peccatore, suscitatum verò de pœnitente accipiens subdit. *Quando autem in peccato detinetur, non audet docere, & loqui, quis enim crederet?* lib. 1. adnotat. 4. n. 1.

FERIA VI.

1 IOan. 11. *Ecce quem amas infirmatur.* Chrysost. *Ideò autem non inerunt ad Christum sicut Centurio, & Regulus, sed mittunt, quia vehementer cōfidebant de Christo propter multam familiaritatem, quam habebant ad eum.* Quomodo enim crederent Dominū, siue quà optimus Princeps, siue quà bonus amicus de illis imperosè solicitū non fore? lib. 3. adnot. 11. n. 3.

2 *Ecce quem amas infirmatur.* Theophylactus. *Tantam enim potentiam in Domino esse credebant, quod mirum videretur, qualiter virum sibi dilectum infirmitas potuerit occupare.* Notanter *tantam potentiam in Domino esse credebant*: quòd optimi Principis potentia omnino beneficia, & salutaris sit, nec vlla ratione concipi valeat Principem potentia præditum, qui ea in benefaciendo viator. lib. 3. adnot. 12. n. 3.

3 *Sed pro gloria Dei.* Quid enim Deo, siue Principi gloriosius, quàm opem ferre mortali: nonne hinc signatè eius excellentia, & magnitudo splendet? Vers. 2. lect. 4.

4 *Nunc te quærebant Iudæi lapidare, & tu iterum vadis illuc?* Quidni? dixerit Dominus. Neque enim facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodo impleam cursum meum, & ministerium, quod accepi. lib. 2. adnot. 7.

5 Nonne duodecim horæ sunt diei. Ambrosius lib. 7. in Lucam. *Sciuit & ille diem esse multiplicem qui scripsit: hic dies generationis cœli, & terra cùm facta sunt. Cùm enim suprà septem descripsisset dies, postea vno die omnia facta esse complexus est, totum mundi tempus ostendens in conspectu Domini tanquam diem vnum.* En ergo necessariam rationem, vt bonis operibus indesinenter incumbas: vnam tantùm diem totam hanc vitam esse, in qua vix Sol oritur eùm occidit: cur ergo diei tam velociter transeunti inhæreas? lib. 2. adnot. 1.

6 *Nonne duodecim horæ sunt diei?* Augustinus. *Cùm autem vellent dare consilium homines Deo, discipuli Magistro, corripuit eos.* Nonne duodecim horæ sunt diei, *vt enim diem se ostenderet, duodecim discipulos elegit.* Vt diceret, ego dies, vos horæ diei: non ergo dies horis, sed horæ diei, aprandæ, & subiiciendæ sunt. Vide lib. 5. adnot. 2.

7 *Si quis in die ambulauerit, non offendit.* Vide feria sequenti num. 5. *Vado vt à somno excitem eum.* Notantissimè signorum omnium maximum, rei summè facilis imagine, & nomine expressit, vt verborum modestia miraculo splendorem detraheret, ac proinde maiorem ei lucem, & grauam conciliaret. lib. 2. adnot. 20. num. 4.

8 *Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam.* Chrysostomus. *Sed quomodo Iudæi consolabantur dilectas à Christo, cùm iam statuissent, quod si quis Christum consiteretur, extra Synagogam fieret? Sed quasi nobiles has mulieres consolabantur.* Planè quasi illis leges araneatum telæ essent, quæ muscas illaqueatent, à validioribus, siue ob validiores perrumperentur. lib. 4. adnot. 2.

9 *Sed & nunc scio quia quæcumque poposceris à Deo, &c.* Augustin. *Non dixit. Rogo te, vt resuscites fratrem meum. Vnde enim sciebat, si fratri eius resurgeret vtile erat? hoc tantùm dixit scio, quia potes si vis facere: vtrùm facias, iudicij tui est, non præsumptionis mea.* Honestissima hominis à Principe dilecti cogitatio, vt & eius arcana timari non audeat. lib. 5. adnot. 15. & quò plus emeruerit, hoc præsumat minùs. lib. 5. adnot. 12.

10 *Omnis qui credit in me non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Vtiq, Domine, ego credidi quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Optimè Chrysostomus. *Videtur mihi non intellexisse mulier quod dictum est: propterea aliud interrogata, aliud respondit.* Nimirum quæ respondere debuisset, credo Domine quod credentibus in te vitam tribuis, maluit dicere *credidi quia tu es Christus Filius Dei viui*: fuerine idem, Christum Deum vnum esse, ac vitam sois dare? Ita quidem, tunc enim ipse signatè viuit, cùm suis viuis, eisque vitam indit. lib. 3. adnot. 14. n. 5. & 6.

11 *Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, consolabantur eam.* Quàm solemne est hominibus alios de suorum morte cōsolari, quin ipsi mortis sic meminerint, quasi ad ipsos sit aliquando peruentura. Bene Seneca. *Longæ nauigationes instituimus, cùm mors ad latus sit, qua quia aliena creditur, non haret.* Sanè hac de causa opportunè à Sapiente admonemur, ipsam in prora tanquam nauigij gubernatricem collocare. lib. 2. adnot. 1. n. 2.

12 *Infremuit spiritu, & turbauit seipsum.* Quò hæc iam ingentia doloris, & anxietatis signa interiora? præcipuè cùm de vita Lazaro iamiam reddenda gaudendum potiùs quàm dolendum videretur. Sanè quòd Lazaro à Christo Domino iam in tuto collocato ad vitam denuo adueniente nouam subinde gubernatori curam, nouam de eius salute sollicitudinem aduenire necesse erat: vt omnino diceret: conuersus sum io ærumna mea dum cōfigitur spina. lib. 1. adnot. 11. n. 5.

13 *Fremens in semetipso venit ad monumentum.* Notanter *in semetipso*, fremitum videlicet cohibens, qui priùs ditos exterius fremitos dederat. Vt sedata videlicet voce Lazarum alloqueretur. Nimirum priùs in morem, & peccatum tanquam in hominis hostes opportunè bonus Princeps fremebat, modò autem

Lazarum

Lazarum allocuturus omnem verborum acerbitatem vitabat. lib. 2. adnot. 25. n. 2.

14 *Et lachrymatus est Iesus.* Itáne Principem, immò Deum lachrymæ decent? ita quidem, vt se suorum amantem ostendat, qui æquè ac ipsi eorum ærumnis ac calamitatibus tangitur. lib. 5. adnot. 59.

15 *Quidam autem dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur.* Apparet hinc quidem, quanta hominum malignitas sit, qui egregium illud miraculum lucis cæco restitutæ iam ad opprobrium vertunt, quod simile modò in Lazaro non perfecerit, sed in benefaciendo tantisper hæserit: adeò promptus est mundus ad bona in peiorem partem detorquenda: adeò etiam suis est cupiditatibus addictus, vt nullum illis terminum præfigi, sed omnia vel inuita, & repugnante natura ad suum libitum peragi velit. Veruntamen verò, vt prauus illis subesset affectus, non malè omnino Principis naturam, & ingenium considerabant, qui munere adactus indesinenter benefacere deberet. lib. 3. adnot. 55.

16 *Soluite illum, & finite abire.* Itáne Lazarus solutus, & liber abire dimittetur? Quid enim fuerit, sinere hominem liberum abire, quàm veluti perditam, & occisam rem dimitti? Sed enim ei, qui prodibat *ligatus manus, & pedes institis, & cui facies sudario itidem erat ligata*, mortalitatem scilicet suam ob oculos ferens, nihil erat metuendum, mortis memoria pro illo fideiubente. lib. 2. adnot. 2.

17 *Soluite illum, & finite abire.* Ambrosius in Lucam. *Vehementiora sunt iura quàm vincula.* Vt inde moneatur Princeps, quonam modo solutus legibus siti quippe vt illarum coactioni sit exemptus, iure tamen ipso, & Principatus ipsius lege vehementius ligatus est. lib. 1. adnotat. 4.

SABBATO.

1 IOan. 8. *Ego sum lux mundi.* Opportunissimè Dominus seipsum cum luce composuit, tam vt Deitatis naturam summè beneficam, & liberalem ostenderet, quàm vt omnino adstrueret, non vni aut alteri, sed omnibus indiscriminatim benefacere velle. lib. 4. adnot. 14.

2 *Ego sum lux mundi.* Nazianzenus oratione 5. *Lux vt animarum splendor, quæ & sermone, & vita purgatur.* Vt quemadmodum ex lucis imagine sese ad benefaciendum maximè procliuem ostendit, ita signatè moneat, oculos ad cælestia cognoscenda, & capienda leuandos, ne terrenis impediantur: quominus veram lucem accipiant. lib. 2. adnot. 3.

3 *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Chrysostomus ad illa Domini verba, si quis in die ambulauerit, non offendit, Ioan. 11. *Si quis lucem huius mundi videt, securus est, multo magis qui mecum est, nisi amouerit se à me.* Quod perinde fuit ac si vtrobique diceret Dominus, vt dies à tenebris exemptus est, ita & qui sequitur me, omnino ab omni discrimine securus est, quòd si à die discesserit in tenebras, in discrimina incidere necesse erit. lib. 5. adnot. 10.

4 *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, &c.* Obserua variatam imaginem: nam qui dixit *sum lux mundi*, videbatur dicturus, qui videt me, non est in tenebris: & tamen signatè dixit *qui sequitur*: ne scientiæ luce contentus tibi blandiaris quasi sapienti, sed noueris diuinam lucem non tam oculis, quàm pedibus fore insequendam. Vers. 2. lect. 4.

5 *Verum est testimonium meum quia scio vnde veni, & quò vado.* Chrysostomus. *Id est, ex Deo sum, & Deus, & Dei Filius. Non autem hoc dicit magnifestè, quia semper humilia miscet altis.* Decet enim Principem modestissimus sermo, qui magnorum operum sal, & condimentum est. lib. 2. adnot. 20.

6 *Vos secundùm carnem iudicatis.* Chrysostomus. *Sicut secundùm carnem viuere, malè viuere est: ita secundùm carnem iudicare, iudicare iniustum est.* Carnalibus videlicet affectibus rationis lumen obscurantibus. lib. 2. adnot. 8. n. 5. & 6.

7 *Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.* Notant illud dictum *quia solus non sum*: vt diceret, quia et si sapientia, & potentia Patris sum, tamen cùm iudico, non pro potestate, aut voluntate, sed pro ratione, & æquitate iudicium fero. lib. 4. adnot. 4.

DOMINICA IN PASSIONE.

1 IOan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Optimus Princeps, qui, vt subditis prosit, magnam de bono nomine coram habet. lib. 1. adnot. 16. n. 1.

2 *Quis ex vobis?* Nutantes *ex vobis*: non ex amicis, aut ignotis, sed *ex vobis*, qui gloriam mihi inuidetis, & de honore mecum indesinenter contenditis, quippe ob vestra crimina à me sæpiùs redarguti, & castigati estis. Egregiam planè innocentiam, & innocentiæ laudem, quæ ab iis denigrari obscurarìue non potuit. lib. 5. adnot. 8. n. 5.

3 *Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Euthymius. *Dæmonium, habentem vocabant tanquam Dei honorem in seipsum detrahentem: nam tales fuere dæmones.* Quid ergo his criminationibus Dominus? *Ego dæmonium non habeo.* Euthymius. *id est, Deum non dehonesto, nec de honore suo detraho.* Vbi obserua, quanta alacritate alia criminatione contempta se diuini honoris studiosissimum asseruit, quasi nihil à se adeò esset alienum, ac Dei honorem sibi vsurpare velle: imitentur hoc Dei ministri, & ne dæmones sint, omnem in Deum gloriam referant. lib. 5. adnot. 17. n. 7.

4 *Ego dæmonium non habeo.* Cur simul non dixit Samaritanus non sum? sanè vt bona pro malis referret. Nimirum Samaritanus, custos esse perhibetur: ipse verò quà maior, & primogenitus in multis fratribus est, eorum custos esse debet: ergo vt ille illorum qui ei iniurias inferebant, & fratrem, & custodem fateretur: *Tacuit quod recognouit* (inquit Gregorius Magnus) *& patienter repulit quod dictum fallaciter audiuit.* En egij muneris scopum, siue obligationem. lib. 3. adnot. 55. num. 6.

5 *Ego dæmonium non habeo.* Preme rursum Gregorij verba: *Tacuit quod recognouit*: sed priùs obserua, quo sensu à Iudæis Samaritanus sit appellatus, quod videlicet (vt Euthymius, & Elias Cretens. in orationem 4. in Nazianzenum affirmant) non exactè seruaret legem, & Sabbati violationem flocci penderet: iam iure ambigas, cur Samaritani appellationem non propulsauerit, quæ ipsi sub eo sensu obiecta fuit? Sanè quòd dum vna ex parte *recognouit* proprium muneris sui esse, etsi ex alia sibi esset inutiolis, muneri potiùs, quàm personæ voluit prospicere. lib. 3. adnot. 7.

6 *Ego dæmonium non habeo.* O egregiam Domini mansuetudinem! Irritatus à Iudæis syncera omnino excusatione suam innocentiam manifestat, & verò vt vox *ego* eam emphasim habeat, ego non habeo, vos habetis, adhuc egregia Christi vrbanitas, & modestia mitè elucet, qui infensos sibi hostes pro muneris sui ratione castigans, sæuiora verba de industria vitauit. lib. 2. adnot. 25. n. 4.

7 *Ego dæmonium non habeo.* Gregorius Magnus. *Ex qua re quid nobis innuitur, nisi vt eo tempore, quo à proximis ex falsitate contumelias accipimus, eorum etiam vera mala taceamus, ne ministerium iustæ correptionis in arma vertamus furoris?* Quippe confectio blandimento orationis condienda

noluit? Respondet Maldonatus. *In promptu ratio est, noluit eorum de se prauam opinionem confirmare. si enim tunc cum illis ascendisset, visus fuisset eorum votis assentiri: ideoq; ascendere, vt humanam pararet gloriam, quemadmodum illi desiderabant. Ascendit ergo postea, vt legi satisfaceret, & ex suo, non illorum sensu ascendere videretur.* Vbi obserua, Christum in eas angustias redactum, vt aut legi non satisfacere, si non ascenderet, aut si ascenderet, prauis suorum suggestionibus obsequi videretur: sic se gessisse, vt vtrumque scopulum declinaret; tanta ipsi cura erat, vt non solùm à malo, sed à mali specie abstineret. lib. 2. adnot. 9.

8 *Propter metum Iudæorum.* Quorum? Nam multi Iudæi in ipsum valde proni erant? Sanè de Principibus Iudæorum loquitur Ioannes, vt Cyrillus Alexandrinus, & alij optimè obseruant, sed cur Principum nomen Ioannes reticuit? Equidem quòd nomine tenus Principes essent, vita & moribus à Principũ dignitate & fastigio euntibus. lib. 1. adnot. 8.

FERIA IV.

1 IOan. 10. *Facta sunt encænia in Hierosolymis, & hyems erat, & ambulabat Iesus.* Non otiosè à Ioanne positum existimes, hyemem esse, cùm Christus deambulabat: sed vt constet, non inutiliter tempus ab ipso consumi deambulando, qui humanæ necessitati ita consulebat. Nimirum Princeps, vt munus suum impleat, omnes diei partes publicis debet curis impendere. lib. 2. adnotat. 11. n. 8.

2 *Hyems erat.* Ideò ad leuandam frigoris molestiam deambulabat, sed qui passim miracula faciebat, vt cuiuis misero opem ferret, omne sibi miraculosè succurreret, frigusque depelleret? Non equidem: nec enim Princeps gloriosè sibi potens, sibi felix, sed aliis est. lib. 3. adnot. 12 n. 2.

3 *Et ambulabat.* Iam ergo qui humano modo frigoris molestiam depellebat, cur focum non extruxit, incendit pyram? Planè quòd boni Principis instar, modico contentus, minimus sumptus facere voluit. lib. 4. adnot. 19. n. 4.

4 *In porticu Salomonis.* Alcuinus. *Porticus Salomonis dicitur, ubi Rex ille ad orandum stare consueuerat.* Vnde quidem illius meminit Ioannes, vt innueret, Dominum prædecessoris sui exemplis admonitum de maiori, & digniori Ecclesiæ templo construendo cogitabundum ambulare. Quippe à Principis virtute successorum vita, moresque formantur. lib. 1. adnotat. 20. n. 1.

5 *In porticu Salomonis.* Bonus Princeps, atque Prælatus, qui non quæcumque mediocrium exempla, sed egregia magnorum Principum sibi imitanda proponit. lib. 3. adnot 5. n. 1.

6 *In porticu Salomonis.* Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. *In porticu Salomonis deambulat ipso dedicationis die, hoc est in pectore sapientis, atque pacifici deambulat Christus, eius sibi dedicaturus affectum.* Notanter in porticu, hoc est pectore *Salomonis* Regis: vt regium animum sibi Dominus vendicet, eumque cælestibus bonis addicat. lib. 2. adnot. 4.

7 *In porticu Salomonis.* Notanter dictum ab Ambrosio. *Eius sibi dedicaturus affectum.* Vt dixerit, non contentos eius sibi opera dedicare, peculiariter affectum, id est, rectam animi intentionem qua iusta iustè à Principe peragantur, sibi dedicat. lib. 5. adnot. 18.

8 *Circumdederunt ergo eum Iudæi.* Obserua illatiuam *ergo*: vt sensus sit: Ne ergo liberè ambularet, circumdederont eum, eius videlicet vestigia circumscribentes, vt eum inter manus haberent. Rides istorum stultitiam, qui Deum comprehendere, & manibus capere, qui non elabi posset, volebant, ride & tuam, qui temporalibus, & politicis rationibus vis felicitatem asse-

P. Velasquez in Psal. centesimum.

qui, & Deum pro libito ducere quasi ipse tibi morem gerere debeat: cùm vnica & vera ratio status sit, Deum placatum, & beneuolum habere. lib. 1. adnot. 13.

9 *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Videbatur quidem à Domino dicendum: opera quæ facio in nomine meo hæc testimonium perhibent de me, vt fortius, & efficacius eo modo ad adstruendam diuinitatem conficeretur argumentum. Noluit tamen aliquam sibi gloriam vendicare, nisi eam quæ ipsi à Patris gloria adueniret. lib. 5. adnot. 17.

10 *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est.* Referunt id Tertullianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, & alij ad naturam diuinam, quam Pater Filio gignendo dedit. Cyrillus verò Alexandrinus, & alij ad ouium curam, hoc est salutem hominum quam ipsi Pater demandarit. Videtur autem hæc conciliare, & sub eodem sensu capere Augustinus tractatu 48. in Ioannem inquiens. *Quid dedit Filio Pater maius omnibus, nisi vt ipse ille esset vnigenitus Filius?* Et post pauca. *Sic habet sapientiam, vt ipse sit sapientia, faciatq; sapientes: sic habet vitam, vt ipse sit vita, faciatq; viuentes: hoc est quod maius est omnibus.* Planè quasi & naturæ diuinæ omnino adnexum sit benefacere, & inde ipsa maximè splendeat, & *maius omnibus* sit. lib. 3. adnot. 16 n. 2.

11 *Quod dedit mihi maius omnibus est.* Refert indidem Cyrillus ad mandatum Patris, vt animam suam pro ouibus poneret: quasi huc Dei ingenium, & maiestas inerit, vt pro suis mortem obiret. lib. 3. adnot. 21. num. 7.

12 *Quod dedit mihi maius omnibus est* Maldonatus. *Id est, Ecclesia, quam mihi regendam tradidit, oues quas pascendas dedit, maius quiddam est, id est, rarius, plurisq; faciendum, quàm quidvis aliud.* Vnde qui antea dixerat, *& non rapiet eas quisquam de manu mea*, modò subdit, *& nemo potest rapere de manu Patris mei.* Planè quasi tota Patris potentia, tota sapientia Filij in ouibus custodiendis, & regendis detineatur, vt videris quàm arduum, & difficile sit, gubernationis curam suscipere, & quot manibus indigeat. lib. 1. adnotat. 11.

13 *Et nemo potest rapere de manu Patris.* Vides Patrem æquè ac Filium hominum gubernationi, & saluti manum admouentem, operamque diligentissimè nauantem? ergo vt Princeps muneri suo satisfaciat, negotiorum expeditioni per seipsum immediatè intendat, & manum admoueat. lib. 3 adnotat. 6. n. 4.

14 *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum.* Opportunè qui præceptor, & Princeps mittebatur, prius sanctificari, siue signari dicitur: hoc est sanctitatis sigillo tanquam regium diploma communiri, vt omnimoda ipsi fides habeatur. lib. 1. adnot. 3. n. 3.

FERIA V.

1 LVcæ 7. *Rogabat Iesum quidam Pharisæus.* Notanter *rogabat*, vt nonnisi multa prece, & cunctatus multum diuque ad conuiuium iret, qui ad salutem dandam non rogatus, sed sponte, alacriterque inuolabat, quippe id Principum ingenium est, vt dare quàm accipere gloriosius putent. lib. 2. adnot. 22. num. 4.

2 *Vt manducaret cum illo.* Sed cur eius precibus annuit, quem Vates iam antea repulerat: cùm aiebat *superbo oculo, & insatiabili corde cum hoc non edebam.* Respondet Euthym. *Non deuitauit hunc, ne daret occasionem dicendi quòd cum peccatoribus, & publicanis vnà cibum caperet: Pharisæos autem fastidiret.* Nimirum Princeps anticipato remedio famæ suæ prospicere (lib. 2. adnot. 17.) & non tantùm à malo, sed etiam à mali specie debet abstinere. lib. 2. adnot. 9. num. 2. Vide aliam

rationem. Verſ. 5. lect. 8.

3 *Mulier in ciuitate peccatrix.* Dirum feminæ à mala fama vulnus, quæ vel leni rumoris ſorde violatur. lib. 1. adnot. 16. num. 3. & adnot. 17. num. 5. Vnde meritò *retro* præ confuſione, & verecundia ſtare dicitur.

4 *Vt cognouit.* Emphaticè quaſi ei quæ ob impudicitiam intellectum ſenſumque perdiderat, ob ſanum continentiæ conſilium reddita bona mens ſit. lib. 2. adnot. 11. n. 2.

5 *Attulit alabaſtrum vnguenti.* Vt vel ipſius pretioſi odoris imagine tam morbum, quàm & medicinam ei adhibendam indicaret, quid enim turpitudine turpius, fœdius, & ab hominis ratione magis alienum? lib. 2. adnot. 10. n. 5.

6 *Stans retro: lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Pulchrè Auguſt. lib. 50. homil. *Acceſſit non ad caput Domini, ſed ad pedes, & malè diu ambulauerat, veſtigia recta quærebat:* vt videlicet quæ oculos illices ad peccandum habuerat, duces modò ad pœnitendum haberet, & florentem in oculis mundum lachrymis areſaceret. Verſ. 3. lect. 3. num. 4.

7 *Videns autem Phariſæus, qui vocauerat eum ait intra ſe, &c.* Gregor. Magn. in Catena S. Thomæ. *Ecce Phariſæus veraciter apud ſe ſuperbus, & fallaciter iuſtus ægrum reprehendit de ægritudine, medicum de ſubuentione. Quæ profectò mulier ſi ad Phariſæi pedes veniſſet, calcibus repulſa diſcederet, &c. Inter duos ergo ægros medicus aderat; ſed vnus in febre ſenſum tenebat, alter ſenſum perdiderat mentis. Illa quippe flebat quod fecerat, Phariſæus autem de falſa iuſtitia elatus vim ſuæ valetudinis exaggerabat.* Vide lib. 5. adnot. 24. num. 7.

8 *Sciret vtique, quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Gregor. ibidem. *Oportet autem, vt ſollicitè diſcernamus, quia diſtrictionem debemus vitiis, compaſſionem naturæ. Si enim feriendus eſt peccator, nutriendus eſt proximus. Cùm ergo iam per pœnitentiam percutit ipſe quod fecit; iam noſter proximus peccator non eſt, quia hic in ſe punit quod diuina iuſtitia reprehendit.* Verſ. 3. lect. 11.

9 *Quia peccatrix eſt.* Bernard. Serm. 4. in dedicat. Eccleſ. *Quis eam peccatricem cenſeat, quæ dum commiſſa deplorat, odit iniquitatem: dum oſculatur pedes Domini, diligit iuſtitiam?* Quid inquis peccatricem? audi Chryſoſt. homil. 6. in Matth. *Illa in Euangelio meretrix virgines quoque ipſas honeſtate ſuperauit.* En vberiores plerumque à vera pœnitentia, quàm ab innocentia fructus. Verſ. 3. lect. 8.

10 *Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, &c.* Bonus Princeps, qui cauſam tenuiorum aduerſus potentiorum tyrannidem ſuſcipit defendendam. lib. 4. adnot. 7.

11 *Oleo caput meum non vnxiſti.* Gregorius in Catena. *Quia ipſam quoque diuinitatis potentiam digna laude prædicare neglexit.* Quid enim glorioſius Deo fuerit, quàm reis veniam dare, & peccatores peculiariter honorare. Verſ. 3. lect. 9.

FERIA VI.

1 IOan. 11. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit.* Origenes. *Eſt autem per ea quæ dicuntur ab ipſis, conſiderare eorum inſipientiam, quia teſtificabantur illum, & multa pergiſſe miracula, & tamen æſtimabant ſe poſſe aduerſus eum æmulari, velut non poſſet pro ſe aduerſus eorum æmulationes. Cæcitatis autem hoc ipſum erat: ad facientem enim tot miracula pertinebat, vt ſe ab eorum inſidiis eximeret.* Quod ſi adnertis, non alij quàm Pontifices, & Phariſæi, hoc eſt Iudæorum ſapientiſſimi tam apertè deſipiebant in mero meridie cæcutientes, quòd eorum mentes à noxiis affectibus obſcurarentur. lib. 2. adnot. 8. num. 5. & 6.

2 *Quid facimus?* Vide vt ſeſe acuant ad mortem Domino celeriter, imò præcipitanter inferendam: & quidem ſi id in bello quod feſtinationem exigit, ageretur, tolerabilius eſſet, at in Concilio, & Senatu, vbi iuſtitia, & iuris ordo omnino ante oculos eſſe debet, his contemptis ad ferrum citatiſſimo curſu ire, execrabile prorſus fuerit. lib. 4. adnotat. 4.

3 *Quia hic homo multa ſigna facit.* Baſil. Seleuc. orat. 31. *Paralyticus ſolidabatur, oculi cæco reficiebantur, mortuus ob illatam inferno cladem geſtiebat, & medicus in crimen vocabatur.* O ſummam ingratitudinem! ô extremam amentiam! Aduerſus ſigna hoc eſt beneficia illis collata, remedia quærunt, non ſecus ac contra morbum curationem, aut aduerſus venena antidotum: ito iam & ſummis viris ingentia obſequia exhibe, etenim vbi hæc multum anteuenere, pro gratia odium redditur. lib. 5. adnotat. 6. n. 5.

4 *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum.* O vtinam! Quid enim ſalutarius, aut vtilius omnibus? At inquiunt illi, nobis ſalutare non eſt, quibus propria vtilitas, & apud populum æſtimatio cadit. Benè quidem, ô boni, veſtrum munus in publicam vtilitatem intentum cui propria commoda omnino poſtponenda ſunt percalleatis. lib. 3. adnot. 6.

5 *Et venient Romani, & tollent locum noſtrum.* O germanos Machiabelli aſſeclas. Ratione ſtatus omnia penſitantes, & verè Religioni politicis rationibus temporalia bona præponentes! Sed quid fallacius? quid vobis exitialius eſſe potuit? enimverò ipſemet politices auctor Ariſtoteles contrà monebat, Principi Religionem ſummæ curæ eſſe debere, ſubdens. *Magis enim eum timebunt homines ſi Religioni deditus fuerit, vtpote qui Deos habeat propitios & fauentes.* lib. 2. adn. 5.

6 *Et venient Romani, &c.* En temporalium, ſiue politicorum, aut aulicorum ingenium, qui Deum ad irritandum potiùs Principis animum, quàm ad illum ſedandum, & emolliendum potentem ſibi fingunt. lib. 5. adnot. 10. n. 5.

7 *Et venient Romani, & tollent locum noſtrum.* Quid ergo? Num quod hiſce conſiliis ad exitum perductis ſeſe communierint, Romani non venerunt? Minimè quidem: nam Deo alicui infenſo, eumque premente, contraniti nulla vis humana poteſt, ſed ipſo, & ſolo ad incolumitatem opus eſt. lib. 1. adnot. 15. n. 1.

8 *Et venient Romani, &c.* Imò verò eadem omnino ratione, quòd necem Domino intulerint, venerunt Romani, & tulerunt locum & gentem, conſilium enim aduerſus innocentem ſuſceptum, conſultori peſſimum & exitiale eſt. lib. 5. adnot. 27.

9 *Cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit, &c.* Obſerua quid dixerit: ſanè vna ex parte, nihil ab illo melius: ex alia nihil peius dici aut fieri potuit. Quid enim melius, quàm quod à diuino ſpiritu profectum eſt. *Etenim vaticinatus eſt* (inquit Iſidor. Peluſiota. lib. 2. epiſt. 37.) *& gratia linguam eius tetigit.* Vnde Ioannes ſignatè ſubiicit. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius prophetauit.* Vt videris, quanti referat Principem Regni gubernationi intendere, & negotiis expediendis operam nauare: mentem enim velut præſagam habet, dum oculorum eius acies maiori à Deo lucis copia, quàm Adminiſtrorum oculi illuſtratur. lib. 5. adnot. 8. & 9. Iam verò quid peius? quid execrabilius, & ipſimet Pontifici pernicioſius? quàm Chriſto mortem prauo animo velle: quidquid enim praua intentione peragitur quantumuis iuſtum ſit, infeliciſſimum exitum habet. lib. 5. adnot. 18.

10 *Expedit vobis, vt vnus homo moriatur.* Vide vt exiſtimet Pontifex ille, flagitium omnium flagitioſiſſimum, & atrociſſimum *expediens* eſſe, hoc eſt æquum, ſalutare, & opportunum, adeò noxius affectus hominis intellectum obſcurat, vt ponat

tenebras

tenebras lucem,& lucem tenebras. lib. 2. adnot. 8. num. 5.& 6.

11 *Pro gente, & non tantùm pro gente.* Quippe qui vult omnes homines sinè acceptione personarum saluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire. lib. 4. adnot.14.n.1.

SABBATO.

1 IOan.12. *Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent.* Turpissima & atrocissima Principum cogitatio, qui nullo bonæ rei prætextu, nullo malitiæ velamento apposito necem innocenti per vim, & iniuriam machinantur. Nimirum dum illi ea omnino ratione, quòd bonus & innocens, & causa salutis aliorum fuerit, insidias struunt: aduersus Dei spiritum, & bonitatem non timidè, aut clam, sed aperta fronte pugnant, ac proinde inuerecundiùs, ac irremissibiliùs quodammodo peccare videntur, cùm Lazarum interficere cogitant, quàm cùm Dominum: dicebat quippe idemmet Dominus apud Matthæum 12. *Quicumque dixerit verbum aduersus filium hominis remittetur ei; quicumque autem dixerit aduersus Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Quod sic explicat S.Isidorus Pelusiota,lib.1.epist.59. *Quod videlicet abscondita diuinitas ignoretur, at verò contumelia aduersus Spiritum sanctum commissa idcirco venia caret, quoniam ipsa opera in oculis, & aspectu posita, eos qui contumeliam inferunt, malignitatis, & ingratitudinis conuincunt.* Apta hæc Dynastis, & Magistratibus, qui subditos suos per vim,& iniuriam opprimunt. lib. 4. adnot. 6.num. 8. Et acceptis beneficiis peiores fiunt de quo num seq.

2 *Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent.* Iratis tygridibus placido musices concentu in rabiem actis, aut leopardis illis, quibus cùm benefeceris peiores fiunt omnino persimiles, aut, si benè æstimas, dæmone peiores: sic scitè obseruauit Theodoret. quæst. 45. in lib. Reg. Dauidis cythara dæmonem delinitum, Regis verò Saülis animum minimè sedatum. *Dauid autem psallens furorem quidē leuiebat dæmonis, sed Saülis minimè sedauit inuidiam.* En Principum ingenium, quorum oculi pleni sunt puluere à pedibus introeuntium. lib. 5. adnot. 6.n.6.

3 *Quia multi propter illum ex Iudæis abibant, & credebant in Iesum.* Sed quare propter ipsum antea non abibant,& Christo numen dabant? Equidem quòd ei qui mortem obierat, alia fuerit viuendi ratio, alia exemplis ipsius vis, atque efficacia: ponito & tu in prora nauigij mortem, & in æternum non peccabis. lib. 2.adnot. 1.n.2.& adnot.2.n.1.

Acceperunt ramos palmarum. Vide in Dominica seq.

4 *Nunc anima mea turbata est.* Quid ais Domine? Nonne de anima tua veriùs, & opportuniùs quàm de Olympo monte dicimus, *nubes excedere*: quin vlla ad illam commotio appropinquet: ita quidem, at enim *minus mihi Dominum contulerat* (inquit Ambrosius) *nisi mecum suscepisset affectum*, turbatur ergo Dominus, vt turbatis comparatur. lib. 3.adnotat. 19.

5 *Nunc iudicium est mundi, &c.* Cardin. Tolet. *Quando morte, & passione mea ferenda est sententia pro mundo contra dæmonem.* Vers. 1. lect. 5.n. 4. Sed quid, inquis, opus erat tam accurato iudicio, quod Filij Dei sanguine transactum est, vt iniustus dæmon expelleretur? Sanè quod etiam cum ipsumet dæmone hominem vtcumque possidente non vi, sed iure agere supremus omnium Dominus voluit, vt Principibus documento fuerit, subditis suum omnino ius, quale quale fuerit, ab illis fore seruandum. lib. 4. adnot. 6. num. 4.

P.Velasquez in Psal. centesimum.

DOMINICA IN PALMIS.

1 MAtth. 2. *Cùm appropinquassent Ierosolymis.* Hieronymus. *Egreditur de Hiericho turbis eductis inde quamplurimis, & caeco reddita sanitate, appropinquat Ierosolymis magnis ditatus mercibus, salute credentium reddita.* En festiuissimum Christi triumphum, siue triumphalis festi causam, quod magnis ditatus mercibus fuerit: salute videlicet hominibus reddita. Bono enim Principi subditorum salus ingentium diuitiarum,& immensæ gloriæ loco est. lib. 3. adnot.13.n.1.

2 *Soluite, & adducite mihi.* Quàm prudenter, quàm vrbanè cum suis Administris Dominus agit, quibus facultatem facit, vt soluant, negotiaque Reipub. expediant: simul admonens: ne proprio nomine dicant, faciantve, siue ne sibi gloriam captent, sed Domino suo reddant. lib. 5. adnot. 17.

3 *Adducite mihi.* Opportunè qui ministros habet, & ministris vtitur, negotiorum tamen expeditioni interesse vult, & ab aliis ligata aut soluta recognoscere. lib. 3 adnot. 7.

4 *Dominus his opus habet.* Bernard. Serm. 3. Domin. in Ramis Palmarum. *Opus magnum, opus salutis, nempe homines, & iumenta saluos facere venerat, multiplicans misericordiam suam Deus.* Pulchrè autem peccatoribus ad bonam frugem recipiendis Dominus opus habere dicitur, quod vt eos peculiariter honorat, ita ab illis peculiariter honoretur. Vers. 3. lect. 9.

5 *Dominus his opus habet.* Ad gloriosam pompam, & præcipuam gloriæ partem. Quid enim maius, aut gloriosius quàm miseris, & afflictis rebus subuenire, & iacenti opem ferre. lib. 3. adnot. 30.

6 *Dominus his opus habet.* Notanter *Dominus*, qui ligatos soluit, & salutem, & vitam illis inspirat: ea enim Principatus, & Dominationis lex, & natura est, vt quò aliis maior, eò benignior, & beneficentior sit. lib. 3. adnot. 14. n. 6.

7 *Ecce Rex tuus venit tibi.* Obserua quando bonus Dominus Regem sese appellauit, & Regiæ dignitatis insignia, & splendorem sibi sumpsit: cùm videlicet ad mortem ibat. Nimirum ea planè de causa obibat mortem quod Rex esset: regia ad id dignitate quodammodo adactus. lib. 3. adnot. 21. n. 2.

8 *Rex tuus venit tibi.* Signatè *tuus* & *tibi*, tuo scilicet bono, & vtilitati ex regio munere intentus. lib. 3. adnot. 12.

9 *Eum desuper sedere fecerunt.* Bernard. iam citatus. *Decebat nempe Pontificem nostrum tentari per omnia pro similitudine absque peccato, vt tanquam verus homo, & prospera hominum, & aduersa opportunè vitaret, opportunè susciperet, & vtrarumque rerum in seipso nobis salutare praeberet exemplum.* Pulchrè *opportunè susciperet*, inuitus videlicet, & ab aliis coactus: id enim est *sedere fecerunt*: nec aliter opportunè humanus splendor, & supremæ dignitates suscipiuntur. lib. 2. adnot. 14 n. 6.

10 *Eum desuper sedere fecerunt.* Vide regum Regem super humilem asellum ad regiam pompam, sine ad gloriosæ dignitatis ostentationem equitantem. Hæccine Imperatoria maiestas, & splendor ita prorsus. Nihil enim maius, aut splendidius Principi fuerit, quàm si in subditorum leuamen, & vtilitatem splendorem ipse suum contraxerit, ne illos nimio luxu grauet. lib. 4. adnot. 19.

11 *Sedere fecerunt.* Id est, coëgerunt (id enim verbo *facio* innuitur. lib. 4. adnot. 5. n. 6.) Quàm gloriosum ergo Principi, vt suimet subditi volentes, libentesque cogant, vt ipsamet ab illis pallia ad domus suæ sustentationem, & splendorem accipiat, indidem. n. 7.

12 *Ramos de arboribus, & sternebant in via.* Non du-

bium, quin de oliuarum ramis sermo sit, quod laxiores clementiæ quàm iustitiæ termini sint. lib. 4. adnot. 10. num. 7.

13 *Ramos de arboribus.* Palmarum scilicet, quos gestabant manibus: & oliuarum, quos sternebant in via, vt illustrissimum Domino misericordiæ, & iudicij satellitium adornarent. Vers. 1. lect. 5. n. 6.

14 *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Beda. *Sic accipiendum est, vt in nomine Domini in nomine Dei Patris intelligatur, non vtique amittit diuinitatem quando nos docet humilitatē.* Imò ab humilitate Diuinitas eius adstruitur, & commendatur. lib. 2. adn. 15. n. 2. & seqq.

PRO ORATIONE DOMINI IN HORTO.

1 MAtthæi 26. *Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, &c. & assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi cœpit contristari, & mœstus esse.* Quali tristitia Dominus sit affectus, & quam ob causam? nosse fuerit operæpretium. Enimverò Græcè pro *cœpit contristari* omnino est, *ita angi vt homo quasi exanimetur*: vnde à Luca hic angor signatè appellatur *agonia*, quasi cum morte conflictus, & itidem à Luca, & à Matthæo subditur. *Tristis est anima vsque ad mortem*, hoc est, *ita angor, ac si iam morerer.* Iam qua ratione tam ingentem tristitiam Dominus subierit, disce ab Hilario lib. 10. de Trinitate. *Quia ergo Dominum mœstum fuisse legimus, causas mœstitiæ reperiamus. Admonuerat superiùs omnes scandalizandos, Petrum etiam Dominus ter negaturum esse respondit, assumptisq; eo, & Iacobo, & Ioanne cœpit tristis esse. ergo non antè tristis est, quàm assumit, sed omnis metus illis esse cœpit assumptis, atque ita non de se orta est, sed de iis quos assumpserat mœstitudo.* Ve dixerit, quod illorum Princeps, & Magister esset, eosque peculiariter instituendos susceperat, simulque ipsorum lapsum videret, non potuit non ingenti mœrore affici: vt videris quæ sollicitudo, & cura Principis, atque Prælati animum coquere, & versare debeat, qui de suis subditis rationem est redditurus. lib. 1. adnot. 11.

2 *Cœpit contristari, & mœstus esse.* Gregorius Nyssenus in Catena in Lucam ad cap. 22. vers. 42. *Humanæ autem infirmitatis, & timoris verba, passionesq; Dominus per dispensationem ostendit quò verè ipsum passionum naturæ nostræ participem fuisse credamus.* Planè vt perfectum vndequaque Principem ageret, qui condolere posset iis, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. lib. 1. adnot. 7. n. 3.

3 *Cœpit contristari, & mœstus esse.* Ambr. in Catena S. Thom. *Sed tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegij pœnas daturos.* Bonus Dominus non modò illatas sibi iniurias liberaliter remittēs sed immanissimis hostibus benefaciens. lib. 4. adn. 11. & 12.

4 *Procidit in faciem suam orans, &c.* Origenes in Catena S. Thomæ. *Petrum magis de se confidentem, & alios adduxit, vt videant cadentem in faciem, & orantem, & discant non magna, sed humilia de se sapere.* Iidem Cyrill. Alexand. *Suadebat discipulis quæ tempori congruebant dicens: Orate, ne intretis in tentationem: Sed ne solis verbis prodesset ipse præbat exemplo.* lib. 1. adnot. 4.

5 *Transeat à me calix iste.* Athanasius de Incarnat. contra Apollinarium. *Cùm esset in similitudinem hominum deprecatur hanc afflictionem.* Nam crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei, 2. Corinth 13. 4. *Virtus autem Dei, qua est filius, dicitur pati ex infirmitate, id est, ex coniunctione cum corpore per communicationem idiomatum.* Aptaueris hæc opportunè Principi, qui quòd caput sit, & coniunctionem cum suo corpore, id est, cum subditis habeat, non potest non eorum malis æquè ac ipsi premi. lib. 3. adnot. 9.

6 *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Athanasius ibi. *Duas voluntates ibi ostendi, alteram humanam, quæ est carnis, alteram diuinam, siquidem diuina natura prompta est: humana verò ob imbecillitatem deprecatur passionem.* Ad quem planè modum in humana etiam voluntate duplicem etiam affectum consideres; alterū, quo propriæ vitæ; alterū, quo subditorum saluti, quà Princeps erat cōsuleret: & de primo quidē ait *non mea volūtas fiat*: quod Princeps ex Regiæ dignitatis lege debeat subditis suis benefacere. lib. 3. adn. 15.

7 *Apparuit ei Angelus de cælo confortans eum.* Ex Luca cap. 22. Theophylact. *Apparuit ei Angelus glorificans eum, & dicens: Tua est Domine fortitudo: tu enim præualuisti contra mortem, & contra infernum, & liberasti genus humanū.* Gloriosa quidē Principi decantata laus, & opportunissima confortatio, quod pauperes, & tenuiores à potentiorū tyrannide vindicauerit. lib. 4. adn. 7. n. 1.

8 *Confortans eum.* Vtique hæc confortatio, siue leuamen ad carnem non ad spiritum dirigebatur: dixerat quippe paulò ante Dominus *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: & idem qui hæc scripsit Lucas cùm de Ioanne Baptista diceret cap. 1. vers. 80. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu.* De Christo puero omnino dixit: *Puer autem crescebat, & confortabatur*, quin addiderit *spiritu*, facilem rationem reddēs *plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo*, cap. 2. 40. En ergo rationem cur Angelus homine maior sit, quod ei laboranti suppetias ferre possit, vt & infirmæ carni Christi secundùm quam illo maior erat, opem & leuamen attulit. Vers. 1. lect. 4.

9 *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis.* Lucæ 22. Quò iuerit sanguineus hic Domini sudor, & vehementissimus labor, & dolor? Planè ad placidam quietem, & securum ac suauem somnum suis comparandum: dicente ipso statim illis *dormite iam, & requiescite.* Nimirum subditorum securitas & quies à Principe proprio labore, & sudore coëmenda est. lib. 3. adnot. 13. n. 2.

10 *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis.* A qua tam valida, & forti manu is ictus qui à Dei Filio sanguinem ante Passionem suam elicuerit? Non opinor ab alia, quàm ab humani generis miseria, & calamitate, cuius ipsamet idæa sanguinea erat: ergo cùm malorum nostrorum facies bono Domino sese conspiciendam dedit, eum ab ipso tenerrimum compassionis affectum expressit, vt Passionem suam præueniens eum dolentibus doleret, pateretur, & sanguinem funderet. lib. 3. adnotat. 19. n. 8.

11 *Et factus est sudor eius sicut gutta sanguinis.* Dixerat *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: ad quæ verba pulchrè, & diuinè S. Leo Magn. ser. 5. de Passione c. 2. *Quod erat hominis diuinam desiderauit potentiam, quod erat Dei ad causam respexit humanam.* Vt dixerit, quà homo diuinam potentiam, quæ vitæ suæ prospiceret inuocabat, quà Deus humana vita postposita ad hominum salutem omnino aspiciebat, quippe ea diuinitatis natura & lex est, vt in hominum salutem se effundat, ergo vt diuinam voluntatem pro hominum salute fideiubentem testatissimam faciat, mutuatum ab homine sanguinem fundit, quo ipsa omnino firma, & sancita maneat. lib. 3. adnot. 21. num. 2.

12 *Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum, & factus in agonia prolixiùs orabat: & factus est sudor eius sicut gutta sanguinis, &c.* Obserua historiæ, & dictorum seriem: planè post allatum ab Angelo leuamen, & confirmationem: agonem subit, & in agone vehementiùs orat: *Et tam vehementer orat* (inquit Hieronymus libro secundo aduers. Pelagianos) *vt guttæ sanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in passione fusurus.* Iam quis ille tam difficilis agon, & cruenta lucta fuerit? Apparet id facilè ex illis verbis. *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*: etenim

quod

quod priùs humanam voluntatem, & infirmitatem ostendens, siue insinuans præconsisset, *Transeat à me calix iste:* vbi *aliud se ostendit voluisse quàm Pater* (inquit August. lib. 3. contra Maxim. cap. 20.) *quod nisi humanus corde non posset, cùm infirmitatem nostram in suum transfigurauit affectum.* Postmodum vt eum hominis affectum mortem timentis omnino sedaret, & voluntatem quæ tantisper prosilierat seseque declarauerat, diuinæ omnino subijceret, quia *aliud* vllâ ratione vellet, prolixiùs, & intentiùs orauit, adeoque vehementer, vt ab orationis intentione guttæ sanguinis prorumperent. *Prima petitio* (inquit Magnus Leo serm. 5. de Passione cap. 2.) *infirmitatis est, secunda virtutis; illud optauit ex nostro, hoc elegit in proprio. Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior: & cito demonstratum est, quid possit à trepidante orari, & quid non debeat à medente concedi.* Ergo tanti refert inferiorem voluntatem superiori subditam vndequaque habere, ne vel hilum prosiliat, & aliud se ostendat velle, vt ipse Dominus virtutum, qui humanus affectus, & propassiones in manu habebat, vt eos diuinæ voluntati absque vlla luctæ difficultate subijceret, pro nostra tamen institutione ad timorem, & pauorem mortis *factus in agonia prolixiùs orart*, & sanguinem fundere voluerit, vt superiori voluntati voluntas cederet inferior: quasi vel eâ solùm ratione, quòd sese hæc tantisper explicauerit, opus quodammodo, adhuc post cælestem confirmationem, fuerit multa prece, & tam vehementi oratione, *vt guttæ sanguinis prorumperent.* Vt nouerint hic viri Principes, quàm periculosum fuerit, vehementes habere voluntates: & quidquid possunt, voluntate nunquam castigata appetere. lib. 4. adnot. 5.

23 *Et factus est sudor eius sicut gutta sanguinis.* Vide lib. 2. adnot. 18. n. 6. Vt Dominus sydeream faciem sanguineo sudore perfusam in torrente de industria lauerit, ne cruentum inimicis suis vultum ostenderet.

PRO CONCIONE IN NEGATIONE PETRI.

1 MAtth. 26. *Petrus autem ingressus intrò sedebat cum ministris.* Infelicissimus planè Petri lapsus, sed vt caderet, meruit quidem manu, ea inquam manu qua amputauit auriculam serui Pontificis. Nam, si attendis, errauit primum, dum Iudæorum aurem, quæ & fidei, & pœnitentiæ ianua est: nam *fides ex auditu*, seuerè abscidit, quasi eos à fide, & pœnitentia, ac proinde à Christi gratia tanquam indignus voluerit remouere: sic id obseruante S. Cæsario dialogo 4. *Putabat Petrus, illos nunquam per pœnitentiam dignos habendos benignitate, permittit ipsum cadere Dominus propter percussum Pontificis seruum, & amputatam eius aurem.* Cadit ergo Petrus, vt malo accepto sapiat, lapsum si adiiciat vt resurgat, plenam peccatorum veniam obtinere, quòd vera pœnitentia ab innocentia non cat. Cùm Dei marsupium sit, quo hominum animas, ne pereant, tuetur. Vers. 3. lect. 6. n. 3. & 4.

2 Quidquod debuerat Petrus, quà Christi familiaris, & Administer erat, ipsum potiùs, si in suos iratum vidisset, placatum, ac mansuetum reddere, omni modo, & ratione curare. lib. 5. adnot. 28. Ad hæc: Quid ille, qui pio Principi sub quodam sacerdotio seruiebat, Ecclesiæ petra, & cardo, spirituali, non ferreo mucrone hic omnino armandus, Dominum ad bella incitauerit? gladiumque temerarius distrinxerit? Quem enim potuit istius prælij sperare fructum? lib. 4. adnot. 21. num. 4. Maximè verò cùm *non posset Petrus* (inquit Pater Suarez tomo 2. in 3. part. disput. 34. sect. 3.) *Christum à tot armatis militibus vno mucrone defendere*: Nonne ille ab ipso audierat? *Quis*

P. Velasquez in Psal. centesimam.

Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt. Debuit ergo qui in ore piscis staterem inuenit, propriarum priùs virium momenta in *illa statera sua* librare, ne primo illo impetu extincto ingloriùs, & fugitans abiret. Vide lib. 5. adnot. 19. n. 5. ibi, *ignorauerit vires suas, &c.*

3 Dixeris etiam aberrasse Petrum gladium distringendo, tum quod in muneris sui administratione non pro iure, sed pro voluntate, & potestate se gesserit, quod à Principe alienum est. lib. 4. adnot. 5. tum etiam quod muneris sui limites sit transgressus, nec Principis nomine, sed suo rem transegerit. *Quia Dominus iusserat, vt ferrum discipuli eius ferrent, sed non iusserat, vt ferirent:* inquit August. lib. 5. adnot. 17.

4 Sed & ille acriter fuerit arguendus, qui Petrum ad negandum impulit, dicente Ioanne cap. 18. *Dicit ei vnus ex seruis Pontificis cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo?* Christi discipulum videlicet infensius insectatus, quòd percussi serui cognatus, ac proinde quasi odij, & inimicitiæ hæreditario iure successor esset. Bene Seneca lib. 2. de ira cap. 34. *Inter Syllana crudelitatis exempla est, quod à Repub. liberos proscriptorum submouit. Nihil est iniquius quàm aliquem paterni odij hæredem fieri.* Vnde quidem clementissimo Regi Dauid summè inuisus extitit Ioab, ad mortemque peccauit, qui *effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in baltheo suo, qui erat circa lumbos eius.* 3. Reg. 2. vers. 5. hoc est: ipsas cruentas inimicitias à lumbis suis, filiis videlicet, & nepotibus assignans, & velut hæreditario iure transmittens, qui ipsas multo gloriosiùs extinxisset. lib. 4. adnot. 55.

5 Iam verò dum miserandum Petri lapsum sic pendit Augustinus tractat. 113. in Ioannem. *Ecce columna firmissima ad vnius auræ impulsum tota contremuit, vbi est illa promittentis audacia, & de se plurimum præsumentis? vbi sunt verba illa?* Quare non possum te modò sequi? animam meam pro te ponam? *Hoccine est, sequi Magistrum, fugare discipulam? siccine anima pro Domino ponitur, vt ne hoc fiat, vox ancillæ formidetur?* Quæ tantæ mutationis causa fuerit disce à Paschasio lib. 5. adnot. 19. num. 2. Adde verò illi Hieronymum ad cap. 26. Matthæi dicentem. *In atrio Caiphæ sedens non poterat agere pœnitentiam: egreditur foras de impiorum consilio, vt pauidæ negationis sordes amaris fletibus lauet.*

6 Sed enim bonus Dominus non ingratiis discipulum cadere permisit, sed vt præteritæ fragilitatis memor summam ligandi, atque soluendi potestatem ei linguæ quæ olim Christum negauit, concessam humilis admiraretur, non secus ac Moysi ea primum manus leprosa facta est, quæ postmodum virga instructa elementis omnibus, & ipsimet sæuienti mari erat imperatura, vt *recordatione lepræ communem agnosceret naturã*, nec inaniter efferretur. lib. 2. adnot. 1. n. 7.

7 Deinde verò *permissus est cadere Petrus* (inquit Euthymius) *vt ignoscere discat iis quoque qui labuntur, horum imbecillitatem ex sua cognoscens.* Vers. 1. lect. 3. n. 5. & lib. 3. adnot. 19.

8 Iam verò Christi contumeliis Petri negationibus immistas apud Euangelistas bene obseruat Drogo de Dominicæ Passionis sacramento his verbis. *In domo ergo Caiphæ colaphizatus est Christus, quia in domo Caiphæ colaphizatus Petrus: & quod Petrus à Satana intus passus est, hoc Christus à ministris Satanæ foris pertulit.* Planè vt vel in Domini persona ab omni omnino labe experte & munus suum perfectissimè implente Principes, & Doctores admoneantur, subditorum errata pudori, atque ignominiæ iis quodammodo

 fore,

fore, qui de ipsorum salute rationem sunt reddituri. lib.1.adnotat.11.

9 *Conuersus Dominum respexit Petrum.* Victor Antiochenus in Marcum: *Clementia Domini, quem negauerat oculo respectum, in quantam demum calamitatem praeceps ruisset, liquidò edoctus, foras è vestigio egressus, casum suum amarissimè deflere coepit.* Breuiter Chrysostomus: *Magistri admonitione indiguit, cuius inspectio vox illi facta est.* Vt videris, quàm acriter intueantur Principis oculi, quamque efficaces, & salutares ad occurrendum subditorum malis sint, quotum inspectio vox, & remedium est.lib.3.adnot.8.n.2.

10 *Conuersus Dominus.* August. lib. 3. de consensu cap.6. *Cum frequentius soleant Euangelistae in narrationibus suis ponere Iesum, quàm Dominum, modò Lucas Dominum posuit dicens:* Conuersus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini. Nimirum, Domini proprium est iacentem erigere, lapso opem ferre, & fessis rebus subuenire. lib. 3. adnot. 14. num.6. & adnot.20.

11 *Fleuit amarè.* Leo serm. 9. de Passione Domini. *Felices Sancte Apostole lachrymae tuae, quae ad diluendam culpam negationis virtutem sacri habuere baptismatis: cito itaque ad soliditatem suam redijt petra.* En poenitentiam baptismi instar esse, eandem gratiam, eandem excellentiam dignitatis Petro assignantis. vers. 3. lect. 6. num.5.

PRO BONO LATRONE.

1 **M**Atth. 27. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones vnus à dextris, & vnus à sinistris.* Chrysost. homil. 88.in Matth. *Medium autem ipsum crucifigunt, vt existimationis latronum particeps fieret.* Verum enim verò praesentissimis signis, atque prodigiis probrum hoc Dominus propulsauit. *Crucifixi sunt tres* (ait idem Chrysost.hom.84. in Ioannem) *claruit vero Iesus, vt intelligas eius virtute omnia processisse*: simulque eam Principi de bono nomine curam esse debere, vt non tantùm à malo, sed ab omni etiam mali specie abstineat. lib. 2.adnot 9.

2 Et latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei. Cyril. Hierosol. catech. 13. cui Ambros. lib.10 in Lucam, Hilar. Origen. Hieron. Chrysost. & alij concinunt: *Ac duo quidem antea erant iniqui, vnus autem non vsque ad finem iniquus permansit.* Domino videlicet bona pro malis illi reddente, & orante pro persequente, & calumniante ipsum, ac proinde egregiā victoriam de ipso reportante, lib 4.adnotat.11. & 12.

3 Pergit Cyrillus: *Alter autem ad finem iniquum obstinatus ad salutem, manibus quidem affixus erat, sed lingua blasphemia verberabat.* Vt videris, tum murmuratores omnino latrones esse, qui quod manibus corripere non valent: lingua surripiunt. vers. 5. lect. 5. Tum etiam inde bonum à malo latrone discriminatum, & in caelestem aulam exceptum, quod ille murmurare desierit, hic obstinatus in murmurandi scelere permanserit: scitè id adnotante Gregorio Nazianzeno orat. 42. vbi cùm dixisset: *Si vt latro simul cruci affixus fueris, probus animo Deum agnosce.* Subiicit: *Murmuratorem cum sua blasphemia foras mori sine.* Ergo à bono Principe detractores aula exterminandi, forasque pellendi, eodem vers. lect.4.

4 *Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. Indidem Cyrillus: *Ideò iustè audit: Confide: Non quòd opera tua digna sint confidentia, sed quia Rex adest, qui gratiam confert.* Signatè illud *iustè audit*: sed quare iustè? cùm opera eius non sint confidentia digna? Quia videlicet *Rex adest*: qui ex iustitia benefacere, & opem suis ferre debet. lib.3.adnot. 15.

5 *Hodie mecum eris in Paradiso.* Notantes hodie. Quae enim haec festinatio fuerit? *Longa enim petitio* (subdit ibi Cyrillus) *sed celerrima gratia, & ingentem, & inenarrabilem gratiam! Nondum Abraham fidelis ingressus est, & latro ingreditur?* Ita quidem, nec ingratis: quo enim ea solùm de caussa Dominus absque vlla mora latroni paradisi portas pandit, quod vt tardus, & inuitus ad poenas de peccatoribus sumendas, ita ad veniam poenitentibus dandam lubens, & festinus properet, sed etiam quòd celerem hanc latronis absolutionem signatè opponere voluerit sententiae illi in Adamum prolatae, qua è paradiso celeriter, & absque mora fuit eiectus. vers.8. lect. 1.n.4.

6 *Hodie mecum.* Diceret quispiam diuini Ingenij inscius, Non te pudet Domine, latronem tecum in paradisum deferre? hic tuus comes, & veluti collega in pompa tua erit? Occurrit verò August. serm.120. de tempore inquiens: *Vt redimeret iniquos, inter iniquos reputatus est, inter duos, quos dextra, laeuaque, legimus pependisse, seipsum confusioni, & opprobrio crucis tradidit, vt latronem glorificaret:* ac si diceret: Benè quidem Dei ingenium calles, qui adeò non erubuit latronem secum in pompa circumferre, vt indignissimā crucis ignominiam, dignam sibi mercedem existimauit, dummodo latroni ignosceret, & regnum tribueret. vers. 3.lect.9.

7 *Hodie mecum eris in Paradiso.* Chrysost. hom. 88. in Matth. *Latro qui vitam in omni scelere consumpsit, tunc maximè quando ista dicebantur, eum confessus, Regni eius fecit mentionem.* Vnde planè Regiae sedis particeps meritò latro fit, qui etiam cruci affixus regij ingenij specimen dedit dum tunc temporis Christum Regem professus est, atque eius afferuit regnum, cùm illud à potentioribus lacessitum, & velut è manibus ereptum vidit. lib. 4.adnot.7.n.6.

8 *Hodie mecum eris in Paradiso.* Oportebat sanè huc adesse Petrum, vt tanquam Regni clauicularius latronem in Regnum introduceret: vnde illius vicem Dominus supplere videtur. Quod vix alius quàm Deus Principis vicem moneri suo non incumbentis possit supplere. lib.3. adnot. 7.

FERIA V.

In Coena Domini.

1 **I**Oan.13. *Sciens Iesus, quia venit hora eius.* Notanter *hora eius*: quippe vt omnes horae, omnia tempora eius fuerint, illa eius hora signatè dicitur, in qua omnem opem suis allaturus est: nec enim aliud vitae tempus Princeps se habere existimet, nisi id quod in beneficentia collocauerit. lib.3.adnot. 14.n.5.

2 *Cùm dilexisset suos.* Euthym. *Sui appellati sunt omnes Iudaei tanquam cognati: imò etiam omnes simul homines tanquam creaturae ipsius.* Iam necessariam rationem dilectionis in suos obserua, quod non possit non Princeps subditos tanquam cognatos diligere. lib. 3. adnot.11.num.2. & seq.

3 *In finem dilexit eos.* Beda. *Id est in tantùm dilexit, vt ipsâ dilectione vitam ad tempus finiret corporalem, &c. Vnde rectè vtrumque transitus, & legalis videlicet, & Euangelicus sanguine consecratus est.* Quippe Optimi Principis est pro suorum salute mortem oppetere. lib. 3. adnot. 21.num. 1.

4 *Et coena facta cùm diabolus iam misisset in cor, &c.* Obserua Iudam vnà cum Domino coenantem, atque ambige, quaenam haec Dominicae mensae indignitas fuerit traditorem excipientis? Sed facilè respondeas ex Chrysostomo nihil mensae Christi ornatius, aut accommodatius ad gloriam obtingere potuisse, quàm infensissimum sibi hostem mensae conuiuantem habere. lib.4. adnotat. 31.n.4.

5 Cùm

5 *Cùm diabolus iam misisset in cor.* Sed qua inquis, ratione id subsistat? cùm subinde vers.27. dicat Ioannes *post buccellam introiuit in eum Satanas.* Sanè dum impius ille sub Christi vmbra, & inter eius familiares degebat, ab ipsorū consortio, qualis qualis esset, protegebatur: ideò non apertè, sed clanculū furtimque dæmon in ipsum se insecit. lib. 5. adnot. 23. n. 3.

6 *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Notantissimè illud *sciens*, quasi ab hac Maiestatis suæ cognitione, & suæ diuinitatis memor tantum humilitatis opus fuerit aggressus: ita August. in Catena S. Thom. *Cùm ergo illi Pater omnia dedisset in manus, ille discipulorum pedes lauit.* Vide hæc fusiùs illustrata lib. 2. adnot. 14. num. 4.

7 *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Theophyl. *Quia ergo Pater omnia ei commisit in manus, id est salutem ei commisit fidelium, reputabat quæcumque spectant ad salutem illis ostendere.* Ecce iam tibi germanam Principis scientiam, optimamque regendi artem quæ ad subditorum vtilitatem cuncta molitur. Nimirum *sciens*: sine animo voluens commissam sibi à Patre hominum salutem, nullum non lapidem mouit, vt eorum bono prospiceret, ideò & eorum pedes lauat, & ipsis se manducandum apponit. lib. 3. adnot. 12. Habet verò peculiarem ad Principum institutionem emphasim, hæc sub mortem à Domino, quasi à Principe, qui rationem suæ gubernationis foret redditurus gesta fuisse, vt indicaret, quàm arduum regendi munus sit. lib. 5. adnot. 11.

8 *Misit aquam in peluim.* Theophyl. *Et hoc ipse faciens, non alij committens. Hæc autem omnia indicia sunt, & præcepta: quomodo nos cum omni alacritate ministrare oporteat, & nosipsos omnia operari non aliis vtentes ministris.* Saltem verò ne Princeps quamuis plures, & bonos ministros habeat, negotiorum expeditioni se subtrahat. lib. 3. adnot. 7.

9 *Cœpit lauare pedes, &c.* Hieron. *Vt eis posset propheticus sermo congruere.* Quid? pedibusne an ore euangelizaturi erant? ore quidem mundo, & affectibus vacuo. vers. 2. lect. 4. n. 2.

10 *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Ambros. *Ideò ministerium recusauit, quod grauari humilitatem serui crederet, si obsequium Domini patienter admitteret.* lib. 5. adnotat. 11.

11 *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Vide lib. 1. adnotat. 1. n. 6.

PRO VIRGINIS LAMENTATIONE.

1 IOan. 19. 25. *Stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius.* Pro salutatione. Dum concionator, & sibi, & auditoribus aquas gratiæ, & compunctionis, necnon gemituum, & lachrymarum exoptat, loquatur velut alter Moyses ad petram bis quidem in signum crucis percussam, *Et dabit vobis aquas.* Numer. 20. 8. *loquimini ad petram* (inquit Richard. à S. Laurent. lib. 1. de laud. Virg.) *id est ad Beatam Virginem duram contra tribulationem, grauem contra instabilitatem, & dabit vobis aquas.* Nimirum ipsa *stat* iuxta Crucem materno quidem affectu Christo confixa cruci, ac proinde ad instar illius materno affectu pro hominum salute preces fundens: dicente Arnoldo Carnotensi tract. 6. de Verb. Dom. *Cooperabatur plurimum secundùm modum suum ad propitiandum Deum ille matris affectus, cùm tam propria, quā Matris vota charitas Christi perferret ad Patrē, cùm quod Mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret.*

2 *Stabat.* Viriliter, fortiter, animosè tam æterni Parentis, quàm Filij egregia imitatrix, vt quemadmodum Pater *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Necnon & Filius hominum salutem in Cruce ardenter sitiebat, sic ipsa eodem Patris affectu, eadem qua Filius siti afficeretur. Ita Richard. à S. Laurent. lib. 1. de laudib. Virg. cap. 5. *Sicut in salutem humani generis in Cruce sitiuisti Ioan. 19. sic & ipsa sitiuit, stabat enim iuxta Crucem, non vt dolorem Filij consideraret, sed vt salutem humani generis exspectaret.* Nimirum ipsa, & Mater Christi, & Mater membrorum Christi facta, hominum saluti tanquam Optimus Princeps potissimum prospiciebat. lib. 3. adnot. 12.

3 *Stabat.* Multo fortius quàm *stetit Moyses in præruptione muri, vt auerteret iram eius.* Christo quippe in Crucem sublato dum & impiorum satellitium, & cæterorum hominum immanissima crimina eum ad vindictam acuebant; ipsa blandissimis, & speciosis precibus purissimisque vberibus, quæ ipse suxit, in memoriam reuocatis ad misericordiam, & pietatem leniebat: vide id fuisse explicatum. lib. 4. adnotat. 12. num. 6.

4 *Iuxta Crucem.* Guerricus serm. 4. de Assumptione: *Planè iuxta Crucem Iesu stabat, cuius mentem dolor Crucis simul crucifigebat.* Totidem omnino supplicia, & dolores in corde quot Filius in corpore perferens, vt si purissimum pectus recludi liceret, inspici possent iidem laniatus, & ictus quando is veræ compassionis affectus est, vt compatiens æquè patiatur. Vnde ipsa in Canticis, sic aiebat cap. 5. 7. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me:* ac si diceret inquit Cardin. Hailgrinus: *Pontifices, Scribæ, & Pharisæi, qui ex officio debebant custodire ciuitatem, apprehenso vero custode filio meo inuenerunt me in ipso, percutientes ipsum percusserunt me, & vulnerantes eum vulnerauerunt me.* Verissimè dictum *inuenerunt me in ipso*: magis enim ipsa in amato filio, quàm in seipsa erat: ergo ibi percussa, vulnerata, colaphis affecta, verberibus cæsa, spinis coronata, & clauis confixa est. Vide lib. 3. adnotat. 19. tota.

5 *Mater eius.* Ambros. epist. 82. ad Eccles. Vercellens. *Maria nec minor quàm Matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis ante Crucem stabat, & piis spectabat oculis filij vulnera, quia spectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem.* Pulcherrimè, perpende duo, alterum: nec minor quàm Matrem Christi decebat: alterum piis oculis, vt videlicet quā Mater Christi, tota pietate in eum ferebatur, æquo animo eius vulnera spectaret. Conuenit Rupertus in ea verba Cant. 2. 4. *Ordinauit in me charitatem*, sic ea Mariæ aptans: *Hoc est ordinatam habere charitatem: optare quidem vt non moriatur talis dilectus, sed amplius quidem desiderare totius humani generis salutem.* Quòd si ambigas qui hæc ordinata charitas sit? cùm ordinata charitas à seipso incipiat: ideoque & quiuis sui ipsius incolumitati, & mater proprio filio potiùs quàm alieno debeat consulere? Respondebo in priuatis id quidem locum habere, Principum verò aliam conditionem esse, qui tunc maximè suum negotium agere videntur, cùm non agunt. lib. 3. adnot. 13. n. 1.

IN RESVRRECTIONE DOMINI.

PRo salutatione. Opportunè Ambros. serm. 57. verba Psalm. 27. 7. *Refloruit caro mea:* sic expendit: *Vide itaque verbo vsus est. Non ait floruit*, sed refloruit. *Non enim reflorescit nisi quod ante floruerit, floruit autem caro Domini cùm primùm de Maria Virgine processit, sicut ait Isaias flos de radice eius ascendet: Refloruit autem cùm succiso per Iudæos corporis flore rediuiua de sepulchro resurrectionis gloria germinauit.* Planè vt hoc verbo Dominus, & Matris suæ signatè meminisset, & ei peculiarem honorem deferret, tanquam ab ipsa decoris florem acceperit: ac proinde Resurrectionis gloriam cum ipsa fuerit partitus. lib. 3. adnot. 18. n. 1.

FERIA III. Paschæ.

Lucæ 24. *Stetit Iesus in medio discipulorum, &c.* Proptrus Dei, necnon Principis Deum imitantis medius locus, vt omnibus æquè præsit, ac prosit. vers. 1. lect. 13. num. 1. Et munera, & honores fine personarum acceptione inter omnes distribuat. lib. 4. adnot. 14. num. 1.

2 *Et dicit eis: Pax vobis.* Ecce tibi, quid Dominus post passionis suæ prælia afferat, quid loquatur: Pacem scilicet suis, & gaudium: vt diserit: ego laboraui & vos in meos labores introistis: ego dura belli pe[...] [...], vt vos pacem habeatis: postulat id quidem Principis munus, vt eius messis subditorū quies sit. lib. 3. adnot. 13. n. 1.

3 *Pax vobis.* Eduxit quidem è sepulchro tanquam gloriam corporis assecutus hanc loquendi, & salutandi formam: quippe hæc cælestium ciuium locutio est, vt habes Lucæ 2. 14. Angelis concinentibus. *Pax hominibus*, & Tobiæ 12. 17. vt dixerit Dominus, meam iam ego gloriam tecepi: accipite & vos pacem, meæ scilicet gloriæ partem, vt futuræ beatitudinis pignus habeatis. Bonus Dominus qui non vni sibi suam gloriam vult, sed suis etiam esse communem. lib. 5. adnot. 26. num. 5.

4 *Videte manus meas, & pedes quia ego ipse sum.* Dixesat paulò ante *ego sum*: id est *ego sum qui sum*. Exod. 3. 14. Deus scilicet de Deo, omnis essentiæ origo. Modò protaris in medium manibus, & pedibus clauis transfixis accurata locutione priorem dicendi modum firmat: omnino innoens à Passione, & morte, quam pro hominibus subiuit, suam diuinitatem manifestè astrui, quòd ipse Agnus signatus ab origine mundi fuerit. lib. 3. adnot. 21. n. 3.

5 *Ostendit eis manus & latus*: si perquiras com Vate: *Quid sunt plaga istæ in medio manuum tuarum?* Respondet August. serm. 178. de Tempore *agnoscunt in cicatricibus signa bellorum*, vt videlicet signatus nobis Passione sua Dominus sit, vt his quidem, sed multò magis exemplis nos vrgens, vt sequamur vestigia eius: ac proinde iam non possimus ei contradicere, aut non obtemperare: *Hac enim consuetudo erat, vt epistola, qua ex Regis nomine mittebantur* (inquit Sacer textus Esther 8. vers. 8.) *& illius annulo signata erant, nemo auderet contradicere.* Vide vt his concinant quæ de litteris Vriæ non signatis sub hoc sensu habes. lib. 5. adnotat. 3. num. 3.

IN ASCENSIONE Domini.

1 Marc. 16. *Dominus quidem Iesus.* Notanter præmittitur Dominus, siue pulchrè nectitur Dominus cum Iesv, vt innuatur, eum verè Dominum esse, qui saluat, & subditis opem fert. lib. 3. adnot. 14. num. 1. signatè verò num. 6.

2 *Assumptus est in cælum.* Si Græca pressius sumptum, & veluti à loco auulsum dixeris: planè quasi vis vi repulsa sit: nam si attendis, terra glorioso iam Christi corpori violenta sedes erat, ipsumque quasi per vim retinere videbatur; iure ergo ea vis aufertur, vt proprio & debito loco gloriosum corpus reddatur. Disce hinc opportunum ad munera ascensum, imò assumptionem, dum non aliter quis muneri, ac dignitati præficitur, nisi cum priuato maior in inferiori loco violentus, & extra propriam sedem esse videtur. lib. 4. adnot. 13. n. 1.

3 *Assumptus est in cælum.* Preme denuo assumptionem quasi per vim inuo, qui propria virtute ascendit, Quod vt superbi, licet immeriti sese vltro dignitatibus ingerunt: ita humiles, quantumuis moribus excelsi oblatos sibi honores recusant. Quippe magnitudo ad ima inclinatur: paruitas perit summa, ambit excelsa. lib. 2. adnot. 13. num. 6.

4 *In cælum.* Quò tendis Domine? *Vado* (inquit) *parare vobis locum*: at eoimverò aliud tinnit Marcus subiiciens, *& sedet ad dexteram Dei*: eò ergo is vt sedeas, sed enim vtrumque omnino sobsistit: nam cùm sedit Dominos: *consedere nos fecit in cælestibus*: non vni sibi gloriæ suæ sedem, sed suis etiam volens. lib. 5. adnot. 26. num. 6.

5 *In cælum.* Dum assumitur in cælum Dominus, licebat Apostolis intueri in cælum, ipso autem ab eorum oculis sublato sic ab Angelis arguuntur, quòd aspiciendo cælo inhæreant: *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum*: sed quare? Planè quòd animæ procul à Deum amantis non sit, cælum sine Deo, siue cælum propter cælum, hoc est propter retributionem aspicere, dicente Vate: *Quid mihi est in cælo, aut à te quid volui super terram.* Ergo Deo in cælo inhæreas, non cælo sine Deo. lib. 5. adnotat. 15. n. 5.

6 *Sedet ad dexteram Dei.* Nec solus ipse, cùm nos etiam consedere faciat in cælestibus tanquam nostri capitis membra: nam *quò præcessit gloria capitis* (inquit Magnus Leo) *eò spes vocatur & corporis.* Quid verò hæc sibi velint sic monet Chrysost. hom. 3. in epist. ad Ephes. *Reuereamur nostrum caput, cogitemus cuius capitis simus corpus, cui omnia sint subiecta. Hoc exemplo nos Angelis oportet esse meliores, & Archangelis maiores, vt qui iis omnibus simus honore præpositi. Non Angelos apprehendit Deus.* Bona quidem, & necessaria argumentatio, vt celsiori fastigio celsiora merita respondeant. lib. 1. adnot. 5.

PRO DIE SANCTO Pentecostes.

PRs Salutationis. Sciñè S. Cyrill. Hierosol. catech. 17. *In specie linguarum ignearum sedit super illos, vt noua corona spirituales per linguas igneas imponantur capitis illorum.* Quippe optimus, & opportunus linguæ vsus, egregium hominis ornamentum, atque corona est. lib. 2. adnot. 59. At enim hæc à diuino Spiritu flammatæ linguæ notantur præsente Maria fuêre Apostolis impertitæ, quòd per ipsam omnia dona, omnesque coronæ, nec non sermonis opportunitas nobis aduenitat. lib. 2. adnotat. 6.

1 Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Non enim auditores legis, sed factores iustificantur apud Deum. vers. 1. lect. 4.

2 *Ad eum veniemus.* Opportunè præmisit: *Sermonem meum seruabit*: aliter ad eum diuinus Spiritus venire non potest. Rectè S. Laurentius Iustinian. lib. de continent. cap. 4. *Quis audeat carnis illecebris deditus Paraclitum expectare?* lib. 2. adnot. 3. n. 2.

3 *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* En quò eant Patris potentia, & Sapientia Filij, vt videlicet, & producant, & mittant Spiritum sanctum, à quo hominum salus, & vita subsistat. Hoc enim maximè Principis sapientia, & potentia debet aspicere, vt suos felices reddat. lib. 3. adnotat. 14. n. 1.

4 *Quem mittet Pater in nomine meo.* Obserua pulchrum talionem Filio à Patre repensum. Nimirum vt perpetuus Christi mos fuit, in nomine Patris sui, & loqui, & operari, ita modò Pater in nomine Filij Spiritum diuinum missurus dicitur: Imitentur id magni Principes, & ad honores suis conferendos enitantur: honorare enim, honorari est. lib. 3. adnot. 18.

5 *Pacem meam do vobis.* En Dei Spiritum pacis neauo homines constringere: dissidia, pugnas, bellaque amobri:

amoliti: cui enim bono bella nisi iustissima, & necessaria fuerint? lib. 4. adnot. 21. n. 5.

6 *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis.* Sed quid alio doctore opus fuit, qui denuo diceret, & suggereret quae iam à Domino dicta fuerant? Equidem vt innuatur, dictionis efficaciam à Spiritu potius quàm à sapientia aduenire. lib. 1. adnot. 4. n. 2.

7 *Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Signatè suam modò innocentiam adstruit Dominus, seque nulla afflatum labe ostendit. Quod immediatè praemisetat, *& nunc dixi vobis, vt credatis:* nimirum qui doctrinam credendam, exequendamque ministrat, prius se innocentem, & purgatum, manifestare oportet, ne dicta factis deficientibus erubescant. lib. 1. adnotat. 4. n. 3.

FERIA SECVNDA PENTECOSTES.

1 IOan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Ea quippe in Principe dilectionis erga suos exhibitio, & manifestatio est, cùm pro ipsis fortia agit, & patitur. lib. 3. adnot. 21. n. 4.

2 *Vt Filium suum vnigenitum daret.* Expende modestiam Christi Domini. Nec enim ait, *Sic ego dilexi mundum,* siue etiam *vt me Filium suum, ac Deum, darer.* Quippe dum necesse illi fuit, discipulis suam diuinitatem manifestare, vt crederent ipsum Deum esse, sapidissimo modestiae condimento necessariam hanc laudationem temperauit. Decet namque Principem, quo maior fuerit, modestior sermo. lib. 2. adnot. 20. num. 2.

3 *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum.* Quippe & à salute hominibus danda, siue ab omnimoda beneficentia Dei magnitudo, atque maiestas elucet. lib. 3. adnot. 16. Et clementia potiùs quàm seueritas Dei corona, & insigne est. lib. 4. adnot. 8. & 9.

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

1 IOan. 10. *Qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde.* Bellè Augustinus: *Qui ascendit aliunde, periculosè ascendit.* Qui enim ad praefecturas, & honores per virtutum, & meritorum ostium non intrat, ignominiae, & dedecori obnoxius est. lib. 1. adnot. 7. n. 5.

2 *Ille fur est & latro.* Adeò enim excelsae dignitates merentibus debentur: vt qui meritis destitutus illas adipiscatur, fur & latro dicendus sit, quippe qui rem alienam inuito Domino contrectat. lib. 4. adnot. 13. num. 2.

3 *Et proprias oues vocat nominatim.* En boni pastoris siue Principis signum suos nosse, id est Reipub. administrationi, & negotiorum expeditioni immediatè incumbere. lib. 3. adnot. 6.

4 *Et cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit.* Quod vt imperio magnus, exemplo tamen maior esse debeat. lib. 1. adnot. 4. Vnde notanter subdit Dominus. *Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.* Exemplo enim deficiente, nec ipsa vox monentis agnoscitur, omne ab spiritu robur acceptura. ibi. n. 2.

5 *Ego sum ostium ouium.* Monentur inde oues demisso capite ostium intrare velle, ne ad illud eorum capita conquassentur. lib. 2. adnot. 16. n. 7.

IN FESTO SANCTISSIMAE TRINITATIS.

1 MAtth. 28. *Data est mihi omnis potestas.* Quare data, & non potiùs innata? Sanè, quòd ea ipsi potestas gratissima fuit, quae meritis signatè respondet. lib. 1. adnot. 1. n. 4.

2 *Data est mihi omnis potestas.* Cur hominis potius, quàm illius, quae diuinitati ottebatur, meminit? Nempe quia notanter cùm esset Filius Dei: *Didicit ex his, quae passus est, obedientiam.* Quod Principi vtilissimum fit, *imperata facere, vnde imperandi scientia discitur.* lib. 2. adnot. 7. n. 4.

3 *Euntes ergo.* Opportunè *ergo,* vt innuat, hanc tegiae potestatis legem, vt es iustitia benefaciat: & debere se, quod sponte tribuit, existimet. lib. 3. adnotat. 15. num. 1.

4 *Euntes ergo.* Optimus Princeps, qui subditos suos peculiariter honorat, & potestatis suae socios facit. lib. 3. adnot. 18. n. 1.

5 *Docentes eos seruare.* Cur non dixit, docentes eos speculari, ratiocinari, siue discurrere Diuinitatis naturam, seu Trinitatis mysterium, quo erant imbuendi? Certè quia salubrius illis erat, Deum nonnisi es parte, qua ipse vult nosse. lib. 5. adnot. 21. n. 1.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

1 IOan. 6. *Caro mea verè est cibus.* Haec planè Christi benignitas, atque magnificentia fuit, vt sese tanquam vitulum saginatum in cibum suis daret, cuius carne, & sanguine opiparè vescerentur: suum omnino munus esse professus, hominum saluti & deliciis qua corum Princeps erat, omni modo, & ratione prouidere. lib. 3. adnotat. 1. a. num. 3. Quod si ambigas: quo pacto saginatus dicatur, qui vt suis consuleret seipsum exinaniuit? Facilè respondebit, tunc ipse sibi saginatus videri, cùm à se homines crescunt, atque saginantur. lib. 3. adnot. 13. num. 3.

2 *Caro mea verè est cibus.* Quemadmodum materialis cibus, & potus corpora reficiunt, ne pereant: ita se Christus in cibum, & potum praebet, vt fessos reficiat, fatigatos, & deficientes sustentet: corruptibiles reddat aeternos. Adeò diuinum est, fessis, & afflictis subuenire. lib. 3. adnot. 20. n. 3.

3 *Caro mea verè est cibus.* Sed nonne vides, Dominum sic suorum sollicitum esse, vt suo splendori minimè prospiciat, qui sub accidentibus leuissimae panis micae, seipsum colendum proponit? Quid tamen inde dignitatem deperdit? Imò verò auget, & illustrat. lib. 4. adnot. 18.

4 *Caro mea verè est cibus.* Et cur, quaeso, non sub carnis speciebus sese Dominus manducandum exhibuit? Equidem quod ad hanc carnis locutionem Iudaei offendissent, dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum.* Vt Principibus documento fuerit, adeò subditis suis debitorem esse, vt non tantùm à malo, sed ab omni mali specie abstineant. lib. 2. adnotat. 9. num. 2.

5 *In me manet.* Non ergo cibus est (inquis) nam cibus in manducante manet; non è contra manducans in cibo. Quo modo ergo Dominus sese in cibum tradens, & manere dicitur, & manducantes in se transferre? Planè quod simul cibus, & conuiua fit: qui cōeditur, & qui comedit: à suorum videlicet salute, & incremento, quod boni Principis proprium est, suam magnitudinem omnino pensitans. lib. 4. adnot. 17. num. 4.

AD CONCIONES DE SANCTIS.

In festo S. Andreae.

1 MAtth. 4. *Ambulans Iesvs iuxta mare Galileae vidit duos fratres.* Casu ne ambulans vidit? Imò verò

verò ambolauit vt videret: fuorum faluti inuigilans, & negotiorum expeditioni tanquam Optimus Princeps operam nauans. lib. 3. adnot. 8.

2 *Ambulans Iesus.* Quasi cogitabundus, vt videris omnes Domini cogitationes, omnes eius greffus ad falutem hominibus dandam tendere. Bonus planè Princeps, qui ad fubditorum bonum cuncta molitur. lib. 3. adnot. 12.

3 *Faciam vos fieri piscatores hominum.* A piscatione ad pifcationem transfert, quafi probatos, & expertos, eò quippe meliores Magiftratus fuot, quò fæpius. verf. 6. lect. 4.

4 *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Signatè piscatorum non venatores, quòd homines arte & blandimento orationis, non vulneribus capiendi, fiue corrigendi fint. lib. 5. adnot. 20. n. 2.

5 *Relictis retibus.* Hoc eft non tantùm temporalibus rebus, fed earum etiam fpeciebus omnino relictis, atque contemptis, quò Deum poffent germana charitate diligere: *Nam charitatis venenum eft* (inquit August. lib. 83. qq. quæft. 36.) *fpes adipiscendorum, aut retinendorum temporalium.* lib. 2. adnot. 3.

6 *Relictis retibus.* Ne qui Domini gratiam erant adepti, aliquid fibiipfis fubinde pifcari vellent. lib. 5. adnot. 16. num. 5.

PRO S. FRANCISCO XAVERIO.

Et in communi Conf. non Pontif.

1 LVc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti.* Chryfol. *baltee caftitatis:* vt corpus ad primæuam dignitatem, & firmitatem, in qua à Deo efformatû eft, redeat. Qua fanè de cauffa (Chryfoftomo obferuatore) inclyti MM. fæpius in coftis cruciabantur, vt fluxam molemque partem corporis, fanam firmamque redderent. Affecutus eft id planè Xauerius eximia caftitate, dum corpus fuum incorruptum etiam poft mortem feruauit. Vide lib. 2. adnotat. 10. num. 5.

2 *Lumbi vestri præcincti.* Notanter *præcincti*, quod fanè verbum lumborum fitui non tam videtur congruere, quàm *post tingi*. At enim inde Doctores, atque Magiftri à Domino monentur, adeò impensè puritati incumbere debere, vt illuftres illius radios præmittant: quibus hominum iudicia, linguafque præoccupent, vt qui contra eft vereatur aliquid de ipfis dicere. lib. 1. adnotat. 17. n. 4.

3 *Lumbi præcincti.* Quo cingulo? Veritate, & cognitione: nam eùm femel Dei verbum, atque fapientia animum imbuit, omnia vitia, & affectiones extinguit. Latè verf. 2. lect. 5. 0. 2.

4 *Lumbi præcincti.* Vt carne, eiufque affectionibus conftrictis, maior diuino fpiritui, & cæleftibus donis capacitas fubfit: ita quidem Xauerius carnem, corpufque fuum conftringere folebat, vt vel in fomnis vigilaret, & noxiis dæmonis affultibus ftrenuè refifteret. lib. 2. adnot. 3. n. 3

5 *Et lucernæ ardentes.* Opportunos nexus carnis præcinctæ, & lucernæ ardentis, à via enim immaculata intellectus, & fereoitas. verf. 2. lect. 1. Neenon ab affectuum munditia peculiaris animo lua oboritur. lib. 2. adnotat. 8. num. 5.

6 *Præcinget se.* Mirum quidem, Dominum paternæ gloriæ confortem iam factum ad morem ferui miniftrantis præcingi. At enim inde ipfius maieftas fingillatim elucet. lib. 2. adnotat. 14. num. 4.

Pete plura à festo S. P. N. Ignatij.

PRO S. NICOLAO.

Et in communi Confess. Pontif.

1 MAtth. 25. *Tradidit illis bona sua.* Notanter *bona sua*: vt iam exinde occurreret mali illius ferui calumniæ: *Tollis quod non posuisti, & metis vbi non seminasti*: nimirum non priùs collectam petiuit, quàm messem daret, nec metere voluit, nifi quod ipfe priùs præfeminauit. lib. 2. adnot. 22. n. 4. & 5.

2 *Vnicuique secundùm propriam virtutem.* Id eft pro ratione virium fingulorum: vnde fignatè iniunctum cuique onus, talenti imagine exprimitur, quod non tam numero, quàm pondere æftimatur, quodque is qui tradit, propriis prius viribus experitur. Quia videlicet Prælatus tunc legitimè aliis opera iniongit, cùm eadem ipfe prius fuftinuit, & expertus eft: ideo in parabola fub hominis nomine Deus inducitur, qui didicit ex iis quæ paffus eft obedientiam. lib. 1. adnor 7. n. 5.

3 *Ecce alia quinque superlucratus sum.* Theophyl. *Qui enim non solùm sibi prodest, fine prudentiam habeat fiue diuitias, fiue potentiam, & auctoritatem apud Reges fiue quamcumque aliam vel artem, vel facultatem, sed & aliis vult prodesse, is duplicat quod fibi datum eft.* En ergo legitimum potentiæ, fiue regiæ gratiæ vfum. lib. 5. adnot. 26.

4 *Ecce alia quinque superlucratus sum.* Quæ hæc lucra fuere? Difce à Nicolao larga manu opes fuas in pauperes diftribuente; fed hæc (inquis) bonorum potiùs diffipatio quàm lucrum fuerit: imò verò ille diffipator & prodigus, qui data bona fibi feruat, fiue in proprium vtilitatem deriuat: bic verò egregius Oeconomus cenfum fuum augens, qui vt alius benefaciat, profundit. lib. 3. adnot. 15. n. 8.

5 *Quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Sibi quidem omnino confuluit, qui tot talentis donatus, dignitatifque ad apicem euectus totis neruis ad virtutis profectum contendit, & accepta talenta augere ftuduit, tum vt patia faftigio merita afferret. lib. 1. adnot. 5. tum etiam ne à culmine præceps rueret: quippe lubrica funt altiora loca, quæ negligentem, & defidem, facilè fubuertunt. lib. 1. adnotat. 9. num. 5.

6 *Abiens fodit in terram.* Gregor. Magn. hom. 35. in Euang. *Talentum in terra abscondere, eft, acceptum ingenium terrenis actibus implicare, lucrum spirituale non quærere.* Vide lib. 2. adnotat. 3.

IN FESTO S. AMBROSII.

Et in communi Doctorum.

PRo Salutatione. Accurato dicendi modo Propheta Baruch cap. 3. 34. Doctorum munus explicuit ioquiens: *Stella dederunt lumen in custodiis fuis, & luxerunt et eum intunditate qui fecit illas.* Haud obfcurè innuens Magiftros, quam à Deo acceperunt lucem, ipfi redditur os, quin fibi laudem, & gloriam vllatenus vendicent, fed Deo omnino adfcribant. Præit illis exemplo cæleftis illa ftella Maria, cui præfata Baruch verba fic aptat Richard. à S. Laurentio lib. 1. de Laudib. Virg cap. 5. *Maria ftella maris, quia hilariter dat lumen fuum, Maria ftella, quia Filio affignat quidquid boni recepit ab eo.* Vide lib. 5. adnot. 17. 0. 5.

1 Matth. 5. *Vos estis sal terra.* Tunc maximè fal commendatur, cùm in ciborum condimentum liquefit, fenim integer, & fibi foli fine comminutione maneat, inutilis, & nullius ftugi erit. Ergo Prælatus, & Doctor quidquid fapit, non fibi, fed hominum vtilitati fapiat; alioquin à muneris fui fapore, & dignitate ruerit. lib 3. adnotat. 13. n. 5.

2 *Vos estis sal terra: vos estis lux mundi*: Sal ad fanctitatem: lux refertur ad doctrinam, quæ hominum animis affulgeat: fanctitate ergo priùs debent prælucere, quibus docere alios munus incumbit. verf. 2. lect. 4. num. 4.

3 *Sal terra.* Dum Dominus Doctores cum fale, qui

qui acer quidem, & amarus est, signatè compofuit: omnino ostendit præcipuam muneris sui partem esse, verum dicere: quippe veritas (vt ait Hieronymus lib. 1. adners. Pelagian.) *amara est, & rugosa frontis*: vnde in pectore Sacerdotis erat insculptum *vrim & tummim*, id est, *illuminationes, & perfectiones*: siue vt vertit Hieron. *Doctrina & veritas*: vbi si attendis, veritas respondet perfectioni, & pro ea ponitur, vt argumento sit Doctorem à veritate perfectum reddi, à qua si abeat, ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras: fugiat ergo Doctor scopulos, ad quos solenne est, veritatem impingere. lib. 5. adnot. 19. n. 1.

4 *Sal terræ.* Enimverò ea ipsamet salis imagine, qui vtcibus conditur, ipse etiam conditur, & ad mensuram inficitur, quid enim fuerit animis sale adeò insipidum? Illud etiam innuit Dominus, Doctorem veritatem annuntiantem blandimento orationis vti debere. lib. 5. adnot. 20.

5 *Sal terræ.* Obserua Doctores, & Prælatos cum sale, cum luce, cum ciuitate componi. Quò tam tot imagines ioerint? Explicat Apostolus 1. Corinth. 9. 22. inquiens: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Quod videlicet modis omnibus subditorum salutem procurare debeant, & doctrina, exemplo, bonis operibus præire, & prælucere: sed clamat Gregor. Nazianz. orat. ad Episcopos: *Omnibus omnia efficimur, haud scio, vtrum vt seruemus, an vt perdamus?* Heu! Qui perdiderit, perdetur: & concinclabitur ab hominibus morte in illum quantocyus irruerit. lib. 5. adnot. 18. & 19.

6 *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Grauis ratio Doctorem, & Principem ad omnimodam virtutem, & puritatem impellens, quòd oculis subditorum eximi non possit, & cùm clam prodire se putar, tanquam sol oriatur. lib. 2. adnot. 9. Vnde nisi debita muneri suo merita attulerit, pro honore ignominiam assequetur. lib. 1. adnot. 8. n. 5.

7 *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio.* Scitè Hilarius ibi modium ad Synagogam, ciuitatem verò ad Christi carnem retulit, quòd illa salutis fructus sibi soli conclusos habere vellet: Christus verò tanquam amplissima ciuitas omnes omnino exciperet, & sine personarum acceptione omnium bono sit: *Synagogam* (inquit) *dignè Dominus modio comparat, quæ susceptos fructus intra se tantum receptos tenens, modum dimensæ obseruantiæ continebat: ciuitatem, carnem quam assumpserat, nuncupat. Quia vt ciuitas ex varietate, ac multitudine ciuium consistit inhabitantium, ita in eo per naturam suscepti corporis quadam vniuersi generis humani congregatio continetur.* Vt hinc Optimum Principem dignoscas, qui subditis suis generaliter intentus prospicit quin in muneribus distribuendis personas acciperet. lib. 4. adnot. 54. o. r.

8 *Nolite putare quoniam veni soluere legem.* Signatè ad discipulos loquitur, ne quod ipsius familiares essent, à legis obseruatione sese existimarent immunes. Principi enim sedulò laborandum, ne familia mala sit. vers. 6. lect. 5.

9 *Nolite putare, quoniam veni soluere legem.* Nemo quidem id tunc putabat, quorsum ergo Dominus hoc asseruit? Certè quòd vel inde voluerit iis occurrere qui subinde putaturi erant, ipsum legem soluere. Quippe Principis fama adeò delicata res est, vt anticipato remedio calumniatoribus obuiam ipse ire debeat, sèque & extra vitij speciem ponere, & virtutibus conspicuum videri. lib. 1. adnot. 17. num. 1.

10 *Non veni soluere, sed adimplere.* Christus ad ferendam legem præcipuè venit: quare ergo ad eam ser-nandam se venisse testatur? Equidem vel eademmet ratione, quia Legislator, & Princeps erat: Nec enim Princeps verus, sed fictitius est, qui legem exactissimè non seruat; qui virtutem, quæ lex viua est, non colit. lib. 1. adnot. 3. n. 2.

11 *Sed adimplere.* Non ait, seruare, ea qui legem; sed adimplere, vt innuat, Legislatorem, & Principem, ac Prælatum, vitam legem, legisque complementum, & quasi sigillum, & chirographum esse: vnde si rectis moribus vitam legi Princeps non inspirect, inanis quidem, & vacua lex erit. lib. 1. adnot. 3. num. 3.

12 *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur.* Opera doctrinæ coniuncta magnū reddunt operantem. At opera doctrinæ signatè præponuntur, Domino prius dicēte, *qui fecerit*, deinde, *& docuerit*: Quod vt doctrina sine operibus inanis, ita opera etiam doctrina destitura prosunt. lib. 1. adnot. 4. num. 2.

PRO CONCEPTIONE B. VIRGINIS.

APta Deiparæ quæ Dei forma, & facies à PP. dicitur quod habes. lib. 5. adnor. 20. num. 5. ex Olympiodoro obseruante dæmonem, nec verborum maledictionem cum Dei facie coniunxisse, ideoque ipsammet maledictionem specioso verbo significasse.

IN CONVERSIONE SANCTI PAVLI.

GVerricus Abbas serm. 2. in Natali SS. Apostolorum Petri, & Pauli: *Ecce repente Spiritu misso de cælo tanquam lacte de proprio Christi vberibus effuso Petrus impletus est lacte primo, nec multo post de Saulo fit Paulus, Prædicator de persecutore, mater de tortore, nutrix de carnifice; vt planè intelligeres totum eius sanguinem mutatum in lactis dulcedinem, sæuitiam in pietatem.* Nec mirum, cùm ipse in Regis cubiculum fuerit introductus, & quæ perfectæ charitatis lex est, regium fauorem non vni sibi velle, sed cum cæteris partiri debeat. lib. 5. adnot. 26. Quid? quod Ecclesiæ Princeps, & Pater factus nonnisi ad pietatem fortis, & potens opportunè euaderet. lib. 3. adnot. 12. n. 7.

IN PVRIFICATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

1 LVcæ 2. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysi.* Beda ibi: *Si legis ipsius verba diligentiùs inspexeris, profectò reperies, quòd ipsa Dei genitrix sicut à commixtione virili, sic & legali fit iure immunis.* Cur ergo legi subiectam sese profiteri voluit? Sanè vt non tantùm à malo, sed etiam à mali specie alienissima videretur. lib. 2. adnotat. 9.

2 *Vt sisterent eum Domino.* Scitè Athanasius in Catena S. Thomæ, ad hæc verba sic ambigit: *Sed quando à paternis aspectibus latuit Dominus? aut quis locus exciptitur ab eius imperio? vt ibi existendo semotum à Patre sit, nisi asseratur Ierosolymam, & introducatur in templum?* Respondet verò: *Sicut non gratia sui homo factus est, sic propter nos sistitur Domino.* Quasi ea Principum conditio sit, vt sui met obliti subditorum potiùs personam gerant, & ad ipsorum vtilitatem sese totos effingant. lib. 3. adnot. 14. n. 1.

3 *Vt sisterent eum Domino.* Cyril. Alexand. *O profunditas scientiarum sapientia, & scientia Dei! offert hostias qui per singulas hostias honoratur cum Patre: figuras legis custodit veritas: qui legis est conditor sicut Deus, legem custodit vt homo.* Quòd Princeps, vt legum conditor sit, ea non minus quàm quiuis è plebe custodire debet. lib. 1. adnot. 3.

4 *Vt sisterent eum Domino.* Anselmus in cap. 2. in Matth.

Matth. *Quamuis timerent Herodem, tamen non sunt ausi transgredi legem, quin ad templum puerum deferrent.* Nimirum nunquam magis tuti, & absque timore esse poterant, quàm cùm periculum Dei caussa subierunt. lib. 5. adnot. 10.

5 *Par turturum, aut duos pullos columbarum.* Ambros. lib. 5. Hexam. cap. 19. *Hoc est enim verum Christi sacrificium, pudicitia corporalis, & gratia spiritualis: pudicitia ad turturem refertur, ad columbam gratia.* Pulchrum planè sacrificium, quod primæuam homini dignitatem ex castitate reddit. lib. 2. adnot. 10. n. 4.

6 *Par turturum, &c.* Ambros. lib. 2. de Abraham cap. 8. *Et hoc ipso quod aues posuit intelligere possumus cælestium meritorum volatus.* Ne videlicet animus terrenis affixus ad cælestia cõtendere non possit. lib. 2. adn. 3.

7 *Par turturum.* Gregor. hom. 7. in Ezech. *In lege scriptum est, vt turtur is qui pro peccato offertur, caput retorqueat ad pennulas: vt ea quæ dicis facias, & os ad opera coniungas.* Vers. 2. lect. 4.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

1 Matth. 11. *Pro Salutatione.* Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Inuitat nos Dominus, vt veniamus ad eum, qui alibi dixit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Trahat igitur nos Pater (inquis) & veniemus. Atenimverò, *Non est bonæ, & solidæ fidei* (Tertullian. lib. de exhort. ad castitatem cap. 2.) *sic omnia ad voluntatem Dei referre, vt non intelligamus aliquid esse in nobis ipsis.* Ergo vt trahat te Pater, dicito & tu Virgini: *Trahe me post te*: nam si ipsa suis precibus te trahit: venies ad filium, & saluus eris: ita quidem ad ea Canticorum verba (inquit Richard. de S. Laurent. lib. 12. de laudibus Virg.) *Ideò trahi petis à Maria fidelis anima, quia Filius quodammodo auere videtur de Matre: Nemo potest venire ad me, nisi Mater mea suis precibus traxerit eum.* Adeamus ergo Virginem vt veniamus ad Christum. lib. 2. adnot. 6. n. 2.

2 *Confiteor tibi Pater quia abscondisti hæc à sapientibus, &c.* Augustin. in Catena S. Thomæ: *Nomine sapientum superbos intelligi posse ipse exposuit, cùm ait reuelasti ea paruulis.* Quare obserua verbo Latino *Confiteor*, Græcè respondere id verbum quod simul significet *suffragium fero*, vt ex Christi suffragio superbos merito damnatos videris tanquam cælestis sapientiæ incapaces: humiles verò maximè idoneos esse ad sapientiam accipiendam, atque retinendam. lib. 2. adnotat. 16. num. 1.

3 *Quia abscondisti hæc à sapientibus.* Hilar. *Facti autem huius æquitatem Dominus paternæ voluntatis iudicio confirmat. vt qui indignantur paruuli in Deo fieri, stulti deinceps in sapientia sua fiant.* En quid inclinata, quid excelsa ceruix mereantur. lib. 2. adnot. 15. num. 7. & adnotat. 16.

4 *Ita Pater: quoniam sic placitum fuit ante te.* Gregor. Magn. *Quibus verbis exempla humilitatis accipimus ne temerè discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum verò repulsione præsumamus: ostendens quod iniustum esse non potest quod placuit iusto.* lib. 5. adnot. 21.

5 *Venite ad me omnes.* Præmiserat, omnia sibi tradita à Patre. Quæ ergo bonus Dominus habet, in omnium vtilitatem impendere, mediatorque inter Patrem, & homines esse vult: ne videlicet is, qui plura bona obtinet, credat, ea sibi ad proprium, sed ad aliorũ vsum, cõmodumque tradita. lib. 5. adn. 1. n. 4.

6 *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Signatè hæc ad eos dicuntur, qui magnam celsitudinis fabricam construere cogitant: nimirum humilitas præcelsæ magnitudini firmissimum substernitur fundamentum. lib. 4. adnotat. 24. num. 2.

7 *Iugum enim meum suaue est.* Græcè vox *Iugum* stateram significat: vnde pro illis verbis Eccles. 28. 29. *Verbis tuis facito stateram.* Ambros. serm. 22. in Psalm. 118. legit *Ori tuo fac iugum*: vt inde elicias miram Dominici iugi suauitatem in eo maximè elucere, quòd pœnas, & præmia omnibus sine personarum acceptione, æqua lance in statera decernat. lib. 4. adnot. 14. num. 1. Sed deinde iugum cum statera componitur, quod à Principe subditorum vires accuratè librãdæ, & examinandæ sunt, vt imponendũ pondus illis commensuretur. lib. 4. adnot. 16. n. 1.

IN FESTO SANCTI ANGELI CVSTODIS.

Vide in Festo Sancti Michaëlis.

IN FESTO S. GREGORII Magni, & S. Thom. Aquinatis.

Pete à Festo S. Ambrosij suprà.

IN FESTO S. IOSEPHI sponsi Sanctissimæ Virginis.

Habes in Vigilia Natiuitatis Domini.

IN FESTO ANNVNTIATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

1 Lucæ 1. *Missus est, &c.* Gregor. Thaumat. serm. 2. in Annunt. *Cunctorum nobis bonorum principium nuntiatio Mariæ exstitit. Hinc nobis sapientiæ, & immortalitatis scaturiunt fontes, qui limpidos, ac puros riuos pietatis effundunt. Hinc nobis diuinæ cognitionis resplendent thesauri.* Sed cur hinc bonorum principium? A Maria ne vitæ initium? ita quidem dum per illam ad vitam accedimus ipsa nos ad filium manuducente. lib. 2. adnot. 6. num. 2.

2 *Missus est, &c. ad Virginem.* Obserua, supremum è cælestibus spiritibus ad Virginem missum libentissimè id ministerium subiisse: non solùm quòd ad Dei Matrem mitteretur, sed quòd Virgini inseruire magnum putaret. Quippe castitas Regia Maiestate digna virtus est. lib. 2. adnotat. 10. num. 1.

3 *Angelus.* Concors PP. mens est Gabrielem è supremis Archangelis esse: immò nonnulli coniectant Cherubinum, alij Seraphinum esse: cur ergo præcellæ dignitatis eius nomen reticetur? Planè vt innuatur ipsum tanquam germanum Dei ministrum nihil de sua dignitate, aut excellentia curasse, nec ad propria commoda, aut nomen respexisse; sed tantummodo in Dei gloriam à quo mittebatur fuisse intentum: ideò Angelum dictum quod non dignitatis, sed officij, hoc est nuntij nomen est: vt qui Dei negotium ageret. lib. 5. adnot. 17.

4 *Ad Virginem desponsatam viro.* Pulchrè Hugo Cardin. *Non dicit ad desponsatam Virginem*, sed ad Virginem desponsatam: *Virgo enim præmittitur, vt ostendatur virginitas nuptiis præferenda.* lib. 2. adnot. 10.

5 *Aue gratia plena.* Notanter *plena*, à qua totus hauriat mundus, vt benè obseruat Richardus à S. Laurentio, lib. 1. de laudibus Virginis cap. 4. aliter atque illæ Virgines, quæ oleum ab ipsis petentibus dicebant: *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis: non tantùm vas habuisti* (inquit ille) *oleo gratiæ repletũ, quo lampadem tuam inextinguibiliter ardentem nutrires, sed aliud gestasti vas redundans, & indeficiens, ex quo effuso oleo misericordiæ omnium lampades illuminares, & vasa omnium vsque ad summum, & perfectum impleres, & in illo nihil minueres. Prudens ergo fuisti, vt tibi prouideres, nec timida vt aliis subuenires.* Enimverò hinc facilè colligas Principem suis prouidentem, & benefacientem sibiipsi maximè consulere: tuncque plenum maximè esse, cùm ob suos exinanitur. lib. 3. adnot. 13.

6 Dominus

6 *Dominus tecum*. S. Basil. Seleuciens. oratione 39. *Quia templum extitit verè dignum Deo, castitatis aromatibus odoratum*. Quippe à castitate primæuot homini flos & honor redit. lib. 2. adnot. 50.

7 *Et cogitabat, qualis esset ista salutatio*. Andreas Hierosolymitanus: *Verisimile est, ipsam & de clara stirpe natā Dauidis filiam, non ignaram diuinorum, qua in scripturis habitur, oraculorum fuisse, vt cogitationi suas statim contuerterit ad prima parentis lapsum, in animo secum sic voluens deceptionis prima tasum*. Ideò opportunè Angelus *ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum*. Vnde tutius Andreas: *Eò quòd dixit gratiam, soluit omnem sententia ambiguitatem: quòd enim subtecit, inuenisti gratiam apud Deum, commodè excusit omnem Virgini metum*. Vt diceret Angelus: Eua decepta est, quia voluptatem concupiuit gratiæ Dei prætulit: tu verò, cùm gratiā Dei sis promerita, nihil est, cur timeas. lib. 5. adnot. 9. n. 5.

8 *Inuenisti gratiam apud Dominum*. Vt vnicè ipsi dilecta, & familiaris, omnia apud ipsum possis, & valeas. Quid ergo? inuidebunt tibi cæteri mortales, quorum oculos maior æqualium splendor acriter feritlib. 5. adnot. 8. Minimè quidem: immò verò maximè lætabuntur scientes te io cellaria Regis introductam, plenis ad eos vberibus reuersuram. Igitur is Regius familiaris, siue præpotens minister, extra inuidiæ, & odij tela est, qui regiam gratiam non vni sibi vult, sed inter cæteros partitur. lib. 5. adnot. 26.

9 *Et vocabis eius nomen* IESVM. Notantet inter eximias Mariæ laudes, & ornamenta ponitur, quòd Dominum patitura, ipsi Saluatoris nomen indidura sit, quasi nihil Virgini gratius, iocundiusque fuerit quā hominum salus: oimirum quæ Deum summè diligebar, non poterat non homines ipsi charos vnicè etiā diligere. lib. 5. adnotat. 25.

10 *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur*. Opportunè qui *Saluator* vocatur, vocatur *magnus & Altissimi Filius*: quòd tunc Deus hominibus Altissimum sese ostendat, cùm ad opem ipsis ferendam accurrit. lib. 3. adnot. 16.

11 *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Lectio Syriaca habet: *Obumbrabit super te*. Cerne immensam gratiam Mariæ: tanta quippe est, vt eius vmbram ipsemet Dei Filius exprimens, lineamentis ab illa collectis, Diuinitatem etiam suam ea materna imitatione quodammodo esset demonstraturus: *Ideò quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Id est, non quia ea te nascetur, ideò erit Filius Dei, etenim ante sæcula, sed quia ea te nascetur, ad animi tui virtutes effigiatus factus homo, vocabitur Filius Dei. lib. 5. adnotat. 20. n. 3.

12 *Obumbrabit tibi*. Postquam Spiritus Sanctus in Mariam superuenit, & diuinitatis suæ thesauros, ac diuitias in illam effudit, quid aliud est, Dei virtutem obumbrantem Mariæ induci, nisi Deitatis beneficæ eas vmbras, ac lineamenta io ea effurmate, è quibus ipsa eam Filij ideam conciperet qui homo factus ex beneficentia, Deus esse crederetur. Maria ergo si Deitatis formam ipsam appelles, digna existit. lib. 3. adnot. 16. num. 3.

13 *Ecce ancilla Domini*. Magnus quidem Virginis animus, qui apud semetipsum manens, seipsum se metitur, atque ad mensuram suam loquitur, & operatur. lib. 2. adnot. 16. num. 3. & 4.

IN FESTO S. MARCI EVANGELISTÆ.

1 LVcæ 10. *Designauit Dominus, & alios septuaginta duos*. Id est, designatis duodecim Apostolis, alios insuper septuaginta duos designauit, sed magna hic inter Patres quæstio, cur non septuaginta omnino, quemadmodum septuaginta seniores populi in iu-
P. Velasquez in Psal. centesimum.

dicet electi sunt. Numerorum 11. vers. 16. sed septuaginta, & duo discipuli à Domino fiunt designati. Quid sibi vult hæc tam accurata numeri partitio? Respondet acutè & sapienter Maldonatus: *Dubium non est, quin propterea duodecim Apostolos elegerit, quia duodecim erant tribus, vt vnaquaque tribus suum Apostolum haberet: credibile ergo eo numero discipulos elegisse, vt aequaliter inter duodecim tribus diuidi possent: numerus verò septuaginta aequaliter inter duodecim diuidi non potest: septuaginta verò duo, si diuidatur, vtrusque tribus sex obuenient, septuaginta igitur duo electi sunt*. Tanta videlicet Domino cura est, vt æqualitate librata sese omnibus pattem præbeat. lib. 4. adnot. 14.

2 *Et alios septuaginta duos*. Non contentus summū Apostolatus apicem duodecim dedisse, septuaginta duos modò peculiari honore donat, vt inde moneantur Principes tum subditos suos pro vniuscuiusque gradu peculiariter honorare. lib. 3. adnot. 18. Tum etiam pro meritis honores distribuere, vt inter ipsos quos ad præfecturas eligunt, alij aliis pro meritorum ratione superiores sint. lib. 4. adnot. 53.

3 *Misit illos binos*. Opportunè Maldonatus: *Voluit Christus Dominus discipulos suos perpetuos habere actionum suarum testes, ne quis malè eorum solitudinem interpretaretur, quasi ideò soli essent, vt liberius sine teste peccarent*. Nimirum Prælatorum, & Principum fama delicatissima est, cui anticipato remedio prouideri debet. lib. 2. adnot. 57.

4 *Ante faciem suam*. Gregorius Magnus hom. 17. in Euāgel. *Prædicatores enim suos Dominus sequitur*. Quasi eorum vestigia quodammodo premere, & eorum imitator esse velit, vt hinc moneantur Principes, atque Prælati id quidem ipsorum munus esse, quod virtutem supra humanam exposcat. lib. 5. adnotat. 6.

5 *Ante faciem suam in omnem ciuitatem, &c*. Obseruua bonum Dominum, qui nec à discedentibus discipulis oculos auertat, sed ipsos ante faciem suam, & in oculis suis habeat, opem illis & beneficia laturus: aliter quidem ac illi Principes, qui oculos habent plenos puluere à pedibus introeuntium. lib. 5. adnotat. 6. n. 5. & 6.

6 *Messis quidem multa*. Cyrillus Alexand. lib. 12. Thesauri. *Nec vllam rem aliam messem appellat, quàm venientium hominum ab idololatria ad fidem Christi*. Vt videris boni Principis messem non aliam quàm suorum vtilitatem, & bonum esse. lib. 3. adnot. 13. n. 1.

7 *Operarij autem pauci*. Gregorius Magnus homil. 17. in Euangel. *Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde inuenitur operator, quia officium quidem Sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus*. Sæpe quòd pauci sint, qui candidè, & ad Dei gloriam Ecclesiasticis muneribus fungantur: Ecclesiasticis redditibus vtantur. Vide lib. 5. adnot. 35. num. 2. & 3.

8 *Ite ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*. Vide in Festo S. Barnabæ Apostoli. n. 1. & 2.

9 *Nolite portare sacculum, neque peram*. August. serm. 41. de Sanctis: *Quid est noli portare sacculum: Accipite Spiritum Sanctum. Fons in te debet esse non sacculus, vnde erogatur, non vbi includatur*. lib. 3. adnot. 15.

10 *Neque calceamenta*. Gregor. Nazianz. in Catena in Lucam: *Pauperes autem verbi præcones faciens illis solam fidem dat comitē, nudis, ære destitutis, pera carentibus, excalceatis, & egenis mysterium noui testamenti cōmendans: & hoc ad Verbi gloriam*. Notanter *ad Verbi gloriam*, sed qua ratione? Sanè vt euacuatis humanis viribus diuinæ opis efficacitas emicaret. lib. 5. adnot. 10. n. 1.

11 *Et neminem per viam salutaueritis*. August. serm. 42. *Quid ergo est? Neminem in via salutaueritis? Qui salutant in via, per occasionem salutant. Quid ergo est per occasionem salutat? Non ad eum ibat, quem salutat. Aliud agebat*

agebat, aliud occurrit, aliud petebat, aliud transuerso quod ageret inuenit. Si ergo prædicas: hoc age per dilectionem, non per occasionē: sunt ergo homines, qui sua quærentes non aliud prædicant Euangelium. de quibus Apostolus gemens dicit omnes enim sua quærunt, &c. Similiter Gregor. præfat. homil. 17. *Qui non amore æternæ patriæ, sed præmiorum ambitu salutem audientibus prædicat, quasi in itinere salutat.* Ergo tam Dei, quàm Principum ministris germana charitas, non concupiscentiæ amor inesse debet. lib. 5. adnotat. 15. num. 4.

PRO SS. PHILIPPO, ET IACOBO APOSTOLIS.

1 IOannis 4 *Non turbetur cor vestrum.* Basil. epist. 169. *Nauclero profectò non permittitur vt tranquillum, vbi velit, reddat pelagus: nobis contra admodum facile est, vt vitam nobis reddamus tranquillam.* Qua ratione? Planè si virtutem coluerimus: ab ipsa enim felix rerum exitus obtingit. lib. 1. adnot. 12.

2 *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Gregorius Magnus lib. 4. Moralium, cap. 42. *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum vt quò hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Vnde in Euangelio veritas dicit.* In domo Patris mei, &c. Felix Resp. in qua pro meritis distribuuntur dignitates: nam confusis, & permistis ordinibus nihil est ipsa æqualitate inæqualius. lib. 4. adnot. 13.

3 *Mansiones multæ sunt.* S. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 65. *Illic enim verè mansio est. Nam præsens vita tentorium vile est quod simul atque compactum, ac firmum est, eodem temporis puncto soluitur.* lib. 2. adnotat. 3. n. 5.

4 *Ego sum via.* Augustinus libro de Epicureis, ac Stoicis: *Quia via Christus, & piger viator venire nolebas ad viam, ad te venit via.* Optimus Princeps, atque Prælatus, qui vt iacenti opem ferat, sese demittit. vers. 1. lect. 3. num. 2.

5 *Ego sum via, &c.* S. Leo serm. 18. de Passione: *Adam enim primus, & Adam secundus vnum erant carne non opere: & in illo omnes moriuntur; in isto omnes viuificabuntur: ille per superbiæ cupiditatem iter fecit ad miseriam; hic per humilitatis fortitudinem viam parauit ad gloriam: vnde ipse dicit ego sum via, veritas, & vita.* lib. 2. adnot. 16. n. 7.

6 *Ego sum via, veritas, & vita.* Quid est *vita*? Vita qua viuo, vita qua alij viuunt, dum ipsis vitam inspiro, verumenimverò, si rem benè æstimas, attentiùs consideras, dum homines vitam hauriunt æquè ipse Dominus viuere se putat. Quasi non eam solùm vitam habeat, quæ est ab æterno: sed illam etiam quam ea hominum vita desumit. Adeò viuit benefaciendo, vitamque præstando. lib. 4. adnot. 17. num. 4.

7 *Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Quia nimirum bonus Filius non poterat non Patris speculum esse, & eius adeò similem Patri Christus se in operibus gerebat, vt opera Patris esse crederentur. Porrò egregias parentum, & magistrorum actiones posteri, siue discipuli omnino æmulari debent, vt illis se impares non patiantur quos gaudent auctores. lib. 3. adnot. 4. num. 2.

8 *Opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Non ait patietur, quæ ego, sed faciet, quæ ego, immò maiora. In mirabilium enim patratione libenter Dominus suis cedit, at in cruciatuum passione & tolerantia nulli cedit. lib. 3. adnot. 21. n. 3.

9 *Et maiora horum faciet.* Quo pacto maiora faciat secuus, quàm Dominus? Sanè quia is Dominus est, qui suos quodammodo revereri velit, vt maior illis inde reuerentia, & auctoritas accedat: dū fulgentiori earumsecea gloria decorantur. lib. 3. adnot. 17. n. 6.

10 *Et maiora horum faciet.* Pulchrè Augustinus: *Cùm enim dixit.* Pater in me manens ipse facit opera, *quæ opera tunc dicebat, nisi verba quæ loquebatur: & eorum fructus erat fides illorum? veruntamen euangelizantibus discipulis non tam pauci, quàm illi erant, sed gentes etiam crediderunt. Nonne ab ore ipsius diues ille tristis abscessit? & tamē postea quod ab illo audiuit non fecit vnus, fecerunt multi, cùm per discipulos loqueretur: ecce maiora fecit prædicatus à credentibus, quàm locutus audientibus.* Sed quare maiora per suos, quàm per seipsum facere voluit? Equidem tum vt suos maximo honoris ornamento afficeret, quod summè regium, & excelsum est. lib. 3. adnot. 18. Tum etiam vt dum se illis minorem quodammodo exhiberet, omnimodè etiam iis maior videretur. lib. 2. adnot. 15. num. 4.

IN FESTO INVENTIONIS SANCTÆ CRVCIS.

1 IOannis 3. *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo.* Scitè ambigit Gregorius Magnus lib. 27. Moralium c. 21. *Si nos quoque qui editi in terra sumus cælum conscendimus, vbi est quod rursum veritas dicit, Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis qui est in cælo.* Respondet verò: *Quia mira dispensatione pietatis, membrorum suorum Dominus caput factus est, repulsa reproborum multitudine solus est etiam nobiscum.* Nemo igitur ascendit in cælum nisi Filius hominis, qui est in cælo: *Quia dum nos vnum cum illo iam facti sumus, vnde solus venit in se illuc, solus redit etiā in nobis.* Optimus planè Princeps, qui arctissimam cū suis coniunctionem habet, lib. 3. adn. 11. Et non vni sibi suam gloriam, & beatitudinem vult, quin subditos illius participes faciat. lib. 5. adnot. 26. num. 6.

2 *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo.* Vt dixerit Dominus, iis cæli ostium peruium esse, qui ad ipsius imitationem sese demiserint, & heroice inflexa intrare contenderint. lib. 2. adnot. 16. n. 7.

3 *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet exaltari Filium hominis.* Sed quid serpenti, & Dei Filio? siue ipse est, qui cum immundo animali opportunè componi possit? Respondet quidem Gregorius Nyssenus libro de vita Moysis, adductis hisce Domini verbis: *Cuius ratio patet: nam cùm diuina littera peccati patrem serpentem nominet, profectò quod à serpente natum est, serpens est: quamobrem peccatum parentis sui nomen merito suscepit, serpensq; iure appellatum. At verò Dominum propter nos peccatum esse factum Apostolicus sermo testatur. Suscepit enim mortalitatem nostram, quia peccando mortales facti sumus: si peccatum serpens est: Dominus autem peccatū factus est, patet quod sequitur: nam qui peccatum factus est, serpens factus est.* Vbi duo vides: alterum Principem siue Prælatum non suam, sed subditorum personam gerere debere, vt ipsis vndequaque benefaciat. lib. 3. adn. 14. n. 1. Alterum tunc opportunè iacenti subdito opem ferre, cùm ipse iacere se simulat, & eiusdem habitus esse ostenditur. vers. 2. lect. 3. n. 2.

4 *Oportet exaltari Filium hominis.* Itáne erat expediens, & opportunum esse possit, vt Dei Filius crucem, & mortem obeat? Quo merito, quaue ratione exigente? *Vt omnis qui credit in ipsum* non pereat. Nimium Principis vita suorum saluti, & incolumitati addicta, & oppignorata est. lib. 3. adnot. 21. n. 2.

5 *Omnis qui credit in ipsum.* Ambros. lib. 1. de Pœnitentia cap. 10. *Cùm omnis dicitur, nullus excluditur, nullus excipitur. Non enim excipit eum, qui lapsus est si tamen postea benè credat.* Omnis *(inquit) hoc est ex quocumque statu, ex quocumque lapsu si credat, perire non timeat.* Nimirū pœnitentia ab innocentia non it: est enim Dei marsupiū à quo deperdita instaurantur. vers. 3. lect. 6. 7. & 8.

IN FESTO S. IOANNIS ante portam Latinam.

Pete à Feria 4. Dominic. 2. Quadragesima.

IN

IN FESTO S. BARNABÆ APOSTOLI.

1 MAthæi 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Augustinus serm. 119. de diuersis: *Qualis ergo ista ratio erat? quale consilium? qualis potestas? nec lupum ad oues admittere, sed in lupos oues mittere.* Mitto (inquit) vos sicut oues in medio luporum, *non ad limites luporum, sed in medio luporum, erat ergo luporum agmen, oues pauca.* Occurrit verò Chrysostomus sermone de Pentecoste: *Timorem illorum vno sermone abstulit.* Ecce (inquit) ego mitto vos: *Infirmi vos, sed qui mittit potens est. Qui es tu? Ego sum qui cælum extendi, qui terram fundaui, qui mare infrenaui, qui mortem dissolui, &c. O virtus mittentis in medio luporum oues, in circuitu lupi, & mutati sunt lupi, & facti sunt oues.* Ergo Dei timor vnicum est aduersus omnia discrimina munimentum. lib. 5. adn. 9.

2 *Estote ergo prudentes sicut serpentes.* Preme illatiuam ergo, quæ hunc sensum necessariò efficit. Quia vos nudos, & inermes sicut oues in medio luporum mitto, magna vobis prudentia necessaria est: sed quis, inquis, homine in tantum discrimen coniecto prudentiæ locus esse possit? Fuerit quidem id summæ prudentiæ, discrimini pro Deo suscepto bærere, ipsoque muniri, quin humana præsidia quæras: Vnde signatè subiicit Dominus, *Et simplices sicut columbæ*: ad quæ verba Hieron. adductis Oseæ verbis cap. 7. *Ephraim quasi columba seducta.* opportunè ait: *Pulchrè columba seducta, siue insipiens appellatur, quia est columba & sapiens, quæ dicit in Psalmo.* Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? &c. *Ephraim autem columba insipiens, & non habens cor, in tantum bruta mente ostenditur, vt Aegyptum inuocans ad Assyrios perrexerit. Qui enim deprecatus Aegyptiorum auxilium est, ab Assyriis captiuus abducitur.* lib. 5 adnotat. 11.

3 *Estote ergo prudentes sicut serpentes.* Basil. in reg. breu. interrog. 245. *Quid est prudentes sicut serpentes? Prudens quidem vt serpens, is est, qui in doctrina tradenda ita se moderatur, vt adhibita circumspectione, consideratioueq; qua ratione id fieri, & facilè fieri possit.* Vt (quod adnotauit Epiphanius hæres. 37.) quemadmodum serpens cùm ad aquam accedit, venenum deponit, ita admonitor fel, & amaritudinem relinquat, & blandimento orationis vtatur. lib. 5 adnot. 20.

4 *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ab spiritu enim potiùs quàm à sapientia sermonis robur, & efficacitas aduenit. lib. 5. adnot. 4.

IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ.

1 PRo Salutatione. Luc. 1. *Quis putas puer iste erit?* Respondet Dominus: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*: sed quæ tantæ huius celsitudinis caussa? *Etenim manus Domini erat cum illo.* Quid verò per manum Dei opportunius intelligas, quàm Dei Matrem, per quam ipse omnia nobis dona sua impertitur: ergo quia cum Ioanne erat Dei Mater, Ioannesque Mariæ tanquam omnium gratiarum fonti proximior, nullus illo inter natos mulierum altius surrexit. Audi Vverricum serm. 1. in Natiuitat. Ioan. Baptist. *Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ viuæ, & fons vitæ, & gratiæ oriebatur de medio Paradisi ad irriganda ligna Paradisi. Proxima erat fonti cedrus ista nobilis, Ioannem loquor consobrinum & amicum sponsi, præcursorem Baptistam, & Martyrem Domini: ideoq; nimirum vberius irrigata in tantum excreuit, vt inter natos mulierum nihil illo sublimius posset inueniri.* A qua cogitatione nec hæc Bernardi abit sermone de hoc festo: *Verè ardens, & vehementer accensus quem sic præoccupauit flamma cælestis, vt iam Christi sentiret aduentum, qui necdum sentire poterat, vel seipsum. Nimirum nouus ille ignis, qui recens illapsus è cælo per os Gabrielis in aurem intrauerat Virginis, per Matris etiam aurem introiuit ad paruulum, vt ab ea hora sanctificationis sue Spiritu sancto impleret, & lucernam Christo Domino pararet.* Ergo à Maria gratia apud Deum, & ad Deum aditus. lib. 2. adnot 6. n. 2.

Velasquez in Psal. centesimum.

2 *Magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa.* Magnifica, & superfluens erga Ioannem misericordia, quæ ipsum terrenis omnibus superiorem fecit. Opportunè August. ser. 21. de Sanctis: *Videtis quemadmodum Ioannes antè peruenit ad cælum, quàm tangeret terram, antè accepit diuinum spiritum quàm humanum, antè suscepit diuina munera, quàm humana corporis membra, antè cæpit viuere Deo, quàm sibi?* Videmus quidem: immò videmus ideò diuinum accepisse spiritum quòd humanum non acceperit, ideoque Deo viuere cœpisse, quod sibi non vixerit: temporalia quippe spiritualibus aditum obstruunt. lib. 2. adnotat 3. Quibus adde Cyrill. Hierosol. catech. 3. *Corporis oculis nihil videns spiritu Dominum cognouit.*

3 *Vocabitur Ioannes.* Chrysost. in Catena Græca: *Ioannes Dei gratia interpretatur. Quandoquidem ergo Elizabeth ex diuina gratia non à natura puerum acceperit, id quod natum est, non naturæ, sed Deo attribuitur, ac memoria beneficij tanquam in ærea columna pueri denominatione in posterum stabilitur.* Vt non magis corpore quàm gratitudine cresceret, & vnicum sibi scopum Dei gloriam præfigeret. vers. 1. lect. 8.

4 *Apertum est autem illico os eius.* Ergo à muto vox concepta est? ita quidem, vt opportunus sermo à censura silentij nascatur. lib. 2. adnot. 19. præsertim n. 6.

5 *Quis putas puer iste erit?* Respondet: *Hic erit magnus coram Domino.* Quare? *Quia multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum.* Lucæ 1. vers. 17. Non ad se, sed ad Deum, quòd vt eximiis virtutibus eos ad se conuerterit, adeò vt putauerint ipsum esse Christum, diuinosque ei honores detulerint: at ipse totam à se gloriam remouere, & in Deum transferre satagebat. lib. 5. adnotat. 17. n. 5.

6 *Quis putas puer iste erit?* Vt dixerint cum Vverrico serm. 4. in Natiuit. S. Ioann. *Columna cæli, gloria generis humani, miraculum mundi.* Vbi non possis non mirari, à montanis, hoc est ab æqualibus Ioannis iam egregias eius laudes proferri, cùm inuidia inter æquales maximè vigeat. lib. 5. adnot. 8. At enim vel à Ioannis nomine quod gratiam significat, iam tunc præsagiebant, Ioannem eum omnino futurum, qui Dei gratiâ non vni sibi vellet, sed in omnes fores deriuaturus, quippe is Ioannes fuit, per quem omnes crederent in Deum. lib. 5. adnot. 26.

7 *Quis putas puer iste erit?* Quis? ipsamet Dei vox, eius verbo, atque sapientia instructus, ac proinde omni virtutum genere vndequaque cumulatus. Vide Ioannis laudes. vers. 2. lect. 5. num. 1.

8 *Et Zacharias pater eius repletus Spiritu sancto.* Optimè Beda: *Quanta superni muneris est largitas, si prompta ad accipiendum nostra fidei sit pietas. Ecce loquela, quæ sola est ablata diffidenti, cum spiritu prophetiæ est restituta credenti.* Ea quippe est pœnitentiæ vis, vt vberiores sæpè fructus, quàm innocentia ferat, & Dei gratiam cum vsuris restituat. vers. 3. lect. 7. n. 1. & lect. 8. n. 1.

IN FESTO S. PETRI APOSTOLI.

1 GVerricus Abbas ser. 2 in Natali SS. Apostolorũ Petri, & Pauli: *Ecce repente Spiritu misso de cælo tanquam lacte de propriis Christi vberibus effuso, Petrus impletus est lacte primò, nec multo post de Saulo fit Paulus, Prædicator de persecutore, mater de tortore, nutrix de carnifice, vt planè intelligeres totum eius sanguinem*

mutatum in lactis dulcedinem, sæuitiam in pietatem. His igitur vberibus geminis pectori suo affixis gloriatur Ecclesia, non modò matrem se esse fœcundam, sed & ciuitatem munitam, ego inquit murus, & vbera mea turris: mille clypei pendent ex turribus istis, omnis armatura fortium. Hæc ille. Bonos planè Principes, qui acceptam à Domino lactis dulcedinem non sibiipsis seruauerunt, sed in suos transtulerunt. lib. 5 adnot. 26. n. 1. & seqq. Bonos Principes, qui non sibi, sed suis, & vixerunt, & mortui sunt, ad ipsorum videlicet vtilitatem cuncta moliti. lib. 3. adnot. 15. Bonos Principes, quibus Ecclesia munita, securaque consistit. Vers. 6. lect. 2.

2 *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Optimus Princeps siue Prælatus, cui bona fama, & prospera sui memoria curæ est. lib. 1. adnotat. 16.

3 *Alij Heliam.* Importunè: non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum: à Clementia non à seueritate regni felicitatem auspicatus. lib. 4. adnotat. 8.

4 *Tu es Christus Filius Dei viui.* Egregia planè confessio, qua Christum Deum profitetur viuum, ad præsentissimum suis auxilium opemque ferendam. Vnde notanter subtexit Dominus. *Caro & sanguis non reuelauit tibi*, nimirum caro, & sanguis, Deum non sibi viuum fingit, vt præsentem opem in discrimine ferat, sed mauult terrenis auxiliis fidere. lib. 5. adn. 10. n. 5. 6.

5 *Et ideò dico tibi, &c.* Obserua Dominum modò ob egregiam Petri confessionem supremam ei potestatem polliceri: cùm tamen postea dum ei illam reipse tradidit, dilectionis potiùs meminerit: Ioan. 21. Fueritne idem Christum Deum cognouisse, ac homines amasse? Ita planè: nā qui Deum vidit sine cognouit, non potest homines, qui in eius facie sunt, quosque ipse in oculis fert, non diligere. lib. 5. adnot. 25. num. 1.

6 *Et super hanc petram.* Scitè Augustinus tractatu 124. in Ioannem, hæc de Petro, & Ioanne habet. *Illud in his duobus Apostolis Petro, & Ioanne dubitatur, cur Ioannem plus dilexerit Dominus, cùm ipsum Dominum plus dilexerit Petrus: cùm enim Ioannes se discipulum, quem diligebat Iesus nominet, proculdubio non mendaciter se præ cæteris Apostolis dilectum ait, &c. Quod autem Petrus Dominum plus aliis Apostolis dilexerit, illa verba manifestant, quæ ipsi dixit. Interrogatus enim, Petre diligis me plus his? Respondit* etiam Domine, tu scis, quia amo te: *Plus his, intelligendum est. Tamen si quæramus quis eorum fuerit melior, quis dubitauit eum qui plus diligit esse meliorem? Sed tamen quantum ipse sapio, meliorem qui plus diligit Christum, feliciorem verò quem plus diligit Christus.* Vt videris quàm opportunè, quàm firmiter super petram, id est, super robur confessionis Petri, honoris culmen, apexque fundetur: quin Ioanni siue quà dilecto, siue quà felici, siue quà consanguineo Ecclesiæ gubernatio committatur. Quòd munera nonnisi meliori, & præstantiori deferenda sint, non ad beneficium, sed ad iudicium. lib. 4. adnotat. 13 & lib. 5. adnot. 4. num. 6.

7 *Tibi dabo claues.* Quare non dixit, *tibi do*, sed in futurū *dabo*? Quia *quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*: nec alio ductore egeo. Vt inde moneantur Principes, atque Prælati tum dominationis vim penes se retinere. lib. 5 adnot. 22. n. 1. præsertim n. 5. Tum etiā gubernationi per seipsos immediatè incumbere. lib. 3. adnot. 7. num. 1.

8 *Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & in cælis.* Opportuna imagine clauis, qua facilè quod clausum est reseratur, & sine qua nihil cōmodè fit, ostendit Dominus facilem, felicemque munerum administrationem à meritis per quæ illa obtinentur, dependere. lib. 1. adnot. 12.

IN FESTO VISITATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

1 LVcæ 1. *Exurgens Maria abiit in montana.* Pulchrè Ambros. *Quò enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione conscenderet?* Diffundit hæc Bernard. serm. in Natiuit. Mariæ. *Maria montana conscendit, quia iustitia eius sicut montes Dei. Dixit Angelus Mariæ:* Spiritus sanctus superueniet in te, *non ego. Ne steteris vel inter Angelos Virgo sancta, sublimius aliquid tuo sibi ministerio propinandum terra sitiens præstolatur.* Vt diceret, quæ Dei Mater electa est, non debet Angelica sanctitate esse contenta, sed diuinam æmulari, cùm pro muneris fastigio aptari merita necesse sit. lib. 1. adnot. 5.

2 *Cum festinatione.* S. Bonauent. in speculo B. Virginis lect. 4. *Quid eam ad officium charitatis festinare cogebat, nisi charitas, quæ in corde eius feruebat?* Quippe ea, quæ omnium Domina, & Regina facta est non poterat non ex Principatus natura, & lege subditos suos ardenti amore prosequi. lib. 3. adnot. 18.

3 *Cum festinatione.* Ambros. *Mariam autem, quæ antè sola in intimis penetralibus versabatur, non à publico virginitatis pudor, non à studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit.* Decet enim Principem agere, & pati fortia pro suis. lib. 3. adnot. 31.

4 *Et salutauit Elisabeth.* Ambros. iterum. *Nec solùm venit, sed & prior salutauit.* Nimirum Maria quò maior, eò affabilior, & humanior. lib. 2. adnotat. 17.

5 *Et salutauit Elisabeth* Ioannes Geometra in Catena in Lucam. *Oportebat enim non Dominum solùm, sed & eius Matrem modestia sua in omnibus præmia referre, atque hoc ipso primarium obtinere, quòd secundarium vbiq; quæreret, quin & omnibus, vti & ipse, exemplo esset modestiæ, ac summissionis.* Obserua illa, *quòd secundarium vbiq; quæreret*: quòd ab humilitate ingens celsitudinis fastigium aduenit. lib. 2. adnot. 15.

6 *Vnde hoc mihi, &c.* Præclara ingenij indoles, dum quispiam siue cum Deo, siue cum Principe sic agit, vt quò plus emeruerit, hoc præsumat minus. l. 5. adn. 12.

7 *Vnde hoc mihi &c.* Origenes homil. 7. in Lucam. *Non ignorans dicit, & maximè Spiritu sancto plena, sed isto sensu loquitur. Quid boni feci? Quæ opera mea tanta sunt, vt mater Domini ad me veniat?* Nimirum perfectis viris solemne est opera sua quò maiora, & splendidiora sunt, minus agnoscere. lib. 5. adnot. 14. n. 11. & seqq.

8 *Exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Beda. *Eius Spiritus in Deo salutari suo exultat, quem nihil in terris libet.* Nimirum animus terrenis addictus cælestia non capit. lib. 2. adnot. 3.

9 *In Deo salutari meo.* Quare signatè in Deo salutari exultet Maria? Beda in ibi iure in Iesu, id est, Saluatore suo speciali præ cæteris sanctis gaudio exultare potuisse dicit, quòd perpetuum salutis auctorem esse optimè nosset: quippe quæ collatam sibi gratiam in omnium profectus deriuare studebat. lib. 5. adnot. 26.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Quære Feria 5. post Domin. Passionis.

IN FESTO S. IACOBI MAIORIS.

Quære feria 4. post Domin. 2. Quadrag.

IN FESTO S. ANNÆ, MATRIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Vide in festo S. Ioannis Baptistæ. num. 3.

IN FESTO S. P. N. IGNATII.

1 LVcæ 12. *Sint lumbi vestri præcincti.* Tertull. *Ab impedimentis lasciuiosa vita, & implicita.* August. *Propter continentiam ab amore rerum sæcularium.* Vers. 2. lect. 5. n. 4.

Sed

Sed vt noueris, quàm præcinctam ab amore sæculi mentem haberet Ignatius, scito illum affirmare solitum ipsammet beatitudinem, si in manibus daretur, indubitanter pro Dei gloria, & animarum salute forte dimissurum, etiamsi denuo vitæ huius militiæ, atque discrimini maneret obnoxius. Dum verò ei à quopiam obiiceretur: & quæ hæc sapientia fuerit certa pro incertis commutare, sapienter respondebat: Quid securius quàm pro Deo periculum subire? lib. 3. adnot. 10. & 11.

2 *Lumbi præcincti.* Non solùm de terrenarum rerum amore hæc acceperis, sed de spiritualium donorum consolatione & gaudio, quam Ignatius pro suorum gaudio, & consolatione cohibebat: quippe cùm ipsi lachrymæ, quas Dei memoria indesinenter excuriebat suauissimus panis, & refectio essent, vt faciem tamen suam subditis hilarem, & amœnam exhiberet, eas nec sine labore cohibebat adinstar Dauidis *in gemitu meo laboraui.* lib. 2. adnot. 18. n. 4. Adeò ipsi antiquum erat, ad subditorum vtilitatem cuncta mollire. lib. 3. adnot. 12.

3 *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Si attendis, non simplicem cuique lucernam assignat Dominus, sed duplicem, vt non in vna tantùm manu, sed in vtraque lucernam habeat: sed quare? nonne illi mulieri quæ drachmam perdiderat singularis lucerna satis fuit, vt eam inueniret? Lucæ 15. 8. Quid ergo plures in manibus lucernas habere modò opus fuit? Planè quòd de Doctorum, & Principum vita, & munere agatur: quippe qui non pro se tantùm, sed pro subditis exactissimam sunt rationem reddituri, duplicatis lucernis opus habent. Sic id expendente Petro Blesens. serm. 40. in Synodo. *Non sine causa dictum reor. Lucernæ ardentes in manibus vestris: subdito sufficit lucerna in manu, quia pro se tantùm redditurus est rationem iudici cuncta cernenti: Prælatis non sufficit, nisi in vtraque manu ferant.* lib. 3. adn. 11. Quoniam dixeris lucernas habuisse Ignatium in manibus, qui tam sedulam operã propriæ perfectioni, & subditorum saluti nauabat.

4 *Et lucernæ ardentes.* Benè quidem *ardentes*, quæ non modò luceant, & fulgorem emittant, sed ardeant, incendant, & adurant omnes quidem generaliter homines, eos verò signatè, qui manum admouent, vt flammam extinguant. Ita quidem cælorum regnum, hoc est, Euangelicos prædicatores cum grano sinapis Dominus componebat, qui eos, qui frangere vellent, adurerent, sic id expendente Paulino epist. 6. *Memento. granum sinapis, de quo semine sumus, si conteratur, accendi magis, & tunc demùm in vim suam excitari. Quamobrem debemus quasi natura nostra in hoc respondere, vt aduersis sermonibus contriti, inardescamus ad fidem, & eos ipsos, qui nos, vt minimos hominum, quasi granum sinapis, quod minimum est, frangere conantur, vramus.* Quod planè mirè præstitisse Ignatium videris, qui multo quidem fortiùs, multò ardentiùs quàm ille qui apud Themistium orat. 9. comminanti *te arripiens occidero,* sic contra comminabatur *te arripiens amicum fecero,* cuidam furiosè insultanti comminaturum se, vt tam Ignatius, quàm quotquot eius socij in Hispania essent, comburerentur, respondit, vice versa ipsum enixiùs à Deo postulaturum, vt tam ipse quàm quotquot ipsius propinqui forent diuini amoris incendio æstuarent. lib. 4 adnot 55. n. 6.

5 *Et vos similes hominibus.* Preme dicendi modum, *& vos, &c.* emphasim enim habet, vt occurrat ei qui poterat ambigere, quomodo homines *similes hominibus* opportunè dicantur? Nimirum id *vos* eadem ratione efferendum est ac Matth. 16. 15. *Vos autem* vbi Hieronym. *prudens lector attende, quod ex consequentibus textuq; sermonis Apostoli nequaquam homines, sed dij appellantur.* Iam dij hominibus similes omnimodam vim &

P. Velasquez in Psal. centesimum.

efficacitatem ad permouendos hominum animos habere videntur: quasi plus sit Deus homini similis, quàm homo Deus factus, vel vide Moysen factum Deum Pharaonis, mira & diuina signa facientem, qui in ipsum ad bonam frugem conuertere potuerit, vide Dei Filium hominem factũ homines ad se pertrahentem. Tantùm quippe valet ad alliciendos homines humanitas, & affabilitas. lib. 2. adnot. 17. num. vlt. siue diuinus Spiritus ad humanitatis leges compositus. lib. 4. adnot. 8. num. 3.

6 *Præcinget se, & transiens ministrabit illis.* Suos videlicet Deus in cælesti gloria æternùm beaturus, necnon apud nos etiam immortalem illis famam, & honorem redditurus. Vbi Ignatio omnino aptauerit quæ de Moysis facie diuinæ lucis radios vibrante sic inquit Procopius in c. 23. Isaiæ. *Et Moysis vultus ideò gloriam consecutus est, quòd Moyses Deum gloria dignè nouerat afficere.* Planè quasi eam gloriam, quam Moyses sibi dempsit, & in Dei faciem transmisit (nam ad Dei gloriam ille cuncta dirigebat) Deus quidem libenter sibi acceperit, & faciei suæ adhærere voluerit, vt illam ex humana cælestem iam & diuinam factam in eundem Moysem denuo refunderet, quò ipse Dei instar gloriosiùs fulgeret. Nimirum Ignatius adeò Dei gloriam dilexit, & ad eam cuncta retulit, vt vel ipsummet suum nomen familiæ suæ dempserit, ne Ignatij Religio, sed Societas Iesu, cui ipsa & sub quo ipsa militaret, omnino diceretur: Deus verò vt pulcherrimam ipsi talionem rependeret Ignatij nomen tot prodigijs, & miraculis celebre reddiderit, vt Dei nomini adsimile esse videatur. Vide lib. 5. adnot. 57.

IN TRANSFIGVRATIONE DOMINI.

Pete à Dominica 2. Quadragesimæ.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

1 LVcæ 10. *Maria optimam partem elegit.* Nunquam humanior, nunquam affabilior Maria, quàm die hodierna, cùm super choros Angelorum eleuata, immensæ gloriæ diademate coronatur. *Veni* (inquit) *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon:* Cant. 4. hoc est inquit ibi Rupert. *Coronaberis Virgo, vt in cælis Regina Sanctorum, & in terris Regina sis regnorum: prædicabitur de te quòd sis Mater Christi, ac proinde Regina cælorum totum iure possidens Filij Regnum.* Sed cur hodie humanior, quæ hodie gloriosior est? Planè quòd huius diadematis, & excelsitatis corona, ipsa affabilitas, & humanitas sit, vnde cælestis Regina, & ab excelsitate humanior, & ab humanitate excelsior redditur. lib. 2. adnotat. 17.

2 *Sollicita es, & turbaris.* En distortæ cogitationis, & ratiocinationis causam, nimiam sollicitudinem, & turbationem. Hinc enim mentis caligo, & cæcitas aduenit. Redde animo tranquillitatem, & res clarè & veluti de facie cognosces. lib. 2. adnot. 8. n. 4.

3 *Maria optimam partem elegit.* Quam partem? pedes scilicet Domini, vt eius thronus fieret: sic enim ei dicitur: *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum.* Quid verò Dei thronus sit, quidue significet? sic omnino aperit Paulus Hebr. 4. 16. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius.* Ad beneficentiam scilicet, atque benignitatem Dei thronum reuocans, quod de Deipara sic accepit Albert. Magnus serm. in dedicatione Ecclesiæ. *Thronus gratiæ est B. Virgo Maria,* Lucæ 1. Aue Maria gratia plena. *Vnde Apostolus,* Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius *scilicet Maria quæ est thronus Salomonis eburneus.* En ergo quid Maria elegerit, quidque sit promerita, nẽpe diuinæ in homines Clementiæ, atque benignitatis sedem, thronumque fieri, vt miseris hominibus omni modo opem ferat, atque succurrat. Bene Vuericus serm. 1. de Assumptione

Mariæ. *Non poterat signantius, aut elegantius describi prærogatiua gloriæ eius, quàm vt thronus Dei regnantis ipsa diceretur.* Nihil enim ad gloriam maius, siue diuinius quã mortali iuuare mortalem. lib. 3. adnot. 16.

4 *Optimam partem elegit.* Thronumne Dei esse? an regium ipsam thronum habere? Sanè alterum ab altero, nec hilum dissidet: nam quà Regina thronum habet, thronus etiam Dei à benignitate fit: ita sapiens Idiota in prologo de V. Maria inquiens. *Beatissima Virgo Maria sicut est omnium Regina, sic & omnium patrona, & aduocata; & cura est illi de omnibus. Longè enim positos illuminat radiis misericordiæ suæ: sibi propinquos per specialem deuotionem consolationis suauitate, præsentes sibi in patria excellentia gloriæ. Et sic non est qui se abscondat à calore eius, id est, à charitate, & dilectione ipsius.* En regium characterem beneficentiam. lib. 3. adnot. 14.

5 *Optimam partem elegit.* Immensam virtutum gratiam, immensam gloriæ coronam. Vnamne an duplicatam? Nam & de illa coronanda lego: *Veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Cant. 4. & de ipsamet coronata audio. *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Apocalyp. 12. sed si sapis, in vnam eamdemque coronam vtraque concurrunt, dum feris illis, id est, peccatoribus, qui precibus, & meritis Virginis stellæ micantes sunt redditi, ipsa dignissimè coronatur: ita obseruante Richardo à S. Laurentio lib. 3. de Laud. Virg. *De cubilibus leonum, & montibus pardorum dicitur coronari, & nota quod Apoc. 12. dicitur Maria coronari de stellis, & quid est hoc, nisi quòd feræ per gratiam, & orationes Mariæ sunt stellæ, vt conueniant capiti tantæ Reginæ.* Pulchrè, quòd nulla Regio capiti conuenientior, & opportunior corona sit, quàm salutem, & vitam dedisse. lib. 3. adnot. 12. num. 3.

6 *Quæ non auferetur ab ea.* Disce quàm firmo fundamento tua innitatur salus, qui Deiparæ seruus es: ipsa enim cùm *optimam partem* elegit, immensam gloriam suam promerita est: cùm optimam partem accipit, & Dei thronus fit, suam in eo gloriam ponit quod hominum Deus misereatur, eisque dona conferat sua: ergo cùm Deus Mariæ optimam partem promesitæ, optimam gloriæ partem non possit non reddere, eadem penè ratione ductus non poterit, non misereri seruorum Mariæ, pro quibus ipsa indesinenter obsecrat: ergo vt Dominum teneas, tene Mariam. lib. 2. adnotat. 6.

IN DECOLLATIONE S. IOAN. BAPTISTÆ.

1 NOn *licet tibi.* August. serm. 36. de Sanctis. *Ioannes impietatem Regis Herodis publica auctoritate condemnans, propter iustitiam perdidit vitam, sed lucratus est gloriã, & nos interdum pro gratia hominum, vel timore offensionum preferimus adulationem, & vendimus veritatem.* Quare? Quia ad Principum gratiam, & ad terrena bona ambitiosè inhiamus. lib. 5. adnot. 19. num. 1.

2 *Non licet tibi, &c.* Quàm opportunè à Ioanne hæc vox profertur, ob quam capite truncandus est, quippe ipsum Bernard. & alij PP. *Lilium castitatis* vocant, & de lilio quidem ait Plinius, *languido collo est:* planè quasi ipse ob castitatis decorum collum suum gladio subiectum semper gestaret. Quàm opportunè etiam Regi ingerebatur: vt diceret Ioannes *tibi*, qui Rex es minimè licet turpitudo, quæ à Principibus est alienissima. lib. 2. adnot. 10.

3 *Herodes natalis sui cœnam fecit.* Hieronym. *Nullum alium inuenimus obseruasse diem natalis sui nisi Herodem, & Pharaonem, vt quorum erat par impietas, esset & vna solennitas.* Certè vt illos minimè dolebat natos fuisse, ita natalem suum ob oculos habere, & sese semper orientes cogitare volebant. Quanto opportuniùs mortẽ, & mortalitatem suam sibi ob oculos obiecissent? Ita Beda in Marc. *Ex vtroque tamen exemplo* (Pharaonis, & Herodis) *colligitur, vtilius esse nobis diem mortis futuræ temendo, & castè agendo in memoriam reuocare, quàm diem natiuitatis luxuriando celebrare.* Vide lib. 2. adnot. 1. n. 2.

4 *Placuit Herodi.* Malus planè Rex, cui malum, & indecorum placet. Pulchrè Theophyl. ad cap. 14. Matth. *Regina saltat, & quanto pulchriùs saltauit, tantò peius. Turpe enim est Reginam aliquid indecorum dextrè facere.* Sed enim hæc noxiorum affectuum tyrannis est, vt magnos etiam Reges sibi subiiciant, & seruilem in modũ hac illac seruiliter circũferãt. lib. 2. adn. 7. n. 4.

5 *Licet dimidium regni mei.* Ambros. lib. 3. de Virginibus. *Vide quemadmodum sæculares ipsi de sæcularibus suis iudicent potestatibus, vt pro saltatione etiam regna donentur.* Vt dixerit, condignum fuit pretium saltationis, inanisque pedum concentus regnum, quod ab inani vento non it. lib. 2. adnot. 3.

6 *Da mihi in disco caput Ioannis.* Nonne vtilius tibi fuisset oblatum tibi Regnum petere? Fulgentius ser. 7. *O nequitia fœminæ! Elegit contemnere honorem, vt lucrum faceret sanguinem. Verè, quia non cogitat de imperio cui charior est turpitudo.* Nimirum hæc mentem à negotio abducit. lib. 2. adnot. 11.

7 *Propter iuramentum.* Hieronym. *Dissimulat mentis suæ malitiam artifex homicida, cùm tristitiam in facie, lætitiam haberet in mente: scelus excusat iuramento, vt sub occasione pietatis impius fieret.* Solemne quidem id malis Principibus est, vt iusta nõ iustè, sed praua intentione faciant. lib. 5. adnot. 18. n. 2. & Vers. 4. lect. 2. n. 3.

8 *Noluit eam contristare, sed misso speculatore præcepit afferri caput eius.* Quid iuri, & lætitiæ puellæ? Quid supplicio, & postulationi meretricis? Hieronym. ad cap. 14. Matthæi. *Legimus in Romana historia Flaminium Ducem Romanum, quòd accumbenti iuxta meretriculam, quæ nunquam se vidisse diceret hominem decollatum, assensus sit, vt reus quidam capitalis criminis in conuiuio truncaretur, à censoribus pulsum curia, quòd epulas sanguini miscuerit, & mortem quamuis noxij hominis in alterius delicias præstiterit. Quanto scelerattior Herodes?* Qui videlicet in ferenda mortis sententia, potestate, non iure vsus ad dominationis vim se conuertit. lib. 4. adnotat. 4.

9 *Præcepit afferri caput eius.* Quo crimine id Ioannes meruit? Quæve hæc iudicandi ratio fuerit? Non opinor miraberis, si attendis nouum Herodis tribunal, in quo mensa, ebrietas, & tripudium iudicarunt. Habes lib. 2. adnot. 11. n. 2.

IN NATIVITATE B. MARIÆ VIRGINIS.

1 MAtth. 1. *De qua natus est Iesus.* Meritò à Doctoribus hac in die disquiritur: cur orturi Virginis hæc ab Ecclesia verba aptentur, quibus ipsa non nasci, sed mater Dei esse dicitur? Respondet verò opportunè S. Petrus Damianus serm. 46. qui est de Natiuitate Virginis. *In humano genere ille nobilis dicitur, qui claris maiorum titulis insignitur. Beata verò Maria licet sit de generosa Patrum stirpe progenita, ab eo tamen trahit excellentissimæ humilitatis genus, qui de illa est nouo nascendi genere procreatus, & per clarissimam sobolem omnem humani generis excedit nobilitatem.* Ergo signatè nascenti Virgini non maiores terreni, sed ille cælestis, cuius ipsa Mater futura erat proponitur, vt eius tantũ imitaretur exẽpla, qui diuinitate ipsi præcelleret. lib. 3. adn. 5.

2 *De qua natus est Iesus.* August. lib. 16. contra Faustum cap. 7. *Cur autem carnem ex vtero fœminæ assumere volueris? Quod vtrumque sexum hoc modo honorandum iudicaueris assumendo formam viri, & nascendo de fœmina.* Adeò videlicet amat Deus omnibus omnino sine personarum acceptione beneficia conferre. lib. 4. adnot. 14.

3 *Virum*

Google

3 *Virum Mariæ de qua natus est Iesus.* Eu nomen rei omnino conueniens, quippe MARIA apud Ambros. lib de instr. Virg. cap. 5. interpretatur *Deus ex genere meo*: ipsa quippe si appelletur forma Dei, digna eius fuit, cùm lineamenta ab ipsa collectis Dei Filius tum in eius vtero homo factus, tum filius Altissimi vocatus sit. Vide lib. 1. adnot. 20. n. 3. & lib. 3. adn. 16. n. 3.

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI.

1 MAtth. 9. *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine.* Bene obseruat Chrysost. in Catena Græca in Luc. diuinæ vocationis opportunitatem, dum ait. *Quamobrem autem non cum Petro, & Ioanne vocabat hunc Christus? Certè quemadmodum tunc illos vocabat quando sciebat, hoc illis persuadendum, sic & Matthæum tunc vocabat, quando credebat eum secuturum.* Sed quæ hæc opportunitas fuerit, cùm Matthæus in pecunias, à quibus eius animus occupatus erat, oculos habebat intentos? Nonne opportunius eum Dominus vocasset, cùm procul à re amata fuisset. Minimè quidem, quòd ad ipsum ab auaritiæ luctu diuellendū, nihil fuerit commodius, quàm pecunias adstantes habere, vt diuina luce eius oculos illustrante, illarum sordes, & vilitatem cognosceret. *Generosus animus,* inquit Chrysolog. serm. 29. *qui sic ea, quæ magna putarat, facilè, & quasi nulla, contempsit. Apparet, illum per ignorantiam lu. ra antè præsentia conquisisse.* Pulchrè *per ignorantiam*, quippe solus is, qui aut sui magnitudinem, aut luctorum sordes, & paruitatem ignorat, pecunias conquirit. lib. 2. adnot. 22. n. 3.

2 *Vidit Iesus, &c.* Chrysostom. homil. in Psalm. 68. *Quando respicit Deus, fugiunt peccata, extinguuntur delectationes, liquefiunt omnia mala collecta desideria, tantùm vt respiciat claritas, statim fugit peccatorum iniquitas.* Ad quē modum Ambros. lib. 10. in Lucam. *Quos Iesus respicit, plorant delictum. Negauit primò Petrus, & non fleuit quia non respexerat Dominus, negauit secundò, & non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus, negauit & tertiò; respexit Iesus, & ille amarissimè fleuit.* Tanti planè refert, Principis oculos in negotiorum expeditionem esse intentos. lib. 3. adnotat. 8.

3 *Vidit Iesus hominem.* Opportunè Paschasius ibi. *Hominem ait, & non Matthæum, quia Matthæus donatus interpretatur: ideò nondum Matthæum vidit, sed hominem Matthæum tantùm nomine, necdum gratia. Profectò quia cælestia relinquens nonnisi terrenis lucris inhiabat. Hoc igitur vidit quod eripuit.* Vides vt terrena cælestibus donis aditum obstruant. lib. 2. adnot. 3.

4 *Sedentem in telonio.* Paschasius indidem. *Ex quo manifestum est, in domo tributaria eum resedisse, vbi lucra, tributa, vel vectigalia exigebantur.* Vbi meritò ambigas; qua ratione, Dominus vna ea parte legitima tributa probauerit: imò verò illa ipsamet ea statere inuento in ore piscis, qui inter omnia animantia mutus nullum oris sonum edit, signatè persoluerit, vt admoneret, tributa Principibus silenter, sine vlla querimoniæ voce fore pendenda: ea alia verò ipsum tributorum exactorem à telonio, tanquàm ab officina iniquitatis (vt inquit Cyrillus in Catena Græca) abstraxerit, & ad se reduxerit? Sed ad manum est responsio ea Paschasio, bene quidem stare, iustissima hinc vectigalia, illinc verò telonarios iniustos, & raptores esse à quorum auaritia ipsa vectigalia grauiora reddantur. *Sedebat enim (ait Paschasius) vt magister rapinæ iuxta fornacem auaritiæ, & æstuabat concupiscentiarum caloribus. Nec stans vt vinceret, nec abiens vt euaderet, sed sedens vt princeps rapina ministrorum prædam diriperet.* Vide lib. 4. adnot. 16. n. 5.

5 *Sequere me.* Indidem Paschasius. *Non solùm incessu pedum, verùm imitatione perfecta vita. Quapropter non aliū ad imitandum quàm se proponit.* Opportunè: nam qui ad Apostolatus apicem vocabatur: non alia quàm perfectissima Domini exempla sibi imitanda proponere debebat. lib. 3. adnotat. 5.

6 *Ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, &c.* Theophylact. *Christus autem simul vescebatur cum eis, vt eis prodesset, tametsi propter hoc malè audiret.* Bonum Principem, atque Prælatum! qui potiores vtilitati publicæ partes quàm sibi ipsi defert. lib. 3. adnot. 13. num. 4.

7 *Discumbebant cum Iesu.* Paschasius. *Cæterum Dominus non propter epulas terrenæ victus ad conuiuia tam frequenter ibat, sed vt occasionem haberet præstandi gratiam. Hinc sanè quoties interfuisse legitur, aut ea, quæ docuit memorantur, aut quæ gessit.* Vt documento Principibus sit nonnisi rarò à suis aliquid accipere, & tunc quidem non tam sui causa, quam ipsorummet. lib. 2. ado. 22. n. 4.

IN FESTO SANCTI MICHAELIS.

1 MAtth. 18. *In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas maior est, &c.* Preme id *in illa hora* cum Chrysostomo homil. 59. in Matthæum. *Humanum quid passi discipuli sunt, quod Euangelista quoque significauit dicens: In illa hora, quando scilicet cæteris omnibus Petrum prætulit, &c. Quando tres illos præferri conspexerunt, nihil tale passi sunt, cum verò ad vnum delatus honor est, tunc nimirū doluerunt.* Quippe nihil æquè animum pungit, ac præstantior honor æquali delatus. lib. 5. adnot. 8.

2 *Aduocans Iesus paruulum statuit in medio eorum.* Hieronymus. *Certè paruulum statuit in medio eorum seipsum, qui non ministrari, sed ministrare venerat, vt eis humilitatis tribueret exemplum.* Indeque ille admoneret non aliter ipsos cælorum regnum ingredi posse: cùm ipse & paruulus, & ostium sit: nec per paruum & exiguum ostium aliter quàm capite demisso ingredi quis possit. lib. 2. adnot. 16. num. 7.

3 *Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste: hic est maior, &c.* Obserua accuratum dicendi modum: nec enim dixit Dominus, hic erit maior: sed *hic est maior*, quòd re ipsa humilitas regium quid, & excelsum sapiat, & ab ipsa egregium humili accedat ornamentum. lib. 2. adnotat. 14. & 15.

4 *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis expedit ei, vt suspendatur mola asinaria collo eius, & demergatur in profundum maris.* Ne aliis scandali, & ruinæ occasio sit: ergo à vitæ probitate, siue priuatæ, siue temporalis vita sæpius, aut extenditur, aut imminuitur. lib. 1. adnot. 18.

5 *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Quæ hæc fuerit consecutio? Ne contemnatis pusillos hos, qui in me credunt: quia Angeli eorum semper vident faciem Patris? Quid enim pusillis his, & Dei faciei commune fuerit? Sanè quòd iusti non alibi quàm in ipsa Dei facie tanquam in arce, & loco munito sint: dicente Vate: *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluum me facias.* Psal. 70. Ad quæ verba Augustin. scitè ait. *Nescio quis dicitur de montis vertice clamasse, cùm Imperator transiret: Non de te loquor. Respexisse ille dicitur, & dixisse: Nec ego de te. Contempserat Imperatorem cum insignibus, armis, exercitu, potestate. Vnde? de loco munito: si securum illum alta terra; quomodo tu non in eo, à quo factum est cælum & terra?* Vt videris quàm tutum atque securū sit Deo fidem præstare, ipsumque protectorem habere. lib. 5. adnot. 9. n. 1.

6 *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Rectè infertur, Angelos quòd Dei faciem videant ad custodiam hominum sollicitè fore adnotaturos. Quippe vident, Deum tam ardenter homines amare, vt eos in oculis ferat: vnde si semel viderint homines lædi, non

non poterunt, non præsto esse in auxilium ne lædatur pupilla oculi Dei. lib. 5. adnot. 25. n. 4.

7 *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Inde notantes Dei Sapiētia Angelos venerabiles facit, quòd id bonum sint adepti, quod æquè ipsis, ac hominibus propositum est: cùm homines, vt Angelis suppares meritis esse, ita non minus quàm ipsi diuina visione frui possunt: vt videris diuini omnino ingenij esse æqua lance omnibus benefacere. lib. 4. adnot. 14.

IN FESTO S. LVCÆ EVANGELISTÆ.

Quare in festo S. Marci Euangelistæ.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

1 MAtth. 5. *Aperiens os suum docebat eos dicens, Beati pauperes spiritu.* Tertul. lib. 2. contra Marc. cap. 13. *Hoc ipsum quod à benedictionibus cœpit, Creatoris est, qui vniuersa prout edidit nulla alia voce quàm benedictionibus dedicauit.* Eructauit *enim inquit* cor meum sermonem optimum. *Hic erit sermo optimus, benedictionibus, &c.* Planè vt inde Principes admoneantur: tum Beneficentiam proprium ipsorum characterem esse. lib. 5. adnot. 14. Tum etiam non nisi blandum, & mitem sermonem eos decere. lib. 2. adnot. 21.

2 *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Obserua promissionem: *ipsorum* (inquit) *est regnum*: & quomodo ipsorum sit regnum, in quo Deus Rex est, & cui soli debetur? Equidem vel hac omnino ratione quòd ipse, & verus Deus, & optimus Rex sit. Scitè siquidem Athanasius orat. aduersus gentes inde euincit Solem, & Lunam veros deos non esse, quòd alter ab altero obscuretur. *Quòd si dy essent* (inquit) *non conuenirent, illa à se mutuò superari & abscondi, sed vbiq; sibi mutuò adesse, & communes simul operationes absoluere; noctu, interdiuq; Solem, & Lunam simul vnà cum reliquo stellarum choro par lumen habere.* Bonus ergo Princeps subditos suos adeò non obscurat, vt peculiarem illis lucem, & splendorem reddat. lib. 3. adnot. 18.

3 *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, gloriosa scilicet de suis aduersariis relata victoria, pulchrè Ambrof. serm. 10. *Si enim te non læsit frater, obsequium meretur vt diligas. Quod si forsitan læsit, obsequium magis meretur, vt vincas.* lib. 4. adnot. 12.

4 *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Basil. homil. 4. de gratiarum actione. *Qui vltroneo mœrore se afficiunt ob peccata proximorum haudquaquam per id lætitiam exinaniunt suam; verum auctiorem eam, & cumulatiorem reddunt, vt qui perfrui merentur Domini sui gaudio ob lachrymas in gratiam fratris effusas.* Nimirum tunc maximè suum negotium quis agit, cùm non agit, vt publicum agat. lib. 3. adnotat. 13.

5 *Beati misericordes, &c.* Quomodo non beati? qui vt Dei imitatores, ita aliis maiores, & præstantiores sunt. Vers. 1. lect. 3. & 4.

6 *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Castitatis amatoribus Dei visio signatè promittitur. Quòd vt aditus in cælestem aulam immundis omnino clausus, ita iis, qui munditia maximè pollent peruius, & patens sit. lib. 2. adnot. 10. n. 8.

7 *Beati qui persecutionem patiuntur, &c.* Tertullian. præfato loco. *Quid ergo mirum est, si ab effectibus Creatoris ingressus est per huiusmodi dictionem semper mendicos, & pauperes, & humiles, ac viduas, & pupillos vsque diligentis, consolantis, afferentis, vindicantis, vt hanc Christi quasi priuatam benignitatem riuulum credas de fontibus Saluatoris.* Ergo vt Princeps Dei imago, & ab eius fonte riuulus sit, patrem orphanorum, & iudicem viduarum se exhibeat. lib. 4. adnot. 7.

IN PRÆSENTATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

1 QVadam mulier de turba dixit illi. Notanter *mulier de turba* ad confusionem Principum Sacerdotum, & Scribarum, qui egregio intellectu, & eximia scientia prædicti minimè sunt affecuti, quod mulier de turba cognouit, & professa est, sed quare? Num quòd hæc mente perspicacior, aut acutior fuisset? Minimè quidem, sed quòd animam affectibus vacuum ad audiendum afferret: nam vt in hoc verum statim splendet, ita à noxiis affectibus mens obtenebratur. lib. 2. adnot. 8. num. 5.

2 *Beatus venter, qui te portauit.* Sed quare, ô pia femina laudibus ipsummet Christum non extollis, sed eius Matrem? Sanè, vt ostendat, communem quidem cum Matre causam Filium habere: itidemque ad Filium nonnisi per Matrem perueniri. Ad eam ergò priùs confugit, vt per ipsam, inoffensò pede ad Filium accedat. lib. 2. adnot. 6. num. 2.

3 *Et vbera quæ suxisti.* Planè quasi ab illis doctrinæ suauitatem, & ingenij benignitatem traxerit; quippe Deipara Cant. 1. 2. dicebat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Vt dixerit qui priùs in lege vetere erat myrrhæ fasciculus, amara hominibus pro peccatis inferens supplicia, subinde dum inter vbera mea commoratus meum lac suxit, ab ipso suauis, & miris iam conspicitur, ita hæc capiente Richardo de S. Laurentio lib. 4. de laudibus Virg. his verbis. *Fasciculus fuit Christus in vetere lege, sed inter Maria vbera factus est dilectus ac suauis, & mitis; sicut enim sanguis in se horribilis, in vberibus efficitur lac, quod dulce est, & delectabile ad videndum, sic Filius qui in lege erat terribilis, inter vbera Mariæ factus est mitis.* Perplacet quidem Deo humanum hoc, ac mite ingenium, atque id ipsimet diuino videtur ille quodammodo anteferre, vt Principes, ac Magistratus ad humanitatem, & clementiam adhortetur. lib. 4. adnot. 8. n. 3.

4 *Quinimò beati qui audiunt Verbum Dei.* Quid est? *Quinimò.* Voluitne bonus Filius optimæ Matris laudes castigare? Minimè quidem, sed eas primùm clariores, & solidiores reddere: deinde non illi tantùm, sed omnibus indiscriminatim communes facere: etenim dum inquit: *Beati qui audiunt verbum Dei, &c.* cælestem vndequaque aditum, & ipsammet Matris Dei dignitatem omnibus adipiscendam proponit. lib. 4. adnot. 14. num. 2.

FINIS.



Digitized by Google





Digitized by Google